BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
X
D
44
NAPOLI

D. 45. 9.

IOANNIS DALLÆI

ADVERSVS

LATINORVM

DE

CVLTVS RELIGIOSI

OBIECTO TRADITIONEM,

DISPVTATIO,

QVA DEMONSTRATVR VETVSTISSIMIS AD A. D. CCC. Chriſtianis ignotos & inuſitatos fuiſſe eos Cultus,

QVOS NVNC IN ROMANA COMMVNIONE ſolent EVCHARISTIÆ, SANCTIS, RELIQVIIS, IMAGINIBVS *&* CRVCIBVS *deferre.*

Matth. XIX. 8. Ἀπ' ἀρχῆς δὲ οὐ γέγονεν οὕτω. *Ab initio autem non fuit ſic.*



GENEVÆ,

Sumptibus Ioannis Antonii & Samuelis De Tournes.

M. DC. LXIV.

SERENISSIMO PRINCIPI,

AVGVSTO

BRVNSVICENSIVM

ET

LVNEBVRGENSIVM DVCI,

IOANNES DALLÆVS

S. P. D.

IN ea, quæ nobis eſt cum Romano Pontifice gravis ſane & multiplex de Chriſtiana Religione controverſia, nihil fere occurrit SERENISSIME PRINCEPS AVGVSTE, quod ab illarum partium hominibus vel frequentius objectetur, vel exagitetur invidioſius, quam novitatis crimen. Clamant aſſidue eam quidem, quam nos ſuſcepimus de rebus divinis fidem muſteam, ac propemodum heſternam eſſe, à paucis, iiſque recentiſſimis homuncionibus nuper exor-

tam, orbi vniverſo ante annos centum, & quod excurrit ignotam & inauditam, ſua vero ſacra apud omnem retro antiquitatem jam inde à primis Chriſtianiſmi incunabulis floruiſſe; inde ducta, & à majoribus veluti in manum tradita ad ſe integra & inviolata perveniſſe. Quæ ſi tam vere dicerentur, quam confidenter jactantur, haud equidem repugnarem, quin jure in nos conflata ſit omnis illa invidia, qua nunc immerentes obruimur. Nam ſi rem ipſam detracta verborum & ſophiſmatum inanium pompa intueamur penitius, apparebit vtrumque juxta vanum eſſe & quod nobis imputant novitatis, & quod ſibi vindicant antiquitatis elogium. Ac primo quidem quod obtendunt ejus religionis, quam profitemur, auctores fuiſſe homines & quidem nuper natos, id quam falſo, quamque inique fingatur, omnes credo, ſatis intelligunt. Quis enim neſcit hoc ipſum noſtræ diſciplinæ vel primarium eſſe dogma, nullius mortalis, quiſquis ille ſit, auctoritatem in religione valere? hanc vnius Dei rem eſſe? Quæcumque à nudo homine eſt, eam hoc ipſo nullam eſſe? hominum ingenio, auctoritati, antiquitati in cæteris impune deferri; in religione nefas eſſe alium auctorem, aut magiſtrum ſequi quam Deum? Viderint Lutherus & Zuinglius, quo ſæculo nati ſint. Nihil eorum novitas fidei noſtræ obeſt, quam ſi docuerunt, non vt rem à ſe inventam, aut inſtitutam docuerunt, ſed vt à Deo conditam, & ex cœleſtibus ejus fontibus hauſtam tradiderunt. Non de hominibus, ſed de re,

de re-

de religione, de diſciplina ipſa quæritur. Hanc novam eſſe demonſtrent, ſi poſſunt; otioſam de miniſtrorum temporibus exprobrationem mittant. Iam ſi hic, quod decet, ac neceſſe eſt conſiſtimus, concidit tota de novitate criminatio. Quis enim id in Chriſtianiſmo novum eſſe dixerit, quod à Domino Chriſto eſt, primo atque vnico Chriſtianiſmi auctore, ac Principe, ipſiuſque æternitatis Patre? Atqui quam profitemur religionem, eam nos totam à Chriſto jam ab ipſis primordiis traditam atque acceptam fuiſſe non modo contendimus, ſed etiam ex iis libris apertiſſime demonſtramus, quos divinitus à Chriſti Apoſtolis conſcriptos fuiſſe, omnes omnis & veteris & recentioris memoriæ Chriſtiani, ipſique adeo adverſarij conſentiunt. Nullum nos aliud numen, nullum alium numinis cultum, nulla alia Sacramenta, nullas ſpes alias, nullos alios mores, nulla denique alia dogmata vel inſtituta docemus, credimus, tenemus, quam quæ ſunt in diviniſſimis illis cœleſtis ſapientiæ tabulis expreſſa atque conſignata. Rem vt palam eſt, antiquiſſimam pro nova traduci non modo falſum ac iniquum eſt, ſed etiam abſurdum ac præpoſterum. Novitatem falſo fruſtraque ei religioni objectari clarum eſt, quæ neque res in antiquiſſimo Chriſtianiſmi inſtrumento definitas ac conſtitutas vllas repudiat, neque vero iis quicquam alienum & exoticum admiſceri vel aſſui & adjungi patitur. Atque ita quidem à nobis nullo negotio depellitur novitatis invidia. Sed neque difficilius eſt eam adverſariis eripere,

quam ſibi nequicquam aſſumunt, antiquitatis gloriam. Neque enim ea ſtatim antiqua cenſenda ſunt, quæ aliquot ante nos ſæculis obtinuerunt. Id demũ eſt Chriſtianiſmo antiquum, quod ab initio fuit. Sic & ipſi antiquitatis Magiſtri jampridem præſcripſerunt, quorum hæ extant veræ ac ſacroſanctæ voces: *Id eſſe Dominicum & verum, quod ſit prius traditum; id autem extraneum & falſum, quod ſit poſterius immiſſum*;[a] *Hæresin deputari, quod poſtea inducitur; veritatem haberi, quod retro & à primordio traditum eſt*[b]; *Illic pronunciandam regulæ interverſionem, vbi poſteritas invenitur*[c]; id eſt vbi dogma aliquod cernitur Apoſtolica prædicatione poſterius ac recentius; *Conſtare id verius, quod prius; id prius, quod & ab initio, id ab initio, quod & ab Apoſtolis*[d]; Denique *id eſſe verum quodcumque primum, eſſe adulterum quodcumque poſterius*[e]. Ab iſtis ne Latini quidem videntur diſcedere, quorum è numero fuit, & quidem Papæ (vt loquuntur) *Protonotarius*, Iulius ille Rugerius, qui negat *traditionem vllam vllius eſſe ponderis, niſi quæ nullis temporum intercapedinibus interrupta ab Apoſtolorum vſque temporibus manaverit*[f]. Ex his apparet non alia apud Chriſtianos vere *priora & antiqua* cenſeri debere, niſi quæ & ab initio Chriſtianiſmi, & ab Apoſtolis fuerunt. Iã vero multa, imo plurima in hodierna Romani Epiſcopi religione tradi, quæ ab initio Chriſtianiſmi non fuerant, clarum certumque eſt ex ſacro novi Teſtamenti codice; in quo cum Domini Chriſti doctrina fuſe tradatur, & Eccleſiæ ortus, atque primordia referantur, & Apoſtolica prædica-

[a] Tertull. de Præſcript. c. 31. p. 243. A.
[b] Id. l. 1. contr. Marcion. c. 1. p. 431. A.
[c] Ibid. l. 3. c. 1. p. 477. B.
[d] Ibid l. 4. c. 5. p. 505. B.
[e] Id. contr. Prax. c. 2 p. 635. B.
[f] Iul. Rugerius opuſc. de Libr. Can. & Apocryph.

dicatio dilucide explicetur, qua Evangelium tum apud Iudæos primum, tum poſtea apud Ethnicos propagatum eſt, nullum tamen in tam multis de religione ſermonibus veſtigium deprehenditur plærorumque dogmatum ac rituum, pro quibus hodie Latini tanquam pro aris ac focis certant. Vnde quivis videt Apoſtolicis temporibus iſtorum nihil apud Chriſtianos fuiſſe; quorum ſcilicet ſiquid jam tum apud noſtros extitiſſet, id profecto ſacri illi ſcriptores haud parcius erant memoraturi quam cætera Chriſtianæ religionis capita, quæ magna vbique diligentia ac fide docent, explanant, vrgent paſſim, atque inculcant. Atque hoc quidem Scripturæ conſtans ac perpetuum de iſtis Latinorum decretis atq; inſtitutis ſilentium; eorum novitatem invicte apud nos, & alios demonſtrat, quicumque nobiſcum de ſacrarum litterarum perfectione & plenitudine conſentiunt. Sed quia adverſarii, vt hoc telum à ſe depellant, canonicarum Scripturarum obſcuritatem, ambiguitatem, ac paucitatem cauſſificari ſolent, ex iis haberi poſſe negantes quæcumque nobis ſunt ad ſalutem vel factu, vel certe creditu neceſſaria; noſtri nequid omitterent, quod ad eorum refellendum errorem vſui eſſet, aggreſſi ſunt eandem illam Romanæ religionis antiquitatem alio quodam argumento confutare, ex Apoſtolicæ & proxime ſequentis Eccleſiæ traditione petito. Nam dogmata non modo in primo illo Chriſtianiſmi ſanctiſſimo ac divinitus confecto inſtrumento deſiderantur, ſed ne in iis quidem monumentis comparent,

parent, quæ magno Dei beneficio ſatis multa ex vetuſtiſſimę illius Eccleſiæ libris ſuperſunt, ea ſanus, vt arbitror, nemo dixerit jam ab initio fuiſſe, & ab Apoſtolis, aliiſque Chriſti primis Miniſtris tradita, & eorum diſcipulis atque auditoribus cognita ac credita. Atqui multa Eccleſiæ Romanæ hodierna fide contineri, quæ non magis in vetuſtiſſimorum Patrum, quam in Apoſtolorum libris reperiuntur, id vero manifeſtum atque compertum eſt apud eos quidem, qui primæ illius antiquitatis monumenta diligenter inſpexerunt. Iam cum iidem illi Patres, quos paulò ante audiebamus, quod *non eſt à primordio traditum, ſed poſtea inductum*, quod *non ab Apoſtolis exortum, ſed poſterius immiſſum*, id omne *extraneum & falſum*, & *adulterum* eſſe cenſendum pronuntient; non eſt, vt puto, obſcurum, quid illi primi, atque aurei (vt ſic dicam) ſæculi fideles de hodierna Papę Romani religione judicaturi fuerint, in qua tam multa hujus commatis reperiuntur, id eſt *non ab initio ab Apoſtolis tradita*, ſed *poſtea ab aliis inducta, & immiſſa.* Eo factum eſt, AVGVSTE Sapientiſſime, vt hanc & noſtræ confirmandæ religionis, & Romanæ (qua quidem à noſtra diverſa eſt) refellendæ optimam ac expeditiſſimam rationem eſſe ſemper ego putaverim, ſi vtraque & cum divinis, & cum Eccleſiaſticis primæ ac vetuſtiſſimæ memorię libris accuratiſſime contendatur ac comparetur; quod ita clariſſime patefieri poſſe videatur vtra ſit antiquior, verique adeo ac vere Apoſtolici Chriſtianiſmi nomine dignior. Itaque vt hujus generis qua-

qualecumque ſpecimen exhiberem ad hanc ipſam normam elucubravi quod nunc ad CELSITUDINEM TUAM affero, rude ac impolitum Opuſculum; quo Romanas de Cultus religioſi objecto traditiones ad ejus Chriſtianiſmi formam ac canonem exigo, atque expendo, qui qualiſque tribus proximis à Domino in terris nato ſæculis in Eccleſia extitit. In ea autem diſputatione vere ac ſincere teſtor me bona fide, procul ab omni in quemquam vel odio, vel ſtudio verſatum eſſe; diligentiam autem in vero inveſtigando adhibuiſſe, quantam vel ingenij mei tarditas, vel aliorum occupationum neceſſitas capere potuit maximam. Quid ſim apud alios effecturus, neſcio. Neque enim ſemel expertus ſum, quam verum ſit quod ille olim non vanus hactenus vates cecinit, libellorum fata eſſe pro lectorum captu. Mihi quidem, niſi me mei operis amor fallit, res videntur in tam clara luce poſitæ, ut quivis ex his perſpicere poſſit Eccleſiæ noſtræ eandem eſſe hac in parte cum prima illa vere Apoſtolica fidem, praxin, atque diſciplinam; neque in hac magis extitiſſe olim, quam hodie extant in noſtra, fideles ullos, qui vel Euchariſtiam *latria* (ut loquuntur) adorarent, vel qui Angelorum & Spirituum cœlo receptorum, vel reliquiarum, vel denique ſacrarum quas vocant, imaginum, aut crucium ex auro, argento, ligno, marmore, aliave materia fictarum religioſi, cultoreſque eſſent. Huic autem meo operi, illuſtriſſimum atque auguſtiſſimum Nomen tuum præ-

ſcribere vt cuperem, fecit ipſa argumenti, quod tracto, gravitas; vt etiam auderem, tua AVGVSTE SERENISSIME, eximia & apud omnes nobilis bonitas. Nam ſuſceptam de pietate, cultuque religioſo ex divinis atque Eccleſiaſticis litteris diſputationem cui potius, aut verius dicari decuit, quam ei Principi, cujus & pietas in Deum ſumma eſt, & religio in res divinas accuratiſſima, & virtus conſtantiſſimis, iiſque maximis experimentis cognitiſſima, & ſapientia plane ſingularis, & animi ingeniique admirabilis magnitudo, ac denique excellens, & apud ſui ordinis homines non modo noſtræ, ſed & veteris memoriæ, pœne vnica in omni litterarum genere doctrina atque eruditio? His enim omnibus ornamentis abunde (vt ſic dicam) coronatam non ſine aliquo mentis exceſſu, ac ſtupore admirabundi cernimus venerandam illam AVGVSTE, canitiem, ad quam te divina, vt palàm eſt benedictio per tot annos, per tot rerum diſcrimina raro munere ſervatum perduxit. Verum hic ipſe tot ac tantorum decorum ſplendor, præter glorioſiſſimam illam qua fulges LVNEBVRGICI ſanguinis ac Principatus lucem, me nequid diſſimulem, à ſacro tuo limine aliquandiu ſummovit, ac deterruit, ne peregrinus & ignotus homuncio *tuam Celſitudinem* appellare, noſtraſque ei reculas offerre ac porrigere auderem; donec tandem animum nutantem, ac inter ſpem metumque vereeunde cunctantem impulit atque permovit accepta non dubiis, aut obſcuris, ſed certis ac perſpicuis

docu-

documentis de tua in omnes incomparabili comitate ac benignitate fiducia. Ea denique fretus SERENISSIME PRINCEPS diſputationem hanc de rebus divinis noſtram tibi venerabundus defero, quam vt manu dextera, & oculis faventibus ſuſcipias, ſupplex rogo, atq; obſecro. Si judicio tuo probatam locum aliquem intellexero meruiſſe in AVGVSTA illa tua vere tua, Bibliotheca, quæ Ptolomaïcarum & Attalicarum æmula, litteratorum hominum ſermonibus paſſim vbiq; celebratur, auditque vnum ex præcipuis, maximeque viſendis Germaniæ veſtræ miraculis; abunde erit, quod mihi ipſe gratuler; erit vnde ſperem laborem in hoc opere meum non plane futurum ad id, quo ſpectavi, invtilem, ad promovendam ſcilicet pro mea virili & Domini Chriſti gloriam, & hominum fidem ac ſalutem. Sed ne longiori ſermone tua, OPTIME ac SERENISSIME AVGVSTE, morer tempora, eoque, quod olim ad veterem illum tibi cognominem Auguſtum ajebat Flaccus, *in publica commoda peccem*, ecce epiſtolam, quod fas eſt, voto brevi concludens; Deum Opt. Max. ardentiſſimis precibus veneror vt hanc tuam SERENISSIME PRINCEPS, ſenectutem eadem, qua hactenus fovit, clementia & potentia fulciat porro ac firmet, teque diutiſſime terris ſanum, & incolumem, & omnibus bonis florentem commodet, totamque auguſtiſſimam ac ſereniſſimam familiam largiſſimo benedictionum cœleſtium ac terreſtrium rore perfuſam ſic fœcundet, vt lætiore in ſingulas,

quæ deinceps futuræ ſunt, ætates ſuccreſcente ſobole, *cum Sole* (quod eſt apud Pſaltem noſtrum) perennis, illuſtris, glorioſa permaneat. *Amen.*

VALE.

Dat. *Lutetiæ Pariſiorum* A.D. 1664. d. 15. Iun.

ELEN-

ELENCHVS OPERIS
& ſingularum ejus PARTIVM

ADVERSVS LATINORVM
de RELIGIOSI CVLTVS objecto
Tradtionem.

LIBER PRIMVS.

QVO COMMVNIA TOTIVS IN VNIverſum cauſſæ ARGVMENTA continentur.

CAPVT I. *Status quaſtionis de* CVLTVS RELIGIOSI *objecto ; Eum omnes Chriſtiani nominis homines Vero Deo, Patri, Filio, & Spiritui Sancto deferendum conſentire*; Latinos EVCHARISTIAM, DIVOS, RELIQVIAS, IMAGINES, CRVCES *religioſè præterea colere* ; Nos *nihil iſtorum religioſè colendum docere*. Pagina 1.

II. *Argumentum, Sententiæ de Religioſi Cultus objecto, noſtra I. Inde ſumptum, quod Chriſtianæ Religionis tum Divini tum Eccleſiaſtici ſcriptores, qui ad quartum ſæculum vixerunt, conſtanter omnes tradant Deum ſolum eſſe colendum & adorandum. Id fusè probatur Scripturis & Patrum teſtimoniis, Iuſtini, Smyrnenſium, Theophili, Irenæi, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Dionyſij; Alexandrini. Fructuoſi Martyris, Pſeudo-Clementis Romani, Lactantij.* 4

III. *Argumentum II. noſtræ, contra Latinos ſententiæ, quod primi Chriſtianiſmi Scriptores, religionem non alius quàm Dei unius cultu cenſuerunt ; quod probatur. Primò teſtimoniis Clementis Romani, Iuſtini, Tatiani, Clementis Alexandrini, Origenis, Lactantij. Secundò, quod* εὐσέβειας *&* θρησκείας *vocabula pro Religione indifferenter uſurpent, Bellarminus obiter caſtigatus. Tertiò quod res religionis fidem, ſpem, fiduciam, invocationem, hymnos, juramentum. Deo Soli deferendas tradant, Origenes, Cyprianus, Pſeudo-Clemens, Clemens Alexandrinus, Tertullianus.* 12

IV. *Argumentum veræ ſententiæ III. Primi Chriſtianiſmi cultores diſertè negant, quicquam quod ſit creatum, colendum vel adorandum ; Origenis, Tatiani, Athenagoræ, Clementis Alexandrini, Pſeudo-Clementis Romani diſerta in eam rem teſtimonia.* 16

V. *Refellitur* λατρείας *&* δουλείας *diſtinctio, qua Latini tria ſuperiora argumenta ſolvere fruſtra conantur. Demonſtratur & Divinos & Eccleſiaſticos intra*

trecenteſimum à nato Domino annum ſcriptores, duliæ æquè & latriæ vocabulum, cum de religioſo cultu vſurpant de ſolius Dei cultu intelligere; nunquam de vllius rei creatæ honore. Bellarmini objectiones & argutiæ diluuntur. Pagina 19

CAPVT VI. *Oſtenditur vetuſtiſſimos ad IV. ſæculum Theologos nullum alium religioſum cultum ſciviſſe quàm qui vnius ſoliuſque Dei proprius eſt; eos nullam cultus religioſi diſtinctionem vſurpaſſe. Sed omnia hujus ſenſus vocabula λατρεύειν δουλεύειν, προσκυνεῖν, θρησκεύειν, σέβειν, ſervire, adorare, colere, religione proſequi, vni Deo tribuere; neque cum vlla creatura communicare.* 28

VII. *Refellitur ſingularis Latinorum de Euchariſtia, quam adorant, exceptio; negantium eam iis Patrum ſententiis contineri, quibus Deus ſolus colendus eſſe dicitur quod ea ſcilicet verè Deus ſit. Breviter & obiter oſtenditur. Patres aliud ſenſiſſe, & Euchariſtiam pro vero pane, veroque vino habuiſſe.* 35

VIII. *Soluuntur loca, quæ pro ſua traditione afferunt Latini; Iuſtini de adorato Angelorum exercitu; Origenis, Tertulliani, & Cypriani de Martyrum feſtis; Irenæi de Maria Evæ advocata; Origenis Angelum invocantis, Nazianzeni de Iuſtina Mariam invocante; Euſebij de veneratione Cathedræ Iacobeæ; Iuſtini de Crucis ſignis; Origenis de Cruce adorata; Lactantij de eadem adorata.* 36

IX. *Argumentum IV. contra Latinorum de Euchariſtiæ, Divorum, &c. cultu traditionem, indè ſumptum, quod hæc in ſupremis ſuis Latini ſtudioſiſſimè adhibeant, colant & adorent, etiam in ipſo Martyrio; Vetuſtiſſimi verò Chriſtiani pari loco & tempore nihil ſimile vſurpaſſe vnquam, ſed Deum ſolum invocaſſe, laudaſſe, coluiſſe, adoraſſe reperiuntur; quod liquido demonſtratur plurimis ex vtroque ordine fusè de ſcriptis & inter ſe collatis exemplis; Idemque diſcrimen vetuſtiſſimorum à recentioribus Chriſtianis in ipſo Latinorum Breviario obſervatur.* 61

X. *Argumentum V. contra Latinam de cultu creaturarum quarundam religioſo traditionem, inde ductum, quod quoties de miraculis incidit ſermo, Latini quidem ea commemorant, quæ vel Euchariſtiæ, vel Reliquiarum, vel imaginum aut crucium vi, vel ad Divorum invocationem fieri dicuntur; Veteres verò nullum planè hujus ordinis aut cenſus referunt, totis primis tribus ſæculis; idque probatur & ex Bellarmini de talibus in omni de miraculis diſputatione ſilentio, & ex ipſis Veterum locis, quæcunque ſunt de miraculis (plurima autem ſunt) ſive de ijs, quibus homines à naufragio liberati ſunt, ſive de ijs quibus ab ignis, terræ motuum, &c. vi ſervati, vel quibus ſiccitas aëris depulſa, pluviaque impetrata ſive de ijs quibus aut mortui reſſuſcitati, ſive denique de ijs, quibus hominum vel loca vel corpora dæmonis purgata ſunt. Locorum de his ex Latinis recentioribus vt ex vetuſtiſſimis Chriſtianis accurata inter ſe collatio. Vnde colligitur Euchariſtiæ, Divorum, Reliquiarum, Imaginum, & Crucium apud Latinos ſolemnem cultum vetuſtiſſimis Chriſtianis planè ignotum fuiſſe.* 91

XI. *Argumentum VI. contra Latinos de cultu quarumdam creaturarum religioſo traditiones; ex quodam Tertulliani loco ductum, in quo cùm ſpecimen edat traditionum quæ abſque ſcriptura apud Chriſtianos obtinebant nullius ex iſtis Latinis meminit; Unde ſequitur nullam earum tunc obtinuiſſe quas ſi quæ tum fuiſ-*

ſent,

ſent, multò potiùs commemoraturus erat, quàm quas refert. Pagina 123.

XII. *Argumentum VII. ex eo ductum quod trium primorum ſaculorum Chriſtianos cõnſtet à Paganis pro Atheis & irreligioſis habitos, iiſque impietatis elogijs infamatos, quorum nullus color erat ex Paganico de religione dogmate futurus, ſi Eucharistiam, Divos, Reliquias, Imagines, Cruces, Veteres illi Chriſtiani ſic coluiſſent, vt hodie colunt Latini, quod & ratione, & Apoſtolorum apud Indos Latinorum exemplo confirmatur, quibus nuſquam à Paganis objectum legimus impietatis & irreligioſitatis crimen.* 127

XIII. *Argumentum VIII. ex eo ductum, quod primi illi Veteres Chriſtiani de impietatis & irreligioſitatis crimine pulſati conſtanter reſpondent ſe vnum Deum verum ac ſolum colere; de cultis à ſe Divis Imaginibus & quod erat Paganis abundè ſatisfacturum, nullum vſpiam verbum faciunt.* 132

XIV. *Argumentum IX. ex varijs Gentilium de Chriſtianorum Deo calumnijs, ac ſuſpicionibus; quos alij caput aſini, alij Solem, alij alia colere jactabant; Nemo Euchariſtiam, aut Divos, aut Reliquias colere dixit; quod tamen ſi hac verè culta à Chriſtianis eſſent, & facile erat diſcere, & invidioſiſſimum objectare.* 134

XV. *Argumentum X. à Veterum Chriſtianorum ad ſuperiores Paganorum de Deo ſuo ſuſpiciones & calumnias reſponſione ac deffenſione, qua illa qua objiciebantur, ſimpliciter inficiantur, ac in Paganos repercutiunt; hac Latina, nempe Euchariſtiam, Divos, Imagines & colere ſe non docent, quod tamen hoc loco, ſi verum eſſet docendum fuit, imo Cruces ſe colere diſertiſſime negant.* 137

XVI. *Argumentum XI. inde ductum, quod Iudai Euchariſtia, & Divorum, Imaginum, & cultum religioſum, quem Chriſtianis à quo is apud hos certò & abſque controverſia obtinuit, perpetuò ac pracipue exprobrarunt, Vetuſtiſſimis Chriſtianis nunquam objeciſſe reperiantur; idque tum ex Divinis tum ex Eccleſiaſticis libris demonſtratur.* 139

XVII. *Argumentum XII. Latina de cultus objecto traditionis partes, omnes quidem proximis retro ſaculis quadam ſuperioribus, à diverſis & Orthodoxis & hareticis exagitata vexataque; primis vero tribus à nullo neque haretico, neque orthodoxo denotata, aut reprehenſa ſunt; niſi quod nonnulla, ſed à Catholicis objecta exprobrataque hareticis; hujus tanti inter vtraque tempora diſcriminis nullam aliam idoneam occurrere rationem, niſi hanc, quod ſcilicet qui nunc apud Latinos obtinet, Euchariſtia, Divorum, Reliquiarum, Imaginum, & Crucium cultus, is primis tribus ſaculis nullus fuit, ſequentibus vero paulatim & per partes maturius ſeriusve eſt inſtitutus.* 145

XVIII. *Argumentum XIII. quo neque Euchariſtiam, neque Reliquias, neque Imagines, neque Cruces à Vetuſtiſſimis Chriſtianis cultas fuiſſe inde oſtenditur; quod ij res mutas & animâ carentes adorari non modò nefas, ſed & ſtultum ac ridiculum eſſe contendant in ſuis adverſus Paganos diſputationibus.* 158

XIX. *Argumentum XIV. Idem inde concludens, quod vetuſtiſſimi Theologi Paganos irrideant ea colentes, qua cuſtodiuntur ab hominibus, quaque & hominum, & Ignis & imbrium, & alijs Natura injurijs obnoxia ſunt, & qua denique oppignerare licet, qua omnia in Euchariſtia, Imaginum, Crucium, & Reliquia-*

guiarum cultores apertè quoque conveniunt. Pagina 160

CAPVT XX. *Argumentum XV. Eadem inde confirmans, quod vetuſtiſsimi Chriſtiani religionem docent non terræ affigendam, ſed in cœlum evehendam, quodque res terrenas & ex terrena materia concretas, fictaſve ſtultè & ridiculè ab homine coli ſcribunt ac pertendunt.* 166

XXI. *Argumentum XVI. quo Euchariſtiam, Imagines & Cruces non fuiſſe tribus primis ſeculis à Chriſtianis religioſè cultas inde probatur, quod ij ab hominibus coli, quæ ipſi arte & manu ſua fecerunt, flagitioſum & Ineptum putant, quod tamen ab Euchariſtiæ, Imaginum & Crucium adorationibus admitti, clarum ac confeſſum eſt.* 170

XXII. *Argumentum XVII. Vetuſtiſsimorum Paganorum ad ſuperiores noſtrorum in cultus ſuos objectiones, reſponſio vincit à noſtris cultas non fuiſſe Imagines, Euchariſtiam, Reliquias, Cruces; Pagani enim illi harum rerum cultum in noſtros tali loco erant repercuſſuri, ſi quis verè fuiſſet, quem nunquam repercuſsiſſe reperiuntur, ſed longè alia ad eas objectiones reſpondiſſe.* 174

XXIII. *Argumentum XVIII. Imagines, Cruces & reliquias in eo, quo nunc ſunt apud Latinos cultu nimimè fuiſſe apud Vetuſtiſſimos ad a. D. 314 Chriſtianos, inde conſicitur, quod hæc, quæ illi perpetuò inter ſua adverſus perſecutiones arma ac munimenta cenſent, ij nullo unquam numero habuiſſe cernuntur; quod tum ex Divinis, tum ex Eccleſiaſticis primæ memoriæ ſcriptoribus demonſtratur; Vice verſa Domini calicem, quo muniri pios adverſus perſecutionem Veteres voluut, Latinos omnibus de plebe Chriſtiana fidelibus eripuiſſe.* 177

XXIV. *Argumentum XIX. Idem ex eo confirmat, quod cùm Imagines, Cruces, Reliquias, & ſuſcipiant, qui Latinæ Religioni ex Ethnicismo initiantur, & deponant, qui ab ea ad Ethnicismum deficiunt; neutrum apud Vetuſtiſsimos Chriſtianos ſolenne, aut factitatum fuiſſe reperitur.* 184

XXV. *Argumentum XX. Idem ex eo demonſtratur, quod in perſecutionibus Imagines, Cruces, & Reliquiæ apud Latinos quidem à perſecutoribus vetita, erepta, exciſa, everſave memorantur; apud Vetuſtiſſimos verò Chriſtianos nunquam. Vice verſa, in talibus locis, quæ apud hos ſæpe occurrunt Scripturæ Divinæ, nunquam apud Latinos memorantur. Vnde patet quanta ſit utrorumque in Religione differentia.* 189

LIBER II.

Quo propria adverſus Latinam de Euchariſtiæ Adoratione Traditionem Argumenta continentur.

CAPVT I. *Argumentum I. quod Euchariſtiam Apoſtoli in prima Cœna inſtitutam & participatam adorare à Domino juſſi non ſunt.* Pagina 216

II. *Argumentum II. Quod Euchariſtiam Apoſtoli in prima illa Cœna minime adoraverint, quod non erant prætermiſſuri, ſi ea Chriſtiani officij pars aliqua eſſet. Bellarmini & Perronij effugia præcluduntur.* 224

CAPVT III. Argumentum III. Inde ductum, quod ex quadam Pauli diſputatione conſtet non fuiſſe Chriſtianis illius ævi Eccleſiis ſolenne Euchariſtiam in ſacro convivio adorare. Pagina 230

IV. Argumentum IV. ex eo petitum, quod Iuſtinus a. D. circiter 155. ritum, quo apud noſtros Euchariſtia celebrabatur, accuratiſſimè ſemel atque iterum deſcribens, nullam ejus adoratæ mentionem facit. 231

V. Argumentum V. ductum à conſtanti Scriptorum ſilentio, quotquot ex tribus primis Chriſtianiſmi ſæculis veri certique ſuperſunt; quorum nemo vſpiam meminit adoratæ à ſe, ſuiſve Euchariſtiæ. 233

VI. Argumentum VI. Quod Euchariſtia à Vetuſtiſſimis Chriſtianis elevata in ſacris non fuerit; & ab iis, à quibus elevari ſexto demum, vt videtur ſæculo cœpit, non vt adoraretur à plebe, ſed vt Chriſti in crucem elevationem plebi adumbraret, elevatam fuiſſe; Elevari vt adoraretur, duodecimo demum, aut etiam decimo tertio ſæculo, inventum eſſe. 235

VII. Argumentum VII. Inde ductum, quod Latinus pulſandæ nolæ ritus, vt hoc ſono ad Euchariſtiæ adorationem quicunque eum audiunt, excitentur, Veteribus Chriſtianis ignotus fuerit. Zelacriſti & Conſtantini in hoc inſtituto latum diſcrimen. 239

VIII. Argumentum VIII. Inde ductum quod quæ nunc apud Latinos abundant, de adorata, etiam à beſtiis per miraculum, Euchariſtia narrationes, ad eam ſcilicet religionem aſtruendam confictæ, nullæ reperiuntur apud Vetuſtiſſimos; neque apud eos vllum extat adoratæ etiam extra ædem Euchariſtiæ veſtigium; qui cultus nunc apud Latinos vbique eſt obvius. 240

IX. Argumentum IX. Inde ductum, quod Euchariſtiam ad abſentes abſque vlla pompa, vlliſve cultus inſignibus mittere ac deferre, Latinis quidem ſumma religio eſt; Veteribus verò nulla fuit; quod petitis in vtrorumque auctoribus, exemplis confirmatur. 243

X. Argumentum X. Quod Euchariſtiam vel latis, vel etiam adverſis & triſtibus temporibus exponere (vt loquuntur) Latinis quidem nunc ſolenne ac familiare ſit; Vetuſtiſſimis verò Chriſtianis planè inſuetum atque invſitatum. 244

XI Argumentum XI. Quod Euchariſtiam in rerum arduarum ſuſceptione ac molimine adorare & invocare Latini quidem pœne ſemper; Vetuſtiſſimi verò Chriſtiani nunquam ſoleant. 249

XII. Argumentum XII. Quod & neophyti & pœnitentes ante Euchariſtiam à Latinis ſiſtuntur; illi, vt ei gratias pro regeneratione ſua adorantes agant; hi vt coram ea ſatisfaciant venerabundi; qui ritus vterque eſt à vetuſtiſſimorum more alienus. 251

XIII. Argumentum XIII. Quod vetuſtiſſimi quidem Chriſtiani, omnes non communicantes Euchariſtiæ ſacro excluſerint; Latini verò eoſdem ad ſacri celebrationem admittant; quia nimirum illi ad ſolam communionem ſive ſumptionem inſtitutum eſſe hoc ſacrum cenſebant, hi verò etiam ad adorationem putant. Abſurdiſſimum futurum fuiſſe Priſcorum morem, ſi Euchariſtiam numen eſſe adorandum vnà cum Latinis crediſſent. 254

CAPVT XIV. *Argumentum XIV. Quod Euchariſtiam publicè, palam, aperteque circumgeſtare, Latinis quidem ſolenne ſit, Vetuſtiſsimis verò Chriſtianis inſuetum & inauditum, & ab ipſa eorum diſciplina alienum.* Pagina 259

XV. *Argumentum XV. Quod Euchariſtiæ veteres neque lucernas aut cereos de die accenderint, neque thura adoleverint, neque flores ſolutos ſertoſque obtulerint; qui ſunt ex eorum honorum genere, quibus ſuam hodie Latini hoſtiam colunt. Quinimo plane nullum iſtorum trium fuiſſe apud Vetuſtiſſimos in ſacris & religione vſum.* 263

XVI. *Argumentum XVI. Quod Vetuſtiſſimi Chriſtiani nullas feciſſe, vel conſecraſſe reperiantur Euchariſtiæ icones, quales hodie ſunt in ſolenni Latinorum vſu.* 273

XVII. *Argumentum XVII. Quod apud Veteres nullum fuerit Sacramento dicatum aut celebratum feſtum, vt & apud Latinos, & quidem celeberrimum atque religioſiſſimum. Præcluditur Perronij effugium. Latini hujus feſti novitas, ejuſque inſtituendi auctores & cauſa referuntur & affirmantur.* 275

XVIII. *Argumentum XVIII. Quod Euchariſtiæ Veteres Chriſtiani nullas preces, nullas gratiarum actiones dixiſſe vnquam reperiuntur; quod vtrumque nunc eſt in frequentiſſimo ac pœne paſſivo & univerſali omnium Latinorum vſu.* 287

XIX. *Argumentum XIX. Quod Euchariſtiam etiam à cœnatis, certè inter cœnandum, apud Apoſtolicam Eccleſiam fas fuerit ſumi; eumque morem per aliquot ſæcula apud noſtros continuatum eſſe; quod & à rei ipſius ingenio (ſi Euchariſtia quidem adorari debet) & à Latinorum, non alios ad communionem quam jejunos admittentium, religione plurimum abhorret.* 289

XX. *Argumentum XX. Quod Euchariſtiam in Vetuſtiſſima Eccleſia communicantes ſua ſinguli manu exceptam, in os ſuum ipſi inferrent, quod apud Latinos eſt nefas, qui ſacrum illum panem (quia adorant ſcilicet) non alia, quàm ſacerdotali manu contingi aut attrectari concedunt.* 298

XXI. *Argumentum XXI. Quod Vetuſtiſſimæ Eccleſiæ Præſides omnibus communicantibus, laïcis, clericis, viris, mulieribus permiſerint ſacras Euchariſtiæ particulas domum auferre, domi habere & ſervare; quod ex Latinorum dogmate & praxi nefarium crimen eſſe conſtat.* 300

XXII. *Argumentum XXII. Quod Euchariſtiam ad abſentes & ægrotos deferendam Vetuſtiſſimi hominibus privatis, etiam pueris committerent; Latini non aliis quàm ſacerdotibus tradant. Argumentum XXIII. Quod Vetuſtiſſimi Chriſtiani vinum ſacrum in calice vitreo offerrent; Latini non aliter quàm in calice ex ſolida materia.* 305

XXIII. *Argumentum XXIII. Quod Vetuſtiſsimis Chriſtianis Pagani ejuſdem ævi neque ſerio neque joco, neque in ſuis contra noſtros calumniis, & maledictis, neque in ſuorum Deorum à noſtrorum objectionibus defenſione θεοφαγίαν obieciſſe, vel eos θεοφάγους (Dei voratores) vocaſſe reperiuntur; quod infidelium in Latinos nunc eſt ſolenne convitium* 308

XXIV. *Argumentum XXIV. Quod Pagani noſtris multa objecerint, quæ in Euchariſtiam (ſi ea quidem à noſtris eſſet adorata) multo & fortius & ſpecioſius dici.*

dici poterant, quàm in ea quibus objiciebantur, & illam tamen talibus locis, Pagani nuſquam memorant, alia quædam minus ad ſuam diſputationem apta commodaque memorant; quo patet Euchariſtiam non fuiſſe à noſtris adoratam. Celſi, apud Origenem, Cæcilij apud Minutium, Ethnicorum apud Theophylum, objectiones hujus generis adverſus noſtros referuntur. Pagina 315

Capvt XXV. *Præcluditur Latinorum ad ſuperius argumentum effugium, cavillantium Paganos neſciviſſe Euchariſtiam à Chriſtianis adorari, etiamſi revera ab iis adoraretur; ac demonſtratur neque Chriſtianos ſua dogmata ſuoſve cultus occultaſſe, neque ea, ſi occultauiſſent, Paganos tamen latere potuiſſe.* 318

XXVI. *Argumentum XXVI. Quod Patres primorum trium ſæculorum nonnulla Paganis objiciant, quæ objecturi non erant, ſi Euchariſtiam adoraſſent; ut quod ſit ἀνόσιον id, quod adoratur, comedere; item id ipſum adorare, quod ſacrificamus; & adorare id quod paſcimus, & Deum vel homine veſci, vel liberos ſuos glutire.* 326

XXVII. *Argumentum XXVII. Quod Vetuſtiſſimi Chriſtiani invidioſiſſimum anthropophagiæ crimen, cujus nomine diræ in eos perſecutiones à Paganis excitabantur, vel ſi fellentes, vel à ſe ſuiſq; audientes id ſimpliciter negant, neq; Euchariſtiæ negotium, quod ad calumniã diluendam explicari neceſſe erat (ſi cum Latinis de eo ſenſiſſent) vſquam talibus in locis memorant.* 328

XXVIII. *Gentilium de anthropophagia, Thyeſteis dapibus, & Oedipodeis commixtionibus adverſus noſtros calumniam, non eſſe ex Euchariſtiæ occaſione, quod nonnulli hariolantur exortam; ſed ex Carpocratianorum nefariis ſacris, & promiſcuis inter ſe libidinibus. Oecumenij diverſa ea de re, velut ex Irenæo traditio refellitur.* 332

XXIX. *Argumentum XXVIII. Quod vetuſtiſſimi Scriptores Euchariſtiæ adorationem in ſuis adverſus Ebionæos & Docetas, diſputationibus nunquam vrgent, in quos tamen erat vtilis & valida ad eorum errores confutandos.* 338

LIBER III.

Continet Argumenta contra Latinam de Cultu Divorum Religioſo Traditionem Propria.

Capvt I. *Falsò noſtros à Latinis de Sanctorum contemptu pulſari. Honorari etiam à noſtris Sanctos, ſed ἰυφημίᾳ & μιμήσει, laude & imitatione quod docet Scriptura & Vetus Eccleſia; non etiam Dulia & Religione.* 340

II. *Recitatur Latinæ Tridentinæ & Synodi & Catecheſeos de Religioſo Divorum cultu traditio & aſſertio, quã temere falſoque affirmant ſuum illum cultum apud Chriſtianos jam inde à primis temporibus notum & factitatum fuiſſe.* 345

III. *Argumentum contra Latinam de Divorum cultu traditionem primum; Quod quæ paſſim in Latinorum vita & libris reperiuntur vel dicata & conſtituta Divis templa, altaria, ſimulachra, feſta, ſodalitia, dona, thura & incenſa, vel in eorum honorem facta ſacrificia vel denique iiſdem & oblata donaria, & factæ preces ac ſupplicationes; eorum omnium planè nihil apud Vetuſtiſſimos intra annum Domini*

mini 300. In veris certiſque illius ævi libris deprehendatur. Pagina 345

CAPVT IV. *Argumentum II, Inde petitum, quod ne ipſe quidem B. Virginis cultus religioſus, qui apud Latinos nunc longe frequentiſſimus, & pœne aſſiduus eſt, vllum apud Chriſtianos ante quartum ſæculum locum habuiſſe reperiatur; Idque inſtituto inter horum & Latinorum cultus parallelismo, & quatuor præterea argumentis demonſtratur.* 354

V. *Argumentum III. Quod Tridentini quidem & eorum Catecheſes Epiſcopos & alios Eccleſiæ miniſtros jubent populum diligenter de divorum cultu atque invocatione docere; Paulus verò nihil hujuſmodi Epiſcopis, vbi de eorum officio & munere copioſé agit.* 370

VI. *Argumentum IV. Quod ſuos Catechumenos de Divorum, ac Mariæ imprimis cultu, Latini quidem vbique diligentiſſimè; Vetuſtiſſimi verò Chriſtiani nunquam vel vno verbo, docere aut commonefacere reperiantur.* 372

VII. *Argumentum V. Quod Neophytos ſuos, Mariæ ac Divorum cultum & invocationem Latini docent; Vetuſtiſſimi nunquam docent. Argumentum VI. Idem vtrorumque in inſtituendis fidelibus, afflictis, & pœnitentibus reconciliandis diſcrimen obſervatur.* 376

VIII. *Argumentum VII. Quod de Divorum cultu inter cætera Chriſtianæ pietatis officia Eccleſiæ tum præpoſiti, tum Martyres fideles in ſuis ad eos exhortationibus docere ac præcipere apud Latinos quidem paſſim ſoleant apud vetuſtiſſimos verò nunquam.* 380

IX. *Argumentum VIII. Quod in Decalogi præcepto primo explicando & in oratione Dominica tractanda à precum ad Divos religioſarum (vt cultu divorum ſuppoſito decet ac neceſſe eſt, Latini quidem ſedulò meminerunt. Vetuſtiſſimi verò Theologi, nunquam, quod ex Tertulliani & Cypriani de oratione libellis demonſtratur. Perronij de relativa oratione effugium præcluditur ac refellitur.* 383

X. *Argumentum IX. Quod vetuſtiſſimi Chriſtianorum Theologi, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, ne in cæteris quidem locis ad hanc rem appoſitis de religioſa prece diſputantes, aut loquentes, ejus quæ ad Divos fiat meminerint; imo interdum negent ſe alium, niſi Deum vnum precari, vel cum alio quam Deo precantes colloqui.* 393

XI. *Argumentum X. Quod Ave Maria, vt orationes ad Divos alias ſuis de ſuggeſtu auditoribus mandare ac præcipere concionantes, Latini quidem paſſim ſoleant; Vetuſtiſſimi Chriſtiani nunquam ſoleant, Hujus & ſuperiorum argumentum* [illegible]. 397

XII. *Argumentum XI. Quod in Euchariſtiæ liturgia ſive Miſſa (vt vulgo loquuntur) Divos Latini quidem & indirectè, & directè etiam, affatim invocent; Vetuſtiſſimi vero Chriſtiani ad quartum ſæculum, imo & infra, nuſquam in toto illo ſacro Divos, vel Divorum aliquem, vel directè, vel etiam indirectè invocare reperiuntur. Diſcriminis, quod inter diverſas Miſſæ Latinæ partes ac in re deprehenditur, vera ratio.* 398

XIII. *Argumentum XII. Quod in Homiliarum ad plebem ſacrarum limine, Eccleſiaſtæ quidem Latini Divam Virginem paſſim, ac ferè ſemper invocent; primi verò ad quartum ſæculum Chriſtianiſmi Doctores Deum ſane, & Chriſtum, & Spiri-*

& Spiritum Sanctum, & in principio, & in medio, & in calce ſuorum apud populum tractatuum, crebro; Virginem cum Divis nulla in parte invocaſſe, vel ſemel reperiantur, quod fuiſſe ex Origenis Homiliis demonſtratur. Pagina 412

CAPVT XIV. *Argumentum XIII. Quod in publico Eccleſiæ, extra Euchariſtiam, cultu Divos precibus hymniſq; colere, Latinis quidẽ ſolenne: Vetuſtiſſimis verò Chriſtianis inſuetum & ignotum ſit, vni ſoli Deo tum preces, tum hymnos dicere inſtitutis; quod ex vtrorumque inter ſe collatis tum Ritualibus tum aliis libris, demonſtratur.* 417

XV. *Argumentum XIV. à Litaniis, ſive ſupplicationibus ad Divos; quæ in Miniſtrorum Eccleſiaſticorum ordinationibus, in Regum coronationibus, in Eccleſiarum & Altarium conſecrationibus, Reliquiarum depoſitionibus, Pœnitentiæ actibus, Quadrageſima, in ſiccitatibus, mortalitate, bello, Energumenorum curationibus, à Latinis quidem diligenter vſurpantur; Vetuſtiſſimis vero Chriſtianis in hujuſmodi locis atque temporibus planè invſitata ac ignota fuerunt.* 428

XVI. *Argumentum XV. Quod in privato religionis cultu, vt horis diei prima, ſexta & veſpere Divos Latini quidem paſſim ac fere ſemper, Vetuſtiſſimi verò Chriſtiani nunquam invocare reperiuntur. De domeſtica fidelium pietate, ejuſque exercitiis inſignis Tertulliani locus, è quo idem confirmatur.* 442

XVII. *Argumentum XVI. Quod in triſtibus ſuis temporibus ad Divos confugere eoſque invocare Latini quidem ſemper; Vetuſtiſſimi vero Chriſtiani ad Deum ſolum, non etiam ad Divos reperiantur. Argumentum XVII. Quod Vetuſtiſſimi Chriſtiani in lætis proſperiſque Deo vni gratias laudeſque reddere non etiam, vt Latini, Divis ſoleant, & quod iidem ſolum Deum, non etiam Divos, vt Latini pro infidelium converſione precentur & invocent.* 448

XVIII. *Argumentum XVIII. Quod Vetuſtiſſimi ante quartum ſæculum Chriſtiani ſcriptores, tum in iis, quæ de Martyrum vita encomiaſtica ediderunt, tum in aliis ſuis operibus, Deum quidem ſæpe invocant ad opus conficiendum, vel ei pro confecto gratias agunt, Divos neutro vnquam in loco, quod nunc Eccleſiaſtici Latinorum Scriptores pœne omnes faciunt, appellaſſe reperiuntur* 452

XIX. *Argumentum XIX. Inde petitum quod Divos in ſupremis invocare, Latinis quidem ſolenne eſt, Vetuſtiſſimis verò Chriſtianis inſuetum & ignotum indicatur & ad primum, vbi tractatum eſt operis librum rejicitur ſuperiorum argumentorum ἀνακεφαλαίωσις & collectio.* 460

XX. *Argumentum XX. Quod quorum ſive virorum, ſive mulierum pietatem laudant, eorum in Divos ac præſertim in Mariam, religionem ac cultum Latini quidem memorant ac prædicant; Vetuſtiſſimi verò Chriſtiani nihil ſimile vſpiam feciſſe reperiuntur, quos laudant, eos à pietate, non in alium quàm in Deum, neque ab aliis quam Dei cultu commendantes.* 461

XXI. *Argumentum XXI. Quod Divorum conſecratio, ac (vt vocant) Canonizatio, res ad invocationem Divorum neceſſaria, eoque nunc apud Latinos ſolennis. Vetuſtiſſimis Chriſtianis planè invſitata inaudita & incognita fuerit.* 468

XXII. *Argumentum XXII. Quod plurimi ex Vetuſtiſſimis Chriſtianis piorum ſanctorumque omnium animas extra cœlum vſque ad carnis reſurrectionem degere putarunt. Id verò dogma cum Sanctorum cultu, & invocatione conſiſtere* non

non poſſit, vt vel ex hodierna Latinorum doctrina conſtat. Pagina 474

CAPVT XXIII. *Argumentum XXIII. Ex inſigni quadam Origenis dubitatione inter obſcura & arcana Dei relinquentis, an Sanctorum Spiritus aliquid pro nobis agant, quæ dubitatio cum Sanctorum invocatione conſiſtere non poteſt. Refellitur Bellarmini ad locum Origenis cavillatio; & alia tria ejuſdem ſcriptoris loca à Bellarm. objecta ſic explicantur, vt cum ejus de Sanctorum animabus dubitatione minime pugnent. In eorum primo vocabulum* animæ *quid ſit. Duo reliqua interpolata videri; adjectis à Ruffino quæ in ijs leguntur, Sanctorum Vet. Teſtam. precibus pro nobis. Eas enim ab Origene illuſtri quodam Hom. 3. in Ioſuam loco penitus tolli.* 481

XXIV. *Argumentum XXIV. Inde ductum quod Vetuſtiſſimi de tertio, etiam fortaſſe ſecundo, ſed extremo, ſæculo Chriſtiani Deum pro Sanctis & Martyribus & Apoſtolis, pro ipſa denique matre Virgine oraverint, quem verò quis invocat religiosè, pro eo vt apud Deum ipſe oret ſtultum & abſurdum videatur. Oratio pro Divo Leone P. R. vetus, è libris recentiorum eam ob cauſam eraſa.* 487

XXV. *Argumentum XXV. Quod Paganis vnum quidem ſummum Deum cæteros velut ejus miniſtros, ſecundo poſt eum loco, colere ſe profitentibus, deberi autem honorem & cultum religioſum objectantibus non modo Principi, ſed etiam ejus miniſtris; Vetuſtiſſimi Chriſtiani præfractè negaverint alium colendum niſi Deum vnum ſummum, cultum Dei à cultu miniſtrorum nunquam diſtinxerint, vel colendos miniſtros modo bonos & Sanctos conceſſerint; denique nihil eorum quæ poſcebat Latinorum hypotheſis, in hac cauſa vſurpaverint.* 491

XXVI. *Argumentum XXVI. Quod Pagani & olim & nunc objectum ſibi & exprobratum cultum plurium religioſum, in Latinos quidem & Vetuſtiores Divorum cultores retorſerint, Divos ſcilicet apud illos eodem loco haberi cauſſantes quo apud ſe habebantur numina; Primis verò ante quartum Chriſtianiſmi ſæculum temporibus, in eadem cauſſa, noſtris Chriſti quidem aliquando, Divorum nunquam cultum objectaſſe reperiantur.* 499

XXVII. *Argumentum XXVII. Quod Chriſti quidem, hominis, nati, etiam crucifixi, mortui denique cultum noſtris Pagani tribus primis ſæculis objecerint, Divorum, & hominum & mortuorum cultum adeo non objecerint, vt etiam eos à noſtris minime cultos fuiſſe ipſi ſatis ſignificaverint, ijdem inſecutis poſt tertium ſæculum temporibus Divorum cultum Chriſtianis & ſæpe & acriter exprobraverint.* 502

XXVIII. *Refellitur Bellarmini ad proximas objectiones exceptio, contendentis Chriſtianos idololatriæ ab Ethnicis, Iudæis & Hæreticis, ob Sanctorum cultum ſemper fuiſſe accuſatos, demonſtraturque neminem ante quartum ſæculum eam calumniam Chriſtianis impegiſſe; non Iudæos Smyrnenſes, non Paganos Lugdunenſes, non Manichæos, non Diocletianum aut Porphyrium. Eam calumniam quarto demum ſæculo ineunte exortam, cum honores Martyribus præter majorum morem deferri cœpiſſent Paganicorum in Deos æmuli.* 505

XXIX. *Argumentum XXVIII. Quod Vetuſtiſſimi Chriſtiani Paganis ea objecerint, quæ in Divorum cultores apertiſſimè militant, vt religioſum eorum cultum; Primò, qui homines natura eſſent; Secundò, qui mortui eſſent; Tertiò,*

quibus

quibus hunc datum à Deo ſummo fuiſſe honorem non conſtet; Quartò, qui hominis decreto conſecrati & canonizati eſſent; Quintò, eorum quos non colebant, contemptum; Sextò, curarum & cultuum diverſitatem; Septimò, quod minorum cultus à ſummi Dei cultu deflecteret & everteret hominum animos; quæ omnia æquè in Divorum ac in Deorum cultores, cultuſque conveniunt. Pagina 518

CAPVT XXX. *Argumentum XXIX. A diverſo Latinorum & Antiquiſſimorum Chriſtianorum de Sanctis ſermone ductum; quos illi quidem Divos vulgò, ac ſæpiſſime, hi vero nunquam vocant. 2. quod illi quidem Mariam Virginem vel Angelorum, vel terræ cœlique Reginam paſſim, hi vero nunquam appellant. 3. quod Superum aut Cœlitum opem, ſuffragia, patrocinia poſcere, promereri, Cœlitibus vota facere gratiaſque agere & phraſes ſint Latinis quidem familiares, Veteribus autem ignotæ.* 523

XXXI. *Argumentum XXX. A diſerta Pauli lege Angelos religiosè coli vetantis, Coloſſen. 2. 18. Ineptiſſima Perronij in has Apoſtoli voces θρησκεία ἀγγέλων, gloſſa refellitur. Bellarmini, Baronij, Petavij ſolutiones refutantur.* 528

XXXII. *Argumentum XXXI. Ab ipſius Angeli prohibitione ſe à Iohanne adorari exſertiſſimè vetantis, Apocal 22.9. & 19.10. futile Bellarmini ad hunc locum dilemma frangitur, & ſtrophæ eliduntur, & de Angelis apud Veteres Iudæos adoratis ſomnium refellitur.* 536

XXXIII. *Argumentum XXXII. Quod Hermas in multis Angelorum apud ſe quas deſcribit, apparitionibus, nuſquam narrat ullum eorum, qui ſibi viſi ſunt à ſe fuiſſe adoratum. Argumentum XXXIII. Ex aliquot Origenis locis diſertiſſimè negantis Angelos vel à Iudæis, vel à Chriſtianis fuiſſe adoratos.* 540

XXXIV. *Argumentum XXXIV. Ab illuſtri Smyrnenſium fidelium teſtimonio ductum, ſe alium ullum præter Chriſtum, σέβειν colere diſertiſſimè negantium, ſeque Chriſtum quidem προσκυνεῖν adorare; Martyras verò ἀγαπᾶν diligere, eorumque optare diſcipulos & conſortes fieri, affirmantium: Pereſij & Bellarmini fraus aperitur, venerationem ex Ruffino huic loco aſſuentium præter Græcorum fidem.* 544

XXXV. *Argumentum XXXV. A teſtimonio Vetuſtiſſimorum Theologorum, alium à ſe præter unum Deum, invocari negantium & preces, ſive orationem Religioſi ſive Divini cultus partem eſſe liquido cenſentium.* 548

XXXVI. *Argumentum XXXVI. Teſtimonia Irenæi & Origenis (& hujus quidem plurima, eaque luculentiſſima) docentium Veteres ſui ævi Chriſtianos preces ſuas omnes uni Deo detuliſſe, diſerteque negantium ullas Angelis detuliſſe, vel deferendas eſſe. Perronij una & altera ad Origenem Stropha diſcutitur.* 550

XXXVII. *Refellitur duplex Perronij ad ſuperiora ex Origene contra Celſum teſtimonia exceptio, oſtenditurque non ideo abrogandam eſſe præſtantiſſimo Scriptori de rebus, & ritibus ſui ævi Eccleſiaſticis fidem, quod quædam in eo opere de Filij Divinitate incautiùs dixerit. Tum demonſtratur vanum ineptumque eſſe, quod Perronius fingit à Vetuſtiſſimis Chriſtianis occultatos fuiſſe Paganis ſuos in Angelos & Divos cultus, ſuaſque eorum invocationes.* 562

XXXVIII. *Refellitur inſignis Perronij ſophiſtica, ex quadam Origenis rejectione colligentis ei notam fuiſſe & probatam cultus religioſi in varias, eaſque diſpares*

ſpares ſpecies diſtinctionem; adeoque Angelorum & Divorum δυλείαν. Demonſtratur ex veris Origenem quicquid eſt Religioſi Cultus, id totum uni Deo tribuiſſe; plane nullam ejus partem Dei miniſtris quantumlibet præcellentibus, reliquiſſe. Neque iis alium quam εὐφημισμοῦ, & μιμήσεως honorem ab hominibus Christianis tribuendum eſſe, docuiſſe. Concluditur tota de Divorum cultu diſputatio. 571

LIBER IV.

Continet Argumenta contra Latinam de Reliquiarum Cultu Traditionem propria.

CAPUT I. *Præfatio. Reliquiæ quid ſint Latinis. Noſtra de iis ſententia. Latinorum de earum cultu & adoratione traditio & aſſertio. Nulla extant hujus traditionis ex tribus primi Chriſtianiſmi ſæculis argumenta. Refelluntur quæ Baronius & alii ex Evangeliis, & Actis Apoſtolorum pro reliquiis colligere fruſtra conantur, Matth. 9 20. Marc. 6. 56. de tacta veſtis Dominicæ fimbria, Actor. 19. & 12. Semicinctia de Pauli corpore ad ægrotos delata, Act. 5. 15. umbra Petri.* 582

II. *Argumentum contra Latinam de cultu Reliquiarum religioſo traditionem. Primum, quod Vetuſtiſſimi Chriſtiani ne ipſos quidem Divos, quorum eſſe dicuntur Reliquiæ, coluerint. II. quod Latinarum de hoc cultu Diſputationum diſtinctionum argumentationum, &c. nullum apud Vetuſtiſſimos Theologos extet veſtigium.* 597

III. *Argumentum III. Quòd Religioſi Reliquiis delati cultus nulla in vetuſtiſſimorum Theologorum libris mentio occurrat, ne in iis quidem locis quibus ille ſi obtinuiſſet non modo opportunè ſed pœnè etiam neceſſariò dicendus erat.* 599

IV. *Argumentum IV. Quod Reliquiarum miracula, quæ præcipua cultus iis exhibiti ratio eſt, nulla planè extent apud vetuſtiſſimos, idque non paucis præter allata ſuperiùs in prima parte argumenta, exemplis demonſtratur, inde petitis quòd iſtius generis miracula nulla Patres attulerint, ubi de carnis reſurrectione adversùs ejus negatores diſputant, neque ubi rationem exponunt qua Martyres hominum generi profuerunt. Veteribus item ignotum fuiſſe quod nunc à Latinis jactatur, quorundam Martyrum cadavera perennare.* 603

V. *Quòd vetuſtiſſimis hæreticis carnis reſurrectionem negantibus nemo eorundem, vel etiam ſequentium temporum Catholicus imputarit quòd Reliquias minimè adorarent, quas tamen ab iis adorari, qui ſic ſentirent eſt incredibile. Tunc nimirum nondum hæreſis erat non adorare Reliquias.* 611

VI. *Argumentum VI. Quòd Vetuſtiſſima Eccleſia in cauſa cum Gnoſticis, Martyriorum refragatoribus, ſua, Reliquiarum cultum, neque ſibi ab adverſariis obiici audiverit, neque ipſa coacta adverſarios attulerit vel memoraverit, qui tamen ſi quis jam tum erat, & noſtris exprobrari à Gnoſticis, & à noſtris viciſſim tum defendi, tum adverſariis obiici debebat. Omnia ex Tertulliani Scorpiace demonſtrantur.* 613

VII. *Argumentum VII. Quòd antiquiſſimi illi Theologi non pauca cum Latino Reliquiarum cultu apertiſſimè pugnantia & Iudæis & potiſſimùm Paganis expro-*

exprobrarint, vt rerum mortuarum, & humanis caſibus obnoxiarum cultum; ſepulchrorum & mortuorum Religionem; altarium & templorum in ſepulchris conſecrationem, & alia ejuſdem generis multa apud Clementem Tertullianum, Arnobium. Pagina 618

CAPVT VIII. *Argumentum VIII. Quod Reliquiarum cultum noſtris Pagani poſt annum quidem* CCC. *exprobrarint, ante id verò tempus minimè objectarint.* 623

IX. *Latinorum mos Reliquias altaribus inſerere; quo id ritu fiat. Fruſtra ad eum morem torqueri animas ſub altari viſas Apocal. 6. 9. neque Veteres locum illum ſic accepiſſe. Quem Auguſtini nomine citat Bellarminus ſermonem eum nequaquam eſſe Auguſtini.* 626

X. *Argumentum contra Reliquiarum cultum IX. Quòd Latinus ille condendarum ſub omni altari Reliquiarum ritus intra trecentos à nato Chriſto annos, nullus fuerit. Argumentum X. Quòd neque iiſdem temporibus vllæ vel in proceſſionibus, vel ad vllas vitæ neceßitates, vt in morbis, in peſte, in naufragio, &c. adhibitæ fuerint Reliquiæ.* 632

XI. *Argumentum XI. Quòd Reliquiaria quæ nunc aſſiduè velut arma ac præſidia, ornamentaque ſua geſtat omne Latinorum genus, Vetuſtiſſimis ante trecenteſimum Domini annum Chriſtianis ignota fuiſſe deprehenduntur.* 636

XII. *Argumentum XII. Quòd nullæ Reliquiæ tribus primis ſeculis reperiantur vel cereis honoratæ, vel ex vno loco in alium translatæ. Gregorij I. de translatis Roma ad Catacumbas vſque Petri & Pauli corporibus teſtimonium diluitur & exploditur.* 639

XIII. *Argumentum XIII. Quòd Vetuſtiſſimi Chriſtiani Martyrum & Sanctorum corpora diligentiſſimè ſepeliverint & terræ mandaverint, quod non erant facturi ſi ea putaviſſent adoranda. De cura huic Martyrum ſepulturæ ab iis impenſa.* 645

XIV. *Argumentum XIV. Ex quadam Antonij apud Athanaſium ſententia eos acerrimè objurgantis qui Martyrum corpora nõ humarent ſed apud ſe in lectis repoſita ſervarent, Baronij in hoc Antonij dictum Strophæ refelluntur. Latinorum morem ſic purgare ſtudentis vt nihil contra Antonij mentem peccare videantur.* 653

XV. *Argumentum XV. Quòd aliquid ex Martyrum corporibus altaribus inferendum aut in Reliquiariis condendum carpere, ſervare, ad alios mißitare apud priſcam trium primorum ſeculorum Eccleſiam inſuetum & invſitatum fuerit, Ejus moris circa quarti ſeculi initium rudimenta, vnde poſtea Reliquiarius error exortus.* 661

XVI. *Argumentum XVI. Quòd ad vnius vel plurium Martyrum ſepulchrum propriè & ſeorſum ab aliorum fidelium ſepulchris ſitum orare, veluti aliqua major ſit hujuſmodi loci ſanctitas atque Religio, priſcis ante quartum ſeculum Chriſtianis inſuetum & invſitatum fuerit. Quòd apud Martyrum ſepulturas tum orationes factæ fuerint id per accidens inde contigiſſe quòd Martyres in Eccleſiæ cœmeteriis vbi conventicula, & collectæ Chriſtianorum fiebant, vnà cum aliis fidelibus ſepelirentur.* 670

Caput XVII. *Argumentum XVII. Quòd quas ex Reliquiaria diſciplina in primis apud Christianos nobilitari, ac celebrari decebat Domini Chriſti Reliquias, queque nunc ex proximis retrò ſeculis cognitiſsima ac celeberrima ſunt, ea primis Chriſtianiſmi ante a. D. 300. temporibus planè ignota noſtris hominibus fuerint, citerioribus tantùm ætatibus conquiri, noſcique alia maturiùs, alia ſeriùs cœperint.* Pagina 674.

XVIII. *Argumentum XVIII. Quòd quas ex Reliquiario dogmate nobiliſſimas apud primos Chriſtianos fuiſſe oportuerat B. Mariæ Virginis Reliquias, putà Divæ capillos, lac, &c. quæ nunc Latinis ſunt cognitiſſimæ eæ non modò primis tribus à Domino nato ſeculis, ſed & diu poſtea planè penituſque apud Eccleſiam ignotæ fuerint, ipſa verò Nazarethana olim, nunc Lauretana Divæ domus, quo nihil eſt hodie nobilius a. D. 1296. noſci demum cœperit, ante id tempus noſtris inaudita. Beda de ea locus in Baronium retorquetur. Ridiculæ Angelorum Reliquiæ omni retro Chriſtianiſmo ignotæ.* 681

XIX. *Argumentum XIX. Quòd Protomartyris Stephani Reliquiæ, quibus & Reliquiaria diſciplina nihil apud noſtros poſt Chriſti & B Mariæ Reliquias decebat eſſe nobilius, totis primis quatuor ſeculis adeò fuerint ignotæ, vt etiam ipſe locus in quo erant conditæ neſciretur, anno demum 415. cælitus (vt ferunt) patefactus. Argumentum XX. Quòd 4. & 5. ſeculo revelari divinitus neceſſe fuerit loca in quibus ſitæ eſſent Martyrum & Divorũ Reliquiæ, quæ ſi ab anteriori ab Apoſtolis vſque Eccleſia, eſſent adoratæ ſatis ex Traditione cognita forent ſingularum loca abſque revelatione.* 684

XX. *Argumentum XXI. Quòd ipſorum Apoſtolorum Reliquiæ adeò incelebres prima Chriſtianiſmi memoria fuerint, vt eorum (quatuor tantùm exceptis) corpora quibus locis eſſent ſita omnes ad a. D. 300. Chriſtiani neſcierint, Thomæ & Andreæ ſepulcra ſeculo demum quarto, Bartholomæi quinto præcipiti, Matthæi decimo, Iacobi Zebedaïdæ, & Simonis & Iudæ duodecimo noſci & inclareſcere cæpiſſe. Matthiæ ſepulcrum etiam nunc neſciri, Andream Patris Conſtantinopolim non à Conſtantino (quod mallet Baronius) ſed à Conſtantio a. D. 359. fuiſſe translatum.* 686

XXI. *Argumentum XXII. Quòd quas ab Apoſtolis ex Reliquiario dogmate primum & ante omnia coli decebat piorum Veteris Teſtamenti Reliquias, eæ noſtris ante quartum Chriſtianiſmi ſeculum planè ignotæ fuerint. Corpora, Baptiſtæ quidem a. D. 362. Habbacuc & Micheæ poſt a. D. 379. Samuelis a. D. 406. Zachariæ Prophetæ a. D. 415. fere omnia per revelationem noſci cæpiſſe.* 696

XXII. *Argumentum XXIII. Quòd Apoſtolicorum virorum & Adjutorum (quorum potiſſimam eſſe decuerat ex Reliquiaria diſciplina rationem) Reliquiæ tribus quidem primis ſeculis ignotæ fuerint, ſepulcra ſequentibus tantum ſeculis noſci & celebrari cœperint. Barnabæ a. D 485. Timothei & Lucæ a. D. 359. Marci a D. 820. Mariæ Magdalenæ Reliquias, quibus nihil nunc eſt apud Latinos illuſtrius a. D. demum 370. innoteſcere cœpiſſe.* 697

XXIII. *Argumentum XXIV. Quòd primorum & Apoſtolici ævi proximorum Martyrum & Divorum Reliquiæ ſero quoque, ac nonniſi poſt tertium Chriſtianiſmi ſeculum innotuerint; vt Protaſij, Gervaſij, Nazarij, Celſi, Terentij, Africa-*

Africani, Laurentij. *Argumentum XXV. Quòd Divinis revelationibus etiam ad eorum noſcenda corpora opus fuerit, qui ſeculo vel tertio exeunte, vel ineunte quarto paſſi erant.* Pagina 699

CAPVT XXIV. *Argumentum XXVI. Ductum ex præpoſtero ordine quo Divorum Reliquiæ agnitæ cultaq; ſunt, non Antiquiſſimorum & potiſſimorum primò, & ante recentiores ac minùs præſtantes; ſed ferè contra, recentiorum & minus præſtantium ante antiquiſſimos & longè præſtantiſſimos. Diſputationis concluſio.* 701

LIBER V.

Continet Argumenta contra Latinam de Religioſo CRVCIVM Cultu traditionem propria.

CAPVT I. *Præfatio: Rejecta de Imaginibus diſputatio, alio jam ſeorſum opere profligata, Latinorum de inventa ab Helena vera Domini Cruce traditio refellitur à conſtanti Euſebij ſilentio. Bellarmini pro ea varij conatus. Neque juvare Cyrilli, Ambroſij Paulini & aliorum Reliquiariorum credulitatem in argumento, Reliquiis commodo.* Pagina 704

II. *Argumentum contra Latinam de Crucis cultu Primum; Quod & Apoſtoli, & primæ ad quartum ſæculum memoriæ fideles ipſam Crucem, cui Chriſtus erat ſuffixus jacere defoſſam paſſi ſint, neque eam unquam eruere, & habere adorandam (quod à Chriſti paſſione ad Hadrianum Principem facillimum fuerat) vel leviter conati ſint, quo clariſſimè conficitur illum Crucis cultum neque tradidiſſe Apoſtolos, neque primos ab iis accepiſſe primorum ſæculorum diſcipulos.* 711

III. *Diſputationis in duas quæſtiones partitio. I. An vetuſtiſſimi Chriſtiani coluerint Cruces? II. An aliquas ex materia factas habuerint? At I. Non adoraſſe; communia Argumenta, quibus id probatum eſt breviter repetuntur, & ad primum librum rejiciuntur. Tum proximè ſuperiori argumento aliud II. in eam rem additur, Quòd cultæ Crucis mentio quæ apud Latinos paſſim occurrit, in temporibus ei dicatis, in proceſſionibus, in catecheſibus, in miraculis, in oſtentis, in gentium converſionibus, in Martyrum laudibus, in Martyriorum cauſis, in Martyriis, in juramentis, in lucernis, in invocationibus religioſis, ea paribus locis apud Vetuſtiſſimos omnes ſcriptores ne ſemel quidem occurrit.* 717

IV. *Repetitur & rejicitur in primum librum aliud, ſed commune contra hanc traditionem argumentum, ex Tertullianea traditionum non ſcriptarum recenſione. Argumentum III. Ex diſerto Minutij Fœlicis teſtimonio, cultas à ſecundi ſeculi Chriſtianis Cruces negantis. Bellarmini & Perronij effugia præcluduntur, gloſſæ ineptiſſimæ refelluntur, omniſque Sophiſtice confutatur.* 732

V. *Argumentum IV. ex Tertulliani teſtimonio, quorundam Paganorum de culta à noſtris Cruce opinionem falſam eſſe dicentis, & inter Gentilium de noſtris calumnias cenſentis. Fusè refellitur Bellarmini ſophiſma ex his Chriſtianos Crucis religioſos fuiſſe argumentantis. Argumentum V. Quod Celſus noſtris nunquam objecerit Crucis cultum.* 743

CAPVT VI. *Refellitur fabula de Thoma Apoſtoli apud Indos cruce à Ieſuitis ex Indiis diſſeminata. Eam famã pugnare cum Vetuſtiſſima traditione, tũ de Indis à Bartholomæo ad fidem converſis, tum de Thoma in Parthia prædicante & Edeſſam poſt mortem tranſlato. Primos Thomæ apud Indos expeditionis auctores fuiſſe Manichæos. Mar-Thomas Syrus fabulæ Ieſuiticæ, vt videtur, & occaſio, & auctor qui ſæculo nono vixit.* Pagina 755

VII. *Altera quæſtio. An Cruces ex materia factæ apud vetuſtiſſimos ante quartum ſæculum Chriſtianos in vſu ſacro atque Eccleſiaſtico fuerint, vt nunc ſunt apud Latinos? Probatur non fuiſſe. Argumentum I. Quod nulla exſtet vel memorata ſit Eccleſiarum per Crucem in Altaris loco conſtitutam Latino ritu conſecrandarum, vel ipſius conſecrandæ Crucis illis primis ſæculis ſolennis formula Latinorum in his uſus.* 762

VIII. *Argumentum II. Quod primis Chriſtianiſmi ad a. D. 300. & quod excurrit temporibus Cruces in Eccleſiis, vel ad Eccleſias figi, & collocari, quod Latinis hodie ſolenniſſimum eſt, inſuetum & invſitatum fuerit.* 768

IX. *Argumentum III. Quod in Cœmeteriis & ad ſingula fidelium monumenta Cruces lapideas, ligneáſve figi & ſtatui pro ſolenni Latinorum more, in vetuſtiſſimo a. D. 300. Chriſtianiſmo inauditum & ignotum fuerit.* 775

X. *Argumentum IV. Quod Vetuſtiſſimis trium primorum ſæculorum Chriſtianis ignotus & inuſitatus fuerit ſolennis Latinorum ritus, Crucis ex ligno & aliys materiis ſigna in privatis ædibus, ad vias, & ad loca publica, in montibus & in inſulis figendi atque conſtituendi.* 777

XI. *Argumentum V. Quod in Baptiſmi adminiſtratione Crucis, ex materia aliqua facta vſus, apud Latinos quidem plurimus, ac perpetuus ſit, apud Vetuſtiſſimos verò plane nullus fuiſſe deprehendatur.* 782

XII. *Argumentum VI. Quod in Miſſa, id eſt Euchariſtiæ celebratione & in altaribus ad quæ illa celebratur, Cruces materiales apud Latinos quidem ferè ſemper occurrant; apud Vetuſtiſſimos verè Chriſtianos, nunquam.* 784

XIII. *Argumentum VII. Quod in Epiſcoporum ordinatione Crucis facta ex materia ſigna, apud Latinos quidem adhibentur; apud Vetuſtiſſimos vero Chriſtianos nulla adhibita cernuntur. Argumentum VIII. Ex ſimili vtrorumque diſcrimine in pœnitentiæ Eccleſiaſticæ adminiſtratione ductum.* 786

XIV. *Argumentum IX. Quod Crucis ex materia ſigna fidelium, etiam Martyrum & morientium ſupremis, & mortuorum funeribus, Latinorum quidem adhiberi ritus moſque ſolennis eſt; quæ tali loco ac tempore nulla apud Vetuſtiſſimos Chriſtianos occurrunt. Indicantur duo alia ejuſdem rei efficaciſſima, ſed jam alibi tractata, argumenta, vnum à perſecutione, alterum à miraculis, in quibus Cruces ex materia Latini quidem creberrime; vetuſtiſſimi verò Theologi nunquam memorant.* 789

XV. *Argumentum X. Quod quædam ſignorum Crucis ex materia factorum propria, & ad eorum divinitatem propriè ſpectantia miracula, apud Latinos quidem crebra, apud vetuſtiſſimos verò Chriſtianos planè nulla reperiantur. Inſignis in hu locus pœnarum Crucis violatoribus divinitus inflictarum, apud Latinos frequens, apud veteres nullus vſpiam occurrit.* 790

CAPVT

CAPVT XVI. *Argumentum XI. Quod Crucis parva ex auro, argento, ebore, &c. ſigilla quæ geſtare apud Latinos omnes paulo religioſiores viri, mulieresque ſolent nulla apud Vetuſtiſſimos Chriſtianos fuiſſe cognoſcantur.* Pagina 794

XVII. *Diſputationis concluſio, & brevis ἀνακεφαλαίωσις. Ex conſtanti vetuſtiſſimorum ſcriptorum de crucis ex materia factis ſignis in his omnibus locis ſilentio, validiſsimè confici ea Eccleſia ad quartum uſque ſæculum plane fuiſſe ignota. Solvuntur duo à Bellarmino nequicquam objecta loca, Iuſtini & Origenis, in quibus ad inſtitutum Latinorum torquendis detegitur ſumma adverſarij ſocordia atque inverecundia.* 796.

INDEX
LOCORVM SCRIPTVRÆ
hoc in Operè explicatorum.

Numerus *Paginam*, littera a *Primam paginæ Partem*, b *Secundam*, c *Tertiam* indicat.

Geneſ. 27. 29. *Servient tibi populi.* 23. a Contr. duliam Lat.
Exodi 20. 3. *Habere alium Deum.* 5.c.
Matth. 4. 9. *Domino ſoli ſervies* 5. a.b.
Matth. 9.20. *Fimbria Chriſti tacta* 589. c.590. 591. 592.593. 594.
Matth. 26. 26. *Hoc eſt corpus meum* 220.221. c.
Matth. 26. 26.27.28. Apoſtoli de *adorata Euchariſtia ſilentium.* 218. c.
Marc. 6. 56. *Tacta fimbria veſtimenti Chriſti.* 591. a. b.
Marc. 14.22. *Evangeliſta de adorando vel adorato pane ſilentium.* 219. b.c.
Luc. 22. 17.18.19 20. *vbi nihil de adoratione panis.* 291. c.
Act. 5. 15. *Vmbra Petri, inter reliquias.* 590.c. 591. a. 595. b.
Act. 19.12. *Pauli Semicinctia*, reliquiæ Baronio. 589. 590.
1. Cor. 11. 23. 24. &c. *nil de adoratione Euchariſtiæ* 230.291. c. 292. 293.
Col. 2.18. *Angelorum religio* contr. Bell. Bar. Petav. 528. &c.
Iac. 5. 14. 15. *Unctio infirmorum* 115. b
Apoc. 6. 9. *Anima ſub altari*, contr. Bar. & Bell. 629.b.c.630.631.
Apoc. 22. 9. & 19.10. *Angeli adoratio vetita.* contr. Bell. 536.537.538.539.

INDEX

INDEX

CONTINENS

VETERVM SCRIPTORVM LOCA,

ab ADVERSARIORVM Gloſſis & Strophis vindicata.

Numerus Paginam, *littera a* Primam Paginæ partem, *b* Secundam, *c* Tertiam *indicat.*

Arnobius contr. Gent. L.7. Thuris vſus in ſacris apud Gentes novus. contra Bell. 268.*b.c.* 269.270.

Athanaſius de Vita Antonii. Terræ mandanda, etiam Martyrum, & Sanctiſſimorum hominum corpora. contr. Baron. *656.b c. 657.658.659.660.*

Baſilios de Spir. S. c.27. *ἀναδείξει τοῦ ἄρτου*.236.*b.* contr.Bell.

Chryſoſtomus Hom. 3. in ad Epheſ. Impudenter adſtare Euchariſtiæ, qui non communicat. contr.Bell.255.*b.* 258.

Concil. Gangr. Præfat. & Can.20. De Euſtathianis; an Reliquiarii cultus reprobatores ? contra quoſdam Latinos 151.

Cyprian.
- epiſt.34. Martyrum anniverſaria commemoratio 40.*a.*
- ep.57.& 34. anniverſaria ſacrificia pro Martyribus die eorum natalitio. contr. Bell.352.*b.c.* 353.
- de Orat. Dominica vbi omiſſa precum ad Sanctos mentio. contr. Perron.*385.b:c.386.39·.393.*
- Paſſio. Scolaces.contr. Bar.*649.b.*

Euſebius.
- Hiſt.
  - L.4 c.15. Chriſtianos non accuſari idololatriæ à Iudæis ob Sanctor. cultum. contr. Bell.508.*b.* 509.544.ad p.547.
  - L.7.c.17. Cathedra Iacobi. contr Bell.584.*c.* 585.*a.*
  - L.8.c 6. Diocletiani ſuſpicio.511 512.ad 518.in Bell.
- Chronicon. de inventa ab Helena cruce contr Bell.7,08 7c9:
- de Vita Conſtant.c.29.(al.30.de ſepulcro Domini.contr.Bell.707.*c.*708.

Gregorii Nazianz. Orat.18. Maria à Iuſtina invocata.contr.Perron.51.*a.*

Gregorius R.P.I. Epiſt. L.3.ep.30 Petri & Pauli corpora tranſlata.contr Bell. & Baron.640.641.642.643 644.

Hieronymus
- Apolog.ad Pamm. Origenem, Methodium, &c. interdum loqui non quod ſentiunt, ſed quod neceſſe, in Perr. 568.570.
- L. adv.Vigilant. Andreæ corpus à Conſtantino tranſlatum. contr.Baron. 690.*c.* 691.692.*a.*

Irenæus

Irenæus
- L. 2. c. 57. Eccleſiam nullis invocationibus Angelicis miracula facere 118.*a.* 120.*b.*
- L.5.c.19. Maria Evæ advocata.contr.Latinos 41.*a.* 42.43.47.

Iuſtinus
- Apol. 2. an Angelos adorari dicat? contr.Bell. 37. 38. *&c.*
- Ibid. Euchariſtia caro Ieſu. contr.Lat.232.*c.*
- Ibid. Signa crucis, quæ apud vos.contr.Bell.725.*a.*798.*a.* *b*
- Ibid. Occaſio,ex qua Euchariſtiam enarrat.contr.Perr.331.*b.c.*332.*a.*

Lactantius de crucis adoratione. contr.Bell.p.59 *c.*60.*a.*

Liturgiæ veteres de precibus pro Sanctis.contr. Bell.& Cabas.487.*a.*

Minutius in Octav.Cruces non colimus.138.139. contr.Bell.& Perr.732.*c.*733. *&c. ad* 739.

Occumenius in 1. Petr. 3.16. de Euchariſtia. 334.*c.*335.336.

Origenes
- L.5.& 8. contr.Celſ.Omnem orationē Deo offerendam contr.Perr.554.
- L.8.Angelos ἀκλήτως piis συνεύχεσθαι.contr.Perr.557.ad 561.
  - Ibid.Quæ in illo opere Angel.cultum negant. contr.Perr.562. ad 570.
  - Ibid L.8. Se purgaturum fuiſſe verbum θεραπεύειν. contr.Perr.571. *b.c.*
  - Ibid. de nomine *Anima* contr. Bell.483.*a.b.*
- L.2. in Rom. Animarum Labor. 481.483.
- L. 6.in ep.ad Rom.De vi crucis. contr.Bell.713.*b.*798.*c.* 799 *a.b.*
- Hom.1.in Ezech. de Angelo invocato. contr.Perr.47.*c.*48.49.
- Hom.26. in Num. & Hom.16. in Ioſ. Sancti V. T. orationibus ſuis nos juvant. contr.Bell.484.*b.c.* 485.486.487.
  - Vbi de Orig.Hom.3 in Ioſ.485.*c.*486.*a.*

Polycarpi paſſio. Anniverſaria memoria. 40.*b.* natalitium Martyris eo loco celebratum,in quo erat ſitus.contr. Perr.671.672.673.

Ruffinus. Hiſt. L.2.c.28. Athanaſij prædictio de Baptiſtæ reliquiis. contr. Baron. 697.*a.*

Tertullianus Apolog.c.16. Pagaños quoſdam putaſſe Chriſtianos crucis eſſe religioſos. contr. Bell.743.744 ad 754.

Idem de Orat. c. 14. an qui jejunant eos non deceat ſacrificiorum orationibus intervenire 254.*c.*

Id. ibid. Nullas toto libro memorat orationes ad Sanctos.contr.Perr.385.*b.c.* 386.*a.c.* 392.*a.*

Id. de Coron. c. 3. & de Monog. c.10. natalitiæ oblationes, annuæ pro defunctis oblationes 39.*c.*

Id.de Anima. c. 55. Animæ paradiſo receptæ. contr.Perr. p. 477.*c.*

Id. de reſurr. carnis c.43. Martyrum animæ penes Dominum.contr. Perron. 478. *a.*

Tharaci Martyris Acta. Sepultura Martyrum.contr.Bar.650.*b.* 651.*a.b.*

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM
quæ in hoc Opere viſa ſunt obſervatione digna.

Numerus Paginam, *littera* a Primam paginæ Partem, *b* Secundam, *c* Tertiam *indicat.*

A.

Abrahæ ſinus. 477.*a*

Accidentium in Euchariſtia cum Chriſti corpore ficta à Latinis vnio, ſive compoſitio, refutatur. 28 *a*

Ἄελωβος quid ſit? contra Pertonium. 568 *b*

Adorare in Bibliis Latinis ſæpe eſt ſalutare, humanitus & civiliter, non autem religioſe. 557.*b*

Adorare vſurpatum pro *orare.* 389.*c* 390.*a.* 393. *a.* 548.*b.* & quod erat Græce σέβειν, id à veteri quodam interprete dictum eſt *orationem impendere* 548.*c* & *orationem fundere.* 549.

Adorandum eſſe vnum Deum, ex Scriptura 6. ex Patribus 6 7.8.9.10. 29.30.31.*a*

Adoratio nulli creaturæ deferenda 16.*c*.17.18.

Adorationem ſolius Dei dici non ferunt Latini 19. *b.* iidem adorari reliquias, & adorandas eſſe paſſim loquuntur . 587.*b*.588.*a*

Adorare aliquid, aut colere idem eſt vetuſtiſſimis Patribus, ac aliquid pro Deo habere. 739.*a*

Adorari id à quoquam quod ipſe comedit, abſurdum 218. *c.* 219. *a.* Edi quod adoratur nefas apud Vetuſtiſſimos Chriſtianos. 326.*b.c*

Adorandos non eſſe, qui meri homines vel ſunt, vel fuerunt. 518 *c* 519. *a.b*

Adorari nefas eſſe, quod eſt inanimatum. 158. *b c.*159. Quod cuſtodia opus habet 160.*a.c.* vel tutela & defenſione. 161.*b.c.* 162 *a.* Quod injuriis vel naturæ vel hominum eſt obnoxium 162. *b.*163. *b.c.* 164. tot. Quod vendi, permutari, pignerari licet 165.*b.* Quod è materia terrena conſtat 167.*b.d.* 168. *a.b.c.* 169.*a.* Quod humana arte & manu factum eſt. 170 *c.* 171.172.173.*a.b*

Advocare pro *conſolari* παρακαλεῖ. Advocatus, & advocator pro conſolatore παράκλητος. Tertulliano & Irenæi Interpreti. 45.46.

Æquivocationis exemplum inſigne 178.*b*

Agnum Paſchalem, an quo tempore Chriſtus vixit in terris, Iudæi ſtantes ſumerent? 227.*c*.228.*a*

Albaſpinei de mutato ab Apoſtolis communicandi poſt cœnam ritu ſuſpicio refellitur. 294.*b.c.* 296.*b.c.*297.tot.

Alexandri Rhodii pro imaginibus zelus. 194 *c*.195.*a*

Altaria conſecrari ſero inventum à Sylveſtro. 632.*b*.634.*b.* inſertis reliquiis, etiam ſerius. 633 634 [illegible]

Amida, Divus Iaponum 561.*c*

Andreæ Apoſtoli [illegible]

polim tranſlata, non à Conſtantino, quod mallet Baronius, ſed à Conſtantio. 690.691.692.693.694.695.

Angelos neque à Iudæis, neque à Chriſtianis olim fuiſſe adoratos, vel adorandos 541.542.543. Hoc neque à Iuſtino doceri, 37.38. & ſeqq. neque ab Origene 47. Nunquam fuiſſe à piis Iudæis adoratos Angelos, contra Bellarminum. 537.538

Angelorum olim cultores fuiſſe quoſdam hæreticos, vt Simonianos 157 *a*

Angelos alloqui quemquam mortalem, niſi qui idem Propheta fuerit, nefas. 395.*c*. Angelorum reliquias, puta Gabrielis ſcutum, fuiſſe non ita pridem apud Latinos cultas. 683.*b.c*

Animas piorum extra cœlum ad ſupremam mundi diem certis receptaculis contineri, vetuſtiſſimi Theologi multi, quamquam non omnes, docuerunt 475.*c*. 476.*b*. 477. 478. 479.*a.b*. Animas Martyrum ipſas quoque extra cœlum expectare illam diem, ſed in paradiſo penes Dominum 478 *b*. quod vtrumque alienum eſt à Sanctorum invocatione 474.475. An animæ corpore ſolutæ agant aliquid & laborent pro nobis, Origenes inter occulta relinquit 481.*a*

Animæ vocabulum aliquando Angelis attributum. 483.*b.c*.484

Antonius Paduanus Divus minis & contumeliis coli gaudet. 522.*a.b*

Apoſtolorum ſepulturæ quarto ineunte ſæculo, tribus, quatuorve exceptis, ignotæ adhuc erant 688. *b.c.d*. 689. quo arguitur cultus reliquiarij novitas. 687. *c*. 688.*a*. Vide infra ad *Sepultura*.

Apoſtrophæ ad mortuos, & ad inanimata, occurrunt crebro & in Scripturis, & in Patribus. 48.49

Apotheoſes Paganorum vetuſtiſſimi Chriſtiani irriſerunt. 521.*a.b*

Ἀποτίθεσθαι condere, eſt interdum humare. 673.*c*

Aræ duæ, aurea, & ærea, quæ terra eſt, ſub qua animæ. 631.*a*

Areæ Chriſtianis Afris, cœmeteria ſua. 201.*b*.672.*a*

Arma religionis Latinæ ſpiritualia, quæ? 177. tot. Illa vero, quibus vtebantur in primo Chriſtianiſmo, longe alia. 179.*c*.180.181.182.183.184 185.

Artemius à Iuliano deſertore ad mortem damnatus 693.*c*. 694.*a*

Auguſtinus pro Martyribus orandum negat, præter vetuſtiorum ſententiam 490.*b*

B.

In Baptiſmo Latini iis, quos ex infidelibus initiarunt, donant imagines, & Agnos Dei, cruces, ramos benedictos, 184.*b*. 185.*a*. Etiam reliquias 184.*c*. Nil ſimile in baptiſmo primæ memoriæ Chriſtianorum 185.*c* 186.187.188.

Barnabæ reliquiæ anno 485. ex revelatione cognitæ. 697. *c*.

Baronius incerta, falſave pro veris obtrudit 302.*a.b* in lectores pædagogiam exercet 590. *c*. Ejus fraus in pervertendo Athanaſii ſenſu 656.*c*. 657.*a*. Ejuſdem in Theodoretum immodeſtia 533.*c*. Idem fingit vnum Thomæ corpus in Indiis, & Edeſſæ eodem tempore ſepultum jacere 759 *a.b*. Figmenti hujus vanitas. 759 *c*

Bar-panther. 367.*a*

Bartholomæi Apoſtoli reliquiæ poſt a. demum 491. inventæ. 694.*c*

Bellarmini inſignis vel fraus, vel error militaria Paganorum tropæa in ſacra crucium apud Chriſtianos ſigna mutantis, 798. *a.b*. Error in Baſilii

ἀναδεῖξει oſtenſionem interpretantis 23 *b.* craſſus error, an dolus ad crucem torquentis, quæ ab Euſebio de Chriſti ſepulcro dicta ſunt. 707. *b.c.* vanitas de *Divi* nomine, quod à ſuis de Sanctis vſurpari vetat 524. *b.* 525. *b.c.* Dolus in quodam Iuſtini loco detegitur 37. *b* 38. Idem verſus incerti Poëtæ pro Lactantianis citat, 59. *c.* 60. Falſo dicit Smyrnenſes idololatriæ propter cultum Sanctorum accuſatos 508. *b.* falſo item Porphyrium ex Hieronymo idololatriæ accuſaſſe Chriſtianos 517. *a* Errat *ἐπισέβεσθαι* raro eſſe in vſu apud Græcos affirmans 13. *b.* 14. & *δυσσέβεσθαι* negans idem eſſe, quod *εὐσέβεσθαι* apud Græcos, 13. *b.* Ejuſdem fraus in Tertulliano 39. *c.* error de Iuſtino, Irenæo, &c. quos negat piorum cœlo animas ad vltimum mundi diem excludere 479. *b. c.* Ejuſdem paralogiſmi falſa ponentis, & ex poſitis perperam ratiocinantis 505. *c.* 751. 752. 753. Idem ſomniat adverſarios adverſariis nihil objicere cujus non aliquid ſimile apud eos viderint 506. *a. b.c.* Ejuſdem dolus malus, dum Manichæis vniverſim tribuit, quod vnius Fauſti eſt 507. *a* mala fides in Euſebio 545. *c.* Bellarmini & Perronii inſignis de Sanctorum apud vetuſtiſſimos Chriſtianos cultu diſſenſus, 565. *a.b.* Bellarmini Tridentinorum pares in reliquiarum negotio fraudes, 587. *a.* Bellarmini vafrities 599. *a.*

Bethlehemi Origenis ævo oſtendebatur ſpelunca, in qua Chriſtus natus eſt, 601 *c*

Bonzii apud Iapones 195. *c*

C.

Calvini fides contr. Bellarm. defenſa. 359. *a.b*

Canonizatio Sanctorum quid ſit 468. *c.* quam neceſſaria ſit ad legitimum ex Latinorum dogmate, Sanctorum cultum, 468. 469 470. 471. *a.b* Ius ejus penes Papam 471. *a.* res recens eſt, Chriſtianis ad a. 795. ignota, & ad a. 1159. rara & infrequens, inde celebrari cœpta 471. *c.* 472. *b.* 473. *a* ſimilis Cæſarum Rom. apotheoſi à Tertulliano deriſæ. *ibid. b*

Celſus, in quem Origenes ſcripſit, quis & cujus ævi 747. *b.* curioſiſſimus rerum ad Chriſtianiſmum, quem oppugnavit pertinentium 318 *c*

Chriſtiani primi ad a. 300. memoriæ. Ii in ſacris neque lucernas interdiu accenſas vſurparunt, 264. *c.* 265. *a.b c* neque incenſum 265 *c.* 266. 267. 268. 269 270. neque coronas ex floribus contextas 270. *c.* 271. 272. ad ſacra in cœmeteriis vtplurimum conveniebant 672 *a.b.* in quibus fideles quivis, non ſoli Martyres, ſepulti erant, 672. *c.* 673.

Cœtus eorum antelucani 319. *c.* Ii à Paganis in ſuis collectis ſæpe deprehenſi 323. *a.* magno in Scripturas zelo erant 208. *c.* 209 *b.* 210 *c.* Tertio ſæculo jam quædam eorum Eccleſiæ aurea & argentea vaſa calices, vrceos, lucernas, &c. habuere 205. *c.* Ii neque ſuam fidem, neque ſuos cultus occultarunt 318 319. 320. 321. 322. ac ne potuerunt quidem ſi vellent, ſacra ſua Paganos celare 322. *c.* 323 324. 325. Aliud 4. & 5. ſæcul. inſtitutum vt Sacramenta clam extraneis celebrarentur 321. *c.* 322. *a.* Chriſtiani primorum ſæculorum à Paganis dicti impij, athei, &c. 127. 128. Hoc convitio affecti, quod ſimulacris, altaribus, templis & aliis externis apud cæteras religiones ſolennibus carerent 129 130. 131. Quod iiſdem afficta à Paganis fuerint Thyeſtearum epularum & Oedi-

Oedipodæorum inceſtuum crimina, occaſio fuit Carpocratis & Epiphanis turpe & abominandum dogma, & alia quædam 333. b c 334. non quod nonnulli perperam poſtea ſunt hariolati, de eorum Euchariſtia. περιαγνισμα 332. c. 333. Iis Celſus nuſquam objecit crucis cultum 749. a. (quem poſteris a. D. 363. Iulianus Auguſtus objecit 747. c. 748. neque Mariæ hyperduliam 366. a 367 b c. 368 a. (qui alibi Chriſti obiicit ὑπερθρήσκειαν, & quod hominem αὐτολάτρας τοῦ θεοῦ dicerent, ipſumque Deum facerent 367. c.) Vetuſtiſſimi illi Chriſtiani ſine vllis diſtinctionum aut exceptionum ambagibus, rotunde exſerteque negant cruces à ſe coli 737. b. c. 745. b. c. Iidem ad calumniam de Thyeſteis dapibus ſimpliciſſime ac conſtantiſſime negant ſe eſſe ἀνθρωποφάγους 328. c. 329. 331. b. c. neque ad purgationum crimen oralis ex trãſſubſtantiatione mãducationis myſterium exponunt, vel innuunt vſpiam 331. b. c. 332. Neque iiſdem vnquam Pagani objecerunt Euchariſtiæ, vel Divorum vel reliquiarum cultum 134. 135. vel θυεσταγίαν 308. a b. 313. c. 314 quæ tamen hominum etiam illius ſæculi judicio erát abſurdiſſima 310 b. c. & cujus objectandæ, ſiqua apud noſtros fuiſſet, plures cauſas habebant 310. c. 311. a. b. c. 312. quamque Latinis & ab Averroë olim objectum, & nunc à Turcis obiici conſtat 309. b. c. Vel ſepulcra & reliquias Divorum, aut dejectam ad homines religionem, ſed contra hæc Paganis à noſtris tum objecta 626. quæ tamen quarti ſæculi jam adulti Chriſtianis Paganos obiicere videmus 623. 624 625. Iam primi Chriſtiani illa quoque ſui ævi Paganis exprobrant; Quod res inanimatas colerent 158. b. 159. Quod cuſtodia egentes, 160. c. & tutela humana 161. b Injuriis expoſitas & naturæ & hominum 162. b. 163. b. c. 164. Quas vendi & permutari & pignerari liceret 165. a Quæ ex materia terrena conſtabant 167 b. d. 168 a b. c. 169. a. quæ humana arte & manu factæ eſſent 170. c. 171. 172. 173. a. b. Quod quæ ſacrificarent, ipſi eadem adorarent 327. a. & quem paſcerent Apim eundem colerent 327. c. Quod Deos colerent, qui humanas carnes eſitaſſent, quoſdam etiam, qui liberos voraſſent 327 c. Quod homines & vivos & mortuos adorarent 518. a. 519. b. c. 520. a. Quod Divis ſuis eum honorem tribuerent, qui non eſſet iis à Deo principe datus 520. b. c. Quod vnum de Diis colentes cæteros, quos non colebant, contemnere viderentur 521. c. Quod diverſa diverſis Diis officiá tribuerent 522 a. Quod plurium cultus ab vnius ſummi cultu aliquid decidat. 522. c quæ vel omnia, vel plæraque in Latinorum cultus conveniunt.

Chriſtum Dominum & adorari præceptum eſt, & adoratum eſſe, traditum eſt. 220 b. c. Neutrum de Euchariſtia factum eſt.

Chriſti pro nobis interceſſio apud Patrem, quæ qualiſque ſit? 386. b. 387. Plane alia eſt ab ea, quam Latini Sanctis affingunt 386 c. Chriſti corpus in Euchariſtia ſumptum Latini concedunt in alvum, indeque in ſeceſſum aliquando delabi. 312. b

Claudius Taurinenſis imaginum, crucis, atque Divorum cultum refutavit 148 d

in Cœmeteriis vetuſtiſſimorum Chriſtianorum ſacri conventus fiebant. 200. c. 201. b

Concilium Lateran. Innoc. R. P. III. non eſſe omnium per vniverſum orbem

bem Eccleſiarum decreta 280 *a.b*

Copiatæ, Foſſores 648.*a*

Coronæ ex floribus Vid. ſupr. Chriſtiani primæ.

Coronæ clericorum Lat. omnes alienæ à veteris Eccleſiæ moribus 272.*c*

Corpora Martyrum annis multis incorrupta manſiſſe, obſervatum à Latinis, 608.*b*. A vetuſtiſſimis obſervatum Paganorum quorumdam oſſa, dentes ab annis 500. duraſſe Carthagine 608.*c*. De Martyribus nil hac in parte obſervatum.

Corpora mortuorum, etiam Martyrum & Sanctorum, non terra condi. Sed extra tumulum ſervari nefas eſt, ex Antonij & Athanaſij decretis 653. 654. Atqui ſic humare Sanctorum corpora, eaque in terra, vbi condita ſunt, ſinere, id ex Reliquiaria diſciplina eadem eſt inhonorare. 654.*b.c*.655.656.

Creaturæ cultum, etiam relatiuum, cum ea pro Mediatrice apud Deum, non autem pro ipſo Deo habetur, idololatriam eſſe Iudæis 538.*c*.539.*a*

Cruce ſe ſignare, manus motu ejus figuram effingentem in aëre, jam ſecundo ſæculo receptum erat. 90.*b*. 111.*c*

Crucis materiales figuræ apud Latinos multiplices, fixæ, geſtatiles, portatiles 763.*a*. Illis ſignis iidem religioſum cultum, etiam latriam non pauci deferunt 718. *a*. ea devote adorant 718.*c*. Id crucis ex materia ſignum dicunt *redemptionem animarum, ſolamen & protectionem contra Diaboli jacula, ad id genua flectentibus & Deo ſupplicantibus admiſſorum indulgentiam concedi* 763.*a*.764.*a*. *Orantes ante id invenire corporis & animæ ſanitatem.* 764.*b* *inimicis obſtaculum, credentibus victoriæ vexillum*, 764.*a*. *hujus merito carere reum omni perpetrato peccato* 764.*c* *ejus protectionem ſpei certam fiduciam*, ibid. *Deum cœleſti illi ſigno virtutem & gratiam impartiri & contra omnes diabolicas fraudes virtutem ſuæ defenſionis impendere* 765. *a*. Hujuſmodi crucis ſigna nulla coluiſſe vetuſtiſſimos Chriſtianos, qui ipſam Domini veram crucem, quam facile vindicare, & eruere & ſibi habere potuiſſent vſque ad Hadriani imperium, toto eo tempore jacere neglectam ſiverint, neque de ea inveſtiganda quærendaque hilum laboraverint 711. 712. Idem variis ex vetuſtiſſimorum Patrum libris, petitis argumentis cõfirmatur 63. cum 71.*b*. 72. & ſeqq. ad 90. & 100.*b*. cum 104. & ſeqq. ad 122. & 145 ad 157. & 158. & 160. 162. & 166. 167. & 170. 171. &c. 174. 175. & ſeqq. & 177. & ſeqq. & quod cruces nullæ Chriſtianis vetuſtiſſimis vel everſæ vel ereptæ à perſecutoribus occurrant, quæ crebro ac pœne ſemper iſta à Latinorum perſecutoribus patiuntur 189. & ſeqq. p. 200 & ſeqq. ad 215.

Crucem adorandam neque Minutius, neque Tertullianus, neque Origenes, neque Lactantius docent 59.60. imo & Minutius & Tertullianus negant ſe eſſe crucis cultores; & Tertullianus earum quas *falſas* dicit, Paganorum de Chriſtianorum numine opinionum, vnam hanc fuiſſe refert, quod Chriſtiani eſſent crucis religioſi. 751. 752. 753.

Crucis Dominicæ ab Helena repertæ narratio fabuloſa arguitur 705. & 706. 707. 708. 709. 710. De crucis Dominicæ adoratione nihil ad a. 300. in Chriſtianiſmo occurrere 724.

Apud Latinos pro crucis latria mulier martyrium fecit 198. *b*. 199. Nemo apud primos Chriſtianos ea de cauſſa factus Martyr legitur 210. *c*

Euchariſtia non eſt revera caro & ſanguis 334 c. neque à communicantibus Chriſtus *αὐτόχρημα* comeditur *ibid.* & 335. *a.b.* Tranſſubſtantiationem verbis, *Hoc eſt corpus meum*, non poni neceſſario, fatentur ex ipſis Latinis multi, iique graviſſimi auctores 223.*a.* Chriſtum Latini in Euchariſtia à ſuis ſacerdotibus creari tradunt. 171.*c.*

Euchariſtiam Tridentini latria adorandam eſſe ſub anathemate decernunt 216.*c.* 224. *a.* 235.*c.* Ratio, qua id probant, futilis 217.*b.* elocutio, qua enuntiant, perplexa *ibid.b.c.* falſa de eadem adoratione apud omnem Eccleſiam, etiam vetuſtiſſimam recepta, affirmatio. 218.*b*

Euchariſtiam adorari, Chriſtum nuſpiam præcepiſſe. 218. 219. 220. Neque id ex eo quod dixit, *Hoc eſt corpus meum*, intelligitur. 220.221. 222. 223.

Euchariſtiam in prima Cœna Apoſtolos minime adoraſſe. 224.225. 226. 227.228. 229. Apoſtolos ad ſacram menſam, non ſediſſe, ſed accubuiſſe. 227.*a.*

de Euchariſtia adoranda, vel adorata nihil docere Iuſtinum 231 *b.*232.tot. nihil Clementem Alex. Tertull. Cyprian. Origenem alios ad a. D. 300. p. 233.234.

Euchariſtiam à Latinis, ſimul ac conſecrata eſt, elevatur, vt adoretur 235. *c.* 236. *a.* adeoque adoratur. *ibid.* commendatur à veteribus elevatio, ſed cordis, non panis, aut calicis ſacri 238.*a.b.* Eſt enim primorum temporum illa formula, *Surſum corda*, & reſponſio, *Habemus ad Dominum*, 238.*a.b*

Euchariſtiam Latini glorificant eadem formula, qua Scriptura & Eccleſia Deum; *Laus Deo*, ſic illi, *Laus Sanctiſſimo Sacramento*; quod omnibus retro Chriſtianis inauditum fuerat, 288 *b.c.* 289.

Non adoraverunt Euchariſtiam vetuſtiſſimi Chriſtiani in ſupremis, quod ſolent Latini. 61. & ſeqq. ad p.90. neque miracula ejus vi ac virtute facta narrant, qualia Latini 91. ad 123. Nemo iis Paganorum adoratam Euchariſtiam exprobravit inter ea, quæ de eorum numine ſomniabant 134. ne Iudæi quidem. 139 Nullus ex vetuſtiſſimis hæreticis iſtam Euchariſtiæ adorationem oppugnavit, quam omnes quo apud Latinos receptam conſtat laceſſiverunt 145. Tum quæ contra res à Paganis adoratas noſtri illi primæ memoriæ Theologi diſputant, fere omnia Euchariſtiæ cultum evertunt, 159.160. 161.162. *c.*164.*c.* 165. *c.* 166. *c.* 169.*c.* 172. *c.* 173.*c*

de Euchariſtia adoranda nolæ ſonitu Latini monentur; quod apud veteres ignotum erat. 239.*c.*240.*a*

Euchariſtiam Latinam à beſtiis miraculoſe non ſemel adoratam referri, vt ab aſellis Salzanenſibus 241. *a* jumento famelico, cui eam porrexit Antonius Paduanus 241. *b.* ab ovicula Franciſci 241.*c*

Euchariſtiam miſſam à veteribus ad abſentes, ad pœnitentes in ſupremis, & ab Epiſcopis ad Epiſcopos longe poſitos communionis teſtandæ cauſa 243. 244. à Latinis mitti ad quoſvis ægrotos, ſed nonniſi cum pompa 243.*a*

Euchariſtiam exponere Latinis ſolenne & triſtibus, & lætis rebus 244.*b.c.* Id in omni vetuſtiſſima Eccleſia inauditum 245.*c.* 246.ad 249.

Euchariſtia à Latinis adoratur & invocatur in rebus arduis & difficili-

bus

bus, 249. quod à veteris Eccleſiæ moribus alienum. 256.251.*a*

ad Euchariſtiam à Latinis ſiſti & neophytos & pœnitentes, 251. Vtrumque veterum diſciplinæ repugnat 252. 253.*a.b*

Euchariſtia à veteribus celebrata vt ſumeretur; à Latinis, etiam & quidem multo magis, vt adoretur 252.*c*.258.*b.c*. 260. *a*. *b*. Ei intereſſe veteres neminem, niſi qui communicaret, ſinebant 254. 255. Latini aſſiduè miſſas faciunt, quibus nemo eorum, qui frequentiſſimi interſunt, communicat. 256.257.

Euchariſtiæ ſacro ſe calice veteres adverſus hoſtes muniebant, ex quo nemo laïcus apud Latinos bibit. 182 *a*

Euchariſtiam quarto & quinto ſæculo nemo, niſi qui communicabat, videbat 262. *a*. ea à Latinis omnium oculis, modo adorantium, exponitur. 262. *a*. Eandem à Latinis ſine accenſo lumine, etiam meridiè, nunquam fieri 163.*a*. ſine luminibus nunquam efferri, aut procedere. *ibid*. *b*. Incenſo & coronis ex floribus honorari, lucernis æternum ardentibus coli 263. *b.c*. 264. *a*. icunculis quoque repræſentari 273. & feſto eoque celeberrimo ornari 275. *b*. 276. omnia vel cõtra, vel præter veterum diſciplinam.

Euchariſtiam à Latinis invocari, & glorificari, vt Deum, 287.288.

Eandem circumgeſtari Tridentini ex vniverſalis Eccleſiæ ritu prædicant, ſed falſo 277.*a*

Euchariſtiam apud Latinos niſi valde, ac vt loquuntur, *naturaliter* jejunium ſumere nefas 290. *a* 291. *a.b*. 295.*c*. etiam cœnati apud vetuſtiſſimos eam ſumebant 291.*d*. 292. & certis diebus pranſi in Africa & Ægypto ad quartum & quintum ſæculum 293.*c*. 294.

Euchariſtiam communicantes manu olim omnes excipiebant 298. 299. Id nunc apud Latinos piaculare eſt 300.*a*.

Ejus olim particulas fidelibus ſervare, domi habere, ſumendas pro cujuſque arbitrio licuit 300. *c*. 301. Id Latinis nefas, grande & expiandum. 304.*a.b*

Euchariſtia olim etiam à laïcis, & quidē pueris, ad abſentes deferebatur 305. Nunc eam nõ alius quam ſacerdos defert. 305.*c*. Calix ſacer olim plærumque vitreus 305 *c*.306.*a*. Id apud Latinos piaculare. Eorum moroſiſſimæ de calice leges 306. *c*. 307. & Sacerdos quem ab officio Deiferum, vel Deibajulum dicunt 305.*c*. inaudito apud veterem Eccleſiam nomine.

Euchariſtia aliquando apud Latinos pignerata 165.*b*

Euchariſtiam in ſeceſſum vt alios cibos emitti vetuſtiſſimi Theologi docent 312.*c*. Ea nõ ideo adoranda, quod corpus Chriſti dicatur 35. 36. Ejus cultus, ſi culta olim fuiſſet, Paganos latere non potuiſſet 318. ad 325.

Εὐσεβίζειν. 559 *b*

Eunomius 150. *c*. An reliquias oppugnaverit? 150.*c*

Euplius Martyr deprehenſus Evangelium legens 210. & cum eo ad collum appenſo animadverſus. Nil ſimile in Latinorum rebus 211.*a.b*.212.*a*

Εὐσέβεια vnius Dei eſt 30.*b*. idem quæ cum θεοσέβεια Euſtath. hær. an cultum reliquiar. rejecerit 150.151.

Exorciſtæ non ordinabantur in primo Chriſtianiſmo 433 *b*

F

Fauſtus Manich. circa a. 400. Chriſtianos accuſat idololatriæ ob Sanctorum

rum cultum. 507.*b.c*
Feſtum Trinitatis, novitium, poſt a. 1085. inſtitutum 278. *b.c.* 279. non ad memoriam exſtincti Arianiſmi, ſed ad ipſius myſterij honorem. 279.*b*
Feſtum Euchariſtiæ, magnæ ac præcipuæ Latinis religionis 275.*c.* 276. Commendatur à Tridentinis *ibid. c.* inſtitutum a. 1264 p. 277.*a.* non quod finxit Perron. ad memoriam profligati Berengarij 280.*c.* 281. 282. Sed ex occaſione viſionum Iulianæ, Iſabellæ, Evæ Leodij oblatarum. 282.283.284
Fidem eſſe in vnum Deum. 15.*b*
Fructuoſus Martyr ſui corporis reliquias vno loco condi jubet. 667.*c*
Funera cereis interdiu honorari, inſtitutum poſt tertium ſæculum. 649.*c*

G.

Gabbata. 656.*c*
Gervaſii & Protaſii ſepultura Ambroſio revelata 699.*b*
Gnoſtici, Valentiniani martyrium repudiabant, & qui facerent, eos vanitatis & dementiæ damnabant 613. Quæ cum ſic ſentirent, eos apparet nihil minus, quam reliquiarum cultores fuiſſe, *ibid.* Nihil tamen in eorum cum Eccleſia cauſſa cernitur vel ab ipſis contra reliquiarum adorationem, vel pro ea & ex ea à Catholicis contra ipſos diſputatum. 613.614 615. 616. 617.
Gregorij Neocæſar. circa a. 270. an. 280. nova lex de panegyribus in Martyrum honorem, qua ludi Diis ab Ethnicis exhiberi ſoliti ad Martyras tranſlati 515 *a.* Gregorium ſpes de hoc ſuo inſtituto largiter fefellit 516.*a*
Gregorij Nazianzeni κατεπλαςα. Maccabæorum matrem filiorum reliquias adoraſſe 52. *c.* Mariam à Iuſtina Martyre invocatam 52.53 89 *a.* Ejuſdem fabula de Cypriano Mago ante ſuſceptam fidem. 54.*b.*55.

H.

Hæretici, eo nomine à Latinis tametſi plærique falſo, infamati his poſtremis retro ſex, ſeptemve ſæculis Euchariſtiæ, Sanctorum, Reliquiarum, Crucis & imaginum cultus religioſos multipliciter plurimi oppugnarunt, tribus vero primis ſæculis, plane nulli. 152.153.156.*b*
Hæretici vetuſtiſſimi, alij Chriſtum è B. Virginis carne conceptum negabant alij B. Virginem à Chriſto negatam ajebant. 369 *b*
Hæretici à vetuſtiſſimis Patribus denotati; alij quod Angelis ſervirent, alii quod Angelos invocarent, alii quod Martyrem neſcio quem adorarent 508. *a.* Nulli quod Angelis aut Martyribus duliæ religioſos honores negarent.
Hæretici vetuſtiſſimi carnem deſpuebant. & reſurrecturam negabant 611.*a.* Sic ſentientes reliquias carnis adoraſſe plane eſt incredibile. 611.*c.* 612. Non tamen vſpiam de reliquiis ab Eccleſia damnatum, vel denotatum quemquam illorum reperiri. *ibid.* & 613.& ſeqq.
Hermæ in viſionibus Angeli ſæpe apparent, nunquam adorãtur 540.541.
Hieronymus parum reverenter ſenſiſſe videtur Paulum abuti V.T. teſtimoniis præter verum eorum ſenſum 570.*a.* In ejus contra Vigilantium opere modeſtiam Eraſmus deſiderat. 150.*a.* Ejuſdem lapſus de Tertulliani Scorpiace 153.154.
Honores divini, Paganis ſic dicti & judicati. 499.*c*
Horæ Latinorum Canonicæ 418.*a*
Horæ

Horæ tertia, ſexta, nona precibus jam olim ſub V.T. dicatæ 422.*b*

Hymnos eſſe vnius Dei 16.*b*

Hyperduliæ vox ἄγραφος & ἀπαράδοτος. 25.*a.b.*

I.

Iacobi Apoſtoli profectio, mors & ſepultura apud Hiſpanos, magna & immanis fabula. 695.*a*

Idola à Paganis habita fuiſſe, non pro ipſis Diis, ſed pro Deorum ſymbolis 175. *c.* 176. *b.* culta fuiſſe non abſolute, ſed relative in honorem Deorum. 176.*b.c*

Idololatriæ ſecundum Iudæos initia à cultu ſtellarum. 538.*b*

Ieſuitici Chriſtianiſmi Ariſtoteles, & Ptolemæus propædia. 214. Ieſuitæ Scripturas nullam in linguam vulgarem converterunt, 214.*c.* Eorum artes ad convertendos infideles, Apoſtolis Chriſti ignotæ fuerunt 351.*b.c.*

Ieſuitæ ab Æthiopibus accuſati, quod fidem novam, & aliam ab Apoſtolica docerent. 506. *a.* infamati ab iiſdem, quod ex leporis vel cameli cerebro, aut medulla hoſtias facerent. 506.*a.* ab Indis vero & Sinis & Iaponibus, quod carne humana veſcerentur, quod liberos Gentilium plagio abigerent, quod turbas vbique excitarent. 506 *b*

Imagines tribus primis ſeculis fuiſſe apud Paganos; fuiſſe apud quoſdam hæreticos, etiam in quorumdam ſi forte Catholicorum Bibliothecis; in Eccleſiis nullas fuiſſe. 350. *b. c.* Eas colendas nemo ante quintum ſeculum dixit 59 *a.* Earum quoſdam hæreticos, cultores fuiſſe 157.*a.b.* Earum cultus rejectus à ſex Græcis Imperatoribus 148. 149. A Sereno Maſſilienſi 149.*a* ab ipſo Gregorio P.R.I. 149. & ante eos ab Epiphanio 149. à vetuſtiſſimis vero ad a. 300. Chriſtianis neque cultas, neque vſurpatas Latinorum more fuiſſe apparet, quod eas illi in ſupremis, aut in martyrio nullas vt iſti habuerint, geſſerint, adoraverint. 74.75. 76. ad 91. Quod toto illo tempore nulla occurrant ab imaginibus facta miracula, quod genus apud Latinos immenſum eſt. 97. *b.c.* 98.*a.* tum p. 106. 107. ad 113. Quod illius ævi Iudæi noſtros nunquam de hoc cultu pulſaverint 139. 140. 141. 142. ad 144. Quod illorum temporum Theologi Paganis exprobrarint cultum mutarum & inanimatarum rerum (p. 158. 159.) humanæ cuſtodiæ & tutelæ indigentium, caſibuſque & injuriis obnoxiarum (160. 161. 162. 163.) terrenarum (166. 167.) manu & arte humana factarum (171. 172.) Quod imagines illi vetuſtiſſimi Chriſtiani non memorent inter fidei ſuæ munimenta, ſymbola, arma ſpiritualia, quo loco nunc habentur à Latinis, 177.*b.*178.*c.* 179. 180. 181. Quod quæ nunc in Latinorum ob religionem perſecutionibus everti, lacerari, comburi, diripi vbique eruuntur imagines, illæ nuſquam in omnibus vetuſtiſſimorum perſecutionibus aliquid hujuſmodi paſſæ leguntur; imo ne vel leviter quidem memorantur. 189. 190. 191. &c. ad 211. Quod Paganis nulla apud eos eſſe ſimulacra graviter ac minaciter exprobrantibus, id non modo non negent, ſed etiam liquido confiteantur 129.

Incenſum in ſacris: Vid. ſupr. Chriſtiani primæ.

Innocentius P.R. III. verba Auguſtini citat pro ſacræ Scripturæ verbis. 490.*a*

Interpretum, etiam veterum, fides ſuſpecta. 545.546.

Invocationis in abſolutam, & relativam diſtinctio vana 385.c.386.a 394 a. 396.a Invocatos non fuiſſe à vetuſtiſſimis fidelibus Angelos, ſed Deum vnum, 550.a 551.d. 551. 553.554.557.

Invocatus, non vocatus. 560.b

Irenæi Latinus Interpres auctoris ipſius σύγχρονος 44.c.45.a

Iudæos Solem & ſidera quod non adorarent, non ideo contempſiſſe 340. c. Iudæi vetuſtiſſimis ad a. 300. Chriſtianis Euchariſtiæ, Sanctor. Reliq. Cruc. & Imaginum cultum nunquam objecerunt 140. 141. 142. Iudæorum impiæ nefandæque de Chriſti Domini natalibus blaſphemiæ 366 a. b.c. Iudæi ſecundi à Chriſto nato ſæculi neſcierunt Sanctos à Chriſtianis coli. 510. c. 510

Iuramentum per vnius Dei nomen concipiendum. 16.b

Iuſtinæ à Cypriano Mago adamatæ fabula. 56.57.

L.

Lanceæ, qua Chriſti latus confoſſum eſt, revelatio falſa, à Latinis tamen pro vera traditur. 676 b.c

Laurentij craticula ſub Iuſtiniano clara. 700.a

Lauretanæ B. Virginis domus hiſtoria mirifica, incerta, fabuloſa, noſci a. 1296. cœpit. 681.c.682.683.a

Libri corrupti; vt Raban. de Cler. inſt. vbi lacinia aſſuta 237. c qui ſint libri Spirituales Ieſuitarum, non Scripturæ ſed quædam ſuorum opera. 212. b.c. 213. 214.

Litaniæ B. Virginis 358. a. Divorum 428 429. Earum apud Latinos vſus quam ſit multiplex in Clericorum ordinationibus, in pœnitentiæ actibus, &c. 430. 431. nullus in vetuſtiſſimis Eccleſiis. 431.b. 432. ad 441.

Lucæ & Timothei corpora a. 359. inventa. 698 b

Lucernarum in ſacris interdiu vſus. Vid. ſupr. Chriſtiani primæ.

M.

de Marci corpore, ſera a. demum 820. Sed & dubia relatio 698. b.c.

B. ac S. Virginis Mariæ elogia, *Cœli ac terræ Regina, Angelorum Regina, Miſericordiæ mater*, &c. vbique apud Latinos, nuſquam apud vetuſtiſſ. Patres occurrunt. 362. 526. c. 527. 480.b. Latinos Mariæ & Ieſu nomina jungere & miſcere 354.b.& hunc vſum habere pro Chriſtianiſmi ſymbolo, *ibid.* Pietati deputare *Ieſus Maria* centies quadragies millies quotidie recitare. 354.c

B. Mariæ feſta ſeptem ſacra, quotannis celebrari. 355.a quæ nulla fuerunt olim ad a. 326. pag. 363 a.b. 361.b

B. Mariæ ſalutatio Angelica aſſidue dicitur 355. b. ter ſingulis diebus indicitur 355. c. 356. a. Ejus orationis plurimus ac ſtupendus vſus. 356.b.c Ea vnum è præcipuis Catecheſeos Ieſuiticæ elementis. 357.a.b.373.a. ignota vetuſtiſſimis Chriſtianis. 363.c. 364. 365.373.b.c. 393.a. Ad B. Mariam aliæ Latinorum preces, vt, *Salve Regina,* 357.b. c. vt Litaniæ. 358. a

B. Mariæ Officium. 358 b

A B. Virgine Latini petūt vt peccata ſibi remittat *vt ſe à culpis ſolvat, vt ſe mites, & caſtos faciat, ut vitam ſibi præſtet puram* 358. c. *vt jure matris imperet Redemptori.* 359 a.

B. Ma-

B. Mariæ { Pſalterium a. D. Bonaventura concinnatum 359. 360.
Symbolum inſtar Athanaſiani 360.b }
in B. Mariam fides. 360.b

à B. Mariæ invocatione Sermones ſuos ordiuntur Latini 412.b.c. Vetuſtiſſimi Patres non B. Mariam, non Divos, ſed vnum Deum P. F. & Spiritum S. invocant 413. 414. 415. 416. 417.

B. Mariæ hyperdulia primis ſæculis ignotiſſima 365.c. 366. 367.c. 368.369. Ejus ſodalitium ſub protectione Xaverii. 347. b.c

Martyriorum vetuſtiſſimorum narrationibus ſimiles eſſe de noſtrorum martyriis hiſtorias, Latinorum plane diſſimiles 211.c

Martyras vetuſtiſſimi Chriſtiani negant ſe colere, aut adorare σέβειν: aut προσκυνεῖν; diligere, confitentur. 544. & Hieron. ipſe negat eos ſuo ævo adoratos. 517.b

Matthæi & aliquot aliorum Apoſtolorum ſepulturæ fere memoratæ 695.b.c

Memoriæ Martyrum. 151.c

Miracula reliquiarum nulla occurrunt in Chriſtianiſmo ad a. 300. ne iis quidem locis, quibus ea, ſi qua fuiſſent, commemoranda erant; vt ad probandum carnem eſſe ſalutis & vitę capacem, &c. 605.606.607.608.609.610. Nulla autem fuiſſe, ſi reliquiæ colebantur, plane eſt incredibile 603.604.

Miraculorum donum, etiam poſt Apoſtolos, ſed parcius in Eccleſia fuiſſe. 108.a.109.a

Miſſam Latini ſacra Euchariſtiæ ſua vocant 254.a... in Miſſæ canone cur Sancti non invocantur directe

Refellitur hujus rei allata à Bellarmino ratio. 409.c. 410.a. Vera aperitur 410.c. 411. a. Diverſitatum τῶν ἐναντιοφανῶν, quæ in Miſſa occurrunt, vera cauſa 411.b.c. Inſignis quædam in Miſſæ verbis facta mutatio, deletis ſignis vniverſalibus *cunctorum & cunctarum.* 489.c. 490.a

Monachatus, res in Chriſtianiſmo recens. 433.b. pro *mortuis preces. Vide infra Patres etiam Patrum plurimorum.*

Moyſem ne ipſum quidem colendum eſſe religioſe. 579. b

N.

Nazarij & Celſi ſepultura a. demum 394. detecta. 699.c

O.

Oecumenii hallucinatio Chriſtianis de Euchariſtia dogmatis προσκυνούμενα tribuentis ſparſum à Paganis de infanticidio contra Chriſtianos rumorem 334.c. 335. tot. Ille Irenæi de Lugdun. Martyribus narrationem interpolat. 336. b.c. 337. Blandinæ tribuit, quæ ſunt Biblidis 337.a. eaque ipſa immutat. *ibid.*

Oratio, colloquium cum Deo 394. a.b.c. Oratio & adoratio relativa, ejuſque vera ratio *ibid.* à Deo ſolo petenda bona noſtra 394. c. 395. a. Priſci Patres, cum de oratione verba faciunt, non aliam memorant, quam quæ eſt ad Deum. 393. 394. 395. 396 Vid. infr. Sancti.

Origenis, quæ Latine tantum extant, pleraque ſunt interpolata. 49.b.c. Duo quædam ejus loca in Homil. videntur interpolata. 485. b. c. Ejus opus contra Celſum, eximium, etiam à Ba-

à Baronio laudatum. 563. *b*. Origenes, vt alii etiam eorumdem temporum Patres, quædam interdum de Chriſti deitate incautius effundunt. 563. *a.b*.

P.

Pagani ſuum ſimulacrorum cultum eadem fere ratione defendebant, qua nunc Latini venerationem imaginum 175.*c*. 176. Sic & hodie Ethnicos ſuam plurium adorationem ex Latino Divorum cultu tueri 499. *c*. 500.*a*. Idem feciſſe Paganos qui quinto ſæculo vivebant, quod jam tum Chriſtiani Divos colere cœpiſſent. 500.*b.c*. Nihil ſimile feciſſe Celſum contra Chriſtianos ſecundo ſæculo pro ſuo plurium cultu diſputantem 501. Sic ſequentis ſæculi Paganos, qui Ieſu quidem cultum noſtris, non autem Sanctorum obiiciunt 501. *c*. 502. quod argumento eſt ſecundi & tertii ſæculi Chriſtianos de hoc cultu aliter quam poſteros ſuos ſenſiſſe: Pagani vetuſtiſſimis Chriſtianis objiciunt, quod Chriſtum mortali corpore conſtantem Deum crederent 315.*c*. quod Ieſu ab iis adorati carnes corruptibiliores eſſent marmoribus, quæ ipſi colebant 316.*a* Quod Ieſu corpus in vtero muliebri fictum dicerent 316. *b*. Quod Ieſus parvus & humilis & deformis fuerit. 316.*c* Quod Ieſus ovillam ederit, & acetum biberit. 316.*c*. Quod Ieſum mortuum colerent 317.*a*. natum olim & crucifixum 502.*c*. 503.*a.b*

Poſcebant à noſtris vt ſuum ipſis Deum oſtenderent 317.*a*. de Sanctorum cultu nihil reponebant 503. quem Pagani circa a.D.360. noſtris objecerunt 503.*a*. 504.*a.b*

Sic etiam ſequiorum temporum Paganos cultum imaginum retorſiſſe in Chriſtianos 174.*c*. primorum nunquam. 175.*a*.176.*a*

Paganicam divinitatis diſpoſitionem ſimilem fuiſſe Latinæ de Sanctis Theologiæ 491.*b.c*. 492.*c*. 493. *a.c* 495.*a*

Paganos & veteres & recentes docere Deum eſſe vnum ſummum, plures minores, ſummi miniſtros 491. *b.c* 492. Summum illum cæterorum honore gaudere. 493.*a*. Eoſdem cultum religionis alium ſummum, alium ſubalternum agnoviſſe. 494.*a*

Paganis noſtri primis illis ſæculis objectabant mortualem &, hominum buſtis affixam religionem, defunctos colentem, mortuos coronantem 619. ſepulcra pro templis & pro aris habentem 620. quæ iſti non objeciſſent ſi Latinorum *conſecranei fuiſſent*, c.2. 8. *a*. Pallavicini ad decretum Trident. gloſſa refellitur 217.*c*.218.*a*

Patres etiam pro Sanctis mortuis oraſſe, pro Martyribus, pro Apoſtolis, pro ipſa B. Virgine. 488. 489. Id à Sanctorum invocatione eſſe alienum. 490 *b.c*

Patrum plurimorum errores duo I. de ſtatu animarum piarum extra cœlum ad diem judicii. 476.*b*. II. de orando Deo pro Sanctorum animabus 488.489. Pro anima Leonis P. R. I. precatam eſſe Latinam Eccleſiam ad noni ſæculi ſuprema, imo etiam longè fortaſſe diutius ad 11.ſæculum 489.*b.c* 490.*a*

Patres vetuſtiſſimi de cultu religioſo aliter cum veteribus Paganis egerunt, quam hodie cum recentioribus agunt Latini 494. *b.c*. 495. 496. 497. 498. Id Latinos à vetuſtiſſimis ea de re diſſentire arguit. 494.*c*. 495.*a*

Panther 366.*c*. 367.*a*. Pantheras

Pande-

Panderas. id. 366. *b*. Paradiſum, in quo animæ piorum quieſcunt ad diem judicii, terreſtrem eſſe putarunt vetuſtiſſimi Patres. 477.*a*.*b*

Parthenii ſodales. 347 *c*

Paulini Nolani errores aliquot *μνημονικοὶ* 693.*a*. Paulinus id. ſcribit adoratam fuiſſe ævo ſuo Hieroſolymis crucem Domini. 748.*c*

Peregrinus Philoſophus, deriſus à Luciano, fuerat aliquandiu Chriſtianus 324.*c*

Mart. Pereſius Ayala negat ſe ſanctorum interceſſionem in Patrum libris reperiſſe ante a. D. 250. invocationem ante a 360. p.581.*b*

περιέπτειν quid ſit 585.*a*

Perronii de Euchariſtia ab Apoſtolis ſedentibus adorata craſſus error 225. 226. 227. & hallucinatio in Plutarcho, 226. *a*. & in Tertulliano 226. *b*. & de Apoſtolis quos ille ad menſam ſediſſe dicit 227.*a*. Ejuſdem fraus, fingentis Euchariſtiæ myſterium à Iuſtino expoſitum fuiſſe ad purgandum infanticidii crimen, quod procul eſt à veri & rationis regionibus. 331.*b*.*c* 332.*a*

Perronii doloſa diſſimulatio 359.*b* Ejuſdem de invocatione abſoluta, & relativa figmentum expenditur 385.*b*.*c* ad 393. Ejuſdem error de Tertulliani circa Paradiſum ſententia 477.*c*. Ejuſdem fraus in Smyrn. Actis, vbi quod Græce eſt *ἀπεθέμεθα* de oſſibus Polycarpi, vertit, *Nous les avons ſerrez*, 673.*b*

Perronii abſurda gloſſa *religionem Angelorum* apud Paulum de lege. Moſaïca accipientis, refutatur. 529 530.

Idem quendam Origenis locum vitiat, *adorare* & *adorationem* dixiſſe auctorem fingens, vbi ille *θεραπεύειν* & *θεραπείας* dixerat 572.*c*, & per *θεραπευόντας πράξεις oblationes ſacrificiorum*, interpretans; *de quo ne vnum quidem μῦ* eſt apud Origenem 572.*c*. Id. de feſtis Trinitatis & Euchariſtiæ fabulatur ad libitum 278.ad 286.

Perumal, idolum, quod Indi ſub ſimii ſpecie colunt 779.*c*. Petavius Theodoretum à Baronii cenſura purgat 554.

de Petri & Pauli corporibus ad Catacumbas tranſlatis & inde Romam revectis narratio Gregoriana fabulæ ſimillima 640. ad 643. Eorum Apoſtolorum corpora, qui memorant, vetuſtiſſimi adorata non dicunt 599.

Porphyrii philoſophi ætas 516.*c*

Preces Patrum primæ memoriæ 389.*a*. Quod non adoratur, id neque precandum eſſe 578.*b*. Quod non vbique præſens nobis adeſt, id neque precandum eſſe 578.*c*. neque precandos, qui precantur 579.*a*

Preces de ſuggeſtu ſuis auditoribus ad B. Virg. & Sanctos, Latini ſæpe commendantes indicunt 397.*a*. Vetuſtiſſimi Theologi. nunquam 397.*c* 398.

Preces pro mortuis. Vid. ſupra *Patrum plurimorum*.

Preces Sanctorum pro nobis vniverſis, non autem pro ſingulis, nullam eorum invocationem inducunt 485.*a*

προσευκτήρια, oratoria, vel Eccleſiæ, vnius Dei 201.*c*. ea Diocletianus dirui omnia juſſit. *a*.*b*.

προσευχῶνας vnius Dei 30.*c*

Proteſtantes verum & legitimum Sanctis honorem deferunt 341.*a*.*b* eoque de contemptu Sanctorum falſo accuſantur 341.*a*

R.

Rejectio, figura apud Rhetores 572.*b*

Reli-

Religio { vnius Dei cultus 11. 12 Vid. ſupr. Adorandum & cultus religionis. Soli Deo offerenda. 390.*a.b*

Religio, vna eſt in Deum, non duæ quarum vna ſit in Divos 32.*b*. neque vnquam à primi ævi Patribus id nomen aliter ſumitur 32.*c*

Religio non eſt terræ vel terrenis affigenda 166.*a.c.*167.*a*

Reliquiæ quid ſint Latinis 584.*a* Tridentinum de iis decretum, doloſum ac vafrum. 585.*c* 586

Reliquiaria Latinorum ſymbola & arma ſpiritualia 177.*c*. non primæ memoriæ Chriſtianorum 178.*c*. 179. 180.*c*. 181.

Reliquiis Latini ſua omnia templa, atque altaria inſtruunt 616.*c*. quo ritu, quaque pompa 627. 628. quæ omnia apud Chriſtianos ad a. 300. & vltra, inaudita 632. Item quæ Latini de eorum cultu litigant, an per ſe, an conjunctæ cum perſona cujus ſunt, coli debeant, ea vetuſtiſſimis ignota 598.

Reliquias adorandas nemo ante quarti ſæculi ſuprema, dixit. 58.*c*. 588. *b.c*. 596.*c*

Earum cultus jam olim à Vigilantio oppugnatus 149. f. 150. ante Vigilantium, ab Antonio & Athanaſio exploſus. 151. *b. c*. 152

Reliquiarum vſus apud Latinos in proceſſionibus, & ad morbos levandos, contra peſtem & calamitates, & naufragium, & dæmonia, &c. 635. 636. Nihil tale apud Chriſtianos ante a. 300. p. 636.*a. b*

Reliquiarum ſepulturam de priſcis illis multi memorant; cultum, nemo. 600. 601. 602.

Reliquiaria nunc apud Latinos vtrique ſexui familiaria. 637. ignota ante a. 300. in Chriſtianiſmo. 637. 638. 639.

Reliquiarum tranſlatio nunc frequentiſſima, primis Chriſtianis ignota 639. Quin & eas transferri, loco moveri, attrectari, vel etiam ab imprudentibus tangi, aut ſpectari nefas putat Gregor. P. R. I. 643. præter hodiernam Romæ diſciplinam 643.*c*. 644. *a.b*. certe quod Sanctorum corpora diſcerpuntur, eo & naturæ & Sãctis ipſis fieri videtur injuria 668 *a.b*

Reliquiariæ diſciplinæ initia a. 301. imo & 290. cerni, ſed ab infirmioribus, iiſque privatis hominibus profecta. 669. tot.

Reliquiarum loca ad preces, etiam Domino fundendas, præcipua ad eum vſum ſelecta, ſed poſt a. 300. p. 670 *b.c* 671. Ante id tempus non fuiſſe ad Martyras preces directas in iis cõventibus qui in cœmeteriis fiebant, vbi ipſi ſiti erant. 671. *b*

Reliquias Chriſti apud Chriſtianos ad a. 326. nullas fuiſſe notas; non crucem, non titulum, non clavos, non lanceam, non cætera Latinis nunc notiſſima 675. 676. ad 680.

Reliquias vnas pluribus locis haberi & oſtendi à Latinis, vt Chriſti clavos, 675. vt ſacræ lanceæ mucronem 676. *c*. vt Spineam coronam 677.*a* vt tunicam 677. *b*. vt ſudarium 677. *a*

Reliquiarum cultum apud Chriſtianos antiquiorem eſſe, Euchariſtiæ adoratione, & tranſſubſtantiationis dogmate. 582. *c*. 583. *a.b.c*

Reliquias tametſi falſas à piis nulla ipſorum fraude adorari 676. *b*. Latini in ſingulis reliquiarum particulis eandem ineſſe vim, quam in totis, putant 661. Eas diſcerpſere, etiam qui nondum adorabant, vt Ambroſius, & alij ejuſdem ævi 662. *b. c*. Nihil tale

apud Chriſtianos ad a. 300. occurrit 663 664 ad 668.

Reliquiæ Martyrum, ipſorum martyriorum temporibus fere ignotæ; noſci demum cœperunt, poſtquam martyria fieri deſierunt. 663.*b*

Reliquiæ beatiſſimæ Virginis Mariæ, capilli, lac, interulæ, cingulum, domus, &c. Latinis nunc notiſſimæ, multis poſt Domini mortem ſæculis in Chriſtianiſmo fuerunt ignotiſſimæ. 681. 682.

Reliquiæ Stephani a. demum 415. divinitus revelatæ, Chriſtianis antea ignotæ. 684.*c.*685.

Reliquiæ Sanctorum primæ ad a. 314. memoriæ, non aliter fere, quam ex revelatione divina, quinto ſæculo, & quarto adulto, agnitæ fuiſſe dicuntur, 685.*a.b.* quæ ſi ab initio cultæ eſſent, abſque revelatione facile cognitę fuiſſent.

Reliquias Mariæ fere poſtremas Stephani, Barnabæ, Bartholomæi, &c. poſt Gervaſij & Celſi, &c. præpoſtere in Chriſtianiſmo agnitas fuiſſe; magnum novitatis hujus cultus argumentum. 702.

Reliquias in morbis Latini vſurpant 61. *c.* nullas vetuſtiſſimi Chriſtiani 71. *c.* 72.*b.c.* Illi etiam in martyrio 63. *a. c.*65. *a.b.c.* Hi nequaquam. 73. *b* 76.*c* 77.*c.* 83.*c*

à Reliquiis miracula fieri produntur, multa apud Latinos 98. *b.c.* 99. *a.* 101. *a.c.* 102. *a.b.c.* 103. *a.* nulla apud vetuſtiſſimos 106.*c.* 107.108. 109. 114. 115. 116.117.119 120.

Reliquiarum cultum Iudæi Latinis quidem exprobrant 141. *b.* Vetuſtiſſimis nequaquam. 142.143.*c*

Reliquiarum cultum poſt a. D. 300. multi de Chriſtianis reprehenderunt Antonius, Fauſtus Manich. Vigilantius, Auguſtinus, Claudius Taurinenſis, Valdenſes, Lollardi, Proteſtantes 148. 149. 150. 151. ante a. 300. nemo neque Catholicus, neque hæreticus 151. ad 156.

Reliquias non fuiſſe cultas à vetuſtiſſimis Chriſtianis 158. 159. 160. 161. 163. 619 620.

Roſaria, Agni Dei, grana benedicta Latinorum ſymbola ſunt, & arma ſpiritualia. 177 *c.* 178 *a.* 184 *b.* Non primorum Chriſtianorum. 178.*c* 179. 180.*c.* 181.

Reliquiaria, roſaria, imagines, &c. in perſecutione Latinis vetantur, eripiuntur; incenduntur 190. 191. 192. 193. 194 195. 196. primis Chriſtianis nihil tali tempore ſimile accidit 199.*c* 200.201. ad 211. Martyres Latinorum cum patiuntur, eorum quoque reliquiaria, roſaria & cruces vna exuruntur, aut defodiuntur; de primis Chriſtianis nihil tale auditum. 196 *b.c*

Ruffinus Origenem multis locis interpolaſſe videtur. 486.*c.* 487.*a.* neque ejus in Euſebium melior fides. 585. *a.* 545. *a. b.* 546. *b.* Ruffini eſſe non Hieronymi Præfationem Origenicæ expoſitionis ep. ad Rom. 49 *b.*

S.

tam Sacrificium, quam orationem in abſolutum & relativum diſtingui licet. 29.556. *b.* & Sacrificia nihil magis prohibet eſſe θυσίας, quam preces. 28 *a*

Sanctus. quis veteribus? 114 *a.*472.*b*
Sanctorum nunc diverſi gradus; Alii Beati, alii Divi & Sancti. 525.*c*

Sanctos invocandos Tridentini decernunt; qui negant, eos impietatis damnant & anathematizant 343. *b. c.* Latini ſæpe in ore habent *Cœleſtium*

opem, *Cœlitum* ſuffragia, *Superorum* patrocinia poſcere, implorare, demereri, quæ apud vetuſtiſſimos Chriſtianos plane inaudita 527.c.528.a

Sanctis Latini honores hos deferūt. Templa,345.c. & Eccleſiaſticas fideliū ſocietates iis dedicant 346.b. & aras & imagines ſacras.346.b.c. feſta,ſodalitia 346.c 347.a.donaria offerunt 348.a. incenſa & odores. 348.a.b.ſacrificia. 348. b. vota.349.a. preces & litanias. 349.a. Nihil iſtorum occurrere in primo ad a.300. Chriſtianiſmo. 349.b.c. 350.

Sanctos Latini rogant, *Ut ſe ab hoſte protegant, & hora mortis ſuſcipiant* 419.a. *Ut criminum vincula verbo reſolvant*; *ibid.b.* *Ut ſe à reatu noxios ſolvi IVBEANT* 419.c. 421.b. *Ut ſe in cœlitum ſedibus locent* 420. a. & c. quibus ne à Deo quidem ipſo majora licet poſcere 420.b. 358.c. 359.a 401. a b 421.a

Sanctos Latini *Divos*, quidam etiam *Deos*, vocant 523. a b.525.b. inaudita hæc apud vetuſtiſſimos. *ibid.*

Sanctos Latini in Euchariſtiæ liturgia directe & indirecte invocant 399. 400. 401. 402. 403. 404. Vetuſtiſſimi neque directe, neque indirecte 404. b. c. 405. 406. 407. 408 In Eccleſiaſtico extra Euchariſtiam cultu, B. Virginem & Divos aſſidue omnibus horis invocare Latinis quidem ſolenne 417. c. 418. 419. a. Vetuſtiſſimis vero Chriſtianis ignotum atque inuſitatum 424.c. 425.c. 426. a 433. a.434. a. ſive directe, ſive indirecte.

Sanctis Latini hymnos dicunt 420. a.b. Vetuſtiſſimi Chriſtiani alii quam Deo hymnos dicere nefas putant. 426. c. 427.

Sanctis Latini diverſa officia, diverſoſque Cultus tribuunt. 522. a. b. 525.c. 526. a.b.

pro Sanctis orandum negant, qui eos invocant. 489 b. 490.

Sanctorum cultum & invocationem docere Latini Præpoſitis & rectoribus omnibus præcipiunt 370 a.b.c nil tale occurrit apud vetuſtiſſimos.

de Sanctorum cultu Latini ſuos Catechumenos & Neophytos ſedulo inſtruunt 372. b.c. 376. quod alienum à tota primorum Chriſtianorum praxi 373. b.c. 374. 375. 376.a. 377. a. Conſtantinus milites de Dei (non Divor.) cultu inſtituit. 375. c

Sanctos in tentationibus invocari Latini præcipiunt 377. b. Vetuſtiſſimi Chriſtiani Deum vnum 377.c

Sanctos Latini Pœnitentes invocant 378. a. Vetuſtiſſimi Chriſtianiſmi pœnitentes Deum vnum adire jubentur. 578.a.b.579.

Sanctorum cultum & invocationem & in eos devotionem ſuis Latini pro Chriſtianæ religionis officio commendant 380. a. 381. 382. Vetuſtiſſimi nuſquam 380. c. Ipſi Latinorum Martyres hæc ſuis in paſſione præcipiunt 382. a. Vetuſtiſſimæ memoriæ martyres nil ſimile 382.b

de Sanctorum cultu & invocatione ad 1. præcept. Decal. Latini quidem ſemper tractant 384.a.b. Vetuſtiſſimi nequaquam. 384. b.c. Item ad orationem Dominicam, eadem illi quidem ſemper 384. a.b. hi vero nunquam, agunt 385. b.c. 386 ad 393. a

Sanctos etiam in priuato cultu invocare, Latinis quidem ſolenne eſt 443. c. 444. a. A vetuſtiſſimis vero Chriſtianis alienum, qui vnum Deum invocant,444.445. in quotidianis precibus 445. 446.

Sanctos in rebus triſtibus invocant Latini 448.b. Vetuſtiſſimi Chriſtiani non alium, quam Deum. 448. c. 449.

Sic

Sic & in arduis rebus ſuſcipiendis. 449. c. 450.*a*. Ita & lætis temporibus hi vnum Deum laudant; Latini etiam Divos 450.*b*. *c*. & pro converſione infidelium Latini Divos, Vetuſtiſſimi vnum Deum precantur. 451. *b*. In epiſtolis illi Divos, hi vnum Deum precantur. 452. *a.b.c*. 453.*a.b.c*. In Sanctorum vitis & encomiis, quos laudant Latini quidem invocant 454. *a.b*. Vetuſtiſſimi nequaquam 454. *c*. 455.

Sanctos in libris ſuis Eccleſiaſticis, Latini quidem vulgo & crebro invocant. 455.*b.c*. 456. Vetuſtiſſimi vero nunquam; ſed vt alias, vnum Deum. 457. 458 459. Sanctos item in ſuis ſupremis Latini; Vnum Deum vetuſtiſſimi 71. 72. ad 90. & 460.

Quos à pietate commendant, eorum in B. Virginem, & in alios Divos cultum ac devotionem, Latini quidem diligenter commemorant 461. 462. 463. 464. Vetuſtiſſimi vero Chriſtiani conſtantiſſime de his tacent 465. 466.467.468.*a*

Sanctorum invocatio Latinis alia directa, alia indirecta. 409.*b.c*. 410.*a.b*

Sancti quomodo hos juvent? 485.*b*. *c*. 486.*a*

Sanctorum religioſum cultum non docent Smyrnenſes; Tertullianus, Irenæus, Origenes, Cyprianus. 39 40. 41. 42. & ſeqq. Epiphanius vero & Auguſtinus eum rejiciunt 149.*b.c*

Sanctorum honos legitimus εὐφημισμὸς & ὕμνησις 341.*b*. 342

Sanctorum cultus cum invocatione apud Chriſtianos quibus gradibus invectus ſit. 442. 443.*a* Legitima creaturarum rationalium θεραπεία obſervantia, laus & honor, excluſis προσκυνήσει, σεβασμῷ, ὑμνήσει & invocatione 580. ſeq.

Sanctos, vt invocentur, in cœlo eſſe juxta Latinos neceſſe eſt. 474.*a.b.c*. eo Sanctos ſub V.T. non fuiſſe invocatos 474 *b*.

Sancti, an Deum pro nobis ex Origene orent 484. *b.c*.

Sanctorum precibus etiam eos juvari poſſe, quos ipſi ſigillatim non norunt. 484.*c*. 485.*a*

pro Sanctis coli aliquando damnatos 470.*a*

Sanctorum { cultus à reliquiis cœpit 480.*b.c*. & reliquiarum cultum Catholicis exprobrat Fauſtus 150. *c*. Vide ſupr. *Fauſtus*.

Scolaces. 649.*b*

Scripturarum libros apud noſtros olim habuiſſe & legiſſe etiam mulieres 208.*c*. 209.*a*

Scripturæ exuſtæ à Diocletiano 202.*a.b*. 205. 206.211. eas Pagani magiſtratus ſcrutabantur apud noſtros 205. 206 207 208.

Scriptores res ſe antiquiores ex ſui ævi moribus plærumque ſcribunt 51. *b*. *c*. 52. *a*

Scribendi duo genera, γυμναστικῶς & δογματικῶς 568.*b*

Σέβειν Deum vnum fas eſt. 30.*b*

Sepultura honos humani corporis. 646. *b*. *c*. 647. 652 *b*. *c*. Chriſtiani vetuſtiſſimi ſuos mortuos thure & aromatis curabant 647. *b.c*. 648 *a*. Etiam Sanctorum corpora ad a. 300. humo condita fuiſſe ſolenni aliorum fidelium more 648. 649. 650. 651. *c*. is legitimus eorum honos. 585. *b*

Sepulturæ Sanctorum V. Teſtamenti poſt a.D. 330. detectæ, ſed (vt quidem fertur) divinitus. 696. vt Samuëlis a.406. Abacuc poſt a. 379. Zachariæ a. 415. Baptiſtæ a.362 p.696 *b.c*

Sepultutæ Martyrum ante a. 300. occiſorum ſero repertæ 699.700.

Sepulcrum perperam dici altaris locum, quo conduntur reliquiæ id enim eſſe potius earum ſolium 658.*c.* 659.

Sibyllarum carmina ; ſuppoſititia 475. *c.* pro divinis tamen habita à plæriſque Patribus. 476 *a*

Sidera eſſe anima rationali prædita tradunt Origenes 575. *a.b.* Clemens Alex. & Recognitionum auctor. *ibid.*

Signis & *μνημοσύνοις*, rerum, quas ſignant, nomina ſæpe tribui, 222.*b.c.*

Simonianæ Magiæ diſciplinam ſerviiſſe Angelis. 157. *a*

Sinus Abrahæ, locus ex vetuſtis Patribus ſubcœleſtis. 477 *a*

Smyrnenſes non fuiſſe idololatriæ accuſatos propter Sanctorum cultum 508. *b.c* 509.

Sophronii error de Ægea Edeſſano. 694.*b*

Spem noſtram eſſe in vnum Deum 15.*c.* 16 *a*

Σουδάριον. 657. *a*

Sudarium Chriſti ſepulcrale non fuiſſe ſindonem, ſed faſcias. 678.*a.b* De Sudario, quo Domini caput involutum fuit, Bedæ fabella. 679. *a.b.* Sudarium Veronicæ. 679.*b*

Superſtitioni deputatur quodcumque fit ſine Dominico, vel Apoſtolico præcepto 391.*a*

Symeon Metaphraſtes, ſcriptor fabu'oſus. 53.*c.* 680.*a.*

T.

Taboritæ. Vide infr. Valdenſes.

Templorum conſecratio recens in Chriſtianiſmo. 425.*a.* 434.*b.c*

Tertulliani Scorpiace; opus eximium. 614. *c.* 615. *a.* an ea, quod tradit Hieronymus, ſcripta ſit contra cultus reliquiarii reprobatores? 153.

Θεοσέβεια idem quod εὐσέβεια. 13.*b.* 14.

Θεοφόρος Preſbyter apud Latinos. 305.*c*

Θεραπεύειν non eſt προσκυνεῖν adorare; ſed vel mederi, vel obſervare & honorare, vel Deum vel homines. 573.*b*

Θρησκεία Religio cultura θρησκεύω θεοσεβῶ. 529.*a*

Thomas. Quod de adorata ab eo apud Indos cruce proditur, id fabuloſum eſt. 755. *b.c.* 756. & ſeqq. Antiquiſſima, eoque verior traditio eſt apud Indos Evangelium fuiſſe prædicatum non à Thoma, ſed à Bartholomæo Apoſtolo 756. *c.* eumque Indis non lapideum crucis ſignum, ſed Ebraïcum Evangelii codicem ſui monumentum reliquiſſe 756. *c.* 757.

Thomam non apud Indos, ſed apud Parthos prædicaſſe 757. *c.*

Thomas quidam Manichæus fabuloſæ de Thomæ apud Indos prædicatione famæ auctor primus 758.*a.* Inde à quarti & quinti ſæculi ſcriptoribus facile hauſtam *ibid.* indeque ad citeriora ſæcula propagatam. 756.*b*

Thomæ Apoſtoli corpus Edeſſam tranſlatum, Edeſſa poſtea Ortonam 758.*c.* Vt Meliapore apud Indos poſt a.D 410. eſſe non potuerit.

Thomam illūm Indicum ab Indis Ananiam olim dictum. 756. *c.* Mar-Thomas recentior, circa nonum ſæculum Indorum Apoſtolus 760. *c.* Ejus eſſe omnino videntur quæ Thomæ Apoſtolo ab Indis ex quodam antiquitatis ſtudio tribuuntur. 761.*a.b*

Thus vel incenſum. Vid. ſup. Chriſtiani primæ.

Timor Dei. Timere Deum. 15.*b*

Toni

Toni apud Iapones. 195 b

Traditor olim apud noſtros is dicebatur, qui Scripturarum codicem Paganorum officiis tradebat. 205.a

V.

Valdenſes, jam ante a. 1254. imo etiam ante 1120. Euchariſtiæ, Sanctorum, crucis, reliquiarum & imaginum cultum rejeciſſe 148.a. Valdenſium propaginem Taboritas eoſdem cultus refutaſſe 146. 147. a. b. c

Petr. de Valdo. 147.c

Veneratio interdum honos non religioſus. 585.c

Viclef à Taboritis audit Doctor Evangelicus. 147.c. Euchariſtiæ adorationem vehementer damnat 147.c. 148.a

Viclefi diſcipuli Divorum, imaginum, crucium, & reliquiarum cultum repudiabant. 148.

Virgines non ordinabantur in priſca Eccleſia. 433 b.

X.

Hieronymi Xaverij Hiſtoria Dominica Perſice ſcripta. 214.c

AVCTORES
QVI IN HOC OPERE
CITANTVR.

A.

Acta ſub Zenophilo. *Bar. a.* 300.
Ado Viennenſ. *in Bibl. Patr.*
Æneas Sylvius de Valdenſibus.
Albaſpinei Obſervationes Eccleſiæ. *Paris. cum Optato a.*1631.
Albertin. de Euchariſtia. *Daventriæ*, 1654.
Alcuinus de divin. Offic. *in Bibl. Patr.*
Alexander Monach. de Barnabæ reliquiis. *ex Baron. a.* 485.
Alexandri Rhodii, Ieſuitæ, itinera Orientalia Gallicè. *Par.* 1653.
Alliaco in quartum Sentent.
Amalar. Fortunat. *in Bibl. Patr.*
Ambroſius. *Par.* 1594.
Ammianus Marcellin. *Valeſii Par.* 1636.
Anaſtaſius Abbas contr. Iud. *in Bibl. Patr.*
Anaſtaſii Bibliothec. Hiſtoria Eccleſiaſtica & de Vitis Papar. *Par. & typographia Regia.* 1649.
Andreas Cæſarienſ. *in Bibl. Patr.*
Antonini Chronic. 1587. *apud Iunt.* Summa, *Par. apud I. Parv.*
Aretas in Apocal. *in Bibl. Patr.*
Arianus de rebus Alex. Magni. Græcol. *Baſil.*1539.
Ariſtoteles. *Par.*
Arnobius contr. Gentes. *Par.* 1605.
Athanaſius Gr. Lat. *Par.* 1627.
Athenagoras Athen. *Auctar. Gr. Lat. Bibl. Patr.*
Auguſtinus. *Paris.* 1637.

B.

Baronii Annales. Colon. 1609. Ad Martyrol. Rom. *Paris* 1645.

Lud.

Lud. Bartema. *apud Rhamuſium Italice.*
Baſilius Gr. Lat. Tom. 3. *Par.* 1638.
Becani Summa *Paris.* 1645.
Beda. *Colon.* 1612.
Bellarmini Controverſiæ. *Lugd.* 1610. de Scriptorib. Eccleſiaſticis. *Par.* 1631. Catechiſmus.
Bembi epiſtolæ. *Venet. vt opinor, poſt a.* 1534. *neque enim hæc editio illa docet, alioqui pulcherrima* in 8.
Bernardus. *Par.* 1527.
Bibliotheca Patr. Par. edit. 4. 1624. cum Auctario duorum Tom. Gr. Lat.
Biel in Sentent. & in Canon. Miſſæ. *Gotthique* 1617.
Billius in multa Irenæi, *vna cum Iren. extat.*
Binius ad Concilia omnia. *Vna cum ipſis Concil.*
Blondellus contr. epiſtolas affictas priſcis Rom. Epiſc. *Gen.* 1628. Idem de Sibyllinis. *Gall. a.* 1649.
Bochartus, Matthæus de Reliquiis, &c. *Gallice.*
Bonaventuræ Pſalterium Marianum. *Par.* 1607.
Borri Relatio de Cocincina. *Rennes.* 1631. *Gallice.*
Breviarium Roman. *Par.* 1647.
Ioan. Buxtorfii, Lexicon. magn. Rabbin. &c. *Baſil.* 1639.
Bzovii, Continuatio Baron. *vna cum Baron. habetur.*

C.

Cabaſilas. *in Bibl. Patr.*
Cajetanus in Thom. *in Summa Thom.* Ejuſdem Summulæ *Lugduni* 1545.
Cajus. *apud Euſeb.*
Calvinus. *Gen.* 1617.
Melch. Canus. *Colon.* 1605.
Cardimi Relatio de Ind. *Par.* 1646.
Caſauboni Exercitation. in Baron. *Londini* 1614.
Caſſander *Par.* 1616.
Caſſiodorus *Gen.* 1637.
Catechiſmus Trid. *Venet.* 1567.
Celſus philoſoph. *in Origene.*
Chamerii Panſtratia. *Gen. Roviere.*
Chronicon Alexandr. *Monachii* 1615.

Chryſo-

Chryſoſtomus Gr. Lat. *Par.* 1636. Græc. *Etona Savil.*
Ciaconus de modo convivandi vet. 1590. *ex officina Santandreana.*
Clemens Alexandr. *Par.* 1629.
Clementis Rom. epiſtola ad Cor. *Oxon.* 1633.
  Recognitiones. *Par.* 1544.
  Conſtitutiones Apoſt. *Venet.* 1563. *& cum Zonara.*
  Colvenerius ad Flodoardum.
Concilia Gr. & Lat. Binii. *Par.* 1636.
Concilia Eccleſiæ Gallicanæ Sirmondi. *Par.* 1629.
Concilia Africana. *in Bin.*

Concilium
- Antiochenum. *in Bin.*
- Arelatenſe quattum & ſextum. *in Sirm.*
- Cæſar Auguſtanum a. 380. *in Bin*
- Carthagin. quintum. *in Bin.*
- Eliberitanum. *in Bin.*
- Gangrenſe. *in Bin.*
- Meldenſe a. 845. *in Bin.*
- Moguntinum: 847. *in Bin.*; 813. *in Sirm.*
- Toletanum. a. 400. *in Bin.*
- Tridentinum. *in Bin.*
- generale ſeptimum. *in Bin.*

Contarenus Cardinalis. *Par.* 1571.
Cornelii Epi. Romani epiſtola. *apud Euſeb.*
Andr. Corſalis *in Ramuſio.*
Coſri Hebr. Lat. Buxtorf. 1660. *Baſ.*
Coſtar, Epiſtolæ Gall. *Par.* 1658.
Couſſord. contr. Vald. *Par.* 1588.
Cyprianus Rigaltii. *Par.* 1648.
Cyrillus Hieroſol. Gr. Lat. *Par.* 1631.
Cyrillus Alexandr. *Par.* 1636.

D.

Damaſcenus. *Par.* 1609.
Damaſi Pontificale. *in Bin.*
Dio Caſſ. Xylandri, *Henr. Steph.* 1592.
Diogenes Laërtius.

Diony-

- Dionyſius
  - .... Alexandrin. *apud Euſeb.*
  - Areopagita. *Par.* 1644.
  - Halicarnaſſeus. *Sylburgii.* 1587. *typis Wecheli.*

Front. Ducæus ad Chryſoſt. & ad Paulin. Nolan. *vna cum auctorib.*
Durandi Mimat. Rationale 1508.

E.

- Eraſmus
  - in Nov. Teſt. *Baſ.* 1540.
  - ad Hieronym. } *vna cum auctoribus.*
  - ad Origen. } *vna cum auctoribus.*

Eſtius in Paulum. *Par.* 1640.
Eunapii Sophiſtæ Gr. Lat. *Gen.* 1616.
Euripides Gr. Lat. *P. Steph.* 1602.

- Euſebii
  - Hiſtoria
    - Gr. *Par. Rob. Steph.*
    - Lat.
      - Ruffini
      - Chriſtophorſoni *Col.* 1581.
  - de Vita Conſtantini. *cum Hiſtoria.*
  - Chronicon
    - Scalig. *Leid* 1606.
    - Pontaci. *Burdigalæ* 1604.
  - Opuſcula 14. edita à Sirm. *Par.* 1643.

Eutychii Alexandri Annal. Arab.

F.

Mich. Falcarius de Euchariſt. *Gen.*
Fevardentius ad Irenæum. *vna cum auctore.*
Fab. Fiogi Dial. contr. Iudæos. *Italice, in Roma* 1582.
Franciſci Conformitates. *Mediolani* 1510.
Francicarum rerum Scriptores. *Tomi* 5. *Cheſnæi, Par.* 1633.
Fulcherii Carnot Hiſtoria Hieroſolyma. *apud Cheſnæum.*

G.

Ang. Gazæi piæ recreationes. *Gallice.*
Gelaſius P. R. I. *in Bin.*
Germani Theoria. *in Bibl. Patr.*
Gloſſaria vetera Gr. Lat. Bon. Vulcanii. *Leid.* 1600.
Gloſſator Decreti. *vna cum decreto Grat.*

Goar. in Euchol og. Græcor. *Par.* 1647.
Gottofredus ad Philoſtorgium. *una cum auctore.*
Gouveanus de bellis Cha-Abbas Gallice. *Rothom.* 1646.
Gratiani Decret. Gregor. cum Decretal. *Par.* 1612.

Gregorius:
- Nazianzenus. *Par.* 1630.
- Nyſſenus. *Par.* 1638.
- Magnus. *Par.* 1533.
- Turonenſ. *in Cheſnao.*

H.

Hegeſippi Hypomnemata. *apud Euſeb.*
Heraldi Tur. Capitula. *in Sirm. Conc.*
Hermas *in Bibl. Par.*
Heſychii Lexicon Gr. *Hagenoæ* 1521.
Hieracles in Pythag carmina. *Par.* 1583.
Hieronymus Eraſmi. *Par.* 1533.
Hincmarus Sirmondi. *Par.* 1645.
Luc. Holſtenii diſſertatio de Porphyrio. *Cantabrigiæ* 1655.
Homerus.
Hugo de Sancto Victore. *Rothom.* 1648.

I.

Petr. Iarricus de reb. Ieſuit. Indic. Latine. *Colon.* 1615. *Gallice Burdeg.* 1620.
Ieſuitarum epiſtolæ Iaponicæ. *Diling.* 1571.

Ieſuitar. epiſtolæ annuæ:
- Æthiopicæ a. 1617. 1621. 1624. 1625. 1626.
- Braſilianæ. 1577. 1621.
- Canadenſes. 1633. 1635. 1636. 1637. 1642. 1650. 1651.
- Cocinenſes. 1581.
- Cocincinenſes. 1621.
- Goanæ. 1619. 1620. 1621. 1628. 1629.
- Iaponicæ. 1576. 1577. 1579. 1581. 1582. 1586. 1587. 1589. 1595. 1596. 1603. 1604. 1605. 1609. 1610. 1613. 1614. 1615. 1616. 1617. 1618. 1619. 1620. 1621. 1623 1625. 1626. 1628. 1629. 1630.
- Indicæ. 1598. 1619. 1620 1621.
- Sinicæ, ſive Chinenſes. 1617. 1618. 1619. 1620. 1621. 1625.

Index

Index Expurgatorius Sandoval. *Madriti* 1612.
Innoc. P. R. III. decret. *in Conc. Bin.*
Ioannis Maron. Collatio CP. &c. *apud Bar. a. D.* 532.
Ionas Aurelian. contr. Claud. Taurin. *in Bibl. Patr.*
Ioſephus *Gen.* 1611.
Paul. Iovij Hiſtor. *Paris.* 1597.
Irenæus Fevardent. *Par.* 1639.
Iſidorus Hiſpal. *Par.* 1602.
Iulianus Aug. Apoſtata. *apud Cyrill. Alex.*
Ivo Carnot. *Par.* 1647.
Iuſtinus Sylburg. *Heidelb.* 1594.

K.

Kircheri Prodromus Copticus. *Romæ* 1636.
Alb. Krantſij Metropolis. *Baſil.* 1568.

L.

Lactantius *Antuerp.* 1570. *Thomaſſii.*
Lampridius *in Hiſt. Aug.*
I. de Launoy de argumento neg. *Par.* 1662. Diſquiſitio, &c. *ibid.*
Leontius contr. Iud. *apud Damaſc.*
Leſcarboti Hiſtoria novæ Franciæ Gallice. *Par.* 1612.
Iuſt. Lipſius. *Lugd.* 1613.
Liturgiæ Iacobi, Chryſoſtomi, Syror. Gregor. *in Bibl. Patr.*
Lucas Tud. *in Bibl. Patr.*
Lucianus { *Salmur.* 1619.
Lucianus { de inventione Reliquiar. Steph. *apud Bar. a.* 415.
Ioan. Lukavitz. *Roterdam.* 1618.

M.

Maffeii Indica, & vita Ignat. *Lugd.* 1637.
Maldonatus in Evangelia. *Par.* 1639.
Maraccii Relatio de Indic. *Par.* 1651.
Marcelli Com. & Idat. Chronica Sirm. *Par.* 1619.
Marianus Scotus, *in Germ. Scriptor. Piſtor. T.* 3.

Marian. Victor. in Hieron. *vna cum auctore*.
P. Martyris Res Indicæ. *Col.* 1574.

Martyrum Acta.
- Agapæ, Iren. & Sociar. *Bar.* 304.
- Afror. a. 303. Bar. *eod. a.*
- Alutinenſium. *Bar. a.* 303.
- Andronici *Bar. a.*290.
- Artemii *apud Sur.*
- Cypriani *in Cypr. Rigalt.*
- Euplii Catan. *Bar.* 303.
- Felicis Thibar. *Bar.* 302.
- Fructuoſi *apud Aug. Bar. & Sur.*
- Ignatii, in Ign. Vſſer.
- Lugd. & Vienn. *Euſeb.*
- Marcell. *Bar.* 298.
- Pauli *apud Euſ.*
- Polycarpi *Euſ. & Ign. Vſſ.*
- Scillitanor. *Bar. a.* 202.
- Sebaſtiani. *Bar.*
- Taraci & Soc. *Bar.*290.
- Telicæ, Saturn. &c. *Bar.*
  Tibarens. *Bar. a.*302.

Gonc. Mendozæ Hiſtoria Sinica.
Micrologus *in Bibl. Patr.*
Minutius Fœlix Rigalt. *Par.* 1643.
Miſſale Roman. *Par.* 1634.
Ioann. Morinus de Ordination. Sacris. *Par.*
Moſis & Maximi epiſtola ad Cypr. *vna cum Cypriano extat.*
Moſis ben-Maiemon de idololatria.

N.

Nicephorus Calliſti. *Par.* 1630.

O.

Odo Par. Ep. *ex Bibl. Patr.*
Oecumenius in Epiſtolas Apoſtolicas. *Par.* 1631.
Optatus *ex Bibl. Patr. & ſeorſum Albaſp. Par.* 1631.
Ordo Rom. *in Bibl. Patr.*
Origenes *Baſil.* 1571. contr. Celſum Gr. *Aug.* 1605. Philocalia. *Tarini, Par.* 1618.
Orlandini Hiſt. Societ. Ieſu, *Romæ* 1615.
Paul. Oroſius, *Colon.* 1573.
Oſorius de rebus Emmanuelis. *Colon.* 1581.

P.

Sforza Pallavicini Hiſtoria Concilii Tridentini Italice. *Romæ* 1656.
amelius

Pamelius in Tertull. *Par.* 1641.
Paulinus Nolan. Ep. *Roſueidi, Antuerp.* 1622.
Paulinus Afer de vita Ambroſii. *apud Surium.*
M. Paulus Venet. *Italice apud Ramus.*
Perrini Hiſtoria Valdenſ. Gallice. *Gen.* 1618.
Pereſius de Traditionibus. *Par.* 1592.
Perronii Cardinalis Replica , de Euchariſtia, Collatio Fontiſbell. *omnia Gallice. Par.* 1633,
Dion. Petavius in Epiphan. *Par.* 1622. Theologicor. Dogmatum Tomi 5. *Par. Cramoiſi.* de Pœnit. publica *Gallice in* 4. *Paris* 1644.
Phavorini Lexicon Græcum. *Baſil.* 1538.
Phileæ Ægyptii Acta. *apud Euſeb.*
Philo Iud. Græce. *Par.* 1552.
Philoſtorgii Hiſtoria Eccleſiaſtica. *Gen.* 1643.
Photii Bibliotheca Græce. *Aug.* 1601.
Ioann. Picard. ad Neubrigens. *Par.* 1632.
Pilichdorp contr. Valdenſ. *in Bibl. Patr.*
Pii Ep. Rom. 1. epiſtolæ. *in Bin. Conc.*
Plinii junioris Epiſtolæ.
Plutarchus Gr. & *Gall. Amioti Par.*
Polycarp. ad Philipp. *vna cum Ignat. Vſſer.*
Pontificale Roman. *Romæ* 1621.
Pontius de Vita Cypr. *vna cum Cypriano.*
Portus-Regalis miracula à Spina facta edita. *Gallice Par.*
Poſſevini Apparatus ſacer. *Venet.* 1603.
Primaſius in Paul. *in Bibl. Patr.*
Procopius Hiſt. Græce *Aug.* 1608.
Prudentius Poëta Chriſt. *in Bibl. Patr.*

R.

Rabanus Maurus. *in Bibl. Patr.*
Reynerus contr. Valdenſ. *in Bibl. Patr.*
Ioan. Bapt. Rhamuſii Scriptores Italici de 4. mundi partibus Varia, & docta opera. *Venet.* 1554.
Rigaltius in Tertull. & Cypr. *vna cum auctoribus.*

Rituale Rom. *Par.* 1630.
Romani Cleri epiſtola ad Cypr. *Extat apud Cypr.*
Ruffini Hiſtoria Eccleſ. ex Euſebio. *cum quo Latinè extat. Edito Baſil. ab Henr. Petr.* Ejuſdem ſunt plæraque Origenis Latine interpretata.

S.

Salmaſius de Cruce ad Bartholin.
Scaliger in Chronica Euſebii. *una cum ipſo Chron.*
Seldenus ad origines Eccleſiæ Alex.
Semedus, de China, ſive de Sinis. *Gallice Par.* 1645.
Claud. Seyſſellus contr. Valdenſ. *Par.* 1520.
Sibyllina oracula. *in Auct. Gr. Lat. Bibl. Patr.*
Sigeberti Chronic. *in Script. Germ. Piſtor. T.* 3.
Sirmond. ad Conc. Gall. ad Cap. Car. Calv. &c. *una cum auctorib.*
Sixti Senenſ. Bibliotheca. *Colon.* 1626.
Socratis hiſtoria Eccleſiaſtica Gr. *una cum Euſeb.*
Solier de rebus Ieſuitar. Iaponicis *Gallice Paris.* 1627.
Sophronius. apud Hier. cujus librum de Scriptorib. Gr. vertit.
Soto in 4. Sentent. *Duaci* 1613.
Sozomeni Hiſtoria Eccleſiaſtica Gr. *una cum Euſeb.*
Valafr. Strabo. *in Bibl. Patr.*
Suidas Gr. Lat. *Gen.* 1619.
Surius de Vitis Patrum. Tomi 4. *Colon.* 1618.

T.

Tatianus *in Gr. Lat. auctario Bibl. Patr.*
Tertullian. Rigaltii. *Par.* 1641.
Theodoretus Sirmondi. *Par.* 1642.
Theodori Lector. Collectan. *Gr. una cum Euſeb.*
Seder Thephilloth.
Mich. Thomaſſius ad Lactant. *una cum Lact.*
Thomæ Summa. *Lugd.* 1587.
Trigautii { Expeditio ad Sinas. *Aug.* 1615.
de Martyriis Iapon. Gallice. *Par.* 1624. }

Trithem.

Trithem. de vita Bedæ. *apud Sur.*
Tudebodus de itinere Hieronymo. *in Cheſneo.*

V.

Thomæ Valdenſis Doctrinale. *Par. apud Badium.*
Valdenſium Apologia a 1612. *vna cum Lukavitz.*
Pietr. della Valle Funerale vxoris Sitti Maani Gioerid. *Rom.*
Vaſquez. *Lugd.* 1620.
Victorin. Petabionenſ. *in Bibl. Patr.*
Viddrinchtoni Diſcuſſio diſcuſſionis, 1618.
Vignier Bibliothecæ Hiſt. Gallice.
Gul. Vorſtius ad Ganz, Ebræi Chron. *Leid.* 1644.
Ioann. Ger. Voſſius de genere Chriſti.
Vſuardi Martyrolog. Molani.

X.

Xenophontis Cyropædia.
Xiphilini Epitome Dionis *Henr. Steph.* 1592.

PRÆFA-

PRÆFATIO.

MAGNA, vt mihi videtur, obſervatione dignum eſt, quod Thomas Romanæ Scholæ, non tam Doctor, quam Patriarcha, pæne in ipſo ſuorum Thom P.1.q. 1.A.8. ad 2 *de re Theologica commentariorum limine ſcribit* fidem noſtram inniti revelationi Apoſtolis & Prophetis factæ, qui canonicos libros ſcripſerunt, non autem revelationi, ſi qua fuit aliis Doctoribus facta. *Nam ſi hæc Thomæ vera ſunt (ſunt autem non modo veriſſima, ſed etiam apud omnes, ni fallor, Chriſtianos confeſſa) illud quoque neceſſario confitendum eſt, quod ex iis evidentiſſime conſequitur, nimirum ab illis viris, qui canonici libros conſcripſerunt, Chriſtianam omnem fidem ita perfecte eſſe traditam, vt eorum revelationi nihil plane deſit, quod ſit homini ad ſalutem æternam conſequendam credendum. Quæ ipſiſ-*
Col.1.28. *ſima eſt Pauli de ſua prædicatione ſententia, quo loco dicit* omnem ſe hominem docere in omni ſapientia *(revelata ſcilicet ad ſalutem) non in aliqua tantum ſapientiæ illius parte, ſed* in omni *ſapientia,* vt exhibeamus (*inquit*) omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu. *Iam quæ doctrina ſuos diſcipulos perfectos efficit, eam neceſſe eſt ipſam omnibus partibus & numeris perfectam eſſe & abſolutam, adeoque omnia continere, quæ ſunt hominibus ad ſalutem neceſſaria. Neque enim is perfectus vere dici poteſt, cui aliquid deeſt, quod ſit ad conſequendum finem, quo contendit, neceſſarium. Cum ergo Pauli, & cæterorum Chriſti Apoſtolorum ac Prophetarum doctrina hujuſmodi fuerit, quæ perfectos efficeret quicumque eam honeſto corde & ſincera fide exciperent, negari non poteſt, quin eadem perfe-*

perfectiſſima, iiſque omnibus abunde inſtructa fuerit, quæ ad ſalutem pertinent. Itaque idem ille Paulus vetat doctrinæ à ſe ſuiſque collegis traditæ quicquam omnino adjici, ſi quis id auſus fuerit, graves pœnas denuntiat, eumque nobis anathema eſſe jubet; Licet nos *(inquit)* aut Angelus de cœlo evangelizaverit vobis, præterquam evangelizavimus vobis, anathema ſit. *Quin & repetito illo ſui anathematis fulmine, eadem continenter ingeminat;* Sicut (*inquit*) prædiximus, & nunc iterum dico; Siquis vobis evangelizaverit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit. *Quæ ſanctiſſimus Apoſtolus non ſic graviter & minaciter, ac vt ſic dicam, terribiliter denuntiaret, ac inculcaret, niſi eam doctrinæ ſuæ, quam tanta ſollicitudine ſancit, perfectionem ab omnibus pro re certiſſima, ac comperiiſſima haberi magni, imo maximi ad Eccleſiæ ſalutem intereſſet. Nimirum vir ſapientiſſimus, quod jam tum mente divinitus illuſtrata proſpiceret olim futuros, qui ſuis (id eſt humanis) inventis adjectis Dominicam illam ab Apoſtolis traditam diſciplinam interpolarent, nobis, ſi qui in illa tempora incideremus cautum, conſultumque eſſe voluit, mature monens, ſi fidem puram & ſalutem, quæ ex ea pendet tenere vellemus in vna tum à ſe tum à collegis tradita doctrina eſſe conquieſcendum, & rejicienda humana omnia additamenta, quorumcumque eſſent auctorum. Hæc vna eſt certiſſima Chriſtianiſmi regula, vt omnia, quæ credenda in religione proponuntur ad Apoſtolorum doctrinam expendamus; Quæ ſunt ab iis tradita, incunctanter admittamus, ſecuraque & intrepida fide amplectamur; quæ ab illa aliena, repudiemus ac refutemus. Quid autem tradiderint Apoſtoli, non aliunde facilius aut certius diſcere poſſumus, quam ex libris novi fœderis canonicis, quos & à Spiritu Sancto dictatos, & ab ipſis vel Apoſtolis, vel certe fidiſſimis eorum diſcipulis ſcriptos conſtat. Fateor viros ſanctiſſimos Evangelicam veritatem viva quoque voce promulgaſſe, & quæ ſic tradebant ea fidem ab auditoribus æque meruiſſe, ac ea quæ litteris mandarunt. Sed quorum litteras habemus, eorum vt patet, voce caremus. Neque putandum ſit, quod eos nūc loquentes audire non licet, id cuiquam fraudi futurū. Adverſarii quidem negant eos quæcumq; tradebant, ſcripſiſſe, vnde orta eſt illa vulgaris τῶν ἐγγράφων & ἀγράφων diſtinctio. Sed*

Gal. 1. 8, 9.

hoc commentum nulla ſolida vel ratione, vel auctoritate nititur, & ab iis primò profectum videtur, qui cum cernerent, qua vel à ſe excogitata, vel à majoribus inventa erant, nulla in Scripturis extare, ea ne Apoſtolorum auctoritate carerent, non litteris, ſed viva tantum voce ab illis olim tradita finxerunt; Iudaorum æmulati verſutiam, qui & ipſi quas à majoribus acceperant fabulas, cum nuſpiam in Prophetarum libris legi animadverterent, eas auſi ſunt affirmare à Moſe ſolis ſenioribus clam plebe in aurem voce viva commendatas, indeque perpetua traditionis ſucceſſione ad ſe perlatas. Recutitorum exemplum ex Chriſti nomen profitentibus primi ſecuti ſunt hæretici, qui quod anilem nugiſque & deliramentis prodigioſis ſcatentem Theologiam, ſive Theogoniam illam ſuam nullam in divino Apoſtolorum codice vſpiam occurrere
Iren. L. 3 c. 2. initio. *viderent, eam (vt auctor eſt Irenaus)* non per litteras, ſed per vivam vocem traditam *mentiebantur. Sed neque ipſos poſtremo Catholicos hac vti fraude piguit, & ſigna ſanctiſſima Chriſti diſciplina perperam vel ex nimia quadam majorum ſimplicitate aſſuta, vel ex prava Paganorum, aut Iudaorum æmulatione arrepta adhaſerant, ea quoque eodem pigmento fucare; cauſſantes iſta apud paucos ab Apoſtolis depoſita, ne vileſcerent ſi promiſcue cum omni plebe communicarentur. Inanem diſtinctiunculam ex vno hominum vſu & ſtudio exortam atque excogitatam Latini avide arripuerunt, ſuis ſane diſputationibus commodiſſimam. Quibus enim aliquem de Scripturis colorem quæri poſſe deſperant, ea homines ſuarum opinionum ſupra cæteros mortales ſtudioſi clamare non dubitant Apoſtolos viva voce tradidiſſe auditoribus, litteris nequaquam mandare auſos, ne Chriſtianæ ſapientia myſteria in vulgus ſcilicet manarent. Atqui Chriſtum*
Matth. 10. 27. *noluiſſe conſtat, vt vlla ſui Evangelii pars occultaretur;* Quod dico (*inquit*) vobis in tenebris dicite in lumine; & quod in aure auditis prædicate ſuper tecta. *Vnde apparet quam vana ſit ea ratio, qua fingunt deterritos fuiſſe Apoſtolos ne omnia litteris mandarent. Sed & Apoſtolos huic ſui Domini voluntati obſecutos eſſe, præter eximiam ipſorum pietatem, res ipſa ſatis probat. Nullam enim ſe auditores celaſſe conſilii divini partem, neque eorum cuiquam vllum Evangelii myſterium occultaſſe, ipſi*
Act. 20. 27. Col. 1. 28. *teſtantur, dum affirmant* ſe docere omnem hominem in omni

omni ſapientia. *Quæ vero viva voce omnes docebant, nulla invidia erat eadem litteris mandari. Neque ſane intelligi poteſt cur tam multa ſcriberent, ſi ſacram diſciplinam ex ſuis libris, atque epiſtolis, non totam, ſed aliquam duntaxat ejus partem peti voluiſſent. Huc accedit, quod Paulus, quam ſuæ prædicationi perfectionem, atque plenitudinem tribuit, eam ipſam ſacris quoque litteris vindicat in illuſtri illo loco, vbi cum Scripturam ad corripiendum, ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in juſtitia divinitus inſpiratam, comparatamque eſſe dixiſſet, continuo quid hic ejus tam multiplex vſus in nobis efficiat, his verbis docet*, vt *(inquit)* perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus. 2.Tim.3.16. *Quem* Dei hominem, *id eſt ex noto Ebraiſmo* famulum, *ſive* miniſtrum Dei *dicit, eum Evangelii præconem, Eccleſiæ præpoſitum, ac vno verbo Epiſcopum intelligi clarum eſt. Iam quæ Epiſcopum, fidelium doctorem*, perficit, *&* ad omne opus bonum inſtruit *Scriptura, quis ei vllam myſteriorum partem, quæ quidem ſunt ad ſalutem credenda, deeſſe dixerit? Sed hanc diſputationem nunc quidem mittamus. Nam etiamſi, quod adverſarii fingunt, Scripturis non omnia continerentur creditu neceſſaria, non tamen eo fieret, vt ab Apoſtolis vera voce tradita fuiſſe cenſeantur quæcumque nunc ipſi præter Scripturas docent. Vnde enim id conſtare poteſt? An ex antiquiſſimorum Patrum libris, qui Apoſtolis proximi ſucceſſerunt? At in iſtorum monumentis nihil fere eorum extat, de quibus noſtra eſt cum Latinis contentio, & ſi quid in iis extet, quis id pro certo affirmaverit ab Apoſtolis fuiſſe traditum? non humano ingenio præter Apoſtolicam regulam inductum? Talia enim quædam etiam in vetuſtiſſimis inveniri ipſa Latinorum praxis oſtendit, qui nonnulla eorum, quæ apud illos extant, abrogarunt; non facturi, vt opinor, ſi Apoſtolica eſſe putaſſent. Ita Latinos in obſcuris & incertis æternum hærere neceſſe eſt, quia quid ſit vere Apoſtolicum non aliunde, quam ex Apoſtolorum ſcriptis certo ſcire licet. Noſtra longe diverſa eſt ratio, qui nihil niſi quod in Scripturis docetur, creditu neceſſarium eſſe cenſemus. Neque enim quiſquam dubitat, quin vere ſint Apoſtolica quæcumque in Scripturis habentur. Si quis vero objecerit, vt Apoſtolica ſint quæ credimus, eo tamen laborare fidem noſtram, quod*

eorum, quæ fortaſſe ſunt Apoſtolica, nonnulla repudiemus; Reſpondebo primo ſatis eſſe, quod hæc quæ repudiamus, non conſtet eſſe Apoſtolica. Quæ enim incerta ſunt ea præſtat dimittere, quam temere admittere; quod nulla ſit ſcilicet niſi de certis, ac divinitus definitis vera & genuina fides. Sed & hoc ipſum nego, quod objiciunt, iſta ſcilicet quæ nos repudiamus eſſe fortaſſe Apoſtolica. Nam tametſi iſta eſſe vere Apoſtolica nulla plane (quod dixi) ratione demonſtrari poſſit, eo non fit, ut neque conſtare poſſit non eſſe eadem Apoſtolica. Multo enim facilius eſt de re aliqua explorare quid ea non ſit, quam quid ſit definire. Ipſa primo Scriptura multa nobis præbet ad hanc rem argumenta. Quicquid enim finxeris, negare poſtremo non potes, quin ea ſit, ut primum, & antiquiſſimum, ita nobiliſſimum ac veraciſſimum Chriſtianiſmi inſtrumentum, quo ſi non omnia (quod tu hariolaris) credenda, certe multo maxima ac potiſſima eorum pars clare ac perſpicue tradita continetur. Ex his, quæ ſunt indubitate Apoſtolica, intelligi poteſt quid non ſit Apoſtolicum, ſi, quod pro Apoſtolico obtruditur, id cum iſtis Apoſtolicis pugnet, aut non ſatis cohæreat. Tum in iſta novi Teſtamenti Scriptura multa, imo pleraque hiſtorice narrantur; multa præterea parænetica leguntur, quibus vel extranei ad fidem, vel fideles ad pietatis & caritatis, cæterarumque virtutum officia invitantur ac provocantur, & alia ejuſdem generis. Atqui vix fieri poteſt, ut in tam multiplici rerum copia non aliquid occurrat, quo judicium de propoſito dogmate fieri poſſit. Eadem fere dici poſſunt de Patrum, quos vocant, libris; quorum ſane auctoritas non ſatis ad hoc valet, ut aliquid certo Apoſtolicum eſſe ex eorum ſolo ſine Scripturæ teſtimonio demonſtretur; valet, ut id non eſſe Apoſtolicum probetur, quod ipſi vel ignoraſſe, vel etiam rejeciſſe ac refutaſſe deprehenduntur. Sed hic duæ occurrunt quæſtiones; Prior, de ipſis Patribus, quorum hic teſtimonio utendum; Altera de argumentis, quæ ex Patribus in his diſputationibus ducuntur. Prior facile ſolvitur. Cum enim quæritur, utrum hoc aut illud dogma ab Apoſtolis traditum ſit: quis non intelligit eos potiſſimum ac præ cæteris omnibus eſſe audiendos, quibus Apoſtolorum doctrinam, ac traditionem notiorem, quam aliis fuiſſe par eſt? nullis vero Patribus notiorē fuiſſe, quam iis, qui vel Apoſtolos ipſos, vel Apoſtolorū certe diſci-

diſcipulos viderunt atq; audiverunt? atq; ita quemq; quo Apoſtolorum ævo propior fuit, eo certius de illorum rebus teſtari poſſe; quo vero longius ab Apoſtolorum ſæculo abfuit, ejus tanto minoris eſſe apud nos debere de rebus Apoſtolicis judicium? Itaque eorum mihi ſententia mirifica, ac doli mali propemodum ſuſpecta viſa eſt, qui miſſis tribus prioribus Chriſtianiſmi ſæculis, teſtes ex quarto, quintoque ſæculo maxime, ac potiſſimum audiri volunt; quod iis temporibus habita ſint illa quatuor apud omnes Chriſtianos celeberrima ex toto orbe Concilia. Perinde enim faciunt ac ſiquis res Romanorum antiquiſſimas, non ab ejuſdem, aut certe proximi ævi ſcriptoribus, ſed ab iis diſcere mallet, qui florente ac longe lateque dominante ſub Cæſaribus Vrbe multis poſt ſæculis vixerunt; vel ſiquis de Antonii & Benedicti vita ac inſtitutis potius conſulendos putaret Monachos noſtræ aut avorum memoriæ, quam Athanaſium, aut Gregorium Romanum, quorum ille Antonium, hic Benedictum familiariter norant, vel alios horum temporibus proximos, vel ſi quis denique de civis alicujus Pariſienſis fide ac moribus Burdegalenſes quidem, aut Pictavos, qui hominem nunquam vidiſſent, ſed ex publica fama de eo aliqua tantum audiviſſent, accuratiſſime interroget; Pariſienſes vero, apud quos vixit, & ſuburbanorum oppidorum homines, qui certiora ac veriora de viro in vicinitate ſua poſito & ſcire, & referre poſſent; miſſos faceret; quæ ratio, quam abſurda ſit ac præpoſtera, quamque ab iis aliena, qui vera ex animo quærunt ac venantur, nemo eſt ut opinor, qui non facile intelligat. Longe alia mens Cypriano fuit viro eruditiſſimo, & Martyri Chriſti ſanctiſſimo, qui in his cauſſis ad divinæ traditionis caput & originem revertendum, *& ad ipſum canalis, per quem aqua ad nos profluebat,* fontem pergendum eſſe *docet, Sed (inquit, iis temporibus, quæ nos adiri volumus, Eccleſia erat florentiſſima. Fateor, ſi humana ſpecies, pacem, poteſtatē, copias, ædium magnificentiā infularū decus, & cætera hujus generis. Sed nos de iſtis nunc non quærimus. De Apoſtolorum fide quærimus, quam in iſtis rerum pompis certius, quam in vetuſtiorum fidelium paupertate ac cruce inveniri adeo non eſt verum, ut ne probabile quidem. ſit. At illi (inquit) primorum temporum teſtes pauci ſunt præ ſequentium pæne innumerabili copia. Quaſi ad uerum conſtituen-*

Cypr. ep. 74. quæ eſt ad Pomp. pæne extr.

 dum

dum duorum aut trium, modo idoneorum hominum vox, etiam ex ipſa Dei lege, non ſit ſatis! Atqui ex veteris Poëtæ verbo, pluris eſt oculatus teſtis vnus, quam auriti decem. Oculati *ſunt noſtri illi primorum ſæculorum* teſtes; *Vel ipſos Apoſtolos, vel certe Eccleſiam ab eorum inſtitutione, & exemplis, & martyriis recentem ſpectarunt; Tui vero poſteriorum temporum* auriti *duntaxat* teſtes *ſunt, qui præſtantiſſima illa Chriſtianiſmi primordia, non viderunt ipſi, ſed ex aliorum ſermonibus cognoverunt, vel quod plærumque fit, ea ſibi ex ſuorum ipſi temporum forma effinxerunt. (Hoc enim omnibus pæne hominibus innatum eſt, vt res aliorum vel locorum, vel temporum ex ſuis vt plurimum metiantur.) Ergo mei, tametſi pauciores teſtes, tuis licet pluribus, potiores. Vtcumque ſit, quo pauciores ſunt ex primo illo ævo teſtes, eo facilius ac maturius conficietur negotium. Nam ſi ex eorum teſtimoniis certo conſtitui poteſt id, de quo quæritur, non eſſe Apoſtolicũ, nihil erit, quod amplius de poſteriorũ ſæculorũ ſententia ſolliciti ſimus: quod nulla ſit, nulla fuerit in terris auctoritas tanta, quæ efficere vel potuerit, vel poſſit, vt quæ ſemel conſtat non eſſe Apoſtolicâ, ea in Eccleſiaſtica fidei capita referantur. At ſi, quod iſti volunt, quarti, quintique, & aliorum ſequiorum ſæculorum teſtes primo interrogaveris, quicquid illi reſponderint, lis integra & indeciſa ſupererit; quod ex iſtorum ſcilicet ſententiis nondum ſatis liqueat, an vetuſtiorum & Apoſtolis propiorum temporum plane eademfides fuerit, quam poſterorum fuiſſe tibi viſus es deprehendiſſe. Itaque vt priorem quæſtionem concludam nulli ſunt ex omni Patrum numero, quorum libri poſt ſacroſanctum novi fœderis codicem, potius aut appoſitius, aut vtilius in hac omni de religione controverſia conſuli atque excuti debeant, quam qui ex prima vetuſtiſſimæ ante quartum ſæculum Eccleſiæ memoria veri ſincerique ſuperſunt.*

Ad id vero, quod ſecundo quærebatur, quo argumentorum genere ſit in hac cauſa vtendum ad inveſtigandum an ſint vere Apoſtolica quæcumque à Latinis eo nomine venditantur; Reſpondeo hinc in primis ſummovendum abſurdiſſimum eorum poſtulatum, qui pura diſertaque veterum illorum Patrum de hodiernis controverſiis teſtimonia flagitant, neque ſe alia admiſſuros clamitant, quam quæ totidem verbis negent fuiſſe vnquam ab Apoſtolis

ſtolis traditum hoc aut illud dogma, puta de Papæ ſuprematu, de Divis (vt loquuntur) invocandis, de ſacris (vt appellant) imaginibus venerandis, & cætera ejuſdem ordinis. Quid enim iniquius quæri à nobis, ac poſtulari poteſt, quam vt Patres afferamus ea fuiſſe Apoſtolica diſerte negantes, quæ nos & ipſis & cæteris ejuſdem ævi Chriſtianis ignota & inaudita fuiſſe contendimus? De iis, quæ ſingulis temporibus recepta erant in communem ac publicam Eccleſiæ Chriſtianæ fidem, diſertum ab iis, qui in ea vixerunt teſtimonium poſci fas eſt, quibus iſta ſcilicet quæ in omnium fidelium ore erant, ignota eſſe non potuerunt. Ab iiſdem inſuper exigere, vt quæ diu poſtea eſſent exoritura, adeoque ipſis ignota, ea diſerte profiteantur à Chriſtiana ævi ſui fide abfuiſſe; id vero nihil aliud eſt, quam & nobis & venerandis illis Patribus, & toti hominum generi proterve illudere. Dum enim ſic agis, eo ſtatuis Patres, à quibus hujuſmodi teſtimonia exigis, Prophetas omnes fuiſſe, neque ea tantum, quæ ſuo ſæculo fiebant ac credebantur, ſed ea etiam quæ diu poſtea futura erant, cognita omnia habuiſſe, eaque poſtremo litteris mandare debuiſſe, quo quid dici poteſt inſanius? Illi vero Patres ſi nunc in vitam poſtliminio reverſi talia à ſe flagitari audirent, mirarentur profecto ipſam rerum novitatem, negarent ſibi in mentem vnquam veniſſe, vt ſuſpicarentur hæc ſuo ævo inaudita locum olim apud Chriſtianos habitura; Futurum verbi gratia aliquem, qui ſe infallibilem, & extra omnem erroris aleam poſitum, ſummum adeo controverſiarum judicem; quin & orbis totius Monarcham dicat, Regum & Imperatorum Dominum, Tempus venturum, quo B. Virginis hyperdulia, Angelorum & Martyrum dulia, & invocatio religioſa, crucium & ſtatuarum & imaginum conſecratio, cultuſque inter neceſſaria Chriſtianæ fidei capita referantur. Negarent ſe de his, cæteriſque ejuſdem commatis vel per ſomnium vnquam cogitaſſe, nedum vt ſui officii fuiſſe putaverint poſteros diſerte monere hæc & à ſua fide, & ab Apoſtolorum nota ſibi traditione abfuiſſe. Quererentur à ſe, qui Prophetiæ dono caruiſſent, non juſtius, neque verecundius talia flagitari, quam olim ab Iſraëlis Rege petiviſſe legimus nequiſſimũ Syriæ Regem; vt Naaman ſervũ ſuũ à lepra curaret. Hæc illi antiquiſſimi Chriſtianiſmi ſcriptores adverſariis merito reponerent diſerta à ſe de novis Lati- 2 Reg. (Lat. 4) 5. 6.

tino-

tinorum placitis teſtimonia flagitantibus. Quanquam neque eorum de nonnullis deſunt hujus notæ documenta, de iis ſcilicet quorum vel apud Paganos, vel apud hæreticos aliquid ſimile, tametſi in alio genere, viſeretur. Vnde Patres arrepta occaſione diſerte interdum negant quicquam hujuſmodi vel ab Apoſtolis
Iren l. 3 c. 57. extr. Minu. in Octav. *inſtitutum, vel apud ſuos receptum eſſe. Quale eſt verbi gratia, quod Irenæus & Minutius negant, ille quidem in vſu Eccleſiæ eſſe* Angelorum invocationes, *hic vero cruces à Chriſtianis adorari, vel aras & ſimulacra apud eos haberi; quo vix quicquam dici diſertius potuit contra novitios Latinorum cultus. Sed hæc vt ita dicerent cauſam vterque aliunde habuit; ille quidem ab hæreticis, qui Angelos invocabant, hic vero à Paganis, quos noſtris objectare videbat, tum quod cruces adorarent, tum quod aris, templiſque & ſimulacris carerent. De cæteris, vbi nulla erat hujuſmodi occaſio, nihil mirandum eſt, quod taceant; qui quæ quidem ævi ſui Eccleſia jam tum docebat, aut factitabat, ſedulo excolunt, diſerteque memorant; quæ labentibus olim temporibus in Chriſtianorum vel fidem, vel mores irruptura quandoque erant, ea vel plane penituſque ignorabant, vel ſiquid ſimile ipſi animo ſibi fingerent: id omne vt alienum à tradita fide reſpuebant ac contemnebant. Qui ergo ex his antiquiſſimis ſcriptoribus ea ſibi teſtimonia proferri petunt, quibus diſerte negetur quæ ſunt hujus generis ea ab Apoſtolis manaſſe, illi profecto perinde mihi facere videntur, ac ſiquis, quod eſt magno litteratorum conſenſu conſtitutum, nondum fuiſſe apud veteres Græcos, ac Romanos noſtrarum (vt nunc loquimur)* ſtaffarum *ad equitandum vſum, neque ad horas indicandas automatôn æneorum, neque ocularium (quæ* ſpecilla *vocamus) ad vim oculorum ſublevandam ac fovendam, ſi quis inquam, id ſe præfracte negaret conceſſurum, niſi prius ex antiquis Græcis, Latinis-ve ſcriptoribus vnus ſibi aliquis repræſentetur, qui totidem verbis teſtetur* nullis per ea tempora in equitando ſtaffis, nullis in communi vita vel ſpecillis, vel automatis horariis, vſos vel vtriuſque illius gentis, vel etiam cæterarum mortales. *Hunc ego hominem, ſi quis eſſet vſque adeo delirus, qui hæc diceret, non dubito, quin omnes cachinno excepturi ſint. Atqui hujus, ſi verum amamus, plane gemina eſt eorum durities, qui veterum à nobis paria de iis teſtimonia*

monia flagitant, quæ nos in religione adulto demum, aut etiam præcipiti Chriſtianiſmi primo ævo novata & inventa, & in fidem præter Apoſtolorum diſciplinam inducta eſſe contendimus. Hinc ergo ſemota ſimplicis & (vt loquuntur) inartificialis *ex diſerto teſtimonio documenti flagitatione; ſupereſt, vt alia, ſi qua ſit, via inveſtigemus, num ex vetuſtiſſimis Chriſtianorum monumentis demonſtrari poſſit non eſſe Apoſtolica, quæ adverſarii hoc nomine jactare ſolent. Eam autem viam vt inire poſſimus, hoc imprimis conſtituendum eſt, de quo nemo vt opinor, cordatus dubitabit, primam illam Eccleſiam, quæ à Chriſti natali ad a.* 300. *floruit, Apoſtolorum fidem, mores, ac diſciplinam ſic calluiſſe, ac obſervaſſe, vt ſit incredibile vllam poſtea fuiſſe, quæ iſta vel certius ſciverit, vel tenuerit religioſius. Vnde conficitur, ſiquid eorum, quæ non leguntur in Scripturis, apud illam Eccleſiam ignotum & invſitatum fuiſſe probetur, eadem opera probatum iri id non fuiſſe ab Apoſtolis traditum. Nemo enim ſibi perſuaſerit Chriſtianos, quales illa tempora tulerunt, cujus Chriſti amore ac ſtudio dura ac ærumnoſa omnia quotidie perpeti, & mortem poſtremo acerbiſſimam oppetere non dubitarent, ejus tamen ſanctiſſimam ab Apoſtolis acceptam diſciplinam tantillo annorum ſpacio repente oblivioni tradidiſſe, & ab obſervando aliquo ex capitalibus ejus præceptis defeciſſe. Profecto non ita eſt, ſed quod perpetua apud noſtros de illorum virorum pietate fama, quod eorum magna & ſtupenda per tot annos in tantis certaminibus fortitudo, atque conſtantia, quod ipſa denique rerum natura perſuadet, id arcte tenendum eſt, ſi qua ſcilicet in parte Eccleſiæ manſit Apoſtolica fides, in hac certe, quæ Chriſto & Apoſtolis omnium proxima fuit, manſiſſe. Iam hoc ſemel conſtituto, manifeſtum eſt, ſi quid eſt, quod ab illius primi, ac (vt ſic dicam) originalis Chriſtianiſmi fide, vel vſu abfuiſſe demonſtretur, id ipſum quoque ex Apoſtolicæ diſciplinæ cenſu expungendum eſſe. Ergo vt certo teneamus, an Apoſtolica vere ſint quæcumque hoc nomine ac elogio nobis invitis ac repugnantibus à Latinis donantur; inſpiciendi ſunt primo divina, tum etiam Eccleſiaſtica ad tertii ſæculi finem, quæ ſuperſunt monumenta, & cum iſtis Latinorum dogmatis accuratiſſime, quo ad fieri poterit comparanda. Ita multis, perſpicuiſque indiciis intelligere licebit iſtas recentiorum traditiones fuiſſe pri-*

ma illi Eccleſiæ ignotas. Qualiter homines eruditi ex diligenti veterum monumentorum Græcorum, Latinorumque inſpectione compererunt noſtras ſtaffas, noſtraque ocularia & horaria automata ignota illis olim gentibus fuiſſe. Primo enim obſervabant plane nullam cujusquam iſtorum factam eſſe vel ſemel à primis ſcriptoribus mentionem. Varias apud eos equitum & pugnarum equeſtrium deſcriptiones, aliaque, auctorum loca cætera fere ad rem equeſtrem pertinentia, ephippia, frænos, calcaria commemorare, de ſtaffis *conſtanter tacere; ſtatuas equeſtres veteris memoriæ, quæ Romæ ſuperſunt, his inſtrumentis omnes carere; non rem, non nomen uſpiam occurrere. Inde acute & vere confecerunt has noſtras ſtaffas nullas veteribus fuiſſe. Specillis noſtris caruiſſe ex eo quoque argumentati ſunt, quod ea nemo veterum dixerit, aut innuerit, ne Medici quidem ac Optici, cum oculorum vim, valetudines, ac præſidia enarrant. De horariis noſtris automatis, quod negant ea habuiſſe veteres ſimili arte deprehenderunt. Sic etiam Arnobius thus rem fuiſſe apud Græcos, Latinoſque novellam, nec dum heroum ſæculo notam ex veterum auctorum de eo ſilentio, jam olim concluſerat, negans illis adhuc temporibus,* quidnam thus eſſet ſcitum fuiſſe, ſcriptoribus (*inquit*) ut comprobatur à priſcis, quorum in libris poſita nūlla ejus mentio reperitur. *His exemplis eorum cavillatio refellitur, qui valere negant ulla argumenta negative ab auctoritate ducta, cum quid ex eo concluditur vel factum, vel notum non fuiſſe, quod ejus nulli idonei ſcriptores meminerint, quo tempore id factum, vel notum fuiſſe dicitur. Equidem concedo id argumentationis genus nō eſſe promiſcue de re qualibet, vel ex quibuslibet vel ſcriptoribus, vel ſcriptorum locis uſurpandū. Sed ſi auctor prudens, ſi diligens fuerit, ſi iis temporibus, locíſque vixerit, quibus rem, de qua quæritur, neſcire ſi vera ſit, non potuerit, ſi res hujuſmodi eſt, quam dici nihil prohibuerit, ſi is locus, quo eam dici, ſi ſciretur, decebat, ſi nulli denique ſint ejuſdem temporis fidei, atque meriti ſcriptores, qui repugnent, profecto quod is ſcriptor eam rem tali loco non memoraverit, omnino videtur ex hoc ejus ſilentio valide legitimeque concludi rem illam hominibus, qui illis temporibus, locíſque vivebant ignotam fuiſſe, eoque validior erit ratiocinatio, ſi non unus, ſed plures huic ſimiles ſcriptores paribus*

Vid. Polydor. Virgil. l. 3. c. 13. de rer. invent. & Hier. Mercurial. l. 6. c. 19. Variar. Lect. Arnob. l. 7. p. 291.

ribus

ribus in cauſſis de re tacuerint. Quæ omnia cum in allatis eruditorum & Arnobii exemplis concurrant, patet argumentum quo uſi ſunt, eſſe legitimum; neque ullam eſſe non dico neceſſariam, ſed vel probabilem rationem, cur quis de ejus, quod concluſerunt, veritate dubitet. Iam ex prima illa Chriſtianiſmi ad a. D. 300. memoria multi ſuperſunt ſcriptores graves, diligentes, eruditi, omnique ex parte idonei, quidam etiam divini, cæteri Eccleſiaſtici, rerum de quibus quærimus, hoc eſt rerum ad religionem Chriſtianam pertinentium, longe omnium, qui iiſdem temporibus vivebant, peritiſſimi. Siquis ergo in eorum operibus locus occurrat, in quo nihil illi de aliquo eorum capite, de quibus nunc controverſia eſt, dixerint, quo tamen loco id, ſi notum fuiſſet, dici atque memorari rei ingenium, lectoris uſus, auctoris fides poſtulabat, ſi denique id cæteri ejuſdem ævi atque ordinis ſcriptores, præſertim in paribus locis, omnes taceant, neque quiſquam ex eo cenſu reperiatur, qui repugnet, vel obloquatur; profecto id de quo ſic omnes ſilent, nemo mihi, nemo ut reor, cordato cuiquam perſuaſerit fuiſſe in publica apud illius temporis Eccleſiam fide, vel praxi. Diximus ex ſtatuarum equeſtrium inſpectione, quod eæ nullas ſtaffas repræſentent, inde viros acutos & ſolertes intellexiſſe nullum mortalibus illius ævi, quo factæ ſunt, ſtaffarum in equitando uſum fuiſſe. Merito. Non enim erat peritorum & præſtantium ſculptorum, quales illarum ſtatuarum artifices omnes fuiſſe opus ipſum ſatis demonſtrat, quicquam in illis prætermittere, quod ad equitis in equo ſedentis habitum illo ſæculo ſolennem & uſitatum pertineret. Iam verò in illis, de quibus dixi, vetuſtiſſimis Chriſtianiſmi monumentis divinis, atque Eccleſiaſticis, non una, aut altera, ſed plures extant, ac pœne innumerabiles hominum Chriſtianorum tum clericorum, tum laïcorum icones, quibus vera illius Chriſtianiſmi, qui tum erat, effigies, non muto marmore, ſed lucida & copioſa oratione, ita ad vivum, ita accurate, ac particulatim expreſſa eſt, ut quod quidem alicujus momenti ſit, ad pietatem, ad cultum, & eam ſanctimoniam, qua religio continetur, nihil plane prætermiſſum eſſe videatur. Specta; Proſtant. Excute ſingula, ac rimare. Fateberis operis eſſe eximii, neque vulgaris artificis; in quo non

artem, non fidem, aut diligentiam, aut ſtudium quiſquam deſideraverit. Quæ ſunt hujuſmodi, dubitare non potes, quin illius ævi, quo effecta ſunt, Chriſtianiſmum totum exhibeant, atque repræſentent. Si quid ergo hodierni vel dogmatis, vel cultus, non in vna, aut altera, ſed in omnibus æque deeſſe obſervaveris, id profecto illius ſæculi Chriſtianis ignotum fuiſſe, atque invſitatum, hinc tu, niſi plane ſis obtuſus, tam facile, tamque certo intelliges, quam facile noſtri illi eruditi ſtatuis Romanis crediderunt nullas fuiſſe priſcis equitibus ſtaffas. Sed ne quis tamen meæ velut vnius hominis privatæ ac ſingulari de hoc argumentandi genere ſententiæ diffidat, ejus auctores & aſſertores, & plures, & idonei dandi ſunt. Ac ex noſtris quidem inſtar omnium erit vir celeberrimus, Theologus Anglus, longe doctiſſimus, Ioannes Raynoldus, * qui hujus generis argumenta ab auctoritate negative ducta, & vſurpat ipſe non ſemel, & legitime vſurpari defendit; Ita (inquit) ratiocinantur interdum optimi auctores, & incidere poſſunt circumſtantiæ, in quibus ea ratio firma ſit, vt non ignotum eſt Dialecticis. Veteres quidem paſſim ita argumentantur. Irenæi in eximio adverſus omnes ſuæ memoriæ hæreſes opere [a] palmaria hæc eſt demonſtratio, quod figmentorum, quæ maleferiati nebulones profundebant, nullum neque in Scripturarum litteris, neque in Eccleſiarum prædicatione, ſive traditione vllum occurreret veſtigium. Catholicorum ejuſdem ſæculi, id eſt ſecundi jam in tertium euntis, hanc fuiſſe præſcriptionem adverſus omnes ſuos æmulos ex Tertulliano diſcimus conſtituta eſſe ſolennia huic fidei (id eſt Chriſtianæ diſciplinæ) Scripturis vel traditione majorum, nihilque obſervationis amplius adiiciendum ob illicitum innovationis [b]. Vt ſi quid illius Eccleſiæ fidei adjectum fuiſſe probetur; id reſecare fas, imo neceſſe ſit propter illicitum innovationis. Vnde ſequitur, quæ non inveniuntur in primi illius Chriſtianiſmi veris monumentis, ea pro non Apoſtolicis, adeoque pro illicitis eſſe habenda. Clara eſt ex veterum illorum hypotheſi conſecutionis neceſſitas. Iam ſi bene reputes, eodem quoque recidit ipſius Tertulliani [c] omnis illa præſcriptio, qua hæreticos ab ipſo collationis congreſſu arcet, quod eorum quæ docebant, nihil in Scri-

* I. Rayn. de Libr. Apocr. Prælect. 69. p. 763. A. Præl. 100. p. 1230. B.

[a] Iren. l. contr. hær. paſſim. Vid. l. 1. c. 1. p. 3. A. L. 3 c. 2.

[b] Tert. contr. Pſych. c. 13. init.

[c] Id. de Præſcript. c. 32. 34. contr. Hermog. c. 1.

in Scripturis legeretur, nihil in Eccleſiis Apoſtolicis audiretur, omnia inaudita fuiſſe apud Chriſtianos, antequam iſti poſt jam conſtitutum ab Apoſtolis Evangelium erupiſſent. Sed ille non modo hæc in genere & univerſim contra totum heterodoxiæ genus. Acerrimus ac peritiſſimus diſputator eadem ſæpe arte ſingulas cauſas, & ſingulos locos tractat. Ita Hermogenem mundum ex materia condentem repellit ex Moſis & Ioannis ſilentio, qui locis, ubi edi decebat opus, operatorem, & materiam, opus quidem & operatorem ediderunt, de materia tacuerunt, quam nulli profitentes nullam eo ipſo fuiſſe demonſtrant; profeſſuri, ſi qua fuiſſet.[d] *Alibi coronari inuſitatum apud Iſraëlem fuiſſe probat*[e], *quod ejus ſive honeſtas, ſive probroſas lætitias vel deſcribens, vel denotans Scriptura coronas, ſi quæ fuiſſent, illic dicendas, neutro loco memorat. Idem Apoſtolicis temporibus nondum fuiſſe, qui Chriſti Patrem à Creatore, & Legis Moſaïcæ auctore dividerent inde argumentatur*[f], *quod nulli hujus dogmatis Sectatores neque à Paulo, neque à Ioanne eſſent in epiſtolis, iis locis denotati, in quibus de ſui temporis hæreticis verba faciunt. Arianorum dogmata Athanaſius non ſemel eo confutat, quod ſacra Scriptura nuſquam de Domino ea loquatur*[g], *quæ iſti docebant. Idem eos, qui creaturis Spiritum Sanctum accenſebant inexcuſabilis temeritatis ideo reos peragit*[h], *quod Spiritum Scriptura nunquam Angelum eſſe dixerit; quo in eoſdem argumento poſtea uſos comperimus auctorem de recta confeſſione fidei apud Iuſtinum*[i], *& Baſilium*[k], *& Epiphanium*[l], *& Chryſoſtomum*[m], *& ex recentioribus Bellarminum*[n]. *Sed & Collyridianam hæreſim Epiphanius B. Virgini Mariæ adorationis cultum deferentem, eodem quoque Scripturæ ſilentio eliſit*[o], Quæ (*inquit*) Scriptura hoc enarravit? Quis Prophetarum unquam vel hominem adorari, nedum mulierem, permiſit? *Iam ad libros dijudicandos hac quoque norma uſos Patres videmus, ut Hieronymum*[p], *qui Pauli & Theclæ* περιόδους *ad Apocrypha amandat, quod eorum, quæ liber ille continebat, Lucas nihil in Actis attigerit. Quam ad rem ex majorum quoque de libris ſilentio argumentantur, ut Euſebius, qui Clementinam alteram ad Corinthios epiſtolã, & verboſos Petri & Appionis dialogos, Clementi*

[d] Id. contr. Herm. c. 20. 22.
[e] Id. de Coron. c. 9. extr.
[f] Id. contr. Marc. l. 1. c. 21. & l. 3. c. 8.
[g] Athan. Orat. 2. contra Ar.
[h] Id. epiſtola ad Serap. cõtr. dic. Sp. S. creat.
[i] Iuſt. de rect. confeſſ. fid.
[k] Baſil. de Sp. S. c. 18.
[l] Epiph. in Anchor. ſub init.
[m] Chryſ. T. 5. hom. in illud *Tunc & ipſe Fil.*
[n] Bell. l. 1. de Chriſt. §. 19.
[o] Epiph. Hær. 79. p. 1062. A.
[p] Hier. de Script. Eccl. in Luca.

menti cujus nomen præferebant, ideo abjudicat[q], *quod eorum à veteribus nullam factam eſſe mentionem reperiebat. Ita Hypatius, Epheſi Epiſcopus*[r], *Areopagitica pro vere Dionyſianis objecta repudiat,* [s] *quod eorum nullam à veteribus fieri mentionem videbat. Sed quid veteres conſector? Ipſos quibuſcum nobis negotium eſt Latinos ad eundem quoque modum philoſophari cernimus, vt Bellarminum, dum verſionem Novi Teſtamenti Syriacam diu poſt Marci Evangeliſtæ tempora editam fuiſſe hinc probat* [t]; *quod ejus nulli meminerint Clemens Alexandrinus, Athanaſius, Cyrillus, & alii veteres. Ita quoque Baronius Clementinas Conſtitutiones alicubi convellit* [u], *quod quædam in iis ſcripta latuerint antiquos Patres. Neq; aliter vulgatas de Cyriaco Papa vt ferebant Romano*[x], *de Ioanna Papiſſa* [*], *de ſeptem dormientibus* [y], *deque ipſo Iacobi Zebedæidæ in Hiſpanias adventu & prædicatione* [z] *narrationes, & ipſe & cæteri ejus conſecranei refellere potiſſimum ſolent, quam ex veterum de rebus iſtis ſilentio. Sed hoc telo nemo illarum partium ſæpius, aut ſolertius, fortiuſque & fælicius vſus eſt, quam clariſſimus Sorbonæ Doctor Ioannes de Launoy, qui nobiles illas palmas, quas plaudentibus omnibus veriorum amantibus, de profligatis non paucis fabularum & hiſtoriarum κακοπλαστῶν monſtris retulit, huic potiſſimum argumentationi debet. Quanti ea ſit, quam non modo vtilis, ſed etiam neceſſaria ad tutandos ſanctiſſimæ Veritatis fines, & ad propulſandas τῶν φιλομύθων injurias, demonſtrat doctiſſimi illius viri hac de re Diſſertatio,*[*] *quam ante biennium, ſed ſecundis curis longe auctiorem iterum, adjecta quoque appendice, edidit. Illam adeat, ſiquis plura de hoc argumento deſiderat. Mihi ſatis eſt quæ mei erant inſtituti libaſſe. Ex his enim tametſi paucis, patet nihil nunc eſſe poſt fulgentiſſimam tot tantorumque noſtræ & veteris memoriæ exemplorum lucem, quod hanc argumentandi rationem, quoties ei dabitur locus, adhibere vereamur ad inveſtigandam primæ, longe ſanctiſſimæ Eccleſiæ fidem ac diſciplinam. Quod ſi & his & aliis legitimis argumentis (neque enim alia deſunt) demonſtratum ſemel fuerit, quæ nunc nobis à Latinis pro Apoſtolicis venditantur, nequaquam olim fuiſſe in trium primorum ſæculorum Eccleſia tradita; nemo dubitabit*

[q] Euſeb. hiſt. l. 3. c. 37. (Lat. 33.)
[r] Ioann. Maran. Collat. &c. apud Baron. a. D. 532. § 39.
[s] Bell. l. 2. de Verb. D. c. 4.
[t] Bar. a. D. 23. § 18.
[u] Id. a. D. 237. § 11.
[x] Id. a. D. 853. § 56. & Bell. l. 3. de Pont. R. c. 24.
[y] Bar. Martyr. R. d. 27. Iul.
[z] Id. a. D. 816. § 49.

[*] Ioann. de Launoy Diſſertatio de auctorit. negantis argum. primo edit. a. 1650. ſecundo a. 1662.

bitabit, quin ea ex Apoſtolicæ doctrinæ cenſu, adeoque ex noſtra fide ſint expungenda, quæ ſcilicet, vt ex ipſo Thoma audivimus, non aliorum, quam Apoſtolorum revelationi innititur. Vnde & abſolutiſsima de ſacra Scripturæ perfectione exſurget demonſtratio, cum quæ extra eam credenda docentur, oſtenſum ex primæ illius Eccleſiæ fide fuerit, ab Apoſtolis nequaquam eſſe tradita.

Ex his ergo legibus inveſtigare inſtituimus, an quæ hodie Latini tradunt de religioſi cultus objecto, ea olim apud antiquiſſimam ad a D. 300. *Eccleſiam recepta fuerint, id eſt, an primi illi Chriſtiani Euchariſtiam, Sanctos, Reliquias, imagines, ac cruces eo more modoque coluerint, quo nunc apud Latinos coluntur. Id autem argumentum præ cæteris ideo tractandum delegimus, quod religioſus cultus pars ſit pietatis non ſolum magna, ſed etiam potiſſima, ac præcipua, quæ non ad paucos, ſed ad omnes omnino Chriſtianos pertinet; neque in nuda omnino theoria & contemplatione, ſed in vſu & praxi quotidiana verſatur, quod denique hac parte ſemel cognita eluceſcet, quid de dogmatis, ſive credendorum capitibus ſtatuendum ſit, quæ ad hanc ſcilicet plæraque referuntur. Ex ipſa primum, quod decet Scriptura, explorare conabor; quid primi Apoſtolorum diſcipuli, qui ſuperſtitibus adhuc magiſtris vixerunt, credendum ac factitandum hac in parte ſuſceperint, quid ipſi crediderint ac factitarint. Tum eorum monumenta, qui Apoſtolis proxime ſucceſſerunt ad tertii ſæculi finem ſcrutabor, an eadem apud hos Chriſtianos manſerit, quæ ab Apoſtolis tradita erat fides, ac diſciplina. Scriptorum vix aliorum teſtimoniis vtar, quam eorum, quorum vera ſinceraque opera habemus. Si quid vel ex apocryphis, vel ex incertis dubiiſque admiſceam, id & parce ſum facturus, neque alia fere ex hoc genere libaturus, quam quæ ſint antiquiſſima; vt ſunt Hermæ viſiones a. D. circiter* 150. *editæ, Clementinæ Recognitiones ante an. D.* 250. *Ignatii epiſtolæ ante a. D.* 330. *Conſtitutiones Apoſtolicæ paulo ſerius; Areopagitica denique, quæ Dionyſii nomine ſub ann. D.* 500. *vulgata fuiſſe videntur. Cæteras controverſias, quæ de Latinorum*

norum traditionibus multæ ſane ſuperſunt, vellem equidem eadem via, ratione, ac methodo illuſtrari, & rem fortaſſe aggrederer, niſi me ætas deterreret, & annus, qui agitur primus ſupra ſeptuageſimum, ſpes nos longas inchoare vetaret. Sed jam ſatis præfati ſumus. Rem nunc ipſam cum bono Deo aggrediamur.

IOAN-

IOANNIS DALLÆI

ADVERSVS LATINORVM

de RELIGIOSI CVLTVS objecto Traditionem

LIBER PRIMVS.

QVO COMMVNIA TOTIVS IN VNIverſum cauſſæ Argumenta continentur.

CAPVT PRIMVM.

Status quæſtionis de CVLTVS RELIGIOSI *objecto; Eum omnes Chriſtiani nominis homines vero Deo, Patri, Filio, & Spiritui Sancto deferendum conſentire;* Latinos EVCHARISTIAM, DIVOS, RELIQVIAS, IMAGINES, CRVCES *religiosè præterea colere;* Nos *nihil iſtorum religiosè colendum docere.*

PRINCIPIO illud apud omnes veri nominis Chriſtianos, tum ex ſacris Scripturis, tum ex perpetua totius Eccleſiæ fide ſatis conſtat, religioſum Dei optimi maximi rerum omnium conditoris cultum, quem & natura jam inde ab ipſo ſui ortu, & poſtea lex Moyſi etiam clarius docuerat ac conſtituerat, à Domino Chriſto fuiſſe ſanctiſſime atque diſertiſſime traditum, & ab ejus Apoſtolis acceptum, & apud omnes diſcipulos prædicatum. Quæ vero hæreſes Creatorem de primo hoc ſummoque honoris gradu ſummotum infra fictitios neſcio quos Æonas dejecerant; eas ipſa ſui dogmatis abſurditate

CAP. I. paulatim confectas ac profligatas jampridem omnes non modo ex rerum natura defeciſſe, ſed pæne etiam ex ipſa hominum memoria multis ante nos ſæculis ſublatas atque deletas eſſe, certum compertumque habemus. Sed & hoc ex iiſdem Divinis Eccleſiaſticiſque litteris patet Chriſtum & Apoſtolos veri illius ac ſempiterni Dei nomine, quem à nobis religioſe colendum eſſe definiebant, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum cenſuiſſe, auguſtiſſimam, ac omni humano eloquio, ingenioque majorem & excelſiorem Triada. Si quis hoc olim Artemon, ſiquis vel Arius, vel Photinus, vel Macedonius negavit; id falſo, fruſtraque negavit, & Evangelicæ veritatis luce convictus, Eccleſiaque pulſus, brevi ſic exaruit, vt à multis jam ſæculis iſtorum nemo ſuæ inſaniæ diſcipulos nactus ſit; ſi modo paucos vel noſtra vel patentum memoria exortos novatores exceperis, qui Deum ingenio ſuo ſublimiorem dedignati omnia Chriſtianæ diſciplinæ myſteria ad humanæ rationis captum prodigioſa temeritate exigere ac temperare moliti ſunt. Sed horum amentia & pæne jam exolevit, in ipſis ſui conatus principiis fracta, & ad Latinos quibuſcum nunc nobis res eſt, nihil pertinet, quos in vtroque hoc capite habemus Dei gratia cōſentientes. Eos enim nemo neſcit, & Deum creatorem adorandum eſſe confiteri, & vnius Dei Creatoris nomen, cultum ac gloriam Patri, Filio & Spiritui Sancto aſſerere. Vtinam de cæteris tam eſſe liceret concordes, quàm de iſtis ſumus! Sed illi his ita rectè conſtitutis, alia ſtatim addunt, quæ nos à Chriſti Domini doctrina ac fide planè penituſque aliena eſſe putamus. Nam & Euchariſtiam & Angelorum Sanctorúmque cœlitum mentes, atque horum reliquias, & ſacras, vt vocant, tum Dei tum iſtorum imagines; ac denique Crucis, cui Chriſtus pro mundi peccatis ſuffixus fuit, particulas, & effigies ex quacumque materia effictas diſpari quidem, ſed tamen religioſo omnes cultu colendas atque adorandas ſciſcunt, ipſique palam ita paſſim factitant. Nos religioſum harum rerum cultum vel à Chriſto, cujus vnius auctoritate ſtat Chriſtiana religio, traditum, & inſtitutum, vel ab ejus Apoſtolis propagatum, vel apud vetuſtiſſimos eorum diſcipulos vſurpatum, cognitúmve fuiſſe negamus. Euchariſtiam quidem, vt à Domino Chriſto ad memoriam ſuæ mortis inſtitutam, nobiſque in amoris ſui, noſtræque ſalutis pignus datam, fatemur reverenter in religionis noſtræ ſacris habendam, neque vnquam niſi probata prius conſcientia, animoque ad humilitatem, ad pietatem in Deum, ad caritatem in homines comparato, ſumendam; planè eodem modo, quo baptiſmum, ejuſdem quoque cenſus, & ab eodem auctore traditum myſterium eos decet ſuſcipere, qui adulti Chriſtianiſmo ritè initiantur. Sed & ſanctis hominibus, qui conſummato in terris curſu nunc apud Dominum quieſcunt, à piis ſuperſtitibus eum amorem honoremque deberi exiſtimamus quem mortalem mortali exhibere maximum fas eſt; vt ſcilicet de iis veluti beatiſſimis, ac in Domi-

Domini ſui conſortium admiſſis Dei ſervis præclare ſentiamus; eorum memoriam grata jucundaq; recordatione vſurpemus, fidem, & pietatem laudemus, ac imitemur, exempla ſequamur, doctrinam tueamur; In Angelos quoque immortales debere nos ita affectos eſſe, vt ejus naturæ, qua ſunt præditi, excellentiam admiremur, fidem & ſervitutem, quam ex ſacris litteris didicimus Deo ab iis præſtari, prædicemus, & pro ingenioli noſtri captu etiam æmulemur; eos denique ſic intueamur, vt cives municipeſque in Domino Chriſto noſtros, qui ex Patris beneplacito omnia per ſe ipſum reconciliavit, & quæcumque ſunt ſive in terris, ſive in cœlis, per crucis ſuæ ſanguinem pacificavit. Cæterum vt vel his cœleſtibus vel ſacro pani, calicique, quos in Euchariſtia ſumimus, ſummum illum cultum exhibeamus qui *Religionis* nomine cenſetur, ejuſdemque eſt, ſi non gradus, certè ſpeciei, cum eo qui Patri, Filio, & Spiritui Sancto, vni vero Deo debetur; id nulla Chriſti lege traditum, nulla Apoſtolorum auctoritate cõfirmatum, nullo primorum Chriſtianorum qui Apoſtolis ſucceſſerunt, exemplo commendatum fuiſſe accepimus. Multo vero etiam minus ab iis profectum eſſe judicamus, vt *imaginibus, & reliquiis & crucibus* honos in Eccleſia cultusque deferatur religioſus, quas ne in vlla quidem ſacri ac religioſi cultus, qui Deo exhibetur, à divinis viris, Evangelicæ prædicationis principibus, vſurpatas, memoratas, aut commendatas, fuiſſe credimus. Ac de iſtis quidem quinque rebus, quas Latini religioſo cultu colendas eſſe decernunt, poſtea dicemus accuratius. Et vnumquodque eorum caput, ſi Dominus dederit ſuo ſigillatim ordine exſequemur; Euchariſtiam primo, deinceps Divos, tum reliquias, & imagines, ac poſtremo cruces. Nunc vero vniverſum prius dogma refellemus; eaque afferemus argumenta, quibus non vna ſeorſum aliqua pars Latini hujus cultus, vt exempli cauſa Euchariſtiæ latria, vel Divorum dulia, ſed vel omnis cultus, , qui rebus iſtis quinque impenditur, vel certè plures ejus partes ſimul ac ſemel confutari ac everti videantur.

CAP. I.

Coloſſ. 1. 20.

CAPVT. II.

Argumentum ſententiæ de religioſi cultus objecto noſtræ I. inde ſumptum, quod Chriſtianæ religionis tum divini, tum Eccleſiaſtici Scriptores, qui ad quartum ſæculum vixerunt, conſtanter omnes tradant Deum ſolum eſſe colendum, & adorandum. Id fuſe probatur Scripturis, & Patrum teſtimoniis, Iuſtini, Smyrnenſium, Theophili, Irenæi, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Dionyſii Alexandrini, Fructuoſi Martyris, Pſeudo-Clementis Romani, Lactantii.

AC primo quidem hinc patet quam non fuerit vel à Chriſto traditus, vel ab ejus Apoſtolis cæteriſque primis ac proximis horum diſcipulis ſuſceptus atque factitatus religioſus earum rerum cultus, quas à Latinis coli diximus; quod illorum quidem omnium hæc concors, conſtansque ac perpetua ſit vox atque ſententia Deum vnum eſſe religioſè colendum: hi vero vix ferè vnquam ſimpliciter vel negent ſe quicquam præter vnum Deum adorare, vel affirment ſe vnum Deum colere religioſè: ſed ſemper adhibita religioſi cultus diſtinctione, vel illud negent vel hoc affirment. Atque ita ſane loqui eos qui ſic ſentiunt decet. Qui enim ſacrum Euchariſtiæ panem ac vinum; qui Angelos, qui cæteros Divos, Divâſque, qui eorum oſſa ac cineres, & pilos & vngues & veſtes; qui innumerabiles imagines ſacras, qui cruces denique tam multas, aureas, argenteas, ligneas, ſaxeas, humillime vel toto corpore proſtrati, vel certè in genicula incurvati adorant, omnique religionis cultu venerantur; quis eos ferret vel vnum ac ſolum Deum à ſe coli profitentes, vel quicquam aliud præter ſummum illud numen, adorari negantes? Ab hoc verò Latini ſic abhorrent, vt Maldonatus, homo ex Ieſuitarum ſodalirio nobiliſſimus, eorum ſententiam, *qui nullum, niſi Deo, religionis honorem tribuunt, errorem eſſe* dixerit *impium & imperitum*. Ne ipſas quidem Patrum voces aliquid hujuſmodi ſignificantium ferre poſſunt. Itaque Generalis Hiſpaniarum Inquiſitor Bernardus de Sandoval Cardinalis in Indice librorum expurgatorio, ex Athanaſianæ editionis Baſileenſis anno 1564. curatæ indice jubet hæc, quæ iſtic ex Oratione Athanaſii contra Arianos tertia legebantur, deleri; *Adorari ſolius Dei eſſe*. At hæc quæ Latini, diverſi ſcilicet cultus ſibi conſcii, expungi ex libris volunt, quæque erroris, & quidem *impii atque imperiti* damnant, hæc inquam & divinarum litterarum Scriptores, & qui ex eorum diſciplina prodierunt proximi poſt Apoſtolos, Chriſtianiſmi doctores, paſſim loquuntur, confirmant, inculcant, ac veluti quædam fidei ſuæ fundamenta ponunt atque profitentur. Matthæus quidem in primis ſic

Maldona. in Matth. 5. 34.

Ind. Exp Sandoval. pag. 35 col. 1.

ſic à Chriſto Domino totius noſtræ religionis duce atque auctore ſancitum, & ex veteris ſcripturæ tabulis fixum ac conſtitutum narrat, cum tentatori omnia regna mundi ſi ſe cadens adoraſſet, promittenti, reſpondit, *Vade Satana*; *ſcriptum eſt enim, Dominũ Deum tuum adorabis, & illi SOLI ſervies.* Quo loco duo obiter obſervanda ſunt: Ac prius quidem (quod ipſe etiam Maldonatus annotavit) illud eſt, quod cum in Hebræo fonte,* vnde hanc Servator ſententiam hauſit, ſimpliciter habeatur. *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſervies.* LXX. tamen Interpretes & Latinus eorum veſtigia ſequutus, ita locum expreſſerunt, ac ſi ſcriptum eſſet, *illi ſoli ſervies*; quem eſſe veriſſimum verborum ſenſum Chriſtus auctoritate ſua approbavit. Alterum eſt, priorem hujus ſententiæ particulam, hanc nimirum. *Dominum tuum adorabis*, ſic quoque eſſe intelligendam, ac ſi ſcriptum eſſet, *Dominum Deum tuum ſolum adorabis.* Eſt enim plane eadem vtriuſque partis ratio. Ac ipſa Chriſti mens id poſcit. Affert enim hoc Dei mandatum. vt impiam Satanæ ſe adorari poſcentis audaciam repellat; demõſtrans nefas eſſe alium quam Deum adorare; quod hinc confici nõ poteſt, niſi ſtatuas eo loco nobis præcipi, vt Deum & quidem ſolum adoremus. Itaque recte ſane & vere pronuntiat Maldonatus hæc verba, *Dominum Deum adorabis, & illi ſoli ſervies, idem eſſe ac ſi dixiſſet, Dominum Deum tuum ſolum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Atqui hæc idipſum plane ſignificant, quod Hiſpanici librorum expurgatores deleri jubent, *adorari ſolius Dei eſſe.* Sed ex hac à Domino ipſo allata Moſaïcæ ſententiæ expoſitione, illud quoque perſpicuum eſt, eodem ſenſu accipienda eſſe conſimilia Scripturæ loca, in quibus Deus vel *adorandus*, vel *colendus*, vel *timendus* eſſe dicitur. Illa omnia Deum, non ſimpliciter, colendum, ſed *ſolum colendum*, auctore Chriſto; etiam aſſentiente Maldonato, ſignificant. Quo & illa ejuſdem generis pertinent; *Non habebis Deos alienos coram me*. vel vt habent LXX. πλὴν ἐμοῦ, *præter me*; *Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum*: & ſi qua ſunt alia ad hunc modum dicta. Neque enim putandum eſt hujusmodi dictis id duntaxat vetari, ne Iſraëlitæ vel cultos ab aliis Gentibus Deos ipſi quoque colerent, vel alium aliquem præter eum Deum, qui ipſos in Ægypto eduxerat, pro ſummo & æterno numine, rerumque omnium Domino haberent, quaſi liceret, verbi gratia de bonis Angelis aliquem religioſo cultu venerari, quem tu etiamſi ita coleres, non tamen exiſtimares, Deum illum eſſe cœli ac terræ, hominum ac Deorum regem. Planè ſignificat hæc omnis Scripturæ oratio nihil eſſe religioſè colendum præter vnum illum ac ſummũ Deum. *Deus* enim *nobis eſſe, proque Deo haberi*, id dicitur quodcumque adoramus, cultuque religioſo proſequimur; quicquid illud de cætero ſit, vel in ſe, vel apud nos, quia ſcilicet honorem, qui vnius Dei eſt, ad id transferimus. Atque ita hæc Scripturæ loca intellexiſſe vetuſtiſſimos Chriſtianos vel inde liquet, quod Origenes

CAP. I.

Matth 4.9. 10.

Maldon in Matth. 4. 10.

* *Deut.* 6. 13. & 10, 20.

Exod. 20. 3.

Pſal 80

Hebr. 81. 10.

CAP. II.

Orig. lib. 4. contr. Celſ. pag. 240.

Celſum Iudæos calumniantem, veluti Angelos colerent, ſic refellit, vt ex primis Decalogi verbis dicat eſſe perſpicuum Iudæos, qui legem ſcilicet ſequuntur, ὡς ἐν ἄλλο σέβειν ἢ τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν, *nihil aliud colere quam ſummum Deum, cœli & cæterorum omnium conditorem.* Hoc vero ex illis Domini verbis non aliter confici poteſt, niſi ſtatuas iis vetari ne quid omnino præter ipſum colamus, quod & diſertis verbis alibi expreſſum apud Samuelem legitur, vbi Iſraëli Propheta ſic præcipit; *Præparate corda veſtra Domino, & ſervite ei Soli.* Hæc ergo eſt à Deo apud Iſraëlem lata, & à Chriſto ejus comprobara atque confirmata lex, nequid præter vnum Deum adoremus aut colamus; vnde Apoſtolus Paganicæ ignorantiæ deputat, quidquid ei rei cultus impenditur, quæ natura Deus non eſt, cum ait Galatas, quo tempore ante agnitum Deum in Ethniciſmi tenebris verſabantur, *iis qui natura non ſunt Dii, ſerviiſſe.* Hanc poſitam ſibi à Deo & a Chriſto legem conſtanter tenuere omnes vetuſtiſſimæ memoriæ Chriſtiani. Iuſtinus in Apologia ad Imperatores Romanos, de Chriſto Domino verba faciens; ὡς δὲ καὶ τὸν θεὸν μόνον δεῖ προσκυνεῖν, οὕτως ἔπεισεν, εἰπών, μεγίστη ἐντολή ἐστι. Κύριον τὸν θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. *Deum porro SOLVM adorandum eſſe, ita ſuaſit, dicens, Maximum mandatum eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & illi SOLI ſervies.* Idem poſt pauca, cum illa Chriſti ex Evangelio recitaſſet, *Reddite quæ Cæſaris ſunt, Cæſari, & quæ Dei, Deo,* hæc deinceps ſubiicit; ὅθεν θεὸν μὲν μόνον προσκυνοῦμεν, ὑμῖν δὲ πρὸς τὰ ἄλλα χαίροντες ὑπηρετοῦμεν. *Proinde nos ſolum Deum adoramus, & vobis in rebus aliis læti inſervimus.* His ſuccinit Smyrnæorum Eccleſia vetus, quæ in Polycarpi Martyris Actis, ſe Chriſtum Dei Filium, vna cum Patre ſcilicet, colere, profeſſa, negat exſerte *Se quemquam alium colere poſſe,* οὔτε ἕτερόν τινα σέβειν [δυνησόμεθα] inquit, *Nunquam in animum inducere poterimus vt alium quempiam colamus.* Ita Theophilus Antiochenus, qui paulò poſt Iuſtinum floruit vt vult Baronius, ad Commodi initia, vbi de principe loquens; Καὶ γὰρ αὐτὸς (inquit) ὡς ἔχει ὑφ' ἑαυτὸν τεταγμένους, οὐ βούλεται βασιλεῖς καλεῖσθαι, τὸ γὰρ βασιλεὺς ἐστὶν αὐτοῦ ὄνομα, καὶ οὐκ ἄλλῳ ἐξὸν ἐπὶ τοῦτο καλεῖσθαι, οὕτως οὐδὲ προσκυνεῖσθαι ἀλλ' ἢ μόνῳ θεῷ. *Etenim neque ipſe Rex quos ſub ſe habet diſpoſitos, Reges vocari vult. Rex enim ipſius nomen eſt; neque alii licet eo vocari; ita neque adorari alium licet, niſi SOLVM Deum;* vel, vt habet Interpres, *ita adorandi cultus nemini niſi Deo ſoli deferendus eſt.* Quid poteſt dici diſertius ad aſſerendum vni ſoli Deo quicquid eſt adorationis, aut religioſi cultus? Idem libro ejuſdem ad Autolycum operis ſecundo ſcribit, divinam legem non modo prohibere *ne idola adoremus, ſed etiam ne Elementa, Solem, Lunam, & reliqua aſtra, vel cœlum, terram, mare, fonteſque religioſe colamus;* ac denique præcipere *SOLI vero Deo, vniverſorum conditori in cordis ſanctitate, puroque animo eſſe ſerviendum.* Sed & Irenæus Polycarpi auditor, Gnoſticorum de ſuis Æonibus fabulas refellens, demonſtrat vnum

1. Reg. Hebr. 1. Sam. 7. 4.

Galat. 4. 8.

Iuſt. Apol. 2. pag. 49. l. 16.

Iuſt. Apol. 2. pag. 50. lin. 10.

Acta Polyc. pag. 27 & apud Euſeb. hiſt. l. 4. cap. 15. fol. 39. a

Baron. A. D. 182. §. 6.

Theoph. l. 1. ad Autol. p. 110. c.

Ibid. l. 2. pag. 131. A

Iren. l. 5. c. 22. pag. 470. b. c.

CAP. II.

vnum eſſe Deum, ac Dominum verum, legis auctorem; *Huic* (inquit) *ſervire ſoli oportet diſcipulos Chriſti*: & mox, *Lex* (inquit) *Demiurgum* (id eſt creatorem) *laudare Deum, & ipſi SOLI ſervire, jubet nobis.* Tum ex lege hæc adducit; *Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua, & hunc adorabis, & huic Soli ſervies.* Et mox, *Dominum Deum tuum adorare oportet, & ipſi SOLI ſervire.* Clemens vero Alexandrinus in opere, quod exeunte ſecundo Chriſtianiſmi ſæculo edidit, hunc vnius Dei religioſum cultum inter ea doctrinæ cœleſtis elementa primum recenſet, quæ ſunt ab Ethnicis ad pietatem & ſalutem cognoſcenda; Τοὺς Ἕλληνας χρὴ διὰ νόμου καὶ προφητῶν ἐκμανθάνειν ἕνα μόνον σέβειν θεὸν, τὸν ὄντως παντοκράτορα. *Oportet Græcos per legem & Prophetas ediſcere colere VNVM SOLVM Deum, qui eſt vere omnipotens.* Tertullianus Carthaginienſis, Alexandrini Clementis coævus: *Nos vnum* (inquit) *Deum colimus; quem omnes naturaliter noſtis; ad cujus fulgura & tonitrua contremiſcitis, ad cujus beneficia gaudetis.* Ac nequis cavilletur hoc duntaxat eum affirmare Deum à ſe coli, qui ſit vnus; non negare alios coli, qui non ſint Dij; alio loco de eo, quod à Chriſtianis coli Pagani ſuſpicabantur, diſputans, poſtquam vanas eorum ſuſpiciones ac calumnias exploſit, *converſus ad demonſtrationem religionis ſuæ, Quod colimus* (inquit) *Deus vnus eſt, qui totam molem iſtam cum omni inſtrumento elementorum corporum, ſpirituum, verbo quo juſſit, ratione qua diſpoſuit, virtute qua potuit; de nihilo expreſſit in ornamentum majeſtatis ſuæ, vnde & Græci nomen mundo KOCMON accomodarunt.* Clare profitetur Deum vnum eſſe id quicquid eſt, quod à Chriſtianis colebatur, neque aliud quicquam præter vnum illum Deum, ſummum mundi creatorem, coli religioſe. Idem alibi nobis lege divina præceptum eſſe ait ne quem præter illum vnicum Deum colamus; *Præſcribitur* (inquit) *mihi ne quem alium Deum dicam, ne vel dicendo, non minus lingua, quam manu Deum fingam; ne quem alium adorem, aut quoquo modo venerer, præter vnicum illum, qui ita mandat, quem & jubeor timere, ne ab eo deſerar, & de omni ſubſtantia diligere vt pro eo moriar.* Non potuit diſertius negare, vlli alii rei, niſi vni Legis auctori Deo, tribuendum Dei vel nomen, vel cultum vllum. Origenes ætate Tertulliano proximus, Chriſtum ait *docere* τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν μόνον δεῖν σέβειν, *ſummum Deum SOLVM oportere colere*; τὰ δὲ λοιπὰ, ἤτοι ὡς μὴ ὄντα, ἢ ὡς ὄντα μὲν καὶ τιμῆς ἄξια, οὐ μὴν καὶ προσκυνήσεως καὶ σεβασμοῦ παραφορᾶς, *cætera prætermittere, quæ ſcilicet vel nihil ſunt, vel ſunt quidem, & honore digna ſunt, non tamen adoratione & cultu digna ſunt.* Luculentiſſime. Nam religioſum cultum, & vni Deo exſerte vindicat, & cæteris omnibus, ſive fictis (quales erant Paganorum commentitij Dij) ſive in natura vere exiſtentibus rebus (quales ſunt Angeli, Sancti, cœleſtes, terrenæque creaturæ) præfracte negat, quod hæc ipſa licet honorem ob naturæ ſuæ excellentiam mereantur, cultum tamen, adorationem & religionem non merentur; itaque

Clem. Alex. Strom. l. 6. p. 695 D.

Tertull. ad Scap. c. 2. p. 85. C.

Id. Apolog. c. 17. p. 18. A.

Tert. Scorp. c. 4. p. 620. C.

Orig. l. 1. contr. Celſ. pag. 10

CAP. II.

itaque ea, quod ad religionem pertinet, oportere παροϱᾶν, *omittere, vitare, negligere*. Sic enim παροϱᾶν interpretantur veteres Grammatici. Hæc Domini Chriſti ex Origene diſciplina eſt. Id ille paſſim inculcat, modo hoc affirmans verum bonumque eſſe, vt ex rebus, quas videmus, *edocti atque perſuaſi mundi conditorem colamus*, ἕνος ὄντος ἕνα *unius unum*; modo indignans, quod Græci ex tanta rerum, quæ in mundo ſunt, magnitudine, & ipſa operum pulchritudine perſpicere atque intelligere nequiverint, ὅτι προσκυνεῖν καὶ θαυμάζειν καὶ σέβειν χρὴ μόνον τὸν ταῦτα πεποιηκότα, *eum qui hæc tanta taliaque effecit, SOLVM eſſe adorandum, admirandum, atque colendum.* Alibi, quod nuper monuimus, Iudæos oſtendit ex lege *nihil aliud colere, quam ſummum rerum univerſarum Deum*; idque ut legitimum, ac ipſius Dei voluntati conſentaneum defendit. Eoſdem alibi laudat & hoc nomine etiam philoſophorum præſtantiſſimis minimos hujus gentis præfert quod μόνῳ ἐνορῶσι τῷ ἐπὶ πᾶσι θεῷ *ad ſolum univerſorum Deum reſpiciant atque intueantur.* Ipſe vero Celſo Solem, Lunam, Stellas, fulmina, nubes, imbres, &c. Dei quoſdam veluti præcones ac prophetas eſſe argumentanti, hoc donato; πῶς οὖν οὐχὶ καὶ οὕτω (inquit) τὸν κηρυσσόμενον ὑπ' αὐτῶν θεὸν καὶ ἀγγελλόμενον μόνον μᾶλλον προσκυνητέον, ἢ τοὺς κήρυκας καὶ τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ; *Quomodo igitur etiamſi res ita ſe habere ſtatuatur, non erit potius Deus ipſe SOLVS adorandus, quem iſta prædicant atque annunciant?* Hunc eſſe Chriſtianorum omnium ſenſum atque vſum alibi teſtatur, quos ait ſcilicet ἐκτρέπεσθαι ἄλλο τι σέβειν παρὰ τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν, καὶ τὸν πρωτότοκον πάσης κτίσεως λόγον αὐτοῦ, *recuſare atque refugere, quicquam colere præter Deum univerſorum Dominum, & Verbum ejus primogenitum creaturæ totius*; ac de iiſdem verba alio in loco faciens id confitetur, quod Celſus obiiciebat, *Chriſtianos cavere ne cui alij quam Deo ſerviant*; illud tantum negat, quod iſte calumniabatur, id eos ea gratia cavere, ne Deus damno afficeretur vel jacturam aliquam pateretur. ἀλλ' οὐδ' ὡς βλαπτομένου τοῦ θεοῦ, &c. ἐκκλίνομεν (inquit) τὸ θεραπεύειν ἄλλον τινὰ ἢ τὸν θεόν. His congruunt, quæ in aliis ejuſdem viri operibus, tametſi à Latino interprete multipliciter interpolatis, adhuc tamen leguntur; vt Homilia XXX. in Lucam extrema, vbi Chriſtum ad tentatorem ita reſpondentem inducit; *Scito atque cognoſce me in hoc manere quod dixi, vt adoretur Dominus Deus ſolus*; Vt quæ de Ioſua eum, qui ſibi apparuerat, adorante, ita philoſophatur; *Cognovit ergo Ieſus non ſolum quod ex Deo eſt, ſed quia Deus eſt. Non enim adoraſſet niſi agnoviſſet Deum*; Vt illa denique in hanc rem diſertiſſima, *Eorum eſt colere creaturam, qui dereliquerint Creatorem. Nos autem qui nullam creaturam, ſed Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum colimus & adoramus, ſicut non erramus in cultu, ita nec in actibus quidem & in converſatione peccemus.* Eadem quoque fuit & Cypriani Martyris ſententia, qui, quo tempore in Palæſtina Origenes, eodem ipſe in Africa florebat. Laudat enim impenſe & ſuis imitan-

Lex Græc. Lat. Vulcanii

Id. Orig. ibid. p. 18.

Id ibid. l. 3. p. 163.

Ibid. l. 5. p. 240.

Ibid. l. 5. p. 67. extr. 2

Ibid. l. 4. p. 245. extr. 246.

ibid. l. 7. extr. p. 389.

Ibid. l. 8. p. 394.

Orig. hom. 30. in Luc. T. 2 p. 240.

Id. in Ieſ. Nave hom. 6. T. 1. 297.

Id. L. 1. inc. 1. epiſt. ad Rom. T. 2. p. 468. extr.

mirandum proponit, quod à Daniele in certamine de fide conſtituto dictum refert. *Nihil colo ego, niſi Dominum Deum meum, qui condidit cælum & terram.* Idem in alio opere mala divinitus hominibus irrogari docet, *vt qui Deus vnus eſt omnibus, VNVS colatur ab omnibus & rogetur.* Cui firmandæ ſententiæ cœleſtes Dei ex Sciptura voces advocat; *Ipſum* (inquit) *audi loquentem, ipſum voce divina inſtruentem nos pariter ac monentem; Dominum Deum tuum adorabis, inquit, & illi ſoli ſervies. Et iterum; Non erunt tibi Dij alij abſque me.* Alibi verò Fortunatum proprio volumine ad Martyrium inſtruit, ac inprimis, *oſtendendum* præfatur, *Dominum SOLVM colendum eſſe*, idque ſtatim in operis limine ſic oſtendit; *Quod Deus* (inquit) *Solus colendus ſit, ſcriptum eſt in Deuteronomio; Dominum Deum tuum adorabis, & illi SOLI ſervies. Item in Exodo; Non erunt tibi Dij alij abſque me*; & cætera quæ in eandem ſententiam in veteribus & novis Dei litteris congerit. Exempla mox ad conſtantiam in fide proferens, *Tres* (inquit) *pueri Ananias, Azarias, Miſaël, ætate compares, dilectione concordes, fide ſtabiles, virtute conſtantes, flammis ac pœnis vrgentibus fortiores SOLI ſe Deo ſervire, SOLVM noſſe, SOLVM colere proclamant.* Tum, *Et Daniel*(inquit)*Deo devotus, & SanctoSpiritu plenus, exclamat & dicit; Nihil colo ego, niſi Dominum Deum meum qui condidit cælum & terram.* Atque hic obiter eſt obſervandum hæc vltima verba, nunc & ſupra jam ſemel à Cypriano recitata, in Danielis de Bele & Dracone Apocryphis, vnde ſumpta ſunt, paulo aliter legi, ſic nimirum; *ὅτι οὐ σέβομαι εἴδωλα χειροποίητα, ἀλλὰ τὸν ζῶντα θεὸν τὸν κτίσαντα τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν*, itidemque Latinè; *Non colo idola manufacta, ſed viventem Deum, qui creavit cælum & terram.* Ergo vel à primis illis temporibus vetus lectio interpolata, vel certè Cyprianus quicquam aliud quam Deum colere, idem eſſe putavit, quod idola colere. Iam qui Cypriano paucis annis ſuperfuit Dionyſius Alexandriæ Epiſcopus, ac Chriſti confeſſor egregius, narrans ipſe, vt apud Æmylianum Præfectum pro fide conſtiterit, *ἀντικρὺς* (inquit) *διαμαρτύρομαι ὑμῖν ὅτι τὸν θεὸν τὸν ὄντα μόνον καὶ οὐδένα ἕτερον σέβω· οὐδ' ἂν μεταθείμην, οὐδὲ παυσαίμην ποτὲ χριστιανὸς ὤν.* *Palam conteſtatus ſum me eum Deum, qui vere eſt, ſolum, & nihil aliud colere, neque me ſententiam vnquam mutaturum, neque deſiturum aliquando eſſe Chriſtianum*, Nimirum qui ſententiam hanc mutet, *& aliquid aliud colat quam Deum*, cum Dionyſius non putat eſſe Chriſtianum; non ſanè, vt videtur, ex Maldonati decreto, qui *impios & imperitos* eſſe cenſet, ſi, qui religionem alij quam Deo deferendam negent; niſi forte novus magiſter *impios & imperitos* eſſe Chriſtianos dixerit; quæ Paganorum olim fuit de iis ſententia. Ruffinus liberius more ſuo, ſed verè tamen reddit, Dionyſium *dixiſſe, unum ſolum Deum adorandum, qui cælum feciſſet & terram.* Mox cum vrgeret Præfectus, *ἡμεῖς* (inquit Dionyſius) *τὸν ἕνα θεὸν καὶ δημιουργὸν τῶν ἁπάντων, τὸν καὶ τὴν βασιλείαν ἐγχειρί-*

CAP. II.
Cypr. ep. 76.
Aupl. l.b. Thib. p.101. extr.
Id. ad Demetr p.232. extr.
Id ad Fortun. de exhort. Martyr. Præf. p. 282. & c. 1. p. 283.
Ibid. c. 11. p. 290.
Dan. 14. 4. (gr. 5.)
Euſ. hiſt. l. 7. c. 11. fol. 74. Ruffin. l. 7. c. 10.
Ibid.

CAP.II. σκῆπτρα τοῖς θεοφιλεστάτοις Οὐαλεριανῷ καὶ Γαλλιηνῷ σεβαστοῖς, τοῦτον καὶ σέβομεν καὶ προσκυνοῦμεν. *Nos vnum hunc Deum & colimus & adoramus qui & rerum omnium conditor eſt, & ipſis Valeriano & Gallieno, Deo amiciſſimis Auguſtis imperium tradidit.* Inſtante Æmyliano, & negante quicquam eſſe cauſæ, cur non & hunc, ſi quidem Deus eſt, & vna cum eo alios quoque colant, Ἡμεῖς (inquit poſtremo Dionyſius) οὐδένα ἕτερον προσκυνοῦμεν. *Nos neminem alium colimus.* Iiſdem quoque temporibus (ſi qua fides Baronio) vixit Fructuoſus, Hiſpanienſis Epiſcopus, glorioſo martyrio Tarracone functus; cujus extant his Dionyſianis planè conſimiles in Actis voces. Cum enim à Præfecto ſacrificare juberetur, *Ego,* (inquit) *VNVM Deum colo, qui fecit cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt.* Eulogium quoque ejus Diaconum paria cum ſuo Epiſcopo ſenſiſſe palam eſt, quem Acta memorant ab Æmyliano Præfecto interrogatum, *numquid & ipſe Fructuoſum coleret,* reſpondiſſe. *Ego Fructuoſum non colo, ſed ipſum colo, quem & Fructuoſus;* quo clarè docuit colendum, non Martyrem, ſed vnum illum Deum, quem coluit Martyr, & pro cujus nomine ſanguinem ſuum profudit. Sed hoc fuiſſe primi Chriſtianiſmi dogma, etiam ex illius memoriæ apocryphis diſcimus. Circumfertur Clementis nomine Ἀναγνωρισμῶν, ſive *Recognitionum* à Ruffino jampridem Latinè converſum opus; quod ipſis Origenis temporibus id eſt ante A. D. 254. extitiſſe certa inde fides eſt, quod hic inſignem quendam ex eo opere locum laudavit & deſcripſit. Fateor auctorem inverecundum impoſtorem, & fabulatorem putidum fuiſſe; cæterum doctum & eruditum; Sed & Poëtarum vaniſſimi ſua mendacia ad aliquam veri ſpeciem effingunt; vt non ſit dubitandum, quin iſte, quæ erant Chriſtianorum ſui ſæculi de religione, deque Dei cultu publica vulgataque placita, ea in opere hoc fingendo ſequutus ſit, & ex ipſis perſonarum, quas inducit, mores ſermoneſve vt plurimum efformarit. Iam verò apud iſtum non vno loco hoc inter cætera elucet de religioſo ſolius Dei cultu dogma. Nam Petrum in ea diſputatione, quam Cæſareæ cum Simone Mago habitam fingit, cum multis adſtruentem induxiſſet Dei veri vnitatem, explicantemque etiamſi Dei nomen interdum hominibus & Angelis æquivocè, tribuatur, propriè tamen vſurpatum vni rerum conditori convenire, tandem ita loqui facit; *Etſi ſint* (inquit) *alij vt diximus, qui dicuntur Dij, ſub poteſtate ſunt Iudæorum Dei, quia ita dixit Scriptura Iudæis;* Dominus Deus noſter, hic eſt Deus Deorum & dominorum. *Hunc etiam SOLVM colendum monet Scriptura, dicens, Dominum Deum adorabis, & illi ſoli ſervies;* & cætera in eandem ſententiam ex divinis litteris excerpta, quæ nihil neceſſe eſt deſcribere. Idem quoque, ſed in alia operis parte, Petrus contendit hoc eſſe omnium ſenſu præditorum judicium, vt *juſtum putent, non ea quæ pro mundi miniſterio facta ſunt, ſed ipſorum & mundi totius creatorem debere*

Ibid.

Fructuoſ. Act. apud Bar. A D. 251. § 60. 62. & Sur d. 2. Ian. Vid. Aug Serm. 101. de diverſ.

Origen. Philocal. c. 22.

Clem. Recogn l. 2. fol. 15. C

Ibid l. 5. fol. 30. B

bere venerari; exceptum enim eſſe Dei SOLIVS cultum, qui ſolus increatus eſt. Ad hos accedat poſtremo Lactantius, qui idem dogma non ſemel confirmat. Nam & *majeſtatem Dei ſingularis ſolam coli debere*, ſcribit, & homines indignatur in tantam veniſſe oblivionem, vt eam ſolam potiſſimum negligant. Et in eodem libro; *Ne hunc* (inquit) *cæleſtem vultum proiiciamus ad terram, ſed oculos eo dirigamus, quò illos naturæ ſuæ conditio direxit, nihilque aliud adoremus, nihil colamus, niſi ſolum artificis, parentiſque noſtri vnicum numen*: & alibi Chriſtum ait *docuiſſe, quod vnus Deus ſit, eumque SOLVM coli oportere.* Sed in eodem opere, aliud quam Deum colere id vero graviſſimum eſſe crimen cenſet. vbi de Ethnicis loquens. *Neſciunt* (inquit) *quantum ſit nefas adorare aliud præterquam Deum, qui condidit cœlum atque terram, qui humanum genus finxit, inſpiravit, luce donavit.* Cap. III. *Lactant l. 2. Inſtit. c. 1. p. 68.* *Ibid. c. 17. p. 23.* *Ibid. l. 4. c. 14. p. 21[illegible]* *Ibid. l. 5. c. 18. p. 301.*

CAPVT III.

Argumentum II. noſtræ contra Latinos ſententiæ, quod primi Chriſtianiſmi Scriptores religionem *non alius, quam Dei vnius cultu cenſuerunt; quod probatur. Primò teſtimoniis Clementis Romani, Iuſtini, Tatiani, Clementis Alexandrini, Origenis, Lactantii. Secundò, quod* εὐσεβείας *&* θρησκείας *vocabula pro religione indifferenter vſurpent, Bellarminus obiter caſtigatus. Tertiò, quod res religionis, fidem, ſpem, fiduciam, invocationem, hymnos, juramentum Deo ſoli deferenda tradant; Origenes, Cyprianus, Pſeudo-Clemens, Clemens Alexandrinus, Tertullianus.*

ATQVE ex his ſatis ni fallor patet à vetuſtiſſimis Chriſtianis non alium traditum factitatumque fuiſſe, quam ſolius Dei religioſum cultum; quibus nunc illa quoque vt videtur, deinceps adiicienda ſunt, quæ iidem de conſtituenda in ſolo Deo religione docuerunt. Nam & hæc, vt apparet, tametſi verbis diverſa, in eundem tamen eum ſuperioribus ſenſum recidunt. Clemens inprimis Apoſtolorum diſcipulus, non ad alium quam ad Deum referri omnem veram pietatem, ac religionem eo ſatis docet, quod pios ac fideles definiat τοὺς θρησκεύοντας τὴν μεγαλοπρεπῆ καὶ ἔνδοξον θρησκείαν τοῦ ὑψίστου, *eos qui magnificam & glorioſam Altiſſimi culturam*, ſive *religionem colunt*. Clementi ſuccinit Iuſtinus, qui initio generis humani obtinuiſſe ſcribit θρησκείαν τὴν εἰς τὸν ἕνα καὶ πάντων δεσπότην, *VNIVS eiuſdemque omnium Domini cultum* ſive *religionem*; quicquid poſtea inductum eſt, quo *Clem. ep. ad Cor. p. 59.* *Iuſt. l. de monarch. init. p. 80.*

CAP. III. aliud præter Deum coleretur, id errori deputat. Id quoque voluit Tatianus, Iuſtini diſcipulus, τὸν ἄνθρωπον (inquit) ἀνθρωπίνως τιμητέον, φοβητέος δὲ μόνος ὁ θεός. *Homo humano more* (vel vt ſic dicam *humanitus*) *honorandus, Deus vero SOLVS timendus.* Certe timor Scripturis religio eſt, atque religioſus cultus, & Deum timere eſt Deũ colere. Clemens Alexandrinus eadem quoque rę εὐσέβειαν, id eſt pietatem ac religionem cenſet, dum ſic eam definit; ἡ δὲ εὐσέβεια (inquit) παντί τῳ δήλη τὸ ἀνωτάτω καὶ πρεσβύτατον αἴτιον σέβειν καὶ τιμᾶν διδάσκουσα. *Cuivis manifeſtum eſt eam eſſe pietatem, ſive religionem quæ ſummam & antiquiſſimam cauſam* (id eſt Deum) *colere ac honorare docet.* Alibi ſui Gnoſtici (id eſt perfectiſſimi & omnibus ſuis numeris abſolutiſſimi Chriſtiani) vitam Domini Servatoris vitæ, qua licet, ſimilem deſcribens; omnem illius pietatem his paucis complectitur; τὸ δ᾽ ἔστι θεραπεύειν τὸ θεῖον διὰ τῆς ὄντως δικαιοσύνης ἔργων τε καὶ γνώσεως. *Hoc autem eſt Deum colere per eam quæ vere eſt juſtitiam operum & cognitionis.* Cur de cæterarum rerum cultu, qui apud Latinos obtinet, his locis tacuit, ſi is religionis ſive pietatis pars aliqua eſt? Eadem Clementis diſcipulus Origenes docet. Nam τὴν τοῦ θεοῦ θεραπείαν καὶ τὴν εἰς αὐτὸν εὐσέβειαν *Dei cultum & pietatem in Deum pro religione* dicit, cum ejus modum & rationem ignorare malum eſſe maximum affirmat, & alibi diſerte pronuntiat veram religionem non alio quam in Deum ferri, οὐδεὶς γὰρ (inquit) βλέπων τοῖς τῆς ψυχῆς ὀφθαλμοῖς ἄλλως πως σέβει τὸ θεῖον ἢ διὰ τοῦ ὑποδεικνύντα ὁρᾶν ἀεὶ πρὸς τὸν τοῦ παντὸς δημιουργὸν, καὶ πάσας τὰς εὐχὰς ἀναφέρειν ἐκείνῳ. *Nemo enim qui oculis animæ videt, alio modo Deum colit, quam eo qui docet ſemper intueri in univerſi conditorem, & omnes ei preces, omniaque vota offerre ac dirigere.* Vnde ſequitur Origene quidem judice, ejus animum cæcutire, qui εὐσεβείας, ſive religioſæ pietatis opus eſſe putat aliquid præter creatorem colere aut precari. Ille Chriſtianorum pietatem in eo ſitam eſſe docet, quod ἀναβάντες ἀπὸ τῶν ἐν κόσμῳ καλῶν ἐπὶ τὸν τῶν ὅλων ποιητὴν, καὶ ἐκείνῳ ἱκανῶς πιστεύσαντες ὡς μόνῳ διαρκεῖν δυναμένῳ ἐπὶ πάντα τὰ ὄντα, καὶ ἐφορᾶν τοὺς πάντων λογισμοὺς, καὶ ἀκούειν τῶν πάντων εὐχῶν, τὰς εὐχὰς ἐκείνῳ ἀναπέμποντες, καὶ ὡς ἐπὶ θεατοῦ αὐτοῦ τῶν γινομένων πάντα πράττοντες καὶ ὡς ἐπὶ ἀκροατοῦ αὐτοῦ τῶν λεγομένων φυλαττόμενοι λέγειν τι μὴ ἀρεσκόντως ἀναπεμπόμενον τῷ θεῷ, *ab iis, quæ in mundo præclara viſuntur ad omnium auctorem ac conditorem ſcandentes ſe ipſos ei credunt, ac veluti ei, qui ſolus omnibus quæcumque ſunt ſufficere poteſt; omniumque & cogitationes inſpicere, & preces votaque audire, ſuas preces offerunt ac dirigunt, omniaque faciunt velut ſub eo omnium teſte & arbitro ac veluti eo omnia dicta audiente cavent ne quid dicant, quod non ſit ſatis ad id expreſſum ut Deo placeat.* Itaque hæc docet ſatis eſſe homini Chriſtiano; quem ſcribit ἔχειν τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν διὰ τὴν εἰς αὐτὸν εὐσέβειαν ἵλεων καὶ διὰ τοῦ τῆς μεγάλης βουλῆς ἀγγέλου τοῦ θεοῦ προσαγόμενος, Κύριον Ἰησοῦν, *habere Dominum Deum propitium propter ſuam erga illum pietatem, &*

Tatian. Orat. ad Græc. p. 162.

Clem. Alex. Strom. l. 2. p. 354. a.

Ibid. l. 8. p. 653. b.

Orig. contr. Celſ. l. 4. p. 213.

Ibid. d. l. p. 377.

Origen. l. 4. contr. Celſum p. 180.

8. contr. Celſ. p. 407.

propter receptum magni concilii Angelū Dei Dominum Iesum, [illegible] *τῇ τοῦ Θεοῦ διὰ Χριστοῦ Ἰησοῦ εὐδοκίᾳ, contentum Dei per Christum Iesum favore.* Vnde in ſequentibus ſic ſtatuit; [illegible] *Vnus igitur nobis placandus eſt Deus ſummus vniverſi Dominus, vnus ut propitius ſit, precandus, cujus propitiatio pietate & omni virtute exambitur vel impetratur.* Denique negat quicquam vel excogitari poſſe melius, *quam ſeipſum ſummo Deo credere & ei doctrinæ committere, quæ ab omnibus quidem creatis rebus abducit, ad Deum vero univerſorum Dominum adducit per ſermonem animatum & viventem, qui eſt & Sapientia vivens & Filius Dei.* [illegible] *ζῶντος λόγου, ὅς ἐστι καὶ σοφία ζῶσα, καὶ υἱὸς Θεοῦ,* [illegible] Hanc vnam eſſe veræ pietatis rationem breviter quoque ſic teſtatur Lactantius; *Religio & veneratio* (inquit) *nulla alia, niſi VNIVS Dei tenenda eſt.* Hinc eſt quod Græci Patres pietatem & religionem non modo *εὐσέβειαν*, id eſt *bonum*, vt explicat Auguſtinus,* & rectum *cultum*, ſed etiam *θεοσέβειαν* promiſcue atque indifferenter vocant, id eſt Dei cultum; & pios, ac religioſos, *θεοσεβεῖς*, id eſt Dei cultores. Quo loco obiter caſtigandus venit Bellarmini de hoc vocabulo error; *In lingua* (inquit) *Græca vna vox eſt propria Dei cultui, nempe θεοσέβεια, quæ non multum eſt in vſu.* Significat diverſum eſſe *θρησκείας* & *θεοσεβείας* ſcilicet Græcis eſſe religioſum quemvis ſive Dei, ſive etiam ejus, qui Deus non eſt, cultum; *θεοσέβειαν* vero ſolius Dei cultum; vt *θρησκεία* genus omne ſit religioſi cultus, *θεοσέβεια* vero illius cultus pars, ac vt loquuntur, *ſpecies* vna duntaxat, eaque prima ac nobiliſſima, quæ nempe Deo defertur. Ille vero multum fallitur. Totum hoc quod ipſe ſtatuit, inter has voces diſcrimen, fictitium eſt, & ab vno illius ingenio; neque vetus vllus auctor aliquid ſimile notavit. Nullibi enim alterius, niſi Dei, cultum religioſum agnoſcebant veteres. Itaque *θεοσεβὴς* idem plane eſt apud eos, quod *εὐσεβὴς*, & *θρησκὸς* idem quod *θεοσεβής*. eademque eſt ratio *θρησκείας* & *θεοσεβείας*. Sic docent veteres Gloſſarum Græcolatinarum auctores ſermonis Græci haud paulo, quam Bellarminus, peritiores. Lexicon Græco-latinum quod vulgo Cyrilli dicitur; *Θρησκεία Religio. Θρησκὸς: Religioſus. Εὐσεβὴς Pius. Εὐσέβεια Pietas.* Vt nobis *pietas* & *religio, pius* & *religioſus* idem, ita & Græcis *εὐσέβεια* & *θεοσέβεια, εὐσεβὴς* & *θεοσεβής*. Tum vt apud Latinos *religio* omnem cultum religioſum, non vnam tantum aliquam ejus ſpeciem complectitur; ſic & apud Græcos *θεοσέβεια*. Et id docet Dictionarium Latino-Græcum vetus, quod Philoxeni nomine circumfertur. *Religio, θεοσέβεια. Religioſus* [illegible] *Religio* [illegible] Nimirū *εὐσέβεια* & *θεοσέβεια* promiſcue habet. Sed & ex LXX. Bibliorum interpretibus apparet plane eandem eſſe vtriuſque vocabuli vim. Hebræorum וראת אלהים

Cap. III.

Ibid. l. 8. p. 414.

Ibid. l. 3. extr. p. 165.

Lact. l. 1. Inſt. c. 20. p. 137.

*Aug. Enchir. c. 1.

Bellar. l. 3. de Sanct. beat. c. 2. §. Itaque aliquando.

CAP. III. quod proprie eſt *Dei timor*, indifferenter vtraque voce expreſſerunt; apud Geneſim & Iobum θεοσέβειαν ἐν τᾷ γῇ, ἄρα οὐκ ἔστι θεοσέβεια ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ. ἰδοὺ ἡ θεοσέβειά ἐστι σοφία; apud Solomonem vero & Iſaïam εὐσέβειαν· εὐσέβεια ἡ εἰς θεὸν ἀρχὴ αἰσθήσεως. θησαυροὶ σοφία καὶ ἐπιστήμη καὶ εὐσέβεια πρὸς τὸν Κύριον. Viderit Bellarminus, quibus auctoribus nitatur, quod dictat aliud eſſe θεοσέβειαν, quam εὐσέβειαν. Neque verius eſt quod addit, vocem θεοσεβείας *non multum eſſe in vſu*. Vnde hoc habet? Certe θεοσεβὴς & θεοσέβειας apud Græcos Scriptores ſacros neque ſemel, neque raro occurrunt. LXX. interpretes præter duo illa à nobis modo allata loca in quibus θεοσέβεια habent, θεοσεβῆ pro *pio & religioſo* aliquoties vſurpant, vt in Exodo. Καὶ σὺ σεαυτῷ σκέψαι ἀπὸ παντὸς τοῦ λαοῦ ἄνδρας δυνατοὺς, θεοσεβεῖς, & apud Iobum, καὶ ἦν ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος ἀληθινὸς, ἄμεμπτος, δίκαιος, θεοσεβὴς, quod paulo poſt iiſdem verbis bis repetitur. Nil cauſæ erat, cur his locis vocem in Græco ſermone raram & parum vſitatam ponerent. Vſi ſunt vtroque vocabulo & apocryphi Veteris Teſtamenti libri, quos Latini in divinorum canone cenſent; vt Baruch, cum ait hoc olim futurum Hieroſolymorum nomen, εἰρήνη δικαιοσύνης, καὶ δόξα θεοσεβείας; Vt Syracides; βδέλυγμα δὲ ἁμαρτωλῷ θεοσέβεια. Vt Iudith, ἡ δούλη σου θεοσεβής ἐστι. Patrum verò loca referre in quibus vtraq; vox eodem modo vſurpatur. & longum eſt, & ſupervacaneum; adeo & multa ſunt, & paſſim apud Clementem Alexandrinum, Origenem, Euſebium, & alios obvia. Neque Bellarminus, ſi hos ſcriptores Græce legiſſet, negaturus fuiſſe videtur θεοσεβείας vocem *multum eſſe in vſu*. Notum illud Clementis, ὅτι ὁ γνωστικὸς μόνος ὄντως θεοσεβὴς, quod mox demonſtrare aggrediens hunc ſolum dicit ὅσιόν τε καὶ εὐσεβῆ. vt etiam hinc liqueat idem iſti eſſe & θεοσεβῆ, & εὐσεβῆ. Sic Origenes ὁδὸν θεοσεβείας vocat, quam alij εὐσεβείας & Euſebius τοὺς τῆς θεοσεβείας ἀσκητὰς, *pietatis cultores & aſcetas, id eſt* εὐσεβείας. Alia omitto; Sed neque ita noſtri auctores vel ſoli vel primi loquuti ſunt. Ipſi Ethnici eaſdem jampridem voces eodem ſenſu vſurpabant, vt θεοσέβειαν dicerent, quæ eſt εὐσέβεια, & θεοσεβῆ, qui eſt εὐσεβής. Eſt enim hoc pœne ab ipſa natura nobis inſitum, vt religioſè colendum nihil aliud putemus, niſi quod idem ſit Deus. Itaque Pagani, qui plura colebant, deitatis ipſius & naturam & nomen in plura quoque dividebant; neque legitime quemquam coli putabant, niſi qui eſſet aliqua ratione Deus, eoque factum eſt, vt Cæſares non ante colerentur publicis religionibus, quem eſſent in Deorum numerum relati. Hactenus rectè; quod nihil colendum ſtatuebant, niſi quod eſſet Deus; illud prave, ac turpiter, & impiè, quod Dei vnitatem violare auſi plures Deos fecerunt. Itaque merito Petrus apud Pſeudo-Clementem ait Gentium ſapientes *graviſſime impietatis argui & propriis condemnari ſententiis*, vel eo ſolo quod *cum vnum eſſe pronuntient Deum, pro aſſentatione tamen erroris humani, plures mandant colendos*. Id vero vt liquet, fruſtra ſeu Petrus, ſeu

Pſeudo-

Gen. 20. 11. Iob. 28. 28. Prov. 1. 7. Iſ. 33. 6.

Exod. 18. 21. Iob 1. 1. 8. & 2. 3.

Bar. 5. 4. Eccleſiaſt. 1. 25.

Iud. 11. 16. (al. 17.)

Clem. Strom. l. 7. p. 699. a. Ibid. p. 706. b. Orig. l. 7. contra Celſ. p. 370. Euſeb. hiſt. l. 8. p. 98. a. extr. Vid. & Orig. Philoc. c. 5. p. 72. & c. 75. p. 417. Euſeb. hiſt. l. 6. c. 3. f. 8. c. c. 19. f. 63. b. & 64. a. & c. 43. f. 70. a. in Epiſt. Cornelij & l. 8. c. 11. p. 87. b.

Clem. Recogn. l. 10. fol. 54. d.

Pſeudo Clemens contendit, ſi fas eſt aliud quicquam colere, quam Deum, ſi non vnum idemque te ipſa proprie ſit & Deum eſſe, & coli. Certe ipſum *Dei* nomen à Græco δέος (quod eſt timor) ductum videri poſſit, eoque non obſcure alluſit Poëta notiſſimus, dum ſic canit, CAP. III.

------*Deus & timor ille Deorum eſt.*

Ergo *Deus* illis erat, qui *timebatur*, id eſt, qui religioſè colebatur, & quem quiſque timebat & colebat religioſè, is ei Deus erat, & viciſſim, qui Deus erat ei religioſè colebatur. A quo non abludit quod apud Moſem legimus, *Iuraſſe Iacobum per Timorem patris ſui Iſaac.* Gen. 31. 53.
Timorem Iſaac dicit Deum Iſaac. Atqui *timor Iſaac* non fuerit ejus Deus, ſi quem *timere* (id eſt religioſè colere) fas eſt non Deum. Ex hac vetuſtiſſimorum Chriſtianorum ſententia Euchariſtiæ, & cœlo receptis Sanctorum mentibus, & eorum reliquiis, & ſacris imaginibus, & cruci, vel tribuendum eſt, Dei nomen, vel certe negandus religionis cultus; Neque enim illi θρησκείαν eſſe putant, niſi quæ θεοσέβεια eſt; id eſt religionem niſi quæ Dei & in Deum ſit, nullam vere vel eſſe vel dici exiſtimant. Si cum Latinis ſenſiſſent, θρησκεία non θεοσέβεια ſimpliciter erat dicenda, ſed partim etiam ἁγιοσέβεια, ἀγγελοσέβεια, λειψανοσέβεια, σταυροσέβεια, ἀρτοσέβεια· id eſt Sanctorum, Angelorum, reliquiarum, crucis, panis ſacri cultura. Atqui nuſquam hæc apud iſtos reperiuntur; neque dubito, quia ea ipſi pro totidem monſtris ſi quis dixiſſet, habituri fuerint. Sola apud eos Dei, neque vllius præterea diverſæ rei cultura, id eſt ſola θεοσέβεια invenitur. Huc accedit, quod non nudum *cultus*. id eſt adorationis, & ſervitutis religioſæ nomen, ſed & rem ipſam & omnes ejus partes vni ac ſoli Deo tribuunt atque vindicant. Hunc cultum fide, fiducia, ſpe, precibus & aliis ejuſdem generis actibus contineri & ipſi non vno loco docent, & omnes fatentur. Fidem in vnum eſſe Deum. Origenes vſque adeo probat, vt eam ne in Apoſtolos quidem eſſe ferat, cum illa Chriſti apud Ioannem interpretans, *Qui accipit ſi quem miſero, me accipit*; obſervat non ſic Ioan. 13. 20.
quoque dictum eſſe. *Qui credit in vos, credit in me. Vt enim* (inquit) *recipiamus ſuos ipſius Apoſtolos, vult quidem ille* (Chriſtus ſcilicet) *non tamen, vt in illos credamus.* De fiducia proprium titulum habet Cyprianus, quo præſcribit *in Deum ſolum eſſe fidendum, & in ipſo gloriandum.* Vnam Iudæorum gentem cæteris omnibus eo nomine præfert Origenes, quod ſola edocta ſit ἀναβαίνειν ἐπὶ τὴν ἀγένητον τοῦ θεοῦ φύσιν, καὶ θεωρεῖν μόνον ἐκεῖνον, καὶ τὰς ἀπ' αὐτοῦ μόνου ἐλπίδας προσδοκᾷν, *aſcendere ad increatã & æternam ei naturã & in illũ SOLVM intueri, & ab eo SOLO ſpes omnes ſuas expectare.* Alibi in operibus ejus, quæ Latine tantum extant, hæc leguntur; *Ad eos autem qui in Sanctis fiduciam habent, non incongrue proferimus exemplum, Maledictus homo qui ſpem habet in homine; & illud, Nolite confidere in hominibus. Sed & aliud; Bonum eſt confidere in Domino, quam in principibus. Quod ſi neceſſe eſt in* Orig. in Ioan. 13. 20. T. 2. p. 415. Cypr. Teſt. ad Quir. l. 3. §. 10. p. 381. Orig. contr. Celſ. l. 4. p. 195. init. Orig. hom. 4. in Hier. T. 1. p. 633.

CAP. III.

Recognit. l. 10. fol. 54. C

** fort legendum decernere.*

Clem. Al. Strom. l. 7. p. 721. a. Ibid. p. 722. a.

** Orig. l. 5. cont. Celſ. p. 239. Ibid. l. 3. pag. 435.*

Tertull. Apol. c. 32. extr. p. 31. b.

eſt in aliquo ſperare, omnibus derelictis ſperemus in Domino. Inde eſt quod apud fictitium Clementem, Petrus Evangelicæ veritatis evidentiam commendans, poſtquam ex ea honorandum eſſe dixit Deum & Patrem omnium conditorem, ejuſque Filium, qui ſolus eum novit, & voluntatem ejus, illa etiam addat, *Chriſti legem diſcernere, * honorandum eſſe Deum Dominum omnium per viam ſobriam, caſtam, juſtam, miſericordem, & in ipſo SOLO omnem collocandam ſpem.* Sed vt ſpem fidemque noſtram in Deo ſolo reponendam docent; ita & preces atque hymnos religionis noſtræ non alij quod eidem Deo offerri debere tradunt iidem primorum Chriſtianorum doctores. Certe enim definiunt orationem τὴν εὐχὴν *colloquium cum Deo*, ὁμιλίαν πρὸς τὸν θεόν, noſque & Angelos ab illo ſolo precari, vt bona alia quidem largiatur; alia verò tueatur ac conſervet; omnem orationem & precationem Deo omnium rerum Domino, per Chriſtum ſummum Pontificem offerendam, ipſumque etiam orandum. * Hymnos denique in SOLVM ſummum Deum, ejuſque Vnigenitum Verbum eſſe dicendos. Denique primos Chriſtianos juramentum, quod ipſum quoque religioſi cultus pars eſt, non alij quam Deo detuliſſe ex iis patet, quæ Tertullianus eorum omnium nomine in Apologetico loquitur. *Dæmonas (inquit) id eſt genios adjurare conſuevimus, vt illos de hominibus exigamus, NON DEIERARE, VT ILLIS HONOREM DIVINITATIS conferamus.* Ergo quod quis dejerat, ei iſte divinitatis honorem ex veterum Chriſtianorum ſenſu confert; Nulli autem eos putaſſe divinitatis honorẽ niſi vni ex Deo rerum omniũ creatori conferri fas eſſe, clarum atque confeſſum eſt. Ergo neque alium quam ipſum, dejeraſſe eos planum eſt.

CAPVT IV.

Argumentum veræ ſententiæ III. Primi Chriſtianiſmi cultores diſerte negant quicquam, quod ſit creatum, colendum, vel adorandum; Origenis, Tatiani, Athenagoræ, Clementis Alexandrini, Pſeudo-Clementis Romani diſerta in eam rem teſtimonia.

ATQVE ex his apparet antiquiſſimos illos trium priorum ſæculorum Chriſtianos ſolum Deum optimum maximum coluiſſe. Iuvat tamen coronidis loco hoc etiam ſuperioribus ad veritatem plane penituſque confirmandam adiicere, teſtari eos non ſemel ſe nullas creaturas, nulla Dei opera colere; in quo genere cum nihil non ſit præter vnum Deum, certum eſt qui nihil hujus generis adorarent, eos vnum ſolumque Deum adoraſſe. Iam ſupra Origenem audivimus profitentem *nullam* ſit cæteroſque Chriſtianos *creaturam colere*

vel adorare; quo nihil dici poteſt in hanc rem diſertius aut abſolutius. CAP. IV.
Ille vero vſque adeo ab omni ſenſu ac ratione religioſum creaturarum
cultum abhorrere exiſtimavit, vt eos alibi pronuntiare non dubitet
vermibus & formicis & ranis eſſe æquiparandos, qui καταπεπτωκότες *Id. contr.*
ἀπὸ τῆς περὶ θεοῦ ὑγιοῦς ὑπολήψεως, φαντασίᾳ δ' εὐσεβείας ἤτοι ἄλογα ζῶα, ἢ *Celſ. l. 4. p.*
ἀγάλματα σέβουσι, ἢ καὶ τὰ δημιουργήματα *à vera Dei cognitione delapſi, va-* *182.*
na pietatis imagine, vel bruta animalia, vel ſimulacra, vel etiam crea-
turas colunt; δέον ἐκ τοῦ κάλλους αὐτῶν θαυμάζειν τὸν πεποιηκότα, κἀκεῖνον σέ-
βειν; *cum è contra deceret ex perſpecta earum pulcritudine auctorem*
admirari, eumque colere. Idem cæterorum eſt, qui Origenis ſenſus,
Tatianus multa de Deo præclara exſecutus. Τοῦτον (inquit) διὰ τῆς *Tatian. o-*
ποιήσεως αὐτοῦ ἴσμεν, καὶ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ τὸ ἀόρατον τοῖς ποιήμασι καταλαμ- *rat. contr.*
βανόμεθα· δημιουργίαν τὴν ὑπ' αὐτοῦ γεγενημένην χάριν ἡμῶν προσκυνεῖν οὐ θέλω. *Græc. T. I.*
γέγονεν ἥλιος καὶ σελήνη δι' ἡμᾶς· εἶτα πῶς τοὺς ἐμοὺς ὑπηρέτας προσκυνήσω; *Bibl. Patr.*
Hunc ex opere, quod condidit, agnoſcimus, & potentiam ejus inviſibi- *Gr. l. p. A. B.*
lem ex factis æſtimamus. Opus equidem ab ipſo noſtri gratia conditum
adorare nolo. Solis & Lunæ ſidera propter nos facta ſunt; & ego mi-
niſtros meos adorarem? Iterum; τοὺς πλανήτας προσκυνεῖν οὐ βούλομαι. *Ego* *Ibid. p. 167. A*
ſtellas erraticas adorare nolo, quo & illud ſpectabat paulo ante de ve-
ris Chriſtianis non minus vere, quam eleganter dictum; ἡμεῖς δὲ καὶ *Ibid. p. 166. C*
εἱμαρμένης ἐσμὲν ἀνώτεροι, καὶ ἀντὶ πλανητῶν δαιμόνων ἕνα τὸν ἀπλανῆ δεσπότην
μεμαθήκαμεν· *Cæterum nos & fato ſuperiores ſumus, & pro planetis, hoc*
eſt, erraticis dæmonibus, vnum erroris neſcium dominum didicimus. Quod
autem de Sole & Luna & cæteris ſtellis errantibus dicit, de quibuſvis
Dei operibus dictum puta; è quibus iſta quod & per ſe præclariſſima
ſint, & à Paganis maxime ac ſtudioſiſſime colerentur, potiſſimum ac
nominatim memoranda putavit, Athenagoras Athenienſis in Apo-
logia, quam Baronius A. D. 179. ſcriptam cenſet, mundum & magni- *Bar. ad A. D.*
tudine, & ipſa ſpecie atque forma pulcherrimum eſſe confeſſus. Ἀλλ' *179. §. 48.*
οὐ τοῦτον (inquit) ἀλλὰ τὸν τεχνίτην αὐτοῦ προσκυνητέον. *Verum tamen non hunc,* *Athenag. le-*
ſed ejus artificem adorabo. Vt Regem non regiam, honorare ſubdi- *gat. pro*
tos ejus decet. Tum mundum concinno & eleganti organo compa- *Chriſt. Bibl.*
rans, τὸν ἁρμοσάμενον (inquit) καὶ πλήσσοντα τοὺς φθόγγους καὶ τὸ συμφωνὸν ᾄ- *Patr. Græc.*
δοντα μέλος, οὐ τὸ ὄργανον προσκυνῶ. *Illum qui ſonos dirigit, tangitque, &* *Lat. T. I. p.*
concinnam modulationem accinit, non ipſum organum adoro; id eſt vt *61. A. b. c.*
liquet, non mundum, ſed Deum. Denique non cætera ſolum, quæ
in mundo, vel ex quibus mundus, ſed ipſas etiam Dei potentias aut
virtutes δυνάμεις id eſt Angelos adoraturum ſe negat, cum eæ mundi
partes eſſe vere ſtatuantur; οὐ τὰς δυνάμεις προσιόντες θεραπεύομεν, ἀλλὰ *Ibid. E.*
τὸν ποιητὴν αὐτῶν καὶ δεσπότην: *Non ad has colendas* δυνάμεις *nos conferimus,*
ſed ad conditorem earum & Dominum. Poſtremo repetit ſe *cælum*
& elementa admirari quidem ob eam artem, quæ ſumma in iis elucet,
non ideo tamen adorare, ac ſi Dij eſſent.* Sic & Clemens Alexan-
drinus, Dei & nomen & cultum iis eripit, quæcumque ſunt Dei

* θαυμάζω τεχνῆς, οὐ προσκυνῶ αὐτὰ ὡς θεούς.

CAP. IV. opera, cœlum, Sol, Angeli, homines; Vnde hæc conficit, Καὶ μὴ τὸν Ἥλιόν τις ὑμῶν προσκυνείτω, ἀλλὰ τὸν ἡλίου ποιητὴν ἐπιποθείτω. *Nemo veſtrum Solem adoret; ſed Solis factorem deſideret.* Paulo poſt eodem ſenſu; Τὸν κύριον τῶν πνευμάτων ποθῶ (inquit) τὸν κύριον τοῦ πυρὸς, τὸν κόσμου δημιουργὸν, τὸν ἡλίου φωταγωγὸν θεὸν ἐπιζητῶ, οὐ τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ. *Dominum ſpirituum deſidero, Dominum ignis, mundi opificem, Solis illuminatorem Deum quæro, non Dei opera.* Hæc illi: in quibus Deum operibus ſuis in hoc negotio conſtanter ſic opponunt; vt cultum & adorationem his quidem plane negent, illi ſoli concedant atque aſſerant. Ex hac primi Chriſtianiſmi de religione ſententia illa vetus Pſeudo-Clemens duxit, quæ facit Petrum dicere; *Vnusquiſque* (inquit) *habens ſenſum, nec ea quidem credit adoranda, quæ à Deo facta ſunt, & habent ſenſum, id eſt, Solem, Lunam, vel Stellas, omniaque quæ in cœlo ſunt. Iuſtum enim putant non ea quæ pro mundi miniſterio facta ſunt, ſed ipſorum & mundi totius creatorem debere venerari: gaudent enim etiam hæc, cum ille adoratur & colitur; nec libenter accipiunt, vt honor creatoris creaturæ deferatur.* Vides vt iſte etiam *ſenſu* eos carere putet, qui aliquid eorum, *quæ à Deo facta ſunt*, id eſt, aliquam creaturam, *adorari* poſſe vel debere *credunt*? Atque ita confectum eſt, hoc perpetuum conſtanſque fuiſſe veteris Chriſtianiſmi dogma, qui intra trecenteſimum & quartumdecimum à nato Chriſto annum fuit, ſolus vt Deus optimus maximus, nihil vt creatum adoretur. Vnde illud porro clarum perſpicuumque fit, non modo, quod nos contendimus, à Chriſto vel ejus Apoſtolis traditum non fuiſſe, vt vel Euchariſtia, vel Angeli, & eorum cives ſancti, vel reliquiæ, vel imagines, aut cruces religioſè colerentur; ſed quod multo majus eſt, traditum etiam ab iis fuiſſe diſerte, ne eorum aliorumve ſimilium quicquam ita colatur. Neque enim iſta vel Deum eſſe, vel non eſſe in rerum creatarum cenſu, quiſquam probabiliter dixerit; primi quidem illi Chriſtiani, de quorum fide ac cultu nunc diſputamus, nunquam dixerunt.

Clem. Paran. ad Gent. p. 41. d.

Ibid. p. 43. a.

Ibid. p. 44. d.

Clem. Recognit. l. 5. fol. 39. a. b.

CAPVT

CAPVT V.

Refellitur λατρείας & δουλείας distinctio, qua Latini tria ſuperiora argumenta ſolvere fruſtra conantur. Demonſtratur & Divinos & Eccleſiaſticos intra trecenteſimum à nato Domino annum ſcriptores duliæ æquè & latriæ vocabulum, cum de religioſo cultu vſurpant, de Solius Dei cultu intelligere; nunquam de vllius rei creatæ honore. Bellarmini objectiones & argutiæ diluuntur.

AC VT omnis cavillationi locus præcludatur, nunc duo quædam refellenda ſunt, ad quæ Latini confugere ſolent, quo demonſtrationem hanc diſſolvant. Nam negant ſe earum rerum, quas diximus, cultu illa violare quæ de ſolius Dei religioſa adoratione ex divinis Eccleſiaſticiſque ſcriptoribus aſtruximus; cum enim religioſus cultus duobus generibus diverſis *latria* ſcilicet, & *dulia* contineatur, ſe *latriam* quidem de qua intelligenda ſunt allata Scripturæ & Patrum loca, nulli niſi ſoli Deo deferre; rebus verò quibuſdam creatis cultum tribuere, ſed eum tantum qui *duliæ* dicitur. Nemini quippe eſſe ignotum, ſe hæc ita inſtituere, vt Euchariſtiam quidem, cui *latriam* exhibent, Chriſtum ipſum Dei filium, verum de Deo Deum, eſſe credant ac defendant; Sanctis verò, & reliquiis, & imaginibus, & crucibus, quas meras eſſe creaturas confitentur, non alium quam duliæ cultum aſſerant. Ego verò in primis reſpondeo ſi illa oratio, qua *ſolius Dei adoratio* eſſe dicitur, nihil iſtorum de cultu religioſo ſententiæ officit aut præjudicat, mirari me cur Inquiſitores Hiſpanici, frugi ac diligentiſſimi homines, eam ferre, non potuerint, ſed has ipſas voces ex Indicibus Athanaſianis veluti piaculares eradi atque obliterari iuſſerint? cur cæteri Latini ita cum Patribus loqui vulgo refugiant? cur qui hæc vſurpant hæreſeos ſtatim ſuſpectos habeant? cur denique Maldonatus ea oratione, quam apud vetuſtiſſimos Chriſtianiſmi ſcriptores ſolennem eſſe non neſciebat, *impium errorem* contineri diſerte affirmaverit? Sed vt ad rem ipſam veniam, illud ſecundo reſpondeo non jam quæri, quæ nunc ſit Latinorum hominum de tota hac quæſtione ſententia, ſed quæ antiquiſſimorum Chriſtianorum olim fuerit. Itaque vt valeat allata ſolutio, inprimis conſtare debet veteres de cultu religioſo idem cum ipſis ſenſiſſe; duas itidem ejus ſpecies conſtituiſſe; *latriam* ac *duliam*; illam quidem vni Deo deberi; hanc vero nullam eſſe invidiam, etiam nonnullis creaturis exhibere. Atqui non modo nihil ex omni illa prima Chriſtianiſmi memoria affertur; quo hæc ita diſtinxiſſe atque tradidiſſe veteres illos auctores intelligamus, ſed etiam multa apud ipſos occurrunt,

currunt, quæ eos plane aliter de his ſenſiſſe vincunt. Primo hoc ipſum, quod hanc religioſi cultus diſtinctionem nuſquam memorant, ſimpliciter vbique colendum, & Deum ſolum affirmantes, & quicquam creatum negantes, magno & valido argumento eſt, nihil iſtos eorum quæ nunc Latini & ſentiunt, & factitant, ſciviſſe. Si enim Angelos & homines cœlites, ſi eorum reliquias & ſimulacra, & cætera quæ diximus, vt nunc fit, colebant; profecto non ita præfracte tamque ſæpe ac tam conſtanter negandum erat, quicquam præter Deum colendum eſſe, cavenda erat lectoris vel auditoris offenſio, ne his tam crudis, tamque diſertis vocibus publicus Eccleſiæ in rerum creatarum adoratione vſus pulſari videretur; adhibenda vel ſemper, vel crebro, vel certe nonnunquam illa *latriæ*, & *duliæ* diſtinctio; quod hodie Latinos ſedulo ſervare videmus. Cum ergo nullam vſquam hujuſmodi cautionem adhibuiſſe veteres illos Patres certum ſit, illud quoque procerto habendum eſt, neque eos quicquam iſtorum ſciviſſe, neque cur ea indagarent, aut de iis ſolliciti eſſent, cauſam vllam fuiſſe; quod aliter verum eſſe non poteſt, niſi & hoc confiteamur, nullam Euchariſtiam, nullas reliquias, nihil cæterorum, quæ diximus, apud eos cultum vel adoratum fuiſſe; Si quid enim hujuſmodi fuiſſet, certe cauſa erat & manifeſta & neceſſaria, cur ad tollendam Eccleſiaſtici cultus cum ſuis illis de ſolo Deo colendo effatis contradictionem, illas nunc apud Latinos in ſimilibus argumentis ſolennes *religioſi cultus* differentias & inveſtigarent ipſi diligenter, & repertas ſæpe, quoties opportunum erat, vſurparent. Nunquam fecerunt, nunquam generales illas, quas ſupra exhibuimus, de ſolo Deo colendo ſententias, vlla vel exceptione reſtrinxerunt, vel diſtinctione molliverunt ac infregerunt. Quin & illud ex veris liquidiſque teſtimoniis conſtat eos nihil inter *latriam duliamque* diſcriminis poſuiſſe, ſed vtrumque vocabulum promiſcue in hoc argumento vno eodemque ſenſu vſurpaſſe. Prius quidem, quod eſt λατρεύειν, & ex eo ductum λατρεία. Latini ipſi fatentur, de eo tantùm religionis cultu, qui Dei proprius eſt, in hoc negotio dici; Alterius, quod eſt δουλεύειν, aliam eſſe apud veteres Scriptores rationem, oſtendere debuerant. Sed non facient; Eandem enim eſſe planum eſt. Primo divini Scriptores, quorum ſermonē noſtri & fontem & normam eſſe decet; cum religionis cultum, tum qui apud Iſraëlem à piis rectè ac legitimè vni Deo, tū qui ab impiis apud Gentes idolis ac creaturis perpetam exhibebatur, vtrumque nullo diſcrimine tam δουλείαν, quam λατρείαν vocant. Ita Deus vbi Iſraëlitis peccatoribus idolorum cultum exprobrat; *Reliquiſtis me* (inquit) *&* ἐδουλεύσατε *duliam exhibuiſtis Diis alienis* a. Alibi queritur quod Iſraëlitæ ἐδούλευσαν dulia *coluerunt Deos alienos*, b & multa gravia minatur ſi δουλεύσωσι dulia *proſecuti fuerint Deos alienos*, & vetat *ne poſt Deos alienos eant*, vt duliam *iis exhibeant*. Et iſta paſſim de idolatris occur-

Iudic. 10.13.
a *Hier.* 5.19.
b 1. *Sam.* (*lat.* 1. *reg*) 8.8 *&* 3. *Reg.* (*lat* 3. *Reg.*) 9.9.
2. *Paral.* 7.22.
Hier. 22 9.
1. *Reg.* (*lat.* 3.) 9 8.
Hier. 25.6. *&* 35.15.

runt, quod ἐδούλευσαν τῷ c Βααλ, τοῖς γλυπτοῖς τῶν ἐθνῶν, d πάσῃ τῇ δυνάμει τοῦ οὐρανοῦ, ταῖς ἀστάρταις f. id eſt quod duliam *præſtiterint Baali, ſculptilibus gentium, exercitui cælorum, Aſtartis, vel lucis.* Sed & veri Dei cultum haud parcius *dulia*, quàm *latria* vocabulo ſignificarunt, cum de Iſraële Ioſuæ temporibus ajunt, ἐδούλευσεν ὁ λαὸς τῷ Κυρίῳ, duliam *exhibuit populus Domino*; & ἐκεῖ δουλεύσουσί μοι πᾶς οἶκος Ἰσραήλ, ibi duliam *mihi exhibebit omnis domus Iſraël. g* Quoties vero & quam multis in locis Iſraëlitis præceptum legimus τὸ δουλεύειν τῷ Κυρίῳ ἐν ὅλῃ καρδίᾳ h, ἐν ἀληθείᾳ, ἐν καρδίᾳ, ἐν φόβῳ, ἐν εὐφροσύνῃ, dulia *ſervire Domino in toto corde, in veritate, k in corde perfecto, in timore, l in lætitia m in lætitia n?* Denique apud Græca Biblia, illud de Domino legimus, Αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, *Illi Soli* latriam *exhibebis*; *o* ita & de eodem hoc quoque invenimus, Δουλεύσατε αὐτῷ μόνῳ. Duliam *illi Soli exhibere*; Et eodem quoque verbo; laudatum Iſraëlitarum obſequium, Καὶ ἐδούλευσαν Κυρίῳ μόνῳ, *Et Domino Soli* duliam *exhibuerunt. p* Manſit idem apud poſteros vocabuli vſus, vt patet ex Syracide; εἰ προσέρχῃ (inquit) δουλεύειν Κυρίῳ Θεῷ. *Cum accedis ad* duliam *præſtandum Domino Deo, ſta in juſtitia & timore q.* Sic quoque locuti ſunt novi fœderis ſcriptores divini, apud quos crebro occurrit Θεῷ δουλεύειν, duliam *exhibere Deo.* Ita Paulus ſuum in Deum cultum expreſſit, *vos* (inquit) *ſcitis à prima die, qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim,* δουλεύων τῷ Κυρίῳ duliam *exhibens Domino cum omni humilitate. r.* Χριστῷ δουλεύειν duliam *exhibere Chriſto ſ* dicit idem alibi eodem ſenſu. Sic quoque negat diſſidiorum ſatores hypocritas τῷ Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ δουλεύειν, *Domino noſtro Ieſu Chriſto* duliam *exhibere. t.* Quin & verum Dei cultum hæc voce totum aliquando complectitur, vt cum Theſſalonicenſes ſcribit à ſimulacris converſos eſſe δουλεύειν Θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ, *ad* duliam *Deo viventi, & vero exhibendam. u* Sed & *duliam* non minus quam *latriam*, vnius veri Dei propriam, atque eximiam eſſe docet, cum Galatarum miſerum olim in Ethniciſmo ſtatum deſcribens, *Tunc quidem* (inquit) *ignorantes Deum* ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς, *iis, qui natura non ſunt Dij* duliam *exhibuiſtis. x* Ex his videre eſt hanc Eccleſiæ inde à primis initiis fuiſſe traditionem, vt & *latria*, & *dulia* Soli vero Deo deferatur, adeo vt creaturæ cuilibet, *& quicunque natura Dij non ſunt*, iis ſervitutem ſive *latriæ*, ſive *duliæ* exhibere, id Paganiſmi error ſit. Eadem ſecuti ſunt Apoſtolorum diſcipuli, & alij vetuſtiſſimi Chriſtianorum magiſtri. Clemens, & quidem verus, in epiſtola ad Corinthios, fideles Dei ſervos, conſtanti fide diras perſecutiones pro ejus nomine paſſos deſcribit τοὺς ἐν ὁσίᾳ καὶ ἀμώμῳ προθέσει δουλεύοντας τῷ Θεῷ duliam *exhibentes Deo in ſancta & inculpata voluntate*; eoſdemque mox vocat τοὺς ἐν καθαρᾷ συνειδήσει λατρεύοντας τῷ ὑπερβολῷ ὀνόματι αὐτοῦ (Θεοῦ ſcilicet) *eos qui in pura conſcientia nomini ejus virtute pleno,* latriam *exhibent*; Nimirum huic ex Scripturæ more & δουλεύειν idem eſt quod λατρεύειν; *dulia*

Cap. V.
c 1 Reg. (lat. 3) 18. 32. & 22. 54. 2. Reg 10.18.
d 2. Reg. (lat. 4) 17 41. Pſ. 105 (Heb. 106.) 34
e 2 Reg. (lat. 4.) 21 3.
f 2. Paralip. 24.18.
g Iud 2.7.
h Ezech. 20. 40.
2. Paral 30. 8. & 33. 16. & 34.35.
i 1. Sam. (lat. 1. Reg.) 12.20.
k 1. Sam. (lat. 1. Reg.) 12.24
l 1. Paral. 28 9.
m Pſ 2. 11.
n Pſ. 100. (lat. 99.) 2.
o Deut. 6. 13.
p 1. Sam. (lat. 1. Reg.) 7.3.
q 1. Sam. 7. 4.
r Syrac. 2. 1.
ſ Act 20. 18. 19.
t Rom. 14. 18.
u Rom. 6. 18. vid. & Col. 3. 24.
x 1. Theſ. 1. 9.
y Gal. 4. 8.
Clem. ep. ad Cor. p. 59.

CAP.V. eadem quæ *latriæ* ſervitus ac cultura. Polycarpus Ioannis Apoſtoli, *Polyc. ad Philip. p. 14.* perinde ac Clemens Pauli diſcipulus, Philippenſes compellans; δουλεύσατε (inquit) τῷ θεῷ ἐν φόβῳ καὶ ἀληθείᾳ *duliam Deo exhibete cum timore, & veritate*; *Ibid. p. 19.* Et infra iterum, οὕτως οὖν δουλεύσωμεν αὐτῷ (Χριστῷ) μετὰ φόβου καὶ πάσης εὐλαβείας. *Sic ergo duliam exhibeamus ei cum timore, & omni reverentia.* Idem ſanctiſſimus ſenex in martyrio; vt eſt in actis, eodem verbo vſus eſt ad eum cultum, quo Domino ſervierat, ſignificandum, cum præclaras illas voces edidit; ὀγδοήκοντα καὶ ἓξ ἔτη ἔχω *Act. Polyc. p. 21. & Euſeb. Hiſt. l. 4. c. 15.* δουλεύων αὐτῷ (Χριστῷ) καὶ οὐδέν με ἠδίκησε. καὶ πῶς δύναμαι βλασφημῆσαι τὸν βασιλέα μου τὸν σώσαντά με; *Octogeſimum jam; & ſextum ætatis annum ingredior duliam ei Chriſto exhibens, neque ille me vlla in re læſit, & quomodo poſſum blaſphemare regem meum qui me ſervavit?* Origenes aperte docet nefas putaſſe ſuæ memoriæ Chriſtianos, non modo *latria* ſed etiam *duliæ* cultum rebus vllis creatis impendere. Hæc enim de ſe, & *Orig. contr. Celſ. l. 3. pag. 123.* de cæteris fidelibus ſcribit; καὶ πρὸς τούτων ἐπαίροντες τὰ φρονήματα αὐτῶν (εἰσαγομένων) ἀπὸ τοῦ δουλεύειν τοῖς κτισθεῖσιν ἀντὶ θεοῦ ἐπὶ τὸν κτίσαντα τὰ ὅλα αὐτοὺς ἀναβιβάζομεν. *Præterea horum* (catechumenorum) *mentes à dulia colendis pro Deo creaturis abducimus, & ad Deum vniverſi Creatorem evectas traducimus.* Etiam *duliam* à creatis ad Creatorem totam transfert. Quod facit etiam alio ejuſdem operis loco multo luculentius, vbi de homine Chriſtiano, vero Dei ſervo; verba faciens ita loqui- *Ibid. l. 8. pag. 393.* tur; οὐ περισπᾶται (inquit) πρὸς τῷ θεῷ ἐθέλειν ἄλλῳ τινὶ δουλεύειν μετ' αὐτοῦ, οὐδὲ πρὸς τὸ δυσὶ κυρίοις δουλεύειν. οὐ στάσεως οὖν φωνὴ ἐπὶ τοῖς τοιοῦτοι τὰ τοιαῦτα, καὶ μὴ θέλουσι δουλεύειν πλείοσι κυρίοις, διὰ τοῦτο ἀρκουμένοις κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ παιδεύοντι ὑφ' ἑαυτῷ τοὺς δουλεύοντας αὐτῷ. *Non diſtrahitur ad exhibendam* duliam (id eſt ad ſerviendum) *Deo, & alicui alij vna cum eo, neque ad* dulia *ſerviendum duobus Dominis. Non eſt ergo ſeditioſa vox hæc ita ſentientium* (hoc enim objectaverat Celſus) *& nolentium* duliam *exhibere pluribus Dominis; ac propterea iis ſatis eſt Dominus Ieſus Chriſtus eos ſub ſe erudiens, qui ei* duliam *exhibent.* Ac paucis interjectis *Ibid. p. 384. init.* ea ſequuntur, quæ jam ſupra deſcripſimus. *Nos cavemus* (inquit) *ne cui alij* duliam *exhibeamus* (εὐλαβούμενοι τῷ δουλεύειν) *niſi Deo per verbum, & veritatem ejus.* Denique hanc ſuam diſputationem poſt aliquot *Ibid. p. 400.* pagellas commemorans ait ſe hic docuiſſe Chriſtianos μόνῳ κυρίῳ δουλεύειν τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ, *Soli Domino ſervire* (duliam deferre) *Dei Filio.* Ex his nemo non videt ignotam beatiſſimis iſtis ac vere Chriſtianis ſæculis fuiſſe *duliæ* à *latria* in hoc negotio diſtinctionem; nulloque diſcrimine, veluti à Chriſti nomine ac grege alienos habitos fuiſſe quicumque vlli omnino rei præter vnum ac ſolum Deum, cultum ſive *latriæ*, ſive *duliæ* impenderent: Neque vllus in tanto librorum veterum numero locus occurrit, qui vel hanc, vel aliam conſimilem cultus religioſi vel diviſionem, vel diſtinctionem doceat. Bellarminus tamen pugnat legitimam eſſe illam à ſuis in hanc rem inductam *duliæ*, & *latriæ* pro diverſis cultibus nomenclaturam. *Nam invenimus*

(inquit)

(inquit) *non obſtante hoc præcepto* ſcilicet Deo ſoli ſervies) *dictum Iacobo ab Iſaac Gen. 27.* Serviant tibi populi, *vbi eſt idem verbum avad.* Quo conficit non ita ſolius Dei propriam eſſe *duliam*, vt non etiam aliqua hominum ſit. Ego vero reſpondeo ſi valet hoc ejus argumentum, viciſſe idololatras. Nam & eo ipſo confici poteſt non ita ſolius Dei propriam eſſe *latriam*, vt non etiam aliqua hominum latria ſit. Nam vt in Geneſi ſcriptum eſt Iacobo δυλεύσωσι dulia *ſervient populi*; ſic & in Deuteronomio ad Iſraëlem dictũ legimus λατρεύσεις τοῖς ἐχθροῖς σου, latria *ſervies inimicis tuis.* Ergo (inquiet idololatra) neque illud præceptum, *Domino Soli* λατρεύσεις latria *ſervies*, abſolutè, & ſimpliciter de quavis *latria* intelligendum, ſed de certo quodam genere *latriæ*, quæ vni quidem Deo debetur; non tamen prohibet, quominus, & aliud ſit *latriæ* hominum quibuſdam debitæ genus. Ita adverſarius dum *duliam* ſuam tegit, *latriam* imprudens nudat; vt ſi ejus ſophiſma admittatur, nihil in Scripturis tutum Dei majeſtas habitura ſit, quo ſe ab idololatrarum impudentia tueatur. Omnia jam erunt in religione duplicia, dulia duplex, latria duplex, idololatria duplex. Iſti *latriam* Deo nuper ſoli relinquebant; Nunc eripiunt, ex quorum argumentatione creaturis tam latria, quam dulia impune exhiberi poteſt, citra vllum in numen peccatum. Niſi ergo idololatrarũ patronus eſſe velit Bellarminus, tam ejus quam mea intereſt ſuam illam è Geneſeos capite 27. argutiam ſolvere. Sed res facilis eſt. Fallit enim adverſarius, neque id probat de quo quæritur. Nam quæritur, non ſimpliciter, an *dulia* vox ſit ambigua, & interdum ad eam ſervitutem ſignificandam vſurpetur, quæ hominum eſt, ſed an *dulia* vbi religioſum cultum ſignat, etiam hominum eſſe dicatur; ſic vt homines vel alias vllas creaturas, etiam ea *dulia* coli liceat, quæ ad religionem pertinet. Bellarminus vero exemplum affert, in quo *duliam*, non pro religioſo vllo cultu, ſed pro civili, & humana ſervitute ſumi palam eſt. Non enim credo, pugnabit Iſaacum velle populos Iacobo religioſam illam *duliam* exhibituros, quam Latini Divis ſuis exhibent; templa ſcilicet ei conſecraturos, & feſta, & delubra, preceſque, & hymnos olim mortuo oblaturos, cum cereis & corollis, & thure, & aliis id genus ad ſacra, & religionem pertinentibus. Iſaac non de hac quam nunc tractamus, ſed longe de alia *dulia* loquitur; nimirum de ſervitute, quam homines ſuis Principibus ſerviunt; quæ toto genere à religioſa Latinorum *dulia* differt. Hononymum eſſe pariter confitemur vtrumque & *duliæ* & *latriæ* vocabulum. Vtrumque enim paſſim, non modo apud divinos ſcriptores, ſed etiam in omni hominum ſermone ſervitium civile, & humanum ſignificat, quod ſervus hero, cliens patrono, ſubditus principi exhibet; Imo non aliter fortaſſe quam hoc ſenſu has voces apud primos Græci ſermonis authores vſurpari deprehendes. Sed & vtrumque vocabulum Scripturæ, & ex ea Patres illi vetuſtiſſimi, quorum teſtimonia laudavimus;

CAP. V.
Bell. de Sact. beat. l. 1. c. 14. §. Ad tertiũ. §. Ad illud Gal.
Geneſ. 27. 29.
Deut. 28. 48.

CAP.V. davimus, ad eum cultum, qui religionis eſt, & in religione ſolemnis, ob aliquam rerum ſimilitudinem tranſtulerunt; quem cultum Scriptores Græciæ Ethnici, non his τῆς λατρείας & τῆς δουλείας vocabulis, ſed aliis quibuſdam expreſſerunt, nempe σέβειν, σέβεσθαι, προσκυνεῖν, θρησκεύειν in eum ſenſum vſurpant. Iam vt ſi Scriptura ſervum ſoli hero, ſubditum ſuo Principi ſervire juſſiſſet, ſtulte obiiceres eam alibi præcipere Deo ſerviendum; quod ſcilicet omnes ſatis per ſe intellecturi ſint prius præceptum ad ſervitium civile, poſterius ad religioſum pertinere, illorum & natura, & ratio diverſiſſima eſt; ita neque cauſa dici poteſt, cur non ineptus ſit hoc loco Bellarminus, qui huic ſcripturæ legi, *Deo ſoli ſervies*, opponit Iacobo ſerviiſſe ſubjectos populos; quaſi quiſquam ſit tam craſſus, qui hoc de ſervitio civili, illud de religioſo dictum eſſe non intelligat. At vt ex priori objectione nequaquam ſequitur aliquod humani, civiliſque ſervitij eſſe genus, quod etiam iis qui neque heri, neque principes ſunt, exhiberi tamen poſſit ac debeat; ita profecto neque ex eo, quod vel Iacobo populi *duliam*, vel homini victori Iſraëlitæ *latriam* exhibituri dicuntur, confici poteſt, aliquod eſſe religioſæ *dulia latriaque* genus, quæ vel Angelis, & Sanctis (vt [illegible] Bellarminus) vel idolis (vt idololatræ malunt) deferri legitime poſſit ac debeat. Manent diſtinctæ, & inconfuſæ rerum ſpecies; neque efficit homonymia, vt altera in alterius genus tranſeat. Itaque ſi quid efficere volebat adverſarius, debuit in eo ſervitij genere, de quo & Scriptura loquitur, & nunc ſermo eſt & pedē figere & nobis aliquem de Scripturis proferre cui tametſi *non Deo*, *dulia* tamen non quævis, ſed *religioſa* (qualis Angelis à Latinis exhibetur) rite & legitime delata fuiſſe dicatur. Niſi hoc fecerit (quod fieri non poſſe planum eſt) conſtat legem abſolutè (quod ille negat) vetare, ne *dulia* cuiquam alij, niſi Deo, religioſa exhibeatur. De hæc enim vna & loqui legem, & nos nunc diſputare omnes vident. Civilem vero, & domeſticam *duliam*, id eſt ſervitutem, etiam ad homines pertinere, neque Scriptura vſpiam negat, neque nos profecto dubitamus. Ergo concluſum eſto, & Scripturæ doctrinam, & veterum ex ea Chriſtianorum traditionem hanc fuiſſe, vt religioſa tam *dulia* quam *latria* ſoli Deo deferatur; ignotum adeo atque inauditum apud eos fuiſſe vt Angeli & Sancti, qui aliud ſunt quam Deus, etiam vel *dulia* religioſe colantur. Sed fortaſſe concedent adverſarij, quod clare liquidoque hactenus probavimus, ipſum tam *duliæ*, quam *latriæ* vocabulum in Scripturis, & in vetuſtiſſimis Chriſtianiſmi ſcriptoribus, quoties pro religioſo cultu vſurpatur, non alium quam Deo Soli debitum cultum ſignificare; negabunt eo effici, vt de re ipſa alia fuerit Scripturæ & veteris Eccleſiæ ſententia, quam quæ ſua nunc eſt; Cultum etiam creaturæ religioſum æque ab illis ſcriptoribus probari ac nunc a Latinis, tametſi non idem ſit ejus cultus vocabulum; Rem apud vtroſque eſſe eandem; et ſi rei nomen apud Latinos

ſit

CAP. V.

ſit aliud; nempe *dulia*. Certè ſcribit Bellarminus *Eccleſiæ poſteriori* (id eſt vt interpretor Papa'i) *licuiſſe nova aliqua vocabula invenire, aut certe iiſdem in alia ſignificatione vti.* *Nova*, vt opinor, dicit, ob hyperduliæ nomen, à ſuis nuper inventum, omnibus veteribus ignotum; *Iiſdem in alia ſignificatione vti* dicit, ob *duliæ* vocem, quæ aliter à ſuis quam à Scriptura & à vetuſtiſſimis Patribus vſurpatur. Ego fateor ab Eccleſia quarti, quintique ſæculi ὁμοουσίου, & θεοτόκου vocabula, quæ nuſquam in divinis ſcripturis leguntur, fuiſſe vſurpata ad ea dogmata planiſſime breviſſimeque adverſus Arij, & Neſtorij fraudes ſignificanda, quæ ſunt in Scripturis perſpicue tradita. *Hyperduliæ* eandem eſſe rationem nego. Nam ſi vocem ſpectes, quid hoc nomine inſanius aut magis blaſphemum fingi poteſt, quo Divæ Virgini is cultus tribuendus eſſe ſignificatur, qui ſit ſupra *duliam*? Atqui *dulia*, & in Scripturis, & apud vetuſtiſſimos Chriſtianiſmi Theologos dicitur religioſus Dei optimi maximi cultus; quod & nos nuper demonſtravimus, & adverſarius nunc confitetur. Ergo qui *hyperduliam* beatæ Virginis eſſe dicunt, ij ex divini quidem, imò & Eccleſiaſtici veteris ſermonis vſu, Virgini cultum tribuendum eſſe dicunt, eo ipſo, qui Dei eſt, ſuperiorem; quod quam ſit vel auditu horrendum omnes intelligunt. Si vero rem ipſam conſideraveris, ea profecto ab omni, & Scriptura, & vetuſtiſſimæ Eccleſiæ traditione plane penituſque aliena eſt; nedum vt à Scripturis doceatur, ſicut quod τῦ ὁμοουσίου & τῦ θεοτόκου vocabulis ſignificatur, id in divinis litteris doceri clarum eſt. Quæſo enim vbinam Scripturarum legimus id, quod Latini *hyperduliæ* voce à ſe ſignificari profitentur? nempe cultum quendam religioſum inter Dei *latriam*, & Angelorum ac Divorum *duliam* medium? Rem profecto in ſcripturis non magis reperteris, quam muſteum ipſum *hyperduliæ* vocabulum, quo eam ſignificari dicunt. Quod vero ſecundo ait Bellarminus Eccleſiæ ſuæ licuiſſe vocabulo *duliæ* in alia ſignificatione vti, quam ea eſt ſcilicet in qua à Scriptura vſurpatur; ad hoc ego reſpondeo Papam quidem Latinum id ſibi iampridem ſumpſiſſe, vt res, & verba, & omnia denique pro ſua libidine vertat, atque immutet; Vt vera Chriſti Eccleſia voces ab eo ſenſu, in quo ſunt apud omnes pios ſolemni quodam ac perpetuo Scripturarum cœleſtium vſu conſecratæ; in alium ab iſto diverſum deflectat atque immutet, jus, & exemplum iſtius poteſtatis requiro. Neque enim ὁμοουσίου, & θεοτόκου vocabula huc pertinent, quæ ne vſurpaſſe quidem omnino ſcriptura reperitur, nedum vt ſenſu ab eo diverſo ſumpſerit, quo ſunt poſtmodum ab Eccleſia contra Arium, & Neſtorium vſurpata. Itaque tametſi Roma *duliæ* & δουλείαν vocabula alio nunc ſenſu ſumeret (quod videtur Bellarminus intelligere) quam quo ea olim ſumpſit, & Scriptura, & vetus Eccleſia; ſic etiam eſſet quod eam immutati cœleſtium vocum ſenſus merito pudere deberet. Quantæ enim quæſo, eſt amentiæ vel nudis ſyllabarum ſuarum ſonis homunciones Spi-

Bell. l.1 de Sanct. beat. c.14 §. Ad confirmationem.

D ritui

CAP. V. ritui Sancto obſtrepere? & quæ ille certo aliquo ſenſu dixit ea pro libidine in alium, imo & in contrarium invertere? quaſi ſcilicet vim vocum vel Deus non ſatis viderit, vel Latinorum Pontifex ſapientius vſurpaverit? Præclara hac lege fit, vt *duliam* ſoli Deo deberi, & Spiritus Sanctus in Scripturis exerte affirmet, & Papa in ſuis decretis exerte neget; vt ille clamet, Δουλεύσατε τῷ μόνῳ θεῷ *Deo Soli DVLIAM exhibete*; hic altera ex parte vociferetur, Μὴ μόνῳ θεῷ δουλεύσατε. *Ne Soli Deo* duliam *exhibete*; imo ne vlla quidem *dulia Deo ſervite*. Ille τὸ τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς δουλεύειν, duliam *iis exhibere qui natura non ſunt Dij*. Paganicum eſſe ſcelus dicat; hic pietatis ac religionis partem eſſe ſciſcat. Finge hæc à Papa alio ſenſu dici, quam quo ſunt à Domino dicta. Ne ſic quidem effeceris, vt non ſit indignandum ſervum plane aliter loqui auſum eſſe, quam Dominus erat locutus, ſuaſque voces ſacroſanctis hujus vocibus ita recta fronte opponere, vt ei veluti conſulto ac de induſtria vel repugnare, vel certe illudere voluiſſe videatur. Neque ego quemquam eſſe arbitror ex iſto Paparum cenſu tam patientem, qui famulum ita juſſis ſuis obloquentem, & ſibi ludos de heri oratione facientem non damnet procaciſſimæ proterviæ; vel qui ferendum putet cauſſantem ſibi in oratione, tametſi eadem, diverſam eſſe mentem. Neque tamen iſti credo, negaverint Dei verbis aliquanto plus à ſe reverentiæ, quam ſuis etiam à viliſſimis mancipiis deberi. Quanquam equidem non ſatis intelligam, quod affirmat, certe affirmare videtur Bellarminus, *dulia* vocabulo ſuam nunc Eccleſiam propter hæreticos ſcilicet, in alia ſignificatione vti, quam vſa erat olim vel Dei Scriptura, vel illa prima ac vetuſtiſſima Chriſtianorum Eccleſia. Scriptura enim cum *duliam* exhibere nos vel Deo præcipit, vel idolis vetat, *dulia* nomine, vt liquet, ſacros cultus intelligit, qui vel Deo apud Iſraëlem, vel idolis apud Paganos deferri ſolebant, quales erant preces, ſupplicationes, hymni, adorationes, ædes, aræ, incenſa, ſuffitus, lumina, vota, peregrinationes ad loca ſacra, & cæteri ejuſdem generis honores. Item his quoq; conſtare ac contineri *duliam* quam Latini Virgini Matri, & Divis decernunt ac tribuunt, & res loquitur, & ipſi confitentur ac docent. Nobis ergo ſplendide Bellarminus illudit, dum *duliam* nunc apud ſuos aliud quam apud Scripturam & veterem Eccleſiam ſignificare fingit. Plane idem eſt apud vtroſque vocabuli ſenſus. Omne diſcrimen in eo vno ſitum eſt, quod quam Scriptura vni Deo concedit *duliam*, Latini eam, etiam Angelis & hominibus poſt mortem conſecratis & multis aliis rebus communicant. Scio Bellarminum & alios Latinos docere ſacrificium *latriæ* proprium eſſe; negareque, cui *dulia* cultus debetur & defertur, ei fas eſſe ſacrificari. Sed primo dum Deus ſibi ſoli Iſraëlitas ſervire, ſeque ſolum adorari jubet, non, ut puto, id ſolum ſignificat, vt ſacrificia ſibi, neque vlli alij præter ipſum offerrent, cæterum licere vt etiam aliis multis rebus creatis preces ſacras, & reliquum religionis cultum exhiberent.

1. Sam. (lat. 1. Reg.) 7. 3. Gal. 4. 8.

Bell. l. 1. de Sanct. beat. c. 12 § Tertia species.

Alioqui

Cap. V.

Alioqui vbi præcipit ne gentium Deos adorarent, iiſve ſervirent, eodem modo accipienda eſſe hæc ejus verba cavillari poſſent profani; nimirum, ſic ut intelligamus vetitum ne ſacrificia iis fiant; non eſſe vetitum ne eos precibus, feſtis, pompis, hymnis, & cætero ſuperſtitionis ſervitio colamus, quod quam ſit abſurdum omnes vident. Clarum eſt hanc eſſe Dei mentem, vt Diis iſtis non modo nulla ſacrificia, ſed neque preces, neque vllam denique cultus religioſi partem tribuamus. Ergo cum in prioribus præceptis eadem plane vox, eodemque modo vſurpata ſit, fatendum eſt eandem quoque ejus iſtic eſſe vim; vt nos vetet non ſacrificia tantum, ſed & cæteros omnes ſacros religioſóſq; cultus vlli præter Deum alij exhibere; quorum cum Latini partem eſſe non negent, eos ipſos, quibus *duliam* ſuam definiunt; fateri neceſſe eſt illam ipſam, quam Divis tribuunt *duliam* eo rerum creatarum cultu contineri, quem à Deo ſevere prohibitum ſcimus; eamque adeo, ſi non plane totam ſignificat eam quam lex *duliam* vocat, certe partes ejus omnes præter vnam & alteram ſignificare. Huc accedit, quod Latini dum hæc ita ſtatuunt, videntur, non tam ex aliqua ratione, quam ex cauſæ ſtudio pro ſua libidine de toto hoc negotio philoſophari, quibus enim preces & ſupplicationes religioſas, & vota, & ſe ipſos denique offerunt, cur iis ſacrificia invideant, nulla ratio eſt. Profecto & ſupplicare religioſe, & incenſum, vel lumen de geniculis offerre, quoddam ſacrificij genus eſt; & cui teipſum devoves, ei pecudem nolle immolare vel ſtulti eſt, vel confitentis pecudem ſe ipſo eſſe potiorem. Itaque ſi quo tempore animalia Deo mactare licebat, eo fas erat Angelis religioſas preces & cæteram *duliam* exhibere; nihil vetabat quin iiſdem & pecudibus immolatis ſacra rite fierent. Ac Latinos quidem ne Divis ſuis ſacrificia offerant, eo potiſſimum prohibitos fuiſſe crediderim, non quod res ipſa abſurda aut parum conſentanea eſſe videretur, ſed quod nunc animalia immolari ſub Chriſto deſierint; vnaque relicta ſit, ex eorum dogmate, hoſtia, quam quod Deum eandem eſſe putent, ſatis vident neque poſſe neque debere creaturæ, id eſt rei inferiori, immolari. Affert Bellarminus ex lege vetitum fuiſſe Iſraëlitis ne Diis ſacrificarent, *præterquam Domino ſoli.* Non miror; qui iiſdem ſciam in genere præceptum ne alij, quam vni Deo ſervitium, id eſt cultum religioſum exhiberent, cujus ſacrificium pars fuit. Sed erat Bellarmino ex lege demonſtrandum alicui ex creaturis, cui ſacrificari nefas eſſet licuiſſe preces ſacras, & alias religioſi cultus partes offerre. Eadem eſt vtriuſque rei ratio; vt Deum, qui prius vetuit, & poſterius vetare ſit conſentaneum; Latinos Divis alterum concedere, alterum iiſdem negare, abſurdum & ab omni recta ratione alienum eſt. Nicolaus quidem Trigautius, vnus ex Ieſuiticis Sinarum Apoſtolis, non admodum videtur improbaſſe, quod Sinæ Confutio, vetuſtiſſimo Sinenſis ſapientiæ auctori ac principi, ſacri-

Exod. [illegible]

Trigat. Expedit. Sin. L. 4. c. 6. p. 368. 369.

CAP. VI. ſacrificium non vt numini, ſed vt magiſtro, parabant atque offerebant. Tantum reprehendit, quod oblationem illam ſuam *ſacrificium* vocarent. Itaque non res, ſed ſolum rei nomen ei diſplicuit; cujus ſui judicij rationem affert, ſed ineptam; Ideo negat ſcilicet ſacrificium dicendum fuiſſe; quod non offerretur numini. Quaſi vero quidquam ad ſacrificij naturam interſit, cui id offeratur; ac non ſacrificia tam fuerint, quæ ſemideis & heroïbus, quam quæ numinibus olim à Paganis immolabantur. Certe nemo facile docuerit cur Divis Euchariſtica ſacra, non æque ac religioſæ gratiarum actiones offerri debeant, ad quas ſolas illa referuntur. Sed nos jam cultus Latini, non rationes, ſed origines conſideramus; nec cur, ſed vnde traditus fuerit indagamus. Satis ergo eſt, quod oſtendimus Latinum *duliæ* & *latriæ* diſcrimen ignotum fuiſſe vetuſtiſſimis priorum ſæculorum Chriſtianis; quod ipſe Bellarminus eo ſatis fatetur, quod nullos ejus auctores teſteſve edit Beda & Lombardo vetuſtiores; quorum ille octavo ſæculo, hic duodecimo vixit.

Bell. l. 1. de beat. Sanct. c. 12. §. Neque obſtat.

CAPVT. VI.

Oſtenditur vetuſtiſſimos ad IV. ſæculum Theologos nullum alium religioſum cultum ſciviſſe, quam qui vnius ſoliuſque Dei proprius eſt; eos nullam cultus religioſi diſtinctionem vſurpaſſe; ſed omnia hujus ſenſus vocabula λατρεύειν, δουλεύειν, προσκυνεῖν, θρησκεύειν, σέβειν, *ſervire, adorare, colere, religione proſequi vni Deo tribuere; neque cum vlla creatura communicare.*

SED fortaſſe primi illi Theologi, etiamſi hanc ſapientiſſimæ Romanæ ſcholæ diſtinctionem neſcierunt, aliam tamen aliquam norant, quæ cultus religioſi diverſitatem, ſi non tam accurate, tamque commode, quam Latina, vtcumque tamen ſignificaret, aut ſaltem innueret. Ita quidem hæc eos inſtituere decuerat; ſi eadem de his cum Latinis ſentiebant. *Nam* (vt vere argumentatur Bellarminus), *cum in re inveniatur manifeſta diſtinctio inter cultum Dei, & Sanctorum* (adde *& reliquorum* quæ coluntur apud Latinos) *oportebat etiam ad vitandam æquivocationem invenire diſtincta vocabula.* Cum ergo veteres primoſque Theologos, tum divinos, tum Eccleſiaſticos, ſapientes fuiſſe nemo neget, etiamſi fortaſſe minus acutos, quam ſunt hodie ſcholaſtici & Ieſuitæ Latinorum; omnino fatendum eſt, etiam ex Bellarminiana ratiocinatione, *oportuiſſe eos ad vitandam æquivocationem invenire diſtincta cultus vocabula*; ſi iis, quod ſtatuunt adverſarij, noti fuerunt diverſi religionis cultus; quorum vnus Deo Soli, alter Mariæ, vltimus Angelis cæteriſque Divis promiſcuo conveniat. Atqui luce meridiana clarius eſt, imo etiam ab ipſis Latinis confeſſum, veteres

Ibid. §. ſed quamvis.

veteres illos ſcriptores proi ſum nulla hujus notæ vocabula habuiſſe, Cap. VI.
quibus diverſæ illæ cultus religioſi ſpecies à ſe invicem diſcernerentur. Omnino ergo vel confitendum eſt eos fuiſſe valde craſſos, ſupinoſque, & deſides Theologos, qui res & ad cognitionis ac fidei lucem, & ad omnem pietatis ac religionis vſum adeo neceſſarias, vt abſque certa pernicie confundi inter ſe non poſſint, in tantis tamen tenebris, tantaque perturbatione ac confuſione invicem permixtas, veluti in quodã poëtico chao, fœdiſſime jacere paſſi ſint, vel ſi horret animus de viris celeberrimis, ac de Chriſtianiſmo optime meritis tam contumelioſe ſentire, illud profecto quod ego contendo, mihi concedendum eſſe videtur, optimis iſtis, ac vt antiquiſſimis, ita & præſtantiſſimis Theologis plane penituſque ignotam fuiſſe omnem iſtam religioſi cultus, nunc apud Latinos formoſiſſimam, diverſitatem. Illi qui religionem totam, quantacumq; eſt vni, & ſoli Deo deferendam eſſe putabant, merito ſollicīti non fuerunt de ea re in partes dividenda, quam ſolidam & inſectilem, & omnem vnius ejuſdemque numeri ac cenſus eſſe judicabant. Sine vlla vel Euchariſtiæ vel Divorum injuria totum id Deo tribui arbitrabantur, quod totum vnius ejus eſt. Qui ne atomum quidem ex religione decerpi, & alio quam ad Deúm traduci ferebant; nihil profecto erat quod laborarent de *duliа latriaque* vel aliis ejuſdem generis diſtinctionibus: videamus tamen ſi quid forte apud eos occurrat, quod Latinorum myſterio vel in ſpeciem faveat. Fateor eos honorem in genere ſumptum diſtinguere; alium hominibus; alium Deo attribuere; illum humanum, hunc divinum cenſere; vt Tatianum ſupra optime diſtinguentem audivimus, τὸν ἄνθρωπον ἀνθρωπίνως τιμητέον, φοβητέον δὲ μόνον τὸν θεόν. *Homo humane honorandus; Deus ſolus timendus.* Eſt ne *dulia* Latinorum illa Tatiani ἀνθρωπίνη τιμὴ? Nihil minus. *Dulia* enim non *humanus*, ſed definiente ſapientiſſimo Bellarmino *inter divinum, & humanum medius eſt honor*; illo quidem inferior, hoc vero pœne immenſo ſpatio ſuperior, quantum ſcilicet eſt gratiam inter & naturam intercapedinis. Tum & hic Tatiani humanus honor eſt hominum; τιμητέον ἄνθρωπον; Latina *dulia* non hominum, ſed Angelorum eſt, ſed Divorum canonizatorum, etiam rerum ſacrarum, vt reliquiarum, & imaginum. Ergo ille Tatianicus *honor*, non *dulia*, neque vllus omnino religioſus cultus; ſed plane ſecunda illa eſt cultus apud Bellarminum ſpecies, quam ille argutiſſimus totius myſterij interpres, ait *dici poſſe cultum civilem, & obſervantiam quandam humanam*; (En ἡ ἀνθρωπίνη τιμὴ Tatiani) *quæ* (inquit) reſpondet *excellentiæ humanæ, quæ poſita eſt in humanis virtutibus, dignitatibus, gradibus, &c.* his enim pro ſuo cuique ordine honorē aliquem deberi docet ex philoſopho in Moralibus Nicomacheis. Hic prior eſt honoris ſive cultus apud Tatianum ordo. Quis alter? *Timor*, inquit, id eſt ex uſu Scripturæ (quod jam ſupra obſervavimus) religio & religioſus cultus

Tat. Orat. ad Chr. p. 162. E. Bell. vt ſupr. §. Tertia eſt.

Ibid. §. Secunda eſt.

Ariſtot. in Mor. l. 8. c. 2.

CAP. VI. Hic vero cujus quæſo eſt; *Dei*, inquit. Quid totus ne Dei? Totus; φοβητέον ἢ μόνον τὸν θεόν. *Timendus vero ſolus Deus.* Nihil-ne præter hæc? Nihil. O hominem (inquis) indiligentem! qui totum illum tam ſpatioſum, tamque amœnum *duliæ* locum omiſit. Imo inquam, non omiſit, ſed quod longe gravius eſt, etiam excluſit. *Timorem* enim hunc qui ſoli Deo vindicat, is religionem Angelis & cæteris negat; hoc eſt *duliam* Latinam de finibus Chriſtianorum eiicit; neque enim hic *timor* aliud eſt, quam cultus religioſus *honori humano* oppoſitus. Sed erunt fortaſſe alij Tatiano iſto Aſſyrio liberaliores in Divos. Imo, nulli ſunt inquam; ſed omnes ſummo conſenſu quicquid eſt religionis, & ſacri ex ea cultus, vni Deo tribuunt, ac vindicant; nihil neque Euchariſtiæ, neque Angelis, neque hominibus canonizatis, neque eorum reliquiis, aut imaginibus, neque poſtremo crucibus reliquum faciunt. Cultus religioſi nomen apud Scripturas ſolemne eſt *timor*: Hoc Tatianus ſoli Deo totum donavit. Alia erant ejuſdem rei partim in ſacris litteris, partim apud ſcriptores Græciæ nomina, εὐσέβεια,

Bell. vb. ſupr. §. Itaque aliquando. Ibid. §. Sed quamvis. θρησκεία, λατρεία, δουλεία. Bellarmino ipſi obſervata, & verba vnde iſta orta ſunt, σέβειν, vel σέβεσθαι, θρησκεύειν, δουλεύειν, λατρεύειν. Sed neque hæc, neque alia vlla ſunt, quę non primi Chriſtiani cæteris omnibus rebus erepta Deo ſoli aſſeruerint. De *latria* ipſi Latini fatentur eam *vocem niſi pro cultu ſolius Dei, nunquam vſurpari à ſcriptoribus ſacris.* Δουλείαν Deo SOLI aſſeruerunt Prophetæ, & ſecundum eos Origenes non vno loco profeſſus eſt *ſe* (id eſt Chriſtianos) *nulli alij quam Deo* δουλεύειν, *neque ſeorſum abſque eo. neque vna cum eo*; item *ſe Domino ſoli ſervire.* Εὐσέβειαν ſimiliter Deo SOLI vindicantes au-

Act. Polyc. p. 27. divimus Smyrnenſem Apoſtolicam, vetuſtiſſimamque Eccleſiam, Cle-
Clem. Alex. Strom. 6. mentem Alexandrinum, Origenem, & Dionyſium Confeſſorem, Alexandriæ Epiſcopum, dum diverſi, ſed eodem animo clamant ſe vel
Orig. contr. Celſ. l. 1. p. 10. & l. 7. p. 389. *nullum alium poſſe* σέβεσθαι, vel *didiciſſe ex lege, & Prophetis* VNVM SOLVM σέβειν *Deum*, vel à Chriſto edoctos, *quod ſummum Deum oportet* SOLVM σέβειν, recuſare atque *refugere quicquam præter eum*
Dionyſ. apud Euſeb. Hiſt. l. 7. c. 11. σέβειν. Sic & θρησκείαν Dei vnius propriam eſſe ex Clemente Roma-
Clem. ep. ad Cor. p. 59. no, & Iuſtino intelleximus; cum ille Chriſtianorum religionem *glorioſam Altiſſimi* θρησκείας vocaret, iſte primam, atque antiquiſſimam
Iuſtin. de Mon. p. 80. θρησκείαν *in* VNVM *omnium Dominum* eſſe diceret. Sed & præter illa quatuor à Bellarmino indicata nomina, προσκύνησις *adoratio* etiam in
Idem Apol. 2. p. 49. 50. hoc argumento plurimum vſurpatur: Illam vero Deo SOLI non minus quam cæteras religioſi cultus nomenclaturas adſeruerunt vetuſtiſ-
Theoph. c. 1. p. 110. c. ſimi Theologi, Iuſtinus, Theophilus, Origenes, & Dionyſius Alexan-
Orig. l. 2. contr. Celſ. p. 163. drinus, dum alius nos ſcribit ex Chriſti diſciplina SOLVM Deum προσκυνεῖν, alius vt *Regis* nomen vnius Principis eſt proprium, ita & προσκυνεῖσθαι negat cujuſquam eſſe alterius, quam Dei ſolius; tertius
Dion. apud Euſ. Hiſt. l. 7. c. 11. affirmat nos SOLVM decere vniverſi conditorem admirari & προσκυνεῖν; quartus apud Iudices confitetur *nos neminem alium quam Deum*

προσκυ-

CAP. VI.

προσκυνεῖν. Sic Græci, Latinorum veterum fuit eadem ſides, quos ipſos quoque ſua Græcis reſpondentia, omnia SOLI Deo tribuentes recitabamus, *cultum*, *adorationem*, *ſervitium*, *venerationem*, *religionem*. De cultu, Tertullianum, Cyprianum, Fructuoſum, Lactantium teſtantes, *quod colunt Deum vnum eſſe*; *nihil ſe colere, niſi Dominum Deum ſuum*; *Solum ſe eum noſſe, ſolum colere*; *ſe vnum Deum colere, qui fecit cœlum, & terram*; *vnum eſſe Deum eumque ſolum coli oportere*. De *adoratione* ſimiles erant Tertulliani & Lactantij voces: *præſcriptum eſt nobis* cœleſti lege *ne quam alium adoremus præter vnicum illum* legis ipſius auctorem Deum; magnum eſſe *nefas adorare aliud præterquam Deum, qui condidit cœlum, & terram*. Neque de *ſervitio* aliter Cyprianus *Soli ſe Deo ſervire*. Sic quoque de *veneratione* Tertullianum habuimus definientem; *Præſcribitur mihi, ne quem alium adorem, aut* QVOQVO MODO VENERER *præter vnicum illum, qui ita mandat*; & Petrum apud veterem Pſeudo-Clementem, *juſtum eſt non ea quæ pro mundi miniſterio facta ſunt, ſed ipſorum, & mundi totius Creatorem debere* VENERARI. *Religionem* denique Lactantius ſoli quoque Deo vna cum veneratione ſic aſſerebat; *Religio & veneratio nulla alia niſi* VNIVS *Dei tenenda eſt*. Iam ex his clarum eſt nullum fuiſſe veteribus illis primi Chriſtianiſmi hominibus nomen, quo eum religionis cultum (quem Latini creaturis quibuſdam tribuunt, *duliæque* & *hyperduliæ* vocabulis inſigniunt) ab eo diſtinguerent, qui *Creatoris eſt*. Nam ſi quod iis nomen hujuſmodi fuit, certe vel ipſum *duliæ*, quod nunc Latini ſic vſurpant nomen fuit, vel aliud. *Duliæ* ſive *ſervitij* non fuiſſe, & Latini ipſi confitentur, & nos veris certiſque vicimus. Sed neque aliud à *Dulia* nomen ullum hujus vſus apud eos fuiſſe, inde conſtat, quod ſi quod aliud fuiſſet, id omnino neceſſe ſit vel *δουλείας* vel *προσκυνήσεως* vel *θρησκείας*, vel *cultus*, vel *adorationis*, vel *religionis*, vel *venerationis* nomen fuiſſe. (Neque enim alia ſunt hujus ſenſus Græcis, Latiniſque vocabula, ſi vnum *λατρείας* nomen exceperis, quod adverſarij concedunt fuiſſe ſemper, eſſeque etiam hodie vnius, ac ſingularis divini cultus proprium.) Atqui demonſtratum eſt hæc Græca, Latinaque nomina Soli Dei cultui à veteribus attributa, addictaque fuiſſe diſertiſſime atque conſtantiſſime; plane ſic vt eidem rei *latriæ* nomen adverſarij proprie dicatum atque conſecratum eſſe voluerunt. Ergo poſtremo confitendum eſt nullum plane apud veteres illos vocabulum fuiſſe, quo ex eorum vſu ac ſenſu religioſus, qui nunc apud Latinos obtinet, quarundam creaturarum cultus, ſignificari poſſet. Vnde nemo non videt eſſe conſequens, vt ne res quidem ipſa, quæ aliquo hujuſmodi nomine fuerat ſignanda, vlla apud eos cognita fuerit. Quale enim quæſo, iſtud eſt, vt cultum per trecentos pene annos eum exercuiſſe primos Chriſtianos dicas, de quo quis eſſet, vel quo nomine appellandus, nihil iis ipſis, qui eum factitabant, conſtaret? Tu *duliam* vocas. Illi negante

Tert. Apol. c.17.
Cypr. ep. 56. & l.1. ad Fortun. c.11.
Act. Fructuoſ.
Lactan. Inſt. l.4. c.14.
Tert. Scorp. c.4.
Lact. Inſt. l.5. c.18.
Cyprian. ad Fortun c.11.
Tert. Scorp. c.4.
Clem. Recogn. l.5. fol. 30. B.
Lactan. inſt. l.1. c.20.

CAP. VI. negant ſic dici poſſe quod nefas ſit *duliam* alij quam Deo creatori impendere. Tu huic cultui *adorationis* vocabulo ſæpe blandiris. Illi ſacrilegiũ eſſe vociferantur, quicquã aliud quã Deum adorare. Tu *religionis* & *θρησκείας* ei ſæpius nomina accommodas. Illi *religionem* vel *θρησκείαν* vllam niſi vnius Dei norunt. Tu poſtremo indignum putas, niſi ſaltem *venerationis* ei nomen legitime donari poſſit. Hoc etiam illi reſpuunt; Solum ſe Creatorem *venerari* teſtantur, neque hoc ſimpliciter, ſed etiam præſcriptum ſibi affirmant ne quem alium præter vnicum Deum *quoquo modo venerentur*; veluti tuas ſophiſticos cavillos jam tum metuerent; conſultoque occuparent quæ tu nunc tuo illi in creaturas cultui obducis, ac prætendis; ſe ſcilicet eas colere quidem, ac venerari, ſed alio modo quam Deum; hunc omni modo, & prece, & ſacrificio & Thure; illas aliquo tantum MODO, prece ſi forte & Thure & incenſo, ſed non ſacrificio. Has technas vt diſcuterent boni illi noſtri majores matute denunciandum putarunt cavere ſe, non ſolum ne quem præter vnicũ Deum adorent ac venerentur, ſed illud etiam diſerte, ne quem QVOQVO MODO venerentur. Ita eſt tua *dulia* in maximas, ſi verum ſentis, anguſtias acta; cui nullum à primis Chriſtianis honeſtum nomen relictum eſt. Si eos audis, non eſt *εὐσέβεια*, non *προσκύνησις*, non *σέβασις*, non *θρήσκεια*, non *cultus*, non *adoratio*, non *ſervitium*, non *veneratio*, non venerationis quiqui modus. Per eos ne *dulia* quidem eſt, quod tu eam maxime proprieque eſſe vis. Nihil enim illi in legitimum harum rerum cenſum admittunt, quod non idem Dei ſit Optimi Maximi. Res horum nominum cuiquam alij præterquam Deo, delatas pro totidem habent criminibus, ſacrilegiis, offenſis in Dominum Deum capitalibus. Fruſtra hic Bellarminus nobis narrat Patres *nomen religionis*, & *adorationis aliquando accepiſſe pro ea virtute ſpeciali; quæ habet pro objecto cultum Dei, & quæ diſtinguitur ſpecie ab ea virtute qua colimus Sanctos; aliquando vero accepiſſe largius pro omni illa virtute, qua colimus vel Deum, vel Dei amicos, aliaſque res ſacras.* Intelligit *adorationem*, & *religionem* à Patribus vel ſtricte pro *latria*, vel largius pro *latria* & *dulia* ſumi. Ego vero, ſi *duliam* de cultu religioſo accipit, (vt accipit ſane) nego à Patribus trium priorum ſæculorum, de quibus nunc agimus, vel *adorationem* vel *religionem* vnquam eſſe ſumptam pro hujuſmodi *dulia*. Si hoc verum eſſet, facile fuerat aliquod hujuſmodi phraſeos ex tribus illis ſæculis exemplum afferre: Nullum vero attulit Bellarminus. Quæ de ſequentibus ſed pauciſſima, & parum valida attulit, viderint, qui in his excutiendis verſantur. Nobis qui hanc diſputationem intra decem perſecutionum tempora concluſimus, non libet extra inſtitutum evagari. Itaque illud ſatis habemus negare, quod ponit adverſarius, priorum temporum Chriſtianos has *adorationis & religionis* voces vnquam aliter accipere; quam de Dei cultu. Multa ex iis congeſſimus, in quibus ipſi denunciant ſe Soli

Bell. l. 1. de Sanct. beat. c. 12. §. Itaque aliq.

Soli Deo neque vlli alij deferre quicquid religioſi cultus iſtis *adorationis & religionis* vocabulis, & aliis conſimilibus apud Græcos, & Latinos ſignificatur. Proferat adverſarius vel vnum locum ex iiſdem auctoribus, quo illi à ſe, vel à cæteris Chriſtianis *Dei amicos*, id eſt Angelos & Sanctos, vel res *ſacras adorari, religione, θρησκείᾳ, εὐσεβείᾳ, σεβασμῷ* coli teſtantur ac profiteantur. Ego vero nihil me hujuſmodi in tota hac prima ac maxime omnium obſervanda Chriſtianæ antiquitatis, in qua nunc ſumus, parte legiſſe aut vidiſſe vnquam memini. Quale autem iſtud quæſo eſt, & quantæ impudentiæ, vt auctores illius memoriæ, qui quidem veri extant, concordi omnes voce non ſemel, ſed ſæpiſſime, non ambigue, ſed diſertiſſime negantes ſe aliud quicquam *adorare, colere, aut venerari religioſe*, præter vnum Deum optimum maximum, contendas, tamen alia plurima præter vnum illum Deum adoraſſe, atque religioſe coluiſſe ac veneratos eſſe? remque tantam ac tam incredibilem à nobis admitti poſcas, etiamſi ne vnum quidem ex ipſis illis authoribus ad eam perſuadendam teſtimonium, aut documentum afferas? Profecto ea lux eſt, id pondus, ea auctoritas eorum quæ nos adduximus; vt tametſi aliquid contra afferres, id vix audiendum putarem; omninoque aut mendi, aut ambigui ſuſpectum eſſem habiturus, ſi quid eſſet quod tantæ tamque fulgidæ veritati obiici poſſet. Nunc cum nihil ſit, quod poſſis obiicere; cum omnia Græcorum, Latinorumque primorum, & ſequentium de hoc argumento dicta, & cum divinis litteris, & inter ſe ad amuſſim congruant ac conſpirent: & tua eſt non ferenda inverecundia, quæ plane aliud quam quod loquuntur ſenſiſſe, eos ingratiis contendis; & noſtra eſſet miſeranda ſtultitia, ſi vni hominis peſſimæ cauſæ ſtudio corrupti auctoritati concederemus hunc, quem plano meridie videmus ſolem, nequaquam lucere. Ne quid tamen vel protervis, vel ſimplicioribus cauſæ ad repugnandum ſuperſit, nunc miſſo *duliæ* nomine paucis videtur demonſtrandum vetuſtiſſimos illos Patres cultum, qui à Latinis eo vocabulo ſignificatur neſciviſſe. Id vero vel ex iis quæ ſupra attulimus, nullo negotio oſtendi poteſt. Conſtat enim ex Latinorum traditione atque vſu eum cultum hoc inter cætera continere, vt Angelis, & Divis, quos ſic colunt, preces religioſas offerant, hymnos canant, & per eos jurent. At ſupra Patres audivimus hæc à ſe amolientes, docenteſque ſacram precationem eſſe *colloquium cum Deo*, non etiam cum Angelis aut Divis; & omnem *orationem atque ſupplicationem Deo per Chriſtum eſſe offerendam*; neque aliter conſtare veræ pietatis rationem, niſi *πᾶσαν εὐχὴν omnem orationem ad Deum dirigamus*: & eo ſpectare Dei verba, vt vnus ab omnibus, non modo colatur, ſed etiam rogetur. Sic etiam hymnos, cuiquam niſi Deo & Verbo ejus Vnigenito dicendos negant; neque per aliud quam per Dei nomen concipi debere jusjurandum ſatis eo ſignificant, quod nos *honorem divinitatis iis conferre* tradunt, quos dejeramus. Cum ergo

CAP. VI.

Clem. Alex. Strom. 7.
Orig. contr. Celſ l. 5. & *l.* 7 *p.* 77.
Cypr. ad Demetr.
Tert. Apol. c. 32.

CAP. VI. *dulia* creaturæ invocationem, ſive precationem ſacram, & hymnos in ejus gloriam, & juramenti jus per ejus nomen contineat, apparet veteres illos Theologos plane penituſque neſciviſſe Latini hujus cultus non modo novum illud *duliæ* à *latria* diſtinctæ nomen, ſed etiã rem ipſam; eamque ſi ſciviſſent, acerrime fuiſſe repudiaturos; quæ ſcilicet cum vera ipſorum ſententia validiſſime pugnet; quod nos multo etiam Deo dante fuſius atque accuratius ſumus demonſtraturi, cum Angelorum & Divorum cultum, ad quem eorum invocatio pertinet, proprie ac ſigillatim poſtea tractabimus. Nunc ſatis eſt ex ſuperioribus concludere omnem illam cultus religioſi in *duliam*, & *latriam* diſtinctionem Latinorum cauſam nihil juvare; quæ ſcilicet cum Patribus, quorum dicta laudavimus, ignota fuerit, nequaquam perhibere poſſit, quominus ex eorum teſtimoniis vere ac legitime conficiamus eos neque Euchariſtiam, neque Sanctos, aut reliquias, neq; imagines aut cruces religioſe coluiſſe, quando nunc conſtat nihil eos præter vnum verum Deum vel coluiſſe ipſos, vel ab aliis colendum credidiſſe. Neq; eſt quod hic mihi quiſquam objectet nõ eſſe credibile viros illos eximios de Angelis, de Virgine Chriſti matre, deque Sanctis in ſinu Dei viventibus, & quieſcentibus adeo exiliter ſenſiſſe, vt eos plane nullo honore dignos cenſuerint. Non poteſt hoc nobis niſi vel ſtulte vel certe improbe ac mendaciter obiici. Non enim contemptos à veteribus Chriſtianis Sanctos ideo ſtatuimus, quod adoratos negemus; neque neceſſe eſt, ſi quid adorare abnuas, id à te ſtatim contemni. Multa ſunt inter vtrumque extremum media. Eſt etiam iis, quæ religioſe non coluntur, ſuus honos. Notavit ipſe Bellarminus *obſervantiam quandam eſſe humanam*, & quidem adeo longe lateque patentem *vt in alias multas ſpecies dividi poſſit*; omnes tamen certi ſuique generis, id eſt, à religioſo tam Dei, quam Divorum cultu plane diſtincti. Tatianus τιμὴν ἀνθρωπίνην *honorem humanum* vocabat ſupra, Dei timori oppoſitum. Nihil neceſſe fuit veteres etiam hunc honorem iis omnibus invidere, atque eripere, quibus divinum ſine ſacrilegio tribui poſſe non putabant. Licuit iis de hujus honoris copia, quæ magna eſt, in Sanctos eſſe liberalibus; modo eum pietate duce ac arbitra caſte intra ſuos fines haberent, neque quicquam de ſuperiori genere, quod totum eſt religionis, invaderent & in alterius jura præter vtriuſque leges tranſcriberent. Atque hanc fuiſſe vetuſtiſſimorum Chriſtianorum de his ſenſum nos pluribus poſtea oſtendemus, vbi de Euchariſtia, Divis, atque reliquiis ſigillatim quæretur. Origenes rem totam non minus breviter, quam perſpicue complexus eſt ſupra, vbi de Dei operibus loquens, quas Chriſtiani religioſe venerari abnuebant, ait ea τιμῆς μὲν ἄξια, οὐ μὴν καὶ προσκυνήσεως, καὶ σεβασμοῦ. *honore quidem digna eſſe, non tamen etiam adoratione, & cultu.* Atque hæc quidem de Latinæ *dulia* à *latria* diſtinctione dicta ſatis ſunto.

Bell. l. 1. de Sanct. beat. c. 12. §. Secunda eſt.

Orig. l. 1. cõtr. Celſ. p. 10.

CAPVT

CAPVT VII.

Refellitur ſingularis Latinorum de Euchariſtia, quam adorant, exceptio; negantium eam iis Patrum ſententiis contineri, quibus Deus ſolus colendus eſſe dicitur, quod ea ſcilicet vere Deus ſit. Breviter & obiter oſtenditur Patres aliud ſenſiſſe, & Euchariſtiam pro vero pane, veroque vino habuiſſe.

NVNC alteram adverſariorum exceptionem breviter expendamus. Ex eo quod Patres conſtanter negent quicquam aliud adorandum, quam Deum, concludebamus eos ergo Euchariſtiam minime adoraſſe. Negant Latini hoc ex illo ſequi; eſſe enim Euchariſtiam Deum, mundi & Creatorem, & Redemptorem. Ego fateor argumenti conſecutionem merito negari, ſi de Euchariſtia ita ſenſerunt Patres; ita autem ſenſiſſe, nego. Is vero craſſus, & immanis eſt Latinorum error, ab omni non modo & ſcripturæ, & rationis luce, ſed etiam à communi hominum ſenſu alienus; vt minutus ex farina ſubacta, compreſſus, & coctus circulus, mutus, & anima vitaq; caſſus, ipſe ille Deus vivens eſſe credatur; qui vnus vitæ ſaluti ſque noſtræ optimus maximus auctor eſt. Ne quid nunc de Chriſti Apoſtolo dicam, qui Euchariſtiam *panem* eſſe aperte ac liquido confirmat; & quidem eum panem qui *frangatur*; hæc certe, quæ Latinorum eſt de Euchariſtia opinio, non fuit illorum Theologorum ſententia, quos paulo ante ex prima antiquitate citatos laudavimus. Illi enim Euchariſtiam nuſquam vel Deum vocant, vel pro Deo ſe habere teſtantur, aut excipiunt ex rerum creatarum cenſu, quas omnes ſæpe ac conſtanter negant adorandas. Sed quid ego eos nego vſpiam ſignificaſſe quod Euchariſtiam Deum eſſe crediderint? Illi vero aliud ſe ſenſiſſe clariſſime, ac diſertiſſime docent, dum eam æque ac Apoſtolus, *panem* eſſe, & *vinum* affirmant. Iuſtinus τροφὴν dicit ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν γίνονται *alimentum, ſive cibum, ex quo ſanguis & carnes noſtra fiunt per mutationem*; Irenæus idem quoque ſignificat, dum ait ab hoc cibo *carnem noſtram ali.* Clemens Alexandrinus de poculo Euchariſtico verba faciens, probat ὅτι τὸ εὐλογηθὲν οἶνος ἦν, quod *id quod benedictum fuerat* (à Chriſto in cœna) *vinum erat.* Tertullianus non ſemel quod Chriſtus *corpus ſuum appellat* in Cœna, id *panem* eſſe ait. Et Cyprianus diſertiſſime *vinum fuiſſe quod ſanguinem ſuum dixit* Chriſtus. Origenes denique vſque adeo *panem* eſſe Euchariſtiam putat, vt eam ὕλην ἄρτου *materiam panis* dicat, & hactenus ſeceſſui obnoxiam pronunciare non dubitet; καὶ τὸ (inquit) ἁγιαζόμενον βρῶμα διὰ λόγου Θεοῦ καὶ ἐντεύξεως κατὰ μὲν τὸ ὑλικὸν εἰς τὴν κοιλίαν χωρεῖ, καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται, *Et ille cibus qui ſanctificatur per verbum*

1. Cor. 11. 26.27.28. 1. Cor. 10.16.

Iuſt. Apol. 2. p. [illegible] l. 3.
Iren. l. 4. c. 34.
Clem. Alex. Paed l. 2. c. 2. p. 158 a b.
Tert. contr. Iud. c. 11. p. 222. a & l. 3. contr. Marc. c. 18.
Cypr. ep. 63. ad cæc. p. 11.
Origen. in Matth c. 15. T. 2. p. 27.

CAPVT VIII.

Dei, perque obſecrationem, juxta id quod habet materiale, in ventrem abit, & in ſeceſſum eyicitur. Ac ne quem moveat, quod Chriſtus hunc panem tradens diſcipulis, dixerit, *Hoc eſt corpus meum*, vel quod eum Patres vulgo ac paſſim *Chriſti corpus* vocent; Tertullianus monet *corpus Dominicum* dici *pro corporis Dominici figura*; cum de Chriſto, *Acceptum* (inquit) *panem, & diſtributum diſcipulis corpus illum ſuum fecit, Hoc eſt corpus meum, dicendo, id eſt, figura corporis mei.* Origenes itidem, vt qualiter Euchariſtia ſit corpus Domini, intelligamus, τυπικὸν καὶ συμβολικὸν σῶμα vocat *typicum, & ſymbolicum corpus*, & ab ipſo λόγῳ diſtinguit. Cætera ſuo loco tradentur. Nunc hæc ſatis ſunt, vt veteres illos Theologos ita de Euchariſtia ſenſiſſe appareat, vt eam vere panem eſſe crediderint, quod etiam inde conſtat quod vel eam aliquando *in cinerem mutari* vel ex ea ſæpius *parum quid decidere* confirmant; quæ pani quidem accidere poſſunt, Dei vero, aut Dominici corporis ſubſtantia nequaquam poſſunt. Cum ergo panem, & vinum creaturas eſſe, & quidem inanimes nemo dubitet; jam certo conſtat ex eo quod veteres illi Theologi validiſſime negant ſe quicquam creatum adoraſſe, clare neceſſarioque confici eos Euchariſtiam, quam panem, & vinum eſſe, vt eſt ſane, certo ſtatuebant, nequaquam adoraſſe, vel adorandam putaſſe. Atque ita confutata vtraque illa Latinorum exceptione ex his primæ antiquitatis teſtimoniis, quæ ſunt à nobis initio allata, jam clarum liquidumque eſt quod nos probare inſtitueramus, veteres illius memoriæ Chriſtianos, neque Euchariſtiam, neque Angelos, Divoſque, neque ſacras vel reliquias, vel imagines, vel cruces religioſe, quod nunc omnes Latini faciunt, coluiſſe.

Tertull. l. 4. contr. Marc. c. 4. c. 57 a.
Origen in Matth. p. 27.
Cypr. de lapſ. p. 202.
Orig. Hom 13. in Exod. p. 102.

CAPVT VIII.

Solvuntur loca, quæ pro ſua traditione afferunt Latini; Iuſtini de adorato Angelorum exercitu; Origenis, Tertulliani, & Cypriani de Martyrum feſtis; Irenæi de Maria Evæ advocata; Origenis Angelum invocantis; Nazianzeni de Iuſtina Mariam invocante; Euſebij de veneratione cathedræ Iacobææ; Iuſtini de crucis ſignis; Origenis de cruce adorata; Lactantij de eadem adorata.

SED nequid ſuperſit, ex quo de hac primorum Chriſtianorum ſententiæ dubitari poſſit, age hoc loco refellamus quæcumque Latini ex veris antiquiſſimæ illius memoriæ ſcriptoribus pro religioſo harum quinque rerum cultu objectant. Nam neque hæc, quod pauciſſima ſint, nos diu morabuntur, & iis ſemel explicatis ac ſolutis

liberior

liberior erit deinceps totius diſputationis curſus, expeditiorque via, amotis iſtis, vt ſic dicam, ſpinis, ſalebriſque omnibus complanatis. CAPVT VIII.

Ac de Euchariſtiæ quidē adoratione nihil ex iis libris obiiciunt, qui primæ ante a. D. 30 . antiquitati certi atq; indubitati ſunt. Quæ vero Bellarminus ex Dioniſianę Hierarchię capite tertio, & ex Pſeud-apoſtolicis Conſtitutionibus l. 2. c. 61. (alias 57.) & ex Origenis Homilia V. in diverſa loca Evangelij, ad ea'tem attulit, ea prætermittimus, quod libri, ex quibus citantur, falſi ſint nominis, ac diu poſt eorum authorum mortem ſcripti, quorum nomina præferunt, tametſi ne ipſa quidem illa loca oſtendant latriam Euchariſtiæ delatam fuiſſe ab eorum temporum hominibus, qui quo libri ſcripti ſunt, tempore vivebant; vt à noſtris in diſputationibus de Euchariſtia ſuis, & ſæpe, & fuſe, & noviſſime, vt alios mittam, ab optimæ memoriæ viris, collegis olim in Domini opere meis, Michaële Falcario, & Edmundo Albertino ἐπι μαλέςερ .. luculentiſſime demonſtratum eſt. *Bell. de Euchar. Sacr. l. 1. c. 29. extr.* *Vide Falcar. de Euchar. l. 3. c. 10. p. 219. & l 4. c. 4. p. 291. Albertin. de Euchar l 2. de Dionyſ. c. 2. § Quarto.*

Videamus ergo quæ de religioſo cœlitum ſive Angelorum, ſive hominum cultu objectant; ac primo locum Iuſtini quemdam, quem in hac cauſſa attulit Bellarminus; *Iuſtinus* (inquit) *in 2. Apologia, p. 2. loquens nomine omnium Chriſtianorum, & fidem totius Eccleſiæ explicans.* Sed (inquit) & illum (*Deum Patrem*) & ejus Filium, qui venit, noſque hæc docuit, & aliorum ſequentium ſimiliumque bonorum Angelorum exercitum, & Spiritum Propheticum colimus, atque adoramus, verboque & re ſeu veritate veneramur, idque omnibus, qui diſcere volunt, vt docti inſtitutique ſumus copioſe tradimus. Hęc ille; Iuſtini verba ita accipiens ſcilicet, vt ſignificent à Chriſtianis *adoratum, verboque & re ſeu veritate cultum fuiſſe bonorum Angelorum exercitum.* Atqui ſi ea eſt, quod iſte vult, horum verborum mens atque ſententia, Iuſtinus paulò poſt apud Cæſares, quos in hac Apologia alloquitur, ſplendide mentitus eſt, cum iis affirmatiſſime teſtaretur, ſe cæteroſque Chriſtianos *ipſis quidem Cæſaribus alacriter miniſtrare; cæterum Deum ſolum adorare*; tamque infans fuit, vt hæc apud eos jactare non dubitaret, quos ipſe paulo ante, hoc eſt tribus, quatuorve non amplius abhinc paginis, docuerat præter vnum Deum col, adorarique à Chriſtianis omnem quoque *Angelorum exercitum*, id eſt, innumerabilem Divorum multitudinem. Sed non hæc tantum Bellarminus peccare Iuſtinum cogit, vt cauſæ Latinorum ſerviat. Facit eum præterea (quod prodigium eſt in omni Eccleſia inauditum) in recenſendis ſacroſanctæ Trinitatis perſonis, quas Chriſtiani adorant, Angelos continenter poſt Patrem & Filium, ante Spiritum Sanctum collocare, atque nominare; vt velle videatur (ſi Bellarminum quidem audimus) Angelos à Chriſtianis eodem honore coli, quo tres illæ ſanctiſſimæ Trinitatis perſonæ coluntur; imò etiam (quod plane eſt intolerabilis amentiæ) potiori à noſtris loco cenſeri, *Bell. p. 1. o. b. ibid. in Origen. c. 3. p 364 Bell. l. 1 c. 13. de Sanct. beat. § Argumentum quartum.* *Iuſtin. Apol. p. 50. lin. 11.*

CAPVT VIII. quam Spiritum ipſum Sanctum benedictæ illius Triadis perſonam. Vult enim adverſarius quatuor à Iuſtino recenſeri Chriſtianæ religionis objecta; primum Patrem; ſecundum Filium; tertium Angelos; quartum denique Spiritum Sanctum. Ita Angelos in mediam Trinitatem invitis omnibus piis, infulcit. Quis ferat? Quis non ad tam dirum facinus cohorreſcat? Quis vel Pneumatomachus ſanctiſſimo illi Spiritui ita iratus, infeſtuſque fuit, vt cum poſt *exercitum Angelorum cenſeret?* Tam-ne cæcos homines cauſæ ſtudium facit, vt hæc Bellarminus, vir in paucis doctus & acutus, non viderit? Atqui ipſe alibi (quod & ab aliis * eſt obſervatum) vere profecto ac ſapienter negaverat, † Dominum in baptiſmi formula, cum edicit homines in Patris, Filij, & Spiritus Sancti nomine baptizari, Spiritum Sanctum cum Patre, & Filio copulaturum fuiſſe, ſi Spiritus eſſet creatura. Idem nunc, imò non idem, ſed alius, quam qui olim, vult Angelos, quos creaturas eſſe non negat, non modo cum Patre & Filio *copulari*, ſed etiam ante Spiritum Sanctum, qui Deus eſt, collocari; ita homini Latinæ in Angelos religionis zelus mentem, judicium, ſenſum denique omnem eripuit. Sed nunc Iuſtinum ab ejus calumnia liberemus. Fateor ejus orationem nonnihil eſſe impeditam atque involutam, ſic tamen vt eam, ſi quis animum vel leviter intenderit, nullo negotio explicare poſſit. Græca ſic habent; ἐκεῖνόν τε (πατέρα) καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ υἱὸν ἐλθόντα, καὶ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα, καὶ τὸν τῶν ἄλλων ἑπομένων καὶ ἐξομοιουμένων ἀγγέλων ἀγαθῶν στρατὸν, πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν, λόγῳ καὶ ἀληθείᾳ τιμῶντες. Hic accuſativus τὸν στρατὸν *exercitum*, ita conſtruendus eſt, vt regatur, non à verbis ſequentibus σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν *colimus & adoramus* (quod Bellarminus, ſane improvide ac pueriliter putavit) ſed à participio activo διδάξαντα, *qui docuit*, idemque accuſativus copuletur, non cum ſanctiſſimæ Trinitatis perſonis Patre & Filio (quod impium eſt & nefas) ſed cum accuſativo proxime præcedente, ſcilicet *nos*; *qui hæc & nos, & Angelorum exercitum docuit.* Locus jam planus & perſpicuus eſt, ab omni illa *Angelorum* θρησκείᾳ *cultura* alienus, quam ex eo conſtituere fruſtra conatur Bellarminus; Angelos enim à Chriſto, noſtræ religionis myſteria *doctos* fuiſſe dicit (quod verum eſſe fatemur, vt ex Paulo Apoſtolo hauſtum, apud quem legimus *multiformem Dei ſapientiam per Chriſti Eccleſiam innotuiſſe principibus, & poteſtatibus in cæleſtibus*, id eſt, vt omnes vident, Angelis) Angelos à Chriſtianis, non modo cum Patre ac Filio ante Spiritum Sanctum (quo ducit impia Bellarmini interpretatio) ſed vel vlla alia religione, vllove cultu *adoratos* fuiſſe, nequaquam dicit. Sequitur apud Iuſtinum poſt aliquot pagellas locus hujus plane ſimilis, in quo docet à noſtris primo quidem Deum Patrem, ſecundo vero loco Dei Filium Ieſum Chriſtum, ac tertio Spiritum Propheticum merito ac cum ratione coli atque honorari. Neque de Angelorum cultu quicquam iſtic additum videmus.

* *Chamir Panſt. l. 19. c. 4 § 4.*

† *Bellarm. de Chriſt. l. 1. c. 13. §. Secunda.*

Iuſtin. Apol. 2. p. 43. lin. 35.

Epheſ. 3. 10.

Iuſt. Apol. 2. p. 47. init. ad lin. 12.

mus. Idem ergo eſt & loci à Bellarmino objecti ſenſus. Hæc cum videret Perronius, prudenter fecit, qui in ſua de Sanctorum cultu adverſus Angliæ Regem, quantumvis longa, & ambitioſa diſputatione, nihil tamen ex Iuſtino attulit; ſedulo cavens ſcilicet-ne ad hunc ineptiæ Bellarminianæ lapidem offenderet. Sed Ioannes Langus Sileſius, ipſe quoque homo Latinæ communionis, hunc Iuſtini locum in eum, quem diximus, ſenſum eſt interpretatus, totam orationem de induſtria ita coërcens, ac temperans, omnemque ambiguitatem declinans, vt hoc duce in Bellarminianæ παρερμηνείας ſcôpulum impingere ne ſi velis quidem, poſſis; *Verum hunc* (Patrem) *& qui ab eo* (inquit) *venit atque iſta nos, & aliorum obſequentium, & exæquatorum bonorum Angelorum exercitum docuit. Filium, & Spiritum Propheticum colimus & adoramus, cum ratione, & veritate venerantes.* Hæc Lango interprete Iuſtinus, Angelos à Chriſto quidem doctos affirmans; à Chriſtianis vero adoratos non hic magis quam alibi tradens; ſed plane, vt in loco quem paulò ante commemoravimus, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, non alios, edens, quos noſtri *colerent*, adorarent, & cum ratione & veritate venerarentur. Hoc ergo Iuſtini teſtimonium Angelos, & alios ex hominibus Divos à Chriſtianis ſuæ memoriæ adoratos, non modo, vt volebat Bellarminus, non affirmat, ſed contra clariſſime negat. Quod enim ſtatuit Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum *cum ratione & veritate eſſe colendos, & venerandos*, eo ipſo ſatis docet ſi quos alios præter hos colamus, rem nos facturos *à ratione, & veritate* alienam. Sed hæc de Iuſtino ſatis.

CAPVT VIII.

Iuſtin. vbi ſuprà.

Bellarminus affert ſecundo loco quædam Græcorum Latinorumque Patrum teſtimonia; ex his Tertulliani & Cypriani, ex illis vero Origenis; quæ docent *memoriam martyrum ſemper, vt dignum eſt in Eccleſia celebrari* (quod ait Origenes) *& Martyrum paßiones ac dies annua commemoratione celebrari* (quod habent Tertullianus & Cyprianus) Hæc ille; cujus quanta fuerit in his ſcribendis oſcitantia atque ſecuritas, vel hinc diſcimus. Nam quæ citat Origenis ea & ſunt auctoris incerti, cujus aliquot inter Origenis opera extant in diverſos Evangeliorum locos Homiliæ, & de infantibus ab Herode occiſis, non autem in genere de Martyribus dicta ſunt. Tum quod ait Tertullianum *in libro de Corona meminiſſe celebrationis feſtorum in natalitiis Martyrum*; vnde quæſo habet? In illo enim libro extant quidem hæc verba; *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus*; de Martyrum feſtis, nullum verbum habetur. Tertullianus, vt patet, de quibuſvis Chriſtianis loquitur: non de Martyribus. Alibi certe hoc cujuſvis mulieris Chriſtianæ in mortuū maritum officiū cenſet; *Offert* (inquit) *annuis diebus dormitionis ejus.* Itaque ſi *oblationes* in priori loco memoratæ Martyrum ſunt, & Martyres à noſtris cultu religioſo adoratos fuiſſe eo ipſo docent, quod anniverſariæ eſſent; certe & vxoris pro marito anniverſariæ oblationes in hoc poſteriori loco memoratæ pariter quoque docebunt noſtrorum olim vxores viros ſuos

Bell. l. 1. de Sanct. beat. c. 13 §. Orig. & §. Ex Latinis.

Orig. Hom. 3. in divers. loc. T. 2. p. 436.

Tert. de Corona c. 3. p. 121. D.

Id. de Monog. c. 10. p. 682. A

CAPVT VIII.

mortuos cultu religioſo adoraſſe; quod quam ſtultum abſurdumque ſit omnes vident. Cyprianus fateor, illa quæ ei adſcribit Bellarminus,

Cypr. ep. 34. p. 53.

revera habet; *Quoties* (inquit) *Martyrum paſſiones & dies, anniverſaria commemoratione celebramus.* Neque id apud noſtros, jam tum ſolemne fuiſſe, quiſquam negat, imò & annis ante Cyprianum pœne centum idem moris fuiſſe ex vetuſtiſſimis ac laudatiſſimis Po-

Act. Polyc. p. 28. & apud Euſeb. Hiſt. l. 4. c. 15.

lycarpi Actis patet. Sed quis Bellarminum docuit nullius vel *diem* mortualem, vel *paſſionem anniverſaria commemoratione celebrari,* qui non idem *adoretur cultu religioſo?* Atqui apud multas gentes ſolenne & olim fuit, & nunc etiam eſt, vt quoſcunque caros habuerunt, eorum dies mortuales annua commemoratione celebrent; & Epicurus ni fallor, id ſibi officij à diſcipulis præſtari cum eſſet in ſupremis, flagitavit. Diem vero natalem etiam quiſque ſuum, quandiu ſupererat, ipſe apud Græcos, & Romanos celebrare ſolebat. An ideo vel Epi-

Diog. Laert. l. 10. in teſtam. Epic.

curum à diſcipulis, vel alium quemvis ab aliis ſuam memoriam ſinili anniverſario officio celebrantibus, vel vnumquemque denique diem ſuum natalem eadem commemoratione proſequentem à ſe ipſo religioſe cultum & adoratum fuiſſe vel argumentabitur, vel nobis perſuadebit Bellarminus? Apage ineptias, Sunt hæc honoris *humani* (vt quivis videt) & civilis etiam aliquando, obſervantiæ; non religioſi proprie cultus officia. Smyrnenſes in Polycarpi Actis, quid

Act. Polyc. p. 27. Ibid. p. 28.

ipſi, quid alij ejuſdem ſæculi Chriſtiani in iſta natalitiorum Martyrum celebratione ſpectaverint, clarius docent, quam vt vllus ſuperſit dubitandi locus. Ajunt enim ſe hęc ita agitare, non ad Martyres *adorandos,* vel *religioſe colendos.* (Abſit; ipſi proxime diſertiſſimis verbis negaverant *fieri poſſe, vt quemquam alium præter Chriſtum colant*) ſed & *ad eorum qui decertaverant* (id eſt Martyrum) *memoriam & ad poſterorum exercitationem, atque preparationem.* εἰς τε τῶν ἠθληκότων μνήμην, καὶ τῶν μελλόντων ἄσκησιν τε καὶ ἑτοιμασίαν. Ex quibus ſole meridiano clarius eſt nihil hęc ad religioſum Martyrum cultum pertinuiſſe; neque alio ſpectaſſe, quam & ad ipſorum laudem, & ad ſuperſtitum ædificationem; vt illa ſcilicet annua ſolennitate, & virorum de Eccleſia optime meritorum nomen, & memoria apud eam retineretur, atque propagaretur, & poſterorum ad Chriſtianam pietatem, & fortitudinem animi talibus exemplis inſtituerentur atque inflammarentur. Atque hinc videre eſt, quanta Bellarmini fuerit in his vel citandis ſocordia, vel detorquendis fraus atque verſutia. Neque vel ille, vel alij quod ſciam, quicquam præter iſta paucula & à re aliena, ex vetuſtiſſimis ante a. D. 300. libris afferunt ad aſtruendum religioſum Divorum cultum. Sed alia quædam, & ipſa oppido pauca objectant, ad conſtituendam Divorum invocationem; quam tametſi ipſi ſeorſum à religioſo cultu in ſua diſputatione habeant; nos tamen vere partem ejus eſſe cenſemus; neminem à nobis *invocari* arbitrantes, quem non eo ipſo religioſe adoremus. Ergo quæ ad hunc locum

afferunt,

afferunt, ea hic quoque breviter à nobis inſpicienda ſunt. Suum imprimis Pſeudo-Dionyſium Bellarminus inducit; bis in eo falſarius; & quod hominem quinti ſæculi in virorum Apoſtolicorum chorum invitis rebus omnibus, infulciat; & quod iſtum teſtem, quicumque de cætero ſit, aliud dicere cogat, quam quod revera perhibet. Preces enim *Sanctorum*, quas in allato loco dicit Pſeudo-Dionyſius, ea, non quod vult Bellarminus, Divorum pro ſuperſtitibus orantium in cœlis preces ſunt; ſed fidelium ſuperſtitum ac inprimis Antiſtitum pro Chriſtianis mortuis ſupplicationes; de quibus in illo capite proprie agit. Sed hunc ævi poſterioris hominem miſſum pro inſtituti noſtri ratione faciamus. Ad Irenæum venio, virum hoc theatro vere dignum; vtpote qui ſecundo Chriſtianiſmi ſæculo extremo floruit. Hujus vere eſſe confiteor, illa verba quæ Bellarminus hic deſcribit; *Sicut illa* (Eva) *ſeducta eſt, vt effugeret Deum; ſic hæc* (Maria) *ſuaſa eſt obedire Deo; vt Virginis Evæ Virgo Maria fieret advocata.* Quibus deſcriptis adverſarius, *Quid* (inquit) *clarius?* Irenæi quidem locus, an ita ſit per ſe clarus, vt eo nihil ſit *clarius*, non diſputo; Bellarmino quidem mox, vt ſpero, oſtendam adeo clariſſimum non fuiſſe, vt in eo plane viderit nihil. Nunc donemus eum eſſe ejus ſenſum, quem ipſe vult clariſſimum, non idcirco tamen video, qui ex eo concludi poſſit *Divos eſſe invocandos*; quam ad rem *clarus* eſſe debuerat, ad quam ſcilicet probandam à Bellarmino allatus eſt. Locus ait Evæ Virginis Mariam Virginem eſſe factam *advocatam*. Quid tum? An ideo ſequitur, vel Mariam *noſtram* quoque eſſe *advocatam* (quod nullibi dicit vel Irenæus; vel vllus alius ejuſdem ævi ſcriptor) vel ab Eva Mariam fuiſſe precibus religioſis aut invocatam, aut invocandam? Hoc quidem non tantum falſum, ſed etiam ſtultum ac ridiculum eſt. Quis enim Mariam, quæ exactis annorum millibus poſt Evam creatam pœne quatuor nata eſt, ab ea vel invocatam fuiſſe, vel invocari potuiſſe aut debuiſſe, imo vel cognitam fuiſſe ſomniaverit? Sed fingamus Mariam etiam ante Evam & extitiſſe, & denatam eſſe. An ideo ab Eva eam invocari religioſe potuiſſe ſequitur? Minime vero, An enim quæſo advocatos ſuos à clientibus non invocari religioſe nefas eſt? Fabulæ. Nullam hujus officij clientibus in advocatos neceſſitatem vllo vel divino, vel humano jure præſcriptam eſſe videmus. Ipſi Latini epiſcopum, imo & ſacerdotem, imo & quemvis pro ſe apud Deum deprecatorem, cenſent ſuæ diœceſeos, ſuæ parœciæ, ſuum deniq; cujuſque *advocatum, mediatorem, interceſſoremque* eſſe apud Deum. Non ideo tamen opinor, decernunt, vt vel Epiſcopum ſacerdotemque ſua plebs, vel quemvis deprecatorem is pro quo Deum ille precatur, *religioſe invocet*; id eſt preces ad eum etiam abſentem deferat; qualiter Latini Divos cœlites ipſi in his terris verſantes precari ſolent. Iam cum ex his Irenæi Mariam ab Eva, cujus fuiſſe aduocata dicitur, invocari vel potuiſſe vel debuiſſe, non ſequatur

CAPVT VIII.

Bellarm. de Sanct. beat. c. 19 &c.

Probatur quarto.

Dion Hierarch. Eccleſ. c. 7. p. 355 C.

Bellar. ibid.

Iren. l. 5. vltr. med.

CAPUT VIII.

tur tamen; multo minus inde confeceris Mariam eſſe à nobis invocandam, quorum illa *advocata* neque hic, neque vſpiam alibi dicitur, in omnibus divinis Eccleſiaſticiſque litteris; quæ quidem auctorum vere ſint ante annum Chriſti trecenteſimum denatorum. Vnde quivis intelligit, quam abs re hic Bellarminus, nimio cauſſæ ſtudio turbatus exclamet, *Quid his clarius*? quæ ad rem ſcilicet quam agit, nullam neque claram, neque obſcuram vim habere ſatis nunc conſtat. Ac tametſi *Advocatæ* titulus, qui hic Mariæ ab Irenæo tribuitur, non ad hanc, quæ de cultu eſt, ſed ad aliam de Sanctorum ante reſurrectionem in cœlis ſtatu, & pro nobis officiis controverſiam pertineat; expendamus tamen breviter, quis ſit nominis hujus hoc loco ſenſus, vel vt quod diximus, conſtet nihil plane Bellarminum in eo vidiſſe. Fevardentius Irenæum ſuum ait hoc loco *Mariam Evæ advocatam decenter, aliorumque proinde peccatorum rectiſſime nominare.*

Fevard. in Iren. l. 5. c. 19.

Sed ipſe Irenæo imponit. Sanctiſſimus enim martyr non alterius, ſed Evę ſolius *advocatam* factam eſſe dicit Mariam. Quod ſi ei mens illa, quam & iſte, & alij Latini volunt, fuiſſet, non profecto Evæ tantum, ſed & cæterorum omnium peccatorum, imò totius generis humani advocatam eſſe, dixiſſet. Non dixit, vel hic vel alibi vſpiam. Ergo quicquid eum hic ſignificare volueris, dum Mariam Evæ advocatam eſſe dicit, id certe quicquid ſit, vnius Evæ ſingulare, non reliquorum mortalium cum ea commune eſſe neceſſe eſt. Id autem Evæ ſingulare non erit, imò vix ac ne vix quidem Evæ erit, ſed hominum duntaxat, qui poſt Mariæ mortem vixerunt, ſi *Mariam Evæ advocatam* eſſe, id ſignificet, quod Latini volunt. Ipſi enim dum dicunt *Mariam ſuam eſſe advocatam*, intelligunt ſe ab ea in cœlis penes Deum verſante, & precibus potentiſſimis, & meritis longe maximis, & gratia, quæ apud Dominum plurimum valet, commendari, atque adjuvari. Hoc vero vt omnes vident, de iis quidem, qui poſt Mariam cœlo illatam vixerunt, aut vivent, dici ex Latinorum dogmate poteſt, de iis qui ante Mariam natam ævum ſuum hic agitarunt, dici niſi inepte, abſurdeque non poteſt. Ergo eorum *advocata*, non modo *rectiſſime*, quod ait Fevardentius, ſed ne recto quidem aut tolerabili ſenſu nominari poteſt. Evæ hoc ſenſu, qui *advocata* vnquam fuit? An Maria pro Evæ delicto apud Deum ſtatim interceſſit, effecitque ſuis precibus, ne illa peccati pœnis, quas Dominus erat comminatus, afficeretur? Atqui tum Maria ne vivebat quidem, aut nata erat; nedum vt pro Eva vel pro quoquam alio patrocinio vel advocatione apud Deum fungi poſſet. Fuit-ne eo demum tempore Evæ *advocata*, quo in cœlum apud Filium Chriſtum evecta eſt, vel nuda, vel etiam, quod Latini volunt, corpore induta? At hoc temporis articulo nihil Mariæ advocatione indigebat Eva; quam Chriſtus ſcilicet in ipſum illud æternitatis ſacrarium, ſtatim, vt nos quidem credimus, poſt ejus dormitionem, certe vt concedunt Latini, aliquot

ante

ante Mariæ mortem annis tranſtulerat omni malo, omni metu plane liberatam; nullius apud Chriſtum Dominum patrocinio, vel advocatione egentem; niſi forte Latinis Divos ſuos non tantum fidelium hic in terris militantium, ſed etiam ſpirituum in cœlo triumphantium *advocatos* eſſe placeat. Sin vt Chriſti Domini cruci atque obſequio, ita & Mariæ fidei atque pietati vim quandam fuiſſe dicant *retroactivam* (vt loquimur) cujus merito Evæ peccatum remiſſum fuerit, atque expiatum; novum hoc erit & inauditũ dogmatis portentum, quo Mariæ meritum Chriſti in conſtituendis ſalutis humanæ cauſis dignitati exæquabitur; Mariaque non *interceſſionis* duntaxat, vt iſti ſolent diſtinguere, ſed etiam *redemptionis Mediatrix* clare liquidoque ſtatuetur. Ergo eo quem Latini volunt ſenſu, Mariæ pro Eva *advocatio* non modo Evæ ſingularis non fuit, ſed ne vlla quidem vel fuit, vel eſſe potuit, ſive ſingularis, ſive ejus cum aliis communis. Eſt & aliud quod obſtat, ne advocatio illa Mariæ Irenæana vulgari Latinorum ſenſu accipi poſſit. Mariam nempe Irenæus eo *Evæ advocatam* eſſe clariſſime ſignificat, quod Dei verbo per Angelum nuntiato obedierit; non autem quod pro Evæ precibus ſuis apud Deum interceſſerit (quod ne animo quidem fingi poteſt.) Sed & Mariæ *advocationem* eſſe ſignificat non pro aliis Evæ peccatis, quæ poſtea mulier & mater effecta admiſit, verum pro vno illo capitali delicto, quo ſerpenti obediens mandatum Dei violavit. Res apud Martyrem clara eſt, qui Virginem Virgini, id eſt Evam Mariæ, & hujus fidem illius inobedientiæ ſignanter opponit; *Virginis Evæ Virgo* (inquit] *Maria advocata*. Et proxime in ſuperioribus. *Quemadmodum* (inquit) *illa per Angelicum ſermonem ſeducta eſt; vt effugeret Deum; ita & hæc per Angelicum ſermonem Evangelizata eſt, vt portaret Deum, obediens ejus verbo*. Denique; *Et illa ſeducta eſt, vt effugeret Deum; ſic hæc ſuaſa eſt obedire Deo, vti Virginis Evæ Virgo Maria fieret advocata*. Quo loco vt hoc obiter dicam, non dubito quin Irenæus ſcripſerit, ὡς vel εἰς τὸ παρθένου Εὔας παρθένος Μαρία γένηται παράκλητος, *vt eſſet Maria Virgo Virginis Evæ advocata*; quod vetuſtiſſimus Irenæi interpres reddidit, *vti fieret* pro *vti eſſet*; plane eodem modo, quo Vetus Novi Teſtamenti interpres Latinus illa horum ſimilia Chriſti apud Ioannem verba, πρὶν ἀβραὰμ γενέσθαι *antequam Abrahamus fieret*, pro *eſſet*. Sed & verba conſequentia apertiſſime oſtendunt in hoc vno ſitam eſſe omnem hanc Irenæanam *advocationem*, quod Maria Gabrieli Chriſti conceptionem nuntianti credidit & paruit; cum Eva è contra Deo per ſerpentem ſeducta, inobediens fuiſſet; *Quemadmodum* (inquit) *aſtrictum eſt morti genus humanum per Virginem, ſolvatur per Virginem; æqua lance diſpoſita Virginalis inobedientia per virginalem obedientiam*; Vides vt *Virginem* cum *Virgine*, *virginis obedientiam* cum *virginis inobedientia* conſtanter contendat ac componat? Neque vero vexandum eſt, quod *humanum genus per*

CAPVT VIII.

Ioan. 8. 58.

CAPVT VIII.

Virginem ſolutum eſſe dicit, quaſi illa Mariæ fides ejuſdem ad ſalutem noſtram meriti atque efficaciæ fuerit, cujus ad exitium noſtrum Evæ inobedientia fuerat. Ne ipſi quidem Latini negaverint, maximum eſſe inter iſta diſcrimen; & ſalutem quidem noſtram vni Domini noſtri in cruce merito adſcribendam; lapſum vero humani generis Evæ inobedientiæ imputandum. Sed Irenæi in iſtis componendis mens eſt; vt Evæ inobedientia ad hominum exitium ac mortem; ita & Mariæ obedientiam ad eorundem ſalutem primum gradum fuiſſe; quatenus contigit, vt per illam vir ille rueret in quo omnes ceci-dimus; per hanc, vt is in terris exoriretur, in quo omnes reſurreximus. Hactenus ſtat Irenæana Evæ & Mariæ antitheſis; non vltra tendenda; eodemque modo temperanda atque interpretanda ſunt alia & hujus, & Tertulliani, & aliorum ſi forte de Evæ & Mariæ inter ſe collatione paulo in ſpeciem licentius alibi dicta; vt & ipſa rerum apertiſſima ratio & egregium Iuſtini eadem de re teſtimonium docet; quę nos, quod non ſint hujus loci, in pręſentia mittimus. Iam ex his liquido intelligimus omnem illam Mariæ erga Evam *advocationem* hoc vno conſtare, quod ab Eva dum Virgo quidem adhuc eſſet, ſed tamen viro deſtinata, admiſſam ad Angeli vocem inobedientiam Maria contraria quidem, ſed tamen ſimili *obedientia*, vt ſic dicam, penſaverit; quam & Virgo, & *jam ſub viro*, *Angelo* Evangelizanti pręſtitit. *Advocationem* vero ejus, quàm Latini Mariæ in nos peccatores tribuunt, nullam hic ſtatuit Irenæus; qua ſcilicet Maria non pro *Eva*, ſed pro quibuſvis peccatoribus nunc ad eam cōfugientibus; non per illam, qua olim Angelo Chriſtum nuntianti obſecuta eſt, *obedientiam*, ſed per ſuarum precum, ſuæque interceſſionis meritum fungitur. Concluſum ergo eſto, Mariam Evæ *advocatam* plane alio ſenſu ab Irenæo dici, quam quo eadem *ſua* à Latinis *advocata* dici, atque intelligi ſolet. Sed illi vt alias ſæpe, ita hic quoque vocis ambiguitate volentes deluſi, vnam *advocationem*, quam ipſi norunt, animo præceptam habentes, de ea Irenæum peſſime, & abſurdiſſime intellexerunt; ejuſque verba ad ſuum de invocandis Divis ſomnium avidiſſime detorſerunt, & quod ea aliquam cum ſuo dogmate ſimilitudinem gerere viderentur, ſibi veluti de invento theſauro, læti atque alacres gratulantur, & ſtrenue exclamant, vt hic Bellarminus, & ad ipſum Irenæum Fevardentius. Nos vero miſſis iſtorum de *advocata* ſignificatione præjudiciis, quis ſit hujus nominis hoc loco ſenſus, ex vſu non Latinorum hodierno, ſed ſæculi ipſius Irenæani inveſtigemus. Neque enim quiſquam dubitat, quin vetuſtiſſimus & auctoris ſui pœne par fuerit hic Latinus, qui nunc extat, Irenæi interpres. Auguſtino quidem antiquiorem eſſe inde conſtat, quod ille hujus verba, vt etiam nunc extant, deſcribit, vbi duo Irenæi loca adverſus Iulianum laudat; priorem ex libri quarti capite quinto, poſteriorem ex illo ipſo, de quo jam diſputamus, capite; quod eſt libri

Iren. l. 3. c. 33. Tertull. de carn. Chriſt. c. 17. Iuſtin. ad Thryph. p. 256. lin. 3.

Auguſt. l. I. ad Iuli. c. 3. n. 7 p. 366.

quinti

quinti decimum nonum. Quin & Tertulliani temporibus jam extitiſſe hanc ipſam, quam nunc habemus, Irenæi interpretationem, quædam illius in diſputatione adverſus Valentinianos ex hoc ſumpta verba *apertiſſime declarant*; vt eſt à Rigaltio vere obſervatum. Itaque non abludit à vero, quod apud Fevardentium mihi videor legiſſe, Irenæi ipſius temporibus factam atque editam fuiſſe hanc Latinam ejus interpretationem. Quantulo enim Tertullianus ab Irenæo diſtat? Iá & à Chamerio noſtro pridẽ, & à doctiſſimo Matthæo Bocharto nuper, & ab ipſo etiam Rigaltio obſervatũ eſt Tertulliano *advocare* eſſe conſolari, & *advocationem*, conſolationem, & *advocatum* cõſolatorem. Ac tametſi hęc iſtarum vocum ad eum ſenſum translatio apud Latinę linguę auctores inſolens, etiam in ſpeciem dura videatur, rationem tamen habet apud ſcriptores Chriſtianos manifeſtam. Nimirum *advocare* ſi etymon ſpectes, plane idem eſt, quod Græcam παρακαλεῖν. Eo factum eſt, ut qui de noſtris Scripturas è Græco ſermone latine ſunt interpretati, etymon vocis nimio quodam ſimplicitatis ſtudio, παρακαλεῖν fere ſemper quoties in ſacris libris occurrit *advocare* reddiderint, παρακαλεῖν autem Græcis ſæpe quidem idem eſſe quod Latinis *advocare* & *adhortari*, ſed frequentiſſime idem valere, quod *conſolari*, nemo eſt, qui neſciat, Græciſmi non plane ignarus. Cum ergo ubi hoc ſenſu erat in Græcis Biblicis uſurpatum, Chriſtiani interpretes etiam ibi *advocare* reddidiſſent; idque ipſe locorum genius oſtenderet; inde contigit, ut Latini homines qui iidem eſſent Chriſtiani, hunc Græciſmum in ſuum ſermonem paſſim admitterent, ac ut Græci ſuum παρακαλεῖν, ita & hi *advocare* tam pro *conſolari*, quã pro *adhortari* vſurparẽt. Res ex Tertulliano clara eſt. In opere adverſus Marcionẽ; quendam Eſajæ de Chriſto locum tangens; *Miſit me* (inquit) *curare obtritos corde*; *advocare languentes*; Vulgatus interpres Latinus hodie habet *ut mederer contritis corde*; *vt conſolarer omnes lugentes*. Alibi Paulinum de Corinthio pœnitente locum tractans. *Uti* (inquit) *e contrario magis vos donare & aduocare, ne forte abundanti triſtitia devoretur ejuſmodi*. *Advocare* dixit pro eo, quod apud Paulum eſt παρακαλεῖν, & apud Vulgatum interpretem *conſolari*. Sic *advocatio*, quod hinc eſt conſequens Tertulliano conſolatio eſt, ut cum in libro de Reſurrectione carnis, voces *exhortationis & advocationis* dicit pro *exhortationis & conſolationis*; & alibi Chriſti dictum ex Evangelio recitans, *Quonia* (inquit) *recepiſtis advocationem veſtram*. In Græco codice, παράκλησιν. in Latino *conſolationem* hodie legimus. Atque eandem Chriſti vocem iterum mox Tertullianus alludens, *Quia* (inquit) *receperunt ſcilicet advocationem ſuam, gloriam & honorem & ſublimitatem ex divitiis*. Et in alio opere ad illud Chriſti, *Beati flentes atque lugentes*, *Itaque* (inquit) *talibus & advocatio & riſus promittitur*. Quia ſcilicet Chriſtus addit, iſtos παρακληθήσονται, *conſolatum iri*, apud Latinum. Ergo *advocatio*, eſt παράκλησις, conſolatio. Inde & *advocatorem* novę alibi dixit pro *conſo-*

CAPVT VIII.

Tertull. cötr. Valent. c. 26. A. & ad lo. um Rigalt.

Cham. Panſtr. T. 1. l. 8. c. 5. § 39.

M. Bochart. de l'invoc. des SS. traité 2. c. 2 p. 177.

Rigal Not. ad Tertull. de Patiens. c. 11. ad p 166. C.

Tertull. l. 4. advers. Marcion. c. 14 p. 522 A. Iſai. 61. 2.

Id. Tertull. de pudic. c. 13. p. 728. 2. Cor. 2. 7.

Id. Tertull. de Reſurr. carn. c. 26. p. 398.

Id. adv. Marcio. l. 4. c. 15. p. 523. d. Luc. 6. 24.

Tertull. ibid. p. 524. 8.

Id. de patient. c. 11. p. 166. c. Matth. 5. 5.

CAPVT VIII.

Tertull. adv. Marc. l. 4. c. 15. p. 523. d. Id. de Monogam. c. 3. extr. p. 675. c.

latore ; plane vt Græci παρακλήτορα, *Debeo* (inquit) *Creatorem divitum quoque aſpernatorem probare, ſicut probavi mendicorum advocatorem*; id eſt, ut liquet *conſolatorem*, Ejuſdem quoque eſt apud eum ſenſus, tametſi, formæ alterius, & quidem communioris, advocati nomen *In hoc quoque* (inquit) *Paracletum agnoſcere debes advocatum*, *quod à tota continentia infirmitatem tuam excuſat.* Totus locus loquitur *advocatum* hic eſſe *conſolatorem*. Atque ita quidem Tertulliano *advocare* eſt conſolari *advocatio* conſolatio, *advocator* & *advocatus* conſolator. Sic quoque noſtro Irenæi interpreti *advocare* & *advocari* eſt conſolari in quodam Iſaiæ loco; *Ego vos advocabo & in Hieruſalē advocabimini*. In Græcis Irenæi ex editione τῶν LXX. erat haud dubie, quod in ea etiam hodie legitur; κἀγὼ παρακαλέσω ὑμᾶς, καὶ ἐν Ἱερουσαλὴμ παρακληθήσεσθε, Vulgata latina; *Ego conſolabor vos, & in Jeruſalem conſolabimini*. Vt in hoc Irenæi ex Iſaia loco, *aduocabo* eſt conſolabor, *advocabimini* conſolabimini; ita in illo ejuſdem ab adverſariis objecto *advocata* eſt conſolatrix. Ac ut in priore Irenæum ex Iſaia ſcimus ſcripſiſſe παρακαλέσω & παρακληθήσεσθε; ita neque dubitare debemus, quin nomen ἡ παράκλητος uſurparit in poſteriore. Quod ergo ibi legimus *Mariam fuiſſe Evæ advocatam*, idem eſt ac ſi dixiſſet conſolatricem, τὴν παράκλητον; idque ad contrarium utriuſque factum proprie referendum eſt, ex claro Martyris toto hoc in loco ſenſu. Eva Angelo, ſed malo, Maria Angelo, ſed bono, utraque Virgo auſcultavit; Deo utraque ad Angeli vocem illa quidem immorigera, hæc vero morigera fuit; illa ſeducta, hac perſuaſa. Ita hæc illius *advocata*, & conſolatrix; quatenus per poſterioris Virginis obedientiam prioris inobedientia obumbrata, contractaque ex ejus crimine invidia mitigata eſt. Hæc illa eſt *advocatio*, ſive conſolatio, quam ex Mariæ obedientia Evam percepiſſe intelligit Irenæus. Quam enim turpis, infauſta atque funeſta fuerat Evæ perfidia ac defectio; tam honeſta fuit, fœlix ac ſalutaris Mariæ fides, & obedientia; ſic vt poſterioris facti honor atque laus, prioris dedecus & infamiam exæquet, eamque adeo ſi non plane contegat, & obliteret, minuat certe ac diluat. Hujus geminus ille eſt Tertulliani locus; *Crediderat* (inquit) *Eva ſerpenti*; *credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit*. Matris delictum filiæ fide *deletum* dicit; vt hanc illius non ipſum proprie crimen, ſed redundantem ex crimine infamiam contrarij actus gloria obliteraſſe ſignificet, plane vt alibi ſanctam quamvis mulierem ſcribit *ignominiam primi delicti, & invidiam perditionis humanæ, quam de Eva trahit, omnis ſatisfactionis habitu* (id eſt luctu & pœnitentia) *expiare*. Poterat & hanc Tertullianus *Evæ advocatam* eodem ſenſu dicere, quo Mariam Irenæus dixerat; quod vt Mariæ fides, ſic & hujus pœnitentia aliqua tametſi multo minor, Evæ conſolatio ſit. Conſtat enim vt majorum probra ad poſteros, ſic & poſterorum decora ad majores pertingere; & alteros alterorum bene ſecuſve factis, vel ornari & illuſtrari, vel premi & maculari. Tertullianus certe omnē

Iren. l. 5. c. 15. init. Iſ. 66. 13.

Tertull. l. de carne Chriſt. c. 17. p. 373. A.

Id. de cultu fœmin. l. 2. c. 1. B.

criminis ab Eva admiſſi invidiam propter originem, & ſexum communem in omnem mulierem tranſcribit. Quamvis enim alloquens. *Tu* (inquit) *es Diaboli janua*; *tu es arboris illius reſignatrix*; *tu es divinæ legis prima deſertrix*; *tu es quæ eum perſuaſiſti quem Diabolus aggredi non valebat. Tu imaginem Dei hominem, tam facile eliſiſti. Propter tuum meritum, id eſt mortem, etiam Filius Dei mori habuit.* Hæc ab Eva matre in mulieres filias deſcendunt; Si quę ſint mulierum egregię, quidni ea quoque à filiabus in communem matrem aſcendant? Certe quicquid *ignominiæ & invidiæ* ex Evæ delicto in mulieres defluit, id Evæ eſt. Quæ ergo hoc mulier pœnitentiæ ſuæ bono *expiat* (vt Tertullianus loquitur) ea Evæ *ignominiam atque invidiam expiat*; ea Evæ delictum aliquo modo *delet*. Id vero quis neget aliquod eſſe Evæ ſolatium? in ſuis filiabus ſcilicet repertam, quæ aſperſam olim ſua culpa ſexui labem contrario virtutis exemplo eluerit? Ergo & ita hactenus *Evæ advocata*; id eſt conſolatrix. Sed hic titulus Mariæ tanto magis convenit, quanto præclarior, atque admirabilior fuit ejus in Deum fides, promptiuſque ac fœlicius obſequium; quanto & majora divinioraque pulcherrimum ejus factum conſecuta ſunt, illa ſcilicet atque & ſtupenda & ſalutaris Dei in carne noſtra tum nativitas, tum mors. Hæc ergo Mariæ fides & per ſe clariſſima, & ob hæc tanta quæ inde cœperunt, bona omni humano generi fœlix fauſtaque magna Evæ parentis *advocatio* eſt, id eſt conſolatio, quis neget? Sapientes liberos parentum eſſe lætitiam ac coronam Salomon in Proverbiis non ſemel teſtatur. Quanto impenſius Evam Mariæ laude gaudere par fuit, cujus fides Chriſtum illum quodammodo & concepit & edidit, qui & veterem ſuam ſuique conjugis inobedientiam, omniaque inde exorta mala, divinitus ſuſtulit, & hominum genus vtriuſque culpa perditum, ſervavit? Hoc ergo & nomine & ſenſu Mariam Irenæus Evæ *advocatam*, id eſt conſolatricem, dixit; Hoc, non aliud, ſignificavit, cum Mariam Virginem quod *Deo obedire ſuaſa eſt eo Virginis Evæ eſſe advocatam* ſcripſit. Huc cætera denique pertinent, quæcumque in eo loco vel ante vel poſt hęc verba habet; vt facile perſpiciet, quiſquis eum attente legerit. Eat nunc Bellarminus, & ſuum illud nobis occinat, *Quid clarius*? Clarum nunc eſt Irenæum non modo hoc quod iſte vult, Mariam ſcilicet à nobis eſſe invocandam, non teſtari; ſed ne illud quidem docere, aut innuere, quod eſt multo levius Mariam eſſe noſtram apud Deum deprecatricem.

CAPVT VIII.

Ibid.

Prov. 10.1. & 15.20. & 17.6. & 23.24. & 27.11. & 29.3.

Atque hæc quidem Bellarminus, ex vetuſtiſſimo Chriſtianiſmo, qui intra a. D. 300. fuit, pro ſua Divorum invocatione attulit. Perronius vero etiam quandam Origenis ad Angelum precem deſcribit; locum, vbi extet, nullum indicavit; quod vt opinor, morte præreptus vltimam manum operi, in quo hęc diſputat, adhibere non potuit. Illa autem Origenis oratio, quam iſte precationem ad Angelum eſſe vult, extat

Du Perron. Repl. l. 5. *c.* 43. *p.* 149.

CAPVT VIII.

extat in earum homiliarum prima, quæ in Ezechielem, Origenis nomine circumferuntur, his verbis expreſſa; *Veni* (inquit) *Angele, ſuſcipe ſermone converſum ab errore priſtino, à doctrina dæmoniorum, ab iniquitate in altum loquente, & ſuſcipiens eum, quaſi medicus bonus, confove atque inſtitue. Parvulus eſt, hodie naſcitur, ſenex repuerafcens, & ſuſcipe tribuens ei baptiſmum ſecundæ regenerationis, & advoca tibi alios ſocios miniſterij tui, & cuncti pariter eos, qui aliquando decepti ſunt, erudiatis ad fidem.* Hæc ille. Ego imprimis reſpondeo ex vero & indubitato Origenis contra Celſum opere clarum eſſe (quod infra cum bono Deo fuſe demonſtrabitur) hanc viri certam, conſtantemque fuiſſe ſententiam, precem, orationemque omnem religioſam vni Deo per Chriſtum; Angelis nullam eſſe deferendam. Itaque ſi hęc deſcripta verba Origenis vere eſſe conſtaret, dicerem iis non religioſam ad Angelum orationem, ſed rhetoricam ad eum apoſtrophen contineri. Hujuſmodi enim ſermonis figuram, qua vel ad perſonas, ſive abſentes, ſive mortuas, vel etiam ad res ipſas anima ſenſuque carentes, oratio veluti ad præſentes audienteſque inſtituitur, in ſcriptorum eruditorum libris frequenter occurrere, vel rhetoricæ tirones ſciunt. Ita Gregorius ad Cęſarium fratrem, quem mortuum in funere laudaverat; *Hoc tibi* (inquit) *à me Cæſari, funebre munus; hæ ſermonum meorum primitiæ.* Et paulò poſt ſua ei ſomnia, veluti pręſenti narrat, *Tu mihi ſæpe in ſomnis viſus, fratrum cariſſime.* Idem funebrem in Gregorium patrem orationem concludere geſtiens; *Quid* (inquit) *ais, Pater? Hæc-ne ſufficiunt?* Qualia & apud Ambroſium ad mortuos dicta non ſemel leguntur; vt ad Gratianum, & Valentinianum Auguſtos [a], ad Satyrum fratrem [b], ad Paulum & Iſaiam [c], ad Phinees [d], ad Petrum & alios [e]; Tale eſt & illud Auguſtini ad Chryſoſtomum ante annos complures mortuum; *Ingredere Sancte Ioannes, ingredere & conſide cum fratribus tuis, à quibus nulla ratio, nulla tentatio te ſeparabit* [f]. Planum eſt & Cæſarium, & Gregorium patrem à filio Gregorio, & Valentinianum & cæteros ab Ambroſio, & Chryſoſtomum ab Auguſtino compellari quidem oratione ad eos converſa; non tamen religioſa prece in his invocari. Quod etiam clarius eſt cum ad res inanimes oratio dirigitur; vt ad pacem apud Gregorium [g]; *Pax amica, bonum ab omnibus quidem laudatum, à paucis autem conſervatum, vbinam nos tanto jam temporis ſpatio reliquiſti? quando ad nos reditura es?* Vt ad aquam apud Optatum [h]; *O aqua, quæ dulcis à Deo creata es;* Tum: *Præſentia Moyſi in te amaritudo moritur, & à ſchiſmaticis hodie cum Catholicorum turba dulcedo tua vexatur.* Neque Latini aquam à ſuis credo, ſacerdotibus invocari dixerint, cum hanc illi ſic alloquuntur [i]; *Te per communem Dominum, aqua creatura, convenio, vt conſervare motum ſenſibilitatis intelligens, ſubiici ſervitio, quo placare Deum nitimur, non recuſes; omnem*

Orig. Hom. I. in Ezech. T. 1. p. 620.

Greg. Naz. orat 10. T. 1. p. 169. D.
Ibid. p. 174.
Id. Orat. 19. p. 314. B.

a Ambroſ. Orat. de obit. T. 3. p. 18.
b Id. orat. de obit. Saty. ibid. p. 23.
c Id. Præfat. in Pſalm 35. T. 4. p. 475.
d Id. ſerm. 18. ibid. p. 730.
e Id. in Luc. l. 10. p. 118.
f Auguſt. l. 1. contr. Iulian. c. 4. T. 2. p. 370. 82
g Greg. Naz. orat. 14. T. 1. p. 214. A.
h Optat. l. 6. p. 98.
i Ord. Rom. p. 14. C. T. 10. Bibl. Patr.

à te

à te dæmonum communionem, omne collegium iniquitatis expurges. CAPVT VIII.
Mitto alia ejuſdem generis quæ afferri poſſent propemodum innumerabilia; ex quibus liquet non ſtatim ea nos religioſe invocare, quæ oratione noſtra, etiam abſentia, etiam animæ expertia convenimus. Vnum tantum addam objecti ex Origine ſermonis geminum, & quidem auctoris longe locupletiſſimi, exemplum. *Benedicite Domino omnes Angeli ejus*, inquit David. Et, *Benedicite omnes virtutes eius, qui facitis voluntatem ejus.* Angelos profecto non magis iſtic invocat, quam alibi Solem, Lunam, cœlos, vel dracones, aut montes cum eos ſimilibus verbis compellat; *Laudate Dominum, Sol & Luna; Laudate eum cœli cœlorum; Laudate Dominum, de terra dracones, montes, & omnes colles.* Quadam ſermonis figura rogat, vel jubet Angelos ea facere, quæ facere eos & optat, & ſcit. Ita & oratio Origenis nomine laudata Angelum, quem compellat, non profecto invocat; ſi Origenis eſt (ex cujus diſciplina hoc non eſt ἄλογον) ſed ea facere imperat, quæ ab eo fieri & cupit & novit. Hæc ego dicerem, ſi homiliam, è qua iſta afferuntur, Origenis eſſe; ſi illa ipſa quę afferuntur ejus ſincera ac genuina eſſe certum atque indubitatum eſſet. Nunc qui id conſtare poteſt, cum librum non Græce, ſed Latine tantum habeamus? cujuſmodi quæ extant, Origenis opera, ea ab interprete, non paucis pro ſua libidine vel reſectis, vel adjectis, vel denique immutatis, interpolata contaminataque fuiſſe certum eſt? Id vero primum diſcimus ab ipſo plærorumque interprete Ruffino, qui in ſuam explanationum in epiſtolam Pauli ad Romanos Origenicarum interpretationem perorans (eſt enim hoc opus non Hieronymi, cujus nomen falſo præfert. Sed Ruffini) confitetur ſe & in eo opere, & in homiliis in Geneſin, in Exodum, & in Leviticum tanta cum libertate verſatum eſſe, vt ea quæ auctor omiſerat, ipſe de ſuo ſuppleverit, & quidem magnopere ſibi ea in re laboratum eſſe gloriatur. Sed & Hieronymus, cujus quædam eſſe dicuntur eorum, quæ ex Origene Latina tantum habemus, ipſe quoque liberius Græca ſe exceptis Scripturis, interpretari profitetur, neque verbum è verbo, ſed ſenſum è ſenſu exprimere. Ac vt Ruffinus, & Hieronymus tacerent res ipſa loquitur quantum in Origene vterque ſibi indulſerit, vel ſi quis alius eſt eorumdem temporum Origenis interpres. Latina enim quæ habemus, cum Gręcis auctoris fragmentis, quæ non pauca neque contemnenda in Philocaliæ codice ſervata ſuperſunt, accurate comparanti apparebit ingens non paucis locis inter vtraque differentia, in verbis, in phraſi, in ipſis nonnunquam rebus. Itaque & has in Ezechielem homilias, & alia Origenis, quę Latine tantum circumferuntur, confiteor mihi valde ſuſpecta eſſe, niſi cum aliis ejuſdem viri Græcis concinere reperiantur; non quod plęraque ejus eſſe non concedam; ſed quod in libris interpolatis, maxime in iis, quos alia quam qua ſcripti ſunt, lingua habemus, vera & ſincera ab alienis & inſiti-

Pſal. 102. (*Hebr.* 103.) 20.21.

Pſal. 148. 3. 4. 7. 9.

Ruffin. in perorat. ad libr. Orig. in ep. ad Rom. T.2. Orig. p. 614.

Hieron ep. 101 *ad Pammach.*

CAPVT VIII.

tiis diſcernere difficillimum, ac pœne impoſſibile ſit. Operum ipſum (vt ita dicam) fundum Origenis fuiſſe concedo; multa in eo interpretis manu ſtructa, atque inædificata, multa inverſa, & ad ejus ſęculi quo vixit, mores, orationem, & guſtum inflexa & infuſcata non modo ſuſpicor, ſed certum compertumque habeo. Itaque ſi quis vel Origenis, vel cujuſvis alterius priſci ſcriptoris veram de religione mentem explorare atque tenere cupit, is ſi mihi quidem auſcultet, vel ipſum ſua lingua loquentem audiat, vel certe non per alium interpretem, quam qui fuerit ejuſdem aut proximi cum auctore ęvi; qualis eſt interpres Latinus Irenęi, hodie ſuperſtes, quem pręter illa, quę nuper obſervabamus, ſumma ac pœne ruſticana ſimplicitas vetuſtiſſimum ac fidiſſimum eſſe clamat. Sed pręter hęc communia, quędam ſunt loci hujus ex Origene objecti propria, quę eum alterius eſſe quam Origenicę venę arguunt. Illud quod probavi, verum eſt, nullam in eo eſſe ad Angelos precem religioſam; apoſtrophen tantum eſſe ad Angelos rhetoricam. Sed illa tamen tam ſubita ab auditore ad alienam perſonam converſio, figura eſt ab Origenis more ac ſtilo aliena; cujus idea ſimplex, & tenuis, & ſedata, & ſola munditie ac puritate contenta, magnifica illa rhetorices ornamenta adhibere aut vſurpare non ſolet, quę Gregorius, & Ambroſius, & cęteri grandiores ſcriptores ambiunt. Iſta vero ad Angelos apoſtrophe adeo ſubita eſt & abrupta, ſeque tam repente pręter omnem rationem in medium hujus ſermonem infert, vt inepta, neque ferenda, etiam in grandiore orationis genere eſſe videatur. *Multitudo* (inquit) *militiæ cœleſtis erat laudantium, & glorificantium Deum, quando natus eſt Chriſtus. Omnia Angelis plena ſunt. Veni Angele. Suſcipe ſermone converſum ab errore priſtino, à doctrina dæmoniorum, ab iniquitate in altum loquente, & ſuſcipiens eum quaſi medicus bonus confove.* Huc accedit quod omnis hic ſermo, non apertus ac clarus, vt Origenis eſſe ſolet, ſed ita obſcurus, & ineruditus eſt, vt difficile ſit ſcire, quid auctor ſibi velit. Angelo videtur commendare ſenem aliquem recens ab idololatria converſum; *parvulus eſt* (inquit) *hodie naſcitur, ſenex repueraſcens.* Omnino de ſe videtur dicere. Alium ad quem iſta referas, neminem tota homilia exhibet, vel etiam digito monſtrat. Atqui hęc quę dicit, ab Origene aliena ſunt, quem nemo neſcit Chriſtianiſmum cum lacte ſuxiſſe, ſub Leonidę patris, viri ſanctiſſimi, diſciplina; matureque non modo tinctum eſſe, ſed etiam aliis docendis atque inſtituendis adhibitum. Quę ratio doctiſſimum Matth. Bochartum noſtrum merito commovit, vt totam hanc apoſtrophen putaret huic loco ab aliena manu additam atque aſſutam eſſe. Tum quid eſt, quod iſte ait: *Suſcipe tribuens ei baptiſmum ſecundæ regenerationis?* *Baptiſmum* vel *regenerationis*, vel *ſecundæ generationis* dici ſcimus; *baptiſmum ſecundæ regenerationis*, qui dixerit, neminem pręter hunc ſcio; *inepte* quidem dictum nemo negaverit, *inepte* autem dicere, ab Origene

M. Bochar. de l'invoc. des SS. trait. 2 ch. 2. p. 128.

alienum

alienum eſt. Sed & ſi Baptiſmum, vt videtur, apud Chriſtianos ſolennem his verborum monſtris ſignificavit; cur eum ſuo iſti ſeni tribui vult ab Angelo? An quemquam ab Angelo baptizatum fando vnquam auditum? Sint iſta Ruffini ſi libet, aut alterius cujuſvis de ſequioribus ſæculis, Origenis quidem non eſſe mihi credo, aſſentiententur, quibuſcumque vir ille vel de vngue notus eſt. Cum ergo hujus ad Angelum à Perronio objectæ apoſtrophes auctor incertus ac ſuſpectus ſit, ex hoc theatro explodendus eſt, in quo nemo audiri debet niſi quem ante a. D. 300. vixiſſe ac floruiſſe certo liquidoque conſtet. Eadem ratio hinc quoque poſtremo ſummovet, quod ex certo quidem, ſed quarti jam adulti ac pœne præcipitis ſæculi ſcriptore Gregorio Nazianzeno objecit Perronius, de martyre quadam Iuſtina, quæ cum in vinculis ob Chriſti nomen conſiſteret, & Cyprianus, qui adhuc Paganus erat, pudicitiam ejus magicis artibus per dæmonem tentaret, *Virginem Mariam ſupplex obſecraſſe* dicitur, vt periclitanti virgini ſuppetias ferret. καὶ τὴν παρθένον Μαρίαν (inquit) ἱκετεύει βοηθῆσαι παρθένῳ κινδυνευούσῃ. Conſtat enim eam orationem, in qua hæc habentur, ab auctore qui dudum eſſet Epiſcopus, habitam fuiſſe Gregorium vero poſt annum quarti ſæculi LXX. Epiſcopum à Baſilio ordinatum eſſe certum eſt; cum jam cœpiſſet, ac in dies gliſceret cæca illa in Divos ſuperſtitio; quam & hic ipſe Gregorius non parum promoviſſe ſuis & verbis, & exemplis videtur. Scio Iuſtinæ factum narrari velut ad ea tempora pertineret, quæ Cypriani Carthaginenſis civis, & Epiſcopi converſionem præceſſerunt (is autem Epiſcopus non fuit) ante a. D. 248. vt neceſſe ſit ſi vera dicit hic ſcriptor, invocatam jam tum fuiſſe à noſtris Virginem Mariam. Sed facilis eſt ad hæc reſponſio, multum intereſſe ſcilicet res geſtas ejuſdem-ne quo geſtæ ſunt, ævi, an poſterioris ſcriptores narrent. Sæpe enim accidit humani ingenij partim infirmitate, partim etiam fraude, vt qui res non ſuorum ſæculorum narrant, eas ex ſui temporis more atque inſtitutis geri adminiſtrarique tradant; veluti putent non alios vnquam mores, ritusque apud homines fuiſſe, quam quos ipſi apud ſui ævi mortales obtinere vident. Cujus generis eſt vulgaris pictorum recentiorum error; qui Chriſtum & Apoſtolos in ſuprema cœna ad menſam, non accumbentes pro illius ævi, ſed ſedentes pro noſtri more fere pingunt. Qualis & inficeti cujuſdam concionatoris ineptia fuiſſe dicitur, qui ſuis ſerio narrabat Virginem Mariam à Gabriele Angelo, non in luſu aut nugis, ſed in pietatis exercitiis fuiſſe deprehenſam, *horas noſtræ Dominæ accurate recitantem. Horas illas* recitare vir ſapientiſſimus, mulieribus religioſis ſolenne, quia ſuo tempore erat, ita ſemper fuiſſe bona fide credidit. Huc pertinent multa ſcriptorum, etiam eorum, quos alioqui minime aſpernieris, periculoſiſſima σφάλματα. Sed quantum, quod dixi, interſit, ejuſdem-ne an alterius ſæculi ſit is, qui rem aliquam narrat, facile intelligent ſi

CAPVT VIII.

Perr. Pepl. l. 5. c. 20. p. 856.
Greg. Naz. orat. 8. quæ eſt in Cyprian. T. 1. p. 279. D.

CAPUT VIII.

qui vtriuſque generis ſcriptores res eaſdem tradentes diligenter obſervarit, ac inter ſe contenderit. Nunc quo illuſtretur obſervatio, vnum aut alterum exemplum afferemus. Quidam Egoliſmenſis cœnobij Monachus, homo vndecimi, vt videtur, ſæculi Caroli Magni mortem ita deſcribit; *Oleo Sancto inunctus ab Epiſcopis & viatico ſumpto & omnibus ſuis diſpoſitis, commendans Domino ſuo Spiritum ſuum obijt in pace anno 814. ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Eginhardus vero, vir Carolini ipſius ſæculi, rem eandem ſic narrat; *Septimo* (inquit) *poſtquam decubuit die, ſacra communione percepta deceſſit.* Vnctionem cur Ille quidem memoravit, hic vero tacuit? Nimirum Eginhardus nullam dixit, quia ex illius ſæculi moribus nulla in ſupremis Caroli fuerat; Egoliſmenſis quam ſuo tempore omnibus morientibus miniſtrari videbat, Carolino quoque tempore obſervatam fuiſſe vel credidit, vel lectori perſuadere voluit, Carolum certe virum in paucis pium, ea morientem munire, officii ſui eſſe duxit. Eodem pertinet, quod Thrithemius, Latinus decimi quinti ſæculi Abbas, Bedam ſcribit *communicatum & inunctum fuiſſe, biduo antequam moreretur.* Atqui id Bedæ temporibus moris nondum fuiſſe, vel ex ipſo Beda diſcimus, qui cum multorum piorum mortes accuratiſſime deſcripſerit, plurimos in ſupremis *communicatos*; vnctum neminem memoravit, vt eſt à nobis alibi demonſtratum. Sed bonus Thritemius, quod ſuo ſæculo ab omnibus viris mulieribuſque in morte fieri ſciebat, nefas duxit id à Beda homine religioſiſſimo, prætermiſſum fuiſſe putare. Sed quid ego extera & longinqua conſector? Ipſe ille Gregorius, cujus hic nobis teſtimonium obiicitur, idem alibi apertiſſime peccavit, quod eſt à Matthæo Bocharto noſtro ſolertiſſime obſervatum. Hic enim Gregorius Maccabaïcorum ſeptem fratrum martyrium celebrans, narrat eorum matrem, filiorum, vt ſinguli occidebantur, *reliquias adoraviſſe*; *Cruoris* (inquit) *guttas rapiebat, fragmenta membrorum excipiebat, RELIQUIAS ADORABAT.* ἥρπαζε τὰς ῥανίδας τοῦ αἵματος, ὑπεδέχετο τὰ λακίσματα τῶν μελῶν, προσεκύνει τὰ λείψανα. Scriptor Maccabaïcorum vetus idem certamen fuſiſſime eſt executus; fortiſſimæque illius mulieris & ſermones ad filios, & mortem poſtremo ipſam retulit. De adoratis ab ea martyrum reliquiis nihil dixit. Ioſephus, Judaïci generis diſertiſſimus, glorioſiſſimam & liberorum & matris paſſionem, ipſe quoque immortalitati, & quidem proprio volumine, conſecraverat; in quo & cætera copioſiſſime, & omnia matris dicta factaque ſigillatim magnis cum encomiis tradit. Sed neque hic *adoratarum reliquiarum* meminit. Et ipſa rei abſurditas nihil tale factum fuiſſe vincit à muliere religioſiſſima quidem, ſed tamen Iudæa; cui genti nemo neſcit piaculare eſſe vel ſanctiſſimi hominis cadaver tetigiſſe; nedum vt adorare fas putent. Vnde ergo hæc habuit Gregorius? Ille vero non ab vllis auctoribus, aut teſtibus, vel à rerum ipſarum genio ac veritate,

Apud Cheſneum Franc. Script. T. 2. p. 87. c. 24. extr.

Ibid p. 104.

Apud Sur. d. Maii. 10. p. 136.

M. Bochart de SS. invoc. Tract. 2. c. 1. p. 225.

Greg. Naz. Orat. 22. T. 1. p. 404. d. 1. Macch. 7. 27. 41.

Ioſeph. l. de Macch. 101. p. 1098. c. 1190. A.

Caput VIII.

toritate, ſed à ſuo ingenio, & à ſuæ eloquentiæ theſauris, & à more ſui ſæculi habuit, quo cum ſolenne jam eſſet martyrum reliquias oſculari, venerari, ac vt ipſe loquitur, *adorare*, non dubitavit orator ac poëta longe optimus mulieri tametſi Iudææ, ſuarum mulierum morem adſcribere. Iam ſi ex his quæ poſuimus, argumenteris vel Caroli magni, imo & Bedæ ipſius temporibus ſolenne fuiſſe Chriſtianos in ſupremis oleo ſacro inungi, vel Iudæos martyrum reliquias Antiocho Epiphane imperante, adoraſſe; tu quidem largiter falleris; quod vt vides, auctores etiam graves ac nobiles cum res ſe antiquiores deſcribunt, eas aliquando ex ſui ævi moribus aliter, quam geſtæ ſunt, narrant; vetuſtioribus ea tribuentes, quæ eo quidem quo ipſi vivunt, tempore ſunt in vſu; eo vero, de quo ſcribunt, nondum erant. Itaque quod Perronius de Iuſtina tertio nondum præcipiti ſæculo Mariam ad ſuæ pudicitiæ præſidium invocante objectat, id vim ad probandum plane nullam habet; quod ex auctore non ejuſdem ævi, ſed multo recentioris, Gregorio ſcilicet refertur. Qui enim Iudæam illam mulierem martyrum ſuorum reliquias adoraſſe ex ſui ſæculi vſu fabulatur; ei non video cur difficilius fuerit ex temporis quoque ſui conſuetudine fingere Iuſtinam in tanto periculo conſtitutam Mariam invocaſſe. Par vtriuſque rei fingendæ ratio erat; reliquiarum illic venerandarum; hic invocandæ Mariæ ſtudium; quo vtroque Gregorium ex ſui ævi morbo laboraſſe & contendunt Latini, neque nos negamus. Vtrumque autem finxiſſe Gregorium, paria quoque argumenta docent, quod vt Iudæis reliquiarum adorationem Maccabaïcis temporibus, ita & Chriſtianis Mariæ invocationem Cyprianeo ſæculo ignotam & innſitatam fuiſſe vincunt vtriuſque memoriæ libri. De reliquiarum apud Iudæos ignota adoratione, quia res nota, & confeſſa eſt, nihil neceſſe eſt Iudaïcarum antiquitatum ſcrinia ſcrutari. Mariæ vero à noſtris invocatæ nullum in veris Chriſtianiſmi, quæcumque ſunt ante a. D. 300. monumentis, veſtigium extare ſuo paulò poſt ordine demonſtrabimus. Extant & Cypriani ipſius, & plurimorum aliorum illius ævi martyrum acta. Nullum iſtic Mariæ, quod feciſſe Iuſtina dicitur, ſupplicantem reperies. Potamiæna Alexandrina virgo & Martyr ob corporis formam ac pulchritudinem qua præſtabat, infinitas pro tuenda pudicitià pugnas contra inſanos amatorum ſuorum impetus conſtanter ſuſtinuiſſe apud Euſebium dicitur. *Euſeb. Hiſt. l.6.c.5.fol.59. B.* Cur eodem quo Iuſtina, loco conſtituta Mariam invocaſſe vt hæc à Gregorio, ita & ipſa ab Euſebio non dicitur? Nimirum Euſebius Potamiænæ certamen ex veris ſimpliciter narravit; Gregorius Iuſtinæ agonem ex ingenio ſuo ornavit. Quid, quod Metaphraſtes, tametſi cætera, quod omnes confitentur, fabuloſiſſimus, ſimile Theophilæ cujuſdam ſub Diocletiano martyris pro pudicitia tuenda certamen narrans, ne ipſe quidem eam Mariæ ſupplicantem facit? *Metaphr. apud Baron. a. D. 301. §. 33. 34.* Hanc enim ille, cum ex perſecutorum ſententia ad proſtibulum duceretur, nar-

CAPVT VIII.

rat ad Dominum Chriſtum ſuſpexiſſe, & hæc dixiſſe; *Mi Ieſu*, m[illegible] amor, mea lux, meus ſpiritus, meus cuſtos caſtitatis & vitæ, vide eam quæ eſt tibi deſponſa; cum, *ferva ſponſe ſponſam tuam*. Mox in locum infamem introductam, Evangelij codicem de ſinu deprompſiſſe, & *lectioni operam dediſſe*. Hæc ille quidem ſcribit, multo ad veterum mores ac diſciplinam appoſitius, atque probabilius, quam quod Gregorius Iuſtinam ſuam Mariæ in ſimili agone ſupplicantem inducit. Sed brevi quod dixi, de martyrum actis diſputabimus, oſtendemuſque in iis invocatæ à quoquam noſtrorum Mariæ plane nullum extare exemplum. Vnde promptum eſt concludere hoc vnum Iuſtinę ab vno Gregorio proditum factum ab oratoria & poëtica ejus officina, non à veritatis actis ac tabulis totum eſſe. Cur ſi quid tale fieri tum à Martyribus ſoleret, nihil eſt vſquam ſimile in omnibus eorum actis traditum? Id enim ab iis non minus quam à Gregorio commemorari & ad Mariæ laudem & ad noſtram vtilitatem pertineb[illegible]. Sed præter hæc, alia ſunt etiam graviora, quæ Gregorianæ de Iuſtina narrationis fidem non tantum ſublevant, verum etiam plane labefactant & ſubvertunt. Illam enim Iuſtinam, quæ à Cypriano artibus magicis fruſtra tentata cauſa fuiſſe dicitur, cur is mirabiliter ad Chriſtum converſus fuerit, tantoſque in pietate progreſſus fecerit, vt civitatis ſuæ, id eſt Carthaginis Epiſcopus ordinatus fuerit, illam, inquam, Iuſtinam, & hæc aliaque de Cypriano addita, mera eſſe figmenta luce meridiana clarius eſt. Extat Cypriani vita à Pontio ejus Diacono luculentiſſime ſcripta; in qua de Iuſtina illa & Cypriani in eam amore, quæ ſi vera eſſent, inprimis erant dicenda, non modo nullum fit verbum, ſed & ea dicantur, quæ cum iſtis Gregorianis adverſa fronte pugnant, Quod enim Gregorius Cyprianum in Ethniciſmo magum fuiſſe ſomniat, & magicis artibus in Iuſtinæ animo ad ſe pelliciendo vſum eſſe, & magicos libros habuiſſe; id liquido evertit Pontius, dum affirmat Cypriani etiam ante Chriſtum agnitum *fuiſſe ſtudia, & bonas artes devotum ejus pectus imbuiſſe*, & quidem hujuſmodi, *quæ ad vtilitatem ſeculi pertinerent*. An Magi[illegible] ars *bona* eſt, *& ſeculo vtilis?* An de homine Mago quiſquam Chriſtianus hoc diceret? Idem Cyprianum, non à *Iuſtina*, ſed à Cæcilio Carthaginenſi Preſbytero, *viro juſto, ad agnitionem veræ divinitatis à ſæculari errore correctum fuiſſe* teſtatur. Sed nihil opus eſt pluribus arguere figmentum, cujus vel ipſe Baronius vanitatem confitetur, & hanc *de magica Cypriani arte fabulam* (vt vocat) diſerte explodit. Quę ergo tam craſſis, tamque inſulſis mendaciis ſcatet tota de Cypriano Gregorij oratio, nullam de invocata à Iuſtina Maria fidem meretur. Quæ Iuſtina nulla, vt apparet, fuit, fieri non poteſt, vt ea vel Mariam vel vllum ex cæteris Divis invocaverit. Gregorium porro nolim equidem contendere hanc quam narrat, fabulam ipſum primum finxiſſe; Rumorem fuiſſe ab aliquo male feriato ſparſum & à vulgo temere

Greg. Naz. Orat.18. p. 280. 281.

ibid. p. 279. 280. D.

Pont. in Vita Cypr. pag. 2. init.

Bar. a. D. 250. §. 5.

Capvt VIII.

temere creditum, eo facilius conceſſerim, quod ex Gelaſij decreto de libris appareat de Cypriani rebus mature confictas fuiſſe & apud Chriſtianos diſſeminatas fabulas. Nam inter cætera quæ à Gelaſio damnantur apocrypha, diſerte cenſetur, *liber qui appellatur Pœnitentia Cypriani.* Si extaret, certius de re tota judicaremus. Nunc quando deſideratur, coniicere licet fabuloſam fuiſſe narrationem de Cypriani ad fidem Chriſtianam converſione, & acta ob priſtinum magicarum artium ſtudium pœnitentia. Fortaſſe ex hoc volumine, vel ex vulgatis, quæ eo continebantur mendaciis Gregorius ſua illa hauſit, & Mariæ invocationem, pro ſuo in hanc jam tum naſcentem ſuperſtitionem ſtudio, vel in iis inventam, vel iis à ſe ad ornatum additam ſuis auditoribus propinavit. Vtcumque ſit, talia prodigia ab omni veritate aliena tantæ eſt vel impudentiæ comminiſci, vel ſtultitiæ ab aliis inventa recipere, vel inſcitiæ res Cypriani veras, ex quibus iſta arguuntur, ignorare; vt merito mihi Bochartus noſter dubitaſſe videatur an hæc de Cypriano oratio Gregorij vere ſit. Nam tametſi & ſtilus, & illa Gregorij propria magniloquentia congruant, & præter Græcos recentiores, quos hic crepat Perronius, vnum Nicetam nominans, ipſe Hieronymus hujus homiliæ meminiſſe videatur quo loco Nazianzeni opera recenſet; durum tamen eſt viro, quem ex cæteris ſcriptis, gravem, & eruditum novimus, tam craſſas, tamque abſurdas, & inverecundas fabulas tribuere. Gregorium nonnulli aliter purgant; eo hallucinatum hominem putantes, quod quæ cujuſdam alterius Cypriani erant, ea imprudens in Carthaginenſem contulerit; fuiſſe enim & alium hujus nominis virum, Antiochenum domo, ex Mago Chriſtianum & inde Diaconum, & vna cum Iuſtina ſub Diocletiano Nicomediæ paſſum a.D. 311. Ita enim hæc digerit Baronius. Sed hæc Gregorium non purgant; quem tempora, loca, res, perſonas, omnia denique tam inter ſe diverſa diſſitaque Carthaginem cum Antiochia & Nicomedia, Decium cum Diocletiano, clariſſimum toto orbe Epiſcopum cum ignobili diacono, ex vnius nominis ſimilitudine permiſcere ac confundere non decebat. Illud certe manifeſtũ eſt, ne ſic quidem Gregorium ejus figmenti, quod diximus, invidia liberari. Nam in hujus Antiocheni vt volunt, Cypriani actis nuſpiam legimus Iuſtinam ad depellendum periculum Mariam invocaſſe. Nihil tale ſcribit Beda, nihil Vſuardus, nihil Ado; quos iſti habent hujus martyrij, totiuſque de hac Iuſtina narrationis auctores. Ne in ipſo quidem Romano Breviario, noviſſime recognito atque edito vllum apparet hujus invocationis veſtigium, quo loco traditur Cypriani & Iuſtinæ martyrum. Si vera ſunt, quod iſti volunt, Acta; ergo finxit Gregorius quod in iis minime reperitur, invocatam à Iuſtina Mariam. Atque id ipſum etiam Latinos noſtros ita nobiſcum exiſtimare patet. Cur enim rem adeo memorabilem, tantique ad ſuum in Divam illam cultum momenti in ſuo Breviario omiſiſſent, ſi non fictam,

Concil. Rom. I. ſub Gelaſ. T. 3 Concil. p. 663. D.

Perron. Repl. p. 876.

Bar. Not. ad Martyrolo. Rom. d. 26. Sept. & Annal. a. D. 311. §. 17.

Bed. Vſuar. Ado. in Martyrol. ad d. VI. Kal. Oct. Brev. Rom. feſt. Sept. d. 26. p. 1076.

CAPUT VIII.

fictam, ſed vere à Gregorio traditam fuiſſe crederent? Itaque etiamſi verum eſſe donetur, quod iſti affirmant, fuiſſe aliquem Antiochenum Cyprianum, qui martyrium ſub Diocletiano fecerit, illud certe, quod nos contendimus, firmum, & inconcuſſum manet, non de veris ejus Actis habuiſſe, ſed de ſuo cerebro finxiſſe id Gregorium quod narrat; invocatam à Iuſtina fuiſſe Mariam; rei autem fictæ nulla eſſe vel poteſt vel debet vis ad aliquid probandum. Sed ut libere poſtremo quod ſentio, eloquar, omnis hæc nobis de Iuſtina & Cypriano, ita ut diximus, à Baronio & aliis qui eum ſequuntur, contexta narratio incerta fabuloſaque ipſa quoque videtur. Primò enim rei, quæ non potuit ſi vera erat, non eſſe nobiliſſima, nullus veterum non Euſebius, non alius quiſquam ejuſdem ævi, meminit. Bedam, & Adelhelmum primos auctores Baronius edit, hominem ut notum eſt, octavi ſæculi: quo tempore jamdudum apud noſtros omnia plena erant fabulis. Sed & Metaphraſtes, è quo ſua Iuſtinæ & Cypriani acta promit, nono demum ſæculo floruit; homo de cætero & ab ipſo Baronio non ſemel & à Bellarmino fabulatoris ſtigmate merito notatus. Tum ipſorum inter ſe recentiorum de his pugnæ, ac diverſitates narrationis vanitatem arguunt. Cæteras mitto; Unam referam, evidens fabulæ argumentum Martyrologium Romanum vetus à Roſweido Ieſuita editum, ad d. VI. Kal. Octob. hæc habet; *Romæ. Cypriani Epiſcopi Antiochiæ paſſi, & cum martyre Iuſtina Romam tranſlati.* Ado in Martyrologio *Epiſcopum* fuiſſe tradit, totamque fabulam narrat; longe aliter quam Gregorius; Beda & Uſuardus rem brevius attigerant; ſed Cyprianum uterque epiſcopum diſerte bis vocaverant. Verba veteris Martyrologii Romani ſignificant iſtum Cyprianum vel Antiochiæ paſſum, vel illius civitatis fuiſſe epiſcopum. Ne priori ſenſu ſumantur, vetant recentiores qui Cyprianum Nicomediæ una cum Iuſtina martyrium feciſſe magno omnes conſenſu affirmant. Reſtat ergo, ut veteres hujus narrationis eum Antiochenum Epiſcopum fuiſſe ſtatuerint. Hic vero figmenti quamlibet veteris vanitas clariſſime patet. Antiochenos enim Epiſcopos qui per illa tempora ſederunt, ab Euſebio & aliis non paucis conſignatos litteris omnes tenemus; in quibus nullus Cyprianus noſcitur. Claudio quidem imperante, ad cujus tempora vetuſtiores fabulæ auctores, Cypriani & Iuſtinæ paſſionem referebant, Epiſcopum Antiochiæ ſediſſe, nobilem hæreſiarcham, Paulum Samoſatenum, Demetriani ſucceſſorem, ſcimus, & huic Synodali ſententia dejecto ſuffectum Domnum, Demetriani filium,[a] circa annum Domini 267.[b] poſt cujus mortem a. D. 272. ordinatus eſt Timæus[c]. Timæum Cyrillus excepit[d], poſt quem Antiochenæ Eccleſiæ ſuo ordine præſediſſe legimus Tyrannum, ipſo perſecutionis Diocletianeæ anno primo[e] ordinatum, tandem pace reddita a. D. 312. mortuum; inde Vitalem[f], tum Philogonum[g], & mox Paulinum[h], & ſub Sy-

nodi

Bar. a. D 44. §. 27. a. D. 56. § 54.
Bell. de Scrip. Eccleſ. 9. ſac

Ado, Beda. Uſuard. Martyrol. ad. d. 6. Kal. Oct.

Euſeb. Hiſt. l. 7. c. 27.
a *ibid. c. 30.*
b *Id. in Chron.*
c *Ibid.*
d *ibid. a. D. 280.*
e *Euſeb. Hiſt. l. 7. c. 28. (Gr. 32.)*
f *Theodoret. Hiſt. l. 1. c. 3.*
g *Id. ibid.*
h *Bar. a. D. 319.*

nodi Nicænæ tempus a. D. 324. Euſtathium.[1] Mera ergo fabula eſt Cyprianus ille Antiochenus Epiſcopus & Martyr, quem vel ſub Claudio, vel ſub Diocletiano paſſum eſſe fingunt. Antiochiæ enim priori quidem tempore Paulus hæreticus; poſteriori vero Cyrillus, & Tyrannus; neutro Cyprianus ſedit. Fabulæ abſurditatem recentiores viderunt, cui vt mederentur, Cyprianum illum ſuum ex primo ſacerdotij ordine ad miniſtros ſummotum Diaconum fecerunt, & infauſtum *Antiocheni Epiſcopi* nomen, quod figmentum arguebat ex novis libris, vt ex Martyrologio Romano Baroniano, expunxerunt. Fruſtra. Veterum enim, à quibus fabulam acceperunt, Martyrologij inquam ipſius Romani, & Adonis, & Vſuardi, & Bedæ potior eſt auctoritas; qua ſola narratio vel ſtat vel cadit tota. Tota, vt liquet, non poteſt conſiſtere. Totam ergo cadere neceſſe eſt. Profecto ea eſt hujus Cyprianeæ quæ dicitur converſionis mirabilitas, vt non ſit dubitandum, quin eam aliquis ex illius vel certe proximi ævi ſcriptoribus fuerit memoraturus, ſi vera eſſet. Nullus ejus meminit. Merito ergo veram negamus. Vnde igitur orta eſt? Ego vero plane aliter hac de re ſentio quam Latini iſti recentiores, qui Gregorium putant Cypriani nomine deceptum Carthaginenſi perperam tribuiſſe, quæ Antiocheni fuerant. Vnum apud homines Chriſtianos Gregorij ævo Cyprianum celebratum fuiſſe, & martyrio & rebus geſtis nobilem, clarum eſt; Afrum illum ſcilicet Eccleſiæ Carthaginenſis præſtantiſſimum antiſtitem; Et huic non alij cuiquam, primum tributa eſſe iſta de magia, deque Iuſtinæ amore, quæ diximus, & hæc qui finxerunt in ejus gratiam finxiſſe, ex Gregorio qui eadem narrat ſatis intelligimus. Poſteri cum ſentirent iſta Carthaginenſi Martyri abſurde aptari, neque tamen tam bellæ fabulæ jacturam facere vellent (fuit enim totum illud hominum genus φιλόμυθοι) quæ de Carthaginenſi & audiebant, & apud Gregorium, & fortaſſe etiam in Cypriani pœnitentia à Gelaſio damnata legebant, ea nonnihil, ſed rudi manu incruſtata in Antiochenum tranſcripſerunt; quem & civitatis ſuæ Epiſcopum fuiſſe mentiti ſunt, ne qua in re Carthaginenſi Antiochenus Cyprianus deterior eſſe videretur. Iam cum de Antiocheno non melius aut verius quam de Carthaginenſi hæc dici certiſſime conſtet; quid ſupereſt, niſi vt vaniſſimam, ineptiſſimamque fabulam in ſomniorum & chimærarum regionem vnde huc ad nos venerat, incunctanter amandemus? Neque ſane Perronius, quod ad hanc quidem cauſam pertinet, valde repugnaturus videtur; qui diſerte profitetur ſe hac Mariæ invocatione non ſimpliciter veluti Iuſtinæ facto, ſed veluti Gregorij Nazianzeni, celeberrimi tota Eccleſia Theologi, teſtimonio, niti, qui hoc nobis ad exemplum, veluti vnum ex legitimis mediis propoſuerit, quibus vti liceat ad impetrandam contra tentationis pericula opem, atque auxilium. His enim verbis aperte ſignificat hujus exempli nullam per ſe vim eſſe ad pro-

H ban-

CAPVT VIII.

[1] *Id. a. D.* 324. §. 143.

Perron. Repliq. l. 5 c. 20. p. 877.

CAPVT VIII.

bandum Mariæ invocationem in Eccleſia fuiſſe ſolennem atque legitimam; tacite agnoſcens id quod Elienſis Epiſcopus reſponderat eſſe (vt eſt ſane) veriſſimum, *non eſſe ex vnius puellæ facto, ſed ex vniverſæ Eccleſiæ vſu de fide præſcribendum*; ſed etiamſi id concedat Perronius, contendit tamen quod hujuſmodi factum à tanto viro ad pietatis cultuſque divini exemplum afferatur, inde conſequens eſſe, vt illa Mariæ invocatio, qua factum propoſitum conſtabat, apud Chriſtianos legitima fuerit. Itaque Latinorum ex hoc loco probatio omnis ex Perronij mente, non à Iuſtinæ facto, ſed à Gregorij auctoritate ſic pendet, vt nihil ad cauſam interſit vera-ne ſit an ficta ipſa Iuſtinæ invocatio; ſatis eſſe, quod Gregorius eam, tanquam veram, narret, etiamſi falſa reverà eſſet. Quæ cum ita ſint, apparet contra nos nihil valere hunc ab adverſario allatum ex Gregorio locum. Quantalibet enim fuiſſe fingatur Gregorij apud Eccleſiam auctoritas; ea certe apud Eccleſiam quæ ipſius ſæculo erat, valuit; apud eam quæ ante ipſum natum florebat, valere nihil potuit. Eſto ergo; Nunc donemus (neque enim hîc eſt de eo diſputandi tempus) hunc Gregorij locum vincere jam ejus tempore ſolenne fuiſſe multis, imo pleriſque Mariam invocare; non ideo hinc efficietur, vt anterioribus quoque ſæculis idem vſus apud Chriſtianos fuerit. Atqui nos in præſentia quærimus, non quid ævo Gregorij fieret (quod poſt annum Domini 300. fuit) ſed quid tribus primis Chriſtianiſmi ſæculis factum eſſet. Quid autem tum factum fuerit conſtare ex hoc Iuſtinæ facto non pôteſt; primo quia id incertum, imo falſum & fabuloſum, vt nuper oſtendimus; ſecundo quia id ſi factum eſt, certe ex ipſa Adverſariorum hypotheſi, non ante tertij ſæculi finem, ſed quarti anno demum vndecimo factum eſt, tertio denique quia etſi tertio ſæculo cõtigiſſet, in quod Gregorius, ſed ipſis adverſariis fatentibus, falſo, hoc contulit, ne ſic quidem aliud probaret, niſi toto illo trecentorum annorum decurſu vnam fuiſſe Virginem, quę Mariam invocaverit, quod vt omnes vident, longe ab eo abeſt quod nunc Latinis probandum incumbit; nimirum Mariæ invocationem vt nunc apud ſuos, ita olim in primo illo ad a. D. 300. Chriſtianiſmo ſolennem, familiarem, & in quotidiano omnium vſu fuiſſe. Ex his (neque enim plura à Latinis ex tribus primis ſæculis obiiciunt) patet nihil eſſe in omni illa antiquitate, quo Divos appareat tum à noſtris fuiſſe vel adoratos vel invocatos religioſe.

Bell. de Sanct. reliq. l. 2. c. 3. §. Tertio probatur.

De *reliquiis* vero quas vocant, vel adoratis vel adorandis, ne Bellarminus quidem, aut alij quicquam afferunt, ex omnibus primæ ad a. D. 300. memoriæ ſcriptoribus. Cathedram enim Iacobi Apoſtoli, cujus Bellarminus ex Euſebio, vel potius .. Ruffino, *venerationem* obiicit Euſebius Hieroſolymis ſervatam q[illegible]idem, cuſtoditam, & monſtratam à poſteris ſcribit, *adoratam religioſe*, vel etiam, quod multo minus eſt, *magnâ* (vt vult Bellarminus) *cum veneratione habitam*.

habitam, nuſquam dicit. Cætera omnia quæ obiiciuntur, ſunt inferiorum temporum.

CAPVT VIII.

Neque de imaginum cultu vllum ex veris ejuſdem memoriæ monumentis teſtimonium edunt; vt videre eſt apud Bellarminum, quo loco hanc controverſiam ex Patribus tractat. Nullum iſtic teſtem reperies, qui ante quartum ſæculum vixerit, paucos ex quarto ipſo; ſed ne ex eo quidem quemquam, qui *adoratas* vel *adorandas eſſe imagines* perhibeat. *Id. Ibid c.12 §. Secundo probatur ex Concil.*

Crucis denique adorationem, qui vel commendet, vel memoret, vel etiam innuat, ex illa prima Chriſtianiſmi ad a. D. 300. ætate plane neminem vel proferunt, vel habent; vt ex eodem Bellarmino, vbi hanc rem agit, facile intelligere potes. Illam certe, ſi qua coli deberet, omnium maxime colendam crucem, cui Chriſtus affixus eſt, Veteres illius memoriæ Chriſtiani adeo non coluerunt, vt ne curare quidem, aut ſervare dignati fuerint, ſed eam (quatenus in ipſis ſitum erat) humi computreſcere ſiverint. Ipſi enim adverſarij ex Reliquiariorum vetuſtiorum fabulis narrant illam crucem ab Helena Conſtantini matre anno demum à Chriſti natalibus 326. Hieroſolymis altà humo egeſta, ſub qua toto anteacto tempore delituerat, inventam fuiſſe atque erutam. Itaque prioribus Chriſtianis ne viſa quidem vnquam erat; nedum vt eſſet adorata; ex ipſorum Latinorum confeſſione. Crucis vero illius lignea, lapidea, vel ex alia materia ſimulacra ſcribit quidem Bellarminus *ab ipſo Eccleſiæ exordio, etiam ante crucis veræ inventionem, Chriſtianos ſolitos habere & venerari*; ſed non probat. Quod enim primo ex Iuſtino affert, id, ſi verum eſſet, doceret quidem *ſigna crucis* apud noſtros fuiſſe; *adorata* à noſtris fuiſſe non doceret. Sed ne illud quidem prius habet Iuſtini locus. De *ſignis* enim loquitur Ethnicorum Imperatorum militaribus; nullo pudore ab adverſario ad ſua religioſa crucis ſigna detortus; quod alibi opportunius docebimus. Quod vero ex Tertulliano & Minutio additur noſtris objectum fuiſſe à Paganis crucis cultum fateor; vere objectum fuiſſe nego; Falſo & per ſycophantiam objectum oſtendit & Minutius diſerte negans *à ſe cruces coli*; & Tertullianus eorum calumniam, qui noſtros *crucis religioſos* putabant, inter falſas Ethnicorum de rebus noſtris *opiniones* recenſens; quod infra ſuo loco fuſius Deo dante demonſtrabitur. Denique Origenes libro in Epiſtolam ad Romanos ſexto *de figura crucis* (quod ei falſo & invercunde tribuit Bellarminus) plane nihil dicit, imo *figuram* ne ſemel quidem nominat. *Crucis*, id eſt Dominicæ in cruce mortis vim virtutémque pro merito ſuo celebrat. Sed omnem ſuperat impudentiam, quod idem alibi adverſarius ita ſcripſerat; *Crucem* (inquit) *id eſt crucifixi imaginem fuiſſe in Eccleſia ſemper honoratam* (adoratam autem intelligit) *CERTISSIMVM eſt. Nam Lactantius in carmine de paſſione Domini:* Flecte genu (*inquit*) *lignumque crucis venerabile adora.*

Bell. l. 2. de imag. Sanct. c.2 . §. Primo quod non.

Id. ibid. c.12 §. Tertium argum.

Iuſt. Apol. 2.

Minut. in Octav.
Tertull. in Apol. c.15.16.

Orig. l. 6. in epiſt ad Rom.

Bell. l. 2. de Sanct. imag. c.12. §. Quintum.

CAPVT VIII.

Hæc ille. Nunc ſpecta quæſo immanem hominis confidentiam. Primum enim fac Lactantium hunc, quem ei noſter falſo & inverecunde tribuit, verſiculum ſcripſiſſe; inde ne conſequens eſſet *certiſſimum eſſe crucem ſemper in* Eccleſia adoratam fuiſſe? Lactantius ſub Conſtantino vixit. Eccleſia jam pœne tria ante Conſtantinum ſæcula ſteterat. Etiamne eo tempore fuiſſe adoratam crucem hominis tamdiu poſt nati teſtimonium vinceret? Ego quidem non video quî ex hoc illud concludi poſſet; Mirater tamen fateor, ſi quid hujuſmodi Lactantius ſcripſiſſet, qui omnem rerum ex terrena materia concretarum, aut fictarum cultum ac religionem in aliis paſſim operibus refutat ac deſpuit. Ille vero non ſcripſit. Abſit, vt vir ſapiens, & eruditus tam fœde ſibi ipſi contradixerit. Hoc illi Bellarminus ſecure & inverecunde impoſuit. Poëmatis enim de Domini Paſſione, in quo verſiculus iſte legitur, non eſt auctor Lactantius; quod Bellarminus diſcere poterat, & à Michaële Thomaſſio ſuo, viro eruditiſſimo, qui negat ſe hæc, & alia carmina Lactantio vulgo tribui ſolita, & hoc nominatim quod de Paſſione eſt, in vllis *codicibus antiquis inveniſſe*. Poterat diſcere à Ieſuita Poſſevino ſuo, qui hæc ipſa Thomaſſij verba obſervavit & deſcripſit; Quale Bellarmino Iecur fuit, qui ex vno incerti & ignoti Poëtæ verſiculo, ſe effecturum ſperavit, vt certiſſimum ſit ſemper in Eccleſia adorata fuiſſe crucis ſimulacra?

Mich. Thomaſſ. Not. in Lact. ad p. 241.
Poſſev. Ap. Sacr. Lact.

His ità explicatis planum eſt, primi ad a.D. 300. Chriſtianiſmi auctores ſcriptoreſque tam divinos, quam Eccleſiaſticos, verba quibus religioſum cultum ſignificare ſolent, προσκυνεῖν, σέβειν, θρησκεύειν, δουλεύειν, λατρεύειν, *adorare, colere, ſervire*, & ſimilia, nulla uſpiam diſtinctione adhibita temperare, aut aliter à ſe in religione ſumi, quam de ipſo divino cultu, admonere, vel etiam innuere; neque vnquam, quantum quidem ex eorum monumentis conſtare poteſt, teſtari ſe aliquid religioſi illius cultus, qui his vocabulis ſignatur, aut Euchariſtiæ, aut Divis, aut reliquiis, aut imaginibus, crucibuſve (vt Latini loquuntur) ſacris deferre aut deferendum putare. Vnde porro id quod nos contendimus, neceſſario atque evidenter conficitur, nimirum quæ nos in ipſo diſputationis limine attulimus illorum ſcriptorum teſtimonia, diſerte vel negantia quicquam creatum vel factum, eſſe colendum, vel affirmantia vnum Deum creatorem colendum, ea à Chriſtianiſmo excludere religioſum cujuſcumque præter Deum, rei cultum; adeoque non modo eum, quem Pagani Soli & Lunæ & aliis creaturis idoliſve tribuebant, ſed etiam eum, quem nunc Latini Euchariſtię, Divis, reliquiis, imaginibus & crucibus exhibent.

CAPVT

CAPUT. IX.

Argumentum IV. contra Latinorum de Euchariſtia, Divorum, &c. cultu traditionem, inde ſumptum, quod hæc in ſupremis ſuis Latini ſtudioſiſſime adhibeant, colant, & adorent, etiam in ipſo Martyrio; vetuſtiſſimi vero Chriſtiani pari loco & tempore nihil ſimile vſurpaſſe vnquam, ſed Deum ſolum invocaſſe, laudaſſe, coluiſſe, adoraſſe reperiuntur; quod liquido demonſtratur plurimis ex vtroque ordine fuſe deſcriptis & inter ſe collatis exemplis; Idemque diſcrimen vetuſtiſſimorum à recentioribus *Chriſtianis in ipſo Latinorum Breviario obſervatur.*

SED tametſi hæc ita in genere diſputata modeſtis ingeniis ſatis eſſe poſſint; videamus tamen accuratius, an cum hac de vnius Dei religione cultuque ſententia omnia apud antiquiſſimum illum Chriſtianiſmum conſpirent, inſpiciamuſque attentius ſi quid forte ab hac principali regula in vetuſtiſſimorum fidelium moribus, narrationibus, & diſputationibus deflectat; ſi quid ſit, quod vel obſcure ſignificet jam tum à noſtris etiam, præter Deum optimum maximum, quinque illas Latinæ religionis partes aliqua religioſæ culturæ ſpecie, aliquove gradu fuiſſe honoratas.

Principio ergo, ſi eos vitæ actus, in quibus Latini ſuum in Euchariſtiam, in Divos, eorumque reliquias & imagines, cruciſque figuras cultum vſurpare & factitare ſolent, cum vetuſtiſſimorum Chriſtianorum in iiſdem actibus pietate comparemus, apparebit hos nihil iſtorum religioſe coluiſſe. Singula in diſputatione, quæ deinceps erit de ſingulis, ſeorſum Deo dante excutiemus. Nunc quæ ad illorum quinque cultum ſimul pertinent, conſideremus. In hoc genere primum obſervo Latinos quoties ex morbo gravi decumbentes ad mortem ſe præparant ac muniunt, toties ſi licet, & reliquias, & cruces & imagines adhibere, & Divos invocare, & Euchariſtiam adorare. Nemo fere apud eos aliter moritur; & ſane ita præcipit Rituale Romanum, vt ad gravius ægrotantem Euchariſtia magna pompa deferatur, eamque antequam infirmo porrigatur, & ipſe qui attulit preſbyter, & cæteri præſentes & ipſe ſi morbus id ſinit, ægrotus de geniculis adoſent. Sed & monet idem liber infirmo ante oculos collocari ſacras Chriſti crucifixi, Divæque Virginis, & ſi cujus Divi proprie religioſus eſt, imagines; Ægrotum inter cæteras preces has jubet identidem recitare; *Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.* item hanc; *Sancte Angele Dei, mihi cuſtos aſſiſte. Omnes Sancti Angeli, & omnes Sancti intercedite pro me, & mihi ſuccurrite.* Moribundo preſbyter jubetur inprimis crucifixi ima-

Ritual. Rom. de Euchar. p. 123. 124.

Ibid. Viſite des malad. p. 181. 203. 204.

Ibid. p. 205, 206.

CAPVT IX.

imaginem oſculandam præbere, eamque ante eum intuendam ſtatuere, vt in ea Servatorem, & omnium malorum remedium contempletur. Litanias, id eſt contextum brevium ad Deum & Divos precum recitari præcipit; & pro animam agente hoc etiam preſbyterum precari, *Suſcipiat eum Beatus Petrus*, & *Adjuvet Sanctus Paulus*, &, *Intercedat pro eo Sanctus Ioannes*; &, *orent pro eo SS. omnes Apoſtoli.* Item, *Intercedant pro eo omnes Sancti & electi Dei.* Salutatio vero quę dicitur *Angelica*, hoc eſt oratio ad Mariam, vbique ab initio ad finem ſonat. Iàm hæc vt in Latinorum Rituali præcipiuntur; ita & in aliis libris, quoties illi ſuorum mortes deſcribunt, memorantur. Non omiſit Maffeius, cum Franciſci Xaverij mortem exſequitur, hominem narrans in Sanctiano littore, dum portitorem, quocum de trajectione in Sinas erat pactus, fruſtra expectat, Febri correptum, Mariam vna cum Ieſu invocantem expiraſſe. Addit Iarricus ad Virginem converſum; identidem dixiſſe, *Monſtra te eſſe matrem*; & Ieſu atque Mariæ nomina continenter vocaſſe. Laurentium Suareſium de Goano ſeminario puerum, inter multa mira, quæ de ejus pietate referunt, hoc quoque memorant gravi morbo laborantem, & fatum inſtare ſentientem multas ad Divam Virginem preces feciſſe; multa cum ea veluti præſente devotiſſima colloquia habuiſſe. Ita & Maxentiam, principem in Iaponia fœminam, cujus admirabilem fuiſſe pietatem prædicant, cum ex fatali morbo decumberet, nunc Ieſu, nunc Marię nomen ſæpius inclamaſſe; poſtremóque cum Ieſum & Mariam ter clara voce ingeminaſſet, animam exhalaſſe; & alium neſcio quem de eadem gente Chriſtianum pœnitentem eadem nomina morientem in ore indeſinenter habuiſſe. Ita & Firoximenſem quemdam virum, vt mortem inſtare ſenſit, orationém primùm Dominicam vnà cum ſalutatione ad Mariam Angelica recitaſſe, moxque invocatis Ieſu & Mariæ nominibus ad plures abiiſſe confirmant. Trigautius narrat anum quandam octogenariam, poſtquam Chriſtianiſmo nomen dederat, non plures quam viginti dies vixiſſe; ſed monet eo ſpatio ſalutationem ad Virginem didiciſſe; quaſi ne Chriſtiana quidem moritura fuerit, ſi fato vrgente è vivis ante eſſet erepta, quam illam Virginis adorationem fuiſſet edocta. Sed piget rei vbique obviæ plura colligere exempla. Quid? quod ne in martyrio quidem, quo agone nihil eſt in Chriſtianorum rebus illuſtrius, vix quiſquam in Latinorum recentiorum litteris reperitur, qui vitam pro eorum fide ponens non aliquod ſui in iſta quinque, quæ diximus, cultus ſpecimen edat, idque ſedulo eorum ſcriptores, vt par erat, obſervarunt; diſerte narrantes ſuos martyres, vel vnum aliquid ex his in ſupremis eſſe veneratos, vel etiam plura ſimul ac ſemel Operæpretium eſt rem exemplis confirmare. Senex quidam ſeptuagenarius, cui *Iorami* nomen erat, Funagi in Bungenſi apud Iaponas regno, pro ea fide, quam à Ieſuitis acceperat, occiſus eſt anno Domini 1589. die Iulij 27. Quomodo? Audi.

Ibid. p. 214.

Maff. Indic. l. 15. p. 664.

Iarric. in Indic. l. 1. c. 25.

Froeſ. Relat. Iap. a. 1596. p. 203.

Trig. Mart. Iap. l. 1. c. 24. p. 122.

Ann Iap. a. 1614. p. 256.

Supplem. ad Trig. Martyr. p. 171.

Caput IX.

Audi. Ille vbi ſe quæri ſenſit *reliquiarum* ſuum imprimis cum granis benedictis, & roſario ſibi ex collo ipſe ſuſpendit vnà cum Divæ Virginis imagine; tum crucem manu geſtans, & in genua procumbens, & ſacra Ieſu ac *Mariæ* nomina invocans, à percuſſoribus juſſu Regis eſt obtruncatus. Ita narrant Ieſuitarum annales. Is ergo, vt vides, non vni in Deum ac Chriſtum religioni, ſed & Mariæ cultui, *reliquiarumque*, & *imaginum*, & *crucis* venerationi teſtimonium ſua morte perhibuit. Yemon quidam Ionezavæ in eadem Iaponia civis cum aliis quindecim ſe quoque ad vltimum illud certamen comparantes ante Divæ Virginis iconem ex haſtili, inſtar vexilli militaris, ſuſpenſam procumbunt, eámque orant ſupplices, vt ſibi dux, & adjutrix eſſet in ſuſcepto negotio. Tum præeuntibus nobilibus duobus pueris, quorum alter ſacrum illud vexillum, alter cereum benedictum arundini præfixum, atque accenſum præferebant, omnes vnà viri mulieréſque roſaria illi collo, hæ manibus geſtantes, ad locum ſupplicij devenerunt; vbi poſitis genibus, & oculis in Divæ imaginem fixis, ſacram Euchariſtiæ ex ære icunculam ſupremùm exoſculati, & ſolemne hoc ei carmen ſuo ſinguli ordine ſuccinentes; *Laus ſanctiſſimo ſacramento*, ita demum ferro in cervices incumbente demeſſi animas efflarunt, anno Domini, ſi bene obſervavi, 1628. Ergo & hi ſacramenti, & Virginis & imaginis cultum ſuo & exemplo & ſanguine confirmarunt. Sunt in quorum paſſione ſimul ſemelque legimus imagines, reliquias, & Divorum invocationem. Qualis ille Simon Giſioyus, vir ex Iaponia in bello fortiſſimus; qui cum ad martyrium vocaretur; imprimis ante ſanctiſſimam quandam Chriſti ad columnam flagellati imaginem ter orationem ad Deum Dominicam, ter ſalutationem ad Mariam Angelicam de geniculis dixiſſe fertur, & in aulam ſuam progreſſus coram eadem illa imagine, cujus erat admodum religioſus, prociditſe, crucifixi quoque figuram Michaële quodam è regione oſtentante, cereis collucentibus; inde matri quidem reliquiarium; Figidæ vero apoſtatæ ſui criminis emendationem pollicenti granum quoddam benedictum donaviſſe; poſtremo ſummiſſiſſime illam Chriſti flagellati iconem ſic veneratum, vt pavimentum fronte contingeret, *Deum in imagine adoraſſe*; ſtatimque capite a milite truncatum cecidiſſe exanimem, anno Domini 1603. die 9. Decembris. Talis etiam fuere tres illæ mulieres Iuſta, Agatha, & Maria quæ cum ſe ad mortem eſſe pro fide damnatas didiciſſent, præ gaudio ante ſacram quandam imaginem in genicula primo prolapſæ: mox pretioſiſſimas veſtes velut ad nuptialem pompam indutæ comitantibus ex conſectaneorum ſuorum numero hominibus fere trecentis cum ad locum ſupplicij perveniſſent, ſingulíſque roſariorum ſuorum grana diviſiſſent Ieſu & Mariæ nomina invocantes cervicibus amputatis cæſæ ſunt a. D. 1622. Eſt vbi Latinos ſuam in ſacramentum ſimul, & in Divos religionem in martyrio fatentes videmus.

Fr. Solier. l. 9.c.12. §.116.

Relat. Iap. a. 1628. p. 29. p. 40. 41.

Sol. l. 14.c.11. p. 291. 293. 294. 295.

Idem l. 19.c. 20. p. 735.

CAPVT IX.

vt Iacobum Caravallium, Ieſuitam, & aliquot Iapones, quos narrant annales cum diros ob ſuam fidem in Idacħ Maſſanſunæ Iaponum reguli perſecutione cruciatus invicto animo pertuliſſent, nullas inter dolores acerbiſſimos alias emiſiſſe voces, præter has, quas crebro ac pœne continenter ingeminabant. *Ieſus Maria, Benedictus Dominus, Laus ſanctiſſimo ſacramento.* Ita & Simon neſcioquis ex eadem Iaponum gente eximius confeſſor, cum poſt varia certamina dimiſſus domi corpore tormentis confecto moreretur. Ieſu quoque & Mariæ nomina inter agendam animam invocavit, illud quoque iſtorum ſolenne identidem vſurpans, *Laus ſanctiſſimo ſacramento.* Sic & Paulus quidam in thermis Vngeni, Iaponici montis, horrendo à Bungundono ſupplicio affectus & ſocios hortatur vt ad Divam Virginem in ſupremis confugiant, & ipſe vna cum iis Mariam ſimul, & Chriſtum invocat, & inter cruciatus ſæviſſimos ſubinde ſacramento his verbis benedicit, *Laus ſanctiſſimo ſacramento.* Etiam reperias qui pro diſciplina morientes ſuam, & in Divos, & imagines, religionem teſtantur, Vt Ioanna, & Agnes Simonis Gifiogi, de quo nuper diximus, illa mater, hæc conjux, quæ ſe ad martyrium accingentes, ante Matris Virginis iconem in genua procumbentes Litanias, velut ſupremum ei vale dicentes, quæ vivam ſcilicet in hac vita nunquam eſſent viſuræ, recitarunt, & jam proficiſcentes illam Chriſti verbera ad columnam patientis tabulam, in quam tantam fuiſſe meminerant Simonis ſui religionem, ſecum efferri juſſerunt, vna cum aquæ luſtralis vaſculo; oculiſque & in hanc, & in aliam crucifixi imaginem intentis Ieſum, & Mariam in cruce, cui affixæ erant invocarunt. Vt Thomas Niyemon, qui eo ipſo die, quo erat producendus, fratres apud ſe bene mane convocavit, & Virginis litanias vnà cum iis recitavit, & crucifixi imaginem manu geſtans colloquium cum Ieſu Chriſto habuit; Vt Iacobus Cangayama, qui antequam ad martyrium exiret humi ante crucifixi imaginem procumbens ſe Deo ſanctiſſimæque Dei Matri commendat; Tum collem in quo erat paſſurus aſcendens Divorum litanias recitavit; ictum poſtremo quo capite truncatus eſt, inclinata cervice, Ieſu, & Mariæ nomina ingeminans, excepit. Vt Simon Bocuſayius cum ſuis, qui ad mortem pro fide damnati ante crucifixi imaginem procidunt; mox in crucem ſublati, è quibus duo qui ad biduum ſuperfuerunt Mariæ nomen vnà cum Ieſu nomine invocarunt; Vt ille denique invictus athleta Symeon, qui cum poſt horrenda tormenta in patris domum eſſet relatus ſe Deo ſuaviſſimis, & amore delibutis cum Ieſu, & Domina Diva Virgine colloquiis commendat, ſubinde in has voces erumpens, *Te ſancta Maria mater Dei, miſericordiam poſco, Miſericordiam Angelorum regina, mihi miſero peccatori.* Et cum jam eſſet in ſupremis, *Date quæſo, crucifixum* (inquit id eſt Chriſti crucifixi imaginem) *vt ejus vulneribus figam oſcula, vt hæc anima in ſanctiſſimum illud corpus per iſtas foſſuras de corpore diſcedens* ingre-

Sol. l. 20. c. 8. p. 810.

Roiſ. dir. in Ann Relat. a. 1626. p. 785. Ibid. 412. 413.

Sol. l. 14. c. 11. p. 497. 498.

Nic Trigaut. Martyr. Iap. l. 4. c. 8. p. 4 4.

Sol. l. 18. c. 1. p 594 Ann. Iap. a. 1619. p. 7.

Ann. Iap. a. 1620. p. 199. 200.

Ann. Iap. 1630. c. 3. p. 130. 131.

ingrediatur, & ſtatim porrectum crucifixi ſignum adoravit. Aliquando reliquias vnà cum imaginibus colere ſe in ipſo martyrio ſignificant; Vt Melchior Bugendonus qui cum ad mortem eſſet profectus reliquiarium prius brachio alligavit, & vtrumque genu coram ſacra quadam imagine venerabundus poſuit; mox capite abſciſſo cæſus. Interdum vero cum imagine crucem conjungunt; vt ille devotionis à Ieſuitis tantopere celebratæ Bonaventura, qui cum eſſet in vinculis brevem ſibi ex ligno crucem ad ſolatium animi effinxit, & mox crucifixi oblatam iconem primo intuens, mox oſculatus, tandem dentibus arreptam non ante dimiſit, quam animam vnà emitteret. Sed & plurima occurrunt in Martyrum Latinorum actibus loca, in quibus illi vnam aliquam ex iſtis quinque ſui cultus partibus factitant, vbi plane nullam factitaſſe legantur, ea ego vel nulla, vel valde pauca reperiri exiſtimo; ſi qui ſint actus, in quibus eorum martyria paulo fuſius ad hiſtoriæ modum narrentur. Nos exempla ſingulorum aliquot afferemus; ac primo Euchariſtiæ. Damianum quemdam a. D. 1622. cum in Firadenſi apud Iapones regno pro fide captus, amputandum caput offerret carnifici, in illo vltimo vitæ ac pietatis ſuæ actu ſibi de conceſſa divinitus hac palma his verbis gratulatum eſſe tradunt, *Laus ergo ſanctiſſimo altaris ſacramento.* Ita & Ioannem Giroyemonem, virum ob egregios præ cæteris Iaponibus in Latina pietate progreſſus laudatiſſimum; cum in iiſdem partibus à Tono (id magiſtratus Iaponici nomen eſt) ſe ad martyrium damnatum eſſe accepiſſet, geſtiiſſe gaudio legimus, & eaſdem voces in chartula quadam ſcripſiſſe, *Sanctiſſimo altaris ſacramento laus in æternum*; eamque chartulam in ſinu ſuo pro viatico repoſuiſſe; moxque eodem anno d. 8. Iulij abſciſſo à carnificibus capite fortiter occubuiſſe. Neque de Divorum reliquiis talibus locis tacent. Ita narrant Iuſtinum ad hunc agonem ſe accingentem reliquiarium lævo brachio innexuiſſe, palum, cui erat alligatus, amplectentem, ignem quo vivus eſt crematus, immoto corpore magno animo pertuliſſe. Et Martham nobilem fœminam ad mortem pro fide damnatam, antequam trucidaretur duo ſibi de collo reliquiaria detraxiſſe, & alterum nurui ſuæ Iuſtæ, alterum duobus pueris regiis dono miſiſſe Arimenſis Regis apoſtatæ fratribus. Crucem quoque in talibus memorant; vt cum nobile duorum, & quinquaginta hominum, partim Nangazachi, partim Omuræ captorum martyrium celebrant, Omuranos ſcribunt ad ſupplicium proficiſcentes vel crucem manu, vel crucifixum omnes geſtaſſe; & Michaëlem Caravallium Ieſuitam cum aliis quatuor monachis Nangazachi pro ſua religione exuſtos ad ſupplicium euntes crucem quemque manu tenuiſſe; Et Simonem Bocuſayum eum ſuis, cum eſſet à Ietcundono Bugenſi Principe ad mortem pro ſua fide damnatus, ante Chriſti crucifixi imaginem in genicula procubuiſſe; & Dominicum quemdam in vrbe Firoxima cum ad

CAPVT IX.

Sol. l. 5. c. 18. p. 378 & Ann. Iap. 1605. p. 257.

Trig. Mart. Iap. l. 1. c. 26. p. 142.

Sol. l. 19. c. 22 T. 2. p. 746.

Ibid. c. 24. p. 757.

Sol. l. 17. c. 11. p. 449.

Trigau. Mart. Iap. l. 2. c. 3. p. 159.

Sol. l. 19. c. 14. p. 706.

Id. l. 20. c. 26. p. 1011.

Sol. l. 18. c. 14. p. 198.

CAPUT IX.

ſupplicij locum veniſſet, genibus nixum tradunt crucem, cui erat mox affigendus, tum humi adhuc jacentem *magna devotione adoraſſe*. Neque vero imagines omittunt; vt cum Thomam Calacámum manu à carnificê reſecta, brachiis decuſſatim complicatis, ante crucifixi imaginem procubuiſſe in genua, & vulneribus confoſſum fuiſſe tradunt; & Sanchem ipſum quoque de Ieſuitarum diſciplina, in ipſo ſupplicij loco coram crucifixi imagine genibus nixum cervices abſcindendas ſpiculatori porrexiſſe, & Gaſparem quendam Yamandæ in Firadenſi ditione Dominum viri vere Chriſtiani armis bene inſtructum ac munitum fuiſſe affirmant, quod is eundem illum agonem meditans ſe Franciſci Seraphici patris funiculo cinxerit, & ante Servatoris imaginem in genua procubuerit hoc corporis habitu fatalem ictum opperiens, quo mox caput manu carnificis demeſſum poſuit; Ita & Balthazarem in Bungenſi regno paſſum, imprimis coram ſacra Servatoris imagine ingeniculatum oraſſe; inde Divæ Virginis iconem vna manu, cereum altera geſtantem benedictum & accenſum, ad carnifices perrexiſſe, à quibus eſt capite multatus; Sic quoque Michaelem Fucundam, adoleſcentem domo nobilem, poſtquam cognatis convivio adhibitis valedixiſſet, eaque veſte, qua nullam majoris pretij habebat, corpus ornaſſet, altera manu cereum ardentem, ſacram altera imaginem cepiſſe; martyrium mox feciſſe; & illuſtrem fœminam, cui *Gratia* nomen erat, cum ad martyrium raperetur, roſarium genero ſuo donaſſe, & ſublatam crucifixi ſervatoris imagunculam adoraſſe oſculantem; Ita denique Gonçalem Sylveiram Ieſuitam nobilem in diverſa orbis parte apud Monomotapæ Regem ad martyrium, de quo divinitus erat admonitus, infracto animo ſe comparaſſe, cum roſaria ſua neophytis quinquaginta, quos eo ipſo die tinxerat, diviſiſſet, crucifixi imaginem ſumpſiſſe in manus; & mox precibus ante eum fuſis à barbaris poſtremo immaniter fuiſſe occiſum. Beatæ vero Mariæ, & cæterorum Divorum cultum Latini ita ſæpè, ita accurate à ſuis martyribus vel commendatum, vel factitatum, vel certe ſignificatum, & confeſſum fuiſſe videmus, vt nullius quam hujus partis diligentiores fuiſſe videantur. Suos quidem Franciſcanos Pater Martinus, quibuſcum in Iaponia ad martyrium vinctus erat, paucis antequam Nangaſachi crucifigerentur, diebus compellans, *Toto* (inquit) *corde ad ſanctiſsimam Dei matrem, peccatorum advocatam, ad glorioſum Franciſcum, ad Angelum cuſtodem, & ad omnes ſanctos in cælo confugiamus, vt intercedant pro nobis.* Sic & Paulum illum, qui diris cruciatibus in Vngonicis thermis confectus eſt, ſocios certaminis hortantem nuper audiebamus, vt ad Virginem in ſupremis confugerent. Ac vt ſe ipſos, ita & cæteros Chriſtiano ſibi ſuperfuturos, ad eundem cultum poſiti in ipſo agone Martyres cohortantur. Certe quia. D. 1628. & 1619. in Iaponia paſſi ſunt, hoc ſuis in paucis præcepiſſe enixeque mandaſſe leguntur, vt in Divum Loyolam

devoti

Trig. Mart. Iap. l. 5. c. 17. p. 573.
Trig. Mart. Iap. l. 2. c. 16. p. 2·9
Ibid. ſuppl. l. 5. p. 623.
Sol. l. 16. c. 13. p. 457. 458.
Id. l. 18. c. 5. p. 596.
Id. l. 19. c. 19. p. 731.
Id. l. 20. c. 17. p. 898.
Du Iarric. l. 3. c. 10. p. 123. 124.
Froeſ Relat. Iap. tripl. a. 1595. c. 10. p. 64.
Ann. Iap. 1625. p. 412.
Ann. Iap. a. 1628. 1629. 1630 p. 90.

CAPVT IX.

devoti eſſent. Ipſi vero, quam ſedulo fuerint hoc cultu functi, exemplis demonſtrandum eſt. Michaël vnus ex Ieſuitarum *Giffiachis* (id eſt miniſtris, ac catechetis) a. D. 1609. martyrium apud Iapones fecit. In hujus veſte reperta eſt epiſtola recens, pauxillo antequam pateretur ſcripta, *in qua Divam Virginem orabat, adjutricem à ſe electá*. Anno 1614. in Arimenſi perſecutione, qua Cuchinotzuentes martyres XVIII. paſſi ſunt, vnus ex iis Quivam, quem iſtorum annales magnis laudibus efferunt, ſe ſuoſque ad martyrium parans, litanias vnà cum iis cantabat, Sanctoſque omnes cœlites invocabat. Matthæum Aruquium ex eodem numero mane ad ſupplicium domo exeuntem, ſolenni ante omnia carmine, *Salve Regina*, &c. Divam Virginem ſalutaſſe apud eoſdem legimus; & Dominicum Yenamium Virginis favore fretum, recitato prius roſario ad martyrium quoque iviſſe; a. vero 1617. Ioannem Baptiſtam Macchiadem Ieſuitam Omuræ vnà cum Petro quodam Auguſtiniani ſodalitij monacho vinctum, antequam è carcere ad ſupplicium irent, Divorum omnium opem litaniis recitatis diligenter imploraſſe. Sed & a. 1619. Leonardum Quimuram Dogicum (id eſt catechetem) Iaponem, & alios ob fidem captivos inter cætera, quibus ſe ad inſtans certamen exercebant, Divorum ac Divarum litanias crebro in cuſtodia dicere ſolitos; eodẽmque anno Carolum Spinolam Ieſuitam & genere, & pietatis fama nobiliſſimum, alioſque XV. partim monachos, partim Dogicos Omuræ vinctos martyrium exſpectantes, & ſanctiſſimam interea vitam agentes, Divæ Virgini officium quotidie recitaſſe; Dominicis vero, & feſtis diebus eandem etiam ſolenni illo carmine adoraſſe, cujus initium eſt, *Salve regina*, & Sanctorum inſuper litanias ceciniſſe. Ipſi quoque exhibent Antonij Sangæ Iaponis, tum quidam captivi, aliquanto verò poſt martyris, ſcriptam ad Ieſuitas epiſtolam, in qua ipſe teſtatur, *ſe Ignatij meritorum ferventiſſimum fuiſſe prædicatorem, eique & Xaverio peculiari ſemper devotione ſerviſſe, ac nũc cõfidere eos ſibi in hac ad mortẽ via duces futuros*. Anno 1625. ex eorum numero, qui tertio à Cubota milliari ob religionem exuſti ſunt, Ioannem Chiemonem fuiſſe, in cujus veſte ardens ad Divam Virginem oratio manu ejus ſcripta hæc reperta eſt; *Intelligens* (inquit) *te matrem eſſe miſericordiæ, audeo hanc à te gratiam depoſcere, vt mihi, vxori, ac liberis meis hoc impetres, ne noſtrum quiſquam ad inferni pœnas mittatur*. Tum præfatus quæcumque & ipſe, & ſui habent bona, ea ſe à liberali Divæ Virginis miſericordia eſſe conſecuros; *Miſerere* (inquit) *mei optima mea Domina. O benigniſſima os vultumque tuum converte non ad juſtitiam, ſed ad bonitatem & miſericordiam ſummi orbis Monarchæ. Tu me ſola ſat ſcio, ſine cujuſquam alterius auxilio, ad hoc quicquid eſt certaminis ferendum adjuvabis. Ego te ô advocata clementiſſima, quæſo vt vxorem meam in fidem atque tutelam accipias*. Ex his & cæteris quæ ſequuntur, apparet quibus iſte cogitationibus animum ad martyrij ago-

Relat. a. 1610. de IX martyr. p. 86.

Trigau. Mart. Iap. l. 4. c. 3. p 379.

Ibid. c. 9.

Ibid. c. 9.

Ibid. l. 5. c. 6. p. 508.

Ann. Iap. a. 1619. p. 16.

Sol. l. 18 c. 4. Ann Iap a. 1619. p. 58.

Id. Solier l. 19. c. 18. p. 728.

Ann. Iap. 1625 p. 126.

CAPVT IX.

nem præparaverit. Quin & iſti Latinorum martyres id in Divos pro ſe officij à ſuis conſecraneis rogant. Qualiter Linum legimus, egregium ſi iſtis credimus, virum è carcere, ex quo paulò poſt ad martyrium profectus eſt, ad Ieſuitas ſcripſiſſe rogantem, atque obteſtantem, vt Divam Virginem cæteroſque omnes Divos pro ſe diligenter orarent. Ita illi in procinctu (vt ſic dicam) ad martyrium. Nunc videamus qualiter in ipſo martyrio ſe gerant. Cum Xaverius Evangelium illud ſuum in Amboino, Indici maris inſula, prædicaſſet, & qui crediderant multis cruciatibus à Mahumedanis ad deſerendam fidem vrgerentur, affirmant Ieſuitarum annales perſeveraſſe complures Mariæ nomen vnà cum Ieſu nomine conſtantiſſimè invocantes. Extat Elcæ hominis Hiſpani Maroci ob fidem a. 1580. à Mauris interfecti martyrium; in quo ille dicitur, & Divam Mariam, & omnes paradiſi incolas Divos precatus eſſe, vt Deum pro ſe orarent. Sic quoque Iaponius quidam adoleſcens in diverſa orbis parte apud Sundam à Mauris ob fidem ſuſpenſus Ieſu, & Mariæ nomina, quoad licuit ad teſtandam ſuam in Chriſtianiſmo conſtantiam invocavit. Eadē alius Iapo, Ioannes Minaymus vir fortiſſimus, martyrium, ſed in patria, faciens repetebat. Hujus quoque vxor Magdalena filiolum ſeptennem, cum ad idem ſacrum diligenter monebat, vt Ieſu, & Mariæ nomina indeſinenter invocaret. Ita & Vrſulam quandam narrant, quæ pro fide ipſa quoque apud Iapones a. D. 1609. paſſa eſt Mariæ nomen vnà cum Ieſu nomine invocantem, ſecuris ictum quo eſt interfecta, excepiſſe; eandemque fuiſſe Ioannis Vrſulæ filij in pari facto conſtantiam ac devotionem. Anno vero 1595. Blancus Franciſcanus vnus ex illis XXVI. qui Nangaſachi crucifixi ſunt, clara voce Deum quidem Dominica prece, Divam verò ſalutatione Angelica in cruce adoravit. Iam in perſecutione Iaponica, quæ cœpta a. 1613. non antè deſiit, quam Chriſtianiſmum illum Ieſuiticum totum ex illa inſula profligavit, atque exterminavit, cum plurimorum virtute & pietate præſtantiam, vtriuſque ſexus, omniſque ætatis hominum mortes vel fuſe deſcribantur, vel breviter tantum perſtringantur in iſtorum annalibus, atque hiſtoriis; vix quemquam in tanto numero reperies, qui non omnes Divos Divaſque, vel aliquos ſaltem, certe Mariam Virginem in ſupremis invocarit. Mathiæ anno ipſo 1613. ineunte occiſi filiolus, ob eandem & ipſe cauſam paſſus, carnificis gladium Ieſu, & Mariæ nomina invocans excipit; ejuſdemque anni menſe Septembri apud civitatem Yendo XIV. martyribus eadem quoque nomina pari religione ingeminantibus cervices abſciſſæ ſunt. Ita in illa VIII. Martyrum paſſione, qui eodem anno publice Arimæ exuſti ſunt, & cujus pompam Trigautius adhibitis omnibus rhetorices coloribus ambitioſiſſime depinxit, non ipſi modo, ſed & cæteri illius tractus Chriſtiani, qui ad viginti millia cò confluxerant, cereos vel roſaria manibus geſtantes, ſeni ſuo quoque ordine diſpoſiti, ad locum ſupplicij procedentes, omnes vno ore ſan-

ctiſſimam

Trig. Mart. Iap. l. 1. c. 11. p. 297.
Ann. Iap. 1613. p. 273.
Iarric. T. 1. c. 26. T. 1. p. 641.
Fr. a. Caſtr. in ep.
Ann. Iap. a. 1589. p. 10.
Sol. l. 6. §. 215.
Sol. l. 14. c. 10. T. 2. p. 289.
ibid. c. 12. p. 297.
Id. l. 1. c. 13. T. 2. p. 459.
Ann. Iap. 1610. p. 23.
Froeſ. Relat. Iap. a. 1596. c. 84.
Trig. Iap. Mart. l. 2. c. 3. p. 150.
ibid. c. 9. p. 187.
ibid. c. 15. p. 212.

ctiſſimam Virginem, cunctoſque ſigillatim Divos cœlites eo quemque loco, quo ſunt in publicis Latinorum Litaniis digeſti, invocaſſe dicũntur, planè litanias, vt fit in ſolennibus proceſſionibus, canora voce intonantes, niſi quod pro intercalari carmine: *Ora pro nobis*, hi in ſuis martyribus defixi dicerent, *Ora pro illis*. Vbi illi ad palos cremandi alligati ſunt; tum pro iis alij ſymbolum Apoſtolicum recitare, alij Matri Virgini ſalutationem Angelicam offerentes iis Divæ opem atque favorem adpoſtulare. Ipſi vero, quod de Leone Suqüeyemone, & de Iacobo puerulo nominatim eſt obſervatum, Mariæ nomen vnà cum Ieſu nomine invocantes animas in mediis flammis exhalarunt. Gregorio vero cuidam à Sacayenſibus, civibus ſuis, capto, res melius ſucceſſit. Cum enim eum iſti, vt à Chriſtianiſmi fide absterrerent, ad locum ſupplicij duxiſſent, & niſi deficeret, capite multaturos minarentur, Gregorius vere hæc dici putans, non ſemel invocatis Ieſu, & Mariæ nominibus, inclinatas cervices percuſſori impavidus fruſtra præbuit, Domum enim illæſus dimiſſus eſt. Meacenſes vero Ieſuitarum diſcipuli cum duos confeſſores ad vltima tormentorum atrocitate deductos cernerent, omnes dicuntur vna voce Ieſum, & Mariam inclamaſſe. Is Linus, de quo paulo antè diximus, & Maxentia ejus, ſi bene memini vxor, ille in flammis, quibus crematus eſt, hæc in cippo, ad quem capite multata eſt, vterque Mariam vnà cum Ieſu pariter invocaſſe dicuntur. Idem fecit in tormentis Mathias, qui & ipſe paulò poſt capite truncatus eſt. Idem in ipſa morte & Petrus Fraximetus, [a] & Hadrianus Quindo Tacayemon [b], & Germanus Goruſucus [c], & Paulus Taroſucus [d] feciſſe narrantur. Quin & iſtorum cordibus adeò alte infixa eſt Divæ Virginis invocatio, vt nobilis architecti Pauli Yaſodayvi, cùm corpus bifariam eſſet à barbaris cum amotenſibus vno gladij ictu diſſectum, vocem ipſam, ac linguam mortui frigidam Mariam vnà cum Ieſu ter anima fugiente vocaviſſe litteris mandarint [e]. Ita & Dominicus quidam quatuor lanceæ ictibus Firoximæ in cruce confoſſus, eadem illa ſacra nomina invocans mortuus eſt [f]; Ioannes Fioſayemon, multis editis ſuæ pietatis exemplis, poſtremò illa *ſalutis noſtræ nomina* repetens occiſus eſt [g]; vt Ieſuitæ quidem loquuntur (nos vero præter Ieſum nullum aliud ſub cœlo *ſalutis nomen* hominibus datum eſſe Petro affirmanti * credimus) eadémque pariter invocantes Thomas & Mathias Fiebyoiæ capite multati ſunt [h]. Sic quoque Ludovicus Sottac in tormentis, Mariæ nomen cum Ieſu apud iſtos invocat [i]; & Martinus Suquimotus [k] ex Chicungenſi regno Divæ Virgini vxorem commendat, rogans vt ei hanc à Filio gratiam impetret, qua pro fide ſtet adverſus omnes caſus intrepida; ipſe ad ſupplicium procedit, & ter invocatis Ieſu ac Mariæ nominibus capite animadverſus cadit. Anno 1619. Teclam Ioannis Tafyoyæ [l] vxorem, cum in cruce viva cremaretur, Catharinæ filiolæ eidem ligno ad matris latus affixæ, de extincta oculorum

CAPVT IX.

ibid. p. 215.

Ann. Iap. a. 1613. p. 87.

Trig. ibid. l. 1. c. 6. p. 260.

ibid. c. 8. p. 271.

ibid. c. 12. p. 295.

ibid. c. 15. p. 310.

a id. l. 4. c. 7. p. 403.

b ibid. c. 12. p. 438.

c ibid. c. 13. p. 446.

d ibid. l. 5. c. 5. p. 495.

e ibid. l. 4. c. 15. p. 453.

f ibid. c. 17. p. 570.

g ibid. c. 19. p. 586.

* Act. 14. 12.

h Ann. Iap. 1613. p. 45.

i Triga. l. 5. c. 12. Iapon. Mart.

k ibid. c. 13. p. 552. 553.

l Ann. Iap. a. 1619. p. 134.

CAPVT IX.

acie pueriliter conquerenti, *Quin tu* (inquit) *ô cariſſimum caput, Ieſu & Mariæ opem invocas? Adhuc paululum, & in paradiſo erimus.* Anno 1620. In Cocuranſi perſecutione cùm plures eſſent ad mortem damnati, duos fuiſſe memorant, qui totum triduum in cruce ſuperfuerint eadem nomina indeſinenter invocantes [m]. Anno 1621. Leo Nunda Rifioyus cum duabus aliis Ieſum itidem & Mariam vocantes conſummati ſunt [n]; & Ioachimus quidam ipſe quoque Mizuzavæ paſſus eſt, cum Divæ Virgini oratione Angelica paulo ante ſupplicaſſet [o]. Anno 1622. Petrus Paulus Navarrus, Ieſuita, ſi quid iſtis credimus, imprimis egregius Ximabaræ ob fidem ſuam vinctus, Petri Antonij Spinelli de Divæ Virginis laudibus librum Iaponice, dum in carcere viveret, interpretatus, poſtremo combuſtus eſt vivus, clariſſima voce Ieſu & Mariæ nomina in mediis ignibus ſemel atque iterum ingeminans [p]. Anno 1623. cum Hieronymus ab Angelis, Ieſuita Siculus, Franciſcus Galba Monachus, alij Iapones laici, omnes ad quinquaginta, in Regia civitate Yendo, Xoguni Iaponum monarchæ juſſu alligati publice cremarentur, incenſo rogo auditas in mediis flammis ſcribunt Mariam vnà cum Ieſu religioſe invocantium voces; & duos paulò poſt ibidem crucifixos Ieſu & Mariæ nomina pariter exclamaſſe; alios qui eodem tempore exuſti ſunt, Divorum litanias clara voce recitaſſe, poſtremoque in Domini & Divæ parentis nominibus invocandis expiraſſe [q]. Anno 1624. cum Iacobo Caravallio Ieſuita capti aliquot Iapones, Xindayum adducti; ibique ex iis vnus Mariam eodem modo invocans crematus eſt [r]; Ieſuita & cæteri quæſitiſſimis tormentis cruciati, illud vnum quod ſupra diximus, exclamarunt, *Ieſus Maria. Benedictus eſt Deus. Laus ſanctiſſimo ſacramento*; & ex eo numero, Leonem, Antonium, Mathiam, & Taroyemonem, Ieſu, & Mariæ nomina vnà cum anima efflaſſe notant [s]; Caravallium omnium poſtremum expiraſſe [t]. Eodem anno Catharinam memorant roſarium cum ad Martyrij locum duceretur, recitaſſe, & Dominum ac Divam matrem in vltimo agone precatam eſſe; Caium item quemdam zelotem, & alium ipſius Sodalem pro fide anno 1625. vinctos primo quidẽ quotidie in carcere Divorũ recitaſſe litanias [v]; eaſdemq; poſtea cum ad ſupplicium abducerentur alacriter cantaſſe; vtrumque tandem Ieſu & Mariæ nomina ad extremum adorantes ignibus fuiſſe conſumptos [x]; fuiſſe & eodem anno alios neſcio quos, qui cum ad ſupplicij locum perveniſſent, recitatis primo Divæ Virginis Litaniis, mox in rogum injecti ejus & Filij nomina in mediis flammis invocarent. Anno 1626. Narrant Ieſuitas novem, quorum Principes erant Franciſcus Paceus Provincialis, Balthazar Torres, & Ioannes Baptiſta Zola Italus, cum Nangazachi vivi cremarentur, Ieſu, & Mariæ nomina invocaſſe [y]. Ad hæc cùm in eadem perſecutione Omuræ plurimi diverſi ſexus, & ordinis mortales ob receptatos vel deductos Ieſuitas capti variis pœnis plecterentur, multique vivi crudeliſſime combu-

m *Ann. Iap.* 1620. *p.* 200
n *Ann. Iap.* 1621. *p.* 30:.
o *ibid p.* 360. *Sol. l.* 19. *c.* 10. *ſ.* 2. *p.* 569.
p *Sol. l.* 19. *c.* 20. *p.* 764. *§.* 281. *& c.* 27.
q *Id. l.* 20. *c.* 4. *p.* 790.
r *ibid. c.* 8. *p.* 809.
s *ibid.* 810.
t *ibid.* 822.
v *Annal. Iap.* 1625. *p.* 34.
x *ibid. c.* 21. *p.* 249. 251.
y *Annal. Iap.* 1626. *p.* 183.

comburerentur, rogos mirabiliter perſonuiſſe crebris morientium vocibus Ieſum & Mariam conſtanter invocantium [z]. Neque poſtremo omiſerim miſerabile quatuor legatorum Meacenſium exemplum, qui cum inaudita crudelitate vnà cum LXI. ſociis ab Iaponum Principe ad mortem eſſent damnati, caſum acerbiſſimum fortiter omnes tuliſſe. Ieſuque & Mariæ nomina in ſupremis invocaſſe dicuntur [a]. Dies me deficiat, ſi omnia perſequi velim. Rarus eſt apud eos Martyr, qui non dicatur Divam Virginem vna cum Ieſu in ſupremis invocaſſe. Hoc feciſſe narrantur, & Maria,[b] & Linus [c], & duæ aliæ Mariæ & Gratia, & Lucæ cujuſdam vxor [d] & Beatrix cum liberis,[e] & Ioannes, & Calliſtus [f], & Michaël Caravallius Ieſuita [g], & Thomas Sucuzayemon [h], & Simon [i], qui à Paganis vel aquis merſi, & ſuffocati [k], vel in thermis Vngeni montis cruciati [l], & Indo Impey cum aliis quinque ſociis [m], & alij ad mortem, tametſi Chriſtianiſmum iterum abnegaſſent, damnati, & Ioannes quidam [n], & Iulius Ieſuitarum Dogitus [o]. Denique hoc omnibus Latinorum diſcipulis adeo alte infixum eſt, vt etiam duo pueruli ab immanibus barbaris ad mortem damnati poſitis humi genibus Angelicam orationem ad Divam Virginem recitantes carnificis gladium exſpectaſſe referantur.

Atque ita quidem Latini; [p] Nunc de vetuſtiſſimis Chriſtianis videamus. Eorum Rituale nullum habemus; quorum ſcilicet religio pauciſſimis ritibus; ſolida & vera pietate fere tota conſtabat. Extant tamen loca, vbi docent qualiter ſe fideles vel in morbo, vel in ipſa etiam morte gerere debeant. Ita Origenes, cum Celſus ſuis dæmoniis, quæ alioqui infirma, & rebus terrenis ac ſenſibilibus affixa eſſe concedebat, hanc ſaltem facultatem tribueret; vt *corpora ſanare* poſſint. *Quanto* (inquit) *ſatius eſt, &c. concredere ſe Deo vniverſorum, per Ieſum Chriſtum noſtræ doctrinæ auctorem? & ab illo omne auxilium, & ſanctorum juſtorumque Angelorum cuſtodiam poſcere, vt nos liberent à circumterraneis dæmonibus?* πόσῳ βέλτιον τὸ ἑαυτὸν ἐμπιστεῦσαι τῷ ἐπὶ πᾶσι θεῷ διὰ τῆς τὴν τοιαύτην ἡμῖν διδασκαλίαν ὑφηγησαμένου Ἰησοῦ χριστοῦ, καὶ ἀπ᾽ ἐκείνου αἰτεῖν πᾶσαν βοήθειαν, καὶ φρουρὰν τὴν ἀπὸ ἁγίων ἀγγέλων καὶ δικαίων. ἵν᾽ ἡμᾶς ῥύσωνται ἀπὸ τῶν περιγείων δαιμόνων. Tum paulò poſt conſtituit *quærendam eſſe ſanitatem pietate in Deum vniverſorum per noſtras ad ILLVM preces.* ὅτι καὶ τὴν θεραπείαν τῶν σωμάτων θεραπεύειν εὐσεβείᾳ τῇ εἰς τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν ἐν τοῖς πρὸς ἐκεῖνον εὐχαῖς. Vt bonos Angelos Origenes, Celſi dæmoniis, horum falſo à Paganis creditæ curationi eam quæ ab illis vere eſt cuſtodiam φρουρὰν τὴν ἀπὸ ἁγίων ἀγγέλων, hoc loco oppoſuit; ita ſi Latinorum hac in parte conſectaneus fuiſſet, & Chriſtianorum in morbis ad Angelos preces Paganicis ad dæmonia precibus, & horum ſacris illorum cruces, imagines, reliquias, grana benedicta, & cætera hujus generis oppoſuiſſet. Nihil horum fecit. Ergo Latinorum in his conſectaneus non fuit. In ſupremis, Iuſtinus præcipit pios non Mariam, aut Angelos invocare, non reliquiis, aut cruciculis,

CAPVT IX.

z *Ann. Iap. a.* 1630. *c.* 13. *p.* 205.

a *Cardi. enſa Rel. p.* 37.
b *Sol. l.* 10. *c.* 17 *p.* 895.
c *Ibid. c.* 18. *p.* 901.
d *ibid. c* 18 *p.* 901.
e *ibid. c.* 39. *p.* 903. 9 7.
f *ibid. c.* 25. *p.* 1004.
g *ibid. c.* 26. *p.* 1011.
h *ann. Iap.* 1626 *p.* 331.
i *ibid. p.* 386.
k *ibid. p.* 401.
l *ibid. p.* 413.
m *ibi. p.* 418.
n *ibid. p.* 259.
o *ibid. c.* 12. *p.* 271.
p *Relat. Iap. a.* 1628. *p.* 67.
Orig. contr. Celſ. l. 8 *p.* 430.
ibid.

CAPVT IX.

Iuſtin. dial. cum Tryph. p.260.lin.22.

ciculis, aut imaginibus ſacris ſe adverſum inimicas, atque in eo rerum articulo inſidiantes poteſtates munire, ſed ad vnum Deum precibus confugere; *Vt nos* (inquit) *cum jam ad exitum vitæ ſumus à Deo eadem poſcamus, qui avertere poteſt omnem impudentem & malignum Angelum ne animam noſtram capiat.* ἵνα ἡνίκα, ἤδη πρὸς τῇ ἐξόδῳ τοῦ βίου γινόμεθα, τὰ αὐτὰ αἰτῶμεν τοῦ θεοῦ τὸν δυνάμενον ἀποστρέψαι πάντα ἀναιδῆ πονηρὸν ἄγγελον, μὴ λαβέσθαι ἡμῶν τῆς ψυχῆς. *Eadem* autem illa quæ nos à Deo poſcere vult, ea ſunt quæ Chriſtum à Patre apud Pſalmographum poſcere dixerat, *vt à gladio & ore leonis, & de manu canis anima ſua ſalva conſervetur.* Hic nemo non videt contra malos Angelos bonorum præſidium, & aliorum Divorum opem per preces ad eos directas ex Romano Rituali poſcendam, commemorari à Iuſtino debuiſſe. Non commemoravit. Ergo ritus ille Latinos hac in parte neſcivit. Mortes fidelium ex morbo paucas (fateor) apud vetuſtiſſimos, aliquas tamen legimus. Vt Serapionis pœnitentis apud Dionyſium Alexandrinum, quem Euchariſtiam in ſupremis popoſciſſe narrat; ea impetrata ſumptaque expiraſſe. At particulam ſacram neque à presbytero, qui miſit, neque à puero qui detulit, neque ab infirmo, qui eam avide expectabat, adoratam dicit; neque Serapionem, vt illum de Latino genere quem ſupra exhibuimus pœnitentem Iaponem, Mariæ cum Ieſu nomen invocantem expiraſſe. Nimirum nondum apud noſtros obtinebat hæc novitia Latinorum in ſupremis religio; ſed ne in quarti quidem ſæculi initiis obtinuiſſe videtur. Certe Euſebius Helenæ octogenariæ, religioſiſſimæ mulieris mortem deſcribens, quæ paulò poſt a. D. 326. contigit, eamque de terra in cœlum ad Chriſtum ſtatim transferens, nihil de hodiernis Latinorum ſacris memorat; non vſurpatas reliquias, non Euchariſtiam, non cruces, aut imagines adoratas; non invocatos Divos. Sed neque horum meminit, quo loco Conſtantini mortem deſcribit, quæ ad a. D. [illegible] pertinet. Non tacet optimum Principem *ſupplices preces & rogationes ad Deum emiſiſſe* in Apoſtolorum æde, quam ſtruxerat, τὰς πρώτας ἱκετηρίους εὐχάς τε καὶ λιτανείας ἀνέπεμπε τῷ ΘΕΩ, inquit. Inde de morte cogitantem ſanctiſſimum baptiſmum, cujus adhuc expers erat, popoſciſſe ab Epiſcopis, & conſecutum eſſe; magnaque cum animi lætitia *elata voce gratiarum actionem Deo detuliſſe,* κἄπειτα τὴν φωτεινὴν ἀναψάλας, εὐχαριστηρίους ἀνέπεμπε τῷ θεῷ προσευχάς. Poſtremo ipſa Pentecoſtes die circa meridiem *ad Deum aſſumptum eſſe.* Tam opportuno loco Euſebius omiſſurus erat ſcilicet Mariæ nomen, Divorumque invocationem, & reliquiarum, & crucium, & imaginum ſolatia, & Euchariſtiæ adorationem, ſi quid horum tum fuiſſet in vſu? non aliquod ſaltem ex his dixiſſet? Credat Iudæus Apella. Nondum profecto erant, quæ iſte hic non dixit. Neque quicquam horum præferunt ſuprema Nicolai Myrorum in Lycia Epiſcopi, paulò poſt Nicænam Synodum mortui; qui inſtante morte ſuſpiciens in cœlum Angelos vidiſſe,

Dionys. Alex. apud Euſeb. Hiſt. l.6 c.44. fol.70. b.

Euſeb. l.3 de vita Conſt. fol.142 b

ibid. l.4. fol. 155. a.

ibid. fol. 155. b.

vidiſſe, non adoraſſe, Pſalmum ad Deum, *In te Domine ſperavi*, dixiſſe, non aliquam ad Divos, vel certe ad Mariam, precem recitaſſe narratur. Sed martyrum apud veteres major eſt copia; quorum quanta cura Latini ſuos illos cultus memorent, nuper audivimus. Ac illi quidem merito ita ſe gerunt, & plane ex ſuo dogmate. Nam ſi Euchariſtiam, & Divos, & cætera quæ diximus colere Chriſtianæ (quod illi ſtatuunt) religionis pars eſt, decet martyres, in ſanctiſſimo illo teſtimonio, quod de Chriſtianiſmo perhibent, ſanguineque ſuo obſignant, hunc cultum factitare ſuiſque, & exemplis & verbis confirmare; tum etiam ad Dei gloriam, Eccleſiæ ædificationem, ipſorumque laudem pertinet iſta eorum exempla & verba à Martyriorum Scriptoribus ſedulo ac diligenter commemorari, vt à Ieſuitis aliiſque Latinis factum videmus. Itaque ſi eadem primorum Chriſtianorum, quę nunc Latinorum eſt, de iſtis fuit ſententia, nequaquam dubitandum eſt, quin & ij qui apud eos martyrium fecerunt, hunc quoque cultum in ſupremo illo actu pro ſuo in religionem zelo factitarint, & commendaverint, & ij qui iiſdem temporibus eorum paſſiones litteris mandarunt, ipſi hæc etiam pro ſua & in res ſacras pietate, & in Chriſti teſtes veneratione, & in omnes denique fideles caritate exſecuti ſunt, diſerteque memoraverint; perinde vt Latinos obſervare nunc cernimus. Quid ergo vetuſtiſſimi martyriorum ſcriptores hac in parte præſtiterunt? Narrant-ne ſuos martyres vel Euchariſtiæ gratias egiſſe, & laudes dixiſſe, vel Divos, certe Mariam invocaſſe, vel eorum aut reliquias ac reliquiaria, aut imagines, vel lignea aureave crucis Dominicæ ſimulacra eſſe veneratos vel aliquid ſaltem hujus generis in ſupremis aut ad conſolandum ac confirmandum animum oſculatos eſſe & intuitos, aut omnino geſtaſſe, & apud ſe habuiſſe, vel denique quicquam eorum in hoc genere feciſſe aut dixiſſe, quæ Latinos à ſuis facta dictave narrantes nuper audiebamus? Vt breviter dicam plane nihil hujuſmodi apud vetos certoſque primi illius Chriſtianiſmi Scriptores occurrit. Sed fortaſſe martyriorum illius memoriæ actus pauci extant; vt minus mirum ſit hæc tametſi à martyribus vere geſta, in vno tamen aut altero vel auctoris incogitantia, vel brevitatis ſtudio fuiſſe omiſſa. Imo verò ſatis magna ſupereſt monumentorum hujus generis copia, ac tametſi confitear, imo & lugeam multa nobis vel hominum partim ſocordia, partim fraude, vel temporis injuria præreptа intercidiſſe, multa ſtudio incruſtata, interpolata, aucta, multis denique modis inverſa ac immutata eſſe; extant tamen eximio Dei beneficio tam multi primæ illius memoriæ de hoc genere actus veri ſincerique, vt nullam hiſtoriæ Eccleſiaſticæ à primis Chriſtianis traditæ partem vel luculentiorem, vel incorruptiorem habeamus. Quis ergo ex immani illo ſcriptorum veterum à Latinis diſcrimine non intelligit fuiſſe Chriſtianiſmi primi ac vetuſtiſſimi ab hoc Latinorum novitio ingentem diverſitatem? neſciviſſe veteres

Brev. p. 805.

CAPVT IX.

illum, quem Latini tam diligenter exercent Euchariſtiæ, Divorum, reliquiarum, & imaginum, & crucium cultum? quem ſi ſciviſſent ſcilicet, non magis profectò quam Latini, talibus locis ac temporibus erant prætermiſſuri? ſed ne hæc nos temere jactare videamur, age veteres Chriſtianiſmi tabulas ſcrutemur; & cum recentibus iſtis Latinorum narrationibus comparemus, vt elucefcat ſi quid hac in parte inter vtraſque vel ſimile vel diſſimile ſit. Ac primo videamus quomodo ſe veteres Chriſtiani ad martyrium præpararint. Polycarpus Smyrnæ Epiſcopus circa annum ſecundi ſæculi 69. cum ſe à furente plebe ad beſtias depoſci intelligeret, in agrum ſeceſſit, vbi *diebus ac noctibus ſine intermiſſione orationi impendendo operam Dei implorabat auxilium, quo fortior eſſet in pœna*; vt habet vetuſtiſſimus ejus martyrij interpres Latinus; vel vt ex Euſebio reddit Chriſtophorſonus, *dies noctesque nihil aliud molitum, quam preces obnixe & inſtanter ad Dominum fundere quibus quidem ſupplex efflagitabat. (Hoc enim erat illi ſemper in more poſitum) ut pax tranquilla concederetur Eccleſiis*; νύκτωρ καὶ μεθ' ἡμέραν ὑτιἕτερον πράττοντα, ἢ ταῖς πρὸς τὸν Κύριον διακαρτερῶντα εὐχαῖς· δι' ὧν δεῖσθαι καὶ ἱκετεύειν εἰρήνην ἐξαιτούμενον ταῖς ἀνὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἐκκλησίαις. τοῦτο γὰρ καὶ ἦν ἐκ τοῦ παντὸς αὐτῷ συνῆθες. Et in oratione verſanti cœleſti oſtento fuiſſe ſignificatum, quod eſſet in ignem pro Chriſti fide damnandus; idque tertio poſt viſum die contigiſſe. In aliam mox villam à fratribus traductum, ibique cum in alias ædes tranſire liceret hærere maluiſſe illud modo effatum; *Fiat voluntas Domini*, τὸ θέλημα τοῦ Κυρίου γενέσθω; Lictores à quibus eſt deprehenſus, humaniſſime menſa poſita excepiſſe, & exoraſſe, vt vnam ſibi horam ad orandum concederent; qua imperrata, adeo ardenter precatum eſſe, vt omnibus audientibus eſſet admirationi; Tum omnia, quæ ſibi in vita aliquando contigiſſent memoria apud fratres repetiviſſe, ac totam denique Eccleſiam Catholicam per vniverſum orbem diſperſam precibus Deo commendaviſſe; hiſque peractis aſino à Satellitibus impoſitum, Smyrnam, vbi martyrium fecit, eſſe abductum. Cyprianum clariſſimum Carthaginenſis Eccleſiæ Epiſcopum de martyrio ſolido anno antequam id expleret, divinitus admonitum, narrat Pontius ipſius Diaconus totum illud tempus conſumpſiſſe partim rebus Eccleſiæ ordinandis, partim *Servis Dei, prout dabatur occaſio inſtruendis, & ad calcandas paſſiones hujus temporis contemplatione ſuperventuræ claritatis animandis; optantem ſic ſibi paſſionis vota contingere, vt dum de Deo loquitur in ipſo ſermonis opere necaretur.* Calliſtum Romæ Epiſcopum, Marij tametſi merito ſuſpecti actus, narrant ſe ſuoſque hac oratione ſolenni ſi Baronio credimus ad martyrium muniviſſe; *Domine Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui diſperſa congregas, & congregata conſervas, auge fidem, & fiduciam ſervis tuis per Chriſtum Dominum noſtrum, qui vivit cum te Deo omnipotente, & Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Gaium-

Edit. Vſſer. p. 17.

Euſ. Hiſt. l. 4. c. 14. p. 64.

Ibid. edit. Gr. l. 4. c. 15. f. 37. B.

ibid. ex Chriſtopho.

Pont. in Cypr. vita longe vltr. med.

Bar. a. D. 270. §. 5. Sur. d. 14. Febr.

Caium Romæ quoque Epiſcopum, Sebaſtiani & aliorum ſanctorum acta quanquam & ipſa pariter ſuſpecta, tradunt cum aliis fidelibus Diocletiano Christianos in vrbe perſequente, apud Cæſtulum quemdam latentes, *diu noctuque gemitibus*, fletibus, jejuniis, & orationibus occupatos oraſſe Dominum, vt digni haberentur tolerantia confeſſionis ejus, & in numerum ſanctorum martyrum admitti mererentur. Euſebius quos anno Diocletianæ perſecutionis octavo in Palæſtina variis modis vexatos fuiſſe refert, loco quodam ſeparato concluſos ad martyrij palmam, quam paulò poſt Maximini mandato conſecuti ſunt, ita ſe vnà omnes paraſſe narrat, vt *in orationibus, in jejuniis, in reliquis exercitationibus* eſſent aſſidui, ſeque *precibus attentiſſime ad Deum fuſis contra hoſtem armarent*. διὰ πρὸς Θεὸν εὐχῶν ὁπλιζομένους. His ſe illi armis ad agonem inſtantem muniebant. Qui tali tempore ad Euchariſtiæ, vel Chriſti vel Divorum iconem ſe proſtraverit, vel Divæ Virginis aut ſanctorum litanias dixerit, vel reliquias, aut crucem geſtaverit, qualiter ſolent Latinorum athletæ: neminem ex toto beatiſſimorum virorum choro reperio, qui in decem illis primis perſecutionibus Domini Evangelium ſuo ſanguine confirmarunt. Neque (quod feciſſe ſupra obſervavimus aliquot de Ieſuitarum diſciplina martyres) hoc iſtos veteres vſpiam vſurpaſſe videmus, vt Divorum pro ſe auxilium à ſuis fratribus implorari præciperent, vel rogarent. Lugdunenſes noſtri, quorum celeberrima ſemper fuit apud omnes Chriſtianos memoria, *Fratres obſecrabant cum lacrimis, vt preces pro illis ardenter & obnixe Deo funderent, quo ipſo deſceſſu è vita opus, quod Deus tam benigne in illis incepiſſet, cumulate expleretur.* καὶ μετὰ δακρύων παρεκάλουν τοὺς ἀδελφοὺς δεόμενοι ἵνα ἐκτενεῖς εὐχαὶ γίνωνται πρὸς τὸ τελειωθῆναι αὐτούς. Sic & diu poſtea Moïſes & Maximus Romanæ Eccleſiæ presbyteri; & cæteri cū iis vincti Cōfeſſores in aurea ad beatiſſimū Cyprianū epiſtola multa alia de rebus divinis locuti, cum martyrium pro Chriſto ſitirent. *Pete ergo* (inquiunt) *Cypriane cariſſime, vt nos gratia ſua Dominus magis ac magis in dies ſingulos quoſque vberius, atque propenſius & armet & illuſtret, & viribus potentia firmet ac roboret; vtque quaſi optimus Imperator milites ſuos quos vſque adhuc in caſtris carceris exercuit ac probavit, producat jam ad propoſiti certaminis campum; porrigat nobis arma divina, illa tela quæ neſciunt vinci, loricam juſtitiæ quæ nunquam ſolet rumpi, Clypeum fidei, qui non poteſt perforari, & gladium ſpiritus, qui non conſuevit vulnerari. Cui enim magis hæc, vt pro nobis petat, mandare debemus, quam tam glorioſo Epiſcopo, vt hoſtiæ deſtinati petant auxilium de Sacerdote?* Hæc Romani Confeſſores arma ſibi Cypriani orationibus à Deo impetrari cupiunt; imagines Divorum & reliquias, & Euchariſtiæ icunculas, aut cruces ligneas; & alia hujus generis, Latinorum armaturam, neque hi, neque vlli eorundem temporum confeſſores vnquam vel habuiſſe, vel expetiviſſe leguntur. Iam has ad Divos preces vt à fratribus ſuis veteres nuſquam

CAPVT IX.

Bar. a. D. 296. §. 10.

Euſ. Hiſt. l. 8. c. 12. p. 162. ad. Gr. f. 99. B

Euſ. Hiſt. l. 5. c 2. p. 82. ibid. edit. Gr. fol. 48. A.

inter Ep. Cypr. ep. 26. 40. edit.

CAPVT IX.

depoſcere in agone conſtituti; ita neque ipſi viciſſim aliis ſimiliter certantibus tradere reperiuntur. Suos quidem Pater Martinus Franciſcanos, & ſuos Paulus Iapo ſocios ſupra ſedulo hortabantur, vt ad Divam Virginem, & alios Divos in ſupremo illo agone fugerent. Nullæ primorum Chriſtianorum ſimiles ad ſuos martyres hortationes in veris eorum libris extant. Refert ex vetuſtiſſima traditione Clemens Alexandrinus *Beatum Petrum Apoſtolum, cum vxorem ſuam ad mortem pro fide duci videret, lætatum eſſe ob ejus vocationem, & reditum ad paternam domum; cæterum eam nomine compellatam egregie adhortantem & conſolantem ita monuiſſe: Heus tu, memento Domini.* φασὶ γοῦν τὸν μακάριον Πέτρον θεασάμενον τὴν αὐτοῦ γυναῖκα ἀγομένην τὴν ἐπὶ θάνατον ἡσθῆναι μὲν τῆς κλήσεως χάριν καὶ τῆς εἰς οἶκον ἀνακομιδῆς ἐπιφωνῆσαι εὖ μάλα προτρεπτικῶς τε καὶ παρακλητικῶς ἐξ ὀνόματος προσειπόντα. Μιμνήσθω αὐτῆ τοῦ Κυρίου. De *Domina* (vt nunc loquuntur) Maria, quam ipſe mulieris ſexus tali loco memorare admonebat, nullum verbum addidit. Neque Symphorianum poſtea ad martyrium a. D. 273. properantem aliter ſua mater adhortata eſt: *Nate, Nate Symphoriane* (inquit) *memento Dei vivi. Concipe Fili, concipe animi conſtantiam*; & cætera quæ ſunt in ejus actis perſcripta. Breve extat Tertulliani ad martyres in carcere conſtitutos volumen plenum pietatis, & facundiæ, & eorum officiorum, quibus ad palmam cœleſtem contenditur. Monet eos imprimis *ne Spiritum Sanctum contriſtent*; vt inter ſe concordes agant; omnibus abdicatis mundi impedimentis; Tum fortiſſime conſolatur, bona primum ipſius carceris ediſſerens; & hoc inter cætera, quod iſtic *non viderent alienos Deos; non imaginibus eorum incurrerent.* Quo loco ex Ieſuitarum quidem diſciplina, & illud ex adverſo ſubiiciendum fuerat *ſolis eos Chriſti & Divorum imaginibus quas ſecum illuc detuliſſent, oculos, & animos paſcere.* Tertullianus verò longe aliter. Ab omnibus terrenis plane avocatos jubet *vagari ſpiritu, ſpatiari ſpiritu, illam viam ſibi proponentes, quæ ad Deum ducit; ſe totos animo in cœlum transferentes; vbi theſaurus noſter.* Carceris dura militiæ Chriſtianæ deputari vult; Agonothetem Deum, Xyſtarchem Spiritum Sanctum, coronam æternitatem, brabium Angelicæ *ſubſtantiæ, politiam in cœlis, epiſtatem* denique *Ieſum Chriſtum* intueri jubet. Neque ſibi de carnis infirmitate blandiri; ſed eam ſpiritu regere, cum ea ſpiritu colloqui de communi ſalute, de ipſo agone & prælio cogitantes; acerba illa, quæ impendebant ob Chriſtum, famæ & gloriæ cauſa à multis non modo viris, ſed etiam à fœminis æquo animo excepta, imo & vltro appetita. Tum propoſitis de ſæculo non paucis vtriuſque ſexus exemplis ad fortitudinem Chriſtianam animat; ne tantum pro vero bono erogare eos pigeat, quantum alij pro falſo; neve in cauſa Dei pati ea dubitent, quæ nemo non etiam hominis cauſa pati poteſt. Hæc quidem Tertullianus; De reliquiariis, de crucibus, de imaginibus nihil dicit. Neque benedictas mulieres, quas in hoc

Clem. Alex. Strom. l. 7. p. 736. B.

apud Baron. a D. 273. §. 9. Sur. Aug. 22.

Tertull. ad Martyr. c. 1. 2. p. 155. 156.

c. 2. p. 156. C.

ibid. c. 3. p. 157.

ibid. c. 4.

ibid. p. 158.

c. 5. extr.

in hoc martyrum choro fuiſſe aliquas ipſe eas diſerte compellans teſtatur, quicquam de Divæ Virginis præſidiis, vel orationibus, quibus ea demerenda ſint, docet. Cyprianus ad Sergium, Rogatianum, & cæteros Chriſti confeſſores, ipſe quoque pro eodem nomine exulans, epiſtolam ſcripſit, *gratulans pariter & exhortans, ut in confeſſione cœleſtis gloriæ fortes, & ſtabiles perſeverent, & ingreſſi viam Dominicæ dignationis ad accipiendam coronam ſpiritali virtute pergant, habentes* (inquit) *Dominum protectorem & ducem, qui dixit, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem mundi.* Hoc uno protectore ac duce contentos eſſe vult confeſſores; *Adjutricem* Latinorum martyrum Mariam, *patronos, & duces* Divos, nullus ei adjungit. Tum vetat, *ne quidquam nunc verſetur in eorum cordibus & mentibus, quam divina præcepta, & mandata cœleſtia, quibus eos ad tolerantiam paſſionis Spiritus Sanctus ſemper animavit.* Mox multa de Scripturis in eam ſententiam colligit; & quod in iſtorum numero præter fœminas, pueri quoque eſſent, Hebræorum adoleſcentium, qui in caminum olim apud Babylonem conjecti erant, adducto exemplo; *Quam fidem* (inquit) *nos quoque retinentes, & die ac nocte meditantes, toto corde ad Deum prompti, contemptu præſentium futura tantummodo cogitemus, fructum regni æterni, complexum & oſculum Domini, conſpectum Dei*; Denique *aſſiduis* (inquit) *orationibus Dominum deprecamur, ut initiis ad ſumma pergentibus, quos confiteri fecit, faciat & coronari.* Hæc ille; in quibus *cor totum Deo*, nullam ejus partem Divis aſſerit, neque *orationes* alias quam *ad Dominum* memorat. Placet etiam his poſtremo quemdam Tertulliani locum addere, in quo breviter exequitur, quæ totius in genere Eccleſiæ eſſet in tempore perſecutionis exercitatio; *Tunc* (inquit) *Eccleſia in attonito. Tunc & fides in expeditione ſollicitior, & diſciplinatior, in jejuniis, & ſtationibus, & oratione, & humilitate, in alterutra diligentia, & dilectione, in ſanctitate & ſobrietate.* Cur tali loco Divorum litanias? cur Euchariſtiæ, & reliquiarum adorationes? cur ſacrarum imaginum, & crucis luſtrationes? cur alias Latinorum in hujuſmodi tempore ſolennes aſceſes prætermittit Scriptor diligentiſſimus? Nempe, quia tum nullæ adhuc apud Chriſtianos erant. Sed nunc veteres martyres in ipſa, ut ſic dicam, acie conſiſtentes ac dimicantes ſpectamus. Omnes primò videmus ſuam hanc gloriam, quod pro fide patiantur; uni Deo in ſolidum adſcribere; neminem quod equidem ſciam, *Euchariſtiæ Sacramento*; quæ ſolennis fere fuit athletarum Latinorum, de quibus nos ſupra diximus, doxologia. Ignatius Apoſtolorum diſcipulus, cum eſſet ipſius Trajani ore ad beſtias damnatus, eoque Romam vinctus perducendus eſſet, *Gratias* (inquit) *ago tibi Domine, quia me perfecte honoraſti in tua dilectione, & dignum me feciſti cum Apoſtolo tuo Paulo ferreis vinculis alligari.* Sic Eccleſia Smyrnenſis de ſuis martyribus narrationem exordiens, cum Diabolum multa adverſus eos machina-

c.4 p.157.C.
Cypr. ep. 81. p.180.
ibid.p.181.
ibid.p.182.
ibid.
Tertull. de fug. in perſe. c.1. p. 690. A.
Martyr. Ign. edit. Vſſ. p.4.

CAPUT IX.

tum eſſe dixiſſet, *ſed gratias (*inquit*) Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui contra omnes fidus ſervorum ſuorum defenſor aſſiſtit. Nam fortiſſimus Germanicus & omni Deo mente devotus, incredulorum animos potentia ſua virtutis extinxit.* ἀλλὰ χάρις τῷ θεῷ· κατὰ πάντων γὰρ οὐκ ἴσχυσεν. ὁ γὰρ γενναιότατος Γερμανικὸς ἐπερρώννυεν αὐτῶν τὴν δειλίαν διὰ τῆς ἐν αὐτῷ ὑπομονῆς. Polycarpus cum vinctis poſt tergum manibus cremandus ad palum conſtitiſſet, *tanquam aries inſignis ex immenſo grege delectus, ut holocauſtum gratum & acceptum fieret Deo omnipotenti*, non illud Latinorum exclamavit, *Laus ſanctiſſimo Sacramento*; ſed hanc divinam orationem ad Deum clara voce fudit; *Domine Deus omnipotens, Pater dilecti & benedicti Filij tui Ieſu Chriſti, per quem tui cognitionem accepimus, Deus Angelorum & Poteſtatum, Deus totius creaturæ, & juſtorum cuiuſque generis, qui vivunt in conſpectu tuo; Tibi gratias ago, quod me huius diei, & horæ celebritate donaſti, in qua cum in martyrum numero, tum in calice paßionis Chriſti tui tormentorum particeps fiam in reſurrectionem vitæ æternæ, tam animæ quàm corporis, per immortalem Spiritus ſancti virtutem; inter quos quæſo, martyres hodie in conſpectu tuo pro hoſtia pingui & accepta admittat; ſicut præparaſti, præſignificaſti, & jam tandem complevisti, qui Deus verus es, & omnis mendacij expers. Ac propterea pro cæteris omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per Ieſum Chriſtum dilectum Filium tuum, Pontificem æternum, per quem tibi cum eo in Spiritu Sancto gloria nunc, & in futura ſæcula ſæculorum, Amen.* Κύριε ὁ θεὸς ὁ παντοκράτωρ, ὁ τοῦ ἀγαπητοῦ καὶ εὐλογητοῦ παιδός σου Ἰησοῦ χριστοῦ πατὴρ, δι' οὗ τὴν περὶ σοῦ ἐπίγνωσιν εἰλήφαμεν, ὁ θεὸς ἀγγέλων καὶ δυνάμεων καὶ πάσης τῆς κτίσεως καὶ παντὸς τοῦ γένους τῶν δικαίων οἳ ζῶσιν ἐνώπιόν σου. εὐλογῶ σε ὅτι ἠξίωσάς με τῆς ἡμέρας καὶ ὥρας ταύτης, τοῦ λαβεῖν με μέρος ἐν ἀριθμῷ τῶν μαρτύρων σου, ἐν τῷ ποτηρίῳ τοῦ χριστοῦ σου, εἰς ἀνάστασιν ζωῆς αἰωνίου ψυχῆς τε καὶ σώματος, ἐν ἀφθαρσίᾳ πνεύματος ἁγίου. ἐν οἷς προσδεχθείην ἐνώπιόν σου σήμερον ἐν θυσίᾳ πίονι καὶ προσδεκτῇ, καθὼς προητοίμασας, καὶ προεφανέρωσας καὶ ἐπλήρωσας, ὁ ἀψευδὴς καὶ ἀληθινὸς θεός. Διὰ τοῦτο καὶ περὶ πάντων αἰνῶ σε, εὐλογῶ σε, δοξάζω σε, σὺν τῷ αἰωνίῳ καὶ ἐπουρανίῳ Ἰησοῦ χριστῷ ἀγαπητῷ σου παιδὶ. μεθ' οὗ σοι καὶ πνεύματι ἁγίῳ ἡ δόξα καὶ νῦν καὶ εἰς τοὺς μέλλοντας αἰῶνας, ἀμήν. Reliqua ſanctiſſimi viri paſſio ſigillatim accurate deſcribitur; ſed in tota narratione nihil neque de cruce, neque de reliquiis, neque de imaginibus, neque de Euchariſtiæ icuncula, neque de Divorum invocatione occurrit. Paulò poſt annum Domini 200. Speratus Martyr & ſocij (ut eſt in Actis apud Baronium) cum Proconſul eos gladio animadverti juſſiſſet, *omnes dixerunt; Deo gratias conferimus, qui dignatur nos hodie martyres accipere in cælis pro confeſſione ſua.* Quibus dictis cum ducti eſſent, *flexis genibus unanimiter, cum iterum gratias Chriſto agerent truncata ſunt ſingulorum capita.* De his quoque hoc obſervandum, quod cum à Proconſule de Scripturis interrogati fuiſſe narrentur, & alia non pauca ſigillatim de eorum paſſione in his Actis habeantur, nulla plane iſtic vel imaginum

Polyc. Martyr. edit. Vſſ. p. 15. 16.

Euſeb. Hiſt. l. 4. c. 14. edit. Chriſtoph. p. 66.

Martyr. Polyc. edit. Vſſ. p. 24. Euſ. l. 4. Hiſt. c. 14. p. 38. B. edit. Gr.

Act. Martyr. Scillit. apud Bar. a. D. 202. § 4.

vel

CAPVT IX.

vel crucis, vel reliquiarum mentio fit. Acta Stephani Epiſcopi Romani, tametſi nobis non vna de cauſa ſuſpecta ſint, Baronius habet pro germanis atque legitimis. In illis autem Actis Sempronius, Olympus, Exuperius, & Theodulus in mediis flammis, ad quas erant à Valeriano & Gallieno Principibus damnati, dicuntur non *Ieſu & Mariæ* nomina invocaſſe, vel Euchariſtiæ ſacramentum laudaſſe (quod Latinorum apud Iaponiam martyrum ſolenne fuit) ſed vni Chriſto gratias his verbis egiſſe; *Gloria tibi Chriſte, qui nos dignatus es cum Sanctis martyribus congregare.* Ita clariſſimus Cyprianus (vt habent actus, ac vt ex iis recitat Auguſtinus) cum Salerius maximus cum gladio animadverti decreviſſet, dixit, *Deo gratias.* Actus, qui primi apud Rigaltium, Cyprianum audita Proconſulis ſententia dixiſſe tradunt; *Gratias ago Deo omnipotenti, qui me à vinculis huius corporis dignatur abſolvere.* Satis eſt quod vtrique actus ſanctiſſimum martyrem non ſacramento, vel Virgini, vel Divis, ſed vni Deo gratias egiſſe conſentiunt. Cyprianum vero, vt de ſuo nunc martyrio, ita & de Lucij atque aliorum fratrum confeſſione Deo laudes antea dixiſſe teſtis ipſe Lucius in ſua ad illum Epiſtola; *Te nobis* (inquit) *litteris tuis repræſentaſti, vt pectus illud tuum candidum & beatum, quod ſemper novimus manifeſtares, & ſecundum latitudinem eius Deo diceres, non quantum nos meremur audire, ſed quantum tu potes dicere.* Ex ejuſdem quoque diſciplina eſt, quod Fœlix & Iader alij confeſſores acceptis ab eo litteris & munuſculis, ſic reſcribunt; *Deo Patri omnipotenti per Chriſtum eius gratias egimus, & agimus, quod ſic confortati, & corroborati ſumus per tuam allocutionem.* Inauditum ſcilicet erat eo ſæculo, vt de confeſſorum & martyrum virtute & gloria, aut ipſi, aut alij fideles vel ſacramento vel Mariæ Virgini vel Divis cæteris, vel vlli alij quàm Deo & Chriſto, gratias agerent. Sic in alia orbis parte Probus Martyr cum Tarſi juſſu præſidis clavis acutis vſtularetur, *Gratias* (inquit) *tibi ago Domine, quoniam & manus meas dignatus es cruciari in nomine tuo.* Sic ille. Glycerius, quem Baronius ex Metaphraſte veluti verum ac legitimum vetuſtiſſimi Chriſtianiſmi ſub Diocletiano martyrem inducit, licet mihi quidem vehementer ſuſpectus, dicitur tamen cum ad locum ſupplicio conſtitutum perductus eſſet partim egiſſe *Chriſto gratias, qui eum liberarat à multis periculis; partim autem pro ſe vehementer oraviſſe, & pro piis qui erant vbique.* Sic Fœlix Thibarenſis in Africa Epiſcopus, cum Venuſium in Appuliam traductus, ad necem pro fide à Præfecto damnatus eſſet, *dixit voce clara, Gratias tibi Domine, qui me dignatus es liberare.* Ductus eſt ad paſſionis locum. Litanias euntem, vt Iaponios de Ieſuitarum diſciplina martyres, dixiſſe ad Divos non equidem reperio. Hoc tantum in actibus reperio; *Fœlix Epiſcopus elevans oculos in cœlum clara voce dixit, Deus gratias tibi*; & cætera quæ mox reddentur. Anno, vt vult Baronius ſequenti, id eſt Chriſti trecenteſimo tertio, *glorioſiſſimus martyr*

Bar. a. D. 259. §. 7. 20.

ibid. §. 30.

Paſſio. Cypr. ex Veter. cod. ius init. edit. Reg.

Aug. Serm. de S. Cypr.

Luc. ep. inter Cyp. ep. 79. p. 179.

ibid. ep. 80. apud Cypr

Acta Thraci & Socior. apud Bar. a. D. 290. §. 25.

apud Bar. a. D. 301. §. 28,

Act. Fœl. Thi. apud Bar. a. D. 302. § 124. Sur. d. 24. Oct.

CAPVT IX. *martyr Thelica; media de ipſa carnificum rabie* (in equuleo ſuſpenſus vngulis ſtridentibus laniabatur) *hujuſmodi preces cum gratiarum actione effundebat; Deo gratias: In nomine tuo Chriſte, Fili Dei, libera ſervos tuos.* Idemque paulò poſt, *Deus miſerere; gratias tibi ago. Et cum ictibus vngularum concuſſa fortius latera ſulcarentur, profluenſque ſanguinis vnda violentis tractibus emanaret, Proconſulem ſibi dicentem audivit; Incipis ſentire, quæ vos pati oporteat? Et adiecit; Ad gloriam, Gratias ago Deo regnorum.* Alius apud eundem horum actuum ſcriptorem Martyr Saturninus presbyter, cum horrendis cruciatibus torqueretur, *Gratias* (inquit) *tibi ago Deus.* Tertius de eadem cohorte Martyr Emeritus Lector & ipſe in equuleo ſuſpenſus; *Rogo Chriſte;* (inquit) *Tibi laudes. Chriſte Domine da ſufferentiam;* & modo eadem iterum, *Rogo Chriſte; tibi laudes. Libera me Chriſte.* Ampelius itidem ex eodem numero Martyr, *Chriſte* (inquit) *tibi laudes refero. Exaudi Chriſte.* Atque hæc cum dixiſſet, *cervicibus contuſus quaſi jam in tabernaculum Dominicum cum fratribus relegatur.* Hilarianus puer vnus de natis presbyteri martyris Saturnini, cum ſpretis contemptiſque haud puerili animo omnibus Proconſulis minis in carcerem duceretur *ingenti cum gaudio* ex eadem diſciplina dixiſſe ſcribitur non *Sacramento* aut *Divæ Virgini* (quod Ieſuitarum eſt) ſed *Deo gratias.* Pariter quoque Euplius Catanenſis in Sicilia Diaconus martyr ab exploratoribus inventus legere Evangelia, & tentus & perductus cum libro poſt confeſſionem cum torqueretur, dixit; *Gratias tibi Chriſte, Me cuſtodi, qui propter te hæc patior.* Mox cum iterum acrius torqueretur, eadem repetens, *Gratias tibi Chriſte. Succurre Chriſte. Propter te hæc patior Chriſte; & dixit ſæpius.* Euchariſtiæ, aut Divæ Virginis ne ſemel quidem meminit. Cumque eſſet Proconſularis judicis ſententia ad mortem damnatus, proclamante præcone, *Euplius Chriſtianus, inimicus Deorum & Imperatorum, lætus dicebat ſemper, Gratias Chriſto Deo.* Huc quoque pertinet, quod Irene apud Theſſalonicam a. D. 304. (juxta Baronium) paſſa in veteribus Actis dicitur *Pſalmos canens, & Dei gloriam celebrans in rogum ſe injeciſſe, atque ita conſummata eſſe;* Divæ Virginis laudem, & nomen vnà cum Ieſu nomine ex perpetuo Ieſuiticorum martyrum ritu memoraſſe non dicitur. Eadem eſt eorum fidelium ratio, quos Euſebius ait, *cum gaudio & riſu & lætitia vltimam mortis ſententiam excepiſſe, ſic vt Pſalmos, hymnos, gratiarum actiones in DEVM totius mundi conditorem, quoad extremum ſpiritum edidiſſent, lætis animis decantarent.* μετὰ χαρᾶς καὶ γέλωτος καὶ εὐφροσύνης τὴν ὑστάτην ἀπόφασιν τοῦ θανάτου καταδεχομένους ὥστε ψάλλειν καὶ ὕμνους καὶ εὐχαριστίας εἰς τὸν τῶν ὅλων θεὸν μέχρις αὐτῆς ἐσχάτης ἀναπέμπειν πνοῆς. Qui *Ieſus Maria ad vltimum* ſpiritum (quod nuperi Ieſuitarum martyres omnes faciunt) plane nullum edit. Et in eodem libro, vbi Pamphili, & ſociorum glorioſiſſimam confeſſionem exequitur, Iulianum Cappadocem, qui poſtremus duodecimum divinæ hujus

Act. Martyr. apud Bar. a. D. 305. § 39. *ibid §. 41.* *ibid. §. 48.* *ibid. §. 49.* *ibid §. 50.* *ibid. §. 52.* *ibid. § 57.* *ibid §. 148.* *Act. Agap. & Sociar. apud Bar. a. 304. § 48.* *Euſeb. Hiſt. l. 8. c. 9.* *edit. Gr. fol. 86. B.*

hujus turmæ locum implevit, vbi ſe ad ignem lentum à Firmiliano, omnium carnificum crudeliſſimo, damnatum intellexit, geſtiiſſe gaudio tradit, *& magnas clara voce DOMINO quod ſe tali honore eſſet dignatus, gratias egiſſe.* μεγάλῃ τῇ φωνῇ τῷ τηλικοῦτον αὐτὸν ἀξιώσαντι Κυρίῳ ὑπερευχαριςῶν, inquit. Iam vt gratias & laudes, ita & preces orationéſque ſuas vni Deo veteres illos martyres detuliſſe clarum certúmque eſt. Illos crebro in ſuis illis præclaris agonibus precari, & invocare cernimus, ſed vnum Deum: Divam Virginem, vel cæterorum Divorum aliquem precari, invocare, vel cum eo apud animum ſuum religioſe colloqui, quod vulgo ac pæne ſemper Latinorum martyres faciunt, nuſquam videmus; in veris quidem, & indubitatis illorum ſæculorum monumentis. Stephanum, glorioſiſſimi, ac beatiſſimi agminis principem, à quo pro Chriſto moriendi vt exemplum primo ortum eſt, ita rationem quoque ac diſciplinam peti imprimis decet, Dominum quidem Ieſum in ſupremo illo ſuo actu invocaſſe apud Lucam legimus; *Lapidabant* (inquit) *Iudæi Stephanum invocantem, & dicentem*; *Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum.* Et iterum; *Poſitis autem genibus* (inquit Lucas) *clamavit voce magna dicens, Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixiſſet, obdormivit in Domino.* Aliud vllum nomen invocaſſe non legimus. Atqui Moïſem etiam aliquem, aut Davidem vnà cum ſuo Domino, & à Stephano ſi fas erat invocari, & invocatum diſertè à Luca commemorari decebat, tum ad refellendam Iudæorum inſaniam, qui à noſtris legem ſolvi, & Moïſem ſuum deiici ac proculcari calumniabantur, tum ad conſtituendam apud nos novam illam & retro apud Dei populum inauditam piorum in Divos religionem. Iacobi (qui & frater Domini fuit, & propter ſingularem juſtitiæ præſtantiam Iuſtus, , & Oblias vocabatur) res & martyrium *accuratiſſime* exeſecutus eſt Hegeſippus, ὁ ἐπὶ τ πρώτης τῆς ἀποστόλων γενόμενος διαδοχῆς, *qui Apoſtolorum ætati proxime ſucceſſit*, inquit Euſebius. Hic ergo ſanctiſſimi hujus viri genua, inter cætera, quæ de eo tradit, inſtar cameli obduruiſſe refert, tuberculis inde contractis quod *in genua aſſidue procumberet adorans*, non Mariam aut Divos, aut imagines, aut cruces, ſed Deum, διὰ τὸ ἀεὶ κάμπτειν ἐπὶ γόνυ προσκυνοῦντα τῷ θεῷ. Hic poſtremo cum à Iudæis novo atque inuſitato ſcelere ex templi Hieroſolymitani pinnaculis ob egregiam Chriſti confeſſionem præcipitatus lapidaretur, *genibus flexis dixit, Obſecro Domine Deus Pater, da illis veniam: neſciunt enim quid faciunt.* Stephanum, vel alterum cui ipſe ſucceſſerat, Iacobum, vel alium aliquem ex martyribus vel Divam certè Virginem, quam ex Ieſuitarum diſciplina tali loco omitti nefas eſt, invocaſſe non dicitur. Neque aliter Ignatius ſub Trajano in ipſis alterius à Chriſto nato ſæculi initiis paſſus; eadem illa hora qua eſt in amphitheatrum ſubductus & beſtiis objectus, Dei *Filium cum fratrum omnium*, qui aderant, *genuflexione* deprecatus eſſe in Actis Vſſerianis legitur *pro Eccleſiis*

CAPVT IX.

ibid. c. 21.

edit. Gr fol. 98. B.

Act. 7. 58 59.

Act. 6. 13. 14.

Hegeſipp. l. 5. Hypomn. apud Euſeb. Hiſt. l. 2. c. 22. (lat.) 23. Gr. p. 19. A.

ibid.

Martyr. Ign. ed. Vſſer p. 7.

CAPVT IX. *Eccleſiis, pro perſecutionis quietatione, pro fratrum ad invicem caritate.* Polycarpus cui gratias in martyrio egerit, Deo ſcilicet ac Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, jam ſupra oſtendimus; neque dubitandum

Ibid. p. 19. in Polyc. Mart. eſt, quin eidem quoque obtulerit admirabilem illam orationem, quam Acta Latina tradunt *per duas horas jugiter duraſſe*, omniumque *mentionem feciſſe, notorum, ignotorumque, bonorum ac malorum, & catholicorum omnium, qui per ſingula loca Eccleſiæ colliguntur*: Lugdunenſes noſtri Martyres ſuos inter multa admiranda egregiæ eorum pietatis,

Acta Lugd. apud Euſeb. Hiſt. l. 5. c. 2. ed. 1. Gr. f. 48. A. ibid. quæ commemorant, ſpecimina tradunt, *etiam pro illis, qui ſupplicia eorum corporibus inflixerant, exemplum Stephani perfecti Martyris imitatos, benigne oraſſe, dicentes Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum*, καὶ ὑπὲρ τῶν τὰ δεινὰ διατιθέντων ηὔχοντο, καθάπερ Στέφανος ὁ τέλειος μάρτυς Κύριε μὴ στήσῃς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην. Addunt eoſdem pro lapſis ardentiſſime precatos *multas ad Deum Patrem lacrymas pro eorum ſalute profudiſſe.* πολλὰ περὶ αὐτῶν ἐκχέοντες δάκρυα πρὸς τὸν πατέρα. Memorant ſanctiſſimæ ac generoſiſſimæ Blandinæ *ardentes* ex ligno, cui affixa

ibid f. 46. B. pendebat, *preces* τὴν εὔτονον προσευχὴν; Nullam ad Divam Virginem memorant. Et cum beatiſſima mulier per omnia tormenta crudeliſſime raptata, reti poſtremo involuta, tauro obiiceretur, negant *eam*

ibid. edi. Lat. p. 81. Gr. fol. 47. B. *tot tantoſque cruciatus adhuc ſenſiſſe, partim propter ſpem, qua Dei promiſſis firme adhæreſcebat, partim propter colloquia, quæ intra ſe cum Chriſto conferebat.* μηδὲ αἴσθησιν ἔτι τῶν συμβαινόντων ἔχουσα διὰ τὴν ἐλπίδα καὶ ἐποχὴν τῶν πεπιστευμένων, καὶ ὁμιλίαν πρὸς Χριστόν. Et infrà, quod adverſariorum per multas cruciamentorum vices ipſa humilis licet ac imbecillis & prope abjecta Virgo ſuperaverit, non alia affertur, quàm

ibid. edi. Gr. f. 47. B. hæc ratio, quod *Chriſtum magnum & invictum, atque inſuperabilem athletem induta eſſet.* Μέγαν καὶ ἀκαταγώνιστον ἀθλητὴν Χριστὸν ἐνδεδυμένη. Rogo te cur non dixit eam *colloquia iſta intra ſe cum Chriſto & Maria habuiſſe?* qualiter Ieſuitæ ſupra cujuſdam ſui Simeonis illa nobis ſuavia & ἐρωτικὰ (ſic enim ipſi vocant) cum Ieſu & Diva matre Virgine colloquia prædicabant? Cur Lugdunenſes Blandinæ cum vno Chriſto? cur non & cum Diva matre colloquia dicunt? Atqui Blandinam virginem ex ſui ſexus fere teneriori in Virginem illam matrem affectu, etiam magis quàm virum decebat cum Maria colloquentem dicere. Sed ratio diſcriminis, niſi ſi quis ſponte cæcutire malit, aperta eſt. Nimirum memoriæ illius Chriſtiani vnius Dei religioſi erant: Latini nunc noſtri, non Dei vnius, ſed etiam Divorum, maxime vero Divæ Mariæ religioſi ſunt. Martyrum pro diverſa diſciplina, ipſa quoque oratio diverſa eſt. Illi vnum Deum; hi etiam Divos ſæpè, Divam Virginem fere ſemper invocant; Illi Spiritu cum vno Deo; hi etiam cum Diva parente colloquuntur. Vnde & hoc quoque conſecutum eſt, vt Latini quidem quos ſuprà exhibuimus, magno & conſtanti conſenſu *Ieſum* omnes & *Mariam* ad vltimum vſque ſpiritum clament, atque ingeminent; Chriſtum ſeorſum, & ſolum

raſiſſi-

ratiſſime ac fortaſſe nunquam; quo ſe liquido fatentur & Chriſti & CAPVT
Mariæ ſervos pro vtroque nomine mori; veteres verò Martyres, IX.
Chriſti vnius nomen invocent; quod & θαυμασιωτάτη Blandinam noſtram feciſſe eadem acta ſignificant, dum eam narrant animo adverſus omnes cruciatus invicto, egregia hæc ſuæ confeſſionis verba tortoribus pro ſua omni immanitate perpetuò conſtanterque repoſuiſſe, *Chriſtiana ſum. Nihil apud nos admittitur ſceleris,* χριστιανή εἰμι καὶ παρ᾽ ἡμῖν οὐδὲν φαῦλον γίνεται. Quod & Sanctus eo nomine digniſſimus Diaconus, vnus ex Blandinæ ſociis fecit, qui omnia infidelium interrogata, omnes minas, omnia verbera ac tormenta vno hoc reſponſo eluſiſſe ac fruſtratus eſſe dicitur nihil aliud ad omnia niſi hoc vnum reponens, *Chriſtianus ſum* χριστιανός εἰμι. Sed neque iſti, neque vlli omnino alij veterum temporum fideles illud nunc in omni vitæ parte Latinorum ſolenne *Ieſu Maria* vſurpaſſe vnquam leguntur. Sed nos ad ſe nunc vocat Cypriani martyrium. Poſtquam is de ſententia à Proconſule Galerio Maximo in ſe pronuntiata *Deo gratias egiſſet* quæ ſecuta ſunt, ita narrant acta; *Fratrum turba dicebat. Et nos cum ipſo decollemur: Propter hoc tumultus fratrum exortus eſt, & multa turba eum proſecuta eſt. Et ita idem Cyprianus in agrum Sexti perductus eſt, & ibi ſe lacerno bino expoliavit, & genu in terram flexit, & in orationem ſe Domino proſtravit; & cum ſe dalmatica expoliaſſet, & Diaconibus tradidiſſet, in linea ſtetit, & cœpit ſpiculatorem ſuſtinere,* (id eſt exſpectare) *Cum veniſſet autem Spiculator, juſſit ſuis, vt eidem ſpiculatori XXV. aureos darent. Linteamina verò, & manualia à fratribus ante eum mittebantur. Poſtea verò Beatus Cyprianus manu ſua oculos ſibi texit. Qui cum lacinias manuales ligare ſibi non potuiſſet, Iulianus presbyter, & Iulianus ſubdiaconus ei ligaverunt. Et ita Beatus Cyprianus paſſus eſt.* Hactenus Acta. Turbam fratrum primum hîc videmus præ magno viri ſancti amore mori cum eo optantem, & ad locum ſupplicij vnà pergentem; Nullum videmus *litanias*, quod in Ieſuiticis martyriis fit, pro martyre dicentem, aut *Salve Regina* concinentem, aut *Ieſu Maria* exclamantem. Tum nullas ei Chriſti ad columnam flagellati imagines, nullas cruces, nullos benedictos cereos præferunt, vel oſtentant ij, qui patienti miniſtrant presbyteri, diaconi, & ſubdiaconi; quæ pompa apud Ieſuiticæ diſciplinæ athletas ſolennis eſt. Sed neque qui ſe expoliaſſe Martyr, qui ſibi oculos ſua manu texiſſe, qui alia quædam feciſſe diligenter dicitur, *crucem* aut *imaginem* vllam ſacram veneratus, oſculatus, vel etiam intuitus eſſe dicitur; quod Latini à ſuis factum vbi ad id locorum ventum eſt, fere commemorare ſolent. Illud etiam obſervare operæpretium eſt, quod nulli de fratribus Cyprianus reliquiarum vllum donat, vt novis de Papæ diſciplinæ martyribus mos eſt. Atqui ſi quid hujuſmodi habuiſſet, id profectò qua erat in ſuos caritate, vni ex amiciſſimis illis duobus Iulianis pro ſupremis officiis reliquiſſet. Neque id acta potius tacuiſſent,

ibid. ed. Lat. p. 78. Gr. f. 45. B.

ibid.

Paſſio Cypr. ex Cod. man. apud Rigalt. init. edit. Cypr.

CAPVT IX.

quam illud quod eſt diſertè ab iis commemoratum, juſſiſſe Martyrem ſpiculatori viginti quinque aureos dari. Hæc ita hoc loco annotare ſimul ac ſemel libuit, vt hoc exemplo admonitus lector ſimilia in aliis quoque veterum martyriorum actibus obſervare meminerit; in quibus nihil vnquam iſtorum, quæ apud Latinos ſupra paſſim vbique fere occurrebant, commemoratum reperiet. Sed Cypriani poſtremo oratio (id enim nunc inprimis agimus) obſervanda eſt. Ipſa quidem oratio neque in Actis exhibetur, neque extat alibi: (Quæ enim hoc nomine circumfertur, ab omni Cypriani, & ingenio, & ſtilo ſic abhorret, vt merito inter ſuppoſititia cenſeatur) ſed quod nobis ad inſtitutum ſatis eſt, quæcumque illa oratio fuit, certè non ad Divam Virginem, non ad alios Divos, ſed *ad Dominum* fuit. In Actis enim Scriptum eſt Martyrem *ſe in orationem*, non Virgini, aut Divis, ſed *Domino proſtraviſſe*. In Actis Fructuoſi Epiſcopi Tarraconenſis Martyris, paucis poſt Cyprianum annis paſſi, eadem fere obſervare eſt, quæ in Cyprianicis. Nam vt cætera mittam, narrant Fructuoſum in carcere ſex dies manſiſſe; *oraſſe ſine ceſſatione*, ibique refrigeratum à præſente fraternitate; quin, & in eo baptizaſſe quemdam Rogatianum. Vnde patet *litanias* ad Divos tam iis in carcere, quam Iaponicis Ieſuitarum martyribus, licuiſſe ſimul dicere, & imagines ſacras, & crucem venerari, ſi jam tum apud noſtros fuiſſet aliqua talium rerum religio. Sed non Fructuoſi magis, quàm Cypriani acta quicquam hujuſmodi memorant. Illa verò hoc diſertè memorant, Fructuoſum cùm eſſet poſt dies ſex productus, apud Æmiliani tribunal ſtantem reſpexiſſe (non ad Virginem vel ad Divos,) ſed *ad Dominum & orare cœpiſſe intra ſe*; & cum ipſe vnà cum duobus Diaconis Augurio, & Eulogio, in ignem cremandi miſſi eſſent, *exuſtis faſciolis, quibus manus eorum fuerunt colligatæ*, ibi *Fructuoſum Epiſcopum orationis divinæ, & ſolitæ conſuetudinis memorem, gaudentem poſitis genibus oraſſe de reſurrectione ſecurum*; Ac ne forte putes eum ex præſenti Latinorum more, Divos ſi forte, aut Virginem oraſſe, continuo ita pergunt Acta; *in ſignoque trophæi conſtitutus* DOMINVM *precabatur*. Acta Sebaſtiani, & aliorum (quorum paſſiones Baronius ad a. D. 286. retulit) tametſi ſuſpecta, & diu poſt illa tempora conſcripta, narrant tamen Zoën, vnam ex illis martyribus, cùm ſtatuæ Martis thura incendere compelleretur, fortiter eſſe reluctatam, dixiſſeque ſe, & Martem & perſecutores contemnere, *Domini ſui Ieſu Chriſti fretam virtute*. Non addidit, & *Mariæ matris Virginis*, vel *Divorum*; quod eſt Ieſuiticæ diſciplinæ. Cùm eſſet eadem in obſcuriſſimam cuſtodiam miſſa, qui *clauſam tenebant*, dicuntur *vocem illius audiviſſe Deum interim laudantis, & benedicentis*. Nihil de Divæ Virginis laudibus, hymnis, aut invocatione additum legitur, plane præter Ignatij Loyolę diſciplinam. Ac Zoe quidem Romæ paſſa eſt. Qui vero quatuor pòſt annis (ex Baroniano quidem calculo) Tarſi in Cilicia vnà cum Tharaco, & Andro-

habetur in edit. Rigal. p. 475.

Act. Fructu apud Bar. a. D. 262. l. 60. Sur. a. 21. Ian.

Aug. de diver. ſerm. 101.

ibid. §. 62.

ibid. §. 67.

Baron. a. D. 286. § 3 & ſeqq.

ibid. §. 3.

ibid.

Andronico paſſus eſt Probus, inter carnificum ictus, & impiorum contumelias, *Auxiliare* (inquit) *ſervo tuo Domine*; & idem alio die cùm ei vinum & carnes de ara in os per vim immitterentur, Domini judicium invocavit; *Videat* (inquit) *DOMINVS, & aſpiciat de altiſsimis ſedibus ſuis vim, & judicet judicium meum.* Tharacus in eodem agone ſe negat à Deo ſuo receſſurum, *qui me* (inquit ad Maximum Præſidem) *fortem facit, vt ſuſtineam arma militia tuæ*; & cùm obeliſci incenſi ei ſub alis admoverentur, non ad *Virginem*, aut *Divos*, ſed ad *Deum* clamat; *reſpiciat* (inquit) *DOMINVS de cælo, & judicet.* Ita Andronicus vtriuſque martyris ſocius, cum ipſi quoque vinum & carnes idolothytæ per vim in os iniicerentur, ad Deum clamavit, *Domine, Domine, vide vim, quam patior.* Sed & qui circiter eadem tempora Alexandriæ pro Chriſto martyrium fecerunt, eos Phileas Thmuitarum in Ægypto Epiſcopus, qui vnus de hoc numero fuit, teſtatur *animi oculos in Deum rerum omnium Dominum, purè intendiſſe.* τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα πρὸς τὸν ἐπὶ πάντων θεὸν καθαρῶς τεταικότες, inquit. Ad *Divam Virginem*, & cæteros *Divos intendiſſe* nullus dicit; quorum auxilium Martyres Ieſuiticos ad opus conſummandum haud perfunctorie deſiderantes, depoſcentes, atque exſpectantes nuper audiebamus. Romanis, & Cilicibus, & Ægyptiis Afri quoque Martyres conſentiunt, vnum Deum in ſuis certaminibus invocantes. Fœlicis Epiſcopi Thibarenſis cujus paulo antè meminimus, hæ ſupremæ in Actis leguntur ad mortem conſiſtentis preces; *Fælix Epiſcopus elevans oculos in cœlum clara voce dixit; Deus gratias tibi. Quinquaginta & ſex annos habeo in hoc ſæculo. Virginitatem cuſtodivi; Evangelia ſervaui: fidem, & veritatem prædicavi. Domine Deus cœli & terræ, Ieſu Chriſte; tibi cervicem meam ad victimam flecto, qui permanes in æternum; cui eſt claritas, & magnificentia in ſæcula ſæculorũ, AMEN.* Thelica cujus gratiarum ad Chriſtum actiones ſuprà exhibuimus, ita quoque *preces DOMINO effundebat*, vt eſt in Actis perſcriptum. *In nomine tuo Chriſte Fili Dei, libera ſervos tuos.* Tum; *manebat Thelica cum voce Dominum deprecans, & præceptorum Evangelij memor, inimicis ſuis martyr veniam in ipſis ſui corporis laniamentis poſcebat.* Et Proconſulem & tortores increpans, *Injuſte* (inquit) facitis infœlices; *Contra Deum facitis. Deus altiſſime, noli illis conſentire ad hæc peccata.* Tum, *Deus* (inquit) *miſerere, Gratias tibi ago. Pro nomine tuo da mihi ſufferentiam: Libera ſervos tuos in captivitate hujus ſæculi. Gratias tibi ago, nec ſufficio tibi gratias agere.* Mox illa longè pulcherrima; *Gratias ago Deo regnorum. Apparet regnum æternum; regnum incorruptum Domine Ieſu Chriſte: Chriſtiani ſumus. Tibi ſervimus. Tu es ſpes noſtra. Tu es ſpes Chriſtianorum, Deus ſanctiſſime, Deus altiſſime, Deus omnipotens, Tibi laudes pro nomine tuo agimus.* Hæc Thelica. Dativus ex eadem fortiſſimorum Chriſti militum turma: *tali voce* (inquiunt Acta) *preces Domino ſub carnifice ſævienté fundebat*;

CAPVT IX.

Acta Tharaci & apud Bar. a. 290. § 8

ibid § 25.

ibid. § 23.

ibid § 27.

Phileas Ep. ad Thmuit. apud Euſeb. Hiſt. l. 8. c. 11. Lati c. 10. Gr. f. 87. A.

Acta Fœl. Thibar. apud Bar. a. D. 302 § 124.

Acta. Satur. & ali. Afror. apud Bar. a. D. 303. § 39. 40. apud Sur. d. 11. Febr.

ibid § 41.

ibid § 44.

 ô Chriſte

CAPVT IX. *ô Chriſte Domine, non confundar.* Tum idem *ad vulnerum cruciatus ſaviſſimos priſtinam ſuam repetens orationem, Rogo ait, Chriſte non confundar.* Et poſt pauca de eodem Darivo Actorum ſcriptor.
ibid § 44. ibid. § 45. *Cujus* (inquit) *ad DOMINVM animus, menſque pendebat, nihil dolorem corporis æſtimabat, ſed tantum DOMINVM precabatur, dicens; ſubveni rogo Chriſte; Habe pietatem; Serva animam; cuſtodi ſpiritum meum.*
ibid § 46. *Non confundar. Rogo Chriſte; da ſufferentiam.* Fuit & ex eodem martyrum numero Saturninus preſbyter, crudeliſſime torrus, ac laniarus;
ibid. § 48. *qui (*inquit ille vetus ſcriptor*) tali voce DOMINVM precabatur; Rogo te Chriſte exaudi. Gratias tibi ago Deus. Iube me decollari. Rogo Chriſte, miſerere. Fili Dei ſubveni.* Similes ſunt & Emeriti preces
ibid § 49. poſt Saturninum Proconſulis juſſu torti, *qui dum validos (* inquit auctor*) ictus invocato carnifice pateretur, Rogo ait, Chriſte ſubveni.* Et
ibid. § 50. mox; *Rogo Chriſte. Tibi laudes Chriſte Domine. Da ſufferentiam. Et cum talia precanti Proconſul iniecisset. Habes ergo Scripturam aliquam in domo tua? ille reſpondit. Habeo: ſed in corde meo. Et Proconſul; In domo* (inquit) *tua habes, an non? Emeritus Martyr ait; In corde meo illas habeo. Rogo Chriſte, Tibi laudes. Libera me Chriſte. In no-*
ibid. § 52. *mine tuo patior, breviter patior; libenter patior. Chriſte, non confundar.* Sic & ex hoc ipſo grege Ampelius; *Chriſte* (inquit) *tibi laudes refero: Exaudi Chriſte.* Sic ejus ſocius junior Saturninus, Saturnini preſbyteri filius, cum in equuleo ſuſpenſus Anulini Proconſulis juſſu immaniter laniaretur, *Rogo* (inquit) *Chriſte, Des ſufferentiam, Spes es vita.*
ibid. § 54. Euplij quoque Martyris ſiculi (cujus paſſionem in hunc annum con-
Bar. a. 303. § 148. iicit Baronius) vt laudes ſic & preces leguntur, ſed ad vnum Dominum; *Cum torqueretur (*inquit actorum ſcriptor vetus*) dixit; Gratias tibi, Chriſte. Me cuſtodi, qui propter te hæc patior,* quæ & ſæpius
ibid. § 149. poſtea repetivit, cum torqueretur acrius. Denique *cum ad locum perductus eſſet, genuflexus prolixius oravit, & iterum gratias agens, præbuit*
Bar. a. D. 303 § 122. *jugulum, & à carnifice decollatus eſt.* Vitalem Bononiæ cum Agricola paſſum ad hunc quoque annum D. 303. refert Baronius. Vitalis autem
Ambroſ. Exhortat. ad Virg. T. 1. p. 116. B. hujus martyrium apud Ambroſium legimus; *Cum* (inquit) *ſanctus Vitalis cogeretur à perſequentibus, vt Chriſtum negaret, & ille amplius profiteretur Dominum Ieſum Chriſtum, omnia tormentorum genera in eum exercentes, vt non eſſet in corpore ejus ſine vulnere locus, orationem fudit ad Dominum, dicens; Domine Ieſu Chriſte, Salvator meus, & Deus meus, jube ſuſcipi Spiritum meum; quia jam deſidero, vt accipiam coronam, quam Angelus tuus ſanctus mihi oſtendit. Et completa oratione emiſit ſpiritum.* Hæc ille; quem neque ad Mariam, neque ad ipſum illum Angelum, qui ei coronam oſtenderat, precem vllam feciſſe, neque Latinorum cultuum quicquam factitaſſe dicit. Euſebius
Euſeb. Hiſt. l. 8. c. 7. edit. Gr. f. 86. A. ſcribit inter cæteros martyres, qui in Phœnicia ſub Diocletiano paſſi ſunt, adoleſcentem nondum annos viginti natum, fuiſſe beſtiis objectum, *qui nullis licet vinculis conſtrictus, firme tamen immoto in eodem*

veſtigio

veſtigio corpore conſiſteret, manibuſque in crucis modum è tranſverſo expanſis, robuſta & excelſa mente in precibus ad DEI *numen fundendis attentiſſime defixus.* ὄρθιος γὰρ (inquit) ἡλικίαν οὐδ' ὅλων ἐτῶν εἴκοσι δίχα δεσμῶν ἑστῶτος νέου, καὶ τὰς μὲν χεῖρας ἐφαπλοῦντα εἰς σταυροῦ τύπον ἀκαταπλήκτῳ δὲ ἀτρεμεῖ διανοίᾳ ταῖς πρὸς τὸ θεῖον σχολαιτάτας τείνοντα λιταῖς. Nullas ad Beatam Mariam, vel ad alios Divos preces dixit. Idem cum cujuſdam Phrygiæ vrbis caſum memorat, quæ tota ob Chriſtianiſmi profeſſionem acerbiſſimo incendio eſt à militibus deleta, cives vnà cum vxoribus & parvis liberis Chriſtum omnes ſummum Deum invocaſſe tradit, nomina illa ſacra *Ieſus Maria* exclamaſſe non tradit. αὐτοῖς ἅμα νηπίοις καὶ γυναιξὶ τὸν ἐπὶ πάντων θεὸν Χριστὸν ἐπιβοώμενοι. Sed illuſtre eſt imprimis beatiſſimi illius Pauli exemplum, cujus martyrium Euſebius tanta cum laude prædicat. Is enim cum inſtante paſſionis hora aliquantulum ſibi temporis concedi petiviſſet, & impetraviſſet, *clara canoraque voce à Deo popoſcit, vt Chriſtiani tribules ſui ejus gratia reconciliarentur, ſupplex rogans, vt quam citiſſime libertas ei redderetur: Deinde pro Iudæis oravit, vt ad Deum per Chriſtum adducerentur, eademquoque pro Samaritanis poſtulans, mox precatur, vt omnes Gentiles, qui in errore, & cæca Dei ignoratione verſabantur, ad divinam cognitionem venirent, & veram pietatem reciperent*; neque multitudinem, quę circumfuſa ad ſpectaculum aderat, omiſit; *Quin etiam pro judice qui illum morti addixerat, proque Imperatoribus, pro illo ipſo denique carnifice, qui mox erat ejus caput cervicibus abſciſſurus, Deum omnipotentem obſecravit, ne illis hoc facinus in ipſum admiſſum peccati loco numeraret.* Hæc mitiſſimus, ac ſanctiſſimus Martyr; præclaras illas ſuas preces DEO omnes nuncupans atque offerens; nullam Divæ Virgini (qui Latinorum in ſupremis mos eſt) vel precem, vel doxologiam dicens. τῆς ὑπὲρ τῶν ὁμοεθνῶν ἐπὶ τὴν πρὸς τὸν ΘΕΩ (inquit Euſebius) δι' αὐχῶν καταλλαγά. Et rurſum τὸν τῶν ὅλων ἱκέτευε ΘΕΟΥ μηδαμῶς αὐτῷ ἐν λελογισμῷ γενέσθαι τὴν εἰς αὐτὸν ἀνατεθέντα ἁμαρτάνοντων. Idem Porphyrium adoleſcentem, Pamphyli martyris celeberrimi, familiarem, tradit poſt ſuperatos ſtupenda animi virtute diriſſimos corporis cruciatus, cum poſtremo lentis ignibus crudeliſſime à carnificibus conficeretur *Ieſum Dei Filium adjutorem invocaſſe exclamantem*, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ Ἰησοῦν ἐπιβοώμενον; conſtanti inde ad vltimum halitum ſilentio martyrium glorioſiſſime peregiſſe.

Atque hæc nos hactenus ex vetuſtiſſimorum Chriſtianorum Actis & tabulis. Res autem ita clara ac certa eſt vt ejus veritas vel ex ipſo Latinorum Breviario, ſi quid is paulò attentius ac curioſius conſideret, non parum confirmetur. Id verò, quia memoratu dignum mihi videtur, non pigebit hic iis, quæ ſuperius dicta ſunt, adiicere. Obſervo ergo in Breviario inter veterum & recentiorum Divorum mortes iſtic deſcriptas idem illud, quod hactenus oſtendimus, diſcrimen, vt in his quidem imaginum, & Mariæ, aliorumque Sanctorum invocatorum.

CAPVT IX.

Ibid. c. 13 edit. Lati. & 11. edit. Gr. fol. 17. B.

ibid. c. 18.

edit. Gr. fol. 46. A. init.

ibid. c. 21. edit. Gr. f. 98. A.

CAPVS IX.

Brev. Rom. feſto S. Thom. Epiſc. p. 208.

catorum; vel cæterorum Latinorum cultuum mentio fiat, in illis nulla fiat. Exempli gratia, in Thomæ Cantuarienſis, qui a. D. 1172. occiſus eſt, paſſione hæc leguntur; *Deinde flexis genibus, Deo, B. Mariæ, Sancto Dionyſio, & reliquis Sanctis, ejus Eccleſiæ patronis, Eccleſiam & ſe ipſum commendans ſacrum caput impio ferro præcidendum obtulit.*

ibid. Feſt. Aug. d. 4. p. 979. ibid. d. 16. Aug. p. 1023. ibid. Offic. propr. Sanct. d. 4. Nov. p. 195.

Ita & in Dominico monachalis apud Latinos ordinis parente, a. D. 1221. mortuo; *Fratribus* (inquiunt) *orantibus, in illis verbis,* Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli, *obdormivit in Domino.* Ita Divum Hyacinthum Polonum *ipſo aſſumptæ Virginis feſto* narrant *horis canonicis perſolutis*, adeóque invocata non ſemel Virgine, *Spiritum Deo reddidiſſe a. D. 1257.* Divum verò Carolum Borromæum *oculis in crucifixi imaginem defixis migraſſe in cœlum* notant a. D. 1583. Hæc illi de ſuis nuperis Divis. De veteribus vero, ne ipſi quidem quicquam ſimile tradunt. Exempla, vt res illuſtretur, afferenda ſunt. De Agnete, quæ a. D. 304. paſſa dicitur hęc habent.

ibid. Feſt. Ian. d. 21. p. 829.

Beata Agnes in medio flammarum expanſis manibus orabat; Te deprecor, omnipotens, adorande, colende Pater, metuende, quia per Sanctum Filium tuum evaſi minas ſacrilegi tyranni, & carnis ſpurcitias immaculato calle tranſivi; & ecce venio ad te, quem amavi, quem quæſivi, quem ſemper optavi. De invocatis Divis, aut Maria, de ſacra aliqua imagine, nihil.

ibid. Propr. Sanct. p. 805. ibid. Feſt u. d. 1. Mai. p. 887. ibid. Feſt. Febr. d. 5. p. 850. 851. 852.

Quod de Nicolao Myrenſi Epiſcopo paulò poſt a. D. 325. mortuo ſupra diximus eum in ſupremis Pſalmum pronunciaſſe, *In te Domine ſperavi*, ipſi quoque tradunt; ac de Iacobo Apoſtolo itidem, eum pro ſalute ſuorum percuſſorum morientem precatum eſſe Deum. Agatham Decianæ perſecutionis martyrem dicunt in carcere ſic oraſſe; *Domine Ieſu Chriſte, magiſter bone, gratias tibi ago, qui me feciſti vincere tormenta carnificum. Iube me Domine, ad tuam immarceſſibilem gloriam fœliciter pervenire.* Et paulò poſt iterum; *Gratias tibi ago Domine Ieſu Chriſte, qui miſiſti ad me Apoſtolum tuum curare vulnera mea.* Denique ſic Deum precatam memorant; *Domine, qui me cuſtodiſti ab infamia, qui abſtuliſti à me amorem ſæculi, qui me carnificum tormentis ſuperiorem præſtitiſti, accipe animam meam*, eáque in oratione migraſſe ad cœlum.

ibid. Feſt. Mai. d. 14. p. 910. ibid. Iul. d. 2. p. 954. ibid. Iul. d. 21. p. 967. ibid. Aug. d. 10. p. 1003. 1004. 1006.

De Bonifacio martyrium Diocletiano imperante paſſo, *In cruciatibus* (inquiunt) *ea vox tantum Bonifacij audiebatur; Gratias tibi ago, Domine Ieſu Chriſte Fili Dei.* Alios quoque Apoſtolici temporis Proceſſum, & Martinianum nullam in cruciatibus vocem etiam emittere auditos niſi iſtam; *Sit nomen Domini benedictum*; Et Praxedem Virginem ſub Marco Antonino Martyrem *Deum precatam* narrant, *vt ſi mori expediret, ſeè tantis malis eriperet.* De Laurentio Diocletianei temporis celeberrimo martyre hæc habent; *B. Laurentius orabat, dicens, Domine Ieſu Chriſte, Deus de Deo, miſerere mihi ſervo tuo.* Et paulò poſt; B. Laurentius clamavit & dixit, *Deum meum colo; illi ſoli ſervio.* Denique; *Beatus Laurentius orabat dicens; Gratias tibi ago Domine; quia januas tuas ingredi merui.* De Theodoro, quem ſub

Maxi-

Maximiano paſſum ferunt? *Vbi vngulis excarnificatus, dum coſtæ nudarentur, lætus canebat, Benedicam Dominum in omni tempore. Quare in ardentem rogum injectus in oratione & DIVINIS laudibus animam Chriſto reddidit*; De Martini ſupremis, qui circa a. D. 402. mortuus eſt. *Aſſidua Deum oratione precabatur, vt ſe ex illo mortali carcere liberaret* Denique de Clemente Romano, Pauli & Petri diſcipulo; *Cum iter ad mare cœpiſſet, populus voce magna clamabat; Domine Ieſu Chriſte, ſalva illum; & Clemens cum lacrymis dicebat: Suſcipe Pater Spiritum meum.* Atque hæc quidem de Latinorum Breviario; ex quo ipſo, vt vides, horum à vetuſtiſſimis Chriſtianis diſcrimen pellucet. Si enim eadem vtrorumque fides, idemque ritus fuit; cur ipſi in vno eodemque libro tam diverſe vtrorumque mortes tradunt? Cur quas in recentioribus iſtic reperimus imagines & Divorum invocationes, eæ in vetuſtiſſimis nullæ vſpiam ne illic quidem cernuntur? Vnde & illud quod nuper arguimus, Gregorianæ de ſua fictitia Iuſtina narrationis κακόπλαστον apertiſſime convincitur. Cur enim quæſo, vna hæc ex omni Martyrum vetuſtiſſimorum, qui ſævientibus decem primis perſecutionibus paſſi ſunt, multitudine Mariam invocaret? Fingi eam decebat ex primi illius Chriſtianiſmi moribus & inſtitutis; Atqui nullius ex illa memoria exemplum eſt, qui Mariam invocaſſe dicatur. Perperam ergo & inſcite Gregorius eam finxit Mariæ ſupplicantem; eodem plane errore quo & mulierem Iudæam alibi Martyris reliquias adorantem præter omnem veri ſpeciem finxerat. Sed de his quidem ſatis. Ita nunc apparet quam diverſus ſit hac in parte veterum martyrum à Latinis vſus. Hi quidem in hoc ſuo vltimo agone vel Euchariſtiam glorificant, vel Divos Divaſque certe Mariam Virginem invocant, vel reliquias, imagines cruceſque ſacras venerantur; Illi vero in eodem actu iſtorum plane nihil vſquam vſurpant, ſed vnum Deum Chriſtumque conſtantiſſime laudant, adorant, precantur. Ergo hactenus ſtat immota illa, quam ſupra expoſuimus, vetuſtiſſimorum Theologorum princeps ac capitalis regula: Nihil eſſe religioſe colendum niſi vnum Deum. Ac vt ex Latinorum martyriis quivis facile intelligit eorum religionem, non ſola in Deum pietate, ſed etiam Euchariſtiæ adoratione, Divorumque ac reliquiarum, & imaginum, & crucium veneratione & cultu contineri; ita ex diverſis planeque oppoſitis veterum paſſionibus clare liquidoque agnoſcitur cultum primæ illius Eccleſiæ religioſum totum in vnum Deum optimum maximum fuiſſe; nullum in Euchariſtiam, vel in Divos, Divaſque, aut in reliquias, imagineſve, aut cruces ſacras, qualis nunc Latinorum eſt; quia nimirum ſi eadem cum Latinis hac de re vetuſtiſſimi Chriſtiani ſenſiſſent, idem haud dubie horum martyres in ſuis paſſionibus facturi erant, quod illorum nunc athletas ſedulo in ſuis omnibus certaminibus facere videmus; neque ſi veteres ita ſe in vltimo illo agone geſſiſſent, credibile eſt qui eorum actus iiſdem

CAPVT IX.

ibid. Nov. d. 9. p. 1129.
ibid. Nov. d. 11. p. 1132.
ibid Nov d. 23. p. 1150.

CAPVT IX.

temporibus compoſuerunt, tam memorabilem religionis Dominicorum teſtium partem fuiſſe omiſſuros; quam à Latinorum nunc martyriorum auctoribus tam accurate tamque ſollicite prædicatam ac commemoratam legimus; præſertim cum veterum actorum ſcriptores in cæteris commemorandis ita accuratos, ac diligentes fuiſſe videamus, vt res ne minutiſſimas quidem omittant; vt ex Cypriani, & aliorum paſſionibus patet, quas ſupra delibavimus. Certe martyres non tacent *manus in crucis modum ex tranſverſo expandiſſe*, vt paulò ante Euſebium de Phœnicio adoleſcente narrantem audiebamus; & Euplium acta diſerte tradunt *libera manu ſignaſſe ſibi frontem*; quod imitati ſunt impoſtores, qui in actis adulterinis Tiburtium fingunt *facientem crucis ſignum ſuper prunas ambulaſſe*, & qui *Glycerium*, fictum (vt mihi quidem videtur) à Græcis ex ſua libidine martyrem, dicunt; *Chriſti ſignum ſuo adhibuiſſe corpori.* Qui hæc commemorant; cur ſculptile crucis ſignum, cur Divorũ, & Euchariſtiæ ſimulacra, aut reliquiaria tacuiſſent, ſi quid ejuſmodi martyres in ſuis ſupremis vel adoraſſent, vel geſtaſſent, vel aliis donaſſent? Cum ergo ex vtrorumque actorum, veterum inquam ac recentiorum à nobis inſtituto, ac exhibito parallelo conſtet religioſum illũ in Euchariſtiam, in Divos, in reliquias, in cruces denique ac imagines cultum nunquam vel memorare veteres Martyrographos; vel omittere recentiores; pro certo ſtatuendum eſt, eum tam illis primis temporibus ignotum, inuſitatumque apud Eccleſiam fuiſſe, quam nunc eſt idem apud Latini Papæ communionem notus, atque ſolemnis.

apud Bar. a. D. 303. § 146
Acta Sebaſt. ap. Bar. a. D 284. §. 21.
apud Bar. a. D. 301. § 27.

CAPVT X.

Argumentum V. contra Latinam de cultu creaturarum quarumdam religioſo traditionem, inde ductum, quod quoties de miraculis incidit ſermo, Latini quidem ea commemorant, quæ vel Euchariſtiæ, vel Reliquiarum, vel imaginum aut crucium vi, vel ad Divorum invocationem fieri dicuntur; veteres vero nullum plane hujus ordinis aut cenſus referunt totis primis tribus ſæculis; idque probatur & ex Bellarmini de talibus in omni de miraculis diſputatione ſilentio, & ex ipſis veterum locis, quæcumque ſunt de miraculis (plurima autem ſunt) ſive de iis, quibus homines à naufragio liberati ſunt, ſive de iis, quibus ab ignis, terræmotuum, &c. vi ſervati, vel quibus ſiccitas aëris depulſa, pluviaque impetrata, ſive de iis quibus aut mortui reſuſcitati, ſive denique de iis, quibus hominum vel loca, vel corpora dæmoniis purgata ſunt. Locorum de his ex Latinis recentioribus, & ex vetuſtiſſimis Chriſtianis accurata inter ſe collatio; Vnde colligitur Euchariſtiæ, Divorum, Reliquiarum, imaginum, & Crucium apud Latinos ſolennem cultum vetuſtiſſimis Chriſtianis plane ignotum fuiſſe.

IDEM quoque ex altera quadam Latinorum monumentorum parte, cum ſimili apud veteres loco comparata facillime ni fallor, intelligetur. Hæc autem Latinorum monumentorum pars ea eſt, quæ de miraculis tractat. Quæ enim apud eos jactantur aut prædicantur, aut commemorantur miracula, ea ego obſervo ab hoc vno cultus in Euchariſtiam, in Divos, in imagines, in cruces, ac reliquias religioſi fonte ſi non omnia, certe pleraque profluxiſſe. Nihil fere hic invſitatum, & incredibile præter conſuetum naturæ ordinem vi religionis contingere dicitur; quod non ab aliqua ex his quinque apud eos ſacris ac religioſis rebus fieri ac procurari putetur. Itaque miraculorum hujuſmodi, quæ vel ab Euchariſtia & Divis, vel à reliquiis, imaginibus, aut crucibus fiunt ſcilicet, plena eſt omnis Latinorum vita, & oratio; pleni omnes libri; ſive qui diſputationes de rebus divinis adverſus infideles, aut hæreticos continent; ſive qui vitas piorum hominum & laudes exequuntur, ſive qui hiſtorias publicas privataſque narrant, ſive denique qui ad fidem & ſanctimoniam homines cohortantur. Quinimo ſi bene rem putes non alia fere ratione vel initio conſtitutam, vel poſtea confirmatam & propagatam deprehendes harum rerum religionem, quam quod ab iis miracula quædam fieri creditum eſt. Non eſt ergo du-

CAPVT X. bitandum, quin apud vetuſtiſſimos pariter Chriſtianos hujus generis futura fuerint miracula, quæ vi Euchariſtiæ, reliquiarum, imaginum, & crucis, vel Angelorum Sanctorumve invocatione facta fuiſſe dicerentur, ſi verum eſt quod adverſarij volunt, iſta jam tum à fidelibus eodem modo cultu fuiſſe, quo ab ipſis hodie coluntur. Imo etiam plura tum fieri hujus generis, quam nunc fiunt, apertiſſime flagitabat ipſa temporum ratio, quibus cum ad condendam in gentibus primùm Eccleſiam, & ad mortalium infidelitatem ſubigendam ac revincendam miracula maxime eſſent neceſſaria, profecto ſi quis eſt iſtorum quæ diximus, ad miracula vſus, is tribus illis prioribus ſæculis multo vberior, ac liberalior eſſe debuit, quam ſequentibus, quæ jam Evangelij fide jam abunde confirmata facile eo ſubſidio carere potuerunt. Sed neque ſi qua tum extitiſſent hujus generis miracula, ea omiſſuri erant noſtri, qui intra trecenteſimum à Chriſto nato annum vixerunt Scriptores; quæ ſcilicet dici ac commemorari, & ad Dei gloriam, & ad Sanctorum laudem atque venerationem, noſtræque fidei ac pietatis confirmationem pertinebat. Videmus quo ſtudio nunc Latini talia colligant; vt nihil indictum prætereant; vt ipſos etiam vulgi rumuſculos litteris mandent; vt ne ea quidem in hoc genere ſpernant, quæ veri parum ſimilia, fabulæque propiora videntur. Et ſanè ſic decebat, ſi vera, certaque eſſent, quæ narrant. Cum enim omnia Dei opera celebrare noſtri ſit officij, tum ea maxime commemorare, atque extollere conſentaneum eſt, quæ mirabilia & ſingularia ſunt, & ſupra communes naturæ leges. Non eſt autem credibile Apoſtolos, & proximos eorum ſucceſſores Latinis noſtris vel ad promovendam Dei, & Divorum gloriam tepidiores fuiſſe, vel ad inveſtigandam ac litteris mandandam rerum veritatem ſegniores. Quanta fuerit ſanctiſſimorum virorum in hac pietatis parte præſtantia, ipſi eorum ſuperſtites libri loquuntur, in quibus vt cætera, ita & miracula, ſumma quidem ſimplicitate, ſed non obſcura tamen diligentia narrant, quæ ad illuſtrandam Dei gloriam, & Evangelij veritatem pertinebant. Ergo neque hæc illi ſigna prætеriiſſent, ſilentiove & & oblivione ſepeliviſſent, ſi qua tum eſſent ad Divorum reliquias, & imagines, & invocationem, & ad crucis venerationem, & ad Euchariſtiæ denique adorationem facta; ſed ea dixiſſent profecto, & retuliſſent in litteras; non ſecus ac à Latinis id ſedulo fieri videmus. Atqui ne vnum quidem hujus generis miraculum vſquam memoratum legimus vel ab Apoſtolis, & Evangeliſtis in divinis novi fœderis libris, vel à Clemente, Iuſtino, & Irenæo, ac Tertulliano, vel denique ab alio Clemente, vel à Cypriano, & Origene, aut aliis eorundem temporum auctoribus in eruditiſſimis illis ſuis de Chriſtiana religione commentariis, qui ad nos magno Dei beneficio pervenerunt. Id vero quo fiat clarius totiúſque argumenti vis plane penituſque eluceſcat, operæpretium eſt quæ de miraculis vtrique tum hi Latini recen-

recentiores, tum veteres illi Chriſtiani litteris mandarunt, ea paulo accuratius inter ſe comparare. Ac Latini quidem quæ de hoc genere ſcripſerunt, ſi omnia perſequi velimus, res in immenſum abibit; ſunt enim tam multa & in libris proprie de hoc in vno argumento editis, tradita, & in aliis diſputationibus atque narrationibus obiter ex aliqua occaſione commemorata, vt ſi quis cuncta colligere velit, is vivere multo citius deſiturus ſit, quam ſcribere, ſit licet ille & valetudinis firmiſſimæ, & vitæ maxime longævæ, & ingenij ſcribendum inſtructiſſimi pariter ac impigerrimi; Quod vel ex vno hoc ſpecimine facile intelligi poteſt. Iuſtus Lipſius, vir ſuperioris memoriæ diſertiſſimus atque eruditiſſimus, & apud omnes litteratos cognitiſſimus, de duarum duntaxat imaginum miraculis, quæ Divæ Virgini ſacræ ſunt, altera Hallenſi, altera Aſpricolli, duo juſta volumina implevit, Scriptor alioqui verborum parciſſimus, brevitatiſque ad ambitionem ſtudioſus. Prius, *Divam Virginem Hallenſem*; poſterius, *Divam Virginem Aſpricollem* inſcripſit, ab operis argumento; in quo ille ſe ſcilicet vnius in duobus locis *Divæ beneficia, & miracula fide atque ordine exſecuturum* profitetur. Quando duæ imagines neque eæ admodum vetuſtæ, ad duos libros etiam Lipſianiæ brevitati ſufficiunt; cogita quæſo, quas voluminum multitudo ad ea omnia complectenda ſatis futura ſit, quæ innumerabiles Divi Divæque, vel per ſe ſeorſum invocati, vel ad ſuas ſive reliquias ſive imagines toto paſſim orbe Latino conſecratas adorati mira edidiſſe feruntur? Quid ſi ad hæc inſuper illa accedant, quæ Dominica, vel Euchariſtia, vel *crux*, cruciſve figura in ſuorum cultorum gratiam jam ab aliquot ſæculis ad hunc diem patraſſe, atque etiamnum patrare dicuntur? Nemo non videt tam multos, tamque copioſos ex tam ampla rerum ſylva confici poſſe commentarios, vt ad eos non dico ſcribendos, ſed legendos, & evolvendos vix ſuffectura ſit vnius viri vita. Ego quędam, quantum ad inſtitutum meum ſatis erit, miſſis cæteris libabo. Ergo Latini hujus generis miracula toties fere memorant, quoties ſuæ religionis veritatem, miraculorum, quod ſæpe faciunt, argumento confirmant. Non omiſit Bellarminus, vbi ſuam Eccleſiam ex miraculis, quæ negat apud eam vnquam defuiſſe, veram eſſe Dei Eccleſiam pertendit. Nam & ipſe quædam diſerte memorat, vt quod Franciſci Xaverij reliquias, cum Malaca Goam navi transferrentur, narrat coortam forte in mari tempeſtatem repente ſedaviſſe; & quæ ex aliis citat, indicatis tantum eorum libris non pauca ſunt hujus generis; Verbi gratia Antonini Partem tertiam de Divorum Antonij Paduani, & Bernardini, & Nicolai Tolentini, & Vincentij miraculis legi jubet. At quæ Antoninus iſtic habet, plurima huc pertinere noſcuntur. Narrat enim poſtquam Antonius mortuus, & rite ſepultus fuiſſet, qui ejus tumulum contingerent, quacumque infirmitate detenti, eos continuo ſanitatem recepiſſe; qui vero accedere, vel adduci præ turba non

CAPVT X.

Lipſ. D. Hall. T. 2. ep p. 807. D. Aſpric. ibid. p. 831.

Bell. de Eccl. l. 4. c. 14. §. Denique hoc noſtro.

Antonin. Part. 3 tit. 24 c. 3. §. 1. p. 36. A

CAPUT X.

non poterant, eos nihiloſecius ſanos coram omnibus etiam præ foribus, in platea factos fuiſſe; Tum mulierem, quæ in aquam cadens Sanctum Antonium invocaverat, mirabiliter evaſiſſe, ſic vt cunctis qui eam extrahebant, vndique madefactis, ipſa ſola prorſus in veſtimentis, & corpore ſicca remanſerit; & clericum quemdam, quod miraculorum inquiſitionem deriſiſſet, graviſſima quadam paſſione percuſſum, ad Antonium voto facto confugiſſe; mirabiliter ſanatum eſſe, & ſanctitatis ejus profeſſorem effectum eſſe, ipſa in ſe experientia edoctum. Idem ſcribit Bernardini meritis poſt ejus tranſitum, & ſepulturam, multa miracula referri patrata; & poſt Divi Nicolai *Tolentini mortem, & ſepulturam*, tradit, *multa miracula ad invocationem nominis ejus facta eſſe; cæcos multos illuminatos, claudos plures erectos eſſe, ſurdos auditum recepiſſe, loquelam mutos non paucos; & quod maximum eſt, ſex mortuos reſſuſcitatos per merita ejus; captivos item quoſdam carceres evaſiſſe, alios in mari naufragium.* Eundem Nicolaum, cum adhuc eſſet in vivis, idem ſcribit, per Euchariſtiæ oblationem, Peregrini neſcio cujus Auximenſis, & aliorum non paucorum animas ignis purgatoriani cruciatibus liberaſſe. Sic etiam poſt Divi Vincentij obitum idem multos mortuos dicit ad invocationem nominis ejus fuiſſe reſſuſcitatos; alios variis morbis, & periculis liberatos; quorum ſingulorum hiſtorias ſatis fuſe exſequitur, ac inter cæteros, Ioannem quemdam adoleſcentem narrat Dognali ex Venetenſi diœceſi filium, votum *voviſſe Vincentio viſitare ſepulcrum ejus cum imagine cerea*, ſtatimque graviſſimo morbo, quo pœne confectus erat, levatum convaluiſſe. Eadem eſt cæterorum locorum de miraculis à Bellarmino laudatorum ratio; quorum nullum fortaſſe reperias, in quo non aliqua de hoc genere memorentur. Sed & Latini ſolent in ſuis hujus farinæ miraculis cōmemorādis tum maxime luxuriare, quoties vel Sanctos viros laudant, eorumque vitas ac mortes ſcribunt, vel in ſuis ſuorumque caſibus narrandis; aut in Eccleſiæ alicujus hiſtoria componenda verſantur. His enim locis fere ſemper referentes audias, vt ope vel Divorum, vel reliquiarum, vel imaginum, vel crucis, vel etiam aliquando Euchariſtiæ à morbis, ab incendio, à naufragio, ab aliis triſtibus atque acerbis quæ in vita accidere ſolent vel ipſi, vel alij earum rerum adoratores liberati fuerint. Ad priorem ordinem pertinent *Legendarij* (vt vulgo vocantur) ſcriptores; quos hujuſmodi narrationibus ad faſtidium ſcatere tam eſt omnibus notum, vt exempla rei obviæ afferre nihil ſit neceſſe. Videat qui volet vel recentiſſimorum Franciſci, Dominici, Loyolæ, Xaverij, Caroli Borromæi, Berulli, & aliorum vitas, quæ paſſim proſtant. Non eſt minor in altero ſcriptorum ordine horum miraculorū Sylva. Ego exempli cauſa nonnulla annotabo; ex iis fere hiſtoriis atque annalibus decerpta, in quibus initia, atque progreſſus traduntur Papalis doctrinæ ac religionis apud Sinas, & Iaponas, & Indos, atque Æthio-

ibid. c. 5. §. 4. extr. p. 743. C

ibid. Tit. 24. c. 10. §. 5 extr. p. 793. B.

ibid. §. 1. p. 790. A.

ibid. Tit. 23. c. 9. §. 8. tota p. 662. 663.

CAPVT X.

Æthiopas, & alios ſi forte barbaros noviſſimis his temporibus Ieſuitarum opera & miniſterio prædicata; quod horum librorum cum vetuſtiſſimorum Chriſtianorum monumentis, de quorum fide quærimus, maxima mihi hactenus ſimilitudo eſſe videatur. Nam vt illis Latiniſmi apud Indos recentiores; ita his Chriſtianiſmi apud Græcos Romanoſque veteres primordia traduntur. Iam ſi Ieſuiticos iſtos annales inſpicias, occurrent fere ſingulis paginis, certè capitibus, aut libris aliqua hujus de quo dicimus, generis miracula. Xaverium, ſi quid iſtis credimus, anno D. 1551. in Eoo mari periclitantem ſervavit reliquiarum theca funi ab eo alligata, & in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti in mare miſſa. Et Bathaſar Gagus de eodem Ieſuitico ſodalitio, tradit ſe, & ſuos cum ex Iaponibus in Indias redirent, & in magno naufragij periculo verſarentur, inter cætera præſidia, quæ ad depellendam eam peſtem adhibuerunt, mare ſacris reliquiis, & aqua ſancta luſtraſſe, ac evaſiſſe. Venceſlaus Pantaleo, ejuſdem vir ordinis, narrat ſe ad Sinas anno D. 1620. cum hominibus Luſitanis CXXX. navigantem præſentiſſimo diſcrimine ereptos fuiſſe ope earum Virginum, quas olim non pauciores quam vndecies mille martyrium vna feciſſe vulgo fabulantur. Vnius ex iſtis caput, quod in Braſiliam à Luſitania allatum eſt, prædicat alius quidam Ieſuita multa in ipſa navigatione miracula feciſſe. Nuper vero Alexandro Rhodio ejuſdem ſocietatis homini, in Indico mari quater ſi bene memini, periclitanti ſaluti fuerunt (vt ipſe quidem gloriatur) Divorum reliquiæ; ſemel atque iterum vnus Divæ Virginis pilus, quem ſecum homo religioſiſſimus ferebat; & poſtea bis quoque Andreæ neſcio cujus martyris è Cocincina recentiſſimi caput, quod ille Romam vehebat; & quidem cùm vir devotiſſimus idem ac ſapientiſſimus ſuum martyrem ſuaviſſimis, & *amore* (vt ipſe loquitur) delibutis vocibus minitabundus eſſet afflatus; *Andrea* (inquit) *optime, equidem caput tuum Romam non feram, ſi his fluctibus abſorptus fuero.* Ieſuitæ rem, quis neget? plane veriſimilem narranti credidit Andreas, ſuáque apud Deum gratia vſus hominem, quem vivus tenerrime dilexerat, mortuus repente ſervavit; credo, ne vel Roma ſui capitis præſidio, vel ſuum certe caput tantæ vrbis domicilio fraudaretur. Habent ſuum ad hæc vſum ipſæ quoque Divorum imagines. Nam cum navis, quæ quinque Ieſuitas, & alios multos mortales in Iaponiam anno D. 1578. ferebat, gravi tempeſtate jactaretur, vectores vota apud ſacram Divæ Virginis imaginem in genua ſummiſſi nuncupaſſe dicuntur, moxq; portum Tacuximenſem tenuiſſe. Eadem poſtea fuit ejus navis fælicitas, quæ cum è Cocincinæ littoribus anno D. 1614. ſolviſſet, præſentiſſimam Divæ Virginis, Divique Ignatij opem in ſummo ſuo periculo experta eſſe dicitur, cùm devotiſſimi vectores ante ſacras vtriuſque imagines proſtrati conceptas preces totis quadraginta horis indeſinenter recitaſſent, & in ſuum interim tergus acerrima diſciplina haud

[*du Iarric. Indicor. l.1. c.24.p.262.*]
[*Epiſt. Iapon. l.4.p.19 .B. 198. A.B.*]
[*Ann Sini. a. 1620 p.101. 103.*]
[*Ann. Braſil. a. 1577. p. 102.*]
[*Alexand de Rhod. en ſon voyage Part. 1.c 8 & part. 2.c.21.p.152. ibid. Part. 2. c.5 .p 269. 271. Part.3. c.3.p.10.*]
[*Soli. in Iap. l.6.c.16 ?. 135.*]
[*Ann. Iap. a. D.16 4.p. 413.*]

CAPVT X.

haud perfunctorie ſęviiſſent, ejuſdemque Ignatij reliquias gubernaculo alligaſſent, orationemque Dominicam, & Angelicam ad Mariam ſalutationem rite pronuntiaſſent. Itaque cum Ignatius Azevedus in Braſiliam ad ſuam fidem apud barbaros propagandam anno D. 1570. miſſus proficiſceretur, altare imprimis in ea qua vehebatur navi, *du Iarric. l.3. c.25.p.222.* conſtituendum curavit, eique ipſe Divę Virginis effigiem quandam ſanctiſsimam identidem imponebat, & ſacra, ſed vt loquuntur, *ſicca* (id eſt abſque conſecratione) faciebat, quod Euchariſtiam in mari conficere nefas eſſe putaretur. *Maff. Indic. l.16.p.708.* Sed & Divos vel ſimpliciter invocaſſe ſæpe iſtis in mari periclitantibus profuit; vt Rhotericio Ieſuitæ ex Æthiopia in Indias redeunti, cui ſaluti fuit ſuppliciter invocatum Divę Virginis auxilium, vt Xaverio, quem ex vltimo diſcrimine Malaca Cocinum anno D. 1548. navigantem eripuerunt Divi Divęque, quos vnà cum Deo ſedulo invocavit, Diva ſcilicet imprimis Virgo, *Iarr. Ind. l.5. c.18 & Xav. epiſt. l.2. ep.6.* tum novem Angelorum chori, alijque omnes vtriuſque ſexus cœlicolæ ſancti, & Faber denique, & ſodales ſi qui de Ieſuitarum ſocietate jam fato functi eſſent. Idem cum ex Iaponia poſt biennium in Indias rediret, vt imminente naufragio ſe, & ſocios liberaret, Dei ac Divę *Iarric. ibid. c.22.p.246.* Virginis, quod erat expertus auxilium, imploraſſe narratur. Ipſe quoque poſtea, quod vivus olim à Diva impetraverat pręſidium, aliis *Ann. Ind. a. 1623. p.308* mortuus pręſtitit. Anno enim D. 1623. Ieſuitam neſcio quem, à quo ardentiſſime fuerat invocatus, naufragio liberaſſe dicitur. *Sol l.16. c.2. p.410.* Divę quoque Virginis miraculum fuiſſe narrant, quod a. D. 1606. Luſitana quędam navis ſervata ſit, cum nautę voviſſent ſe velum ei in Eccleſia Nangazachena ſi evaderent, donum ſuſpenſuros; quod votum paulò *du Iarric. Indic. l.5. c.23. p.26.* poſt liberati religioſiſſime ſolverunt. Eodem pertinet, quod alij in Indicis tradunt puerum quemdam è naufragio mirabiliter enataſſe, cum Divam Virginem, & alios Sanctos invocaſſet, Marięque nomen vnà cum Ieſu nomine identidem ingeminaſſet. Huc quoque referenda ſunt piſcatoribus pręſtita à Diva Virgine, & à cęteris cœlitibus auxilia; quę ſcilicet & ipſa oſtendunt quanta ſit in mari iſtorum po- *Relat. Froeſ. a. 1596.p. 238.* teſtas. Vchimenſes quidem in Iaponia margaritarum piſcatores Divę Virgini ſua lucra, ſuęque artis proventus imputaſſe eo intelliguntur, quod ei ſemper aliquas margaritas de piſcatione redeuntes dono obtuliſſe memorantur. Sed & Amacuſanos veri nominis piſcatores, cum Xaverij imaginem à Ieſuita quodam accepiſſent, ejuſque juſſu orationem Dominicam quinquies, & Angelicam ad Virginem Mariam ſalutationem quinquies dixiſſent, affirmant iidem annales fęliciſſi- *Ann. Iap. a. D. 1615 p.69.* mum jactum feciſſe, & Xaverio ante ſacram ejus imaginem proſtratos gratias pro munere egiſſe. Idem miraculum in Tanor, diverſa *Iarric. l.6.c. 6. p.547.* orbis parte, contingere teſtis locuples eſt Iarricus de eadem Loyolę familia ſcriptor, qui Indici illius littoris piſcatores narrat, jactis in Divæ Virginis, vel in crucis, quę apud eos pulcherrima extat, nomine retibus haud raro ingentem piſcium vim capere. Neque in terra paucio-

pauciora, quam in mari memorant hujus generis prodigia, eadem vi Capvt X.
reſtincta non ſemel incendia, agros vermibus purgatos, bellicas clades depulſas, recuperatas res amiſſas. Duo quidem Ieſuiticæ communionis apud Trigaltium Iapones ignem in reliquas pagi, in quo habitabant, domos crudeliter graſſantem à ſuis ædibus mirabiliter propulſant; Divæ vterque Virginis auxilium è tecto, in quod aſcenderant, magnis clamoribus implorantes. *Trig. l. 5. Martyr. Iap. in ſupplem. p. 625.* Apud alium ejuſdem ordinis ſcriptorem Petrus neſcio quis Vaxiquenſis apud Iapones, cum domum repentino incendio conflagrantem videret, fruſtra tentatis quæcumque opis humanæ erant, *ad divinam* (ſic enim iſti loquuntur) confugit, vt Chriſti in cruce pendentis imaginem arreptam, ac in tectum delatam furenti igni obiicit; Ignis Salvatoris effigiem reveritus, dimiſſa hac domo in aliam ſtatim partem impetum convertit. *Sol. Iapon. l. 17. c. 5. p. 501.* Sic apud tertium haudquaquam inferioris fidei auctorem tabula quædam, in qua Trinitas erat depicta, vna cum Xaverij de geniculis adorantis imagine, Culani apud Indos ipſo Natalis Dominici die expoſita, incendium forte coortum magna omnium admiratione repente ſiſtit, ac reprimit. *Iarric. in Ind. l. 6. c. 17. p. 714.* Nos anno ſuperiore, qui Domini erat 1656. ſimile miraculum Avenione contigiſſe nuper ex actis Hebdomadariis didicimus, quæ hic typis excuſa publicari mos eſt, cum in illa civitate Decembri menſe Recollectorum ſodalium cœnobium ignis corripuiſſet, jamque eam partem, in qua fratres dormire conſueverant, totam abſumpſiſſet, Papæ Legatum, qui Avenionenſem ditionem regit, ſubito vnà cum quatuordecim Ieſuitis re cognita accurriſſe, cumque alia quam divina ope ab exitio ſervari poſſe monaſterium deſperaret, ſacram Euchariſtiam afferri juſſiſſe; eam conſpectam immanem incendij vim ſtatim ſcilicet coërcuiſſe, ac ne flammæ voraces quicquam vltra popularentur, ſubito cunctis ſtupentibus, effeciſſe. *Gazetes du 27. Ianv. 1657.* Neque ſacræ iſtorum imagines alia tantummodo, ſed ſe ipſas quoque ab igne illæſas ſervare dicuntur. Quale illud eſt quod apud eos legimus, cum in Xequi Iaponici maris inſula pij cujuſdam viri domus repentino incendio correpta tota penitus conflagraſſet, nihil iſtum in tanta rerum ſuarum jactura deſideraſſe acrius, quam Divæ Virginis in fano domeſtico conſecratam imaginem; itaque diligenter ſcrutatum eſſe omnes infœlicis domus reliquias; cum ecce eam in mediis cinerum acervis delitеſcere tam integram, quam ſi ab igne intacta fuiſſet, tandem animadvertit, admiratione an gaudio majori, incertum; *Sol. Iapon. l. 10. c. 8. §. 61.* Et in miſerabili Ozacæ vrbis apud Iapones nobiliſſimæ excidio; cum omnibus ferro flammaque abſumptis nihil integrum ſupereſſet, à militibus in ruinis inventas eſſe aliquot in carta expreſſas Ignatij, & Xaverij & Ieſu infantis imagines; quas ignis erat tam ſapienti religione reveritus, vt extremis quidem cartæ oris, qua pura, & penicilli expers erat, haudquaquam peperciſſe: media vero ſpatia in quibus ſacri Divorum vultus depicti radiabant, plane inviolata dimiſiſſe noſcere- *Trig. Iapon. Martyr. l. 5. c. 18. p. 581. & Ann. Iap. a. 1615. 1616. p. 75.*

N tur.

CAPVT X.

Sol. Iapon. l. 20. c. 29. p. 1019.

tur. Idem alibi quoque accidiſſe tradunt in Bungenſi regno, cum hominis Chriſtiani domus incendio conſumpta fuiſſet, repertas inter cineres tres Divorum papyraceas imagines, tabellis ligneis glutine adhærentes, & ex roſariis, ſi qua benedicta fuerant, alia omnia arſiſſe; ſolis ſacris ignem peperciſſe. Sed non adverſus vnum ignem valere ſuam hanc in Divos religionem volunt Ieſuitæ; jactant parem ejus in cæteras quoque naturæ partes efficaciam. Tradunt enim cum

Relat. Froeſ. a. 1593. p. 122.

Ochino fama ingens, regno Bungenſi villa, terræmotu quaſſaretur, eaque clade multi mortales miſerabiliter abſorberentur, Blaſium quemdam cum tota familia evaſiſſe, Ieſu & Mariæ nomina invocantem.

Froeſ. relat. a. 1596. p. 194.

Fuiſſe & apud ſuos quandam ex Papæ diſciplina piam mulierem, quæ vermium peſtem vicinorum agros longe lateque depopulantem, à ſuis averterit certo orationum penſo Divæ Virgini promiſſo, & perſoluto: Fuiſſe claſſem, & quidem quod magis mireris, piratarum,

Iarric Ind. l. 4. c. 2. p. 392.

quæ duce Andradio, invocato ejuſdem Divæ auxilio, magnas Sinarum infeſtis in ſe animis, teliſque irruentium copias eluſit, paratumque exitium magno miraculo effugit. Denique & in iiſdem libris reperire eſt, qui filiolum neſcioquo caſu ex ſuis ædibus elapſum, dieſque complures deſideratum, lætus nec opinato recuperavit, cum eum Ieſuitæ cujuſdam *conſilio atque authoritate* Divæ imprimis Virgini, ſed Angelo cuſtodi, & D. Antonio Paduano commendaviſſet. Sed nuſquam iſti plura hujus generis nobis pandunt, quam vel in valetudinibus hominum curandis, vel in dæmonibus expellendis. In illo quidem novo, ac Ieſuitico Iaponum, & Sinarum & aliorum barbarorum Chriſtianiſmo rarus eſt æger, qui aliter quam his miraculis convaleſcat.

Ep. Iap. l. 3. p. 783 A. B. C.

Apud eos Hexandonus, arcis in Iaponia munitiſſimæ regulus, deſperata jam valetudine; aliique ægroti complures mirabiliter ſanantur impoſito eorum corporibus quodam libello, in quo litaniæ, aliæque precandi formulæ, Xaverij olim dum viveret, manu deſcriptæ fuerant;

Ann. Goa. a. 1619. p. 11.

Ibidem huius Hexandoni vxorem Xaverij flagellum morbo graviſſimo liberat; quo minus mirandum eſt, quod Goæ quemdam ex Loyolæ ſodalitio adoleſcentem, plane profligatæ valetudinis, Xaverij ejuſdem interula, capiti, & ori decumbentis admota, ſtatim curato morbo ſanum apud eoſdem repræſentet; quodque ejuſdem reliquiæ anum quandam ex agro Salſetano, ejus oſculo à Ieſuita neſcio quo admotę, cunctis ad miraculum exclamantibus ſubito ſanaverint, cum morbo ſic antea fracta atque debilitata eſſet, vt ne ad confitenda quidem peccata vocem emittere quiret.

ibid. p. 214.

Sol. Iap. l. 15. c. 2. & Ann. Iap. a. 16. 4. p. 62.

Ignatij vero Loyolæ reliquiæ tantam habent, tamque divinam apud iſtos vim, vt nudum eius nomen chartulæ, olim ab ipſo dum viveret, inſcriptum mulierem Iaponiam graviter laborantem in ejus collum à confeſſario injectum ſtatim liberaverit, ſi qua viri diſcipulis fides: idemque effecerit in muliere quadam Cocincinenſi ex ejus collo à Ieſuita ſuſpenſum. Sed & aliam quandam mulierem tradunt vi morbi vehementer afflictam

Relat. Coc. a. 1621. p. 134.

ſubito

ſubito eſſe recreatam, & vocem cujus vſum amiſerat, recepiſſe cum Caput
Ieſuitæ beneficio, ejuſdem Divi & reliquiarum neſcio quid tetigiſſet, X.
& iconem eſſet oſculata; & quemdam gravi & repentino morbo, *Sol. vb. ſu-*
alium vero acutiſſimis doloribus earundem reliquiarum contactu eſſe *prà.*
liberatos: & in Braſilia, diverſiſſima orbis parte, adoleſcentem fuiſſe, *Ann. Iap. a.*
qui cum apoſtemate in ipſa gula oborto graviter vrgeretur, jamque *1604. p. 78.*
in eo res eſſet, vt id medici ferro aperirent, Ieſuitam in tali diſcri- *91.*
mine poſitus accerſeret. Hunc veniſſe, & Patris Anchiotæ reliquias *Ann. Braſil.*
attuliſſe (is & ipſe quoque Ieſuita fuerat magna cum ſanctitatis fama *a. 1621. p. 157*
ibidem mortuus) & cum adoleſcens eas reliquias gulæ ſuæ impo-
ſuiſſet, humorem ſubito omnem evanuiſſe; quanquam hujus quidem
miraculi gloriam inſecuta paucis poſt diebus mors adoleſcentis ali-
quantulum corrupit. Quin & puerulum quemdam tradunt, ſed ex *Sol. Iap. l. 8. c.*
Iaponum genere, cum ex turri præceps cecidiſſet, & ex eo caſu totos *5. p. 44.*
ſex dies humi jacuiſſet, ſextoque demum die exanimis repertus eſſet, à
quodam Ieſuita injecto in ejus collum reliquiario ad vitam fuiſſe re-
vocatum. Neque vero Latini noſtri ſolis reliquiis hanç in morbos, &
in alia corporis mala vim tribuunt; ſæpe apud eos cernuntur vel ima-
gines, vel nudæ Divorum invocationes ſimilia miracula operari, vt
cum in Braſilia puella quædam à Beata Virgine ſanitatem, quam apud *Indi Iarric.*
Divæ imaginem proſtrata ſuppliciter depoſcebat ſtatim impetraſſe *l. 3. c. 30. p.*
dicitur; & cum Michaël Camus Sina Paulum ſuum amicum & col- *345.*
legam morbo in vrbe Cantone oppreſſum & ad Divæ Virginis opem *Relat. Sin. a.*
toto pectore confugientem adjuvans ante ſacram imaginem duos ce- *621 p. 287.*
reos accendit, thuraque & odores adolevit, & poſitis ipſe genibus
duas horas ſupplex pro eo oravit. Ita puellam quandam Ximebaren-
ſem gravi morbo afflictam apud hos ſcriptores erigit ac ſanat ejuſdem
Divæ imago, à lecto cui erat affixa, ſeſe moliri, & ad mulieris pectus *Sol. Iap. l. 10.*
allabi viſa; cum ipſa quidem ante hanc, mater verò ante aliam Domi- *c. 8. §. 65.*
ni effigiem ſupplices totam noctem proſtratæ oraſſent: Omuranum
vero civem morbo ad vltima redactum ſubito inviſiſſe tres vultus *Relat. Freeſ.*
ignoti viros, cæterum pretioſa veſte conſpicuos (Angelos vtputo, *a. D. 1596. p.*
volunt intelligi) ingentem Chriſti imaginem manibus geſtantes; ea- *219.*
que ad murum depoſita genibus nixos oraſſe; ac tum quidem diſ-
ceſſiſſe; ſed biduo ſequenti eadem redeuntes iteraſſe; ſic ægrotum
morbo tandem plane liberaſſe. Alius alibi ægrotantē Filium curat cōſi-
mili medicina; quem cum ſeptē diebus ante ſacrā Divę miſericordiarū *Sol. Iapon. l.*
matris (vt iſti loquuntur) imaginem portaſſet, ac depoſuiſſet, ſanum *13. c. 15. p. 213.*
poſtremo ac valentem recepit. Et Cunabenſis apud Iapones civis gra- *Ann. Iap. a.*
viſſime ægrotans comprehendit imaginem Chriſti orantis in horto, *1605. p. 189.*
quam Domi habebat, eamque capite impoſuit, atque illico (ſi narran-
tibus Ieſuitis credimus) integræ valetudini redditus eſt. Alius iti- *Ann. Iap. a.*
dem filiam ægrotantem ſanat, cum in genua ante ſacram imaginem *1610 p. 81.*
procidens roſarij preculas recitaſſet. Ignatii vero imago iiſdem au-

CAPVT X.

porrectas illius Divi reliquias de collo ſuſpendiſſet, partu ſtatim, & quidem fœliciter fuiſſe levatam; duas item alias mulieres periculo in quo verſabantur, ereptas, obſtetricante, vt ſic dicam, quodam Ieſuita, & Ignatij ſui reliquias in earum colla iniiciente; Quin & hujus Divi imagines mulieribus non paucis in eódem diſcrimine conſtitutis ſalutares fuiſſe; vt Sinæ cujuſdam hominis Chriſtiani vxori;* vt alij in Iaponia matronæ, peccatis paulò ante, cum partum inſtare intelligeret, rite per confeſſionem purgatæ; vt cuidam in India mulieri, quæ fœtu in vtero extincto fœliciter levata eſt; cum porrectam à Brachmana quadam matrona Ignatij imaginem contigiſſet; vt in Æthiopia denique nobili cuidam adoleſcentulæ, quæ cruciatus graviſſimos perpeſſa, cum ab Almeida Ieſuita oblatam ejuſdem Divi imaginem accepiſſet, elegantiſſimum puerum ſedatis illico doloribus fœliciſſime enixa eſt; eique nomen Ignatij in tanti beneficij memoriam impoſuit. Quid? quod etiam Paganis puerperis nonnunquam profuit Ignatianas icones contingere? Certe narrant Sinæ illius, de quo diximus, vxorem, imaginem, cujus vim ipſa experta erat, ad amicam quandam ſuam, ſed Paganam, in ſimili diſcrimine verſantem attuliſſe, ejuſque corpori impoſuiſſe; primò quidem nullo fructu; ſed mox fœliciſſimo ſucceſſu, cum imago iterum eſſet admota, purgato prius idolis cubiculo; quæ ſcilicet prudens mulier intellexerat vim illam ignatianæ imaginis beneficam, ac ſalutarem ſuis veluti venenis dum ibidem adeſſent, fixiſſe, ac repreſſiſſe. Idem quoque apud Iaponas ſacra Divæ Virginis effigies in muliere Pagana præſtiterat; quæ Chriſtiano militi nupta, cum in partu periclitaretur, eaque imagine ſuo capiti à viro impoſita, monita eſſet ſe Dominæ commendare; Fecit & liberata eſt. Denique & cruci nonnihil in iſtis negotij eſſe iidem teſtantur, dum alibi tradunt parturientem Æthiopici Viceregis ſororem, cum à fratre acceptum exiguum crucis ſignum, & reliquiarum nonnihil collo ſuo injeciſſet, filium nullo dolore fœliciter edidiſſe. Sed nunc ea quoque hujus generis miracula attingamus, quæ Latini facta memorant ad purganda vel corpora, vel loca, quæ à Dæmonibus occupata inſidebantur. Loca dico; Narrant enim brevi cruce cum reliquiis à Ieſuita neſcio quo accepta, & in hunc vſum adhibita, domum vnius è ſuis apud Iapones neophytis à dæmonibus, qui eam hactenus infeſtam habuerant, plane fuiſſe liberatam; apud Sinas Iacobum item, magnum ſuæ diſciplinæ zelotem, cum in ædes quaſdam dæmonum turbis, & illuſionibus obnoxias fidei armis, & Salvatoris imagine inſtructus veniſſet, exturbatis primum idolis, quæ iſtic proſtabant, iiſque ſuffecto Chriſti ſimulacro, expiata per aquam luſtralem domo, mox dæmonia inde adjectis precibus ejeciſſe: Adoleſcentem ex idolorum templo, in quo pernoctare ſolebat, ſpectra effugaſſe, iſtic locata Divæ Virginis imagine; Item alium ex ſua diſciplina Iaponem, quamdam Maſſemanæ domum ingreſſum dæmonibus vſque

Trig. Marty. Iap l. 5. c. 15. p. 559

Ann. Iap. a. 1605. p. 234.

**Ann. Sinic. 1619. p. 53.*

Ann. Iap. a. 1614. p. 412.

vid. Sol. in Iap. l. 16. c. 3. p. 4 4.

Ann. Goa. a. 1628. 1629. p. 101.

Ann Æthiop. a. 1626. p. 87.

Ann. Sini. a. 1619. p. 54.

Relat. Froeſ. a. 59 . p. 290.

Ann. d'Ethiop. 1624. p. 55.

Sol. Iap. l. 18. c. p. 664. & Trig. Marty. Iap. ſupplem. p. 625.

Ann. Sin. a. 1619. p. 90. 91. 92.

Trig. Marty. Iap. l. 3. c. 18 p. 332.

Ann. Iapon. 1617. 1618. p. 352.

CAPVT X.

adeo obnoxiam, vt lapidarentur ſi qui eam incolerent, imaginem Deiparæ clavo affixiſſe parieti; eo domum ab omni illa dæmonum vexatione liberam deinceps fuiſſe: In Indiis ædes eodem malo vi illa- *Iarric Indi. l. 2. c. 13. p. 444.* ti in eas crucifixi liberatas; mox cum ſacra imago, inde in Eccleſiam relata eſſet, dæmoniis ſtatim in priſtinas ſedes redeuntibus, etiam acerbius quam antea fuiſſe vexatas; neque aliter purgari potuiſſe, quam reſtituto, ibique relicto illo Chriſti patientis ſimulacro. Denique in Æthiopia, cum Azagæ, hoc eſt Secretarij Regij, palatium hujuſmodi ſpectrorum ac dæmoniorum vexationibus infeſtaretur, eo il- *Ann. Æthiop. a. 1624. l. 25. p. 20.* lato à Patre Ieſuita Ignatij ſimulacro, omnem deinceps ceſſaſſe tumultum atque vexationem. Iam ex hominibus ipſis quam ſæpe commemorant ejectos his miraculis dæmonas! Narrant à viro quodam *Sol. l. 6. §. 60. & ann. Iap. a. 1576. p. 13. B. 14. A. Sol. l. 16 c. 3. p. 416.* Iapone, & ancillam, & alios complures mortales, reliquiis eorum capiti impoſitis, inſperſaque aqua luſtrali malignis iſtis ſpiritibus fuiſſe purgatos; & alibi quemdam ſuæ communionis hominem dæmonio, à quo vexabatur, mirabiliter fuiſſe liberatum per exorciſmos, & reliquiarium ex ejus collo ſuſpenſum; & anno D. 1582. Regis Bungenſis *Annal. Iap. 1576. p. 48.* apud Iapones affinem, & in regno Yu, quod in iiſdem inſulis ſitum eſt, decem, an duodecim dæmoniacos iiſdem artibus fuiſſe curatos; ibidemque dæmonem ejus mulieris corpori, cui inſiderat, impoſito reliquiario, coactum fuiſſe ad ea quæ ipſi interrogabant, reſpondere; *ibid. p. 49. Relat. Iapon. a. 1596. p. 156.* & anno D. 1596. Tæquemiæ à quodam ſui generis Chriſtiano liberatum eſſe dæmoniacum orationibus & diſciplinis, reliquiarum theca collo ejus adhibita; eademque ratione ejectum fuiſſe dæmonem ex *ibid. p. 167.* Bungenſi quodam cive, & eo quidem, vt ex Ieſuitica diſciplina videtur, jure dæmoniaco: quem ſcilicet dæmon ideo invaſerat, quod perſecutionis metu non aperte, vt antea, ſed clam tantum geſtaret globulos illos precatorios, ſine quibus neminem fere iſti bene Chriſtianum cenſent. Alibi quoque referunt mulierem quandam, ni fal- *ibid. p. 307.* lor, Ozacenſem plane eodem modo fuiſſe dęmonio liberatam. Anno *Sol. Iap. l. 16. c. 3. p. 416.* vero 1606. quemdam Ieſuiticę communionis Iaponem, cum & ipſe à dæmone vexaretur, injectis ſimiliter in ejus collum reliquiis vexari deſiiſſe; Anno 1621. famulum quemdam, quem ſpectrum neſcio quod *Ann. Ind. a. 1621. p. 350.* miris modis, variiſque terroribus agitabat, illa omni moleſtia fuiſſe levatum, cum ex arca lignea, in qua Xaverij corpus quadraginta annos jacuerat, fragmentum collo ſuo alligaſſet; Ac vt intelligas, non fortuito, ſed certa Xaverij providentia id accidiſſe, cum iſte reliquias, vbi ſe levatum ſenſit, ſolviſſet, & amotas poſuiſſet, rediiſſe ex templo dæmonium; Ieſuitam vero, ad quem ſubito malo turbatus confugerat, hominem increpuiſſe, qui res ſacras tam parvi faceret, juſſiſſeque vt eas ſecum haberet ſemper, ac geſtaret, ſi ſalvus eſſe vellet, & à dæmonis ludibrio immunis; & cum ille huic conſilio eſſet obſequutus, rem deinceps ex vero ſucceſſiſſe. Neque id videtur omittendum, quod iidem de Daifacho quodam Iapone, ſuo conſectaneo tradunt

dunt; cum dæmon Vulpis effigie ac forma (quod apud Iapones cre- CAPUT
brum ac vulgare eſſe docent) noctu in eo cubiculo, in quo dormiebat X.
Daifachus, ejus expavefaciendi ac vexandi cauſa multum curſitaſſet, *Annal. Iap.*
& ſaltaſſet, poſtremo peſſimam beſtiam ad lectum, in quo homo ja- *1605. p. 290.*
cebat, propius acceſſiſſe; ſed ſuſpenſo ex lecto reliquiario illudere
parentem, capite in ejus funiculum inſerto ac implicato repente hæ-
ſiſſe; captam ſcilicet, vt murem in pice, in viſco alaudam, vel in la-
queo leporem. Neque vero illi imagines in hoc genere tacent, Tri-
gautius docet vnum de ſuis à Pagano quodam Patrefamilias Sina ac- *Trig. Singe. l. 5. c. 17.*
cerſitum; quo filiam virginem à dæmone vexatam liberaret, veniſſe,
& Chriſti ſervatoris imaginem, & venerandum Ieſu nomen detuliſſe,
& ex ara dæmonum ſimulacra extruxiſſe, denique ad quod fuerat quæ-
ſitus, id perfeciſſe. Idem, ſed in alio opere, narrat, cum ſenem quem- *Trig. Mar-*
dam Iaponem malignus Spiritus invaſiſſet, primo ejus manibus, mox *tyr. Iap. l. 5.*
& dextro humero impoſitum fuiſſe *Agnum Dei*; ſed adeo non pro- *c. 13. p. 560.*
fuiſſe, vt inde etiam acrius atque dirius vexatus fuerit. *Cum ergo*
(inquit) *cerneret Catechetes nihil hæc omnia juvare, ex quodam libello*
ſuo Patris noſtri ſancti Ignatij imaginem promit; eam energumeni fronti
imponit; & dæmonem jubet nomen ſuum edere. Is reſpondet ſe in eorum
Diabolorum cenſu haberi, qui canes ruffi *nominantur*; & hæc loqu-
tus tandem exceſſit. Hæc iſti; in quibus fortaſſe quis mirabitur, quod
quantum Ignatij Loyolæ imago effecit, tantum efficere nequiverit
Agnus Dei; quem ego Domini Chriſti ſimulacrum eſſe, tametſi ſym-
bolicum, credebam. Certe & alij narrant alium item Iaponem Chri- *Sol. Iap. l. 4. c.*
ſtianum, qui horrenda neſcio qua viſione vexabatur, non aliter fuiſſe *7. p. 275. &*
à Ieſuitis curatum, quam tradita ei in manus Divi illius ſui Ignatij ima- *Ann. Iap. a.*
gine. Alius, ſed ejuſdem ordinis, fabellas hujus geminas, habet duas; *1603. p. 75.*
priorem de puella quadam Pagana in caſtello neſcio quo prope Nàn- *Ann. Sinic. a. 1520. p.*
cianum habitante, quam homo Chriſtianus dæmoniis purgavit, cum *153.*
idola, quæ in ejus domo colebantur, ſuis ſedibus detracta, combuſ-
ſiſſet, & in eorum locum Chriſti Servatoris ſimulacrum intuliſſet. *ibid. p. 155.*
Altera narratio plane ejuſdem ingenij eſt, mercatorem Sinam, vt fi-
liam eodem malo laborantem curaret, idola prius, ex ædibus ſuis eje-
ciſſe, acceptamque à Ieſuita Servatoris noſtri imaginem loco hone-
ſto poſuiſſe; ita fugatum Diabolum. Sed in aliis iſtorum annalibus *Iarric. Ind. l.*
extat mulierem Ethnicam apud eoſdem Sinas à dæmone vexatam, Ie- *6. c. 55. p. 106.*
ſuitas ſic curaviſſe vt libellum doctrinæ Chriſtianæ ſuum ei diſcendum
darent; tum I E S V nomen charta impreſſum, & Domini noſtri ima-
ginem congruo loco reponerent; his rite conſtitutis Diabolum ne-
gant in illas ædes poſtea ingredi auſum. Recentiſſimi Annales de cru-
ce paria quoque tradunt; Staniſlaum Ieſuitam cruce quam ſecum *Relat. Mo-*
ſemper geſtabat, Capitaneo cuidam Sinigarenſis regni, applicata *rase. a. 1649.*
hominem maleficio, quo vexabatur, è veſtigio liberaſſe. Sed de cruce *p. 18.*
nihil opus eſt plura addere, cujus præcipuam in hoc genere, ac pœne
propriam

CAPVT X.

Relat. Froeſ. a. 1596. p. 166.

propriam vim apud Latinos eſſe nemo neſcit. Nonnullos quoque tametſi tarius, abſque reliquiis, imaginibus, & cruce, ſola Divorum invocatione dæmonum poteſtati ereptos apud iſtos legimus; vt illos verbi gratia dæmoniacos, quos complures Taquemiæ apud Iapones anno D. 1596. curatos narrant recitata oratione Dominica & ſalutatione ad Divam Virginem Angelica. Atque hæc quidem recentiores Latini de hoc miraculorum genere ſuo cultui conſentanea memorant in hiſtoriis novarum Eccleſiarum, quas apud gentes vel infideles, vel ſchiſmaticas hic centum retro annis à ſe conditas jactant.

Nunc videamus an aliquid horum geminum apud vetuſtiſſimos Chriſtianos occurrat in veris certiſque eorum monumentis, quæ tribus primis ſæculis ſcripta ad nos vſque pervenerunt. Iam hoc imprimis clarum confeſſumque eſt nullum illius memoriæ volumen extare Lipſianis de vtraque illa Hallenſi & Aſpricolli Virgine commentariis ſimile. Quid mi inquam? Non enim quiſquam credo cauſabitur nullos illa ſæcula apud nos peperiſſe Lipſij pares Scriptores. Si eruditionem ſpectes, ac facundiam, veteres, qui ſuos, vt cæteros taceam, Minutios & Tertullianos, & Clementes, & Origenes habuerunt, Lipſio immenſis pæne ſpatiis antiſtabant. Si pietatem, & divinæ gloriæ ſtudium intueamur, injuriam veteribus fecero, ſi Lipſium hac in parte cum illis comparavero. Cur ergo nihil ſimile commentati ſunt? In promptu cauſa eſt: Nihil ſcilicet hujus generis habebant, de quo ſcriberent; quod ſi habuiſſent, de eo profecto *ſcribi decere* non minus erant judicaturi, quam Lipſius, qui res hujuſmodi *decere ſcribere* multis argumētis in poſterioris operis præfatione probat. Sed neq; ſcriptores Legendarios illis, vt primis, ita fœliciſſimis tēporibus vllos reperias, quales Latini ſunt his fere mercibus abundantes. Cypriani quidem & vitam & martyrium non indiligenter ſcripſit Pontius ejus diſcipulus ac Diaconus. Sed nullum iſtic à martyris, vel reliquiis, vel imagine; nullum ad ejus invocationem fit miraculum. Nullum ipſe dum viveret vel morbum cruce ægrotanti impoſita curaſſe, vel incendium Euchariſtia oſtentata reſtinxiſſe dicitur. Hiſtoriam vero naſcentis in orbe Chriſtianiſmi apud Lucam in Apoſtolorum actis habemus. Sed nullum in toto libro de quintuplici hoc genere miraculum apparet, quo nunc Ieſuitiſmi apud Indos, Iapones, Sinas, & Æthiopas origines ſcatent. Ne vetuſtiſſimorum quidem epiſcoporum qui ad decimæ perſecutionis finem, Romæ ſederunt, breviter vitæ eo volumine traditæ, quod vulgo tametſi perperam, *Damaſi Pontificale* inſcribitur, quicquam hujuſmodi exhibent. Imo ne ipſe quidem Euſebius in hiſtoriæ Eccleſiaſticę libris decem, tametſi eos poſt editum Chronicon ſcriptos conſtet. Conſtantino, vt videtur, vel jam mortuo, vel certe vltimos vitæ annos agente, circa annum D. 336. vllum memorat miraculum, quod ad hoc à Latinis celebratum

Lipſ. Div. Aſpric. c. 2.

Vid. Hiſt. l. 1. c. 3.

CAPVT X.

bratum genus certo pertineat. Denique vetuſtiſſimi illi ſcriptores Chriſtianiſmi veritatem à miraculis interdum probant, vt Paulus cum ſcribit *ſalutem per Dominum enarrari cœptam confirmatam eſſe conteſtante Deo ſignis, & portentis & variis virtutibus, & Spiritus Sancti diſtributionibus ſecundum ſuam voluntatem.* Idem ad Romanos ſcribens, vbi extollit quæ per ſe Chriſtus effeciſſet ad obedientiam Gentium *virtutem ſignorum & prodigiorum* memorat, quæ à ſe Evangelium prædicante, erant edita. Sic quoque Irenæus hæreticorum prçſtigiis ea, quæ apud Orthodoxos mira Dei dono fiebant, ad Eccleſiæ veritatem demonſtrandam opponit, & Origenes *ad commendandam*, vt ipſe loquitur, *divinam Ieſu doctrinam*, βουλόμενος συνιςάνειν τὴν Ἰησοῦ θείαν διδασκαλίαν, ea miracula memorat, quæ & ab Apoſtolis olim, & à Chriſtianis ſuo tempore fiebant. Sed quæ in eodem argumento ex Antonino & aliis ſuæ communionis ſcriptoribus Bellarminum attuliſſe diximus facta ad Divorum invocationem, & reliquias, & alia ejuſdem generis miracula, eorum ne tenuiſſimum quidem extat vel apud Paulum, vel apud Irenæum, & Origenem veſtigium. Enimvero quid pluribus opus eſt? Nulla hujus generis miracula in veris primi ad Conſtantinum vſque Chriſtianiſmi libris reperiri, vel ipſa fatetur Bellarmini de toto hoc loco diſputatio. Nullius enim hujuſmodi exemplum vel alioqui diligentiſſimus attuliſſe deprehenditur; quoties hoc argumentum tractavit. Ac primo quidem dum ſuæ Eccleſiæ veritatem ex iis miraculis quæ ſingulis ſæculis acciderunt, aſtruere conatur, ex primo ſæculo Chriſti & Apoſtolorum in Evangeliis & Actis miracula memorat; ex ſecundo, id quod plærique veteres referunt Chriſtianos, qui in exercitu Marci Auguſti militabant, pluviam miraculoſam à Deo ſuis precibus impetraviſſe; ex tertio denique Gregorij Neocæſarienſis à Nyſſeno mandata litteris miracula. Atqui ne vnum quidem in his omnibus ex eo genere reperire eſt, de quo nunc quærimus, & per ſe conſtat; & cuivis libros à Bellarmino laudatos legenti perſpicuum fiet. Sed alibi etiam vbi ex miraculis ad reliquias editis demonſtrare vult eas cultum religioſum mereri: nullum ad eam rem auctorem citat Baſilio & Chryſoſtomo & Palladio vetuſtiorem, quos præcipiti jam quarto ſæculo vixiſſe notum eſt.* Tertio in alia diſputationum ſuarum parte, vbi Sanctos eſſe invocandos ex miraculis ad eorum invocationem factis argumentatur, nullum hujuſmodi miraculorum teſtem edit Ambroſio & Auguſtino antiquiorem: quorũ ille exeunte quarto ſęculo, hic ineunte quinto floruit.† Quartò. Sed & alibi vbi adorandas eſſe imagines ſacras ex eo pugnat, quod miracula per imagines edita fuerint: Euſebium primum omnium ejus rei teſtem adducit; ᵡ quem conſtat anno demum quarti ſæculi quadrageſimo vivere deſiiſſe; quanquam ne ex ejus quidem teſtimonio

Heb. 2. 3. 4.

Rom 15. 19

Iren l. 2. adverſ. hæret. c. 57.

Orig. lib 1 contr. Celſ. p. 35.

Bell. l. 4. de Eccl. c. 4. §. Proderit. §. ſecundo. §. Tertio.

De ſecundo ſæculo citat Tertull. ad Scap. & Apolog. c. 5 Euſeb. l. 5. Hiſt. c 5. Oroſ. l. 7. c. 15. Epiſt. Marci in Iuſtin. De tertio vero ſæculo Baſi. de Sp. S. c. 29 Grego. Nyſſe. in vita Gregor. Thaumat. Hieron. de vir. illuſt. & Ruff. l. 7. c. 25 hiſt. Euſeb. Lat.

** Bellar. l. 2. beati. §. Accedunt poſtremo.* *c. 3. de reliqui. §. Quarto. §. Sanctus Baſilius, & ſeqq.* † *Idem l. 1. c. 19. de Sanct.* ᵡ *Id. lib. 2. c. 12. de Sanct. imag. §. Ridicula eſt.*

O cerro

CAPUT X.

certo vinci poſſit factum apud veteres vllum per imagines miraculum; vt alibi demonſtravimus, & in hoc opere poſtea ſuo loco obſervabimus. Deniq; vbi figuras crucis ligneas & ex alia aliqua materia factas religioſe colendas ex miraculis ab iis factis contendit, nullum hujuſmodi miraculorum teſtem habet Beda antiquiorem; quem ſcimus anno octavi ſæculi XXXV. donatum eſſe. φ Ipſam vero Domini crucem nulla ante quartum ſæculum miracula feciſſe inde conſtat, quod ea alta terra defoſſa toto illo tempore latuerit, neque inde niſi Conſtantino demum imperante, eruta fuerit, vt omnes Latini tradunt, & ipſe inter cæteros Bellarminus in hac ipſa diſputatione. Atque hoc quidem Bellarmini tam conſtans in hoc argumento ſilentium arguit nullum iſti lectum vel auditum apud veros certoſque primi Chriſtianiſmi ſcriptores hujus generis miraculum; qui ſi aliquod vnquam vel ipſe animadvertiſſet, vel ab aliis animadverſum audiviſſet, nunquam profecto id talibus locis omiſſurus erat; vnde quivis certo concludere poteſt nullam revera hujus modi miraculorum mentionem apud illos ſcriptores occurrere; quæ ſi qua apud illos extaret, Bellarminũ & cæteros, quos ipſe audierat ac legerat Latinos ſuę hujus cauſæ defenſores omnis antiquitatis ſcrutatores curioſiſſimos latere non potuiſſet. Quid enim iſtos, quod apud Patres ad rem ſuam extet, fugiat, qui nimio cauſæ ſtudio corrupti etiam ea in veterum libris interdum ſe cernere ac reperire putant, quæ apud eos nulla revera extant? Denique ex eo quod nullam vetuſtiſſimi Chriſtiani horum miraculorum mentionem fecerint, conſtare nobis debet nulla tum hujus generis apud Eccleſiam edita fuiſſe; vnde porro id quod initio conſtituimus clare conſequitur nondum illis temporibus cognitũ vel vſitatum fuiſſe apud noſtros religioſum rerum illarum cultum, quarum Latini hodie tam multa miracula celebrant. Sed quanquam hæc fortaſſe ad id quod inſtituimus probandum ſufficiant, ne tamen vna illa tacita adverſarij conceſſione niti videamur, age paulò diligentius veteres primorum Chriſtianorum libros excutiamus. Primus ejus generis eſt aureus Lucæ de Apoſtolorum Actis commentarius; quo nemo negaverit omnem Eccleſiaſticæ propagationis, & adminiſtrationis formam contineri decuiſſe. Atqui cum ille plurima à Chriſti Domini Apoſtolis edita miracula exhibeat plane nullum hujus generis memorat, quo plena eſſe demonſtravimus omnia Indicorum, Iaponicorum, & Sinenſium de Ignatij familia Apoſtolorum acta. Stephanum iſtic Lucas ſancte fateor ac verecunde & graviter, ſed tamen luculentiſſime commendavit; ejus de fide cum Iudæis certamina narravit, *neque prodigia & magna ſigna* tacuit, quæ in populo faciebat, & orationem ab eo apud Pontificis concilium habitam, totam deſcripſit, ac veluti cœleſtes quaſdam ſancti viri reliquias, nobis in ſacris codicibus conſignavit, agonem inde vltimum mortui poſtremo funus tradidit. Miracula vel à vivente per Divorum imagines aut invocationem

φ *Id. ibi. c. 28. §. præter hæc. Id. ibid c. 27. §. ſecundo quod Deus.*

Act. 6. 8. 9. Act. 7. 2. 3. & ſeqq. & 7. 57. 58. 59.

-tionem, vel à mortuo per reliquias ſuas facta nulla commemoravit. CAPVT X.
Narrat idem ſcriptor Philippum Samariam paulò poſt veniſſe, ibi Chriſtum prædicaſſe & ſigna feciſſe; dæmoniacos multos ſpiritibus immundis liberaſſe; paralyticos & claudos curaſſe. Petrus in ſequentibus Æneam Lyddæ ab annis octo in grabbato jacentem erigit; Tabitham Ioppe mortuam reſuſcitat; Paulus Lyſtris homini ab vtero matris ſuæ claudo pedum vſum ac firmitatem ſic reſtituit, vt exſiliret, & ambularet, & Epheſi tum languidos, tum energumenos non paucos liberat, & Eutychum Troade de tertio cœnaculo præcipitatum revocat ad vitam; apud Melitam poſtremo patrem Publij ex dyſenteria & febribus decumbentem ſanat, cæteroſque ex tota inſula variis infirmitatibus laborantes curat. Nemo adhibita cruce vel alicujus Sancti aut imagine, aut reliquiarum particula, aut denique invocatione curatus dicitur. Atqui Stephanus paulò antequam hæc miracula iſti facerent, glorioſiſſimo martyrio erat in Chriſto conſummatus; cujus, vt primi Evangelicæ fidei teſtis & reliquias, & imaginem & nomen ad hæc opera inprimis & adhiberi, & adhibita legi totius Eccleſiæ intererat; quo martyrum apud eam cultus talibus exemplis conſecraretur: ne quid de ipſa Domini cruce dicam. Cur non fecerunt Apoſtoli? Numquid vel ipſi Domino, vel certe fratri ac conſervo ſuo hanc laudem, poſteris vero omnibus hoc exemplum inviderunt? Sed hoc de talibus viris ſuſpicari abſurdum eſt atque impium. An Stephani reliquias nullas ſervaverant? Apoſtolicæ ergo diſciplinæ eſt martyrum reliquias, non (quod Latini nunc faciunt) carpere, ſecum geſtare, Romam vel alio portare; ſed compoſitas humo honorifice condere ac in pace dimittere. Sin Apoſtolos vſos quidem reliquiis ad miracula, Lucam vero id tacuiſſe putes; cogita quæſo ſi verum eſſet aliqua ſic facta eſſe miracula; Lucæ vt ea taceret cauſam nullam fuiſſe: vt diceret, fuiſſe, & quidem non vnam, Martyris honorem, Apoſtolicæ modeſtiæ laudem, Eccleſiæ totius ædificationem, Dei & Chriſti gloriam. Neque ei credo ſcribere difficilius fuit vel admotis Stephani mortui reliquiis, aut imagine, vel Chriſti paſſi cruce lignea aut argentea, quam *ſudariis & ſemicinctiis* à Pauli viventis corpore delatis curatos fuiſſe languidos & dæmoniacos. Imò illud ſi verum fuit, omnino decuit dici; veluti magnificentiſſimum divinæ in hoc genere erga noſtros liberalitatis argumentum. Miracula enim à vivis edi aliquanto minus mirabile videtur, quam à mortuis: & hanc vim cum oſſibus, & cineribus, & pulviſculo, imo etiã cum pilis, & vnguibus mortuorũ, & cum ligno, vel ſaxo in crucẽ effigiato, quam cum viventium & ſpirantium hominũ membris, ac rebus cõmunicari majus eſt. Lucas igitur qui hoc dixit, illud quod eſt mirabilius, ſi verum idem fuiſſet, non erat omiſſurus. Omiſit, neque de eo vnum toto libro verbum fecit. Non eſt ergo verum vlla hujus generis miracula à Petro, & Paulo, vel à cæteris Apoſtolis edita fuiſſe,

Act. 8.6.7.8 *Actor.* 9.34.40. *Act.* 14.9. *Act.* 19.11.12. *Act.* 20.9.10. *Act.* 28.8.9. *Act.* 19.12.

CAPVT X.

invocatis Divis vel adhibitis eorum reliquiis aut imaginibus, vel etiam Dominicæ crucis particulis, aut figuris. Eadem fuit Eccleſiæ, quæ Apoſtolis ſucceſſit ratio. Nam vt eſt ab Origene vere jampridem obſervatum, tametſi poſt Apoſtolorum prædicationem miracula pauciora apud Chriſtianos fuerint, non tamen plane defecerunt; *Signa* (inquit) *Spiritus Sancti extiterunt ſub initium Ieſu prædicationis, ſed plura poſt ejus aſſumptionem* (cum Apoſtoli ſcilicet Evangelium per orbem ſparſerunt) *poſtea rurſum* (Apoſtolis nempe, è terra in cœlum receptis) *pauciora* σημεῖα ȝ τ̃ ἁγίε πνεύματος κατ' ἀρχὰς μὲ̀ τῆς ἰησῦ διδασκαλίας μετ' ȝ τὴν ἀνάληψιν αὐτοῦ πλείονα ἐδείκνυτο. ὕστερον ȝ ἐλάττονα.

Orig. contr. Celſ. l. 7. p. 347.

Papias certe, qui non multo poſt Apoſtolos vixit, narrat apud Euſebium, mortuum ſuo tempore ſuſcitatum eſſe, & Iuſtum cognomento Barſabam cum venenum ebibiſſet, nihil inde moleſtiæ perpeſſum. Iiſdem ſub Trajano temporibus Quadratum ipſe Euſebius teſtatur *prophetiæ dono floruiſſe* προφητικοῖς χαρίσμασι διαπρέψαι; & per verbi prædicatores *virtutes permultas admirabiles & miracula divini Spiritus ope ad id vſque temporis geſta fuiſſe*. ἀπὸ τ̃ θείου πνεύματος πλεῖσται παράδοξοι δυνάμεις ἐνήργουν. Sed & Iuſtinus ſub Antoninis (hoc eſt altero Chriſtianiſmi ſæculo jam adulto) perſeveraſſe adhuc apud noſtros miraculorum dona affirmat, *Chriſtique nomine etiam tunc fieri virtutes*, ἀπὸ τ̃ ὀνόματος αὐτοῦ καὶ νῦν γίνεσθαι δυνάμεις; & alibi nominatim memorat prophetiæ dona adhuc inter Chriſtianos vigere; & dæmonia in nomine Ieſu adjurata vinci *, & hæc aliaque chariſmata Dei à Spiritu, & fœminas, & viros habere φ. Quæ alibi omnia in eodem opere breviter ita complectitur; *qui Domini diſciplinam ſuſcipiebant eos à Deo quemque, vt digni ſunt, dona accipere, per nomen Chriſti hujus illuminatos, ſive baptizatos; hunc quidem accipere intelligentiæ Spiritum; illum vero conſilij; alium fortitudinis; alium ſanationis; alium præcognitionis; alium doctrinæ; alium denique timoris Dei*. † ὁ μὲν γὰρ (inquit) λαμβάνει συνέσεως πνεῦμα, ὁ ȝ βουλῆς, ὁ ȝ ἰσχύος, ὁ ȝ ἰάσεως, ὁ ȝ προγνώσεως, ὁ ȝ διδασκαλίας, ὁ ȝ φόβου θεοῦ. Ex quibus liquet *ſanationis*, ἰάσεως, donum adhuc apud noſtros obtinuiſſe; quod Paulus *gratias curationum*, χαρίσματα ἰαμάτων vocat, & inter Eccleſiæ Apoſtolicæ dotes diſerte commemorat; *Numquid omnes gratiam habent curationum?* Sed & Irenæus circa ſecundi ſæculi finem, ſuo adhuc tempore fieri miracula teſtatur; diſerteque reſuſcitatos mortuos aliquot, & dæmoniacos purgatos, & ægrotos ſanatos memorat, & quoſdam prophetiæ & viſionum dono præditos. Tertullianus Irenæo proximus eadem non ſemel tradit; multos à noſtris Ethnicos dæmonibus liberatos, multos valetudinibus remediatos. Origenes itidem tametſi ea dona exſtinctis Apoſtolis apud nos imminuta obſervet, ait tamen ſua adhuc memoria, id eſt anno tertij ſæculi XL. & L. *Spiritus Sancti illius in columba ſpecie ſupra Ieſum viſi, & mirabilium effectoris veſtigia apud Chriſtianos manere; excantari dæmonia, multas ſanationes perfici: quædam de ſuturis*

Euſeb. Hiſt. l. 3. c. 39. p. 31. B. ibid. c. 32. p. 3. B.

Iuſtin. ad verſ. Tryph. 196. l. n. 4.

ibid. p. 247. l. 44.

*ibid. p. 191. 2. p. 243. l. 1. 4. l. 5. p. 254. l. 2.

φibid. p. 246. l. 25.

†ibid. p. 199. l. 48.

1. Cor. 12. 28. 30.

Iren. l. 2. c. 56. & 57.

Tertull. ad. Scap. c. 4.

Orig. contr. Celſ. l. 1. p. 35. & l. 7. p. 347.

futuris Verbi voluntate prævideri. Καὶ ἔτι ἴχνη (inquit) τοῦ ἁγίου ἐκείνου πνεύματος ὀφθέντος ἐν εἴδει περιστερᾶς παρὰ χριστιανοῖς σώζεται, ἐξεπᾴδουσι δαίμονας, καὶ πολλὰς ἰάσεις ἐπιτελοῦσι, καὶ ὁρῶσι τινα κατὰ τὸ βούλημα λόγου περὶ μελλόντων. Et alibi. Sed in opere, quod Latine tantum ſupereſt, *Signorum* Chriſti (inquit) *veſtigia & reliquiæ vel vſque in preſens ſiunt in Eccleſiis in nomine Domini.* Denique & à Gregorio Neocæſarienſi Origenis diſcipulo, facta etiam poſtea fuiſſe miracula, tametſi nemo Scriptorum, qui ex eo ſæculo ſuperſunt, quod equidem meminerim, prodiderit, tanta tamen, tamque conſtans apud poſteros fama fuit, vt ab eorum, quæ edidit, magnitudine, & multitudine, etiam *Thaumaturgi*, id eſt *miraculorum operatoris* cognomentum nactus ſit. Gregorius quidem Nyſſenus, qui centum circiter annis quarto jam adulto ſæculo poſt res eas geſtas floruit, in panegyrico, quo Neocæſarienſis vitam eſt exſecutus, magna orationis pompa deſcribit eum dæmonibus celeberrimum quoddam Paganorum templum incolentibus ſilentium impoſuiſſe, & ſaxum ingens ex loco, in quo jacebat, in alium verbo ſuo tranſtuliſſe, ægrotos morbis liberaſſe, & lacum ſpatioſum ſiccaſſe, ac in novale vna nocte ſubito convertiſſe, & Iudæo profana ac impia hypocriſi mortuum ſe ſimulanti veram mortem inflixiſſe, & puerum dæmonio purgaſſe, & perſecutores à quibus ipſe ad cædem in eremo quærebatur, glaucomate ita percuſſiſſe, vt cum eum, & ejus diaconum viderent in precibus ſtantes, duas ſe arbores videre putarent, & quanquam abſentem Troadij martyris egregium pro fide certamen tam clare ac certo ſpectaſſe, quam ſi adfuiſſet. Atque hæc quidem veteres Chriſtiani de ſuorum per illa tempora miraculis; inter quæ nemo, vt liquet, admota Domini vel Euchariſtia, vel cruce; nemo invocato Divorum nomine, aut adhibitis eorum vel reliquiis, vel imaginibus ſanatus, reſuſcitatus, incendio, vel naufragio, vel dæmonio liberatus invenitur, quod certiſſimo argumento eſt nulla iſtis temporibus apud noſtros fuiſſe hujuſmodi, quę apud Latinos non modo crebra, ſed pęne aſſidua ſunt miracula; quæ ſi extitiſſent ſcilicet aliqua, plane incredibile eſt, non alicujus de iſto genere facturos fuiſſe mentionem Scriptores illius memorię in locis à nobis adductis; quæ omnia fere ſunt, in quibus de miraculis tunc apud Chriſtianos editis ſermo fit. Sed vt omnis pertinacia vincatur nunc vtraque, id eſt & Latinorum, & Chriſtianorum vetuſtiſſimorum miracula propius atque accuratius inter ſe comparemus, & diſpiciamus quibus vel hæc vel illa rebus adhibitis adminiſtrata ac procurata fuiſſe dicantur. Primum Latinorum miraculorum exemplum edidimus Xaverium, Gagum, Pantaleonem, alios multos in mari periclitantes mirabiliter, & abſque vlla vel hominum vel naturæ ope ſervatos. In vetuſtiſſimis primi Chriſtianiſmi monumentis vnum tantum, ſed illuſtriſſimum hujuſmodi miraculum reperio, Paulum Apoſtolum vnà cum 270. hominibus, qui ſimul navigabant, omnes fracta in Melitenſi littore navi-

CAPVT X.

Origen. in Ioan. tom 26. T. 2. op. p. 386. init.

Gregor. Nyſſ. Orat. in Grego. Thaum. T. 3 p. 548. & 550. B. 553 D. 556. 559. 565. C. 567 A. 570. C. 571. D.

Act. 27.

CAPVT X. navi divinitus enatantes. Iam Latinos quidem ad hoc miraculum impetrandum adhibuiſſe oſtendimus, alios Divorum reliquias, aut imagines; alios preces & vota ad Mariam Virginem, cæterosque Sanctos, aut Angelos. Quid Paulus in ſimili periculo deprehenſus fecit? An reliquiarium aliquod in mare immiſit, vt Xaverius? An mare ſacris reliquiis, & aqua benedicta luſtravit, vt Gagus? Nunquid Stephanum, aut Iacobū invocavit, vt totū VirginūColonienſiū exercitū Pantaleo? vel certe Divam Virginem, & novem Angelorum choros, & de ſuis collegis eos qui jam a Domino evocati erant, vt feciſſe diximus Ieſuiticum Indiarum Apoſtolum? Numquid vel Iacobi Hieroſolymitani vt Alexander Andreæ Cocincinenſis, caput ſecum habuit, vel vnum ſaltem aliquem, vt hic ipſe ſapientiſſimus Ieſuita, Divæ Virginis capillum? Paulo quidem, vt videtur, multo quam huic Alexandro facilius erat aliquas nanciſci ſacri illius capitis exuvias; *Bar a. D. 48. & 54. §. 167.* quod ille ex Baronij calculo decem non amplius poſt beatiſſimæ Mariæ obitum annis, Cæſarea ſolverit; hic autem heros noſter, cum totis ſexdecim ſæculis poſt Virginis funus vivat, non parum laboraſſe videtur, vt hunc pili vnius theſaurum inveniret. Sed Paulus ſi nullas Divæ Virginis reliquias, ac ne vnum quidem pilum habuit; annon aliquam ſaltem ejus imaginem ſecum ferebat, antequam in tanto diſcrimine & ipſe, & vectores, ſi qui erant Chriſtiani in genua procumbentes vota facerent, quod ſanctiſſimum Azevetium & alios Ieſuitas devotiſſimos non ſemel magna cūm vtilitate feciſſe audivimus? Annon omnes cujuſcumque religionis eſſent vectores (nullam enim eos in *Ion. 1. 6.* talibus faſtidire ex Ionæ hiſtoria notum eſt) Annon inquam Paulus etiam Paganos illos, qui ſecum navigabant, in eo rerum articulo hortatus eſt vota Mariæ nuncupare? ejuſque præſidium vel vnius de laceris fractæ navis velis dono emendicare; quod Luſitanos Nangazachum tendentes nautas fœliciter expertos fuiſſe ſupra diximus? Iſtorum vero omnium, nihil inquam fecit Paulus; nihil factum com- *Act. 27. 23. 24. 33. 34.* memorat. Tantum narrat vna Dei optimi maximi ope ac nutu & Paulum & cæteros vectores de medio naufragio ereptos eſſe ſalvos omnes, atque incolumes; ejuſque rei aliquot antequam accideret diebus, nuncium ad Paulum miſſum eſſe divinitus Angelum; Paulum eo nuntio recreatum omnes bono animo eſſe juſſiſſe, & quæ ad evadendum ex tanto periculo pertinebant, amanter ſuggeſſiſſe. De Divæ Virginis pilo & imagine, & votis ad eam factis; de Divorum reliquiis, & ſimulacris; de eorum, & Angelorum invocatione, de altari, & & ſacris ſiccis, & aliis quæ ex Latinorum diſciplina ſacroſancta habentur, Lucas non magis loquitur, quam ſi Lutheranorum, aut Calvinianorum hominum navigationem deſcriberet. Magnum inquis, Pauli ſi ita ſe geſſit; magnum Lucæ flagitium, qui tam ſalutare inſtitutum, tam opportuno loco plane prætermiſit, ac ne hoc quidem memoravit; Angelum cum lætum tanti beneficij nuntium attuliſſet, ab

ab Apoſtolo, cui cum aſtitiſſe dicit, adoratum aut invocatum, aut cum aliquo alio duliæ cultu dimiſſum fuiſſe; quæ profecto non ferenda, neque ab vllo ex Ignatianis diſcipulis admittenda rusticitas fuit. Ad hanc ego Pauli, & Lucæ criminationem, quid appoſite & ſapienter aliud reſponderi poſſit non video, niſi hoc vnum; non eſſe cur a viris ſanctis ejus diſciplinæ obſervationem vel cognitionem requiramus, vel ob eam violatam gravius iis ſucceſeamus, quæ nonniſi aliquot poſt eos ſæculis inventa, à Papis Vrbanis poſtea confirmata, noviſſimis demum temporibus ab Ignatio, & ejus ſodalibus perfecta, omnibuſque tandem numeris ſuis abſoluta eſt; Neque mirandum quod boni ac ſimplices homines vnum Deum in adverſis pariter ac proſperis invocare à Domino Chriſto docti ac inſtituti, nullas ad Divos Divaſque preces fecerint, neque ante eorum reliquias atque imagines genua flexerint, aut corpora proſtraverint, vel cætera denique recentioris diſciplinæ vſurpaverint. Alterum inde miraculorum à Latinis celebratorum exemplum fuit, cum ab aliorum elementorum, vt ignis, terræ, vel rerum aliarum ejuſdem ingenij, vt vermium noxa, vi aliqua majori quam quæ natura eſt, ſe ſuoſve ſervatos narrant; quibus locis id ſe conſecutos memorant aliquando invocatis vel Divæ Virginis, vel aliorum Divorum nominibus, ſæpe etiam adhibitis Chriſti & aliorum cœlitum imaginibus. Huc illa veterum referenda ſunt, quibus & Paulus à Viperæ morſu; & Barſabbas à veneni hauſtu illæſus vterque ac incolumis evaſiſſe ſic traditur; vt neuter vel Domini cruce, vel reliquiis, aut imaginibus aut invocatione ad hoc uſus eſſe dicatur. Non nego à tertij ſæculi ineuntis Chriſtianis contra hoc peſtis genus adhibitum fuiſſe crucis in aëre manu vel digitis ſuis expreſſum ſignum; quod à Tertulliano locupletiſſimo illius temporis auctore diſcimus; *Nobis* (inquit) *fides præſidium* (adverſus Scorpios ſcilicet) *ſi non & ipſa percutitur. diffidentia, ſignandi ſtatim & adjurandi, & vrgendi beſtiæ calcem. Hoc denique modo etiam Ethnicis ſæpe ſubvenimus; donati à Deo ea poteſtate, quam Apoſtolus dedicavit cum morſum viperæ ſprevit.* Hæc ille ex quibus fateor non obſcure colligi fideles ſe crucis ſigno in talibus periculis, vt ne cæteris fere vitæ partibus, ſignare ſolitos; de quo more infra loco ſuo pluribus erit dicendum. Hic interim obſervo, Chriſtianis illis familiare jam tum quidem fuiſſe *ſe ſignare*: quod aliunde etiam ſatis intelligitur; cæterum crucis veræ particulas, aut figuras ex materia, vel ad miracula, vel ad cultum, quod nunc omnes Latini faciunt, adhibitas ab illis fuiſſe (quod nunc fortiter negamus) neque hic a Tertulliano, neque alibi ab vllo ejuſdem ævi certo & indubitato ſcriptore vſpiam eſſe traditum. Secundo & ex hac iſtius diligentia, *ſignandi* ſe diſciplinam in præſidio adverſus ſcorpios diſerte memorantis, argumentor vel hunc, vel certe de tam multis aliis aliquem Divorum imagines & reliquias, & alia nunc Latinorum ſolennia in miraculis fuiſſe pariter commemora-

CAPVT X.

Act. 28. 3. 4. 5. 6. *Euſeb. hiſt. l.* 3. *c.* 39.

Tert. Scorpi. c. 1. *init. p.* 61. *B.*

CAPVT X.

moraturum, ſi iſta apud noſtros cognita ac vſurpata æque ac ſigni crucis impreſſio, jam tum fuiſſent. Vnde certo confirmatur, quod ſupra concludebamus, quandoin veterum monumentis hujus quidem ſigni mentio fit, iſta alia de quibus quærimus, nullo adhuc in vſu tum apud Chriſtianos fuiſſe. Sed vt redeam ad inſtitutum, huc quoque pertinent illa miracula, quibus aëris ſiccitas pluviis impetratis ſolvitur, vel vermes & alia noxia ab agris depelluntur, vel quod eſt à terræ motu periculum arcetur. Adverſus hunc vltimum metum *Mariæ* nomen à Latinis vnà cum Ieſu nomine; adverſus vermes eandem Virginem invocari ex ipſorum commentariis ſupra obſervavimus; ad pluvias vero eliciendas Divorum reliquias ab iiſdem adhiberi oculis ipſi noſtris non ſemel vidimus, cum Divorum Marcelli & Genovefvæ feretra per inſigniores civitatis plateas ac vicos magna omnium ordinum pompa ac religione, publicaque proceſſione ad hoc inſtituta, ſed plærumque infœliciter efferrentur ac circumgeſtarentur. Iam aliquot hujus generis miracula primis apud Chriſtianos temporibus facta in vetuſtiſſimis monumentis celebrantur; quale illud eſt longè illuſtriſſimum, quod Marco Antonino bellum adverſus Quados & Marcomannos in Germania gerente contigit; cum in ſumma exercitus anguſtia quædam militum Chriſtianorum legio de cœlo & imbrem largiſſimum Romanis, & fulgura ac fulmina adverſus hoſtes tremenda evocavit. Putas fortaſſe eos hodierno Latinorum more certa orationum penſa Divæ Virgini voviſſe; vel martyris vnius, & alterius (vt cives Pariſienſes Marcelli & Genovefvę ſolent) reliquias adoraſſe, & auguſta theca incluſas circumtuliſſe; vel certe *Mariæ* nomen invocaſſe, quod & facillimum fuit; & à bono illo Ochinofamenſi Blaſio in terræ motu factum eſſe iſtos ſupra recitantes audiebamus. Male factum; quod iſtis cæcis & ab Apoſtolorum voce, ſanguine, ac cinere adhuc recentibus Chriſtianis nihil hujuſmodi venit in mentem. Quid ergo tandem ad rem tantam deſignandam moliti ſunt? quamve machinam ad extundendum è cœlo & imbrem, & fulmen adhibuerunt? Ego vero nullis feretris aut imaginibus, aut reliquiis, aut crucibus, aut Euchariſtiæ particulis vſos reperio; Solis ſuis ad Dominum Deum precibus tantum ab eo beneficium impetraviſſe reperio. Audi Tertullianum non longe à Marci temporibus ſummotum, ad Scapulam mitigandum mira quædam & incredibilia Chriſtianorum in ſuos Principes & cives beneficia colligentem. *Marcus quoque Aurelius* (inquit) *in Germanica expeditione Chriſtianorum militum ORATIONIBVS AD DEVM factis imbres in ſiti illa impetravit.* Euſebius & aliis eadem tradit. *Milites* (inquit) *in ipſa acie contra hoſtes inſtructa genibus humi poſitis* (*vt nobis cum oramus in more eſt*) *ad PRECES DEO adhibendas convertiſſe dicuntur.* Tum fulmen hoſtes in fugam vertiſſe atque interemiſſe; imbrem vero in exercitum Romanum affatim ruentem, vniverſum refeciſſe ac recreaſſe. Λόγος ἔχει τοὺς στρατιώτας ἐν

Epiph. hæreſ. 78. c. 14. p. 1046. A. imbrem à Iacobo Iuſto impetratum.

Tertull. ad Scap. c. 4. p. 87. D.

Euſeb. Hiſt. l. 5. c. 1. fol. 48. B. ed. Gr.

τῇ πρὸς τοὺς πολεμίους παρατάξει γόνυ θέντας ἐπὶ τὴν γῆν κατὰ τὸ οἰκεῖον ἡμῖν τῶν εὐχῶν ἔθος ἐπὶ τὰς πρὸς τὸν ΘΕΟΝ ἱκεσίας τραπέσθαι. Eodem quoque pertinet, quod Tertullianus continenter addit de ſiccitatibus ſæpe Chriſtianorũ prece, ac jejunio depulſis; *Quando* (inquit) *geniculationibus, & jejunationibus noſtris etiã ſiccitates ſunt depulſæ? Tunc & populus acclamans DEO DEORVM QVI SOLVS POTENS EST, in Iovis nomine Deo noſtro teſtimonium reddidit.* Vides hic & à noſtris *depulſas ſiccitates*, ſed quomodo? non profecto reliquiis aut feretris mortuorum hominum; ſed geniculationibus, & jejunationibus viventium; & precibus non ad Virginem & Divos, ſed ad DEVM DEORVM factis; cui ſub Iovis nomine hanc ipſi Pagani laudem ſuccinebant. Tertium miraculorum apud Latinos in hoc genere ſolennium ordinem ſupra conſtituebant homines vel reſuſcitati, vel morbis divina vi liberati. Ac reſuſcitatos quidem illi narrabant *per merita Divi Nicolai Tolentini mortui, ſex mortales, & multos ad invocationem Divi Vincentij*, & vnum puerum à Ieſuita apud Iapones, impoſito ejus cervicibus reliquiario. Quid primi Chriſtiani? Illi vero mortuos apud ſe reſuſcitatos tradunt; nullum tradunt Divi alicujus mortui invocatione aut reliquiis. Petrus apud Lucam Tabitham mortuam reſuſcitat. Quomodo? Audi Lucam. *Petrus ponens genua oravit; & converſus ad corpus dixit; Tabitha ſurge. At illa aperuit oculos ſuos, & Petro viſo reſedit. Dans autem illi manum erexit eam. Et cum vocaſſet ſanctos* (id eſt fideles) *& viduas, aſſignavit eam vivam.* Nullas reliquias adhibet, nullum mortuum invocat. Sed neque Paulus iſtorum quicquam vſurpaſſe dicitur, cum Eutychum Troade ex mortuis ad vitam revocavit. Tantum legitur hominem *complexus dixiſſe; Nolite turbari: Anima enim ipſius in ipſo eſt.* Vterque nimirum Apoſtolus rem tantam nutu Domini ſola vocis ſuæ authoritate perfecit. Sed & Apollonius vetuſtiſſimus Eccleſiæ ſcriptor tradit apud Euſebium *mortuum Epheſi a Ioanne reſſuſcitatum* non quidem vllis reliquiis, ſed *virtute divina*, καὶ νεκρὸν δὲ δυνάμει θεία πρὸς αὐτοῦ Ἰωάννου ἐν τῇ Ἐφέσῳ ἐγηγέρθαι ἱστορεῖ, inquit de Apollonio Euſebius. Quin & Irenæus teſtatur inter cætera miracula, quæ apud Eccleſiam ſua memoria fiebant, *etiam mortuos reſurrexiſſe & perſeveraſſe* in vita *ſecum annis multis*; καὶ νεκροὶ (inquit) ἠγέρθησαν, καὶ παρέμειναν ἡμῖν ἱκανοῖς ἔτεσι. Tantum autem opus quomodo procurarent, atque miniſtrarent illius temporis fideles (id enim idem quoque Irenæus expoſuit) operæpretium eſt à ſanctiſſimo ſcriptore audire. Cum negaſſet ab hæreticis mortuum excitari; *quemadmodum* (inquit) *Dominus excitavit, & Apoſtoli per orationem; in fraternitate ſæpiſſime propter aliquid neceſſarium, ea quæ eſt in quoque loco Eccleſia univerſa poſtulante, per jejunium, & ſupplicationem multam reverſus eſt ſpiritus mortui, & donatus eſt homo orationibus ſanctorum.* Καθὼς ὁ Κύριος ἤγειρε, καὶ οἱ Ἀπόστολοι διὰ προσευχῆς, καὶ ἐν ἀδελφότητι πολλοὶ πολλάκις διὰ τὸ ἀναγκαῖον τῆς κατὰ τόπον

CAPVT X.

Tertull. ad Scap. c. 4 p. 87. D.

Act. 9. 40. 41.

Act. 20. 9. 10.

Euſeb. Hiſt. l. 5 c. 18. p. 53. B.

Iren. l. 2. c. 57. Græca ſunt apud Euſ. Hiſt. l. 5. c. 7.

ibid. c. 56.

CAPVT X. ἐκκλησίας πάσης αἰτησαμένης μετὰ νηστείας πολλῆς καὶ ἀγνείας ἐπέστρεψε τὸ πνεῦμα τετελευτηκότος, καὶ ἐχαρίσθη ὁ ἄνθρωπος ταῖς εὐχαῖς τῶν ἁγίων? *Sanctos* autem, quorum *orationes* dicit, ex ſolenni & Scripturæ & veteris Eccleſiæ vſu, intelligit fideles hic in vivis poſitos. Iam neque hic illas videmus mortuo pro Latinorum more admotas reliquias; nullos cœlites pro eo invocatos; neque enim id magis quam jejunium tacuiſſet Irenæus, ſi vſurpatum fuiſſet, rem totam Eccleſiæ poſtulatione, jejunio, & ſupplicatione confectam fuiſſe ſignificat. Nunc ad Sanationem ægrororum veniamus, cujus longe plura extant in veteri Chriſtianiſmo exempla. Latini ad hoc opus à ſuis adhibitas quoque narrabant Divorum invocationem, imagines, reliquias, cruces. Iſtorum apud veteres nihil occurrit. Ac Apoſtolos quidem oleum interdum ad hoc opus adhibuiſſe legimus; vt apud Marcum, *Vngebant* (inquit) *oleo multos ægros, & ſanabant*; interdum ſolam vocis ſuæ majeſtatem, vt Petrum apud Lucam ad curandum Æneam paralyticum ab annis octo jacentem in grabbato, nil aliud vſurpaſſe cernimus, quàm hæc verba; *Ænea, ſanat te Dominus Ieſus Chriſtus: Surge, & ſterne tibi: & continuo ſurrexit.* Sic quoque Paulum claudum illum Lyſtrenſem pedibus ex vtero matris ſuæ conveniſſe ac reſtituiſſe legimus, *Surge* (inquit) *ſuper pedes tuos rectus.* Sed & nonnullis ex Domini ſui vſu ac diſciplina eundem manus impoſuiſſe videmus; vt Publij apud Melitam parenti, ex febribus & dyſenteria jacenti; *ad quem* (inquit Lucas) *intravit Paulus, & cum oraſſet, & IMPOSVISSET ei MANVS, ſalvavit eum.* Itaque Petrum ſuum ex hoc Apoſtolico vſu Pſeudo-Clemens in Recognitionibus facit languentes & dæmoniacos *ſanare impoſitis manibus cum oratione: Iuſſit ſibi* (inquit) *eos qui languoribus, vel dæmonibus vrgebantur, afferri, & impoſuit eis manus cum oratione; atque ita turbas dimiſit.* Et alius iſto nihilo veracior, aut ſincerior traditionis de Abgaro Edeſſeno Syriacæ Apocryphus apud Euſebium ſcriptor, Thaddæum quoque dicit eodem ritu Abgarum ſanaſſe: *Ego* (inquit) *in nomine ipſius Domini Ieſu manum ſuper te pono Quod vbi fecerat è veſtigio morbo & calamitate qua divexabatur, relevatus eſt.* τίθημι τὴν χεῖρά μου ἐπὶ σὲ ἐν ὀνόματι αὐτοῦ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ. Καὶ τούτου πραχθέντος παραχρῆμα ἐθεραπεύθη τῆς νόσου καὶ τοῦ πάθους οὗ εἶχεν. Sic etiam ibidem Abdum quemdam idem podagræ doloribus oppreſſum ad priſtinam valetudinem reduxiſſe fingitur. Abdus εὐχῇ (inquit) διὰ χειρὸς λαβὼν ἐθεραπεύθη, id eſt orationem cum manus impoſitione ſuſcipiens curatus eſt. Cur ægrotos Apoſtoli vt oleo, vt manus impoſitione, ſic quoque reliquiis aut crucibus, aut imaginibus adhibitis ſanaſſe neque in veris, neque in apocryphis primorum ſæculorum ſcripturis dicuntur? Quia inquam illud revera fieri ſolebat, hoc illis ſæculis neque factum vnquam, neque in Eccleſia auditum; niſi forte quis tam ſtultus ſit, vt Pauli manus ægroto apud Melitam impoſitas *reliquias* fuiſſe putet, quod non eſt ſane Baronij, & Vaſ-

Marc. 6. 13.

Act. 9. 34.

Act. 14. 8 9.

Act. 28. 9.

Clem. Recog. l. 5. ol. 3. E.

Euſeb. Hiſt. l. 1 c. 73 fol. [illegible] B.

CAPVT X.

Vaſquis ſomnio deterius, contendentium delata è Pauli viventis valentiſque corpore ad Epheſios quoſdam languidos ſudaria, & ſemicinctia, imo ipſam etiam Petri *umbram*, totidem veri nominis *reliquias* fuiſſe; quaſi quiſquam ſit tam ſtupidus atque inſulſibidus, qui non ex ipſo nomine intelligat *reliquias* eſſe, quæ homines morientes hic, vnde diſcedunt, *relinquunt*; cadaver nimirum, & ex quibuſcumque cadaver conſtat, & (quando Latinis noſtris ita placet) etiam veſtimenta, & ſupellectilem, & chartas, & ſi quid vivi poſſederunt, quod ſecum non abſtulerint. Iam ſanationum vt gratia ipſa, ita & diſciplina atque adminiſtratio hæc Apoſtolica apud eorum poſteros in Eccleſia manſit. Nam & oleo ad hoc opus vſos ad Tertulliani tempora ex ejus ad Scapulam libro conſtat; in quo *Severum* memorat, *patrem Antonini Auguſti, à Proculo quodam Chriſtiano, qui Torpacion cognominabatur, Euhodiæ procuratore, per OLEVM aliquando curatum fuiſſe.* Itaque cum hoc Sanationum donum diu apud ſuos manſurum videret Spiritus Sanctus, eos per Iacobum hortans, vt hoc tum vulgari chariſmate ad ſublevandam & curandam ſuorum infirmorum valetudinem vterentur, vnctionis ex oleo in ejus deſcriptione meminit; *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes* (inquit) *eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit* (ἐγερεῖ) *eum Dominus.* Latinorum errorem nunc mitto hæc ad muſteum, & fictitium ſuum morientium Sacramentum perverſiſſime, ac præter omnem rationem referentium. Clarum eſt Apoſtolum vnctionem primis illis temporibus ad miraculoſam infirmorum curationem familiarem intelligere. Ego vero rogo, cur Iacobus hoc loco vt olei, ita & reliquiarum, & imaginum ſacrarum, & crucis non meminit, ſi hæc, & ſimilia jam tum mos fuit curandis infirmorum corporibus, æque ac oleum, apud Chriſtianos adhiberi? Eandem enim eſſe patet vtrorumque hactenus quidem rationem. Sed iſta ne hic ab Apoſtolo memorarentur, eadem effecit ratio, quæ & in cauſa eſt, ne hæc ipſa alibi vſpiam in omnibus trium primorum ſæculorum monumentis occurrant; Nimirum iſtarum rerum vſus nullus in prima Eccleſia fuit, neque ad ſanationum opus, neque ad cultum. Sed Chriſtianos in ſanatione miraculoſa etiam poſt Apoſtolorum tempora, vt oleum ex Tertulliano, ita & manuum quoque impoſitionẽ adhibuiſſe ex Irenæo diſcimus; vbi de variis eorum donis verba faciens, *Alij autem* (inquit) *laborantes aliqua infirmitate per manus impoſitionem curant & ſanos reſtituunt.* ἄλλοι δὲ τοὺς κάμνοντας διὰ τῆς τῶν χειρῶν ἐπιθέσεως ἰῶνται, καὶ ὑγιεῖς ἀποκαθιστᾶσι. Denique & orationes ad Deum ad hoc & alia eiuſdem ingenij mira opera adhibuiſſe olim fideles Chriſti ſervos idem egregie eodem loco teſtatur. Præfectus enim *non poſſe earum gratiarum numerum dici, quas per vniverſum mundum Eccleſia à Deo accipiens in opitulationem gentium perficit*; mox eandem ait, *virtutes non ad ſeductionem, ſecundum vtilitates hominum*

Act 5.15.

Tertull. ad Scap c.4.p. 87.C.

Iac. 5.14 15.

Iren.l.2.c.57.

ibid.

CAPVT X. *perficere, orationes* (inquit) *munde, & pure, & manifeſte dirigentem ad Dominum qui omnia fecit, & nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti invocantem.* Atque his Origenes quoque ſuccinit, dum fideles ſanationum dono præditos nihil aliud tradit ad hoc opus adhibere, niſi quod *Deum ſummum rerum omnium Dominum, & Ieſu nomen invocant, hujus quoque hiſtoriam addentes.* Atque hæc quidem hactenus; ex quibus cuivis cordato conſtare nunc poteſt nullos tum à Chriſtianis ſanatos vel invocato Divorum nomine, vel adhibitis eorum reliquiis, aut imaginibus, vel ipſa Domini cruce; Quod hæc, ſi quo in vſu tum fuiſſent, non magis profectò omiſſuri fuerant veteres quam oleum, & manus impoſitionem, & Dei invocationem; quarum quidem rerum eos diſerte meminiſſe videmus: cum iſta alia, quæ apud Latinos vtramque fere miraculorum paginam faciunt, ne leviter quidem ſignificata aut indicata vſpiã apud hos Scriptores reperiantur. Supereſt quartus, iſque vltimus eorum miraculorum ordo, quæ Latini earum rerum, quas præter Deum colunt, vi atque beneficio fieri apud ſe putant, ad homines dæmoniis liberandos. Ipſum opus, dæmonum ſcilicet ejectio, tam in divinis quam in Eccleſiaſticis primi Chriſtianiſmi Scriptoribus frequenter occurrit. Quæ vero ratio adminiſtrandi operis apud iſtos viget, ſcilicet per Divorum invocationem, per reliquiarum, & imaginum, & crucium applicationem, ea toto illo primi Chriſtianiſmi tempore nuſquam apud noſtros occurrit. Nota ſunt illa ex Luca, Ieroſolymam ad Apoſtolos allatos eſſe etiam ex vicinis civitatibus ægros, & vexatos à ſpiritibus immundis, & curatos fuiſſe omnes: & Philippi miniſterio atque opera *Spiritus immundos ex multis* Samaritanis, clamantes voce magna exiviſſe; & Paulum ſpiritui cuidam Pythoni importunis vocibus ſe quotidie obtundenti magna auctoritate præcepiſſe in nomine Ieſu Chriſti exire à miſera quadam puella, quam nequiſſimum dæmonium inſidebat. Sed & apud Chriſtianos hanc gratiam diutiſſime manſiſſe docent veteres ſcriptores, apud quos multa de ea ſubinde habentur. Iuſtinus magnifice, vt decebat, hoc ſuorum donum apud ipſos Imperatores prædicat: *Complures* (inquit) *dæmonum intemperiis correptos homines per orbem omnem, & per hanc veſtram urbem, quos alij adjuratores, & incantatores, & venefici veſtri curare non potuerunt, permulti hominum noſtrorum Chriſtianorum, inquam, per nomen IESV CHRISTI ſub Pontio Pilato crucifixi adjurantes ſanarunt, atque etiam nunc ſanant exarmantes atque exigentes ab hominibus, qui illos obſederunt dæmones:* δαιμονιολήπτους γὰρ πολλοὺς κατὰ πάντα τὸν κόσμον, καὶ ἐν τῇ ὑμετέρᾳ πόλει πολλοὶ τῶν ἡμετέρων ἀνθρώπων τῶν χριστιανῶν, ἐπορκίζοντες κατὰ τοῦ ὀνόματος Ἰησοῦ χριστοῦ τοῦ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, ὑπὸ τῶν ἄλλων πάντων ἐπορκιστῶν, καὶ ἐπαστῶν καὶ φαρμακευτῶν μὴ ἰαθέντας, ἰάσαντο, καὶ ἔτι νῦν ἰῶνται καταργοῦντες καὶ ἐκδιώκοντες τοὺς κατέχοντας τοὺς ἀνθρώπους δαίμονας. Itaque paulò poſt eos ab *hominibus jam vinci* ait *per nomen Ieſu Chriſti*, ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων ἤδη

διὰ

Margin notes: Orig. l. 3. contr. Celſ. p. 128. — Act. 5. 16. — Act. 8. 7. — Act. 16. 18. — Iuſtin. Apol. 1. p. 35. lin. 14. — ibid. p. 36. lin. 27.

διὰ τ̃ ὀνόματος Ἰησοῦ χριστοῦ ἐπέτάττε. Et in alio opere ait *vim nominis Ieſu Chriſti etiam dæmones tremere, & reformidare; & hodie quoque*(inquit) *illi per nomen Ieſu Chriſti crucifixi ſub Pontio Pilato, qui Iudææ Procurator fuit, adjurati nobis parent.* [illegible] Infra idem rurſum affirmat; Καὶ νῦν ἡμεῖς οἱ πιστεύοντες ἐπὶ τ̃ σταυρωθέντα ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου Ἰησοῦν Κύριον ἡμῶν τὰ δαιμόνια πάντα καὶ πνεύματα πονηρὰ ἐξορκίζοντες ὑποτασσόμενα ἡμῖν ἔχομεν; *ſe in Dominum credentes omnes dæmones, ſpiritusque malignos adjurantes ſub poteſtate habere.* Iterum infra *vinci ac ſubijci omne dæmonium adjuratum per nomen filij Dei, & primogeniti omnis creaturæ, & ex Virgine geniti & facti hominis perpeſſionibus obnoxij & ſub Pontio Pilato a populo Iudæo crucifixi, & mortui qui & à mortuis reſurrexit, & in cœlum aſcendit.* Ex quibus, vt hoc obiter dicam, intelligitur, quid iſta Origenis ſibi velint à nobis nuper laudata. Chriſtianos *ſuper eos qui curatione indigebant* (id eſt vel ægrotos vel dæmoniacos) *vocaſſe Ieſu nomen cum ea quæ de ipſo eſt hiſtoria*, ἐπὶ τοὺς δεομένους θεραπείας καλοῦντες τὸ τ̃ Ἰησοῦ ὄνομα μετὰ τ̃ περὶ αὐτοῦ ἱστορίας. Significat Origenes eos non nudum Domini nomen in talibus ſimpliciter nuncupaſſe, ſed quod ait Iuſtinus, illa quoque nomini adjeciſſe, quæ nobis de eo ſunt ab Apoſtolis tradita; ſic nimirum vt dicerent, *In nomine Ieſu Chriſti, Filij Dei vnigeniti, nati de Virgine, paſſi ſub Pontio Pilato, & crucifixi & mortui, quique reſurrexit a mortuis*; & fortaſſe etiam cætera quæ de Chriſto habentur in Evangelio, & in Symbolo, quod Apoſtolorum dicitur. Eodem vero illa quoque pertinent, quæ alibi ea de re ſcribit Origenes Chriſtianos *poſſere* ἰσχύειν, id eſt dæmoniis prævalere, non incantationibus, *ſed nomine Ieſu cum commemoratione hiſtoriarum quæ de eo ſunt*; ἀλλὰ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ μετὰ τ̃ ἀπαγγελίας τ̃ περὶ αὐτὸν ἱστοριῶν: id eſt cum eorum enuntiatione, quæ de illo ſcripta & tradita ſunt. Sed hæc obiter. Denique Iuſtinus eadem rurſum in eodem opere confirmat, cum Chriſti in omnia vim ac potentiam tantam eſſe prædicat; *vt eius nomini dæmonia ſubjecta ſint, ac principatus omnes & regna ipſius nomen præ omnium quicumque vnquam mortui ſunt, nominibus revereri atque metuere*, ὥστε καὶ τὰ δαιμόνια ὑποτάσσεσθαι τῷ αὐτοῦ ὀνόματι, καὶ πάσας τὰς ἀρχὰς καὶ βασιλείας τοῦτο τὸ ὄνομα ὑπὲρ πάντας τοὺς ἀποθανόντας δεδιέναι. His Iuſtini ſuccinit Irenæus; *Quapropter* (inquit) *& in illius* (Chriſti) *nomine, qui vere illius ſunt diſcipuli ab ipſo accipientes gratiam perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum vnuſquiſque accepit donum ab eo. Alij enim dæmones excludunt* (eiiciunt) *firmiſſime & vere, vt etiam ſæpiſſime credant ipſi, qui emundati ſunt à nequiſſimis ſpiritibus, vt ſunt* (ſint) *in Eccleſia.* Hæc Irenæus, quæ apud Euſebium Græce habentur: Διὸ ἐν τῷ αὐτοῦ ὀνόματι οἱ ἀληθῶς αὐτοῦ μαθηταὶ παρ' αὐτοῦ λαβόντες τὴν χάριν ἐπιτελοῦσιν, ἐπ' εὐεργεσίᾳ τῇ τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων, καθὼς εἷς ἕκαστος αὐτῶν τὴν δωρεὰν

Marginalia: CAPVT X. — Id Dial. cum Tryph. p. 191. lin. 30. — ibid. p. 235. lin. 36. — ibid. p. 243. lin. 8. 9. — Orig. li. 3. contr. Celſ. p. 128. — Id. l. 1. contr. Celſ. p. 7. — Iuſt. adverſ. Tryph. p. 274. lin. 24. — Iren. l. 2. contr. Har. c. 57. — Euſeb. Hiſt. l. 5. c. 7.

CAPVT X. εἰληφότων παρ' αὐτοῦ. οἱ μὲν γὰρ δαίμονας ἐλαύνουσι βεβαίως, καὶ ἀληθῶς, ὥστε πολλάκις καὶ πιστεύειν αὐτοὺς ἐκείνους καθαρισθέντας ἀπὸ τῶν πονηρῶν πνευμάτων. καὶ

Iren.l.2.c.57. εἶναι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. Digna ſunt cedro, quæ mox ſequuntur; vtinam Græcè quoque extarent! Cum enim dixiſſet *Eccleſiam innumerabilia quotidie in nomine Chriſti Ieſu in opitulationem gentium perficere, qua gratis accepit à Deo, ea gratis quoque miniſtrantem*; hæc inſuper addit; *Nec invocationibus ANGELICIS facit, nec incantationibus, nec aliqua prava curioſitate, ſed munde & pure & manifeſte orationes dirigens ad Dominum qui omnia fecit, & NOMEN Domini noſtri IESV Chriſti invocans virtutes ſecundum vtilitates hominum, ſed non ad ſeductionem perficit.* Græcis Latini eorumdem pæne temporum conſentiunt. Minutius, & Tertullianus. Ille ſcribit Deos gentium ſe dæmonas eſſe confiteri coram ipſis Paganis: quoties (inquit) *à nobis tormentis verborum, & orationis incendiis de corporibus exiguntur.* Mox edit, quæ ſint illa *verborum tormenta*, quæ *orationis incendia*, quibus

Minut. in Octav.p.82. dæmones victi cedunt: *Adjurati enim* (inquit) *per Deum verum & ſolum, inviti, miſeri, corporibus inhorreſcunt, & vel exiliunt ſtatim, vel evaneſcunt gradatim, prout fides patientis adjuvat; aut gratia curantis*

Tertul. Apol. ca.23 p.24.D. *aſpirat.* Tertullianus pariter ſpiritus, qui dæmoniacos agunt, ab homine Chriſtiano juſſos ait ſe dæmones cõfiteri; ac niſi etiam ſub ipſis Paganorum tribunalibus id fuerint confeſſi, concedit judicibus, vt Chriſtiani illius ſanguinem ibidem fundant. Majus & mirabilius erat ne mutas quidem & inanimes Chriſtianorum reliquias, aut cruces, aut imagines ferre poſſe dæmonia, iiſque illatis & dæmoniacorum collo admotis ſtatim excedere. Et hoc ergo erat dicturus ſcriptor omnium vehementiſſimus, ſi ſciviſſet; vt quod non dicit, eo ipſo hoc

Id. de teſtim. an.c.3. init. p.81. A. tantum Latinorum arcanum neſciiſſe arguatur. Idem alibi *ſe* (id eſt Chriſtianos) *dæmonia ſolos de corporibus exigere* gloriatur; & apud

Id. ad Scap.c. 2 p.86.B. ibid c.4.p. 87.C. ipſum provinciæ præfectum Scapulam, *Dæmones* (inquit) *revincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus, ſicut plurimis notum eſt*; & infra ad eundem refert *cujuſdam* de advocatis Paganis *notarium, cum à dæmone præcipitaretur liberatum eſſe* Chriſtianorum beneficio, *& quorumdam propinquum & puerulum. Et quanti* (inquit) *honeſti viri (de Vulgaribus enim non dicimus) aut à dæmoniis, aut valetudinibus remediati ſunt?* Alibi inter Chriſtiani hominis divinas vo-

Id. de Spect.c. 29.p. 102. C. luptates, quas facundiſſime more ſuo exequitur, & hoc cenſet, *quod calcat Deos nationum, quod dæmonia expellit, quod medicinas facit*; his vltimis verbis *gratiam ſanationum*, vt opinor, ſignificans. Denique & Origenis in hanc rem ſunt non pauca. Iam illa ex admirando adverſus Celſum opere recitavimus Chriſtianos in dæmonia valere non in-

Orig.l.1.cõtr. Celſ.p.7. cantationibus, ſed Ieſu Chriſti nomine, adjectis quæ de eo tradita ſunt. *Hæc enim* (inquit) *pronunciata ſæpe effecerunt, vt dæmones ex hominibus exterminarentur, præſertim cum ea qui enuntiant, ſano affectu & integra fide enuntiant.* Ταῦτα γὰρ λεγόμενα πολλάκις τοὺς δαίμονας

πεποιη-

πεποιηκέναι ἀνθρώπων χρειωδῶν, καὶ μάλιστα ὅταν οἱ λέγοντες ἀπὸ διαθέσεως ὑγιοῦς καὶ πεπιστευκυίας γνησίως αὐτὰ λέγωσι. Quin & nominis Ieſu tantam adverſus dæmones vim eſſe, vt aliquando etiam ab improbis pronuntiatum, rem nihiloſecius confecerit. τοσοῦτον μὲν γὰρ δύναται (inquit) τὸ ὄνομα τοῦ Ἰησοῦ κατὰ τῶν δαιμόνων, ὡς ἔσθ᾽ ὅτε καὶ ὑπὸ φαύλων ὀνομαζόμενον ἀνύειν. Ejuſdem illud quoq; ſupra memoravimus Chriſtianos ſua adhuc memoria dæmonas incantare ἐξεπᾴδειν; id eſt de corporibus humanis invitos orationum & adjurationum ſuarum vi exigere. Idem alibi teſtatur *dæmones ad Ieſu nomen ſolum invocatum*, ſive *pronuntiatum cedere ex inſeſſis ſemel corporibus*, τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ ἀναγγελλομένου, μόνον εἴκοντας ὑποχωρεῖν ἀπὸ τῶν ὑπ᾽ αὐτῶν πολεμουμένων. Alibi autem qui & qua ratione apud noſtros id fieret enarrat: *non paucos Chriſtianorũ dæmonia ex obſeſſis corporibus expellere, nullo curioſitatis, vel magiæ maleficij, ſive veneficij negotio, ſed SOLA PRECE, & adjurationibus ſimplicioribus, quaſque etiam rudis & ſimplex homuncio adhibere poſſit. Nam* (inquit) *hæc vt plurimum gerunt idiotæ & plebeij homines, gratia, quæ Chriſti verbo ineſt, eo dæmonum vtilitatem, & infirmitatem commonſtrante, ad quos vincendos, & ex hominis corpore atque anima exterminandos nihil magnopere ſit opus viro eximiæ alicujus ſapientiæ, vel ſingularis in demonſtranda per rationes ſide facultatis.* Τοὺς δαίμονας ἐκ ὀλίγοι τινὲς νῦν ἀπελαύνουσι τῶν πασχόντων, οὐ περιέργῳ τινὶ καὶ μαγικῷ ἢ φαρμακευτικῷ πράγματι, ἀλλὰ μόνῃ εὐχῇ καὶ ὁρκώσεσιν ἁπλουστέραις, καὶ ὅσα ἂν δύναιτο προσάγειν ἁπλούστερος ἄνθρωπος, ὡς ἐπίπαν γὰρ ἰδιῶται τὸ τοιοῦτον πράττουσι, παριστάσης τῆς ἐν λόγῳ Χριστοῦ χάριτος τὴν τῶν δαιμόνων οὐδένειαν καὶ ἀσθένειαν, εἰς τὸ νικηθῆναι αὐτοὺς τὴν ἡττηθεῖσαν, καὶ εἶξαι ὑπεξελθεῖν ἀπὸ ψυχῆς ἀνθρώπου καὶ σώματος, σοφοῦ τινὸς καὶ δυνατοῦ ἐν ταῖς λογικαῖς περὶ τῆς πίστεως ἀποδείξεσι. Atque hæc quidem veteres de Chriſtianorum hominum in dæmonas miraculo Non equidem vrgeo, quod nulla apud eos inferni vulpes in reliquiariorum funiculorum ambagibus implicita hæret. Fortaſſe non requirebant homines ſeveri tam lepidum ſpectaculum; Fuerit hoc datum Ieſuitarum, jocoſi & vrbani generis, deliciis. Neque illud quæro cur veterum exorciſmi maleficos ſpiritus fateri quidem coëgerint ſe eſſe dæmones: nullos coëgerint illud expedire an eſſent de illo genere, quos RVFFOS CANES appellant; Fuerit hoc etiam delicatiſſimæ Ignatianorum Sodalium curioſitati indultum, vt ſoli omnium mortalium his demum ſæculis horribile arcanum adhibito Ignatianæ imaginis tormento à dæmonibus extunderent, eſſe & apud ſe *ruffos aliquos canes*. Hoc vnum nunc requiro, cur ex tam multis primæ illius antiquitatis locis non vnus aliquis occurrat; qui, quod in omnibus hujus generis locis apud Ieſuitas invenimus, doceat vel innuat fuiſſe a Chriſtianis ejecta dæmonia adhibitis Divorum reliquiis, imaginibus, crucibus, chartulis Ieſu nomine inſcriptis, aut Chriſti illato in idolorum locum ſimulacro, aut denique recitata vel ad Divam Virginem ſalutatione Angelica, vel ad Michaëlem & alios ſeu Angelos,

CAPVT X.

ibid.p.25.

ibid.l.3.p. 137.

Id.ibid.l.7. p.344.

CAPVT X.

los, ſeu Sanctos oratione aliqua? Cur veteres quoties hujus miraculi rationem tangunt; id in Christi nomine adminiſtrari narrent? nullius rei vlterius mentionem iniiciant? Vertant ſe Latini in omnes partes; Nullam aliam tanti ſuorum à veteribus diſcriminis probabilem rationem afferent; niſi hanc vnam; quod his ſcilicet planè ignota fuerit, quæ illis nunc eſt familiaris. Diaboli per reliquias & alia ejuſdem generis eiiciendi ac frangendi diſciplina. Quid? quod veteres diſertè id ipſum affirmant, quod nos hoc argumento probari contendimus? Origenes, quod ſupra edidimus, ſcribit Chriſtianos *ſuper eos quos curant* (ægrotos ſcilicet & dæmoniacos) *NIHIL ALIVD vocare, quam Deum ſummum rerum omnium Dominum, & Ieſu nomen cum ejus hiſtoria.* ΟΥΔΕΝ ἌΛΛΟ καλοῦντες ἐπὶ τοὺς δεομένους θεραπείας ἢ τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν, καὶ τὸ τοῦ Ἰησοῦ ὄνομα μετὰ τῆς περὶ αὐτοῦ ἱστορίας. Potuit-ne clariùs negare eos Mariam, & cæteros Divos ac Angelos ad hoc opus vocaſſe? vel horum nomina, reliquias, imagines adhibuiſſe? Idem ejus ſenſus, quod alibi ab eodem ſcriptum nos quoque nuper recitabamus Chriſtianos dæmonia expuliſſe *SOLA prece & adjurationibus ſimplicioribus*, ΜΟΝΗ εὐχῇ καὶ ἐπορκώσεσιν ἁπλουστέραις. Quam enim precationem cum adjuratione SOLAM adhibitam fuiſſe hic narrat eam nominis Chriſti invocationem fuiſſe & ipſe alibi & Iuſtinus non ſemel docet. Sed & Irenæum etiam diſertius eadem conteſtantem nuper audiebamus, cum Eccleſiam mirabilia *hæc facere negaret invocationibus ANGELICIS*: facere affirmaret *dirigentem orationes ad Dominum, qui omnia fecit, & nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti invocantem.* Neminem ergo illi Angelorū, neminem adeo Divorū vel ad dæmonia expellenda, vel ad cetera miracula patranda invocabāt; Divorū enim ex hominibus eadem eſt in hoc negotio quæ Angelorū ratio. Abſurdiſſimū Fevardentij commentū *Angelicas invocationes* de *malignorum ſpirituū invocatione* interpretantis nihil nunc moror. Quis enim non intelligit hunc *angelicum* pro *diabolico* præter omnem rationem, præter omnem veterum ſcriptorum morem, præter vſum denique ac ſenſum hominum communem nunquam fuiſſe accepturum, niſi cauſæ peſſimæ ſtudium ac deſperatio coëgiſſet? ſed hic Irenæi locus alibi erit accuratius expendendus. Nunc ſatis eſt monere *invocationes Angelicas* pro conſueto ſolennique vocabulorum ſenſu hic neceſſario eſſe interpretandas, *de precibus ad Angelos factis*; quando nihil affertur quod nos ad monſtroſam Fevardentij gloſſam confugere cogat, vel Irenæani ſæculi Chriſtianos Angelos bonos ad dæmonia expugnanda, aut alia miracula edenda invocaſſe vincat; idque inde ſatis conſtare, quod Irenæus *his*, quas excludit, *invocationibus*, non Michaëlis & aliorum bonorum & ſanctorum ſpirituum (vt decebat Latinorum quidem mente) ſed vnius Dei rerum omnium conditoris, & Filij ejus vnigeniti Ieſu Chriſti invocationem opponat. Tandem ergo concluſum eſto, nulla in primo ac vetuſtiſſimo Chriſtianiſmo facta eſſe per Euchariſtiæ, ſacrarúmve reliquiarum, imaginum, aut crucium vſum,

Orig. lib. 3. cont. Celſ. p. 128.

idem ibid. l. 7. p. 344. ibid. l. 1 p. 7. Iuſt. Apol. p. 35 ſuprà allatis.

Iren l. 2. c. 57.

Fevard. in loc. Iren.

vſum, aut per Divorum Divarumque invocationem, quæ nunc apud Latinos fieri dicuntur miracula, quod horum quibus omnes iſtorum libri pleni ſunt, nulla plane in iis monumentis mentio reperitur, quæ ex tribus prioribus Chriſtianiſmi ſæculis certa atque indubitata ſupereſſunt; neque in aliquo opere ea de re proprie ſcripto, neque in vitis ſanctorum hominum eo tempore editis, neque vbi illi Scriptores, vel fidei veritatem ex ſignis & prodigiis confirmant, vel res & hiſtorias Eccleſiæ tradunt, vel Chriſtianorum miracula aut in genere, aut ea proprie ac nominatim recenſent, quæ ſive ad depellenda hominum à mari & ab aëre pericula, ſive ad ægrotos, aut dæmoniacos denique curandos geſta ſigillatim exequuntur. Omnes enim vident plane penituſque eſſe incredibile, vt iſta, ſi qua ad hunc modum apud ſe facta eſſent, veteres illi ſanctiſſimi ac diligentiſſimi auctores, non in vno aliquo ex dictis locis celebraturi vel certe commemoraturi fuerint, quæ propria eſt ſcilicet hujus argumenti ſedes, vt vel ex Latinorum vſu atque exemplo patet, qui iſta nullo ex his locis prætermiſerunt. Sed nulla primis Chriſtianis fuiſſe nota hujus generis miracula inde etiam intelligimus, quod illi quæcumque mira apud ſe fiebant, ea alicui ſpirituali Dei gratiæ, homini à quo fiebant, cœlitus ad hoc donatæ, imputant; neque aliter vllum apud ſe miraculum fieri agnoſcunt. Paulus apertiſſime ſic docet, qui loco de divinis per Spiritum ſanctum donis diſputat; *Deum in Eccleſia poſuiſſe virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum.* Tum; *numquid omnes* (inquit) *virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?* Supra autem dixerat, *hæc omnia operari vnum atque eumdem Spritum dividentem ſingulis provt vult; & alij quidem per Spiritum dari ſermonem ſapientiæ; alij autem ſermonem ſcientiæ ſecundum eumdem Spiritum; alteri fidem in eodem Spiritu; alij gratiam ſanationum in eodem Spiritu; alij operationem virtutum, alij prophetiam, alij diſcretionem ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretationem ſermonum.* Hi erant fontes, hæ origines omnium quæ in prima illa Eccleſia mira, ac præter communes naturæ leges fiebant. Nihil hujuſmodi, niſi ab eo fiebat, qui eſſet propria ac peculiari ad id opus apta ac deſtinata gratia à Domino donatus. Nemo verbi gratia ægrotum ſanabat, niſi qui illam, quam Paulus dicit *gratiam curationum*, χαρίσματα ἰαμάτων, per Spiritum ſanctum cœlitus infuſam haberet. Eadem cum Paulo veteres, vt imprimis Iuſtinus de iis verba faciens, qui Chriſto nomen dabant, *Dona accipiunt* (inquit) *vnuſquiſque provt digni ſunt.* Tum, *Ille* (inquit) *accipit ſpiritum intelligentiæ; iſte conſilij, hic veritatis, ille ſanationis: alius præſcientiæ; alius doctrinæ: alius timoris Dei.* Eodemque pertinet quod idem alibi dicit eſſe apud Chriſtianos *& mulieres, & viros qui gratias* χαρίσματα *à Dei Spiritu habeant.* Irenæus ſe multos fra-

CAPVT X.

1.Cor.12. 28, 29.

ibid.v.11.

ibid. v.8.9. 10.

Iuſt.ad Tryph.p.199. lin. 48.

ibid.p.307.

CAPVT X. tres audiviſſe in Eccleſia ſcribit prophetica habentes chariſmata, & per Spiritum vniverſis linguis loquentes. Alibi vero de toto hoc argumento luculentiſſime; *in Chriſti nomine* (inquit) *qui vere illius ſunt* *Iren l.5. c.6* *ibid.l.2.c.57.* *diſcipuli ab ipſo accipientes GRATIAM perficiunt* (curationes ſcilicet & alia mira) *ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum vnuſquiſque accepit donum ab eo. Alij enim dæmones excludunt, &c. alij præſcientiam habent futurorum, &c. Alij autem laborantes aliqua infirmitate per manus impoſitionem curant,*& cætera quæ ſupra exhibuimus. Ex his videmus quæcumque tum fuerunt in Eccleſia miracula ab iis facta eſſe, qui donum ſive *gratiam* à Deo per Spiritum ſanctum in cor ſuũ infuſam accepiſſent, qua hujuſmodi opus fieret; & quidem pro doni ſive *gratiæ* divinæ menſura tardius vel celerius, exilius vel plenius rem ipſam ſucceſſiſſe; vt ex Octavij apud Minutium ſupra recitatis verbis de curatis ope Chriſtianorum dæmoniacis apparet; *Minut.p.82.* Dæmones à noſtris adjurati *vel exiliunt ſtatim* (inquit) *vel evaneſcunt gradatim; prout fides patientis adjuvat, aut GRATIA CVRANTIS aſpirat.* Miracula aliter, quam per hanc fidelibus ipſis curantibus & miniſtrantibus donaram & infuſam *gratiam* facta, nulla agnoſcunt. Iam vero ſatis conſtat illa, de quibus diximus Latinorum miracula nulla ſimili Dei *gratia* fieri, ſed plane alia; ea nimirum quam iſti non Ieſuiſtis & Dogicis ſuis, & aliis hujuſmodi rerum miniſtris, ſed Divorum reliquiis, & imaginibus, & ſpiritibus præſertim ipſis donatam eſſe arbitrantur. Itaque qui hæc apud veteres adminiſtrabant Paulus, Petrus, Gregorius, &c. merito ægroros ſanaſſe, dæmonia expuliſſe, vno verbo miracula feciſſe dicebantur, in quibus ſcilicet divino dono reſidebat vis illa vt ſic dicam θαυματοποιητική, à qua ipſum opus erat profectum. Noſtrorum Latinorum longe diverſa ratio eſt, quorum nemo quod ſciam. *Taumaturgus* ab iſtis adminiſtratis reliquiis, imaginibus, crucibus, dictus eſt. Totum miraculi opus, quantumcumque eſt, iſtis quas adorant rebus ſecundum Deum tribuunt, & meriro profecto, ſi vera ſunt, quæ de iis credunt. Neque ejus, qui Xaverij verbi gratia reliquias ægroto alicui miniſtrat, *gratia* quod air Octavius curationi quicquam *aſpirat.* Imo ille omni hac curationum gratia plane caret; neque eam ſibi arrogar; vt ægrotum, ſi forte convaleſcat, ne *curaſſe* quidem proprie dici poſſit. Hominem non iſte, vt liquet, ſed Xaverius ex Latinorum hypotheſi *curavit.* Itaque apparet nulla fuiſſe apud veteres hujus commatis miracula; quæ ſi aliqua fuiſſent; falſa eſſet nuper memorata eorum definitio, qua omnia miracula gratiæ tribuunt vnicuique fidelium hic apud nos viventium à Domino pro ſuo beneplaciro donatæ ac conceſſæ. Ex Latinorum ſenſu inſtituenda erat quædam partitio; vt hæc miraculoſa opera alia quidem profluere dicerentur à gratia Dei fidelium animis diverſimode ad ſuam gloriam donata; alia vero à virtute quadam eſſe inexplicabili, quam Divis cœlitibus, vel rebus ad eos aliquo modo pertinentibus

tibus, tametſi ſenſu atque anima carentibus Deus infuderit, quales ſunt eorum reliquiæ, & ſigna atque imagines, & cætera hujus cenſus. Quæ cum apud Paulum & veteres intra annum trecenteſimum Scriptores plane ſint inaudita; apparet quæ hujus generis celebrantur apud Latinos miracula, ea apud Chriſtianos tum temporis fuiſſe plane ignota. Vnde & illud certiſſime conficitur quod nos volumus religioſum rerum iſtarum à quibus hæc fieri dicuntur cultum fuiſſe pariter toto illo tempore ignotum; cum nemo non intelligat quam abſurdum ſit & incredibile, vel iſta ſi tum colebantur, non fuiſſe ad miracula patranda adhibita, vel ſi adhibita ſint eo ſucceſſu quem nunc apud Latinos habent, tum temporis caruiſſe. CAPVT XI.

CAPVT XI.

Argumentum VI. contra Latinos de cultu quarumdam creaturarum religioſo traditiones; ex quodam Tertulliani loco ductum, in quo cum ſpecimen edat traditionum quæ abſque Scriptura apud Chriſtianos obtinebant nullius ex iſtis Latinis meminit; Vnde ſequitur nullam earum tunc obtinuiſſe; quas ſi quæ tum fuiſſent, multo potius commemoraturus erat, quam quas refert.

SED nullum fuiſſe harum rerum tertio adhuc ſæculo apud Chriſtianos factitatum cultum etiam ex quodam Tertulliani de traditionibus non ſcriptis loco clare, vt mihi quidem videtur, intelligimus. Quod vt demonſtrem illud inprimis aſſumo, quod negari non poteſt, nimirum nuſquam in Dei litteris, quas habemus ſcriptas, præceptum eſſe, vt vel Euchariſtiam latria adoremus, vel Divos, eorúmve reliquias, aut imagines ſacras, vel cruces denique ex materia factas religioſe colamus; Vnde illud quoque evidenter ac neceſſario conſequitur earum rerum cultum, ſi ab Apoſtolis (quod Latini volunt) traditus eſt, viva tantum voce fuiſſe traditum, adeoque inter traditiones ἀγράφους non ſcriptas eſſe cenſendum; quo loco ac numero hodie à Latinis haberi eum cernimus; vt ex Pereſio, ne alios laudem, patet, qui in opere de Traditionibus ſuo iſta omnia fere tractat. Iam vero ex illo Tertulliani, quod mox deſcribemus, teſtimonio luce meridiana clarius eſt nondum fuiſſe harum rerum cultus inter ea cognitos, quæ abſque ſcripto tradita obſervabantur. Defendit ille militis Chriſtiani factum, qui Imperatorum donativum à Tribunis accepturus, acceſſerat coronam, non capite, vt cæteri commilitones, ſed manu geſtans; qua habitus diverſitate cum hominem Chriſtianum eſſe patuiſſet, idque ipſe interrogatus fortiter eſſet confeſſus,

CAPVT XI.

exauctoratus & in carcerem conjectus eſt capite ex legibus Romanis
multandus. Vnius viri temeritate ſollicitatam communem omnium
pacem periclitari indignabantur plærique alii, Chriſtiani & quidem
orthodoxi; quod iſti licuiſſet perinde, vt aliis conſecraneis, corona
Tertull. de Corona c. 1. p. 120. D. in caput admiſſa periculum defugere; *Vbi enim* (inquiebant) *prohibemur coronari?*. Tertullianus & ſuopte ingenio ſeverior, & Mon-
tani inſuper diſciplinis jam tum ad ſuperſtitionis moroſitates corru-
ptus, militem negat reprehendendum; negat fas eſſe Chriſtianum
coronam capite geſtare; idque libro, cui inde titulus *de corona*, toto
defendit. A primo communem in aliis omnium Chriſtianorum mo-
ibid. c. 2. D. rem affert in medium, *nullum coronam capite noſſe alias extra tempus
tentationis hujuſmodi: omnes ita obſervare à catechumenis vſque ad*
ibid. *confeſſores & martyras.* Sed vrgentibus tamen adverſariis; & *exigen-
tibus vbi ſcriptum ſit ne coronemur*, ipſe reſpondet ſatis eſſe quod hoc
ibid. c. 3. C. eſſet traditum, etiamſi non eſſet ſcriptum; neque enim hoc vſurpari
& obſervari potuiſſe, niſi prius fuiſſet traditum. *Sed* adverſariis,
qui Catholici erant, contendentibus *etiam in traditionis obtentu exi-
gendam eſſe authoritatem ſcriptam*; hic Tertullianus plane ac liquido
ibid. C. negat *traditionem niſi Scriptam non debere recipi:* pugnat *alias obſer-
vationes, quæ ſine vllius ſcripturæ inſtrumento, ſolius traditionis titulo,
& exinde conſuetudinis patrocinio vindicentur*, continuoque recenſet
non pauca ejus generis, quæ tum ſcilicet, apud omnes, vel plæroſque
certe Chriſtianos abſque vlla Scripturæ lege, ſola traditionis auctori-
ibid. p. 121. C D. tate obtinebant. *Vt à baptiſmate* (inquit) *ingrediar, aquam adituri
ibidem, ſed & aliquanto prius in Eccleſia ſub antiſtitis manu conteſta-
mur nos renuntiare diabolo, & pompæ & angelis ejus. Dehinc ter mer-
gitamur, amplius aliquid reſpondentes quam Dominus in Evangelio de-
terminavit. Inde ſuſcepti lactis & mellis concordiam prægustamus; exque
ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadem abſtinemus. Eucha-
riſtiæ ſacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum à Do-
mino, etiam antelucanis cætibus, nec de aliorum manu quam præſiden-
tium ſumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die faci-
mus. Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare.
Eadem immunitate à die Paſchæ in Pentecoſten vſque gaudemus. Ca-
licis, aut panis, etiam noſtri, aliquid decuti in terram anxie patimur.
Ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum,
ad veſtitum, ad calciatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubi-
lia, ad ſedilia, quacumque nos converſatio exercet, frontem crucis ſigna-
culo terimus. Harum, & aliarum ejuſmodi diſciplinarum ſi legem
c. 4. p. 122. A expoſtules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætendetur
auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix. Rationem tra-
ditioni, & conſuetudini, & fidei patrocinaturam, aut ipſe perſpicies,
aut ab aliquo, qui proſpexerit, diſces; interim nonnullam eſſe credes,
cui debeatur obſequium.* His aliud quoque exemplum addit, *ſolenne
fuiſſe*

fuiſſe Iudæorum fœminis velamen capitis ex traditione, non ex aliqua lege ſcripta, quam nullam fuiſſe in Veteri Teſtamento contendit? Hæc omnino eſt Tertulliani in laudato loco diſputatio. Montani ſui audaciæ ac novis legibus velificantis, & ex his concludentis *omni fideli licere concipere & conſtituere duntaxat quod Deo congruat, quod diſciplinæ conducat, quod ſaluti proficiat*; quam poteſtatem Latini nulli alij in Eccleſia concedunt, niſi vni ſuo Pontifici. Verum nunc quidem controverſia, quæ eſt alterius loci. Illa duntaxat hic obſervemus, quæ ad rem præſentem pertinent; Ac primum quidem quæramus, qua fronte Catholici illi quos hic oppugnat Tertullianus, *ſcripturæ auctoritatem* in hac cauſa poſtulaverint: quo pudore etiam *in traditionis obtentu exigendam eſſe auctoritatem ſcriptam* ingeminaverint; ſi ipſi cum vniverſa illius temporis Eccleſia abſque vlla Scripturæ lege, ex ſola traditione ἀγράφῳ, non modo obſervationes à Tertulliano memoratas vſurparunt, (quæ profecto levioris ſunt momenti omnes & plæræque ad communis vitæ Eccleſiaſticique ordinis diſciplinam magis quam ad ipſum fidei cultus, ac religionis caput pertinent.) Sed etiam Euchariſtiæ, & Divorum & reliquiarum, & imaginum, & crucis denique cultum atque adorationem factitarunt, quæ eſſe longe graviſſima, & in religione capitalia ac neceſſaria Latini noſtri judicant? Quid enim quæſo vel iniquius vel etiam impudentius fieri poteſt, quam vt tu alios quidem abſque Scripturæ lege nolis religioſum putare coronam capiti imponere? te vero ac tuos cenſeas, etiam abſque ulla Scriptura, Euchariſtiæ adorationem, & cæterorum quæ diximus, cultum neceſſarium religionis partem conſtituere, impune poſſe? Latinos quidem qui in hac ſunt ſententia videmus adeo non credere exigendam eſſe etiam de minimis traditionibus ſcriptam auctoritatem; vt plane contra edicant traditionem, etiam abſque vlla Scriptura valere. Veteres ergo iſtos catholicos qui longe aliter inſtituunt, neque quicquam neceſſarium, niſi ex Scripturæ lege judicari ac definiri patiuntur, omnino fatendum eſt, neque Euchariſtiæ, neque iſtorum, quæ nunc Latini adorant culturam aliquam neceſſariam religionis partem cenſuiſſe; cum eum cultum planum ſit nulla Scripturæ legi niti. Deinde & hoc de Tertulliano itidem quæro; cur iſte, cum traditiones abſque Scriptura valere etiam apud Eccleſiam defendat; non potius hæc attulerit Euchariſtiæ adorationem, & imaginum, ac reliquiarum, & crucis cultum, & Divorum invocationem, quam iſtas plæraſque leviculas profecto obſervationes, in quibus recenſendis tantum hic operæ poſuit? Obiicit etiam Catholicos abſque Scripturæ lege *anxie pati calicis, aut panis*, non modo Euchariſtici, ſed *etiam ſui* (id eſt communis, ac minime ſacri) *aliquid decuti in terram*. Quanto fortius traditionem erat commendaturus, ſi ex ea & abſque Scriptura Euchariſtiam totam latria æque ac Deum adorari & reliquias mortuorum, etiam per ſe viliſ-

CAPVT XI.

vjliſſimas, vt chartulas, & pectines, & veſtium detritarum particulas, religioſiſſime coli; & contra diſertas Scripturæ leges, ſculptiles futileſque & pictas tum Dei, tum innumerabilium Divorum imagines conſecrari, & honoribus humana omni veneratione majoribus affici objeciſſet? Obiicit Catholicos abſque Scripturæ lege, dominico die & tota Penticoſte ſtantes orare; nefaſque putare eo tempore de geniculis adorare. Quanto majus erat iſtos ſola traditionis auctoritate, non ſitum modo corporis, quo orare deceat, circumſcribere, ſed etiam objectum orationis novum inſtituere auſos; Angelos & Divorum Divarumque exutos carne ſpiritus religioſe abſque vllo ſcripto mandato invocare? Obiicit denique etiam iſtos in eo ſecum conſentire, quod nullius Scripturæ edicto, ſolius traditionis decreto ſoleant in omni convocationis parte frontem crucis ſignaculo terere. Sed multo amplius eſt crucis figuras ligneas quidem atque ſaxeas vbique ad omnes ſuas Eccleſias figere, aureas vero vel argenteas ſecum geſtare, ex coloribus denique paſſim in ſuis parietibus pingere, & horum ſimulacrorum multa pronos & ſummiſſos venerari, oſculari, adorare. Qui Tertulliani vim, ingenium, morem norit, non dubitabit, ſcio, quin iſta exempla, vel aliis, quæ affert adjecturus, vel etiam illis ſuppreſſis ſola hæc editurus fuerit, ſi & ipſe & cæteri illius memoriæ Chriſtiani Euchariſtiam & Divos, & reliquias, & imagines, & cruces religioſe jam tum colere conſuevilſſent. Et tamen videmus acerrimum Scriptorem iſtorum nihil loco tam opportuno, tamque neceſſario dixiſſe. Ergo confitendum eſt, nondum eo tempore extitiſſe illam Latinorum traditionem, quæ quinque hæc, quæ ſæpe diximus, objecta religioſe ab omnibus Chriſtianis coli jubet.

CAPVT

CAPVT XII.

Argumentum VII. ex eo ductum, quod trium primorum ſeculorũ Chriſtianos conſtet à Paganis pro atheis,& irreligioſis habitos, iiſque impietatis elogiis infamatos, quorum nullus color erat ex Paganico de religione dogmate futurus, ſi Euchariſtiam, Divos, Reliquias, imagines, cruces Veteres illi Chriſtiani ſic coluiſſent, vt hodie colunt Latini, quod & ratione & Apoſtolorum apud Indos Latinorum exemplo confirmatur; quibus nuſquam à Paganis objectum legimus impietatis, & irreligioſitatis crimen.

HOc vero ipſum præter Chriſtianorum, voces atque teſtimonia, Paganorum quoque de Chriſtianis lœdoriæ, ac judicia non parum confirmant, quod nunc exſequendum eſt. Conſtat imprimis ex veteribus libris ſolenne hoc fuiſſe Ethnicorum in noſtros convitium, vt eos *impios & atheos & irreligioſos* dicerent. Antoninus Pius, Auguſtus in epiſtola ad Aſiaticos de Chriſtianis; τὴν γνώμην αὐτῶν ἣν ἔχουσιν, ὡς ἀθέων κατηγορεῖτε, *Eorum ſententiam veluti atheorum accuſatis.* Iuſtinus ſe & ſuos ἀθέους καλεῖσθαι *atheos vocari* tradit; Sic quoque Athenagoras Athenienſis *trium flagitiorum infamem rumorem de Chriſtianis ſpargi dicit, impietatem, epulas Thyeſteas, & Oedipodeos concubitus*, τρία ἐπιφημίζουσιν ἡμῖν ἐγκλήματα, ἀθεότητα, Θυέστεια δεῖπνα, οἰδιποδείους μίξεις. Inde illa furentis plebis in Chriſtianos crebra exclamatio; αἶρε ἀθέους, *Atheos tolle*; quam Polycarpus in martyrio dicere à Proconſule juſſus eſt. Et acta ab Vſſerio edita habent plebem vniverſam de Polycarpo clamaſſe, οὗτός ἐστιν ὁ τῆς ἀσεβείας διδάσκαλος, ὁ πατὴρ τῶν χριστιανῶν. *Hic eſt impietatis magiſter, Chriſtianorum pater*; pro quo apud Euſebium legitur, οὗτός ἐστιν ὁ τῆς ἀσίας διδάσκαλος.. *Hic eſt Aſiæ magiſter.* Itaque apud Lucianum Pſeudomantis Alexander, in quadem myſteriorum initiatione denuntiat inprimis, εἴ τις ἄθεος, ἢ χριστιανὸς ἢ ἐπικούρειος, ἥκει κατάσκοπος τῶν ὀργίων φευγέτω. *Si quis Atheus, vel Chriſtianus vel Epicureus, orgiorum explorator venit, procul hinc faceſſat.* Vides vt Chriſtianos inter atheos impoſtor eodem cum Epicureis ordine cenſeat. Clemens vero Alexandrinus hoc quoque nomine philoſophos Ethnicos reprehendit, quod *temere nulloque judicio atheos, & impios vocarent eos, qui verum Deum norunt*; ματαίως ἀθέους ὑπονοοῦντας τοὺς τὸν ὄντι θεὸν ἐγνωκότας. Chriſtianos, vt liquet, intelligit. Latini eadem referunt. Arnobius; *Infauſti*; (inquit) *& athei nuncupamur*; & alibi, *Quantumlibet* (inquit) *nos impios, irreligioſos vocetis, aut atheos, nunquam fidem facietis eſſe amorum Deos.* Sic iterum in eodem opere; *Illud nobis propoſitum eſt, vt quoniam nos impios & irreligioſos vocatis, vos contra pios, & Deorum contenditis eſſe cultores,* demon-

apud Iuſt. Apol. 2. p. 78. l. 44.
Id. ibid. p. 43. l. 32.
Athenag. leg. pro Chriſt. Bibl. Patrum Gr Lat. T. 1. p. 52. D.
Acta. Martyr. Polyc. & apud Euſeb. Hiſt. l. 4. c. 15.
Act. ibid. p. 23.
Lucian. in Pſeudom. T. 1. p. 888. B. C.
Clem. Alex. Strom. l. 7. init.
Arnob. contr. gent. l. 1. p. 20. & l. 3. p. 147. & l. 4. & l. 6. init.

CAPVT XII.

demonſtrare atque in medio ponere ab hominibus magis nullis ignominioſius eos tractari quam à vobis. Et alia rurſum in parte; *conſuetis* (inquit) *crimen nobis maximum impietatis affigere.* Atque hoc Chriſtianiſmi elogium tam fuit apud Ethnicos vulgare, vt Dio Caſſius Fabium Clementem, & Domitillam conjugem à Domitiano Imperatore damnatos, cum vellet ſignificare Chriſtianiſmi fuiſſe reos, ſimpliciter ita dixerit, ἐπηνέχθη δὲ ἀμφοῖν ἔγκλημα ἀθεότητος; *Ambobus illatum eſt impietatis crimen.* Idem paulò poſt Nervæ in eos æquitatem ac clementiam narrans, qui ob Chriſtianam religionem à Domitiano erant vel comprehenſi, vel pulſi; ὁ Νερύας (inquit) τούς τε κρινομένους ἐπ' ἀσεβείᾳ ἀφῆκε, καὶ τοὺς φεύγοντας κατήγαγε; *Nerva eos qui ob impietatem rei facti erant, abſolvit, qui exules, reſtituit:* Et ſtatim de eodem; τοῖς δὲ δὴ ἄλλοις οὔτ' ἀσεβείας, οὔτ' Ἰουδαϊκοῦ βίου καταιτιᾶσθαί τινας συνεχώρησε. *Ceteris neque impietatis, neque Iudaïci ritus quemquam accuſare permiſit.* Quam dicit impietatem (ἀσέβειαν, vel ἀθεότητα) Chriſtianiſmum liquido intelligit; vt vel ex adjuncto impietati ritus *Iudaici* crimine patet. Denique tetro ſub Paganis Principibus obtinuiſſe, vt Chriſtiani dicerentur *impij* atque *irreligioſi*, vel hæc Lactantij ad Conſtantinum de ſuorum temporum fœlicitate gratulatio ſatis teſtatur; *Nemo jam nobis* (inquit) *Dei nomen exprobrat. Nemo IRRELIGIOSVS vlterius appellatur; qui ſoli omnium religioſi ſumus.* His ita conſtitutis quæro cur hoc potiſſimum ἀθεότητος, ſive ἀσεβείας, impietatis, ac (vt ſic dicam) *irreligioſitatis* elogio Chriſtianos Græci, Romanique ſugillarint? An quod eos revera crederent omne numen negare funditùſque tollere, quidquid de divina aliqua natura cæteri mortales opinantur? At eos qui Ethnici acerrime calumniantur, agnoſcunt tamen Deum quemdam ſummum atque inexplicabilem revereri; atque de ejus ingenio, & magnitudine multa philoſophari, quæ ipſi quidem repudiant atque irrident; ſed eo ipſo fatentur ſe probe ſciviſſe fuiſſe ſuum etiam Chriſtianis Deum; vt ex Cæcilij copioſa & diſerta diſputatione conſtat, noſtris exprobrantis, quod Deum ſuum velint in omnium mores, actus omnium, verba denique & occultas cogitationes diligenter inquirere, diſcurrentem atque vbique præſentem; & cætera quæ noſtro de Deo dogmati probe congruunt, ſi modo profanæ ἐκφράσεως impietas purgetur; qua id infamare ſtuduit Cæcilius. Ne Chriſtum quidem cultum & adoratum fuiſſe à noſtris religioſiſſime plane vt Deum, neſciverant Pagani; vt ex Plinio & Celſo apud Origenem, & ex aliis non paucis liquet. An ergo noſtros ideo impios & irreligioſos eſſe putarunt, quod vnum tantum veri nominis Deum eſſe crederent, eoque contenti ac beati cæteris, quæ Ethnici colebant, Deorum nomen honoremque negarent? Ne hæc quidem videtur fuiſſe propria ac vera illius in noſtros probri cauſa. Iudæos enim tametſi illorum eadem nobiſcum eſſet de Dei vnitate atque monarchia ſententia, nunquam tamen, quod equidem ſciam, auditum impie-

Dio in epit. Xiphil. in Domit. p. 236 D.

Id. ibid in Nerv. p. 240. A. ibid. B.

Lact. Inſt. l. 7. c. 26. p. 439

Minut. Fœl. in Octav. p 26.

impietatis, & ἀθεότητος fuiſſe ab Ethnicis notatos, vel accuſatos. Multa in miſeram illam gentem probra, & crimina; multa turpia, vel inhoneſta, vel ridicula à Paganis ſcriptoribus conjecta, quædam etiam conficta; quæ ex Tacito in hiſtoriis & Ioſepho contra Apionem & aliis diſcimus. Iudæis qui ἀθέων elogium donarit, vel ἀθεότητα aut ἀσέβειαν pro Iudaiſmo dixerit, neminem reperio. Itaque Dio in loco nuper allato ἀσέβειαν *impietatem* (quo nomine Chriſtianiſmum ſignificat) diſerte ἀπὸ τῷ Ἰουδαίων βίῳ ἀγαγόντες *Iudaico* diſtinxit, eo Iudaiſmum impietatis apertiſſime abſolvens. Soli fuerunt ex omni nationum genere Chriſtiani, quos hoc infamiæ titulo inſignierunt; ſolus ex cætera religionum copia Chriſtianiſmus, quem ἀθεότητα impietatem, & irreligioſitatem vocandum putaverunt. Quid ergo tandem Gentiles ad tam ſingularem & præpoſteram inſaniam adegit, vt non *atheos, impios, & irreligioſos* vocitaverint? Cauſa non eſt obſcura. Nimirum cum cæcis ſuperſtitionibus impediti omnem pietatem, & religionem, non in ſpirituali & interiori cultu, quem Chriſtus vnus docuit, ſed in externis, & ſenſui expoſitis ſignis, pompis, ac ritibus, & aliis hujuſmodi rebus, quas à ſtultiſſimis majoribus acceperant, ſitam eſſe ſibi perſuaderent, Chriſtianorum, apud quos nihil hujuſmodi cernebant, nullam religionem, pietatem nullam eſſe facile ſuſpicati ſunt. Ex hac craſſa quidem & humano ingenio indigna, ſed tamen omnium pene hominum communi ignorantia profluxit iniquiſſima illa calumnia qua Ethnici olim omnium religionum ſanctiſſimam atque diviniſſimam infami ἀθεότητος, & ἀσεβείας nomine ſolam donare ac traducere non dubitarunt. *In hac conſueſtis parte* (ita enim eos convenit Arnobius) *crimen nobis maxima impietatis affigere, quod neque ædes ſacras venerationis ad officia conſtruamus, non deorum alicujus ſimulacrum conſtituamus, aut formam, non altaria fabricemus, non aras, non cæſorum ſanguinem animantium demus, non thura, neque fruges ſalſas, non denique vinum liquens paterarum infuſionibus inferamus.* Lactantius: *Soli omnium religioſi ſumus, quoniam contemptis imaginibus mortuorum vivum colimus & verum Deum.* Dum ſic loquitur non obſcure ſignificat ſe antehac irreligioſos eo fuiſſe habitos, quod ſacris imaginibus carerent. Cæcilius hanc in Chriſtianos cauſſam ſic quoque agit. *Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota ſimulacra?* Inde argumentatur *pravam* adeoque nullam eſſe eorum religionem, & ſi quid colunt, id *aut puniendum eſſe aut pudendum.* Quærit *vnde, aut quis ille, aut vbi Deus vnicus* (cujus ſcilicet cultum profitebantur) *ſolitarius, deſtitutus?* quem non gens libera, *non regna, non ſaltem Romana ſuperſtitio noverunt?* Deum videlicet requirebat viſibilem, ac in ſenſus quoquomodo incurrentem; Queritur Chriſtianos hunc ſuum, quem prædicant, *Nec oſtendere poſſe, nec videre.* His meritis *atheos & impios* jure cenſendos putarunt. Sed neque Cæcilium piguit Iudæorum à noſtris diſparitatem oſtendere, quod etiamſi *vnum*

CAPVT XII.

Arnob. l. 6. init.

Lactan. l. 7. c. 26. p. 439.

Apud Minut. in Octau. p. 25.

ibid p. 26.

ibid.

R   *& ipſi*

CAPVT XII.

& ipſi Deum, palam tamen *templis*, aris, victimis ceremoniiſque *coluerunt*. Ergo quod iſtis hæc externa non defuiſſent, eo factum ne impietatis elogium, tametſi vnius Dei cultoribus, affigeretur. Ita inveſtigata eſt convitij apud Ethnicos olim in noſtros majores longe famoſiſſimi atque invidioſiſſimi vera certaque ratio. Iam quiſquis mentis oculos in hodiernum Latinorum cultum converterit, is ſtatim perſpiciet, ſi ille tunc apud Chriſtianos veteres obtinuiſſet, vt nunc apud iſtos obtinet, nullam habituros fuiſſe Paganos, non dico cauſam, ſed vmbram, coloremvé vllum cur hoc noſtris majoribus impietatis crimen velut eorum proprium ac ſingulare intenderent, objectarent, & omni loco ac tempore exprobrarent. Ethnicis impietas fuit nulla habere templa, altaria, ſimulacra, ſacrificia, nullum Deum viſibilem, qui *oſtendi poſſit & videri*. Latini nullo iſtorum carent. Templa habent & altaria & ſigna, & Dei Divorum Divarumque ſimulacra ænea, aurea, argentea, lignea, lapidea, ſacra & cæremonias, omnia cum Paganicis certantia: Deum præſentiſſimum, qui & videtur & in omnibus ſacris oſtenditur, ad hæc Divos in ſuis imaginibus, in ſuis miraculis & apparitionibus, in ſuis fanis lociſque, in ſuis capſis & ferertris, ac in ipſis denique reliquiis ſuis, ac reliquiariis viſibiles, portatiles, & geſtatiles. Ne apud Paganos quidem vllus fuit Deus tam ad vota hominum facilis, quam eſt Latinorum Deus, qui in omni ara, atque arula ſtatim ad ſacrum ſacerdotis carmen præſto eſt, de cœlis in manum advolat, ac ne os quidem & ventriculum ſuorum ſubire dedignatur. Itaque Ethnicis, qui in his pietatem collocant, nihil profecto eſt qua impietatis Latinos arguant, vel ſuæ in iis pietatis partem aliquam deſiderent. Nunc quidem eos nuſpiam apud Ethnicos hac infamia ſugillari; vel ipſos *impios*, vel ipſorum *religionem abiliutæ* & *impietatem* vocitari audimus. Ieſuitæ Paganos etiam in remotiſſimis orbis partibus abditos ſcrutati ſunt, adierunt, in medias gentes ſe intulerunt, & quidem cætera cultiſſimas, neque veteris vel Græciæ vel Italiæ moribus & humanitate inferiores. Narrant ipſi ſuas expeditiones, ſuos caſus, ſua pericula; quas quantaſque perſecutiones, quas injurias contumeliaſque pertulerint; vt ſuſpectus gentibus ſuus adventus, vt inviſa exagitataque fuerit, & variis criminibus impetita religio; *Impietatis, & irreligioſitatis* apud vllos vel Iapones vel Sinas publice damnatos fuiſſe, non equidem memini. Ac merito quidem ita accidit. Quis enim niſi furat Ethnicus, *impietatis* ſuſpectos habeat apud quos ea omnia abundare cernit, in quibus ipſe pietatem ſitam eſſe putat? Magis eos crediderim, vbi illa Latinorum ſacra omnibus ritibus, coloribuſque, numeriſque ſuis ad venuſtatis & decoris ſpeciem inſtructa atque abſoluta primum viderunt; vbi dies horaſque, victum, veſtitum, ſomnum ipſum ac vigiliam, cætera ad religionem diſtincta ac compoſita, vbi nuſquam iſtos abſque corollis, roſariis, granis benedictis, reliquiariis, & aliis ſacris ſive ornamentis,

t ſive

ſive munimentis ſtare, progredi, aut ſedere, religionem d: nique omnia apud eos longe lateque obſidere atque occupare, nihil vt ſit in tota ipſorum vita pietate illa ſua vacuum; Paganos inquam crediderim, vbi hæc apud Ieſuitas animadverterunt, modum aliquem in tam anxia religione deſiderare; & ſi quis eſt non ſtultus, eam ſuperſtitionis potius quam impietatis ſuſpectam habere; & aliquid Paulini illius conſimile in os iis occinere Ξένοι κ᾽ πάντα ὡς δεισιδαιμονεστέρους ὑμᾶς θεωρῶ. *Viri hoſpites, ego vos per omnia quaſi ſuperſitioſiores video.* Illud quidem quod dixi conſtat non fuiſſe à Sinis & Iaponibus Ieſuitas pro impiis & irreligioſis habitos. Plane alia ſunt crimina, quorum iſtic inſimulati ſunt: Neque ipſi ſane diffitentur, quod impietatis crimen apud iſtas gentes vitarunt, id ſe ſuis imaginibus, & aliis ejuſdem ingenij externis & materialibus rebus debere; quod ex iis patet, quæ Trigautius affert ad confirmandum ſuum in hujuſmodi ornatu cultuque ſtudium. Cum dixiſſet *imaginum* ſacrarum, quas ex Europa advexerant, *theſaurum brevi apud Sinas defeciſſe*, ob neophytorum multitudinem, in quos illæ quotidie erogabantur; addit *ſuos ea re coactos fuiſſe Chriſti Servatoris effigiem, indigenis ſculptoribus in lignea tabula ſculpendam dare*; quo ſcilicet lignea iſta Chriſti ſimulacra exuſtis neophytorum idolis in oratoriis ſufficerentur; Tum ne quis obiiceret potius exſpectandum fuiſſe, vt aliæ Europæi operis imagines æreæ afferrentur; ille contra mature docet, id ita neceſſario à ſuis factum eſſe, ex eo quod (inquit) *nuda inanium Deorum ſimulacris oratoria oportebat ſacris IMAGINIBVS opplere, NE ab Ethnicis ſpectatoribus nimis nuda religio noſtra, aut SINE NVMINE eſſe videretur.* Hæc Trigautius; qui profecto clarius profiteri non potuit Ethnicis eos ſine Nvmine, id eſt impios & atheos videri, apud quos nullas imagines cernunt; pios & religioſos, quos ex copia bene inſtructos eſſe perſpiciunt. Vnde clarum eſt vel hoc ipſo Ieſuita judice, cur factum ſit, vt impietatis & irreligioſitatis noſtros quidem veteres Græci Romaniq; accuſaverint; Latinos nuper neque Sinæ neque Iapones accuſaverint; Nimirum his oratoria ſunt imaginibus opplera; Illis nullæ erant imagines; imo ne ſacella quidem vlla fuiſſe videntur. Itaque dubitandum non eſt, quin hac quoque *impietatis* invidia atque infamia apud Græcos ac Romanos pariter cariturus fuerit vetus Chriſtianiſmus, ſi idem quod iſti nobis perſuadere volunt, fuiſſet cum hodierna eorum religione. Aliter factum videmus: Diverſum igitur fuiſſe neceſſe eſt; neque præſentem Deum ſuis initiatis adorandum in Euchariſtia exhibuiſſe, neque Divos colendos aut eorum reliquias, atque imagines, aliaque ſacra ſigna veneranda prætuliſſe; quæ ſi in vſu religionis apud primos illos fideles fuiſſent, nunquam profecto Ethnicis in mentem veniſſet eos pro impiis, irreligioſis atque atheis damnare ac traducere; vel ab iis quærere, vbi eſſet ipſorum Deus, vel negare eum *videri & oſtendi* poſſe, vel expoſtulare, quod nullius Divi ſimu-

Caput XII.

Act 17. 22.

Trig. Sinic. l. 5. c. 4. p. 502.

ſacrum, aram, delubrum, monumentum haberent; quæ, vt quivis intelligit, nemo, quantumvis vel ſtultus vel iniquus, à Latinis noſtris hodie quæſierit.

CAPVT XIII.

Argumentum VIII. ex eo ductum quod primi illi veteres Chriſtiani de impietatis & irreligioſitatis crimine pulſati conſtanter reſpondent ſe vnum Deum verum ac ſolum colere; de cultis à ſe Divis, imaginibus, &c. quod erat Paganis abunde ſatisfacturum, nullum vſpiam verbum faciunt.

IAM cum hoc eſſet illius de impietate calumniæ ingenium, hæc mens, atq; hic ſenſus, omnino Patres decebat ad eā refellendā cultus Euchariſtiæ, Divorum Divarumque ſuos enarrare; ſuam reliquiarum ſacrarum venerationem, ſuas denique omnis generis imagines, atque cruces, ſua delubra ac fana explicare, & oſtendere ſi quid in iis legitimæ pompæ deſideraretur, id non ſuæ in ſacra impietati, ſed perſecutorum crudelitati atque amentiæ eſſe imputandum qui non ſinerent ſe quæ ſua in res divina religio cupiebat, penitus ea implere. Ita ſe defenderent nunc Ieſuitæ, ſi qui eſſent Sinæ aut Iapones adeo cæci atque obtuſi, qui viris in hos externos cultus profuſiſſimis impietatem tamen aut irreligioſitatem obiicerent. Atqui in hoc diluendo crimine, quod longe erat atrociſſimum, nullam veteres Chriſtiani Euchariſtiæ adorationem, nullas aras, nulla delubra, nullam aut in Divos Divaſque, aut in ſacras reliquias, cruces, atque imagines religionem ſuam memorant. Quis ergo dubitet iſtos cultus nullos apud eos fuiſſe, quos locis tam opportunis tacent, in quibus ad pietatis & religionis in res divinas ſuæ confirmationem neceſſario dicendi erant, ſi qui tum fuiſſent? verum illi in hujuſmodi diſputationibus iſtorum non modo nihil memorant, ſed quædam etiam à ſe vel fieri, vel facienda eſſe diſerte ac rotunde negant. Certe cum Arnobius ſe & ſuos

Arnob. l. 6. init.

impietatis à Paganis ideo accuſari dixiſſet, *quod ædes ſacras ad venerationis officia non conſtruerent, non alicujus Deorum ſimulacrum aut formam conſtituerent, non altaria fabricarent, non aras, non thura, non fruges ſalſas, non vinum liquens inferrent;* ad hæc nihil eorum reſpondet quæ nunc Ieſuitæ in ſimili cauſa dicerent, quæque omnino tali loco dicenda erant, ſi Arnobianorum Chriſtianorum cultus Ieſuiticus fuiſſet; eſſe ſcilicet ſibi ædes ſacras, eſſe aras, eſſe imagines & formas & quidem multiplices; Sed Deo vero, veriſque Divis ſacras; neque ſuis ſacris vel thura, vel fruges, vel merum deeſſe, ſed in vſus pios, non nefarios, non adorandis dæmonibus & idolis, ſed vni vero Deo placando atque propitiando. Nihil iſtorum Arnobius; Quinimo

ſimpli-

CAPVT XIII.

ſimpliciter confitetur hæc templa, altaria, ſimulacra ſacra à Chriſtianis revera non fieri; tantum negat ex aliqua animi impietate proficiſci, quod iſta non faciant; pugnat recto judicio veraque ratione talia ab iis omitti. *Quæ quidem* (inquit) *nos ceſſamus non ideo vel exædificare, vel facere, tanquam impias geramus, & ſceleroſas mentes, aut aliquam ſumpſerimus temeraria in Deos deſperatione contemptum; ſed quod Deos arbitramur & credimus (ſi modo Dij certi ſunt, & nominis hujus eminentia prædit) honorum hæc genera, aut riſui habere, ſi rideant, aut indigne perpeti, ſi motibus exaſperentur irarum.* Hæc ille; quæ quis non videt, quantopere à Latinorum placi is abhorreant, qui hæc à divino ingenio adeo nõ putant aliena, vt Deũ & Divos templis, ſimulacris, thure, & ſacris rite, religioſeque coli definiant? Iuſtinus vero ad eandem de *impietate* criminationem, hoc vnum reponit, ſe Paganorum quidem Deos minime colere; cæterum verum Deum & ejus Filium, hominum & Angelorum doctorem, & Spiritum Sanctum colere atque adorare, cum ratione & veritate venerantes, & quę docti ſunt ea candide ſi qui diſcere voluerint, impertientes. Sic etiam Iuſtino nonnihil recentior Athenagoras, cum ex tribus criminibus, quorũ à Paganis accuſatos fuiſſe Chriſtianos dicit, primum quod erat ἀθεότητος ſeu impietatis refellit, in ea cauſa ſic verſatur, vt Deum vnum eſſe, eumque à noſtris religioſiſſime coli, rerum omnium conditorem ac conſervatorem optimum maximum, fuſe variis & eruditis tum à rerum ipſarum veritate, tum etiam à ſapientiſſimorum apud Gentes virorum teſtimonio petitis argumentis probet; totamque hanc tandem ſuæ diſputationis partem his ipſis verbis concludat. Ὡς μὲν οὖν οὐκ ἐσμὲν ἄθεοι, θεὸν ἄγοντες τὸν ποιητὴν τοῦδε τοῦ παντὸς καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ Λόγον, κατὰ δύναμιν τὴν ἐμὴν, εἰ καὶ μὴ πρὸς ἀξίαν, ἱκανῶς ἐλήλεγκται. *Quantũ igitur in me fuit, etſi non pro dignitate rei demonſtratum eſt nos nequaquam eſſe atheos, qui Vniverſitatis hujus opificem, ſimulque ejus Verbum Deum habemus & ducimus, atque veneramur.* Neque aliter Clemens Alexandrinus, dum eandem calumniam paucis, ſed tamen fortiter ita confutat, ὁ τοίνυν θεὸν πεπεισμένος εἶναι παντοκράτορα, καὶ τὰ θεῖα μυστήρια διὰ τοῦ μονογενοῦς παιδὸς αὐτοῦ μεμαθηκὼς, πῶς ἄθεος; ἄθεος γὰρ ὁ μὴ νομίζων εἶναι θεόν. *Is ergo qui perſuaſum habet Deum eſſe omnipotentem, quique divina myſteria à Filio ejus unigenito didicit, quomodo ille atheus eſt,* id eſt impius? *is enim atheus,* impius, *qui non putat eſſe Deum.* De Euchariſtiæ, de Divorum, de Matris Virginis cultu, de reliquiarum, & Imaginum, & crucis veneratione in quibus nunc Latini non contemnendam pietatis partem conſtituunt, nullum hi plane verbum faciunt: eoque liquido confitentur nihil ſe iſtorum in cultu religionis habuiſſe.

ibid.

Iuſt. Apol. 2. p. 43. & 31. 35. 36.

Athen. legat. pro Chriſt. T. 1. Bibl. Patr. Gr. Lat p. 52. D. & ſeqq. ad 76.

ibid. p. 76.

Clem. Alex. Strom. l. 7. p. 701. C.

CAPUT XIV.

Argumentum IX. ex variis Gentilium de Chriſtianorum Deo calumniis, ac ſuſpicionibus; quos alij caput aſini, alij Solem, alij alia colere jactabant; Nemo Euchariſtiam, aut Divos, aut Reliquias colere dixit; quod tamen ſi hæc vere culta à Chriſtianis eſſent, & facile erat diſcere, & invidioſiſſimum objectare.

ID ipſum etiam clarius perſpicitur ex iis, quæ ab Ethnicis de Chriſtianorum cultu temere credebantur, & falſo ſpargebantur. Multiplicem ac variam fuiſſe ea de re illorum opinionem teſtantur Minutius & Tertullianus, vetuſtiſſimi Scriptores; Quoſdam jactaſſe caput aſini conſecratum a noſtris coli; alios antiſtitis genitalia; fuiſſe qui Solem ab iis adoratum, fuiſſe qui hominem ſummo ſupplicio pro facinore punitum, & crucis ligna foralia noſtras cærimonias dicerent. Addit Tertullianus extitiſſe & in civitate ſua quemdam nebulonem, qui picturam propoſuerit, cum ejuſmodi inſcriptione, DEUS CHRISTIANORUM ONOCHOETES. *Is erat* (inquit) *auribus aſininis, altero pede ungulatus, librum geſtans, & togatus.* Atque hujus quidem pictura morum fuit impudentis impoſtoris ludibrium. Aliæ opiniones ex aliqua conjectura ductæ. Nam & caput aſini à noſtris coli ideo haud abſurde præſumere ſibi videbantur, quod de Iudaïca religione, cujus Chriſtiana propinqua eſt, ſimile aliquid eſſet à Cornelio Tacito proditum. Et de antiſtitis natura ab initiatis adorata rumor inde profluxiſſe videtur, quod Chriſtianiſmi miniſtri & catechumenis & pœnitentibus ante ſe humillime vel proſtratis vel certe ingeniculatis manus imponerent. Solem religioni fuiſſe inde ſuſpicio erat, quod innotuiſſet Chriſtianos ad Orientem precari; opinionem denique de homine punito, & de cruce Chriſtus crucifixus & à noſtris revera cultus ſuggeſſerat. Iam ipſa illa Paganicarum de Chriſtianis ſuſpicionum atque conjecturarum multiplex diverſitas oſtendit nullum iis viſibile atque externum fuiſſe ſui cultus objectum; panem puta & vinum, reliquias, cruces, Divorum ac Divarum effigies ſacras. Si quid enim hujuſmodi fuiſſet apud noſtros, quid neceſſe erat Paganos per conjecturas & rationum ambages deliberare veluti de re dubitabili, quid à nobis coleretur? Clara certaque & obvia, ſenſibuſque ipſis expoſita religio Chriſtianorum fuit, ſi Euchariſtiam, ſi Divorum reliquias & imagines, & aliquas crucis ex materia formas illi jam tum, perinde ut nunc Latini, colebant. Nunc quidem de Latinis nemo ambigit. Quiſquis eos vel leviter inſpexit, ſtatim intelligit & crucis & Euchariſtiæ & cæterorum eſſe religioſos. Hæc eſſe eorum ſacra intra

Minut. in Octav. p. 22. Tertull. Apolog. c. 16. p. 16. 17.

intra pauciſſimos annos tota ſcivit & Sinarum & Iaponum gentilitas. Ipſi narrant Cocincinenſes idololatras cum apud eos vix pedem intuliſſent, omnia ſui cultus myſteria paucorum annorum an menſium conſuetudine tam belle percepiſſe, vt in diſputationibus, Ieſuitici in Deum, in Apoſtolos, Martyres & Confeſſores cultus diverſos pro cujuſque ſtatu ac meritis gradus ad purgandam ſuæ religioni objectam Deorum multitudinem repercuſſerint. Si iidem erant veterum Chriſtianorum mores ac ritus; cur Gentiles poſt annum ducenteſimum nondum certo ſciebant, quid illi colerent? cur adhuc dubitabant? cur ad conjecturas & divinationes in re facili & jampridem familiari confugiebant? Chriſtianos habebant ſecum vbique in provinciis, in vrbibus, in agris, in caſtellis, ſub iiſdem ſæpe tectis etiam nonnunquam in eodem cubili permixtos: nec didicerant, eos panem ſacrum pro ſummo numine, Angelos & ſanctos pro minoribus Divis, colere; reliquias quoque & imagines religioſiſſime venerari: cum tamen in eorum ritus, fidem, arcana annos jam pœne ducentos diligentiſſime ac curioſiſſime inquirerent. Profecto fatendum eſt vel nihil iſtorum coluiſſe illius memoriæ Chriſtianos, vel certe fungos & ſtipites, & idolis ſuis tardiores ac ſtupidiores fuiſſe Romanos Græcoſque omnes Ethnicos, qui tem tã facilẽ tam multis annis explorare ac pernoſcere nequiverunt. Neſciviſſe autẽ inde certũ eſt, quod vel nihil iſtorum in Chriſtianorũ religione cenſuerunt, vel ſi quid cenſuerunt, falſo cenſuerunt. Nemo Ethnicorũ apud Minutium, nemo apud Tertullianũ, cum vterq; ediſſereret, quid illi noſtros putarent religioſe venerari, nemo inquã reperitur, qui vel Angelos & Divos, vel eorũ reliquias, aut imagines, vel ipſam deniq; Euchariſtiã ab iis coli, vel affirmaverit, vel jactarit: Aſini caput, & ſacerdotis verenda, & Solem nulla veri ne tenuiſſima quidem ſpecie Chriſtianis imputant. Qui hæc tam abſurda fingunt; quis credat fuiſſe illa omiſſuros, ſi non dico vera ſciviſſent, ſed ſi vel aliquo cun colore fingi poſſe putaſſent? Cruces quidem non tacuerunt; non quod eas colerent Chriſtiani, ſed quod iis hunc cultum ob Chriſtum crucifixum probabiliter affingi ſperarent. Neque hic mihi quiſquam reſpondet Ethnicos odio noſtrorum excæcatos, non quæ probabiliora, ſed quæ ad invidiam Chriſtianis faciendam aptiora eſſent ſequutos, ficta veris, certis incerta & ſuſpiciones ſuas iis quæ comperta & explorata habebant, conſulto ac ſponte ſua prætuliſſe. Hæc enim, quæ nulli memorarunt, ipſa quoque non minus quam ea quæ jactarunt, invidioſa erant apud Gentes; quædam etiam quibuſdam invidioſiora. Verbi gratia oſſa & pilos & cranium, imo etiam pannos & pectines, & hujuſmodi quiſquilias hominum mortuorum, quæ reliquiarum nomine continentur, hæc inquam non eſt dubitandum, quin adorare multo apud Ethnicos tætrius, atque turpius fuerit, quam Solem. Qui ergo hoc de Chriſtianis jactarunt, illud multo libentius & credituri & vulgaturi erant, ſi

non

CAPVT XIV.

Borri relat. della Cocin. c. 8 p. 208. Part. 2.

CAPVT XIV.

non dico verum, ſed vel probabile eſſe ſciviſſent. Sed nec in nos omnia fingebant Ethnici. Verum erat quod pars ajebant hominem à nobis coli, nempe Chriſtum; illud falſum, quod in noſtri odium adiiciebant Chriſtum fuiſſe *pro facinore punitum*. Sed neque de martyribus honeſtius ſentiebant, quos meritas ſcelerum pœnas luere, non teſtimonium veritati morte ſua dicere putabant; vt ex Eunapio & aliis patet. Ergo ſi & hos ſuo ordine cum Chriſto, quanquam poſt Chriſtum à noſtris coli ſciviſſent, dubitandum non eſt, quin hos quoque cum Chriſto conjuncturi fuerint; dicturique non *hominem* ſed *homines pro facinore punitos caremonias* eſſe Chriſtianorum; quod ſane ita poſtea dixit Iulianus deſertor, cujus temporibus primulum cœperat nimius apud Chriſtianos in Sanctos & martyres honos. Plurium enim quam vnius invidioſior abſque controverſia cultus eſt. Sed nihil eſt in toto hoc genere, cujus adorationem Ethnici vel avidius arrepturi, vel odioſius diffamaturi fuiſſe videantur, quam Euchariſtiæ, ſi quam fuiſſe apud Chriſtianos ei delatam, ſciviſſent. Nunc quidem notum eſt infideles, qui fere hoc dogma putant omnium Chriſtianorum eſſe commune, nihil in eorum diſciplina turpius, aut probroſius ducere quam religioſum panis & vini cultum, qui apud Latinos longe lateque obtinet. Hunc illis imprimis exprobrant, hunc ſuis, velut inſigne Chriſtiani erroris & ſtuporis ſpecimen, oſtentant. Certe Antonius Gouvea monachus Auguſtinianus, narrat cum anno hujus ipſius ſæculi ſexto expugnata fuiſſet à Scha Abbaſſo Perſarum imperatore primaria Armeniæ civitas Erivan, militem Mahumedanum Euchariſtiam è Chriſtianorum ſacrario dereptam in equo per vrbis captæ plateas currentem palam omnibus oſtentaſſe, per ludibrium clamantem. *En Chriſtianorum Deum!* Non video cur putemus alia fuiſſe veterum Ethnicorum ea de re judicia. Itaque pro certo ſtatuendum eſt eos ſi quid hujuſmodi apud majores noſtros fieri ſciviſſent, id pro lucro habituros, & ad noſtram infamiam jactaturos fuiſſe. Atqui nihil illi hujuſmodi de Chriſtianis jactaſſe reperiuntur, neque apud Minutium, neque apud Tertullianum; neque apud Origenem, cujus octo extant diſputationum adverſus Celſum Paganum libri; docti Deus bone! & eruditi: neque apud vllum denique verum Scriptorem, qui intra trecenteſimum Chriſtianiſmi annum vixerit. Ex his ergo concludendum eſt primos illius memoriæ Chriſtianos neque Euchariſtiam, neque Divos, neque eorum vel reliquias vel imagines coluiſſe. Cum enim hoc, vt diximus, ſi vere apud noſtros in publico, ſolennique cultu factum eſſet, Ethnici neque neſcire potuerint, neque ſi ſciviſſent non commemorare; profecto ex eo quod nihil horum commemorarunt, apparet eos iſta neſciviſſe; ex eo quod neſciverint, conſtat neque apud noſtros quicquam hujuſmodi in ſolenni cultu factitatum eſſe. Horum porro nihil de noſtris jactaſſe Ethnicos tum ex cæterorum Scriptorum, tum maxime ex Minutij, atque Tertulliani

Ant. Gouv. de rebus Scha-Abb. l. 3. c. 1. p. 348.

liani in locis laudatis ſilentio, clarum certúmque eſt. Nam ſi qui ex Paganis putaſſent, & jactaſſent religioſe coli à Chriſtianis panem & vinum ſacrum, Divos, reliquias, & imagines; non eſt profecto credibile vtrumque hunc Scriptorem id in eo loco fuiſſe diſſimulatúrum, in quo recenſent quid illi à noſtris coli putarent, & vulgarent; & ſic quidem, vt eorum alter neget ſe quicquam hujuſmodi *rumoris irrepercuſſum quaſi de conſcientia præteriiſſe.*

CAPVT XV.

Tertull. Apolog. c. 16

CAPVT XV.

Argumentum X. à Veterum Chriſtianorum ad ſuperiores Paganorum de Deo ſuo ſuſpiciones & calumnias reſponſione ac defenſione; qua illa quæ objiciebantur, ſimpliciter inficiantur, ac in Paganos repercutiunt; hæc Latina, nempe Euchariſtiam, Divos, imagines, &c. colere ſe, non docent, quod tamen hoc loco, ſi verum eſſet, docendum fuit, imo Cruces ſe colere diſertiſſime negant.

FIngamus tamen vel adeo cæcos, atque hebetes fuiſſe omnes illius memoriæ Ethnicos, vt iſta à Chriſtianis coli tametſi quotidie jam à ducentis annis viderent, non animadverterint tamen; aut ita ſtultos atque præpoſteros, vt falſa quidem & monſtroſa neſcio quæ, & longe petitis logis, argumentiſque inanibus accerſita à noſtris coli; quæ autem obvia, & in promptu erant, non coli putarent; & ficta, tametſi multo minori cum adverſariorū invidia, ſpargere mallent, quam vera,; hoc certe loco & caritas, & candor & ipſa etiam humanitas à noſtris poſtulabat, vt Gentiles de omni ſuo cultu, atque religione plene docerent; neque ea tantum; quæ falſo de ſe credebantur, ac jactabantur vel negarent, vel refellerent, ſed ea etiam quæ vera erant, ſed vel neſciebantur, vel prætermittebantur, plane explicarent atque affirmarent Id officij nunc ab iis ita arcte requirebat, & ipſa veritatis ratio, & aliorum hominum amor atque ſtudium, & ſuſcepta ſuorum defenſio, vt non ſit dubitandum, quin hoc viri optimi, doctiſſimi, atque diſertiſſimi præſtituti fuerint, quod abſque gravi crimine eo loco ac tempore prætermittere nō potuerūt. Octavium Chriſtianum Cæcilius Paganus convenit; Narrat quid de Chriſtianorum religione audiverit; caput eos aſini venerari, vel ſacerdotis genitalia, vel hominem ſupplicio pro facinore punitum, & crucis ligna feralia. Hic certe Octavius, ſi bonus, ſi candidus, ſi amicus, ſi ſapiens fuit, Cæcilium ſuum aperte atque ingenue docere debuit, quid revera colerent Chriſtiani; neque quicquam amicum celare; vana illa & fabuloſa repudiare; quid verum eſſet demonſtrare; de pane & vino ſacro non tacere, de Divis explicare, de reliquiis atque imaginibus prædicare; ſi hæc quidem à ſuis coli ſolenne fuit atque

CAPVT XV.

religioſum. Nemo non videt ita cum Cæcilio agere decuiſſe Octavium. Atqui ille in tota ſua ad hanc Cæcilianæ orationis partem reſponſione, quæ & accurata eſt inprimis & diſerta, de Sacramenti Euchariſtici adoratione, de Divorum, de reliquiarum, de imaginum denique cultu ne vnum quidem verbum facit. Profecto ſi vera dicunt Latini, Chriſtianos ſtultiſſime & Cæcilius accuſat, & Octavius defendit; tamque ille prævaricator, quam hic deſertor cauſæ cenſendus eſt: qui cum de Chriſtianorum cultu quæratur, vana quædam & falſa agitant; quæ vere ab iis colerentur, neuter tangunt. Sed multo etiam flagitioſior Octavius, qui cruces, quas Cæcilius à noſtris coli, vere, ſi Latinis credimus, objecerat, non modo fatetur, quod erat viri candidi & veracis, ſed præfracte etiam negat à noſtris coli. Cum enim reliquis confutatis, & in ipſos Gentiles rejectis, ad id veniret, quod à Cæcilio erat vltimo loco commemoratum, coli à Chriſtianis *crucis ligna feralia*, hoc pariter vt cætera; & negat, & in Paganos reiicit, *Cruces etiam* (inquit) *nec colimus nec optamus. Vos plane qui ligneos Deos conſecratis, cruces ligneas, vt Deorum veſtrorum partes, forſitan adoratis.* Potuit-ne quicquam dici impudentius, ſi quod ille negat, verum fuit, cruces à Chriſtianis adorari? At Octavium, & qui eum ſic agere facit Minutium, viros fuiſſe ſcimus præſtantiſſimos, ac verecundiſſimos, & illo Chriſtianiſmi patrocinio, quod ſuſceperant, magna cum omnium laude functos. Pace ergo Latinorum dicere liceat, nulli tum Chriſtiani vel Euchariſtiam, vel Divos, vel reliquias, & imagines ſacras, ſed ne cruces quidem ipſas religioſe coluerunt. Iam idem quoque clamat Tertulliani de eodem argumento tota diſputatio. Primo enim vanis illis Paganorum, quas recenſet, de eo quod à Chriſtianis coleretur, ſuſpicionibus atque opinionibus, nihil ipſe de religioſo Euchariſtiæ, Divorum, atque imaginum & reliquiarum & crucis cultu opponit, quod tamen ſi ſincere & ex veritatis & caritatis Chriſtianæ lege agebat, omnino faciendum erat; vt nuper demonſtravimus. Secundo illis Paganorum de Chriſtianiſmo fabulis & rumoribus rejectis, atque vt ipſe loquitur, *repercuſſis*, vnum duntaxat Dei Creatoris cultum opponit. Præfatus enim ſe prius repercuſſurum falſas Gentilium de Chriſtianorum cultu opiniones; dehinc omnem ſacramenti noſtri ordinem traditurum; illud capite decimo ſexto docte ac fortiter, vt ſolet, executus, hoc agit capite ſequenti, jam, quod ipſe ait, converſus *ad demonſtrationem religionis noſtræ*; atque ita exorſus, paucis rem totam complectitur, *Quod colimus* (inquit) *Deus vnus eſt.* Clare dicit fruſtra ſe Gentiles fatigare, fruſtra conjecturas, & ſuſpiciones, & argumenta perſequi, vt venentur atque reperiant, quid illud tandem ſit, quod Chriſtiani colunt; fruſtra ſibi quem colant de cælo ſolem, vel aſini caput de Iudaïſmi calumniatoribus, vel de recentiſſimis impoſtorum picturis Onochoëtem togatum, & vngulatum arceſſi, vel crucem quam religioſe venerentur,

Minut. in Octav. p. 89.

tut affingi; Nihil ſe horum, nihil aliud quicquam colere, niſi vnum, ſolum ac verum Deum. Ita ille & Euchariſtiam, & Divos, Divaſque omnes, & reliquias, & imagines, & cruces, & ſi quid aliud vel eſſe, vel fingi poteſt, id totum quodcunque, & quanrumcumque eſt, ſimul ac ſemel à religionis Chriſtianæ cultu excludit. Denique & ipſe quoque, non minus aperrè quam Octavius, cruces à noſtris cultas fuiſſe negat. Cum enim eas Paganorum de Chriſtiano cultu opiniones, quas repercuſſurus eſt, falſas diſertiſſime appellet, quo loco dicit ſe Sacramentum noſtrum expoſiturum, *repercuſſis ante tamen (*inquit*) opinionibus falſis*; dubitari non poteſt, quin eam, quæ crucis nos religioſos putabar, falſam & à vero alienam habuerit; quam ſcilicet vna cum tribus aliis quas ſigillatim recenſet, ſecundo loco repercutit. Sed nos infra de cruce plura, vbi ad proprium ejus titulum ventum erit. Quæ diximus ſatis ſunt ad id quod inſtitueramus demonſtrandum, ex ſolenni Gentilium in noſtros inſectatione atq; exprobratione clare liquidoque intelligi ignotum in primo ac vetuſtiſſimo Chriſtianiſmo fuiſſe religioſum Euchariſtiæ ac Divorum, ſacrarumque reliquiarum, & imaginum & crucism cultum.

CAPVT XVI.

CAPVT XVI.

Argumentum XI. inde ductum, quod Iudæi Euchariſtiæ, Divorum, imaginum, &c. cultum religioſum, quem Chriſtianis, à quo is apud hos certo & abſque controverſia obtinuit, perpetuo ac præcipue exprobrarunt, vetuſtiſſimis Chriſtianis nunquam objeciſſe reperiuntur; idque tum ex divinis, tum ex Eccleſiaſticis libris demonſtratur.

SED neque obſcurius id ipſum affirmant Iudæorum de religione adverſus noſtros per illa tempora diſputationes. Nemo neſcit illam gentem omnem idololatriam ſummopere ſemper ex Moſaïca diſciplina eſſe averſatam atque deteſtatam; idololatriæ autem deputate quicquid religioſi cultus vel ſignis & ſimulacris, vel cuicumque creatæ rei, ſive viſibili, ſive inviſibili impenditur. Ac tametſi quorum Iudæorum memoria eſt in laude, jam inde à prima origine hic ſemper ſenſus fuerit, nunquam tamen vel altius iſtorum animis inſedit, vel latius per totam gentem ſeſe diffudit ille in idololatriam horror, quam vltimis ejus poſt reditum a captivitate Babylonica temporibus; quod Moſis ſeveriſſimam ea de re diſciplinam, cœleſteſque Dei in id genus peccatores minas, ſuis, ſuorumque majorum diris, ac diuturnis calamitatibus luculentiſſime ſancitas cernentes, tum demum didicerint, quam ſit feralis hæc noxa, quamque ſummo numini gravis atque intoleranda. Hinc ergo (quos ſic affectos & primis

CAPVT XVI.

illis temporibus, & poſtea ad noſtram memoriam conſtantiſſime ſemper fuiſſe & eſſe etiam hodie omnes ſciunt & concedunt) hinc inquam, panem & vinum à Chriſtianis ſupremo religionis cultu adorari? imagines & ſimulacra, quo nullum apud eos ſcelus diriius aut capitalius cenſetur, aſſidue à proſtratis, & ingenicularis viris mulieribuſque? crucis ligna, quæ ſunt apud eos inprimis feralia, ac maledicta, magna veneratione magniſque cærimoniis obſervari? mortuorum hominum cadavera, crania, oſſa, cineres, & alias buſtuarias reliquias, quas vel tangi abſque piaculo ipſi non putant, oſculis conteri, aſſervari, geſtari, ſummis honoribus veluti res divinas affici? Divorum denique ac Divarum multitudinem innumerabilem dies noctesque ſacris precibus invocari impune à noſtris viderent? non exclamarent? non indignarentur? non Dei, non Moſis violari majeſtatem teſtarentur? non hæc in Chriſtianiſmi criminibus prima colloccarent, & ad invidiam perpetuo exprobrarent? Nunc quidem conſtat, tametſi omnis fere Latinorum religio vehementer Iudæis diſpliceat: vix tamen eos quicquam magis exhorreſcere, quam cultus hos, qui hoſtiæ & imaginibus & reliquiis, & Divis in omni Romana Eccleſia deferuntur. De imaginibus & crucibus ſexto ſeptimoque ſæculo, quibus ea jam labes in Chriſtianiſmum invehi cœpta erat, conqueſtos eſſe Iudæos conſtat, & Græcis, hac in parte etiam maturius corruptis, quam Latinis, ſimulacrorum religionem objeciſſe. Ita diſerte teſtatur vir illorum temporum Anaſtaſius Abbas Græcus in libro adverſus Iudæos, quã à Turriano Latine interpretatũ habemus: *ſi quæſierint* (inquit) *Iudæi à Chriſtianis, cur cum Deus præceperit nõ adorare ligna, aut lapides, aut deniq; opera hominũ, ipſi colamus & adoremus cruces & imagines, dicant ipſi viciſſim, cur librum legis adorant,* & quæ ſequuntur. Idem docet Leontij Epiſcopi Cyprij memorata à ſeptimæ Synodi Patribus contra Iudæos Apologia; in qua ille huic iſtorum adverſus noſtros ex crucis & imaginum, & reliquiarum cultu petitæ objectioni verboſiſſima diſputatione ſatisfacere conatur. Recitatur in eadem Synodo Dialogus neſcioquis; in quo Iudæus & Chriſtianus de religione inter ſe colloquuntur: Iudæus hæc ſibi vſque adeo inviſa eſſe teſtatur, vt cætera quidem Chriſtiani dogmatis vltro ſe crediditſſe omnia; in hoc vno ſe hærere fateatur; *Credidi* (inquit) *ad omnia & credo crucifixo Ieſu Chriſto, quia eſt Filius Dei vivi. Scandalizor autem in vos Chriſtiani, quia imagines adoratis. Scriptura quippe vbique præcipit non facere ſibi quemque ſculptile, vel omnem ſimilitudinem.* Σκανδαλίζομαι δὲ εἰς ὑμᾶς ὦ χριστιανοὶ, ὅτι ταῖς εἰκόσι προσκυνεῖτε. ἡ γραφὴ γὰρ πάντας παρεγγυᾷ, ἄλλον μὴ ποιεῖν ἑαυτοῦ γλυπτὸν, ἢ πᾶν ὁμοίωμα. Neque iſta parcius ſequentium temporum Iudæi de Chriſtianis memorant: Non omiſit Rabbi Iehuda Halleui, quem Aben-Ezræ σύγχρονον, & a. D. 1140. floruiſſe ferunt, in libro Coſri, quo Sermones à Socio quodam Iudæo * cum Rege neſcio quo Coſar de religione habitos.

Anaſt. Abb. contr. Iud. Bibli. Patr. T. 4. Part. 2. p. 1079. A. Syn 7. Act. 4. T. 5. Concil. p. 632. E. 633. B. D.

ibid. Act. 5. p. 702. B.

* חבר

habitos fingit anno mundi (vt ille putat) 4500. (id eſt anno Domini Chriſti 742.) Nam inprimis vbi quemdam ex Edomæis ſapientem (ita enim iſti [illegible] Chriſtianos jampridem vocant) ſuæ fidei dogmata apud Coſar exponentem inducit, hæc ei de recepto crucis apud ſuos cultu verba tribuit, [a] *Omnes* (inquit) *populi vocantur ad hanc fidem, & jubentur adhærere ei, & exaltare Meſſiam, ejuſque lignum *venerari, in quo crucifixus fuit, & ſimilia.* Neque in alios quam Chriſtianos dicta ſunt, quæ Socius Iudæus in alia ejuſdem operis parte loquitur, [b] quo loco præfatus eos *retinere ritus cultuum antiquorum* (id eſt Paganicorum) *dieſque feſtos & ſolemnitates illorum*, addit *parum abeſſe, quin dicat, Deum his verbis,* [c] & ſervietis illic Diis alienis, ligno & lapidi, *reſpexiſſe ad hos qui exaltant lignum & lapidem.* His enim poſtremis verbis clarum eſt ſignificari religioſum crucium & ſimulachrorum, ſive ſtatuarum & imaginum ſacrarum jam tum apud Chriſtianos pridem ſolemnem cultum. Sed neque Divorum receptam à Chriſtianis *duliam* alibi tacet; [d] quo loco cum Apoſtolos & vetuſtiſſimos eorum diſcipulos *cædes, ſupplicia, contumelias admirabiles pro confirmatione fidei ſuæ perpeſſos eſſe dixiſſet*; *Hi ſunt*, inquit, *in quibus ſibi benedicunt, & loca tum nativitatis aut habitationis, tum mortis eorum venerantur,* * *& exſtruunt eis fana* † *& delubra nominibus eorum inſignita & dicata.* Vides vt Chriſtianorum in Martyribus fiduciam, in eorum reliquias & ſepulcra religionem, ac denique ædes eorumdem nomini conſecratas diſerte tangat ac notet. Fertur cujuſdā Rabbi Chaſdaï ad Regem Coſræorum jam ante aliquot ſæcula, à Iudæis vt videtur conficta epiſtola, cum Ioſephi Regis ad eam reſponſione; in qua ejuſdem farinæ habetur fabella de mirabili Rulanis vnius ex ſuis Majoribus ad Iudaïſmum converſione. Hic fingitur Chriſtianorum ac Muhammedanorum ad ſe miſſos legatos de religione Iudaïca quid ſentirent ſeorſum interrogaſſe, & ab Alkadi Muhammedano reſponſum hoc tuliſſe, religionem Iſraëlitarum *eſſe optimam*: [e] *Qualis enim eſt* (inquit) *religio Edomæorum* (id eſt, quod nuper monuimus, Chriſtianorum) *comedunt omnia immunda* * *& incurvant ſe operi manuum ſuarum.* Chriſtianis præter ciborum lege Moſaïca interdictorum eſum etiam exprobrat imaginum hominis manu factarum cultum. Sed & his noviſſimis noſtris temporibus eumdem eſſe Iudæorum de hac Romanæ religionis parte ſenſum & ſciunt omnes, & luculentiſſime teſtatur Fabianus Floghus ex Iudæo Chriſtianus, in Catechiſmo Iudæorum Italice ſcripto & Romæ ante annos ſeptuaginta quinque edito; *Iudæi* (inquit) *ita diſputant. Deus in decalogo ſuis digitis ſcripto præcipit, ne vllius omnino generis ſimilitudo, aut imago fiat rerum vel cœleſtium, vel terreſtrium, &c. Chriſtiani vero imagines faciunt, & adorant; Ergo præter Dei voluntatem faciunt, & ſunt idololatræ. Hoc Hebræi pro re certa & indubitata habent ideoque Chriſtianos vocant.* עבודה זרה. עובדי, id eſt *idolorum cultores.*

CAPVT XVI.

R. Iehuda Hallevi in Coſri. Parte 1. §. 47. p. 22.

[a] *ibid. par. 1. §. 4. p. 16.*

* לגדל את עצו דשא בתלת עליו

[b] *Ibid. par. 4. §. 11. p. 284.*

[c] *Deut. 4. 28.*

[d] *Coſr par. 4. § 22. p. 298.*

* מכברים

מקומותם

† ובונים

, הבמות על שמותם

[e] *Reſp. Ioſephi Reg. ad Rat. Chaſdai, habetur in præfat. Buxtorfi ad Coſri.*

* ומשתחוים למעשה ודיהם

Fab. Flog. Dial. c 33. p. 68. B.

CAPUT XVI. Atque ita nunc quidem Iudæi cum Latinis agunt. Cum ergo totius gentis eundem jam à Chriſtianiſmi primordiis fuiſſe conſtet de his rebus ſenſum; dubitandum non eſt, quin primis ſtatim temporibus eodem quoque modo cum noſtris acturi fuerint, ſi idem apud nos jam tum fuiſſet religionis cultus. At ex vetuſtiſſimis noſtrorum monumentis clarum certumque eſt nunquam iis Iudæos vel Euchariſtiæ, vel imaginum, vel crucis, vel reliquiarum, vel Divorum denique religionem, aut adorationem objeciſſe. Narrat Lucas quo furore in naſcentem Hieroſolymis Chriſtianiſmum exarſerint ac ſævierint; quanta cum rabie in Stephanum incubuerint; vt teſtes ſummiſerint, qui affirmarent ſe eum audiviſſe dicentem, quod Ieſus eſſet templum de-

Act.6.13.14. & 7.57. ſtructurus, & Moſaïcas traditiones mutaturus; vt his denique nominibus virum innocentiſſimum ad necem lapidaverint. Ibidem legimus communi omnium pœne civium impetu captum Paulum; & cum à Romano arcis præfecto, ægre eſſet ex plebis furentis manibus ereptus, magno à Principibus Synedrij ſtudio fuiſſe apud Provinciæ præſidem ſeditionis accuſatum. Ac eos qui in eum primo apud ipſum templum, manus injecerunt, vt populum concitarent: exclamaſſe.

Act.21.28. *Hic eſt qui adverſus populum, & legem & locum hunc omnes vbique docet*; Idem fere cum eo crimen, quo Stephannm antea damnaverant. Cur neutrum de idololatria pulſant? quod crimen & per ſe multo atrocius, & apud plebem longe invidioſius erat? Cur neutri imagines obiiciunt, quas vterque, ſi Græcis Latiniſque recentioribus credimus, ſecum geſtabant atque adorabant? Cur cruces & reliquias tacent? cur invocatos Divos? cur ne hoc quidem, quod omnium longe graviſſimum erat, queruntur, panem ab vtroque & calicem pro ſummo numine haberi ac coli? Quæ tanta iſtorum eſt ſtultitia ac cæcitas, vt de his quidem, quæ ſi Latinis credimus, clara, confeſſaque, & apud totam gentem invidioſiſſima erant, tacerent? alia neſ-

Act.4.7. cio quæ ambigua, & quę facile negari poterant, ſola vrgerent? Idem fuit Annæ Pontificis & cęterorum Senatorum ſtupor, qui quos facile ac plebe tota favente his allatis cauſis perdere licebat, Apoſtolos, iis magna ſua invidia vnum hoc crimini dabant, quod hominem claudum & infirmum mirabiliter, & omnibus inſpectantibus curaſſent. Nemo tamen vel Annam vel cæteros Iudæorum proceres amentes aut ſtupidos fuiſſe ſomniavit. Quid ergo eſt, quod iſti Apoſtolis in quos tanto odio ferebantur, nihil de Euchariſtiæ aut imaginum aut cæterorum cultu imputant? Profecto rei tam incredibilis nulla alia ratio idonea afferri poteſt, niſi hęc, non fuiſſe iis hunc objectum cultum, quia nullus apud eos erat; qui ſi fuiſſet aliquis, neque tam malevolos, tamque acutos ac perſpicaces adverſarios fugere, neque ab iis talibus in locis tacitus prętermitti potuiſſet. Idem quoque ex Pauli Epiſtolis ac diſputationibus animadvertere licet. Is ſi quęras, quî factum ſit vt Ieſum Iudęi tantis miraculis cęlitus munitum rejecerint,

non alias fere rationes affert, quam crucis ſcandalum, & aboliri Moſaïci ritus, & inductę novæ (vt illi quidem putabant) per fidem abſque legis operibus juſtitię invidiam; Euchariſtię & cęterorum, quę Latini colunt, adorationem, quę eos, ſi qua apud nos fuiſſet, multo gravius,qua m cętera omnia, erat offenſura, nuſquam commemorat. Itaque illas quidem cauſas Paulus, quoties (quod ſępe fit) cum Iudęis diſputat, diligentiſſime purgat; hanc vero in totis quatuordecim Epiſtolis ne ſemel quidem memorat. Fuerunt inter ipſos credentes, quos Moſaïcæ legi Zelus adeo conſtrictos tenebat, vt tametſi Chriſtiani de priſcis tamen ritibus Eccleſiam turbarent. Cur nulli de harum rerum, de quibus dicimus, cultu turbarunt? cum hunc admitti non minus, quam illos omitti lex prohibere videatur? Veteres nimirum ritus & Paulus, & cęteri abrogabant; Hunc novi cultus ritum nemo noſtrorum vel pręcipiebat, vel factitabat. Neque ſecutis ad quartum vſque ſæculum temporibus alia rerum facies occurrit. Extat Iuſtini luculenta ſane & copioſa de religione cum Tryphone Iudęo collatio; Extat & Tertulliani ejuſdem argumenti adverſus Iudæos diſputatio. Vtramque ſi legeris, inter plurima, quæ & Iudæi nobis objectabant, quęque noſtri ſedulo atque accurate tuentur, nullum reperies iſtius de quo nunc diſputamus, generis cultum; quem tamen, ſi tum fuiſſet apud majores noſtros traditus atque factitatus, & à Iudęis primo ſtatim loco peti & oppugnari, & à noſtris ante omnia purgari ac pro virili ſua defendi decebat; Tryphon Chriſtianis illud inprimis neque ſemel obiicit, *quod in hominem crucifixum ſperarent*, εἰς ἄνθρωπον σταυρωθέντα τὰς ἐλπίδας ποιούμενοι. Cur de Divis tacet, ſi eos tum Chriſtiani æque ac nunc Latini, colebant, & aliqua ab iis ſuę ſalutis pręſidia ſperabant? Quæritur ibidem quod novilunia, ſabbata, feſta, circumciſionem, & alia Iudęorum repudient. Cur non inſuper expoſtulat, quod Divorum & imaginum, & reliquiarum, & panis & vini ſacri, & crucis denique cultum, qui Iudęis Paganicus, & idololatricus videtur, admiſerint? Idem Chriſto Domino exprobrat, *quod inhonoratus, & inglorius fuerit, vt in extremam divinæ legis exſecrationem inciderit, crucifixus*, ἄτιμος καὶ ἄδοξος γέγονεν, ὡς καὶ τῇ ἐσχάτῃ κατάρᾳ τῇ ἐν τῷ νόμῳ τοῦ θεοῦ περιπεσεῖν, ἐσταυρώθη γάρ. Cur non & ab ipſis adoratoribus ſuis vorari dixit? Indignatur, & Iuſtinum blaſphemię damnat, quod Chriſtum Moſaïcis temporibus extitiſſe, & diu poſtea hominem factum, & poſt crucem in cœlos aſcendiſſe, ac inde rediturum diceret, denique quod eum contenderet eſſe *adorandum* προσκυνητὸν εἶναι. Quanto magis eſſet indignatus panem & vinum Deum fieri, & à Iuſtino adorari? quin etiam imagines & cruces & reliquias quantumvis mutas atque inanimes, προσκυνητοῖς cultu & adoratione dignas ab eo in religionem admitti? Tryphon denique alia non pauca Chriſtianiſmo obiicit: vt Dominicę ex Virgine nativitatis τὸ παράδοξον, quod Poëtarum de Danaë fabulis & aliis prodigioſis narra-

CAPVT XVI.

1. Cor. 1. 18. 23. Rom. 10. 3. & paſſim.

Iuſt. adv. Tryph. p. 175. l. 37. Vid. p. 174. l. 23.

ibid.

ibid. p. 192. extr.

ibid p. 198. l. 37. 38.

ibid. p. 226. l. 53. &c.

CAPVT XVI. narrationibus homo profanus & impius comparare non veretur, vt incarnationis Filij τὸ ἄπιςον καὶ ἀδύνατον, vt ipſe loquitur; vt poſtremo
ibid. p. 228. l. 8. Chriſti crucem; quam licet aſſenſus Chriſtum in Scripruris prędicari
παθητὸν *paſſioni obnoxium*, concoquere tamen non poteſt. De crucis
ibid p. 247. l. 41. 47. ipſius, de Euchariſtiæ, de Divorum, de imaginum, de reliquiarum adoratione, quam à Iudaïſmo etiam multo magis alienam eſſe clarum eſt, quam Chriſti mortem, nullum verbum facit. Eadem fere obſervare eſt apud Tertullianum adverſus Iudæos diſputantem. Hic enim & alia multa memorat noſtris à recutitis objecta; & illud inpri-
Tertull. adv. Iud. c. 10. ini. p. 220. B. mis de cruce quod maximum erat eorum ſcandalum; *Negatis (* inquit *) paſſionem crucis in Chriſtum prædicatum; & argumentamini inſuper non eſſe credendum, vt ad id genus mortis expoſuerit Deus Filium ſuum, quod ipſe dixit*, Maledictus omnis homo, qui pependit in ligno. Atqui non minus, & cum Scriptura, & cum recta ratione pugnare videtur panis vinique ſacri adoratio, & cæterorum cultus. Ergo & hæc Iudæi objecturi erant, ſi ea Chriſtiani non minus quam Chriſti mortem in cruce docuiſſent. Non objeciſſe inde certa fides eſt, quod neque Paulus, neque hi ipſi Iuſtinus & Tertullianus in opuſculis de hoc argumento adverſus Iudæos conſulto editis, aliquid hujuſmodi noſtris à Iudæis obiici aut exprobrari memorant. Itaque poſtremo confitendum eſt nihil revera hujuſmodi apud noſtros tunc temporis extitiſſe. Fieri enim non poteſt, vt vel Iudæi neque hunc cultum ſciverint, ſi apud Chriſtianos erat ſolennis, neque objecerint ſi ſciverunt, vel vt noſtri in ſuis adverſus Iudæos libris objectum diſſimulaverint, ſi revera objectus eſſet.

CAPVT XVII.

Argumentum XII. Latinæ de cultus objecto traditionis partes, omnes quidem proximis retro ſæculis, quædam ſuperioribus, à diverſis & orthodoxis & hæreticis exagitatæ, vexatæque; primis vero tribus à nullo neque hæretico, neque orthodoxo denotatæ, aut reprehenſæ ſunt; niſi quod nonnullæ, ſed à Catholicis objecta exprobrat æque hæreticis; Hujus tanti inter vtraque tempora diſcriminis nullam aliam idoneam occurrere rationem, niſi hanc, quod ſcilicet qui nunc apud Latinos obtinet, Euchariſtiæ, Divorum, reliquiarum, imaginum, & crucium cultus, is primis tribus ſæculis nullus fuit; ſequentibus vero paulatim & per partes maturius, ſerius-ve eſt inſtitutus.

IPsos quidem primo vt decebat trium à nato in terris Domino priorum ſæculorum Chriſtianos interrogavimus, num ſolennem hodie apud Latinos Euchariſtiæ, ac Divorum, reliquiarum, imaginum, & crucis cultum factitarent. Reſponderunt vna atque eadem voce vnum ſe Deum optimum maximum adorare; negarunt ſe quicquam aliud religioſe colere: idemque & in martyriis & in libris ſuis, quoties de miraculis diſputant, conſtanter confirmarunt; neque vel vnicam ex eorum ore voculam ab hac ſententia diverſam adhuc excepimus. Sed de hac iſtorum fide etiam eorundem temporum Ethnicos & Iudæos hoſtes Chriſtiani nominis infenſiſſimos, deinceps appellavimus, qui conſulti negarunt pariter ſe vnquam vel animadvertiſſe, vel audiviſſe aliquid hujuſmodi in vſu apud majores noſtros fuiſſe. Supereſt, vt hæreticos eadem de re interrogemus; ſi qui Eccleſiam tametſi & ipſi quoque Chriſti nomen profeſſi, primis illis ſæculis turbarunt. Neque enim hi, quibus res perpetuo erat cum Catholicis, quique ex ipſis Eccleſiæ viſceribus plærique eruperant, ejus ritus ac religiones neſciebant. Iam ſi quid hujuſmodi apud Chriſtianos vidiſſent, hi ipſorum vt notum eſt æmuli & ad obſervandum atque reprehendendum acerrimi quicquid in aliorum partibus infirmius occurrebat; non eſt dubitandum, quin tam præclaram occaſionem nacti de quinque iſtis cultus religioſi partibus controverſiam noſtris facturi fuerint. Excuriamus ergo omnes vetuſtiſſimorum hæreticorum ordines; ſcrutemur num quis Eccleſiam de toto hoc cultu, vel de aliqua ſaltem ejus parte, pulſarit: reperiemus noſtros nunquam ab vllo iſtorũ de toto hoc religionis Latinæ negotio fuiſſe conventos aut reprehenſos. Cæteros omnes Chriſtianæ fidei (vt loquuntur) articulos, quibus aliquid vel difficultatis, vel obſcuritatis inerat, haud ſegniter

CAPVT XVII.

gniter ſollicitarunt, ac cribrarunt illius memoriæ hæretici; De hoc toto quintuplici cultu, quo Latini ipſam pœne religionis medullam contineri volunt, altiſſimum fuit toto illo tempore ſilentium. Neque vero eſt, quod ſuſpiceris rem fortaſſe faciliorem eſſe & in Dei litteris, atque in ipſa rationis luce clariorem, quam vt in controverſiam vocari potuerit. Negari non poteſt nihil eſſe in tota Latinorum Theologia, quod cum ſacris Dei litteris, cum recta hominum ratione, cum toto denique Chriſtianiſmi ingenio, validius atque irreconciliabilius pugnet; vel certe, vt mollius dicam pugnare, videatur, quam tota iſta religioſi cultus pars, quæ ab iſtis Euchariſtiæ & Divis & cæteris quæ dixi tribuitur. Teſtes tam multæ jam à duobus ſæculis ab eruditiſſimis Latinorum de hoc vno argumento editæ diſputationes: in quibus cum ſumma omnia fecerunt, vel nihil, vel parum profecto promoviſſe eos cernunt, quicumque ſpectant animo ſtudiis & præjudiciis. libero. Idem confirmat duodecim retro ſæculorum experientia; quibus paulatim totum hoc Latinæ religionis negotium lento molimine confectum eſt; Neque coaluiſſet vnquam moles, niſi immenſa Romani Pontificis poteſtas omnia tandem ſubacta non tam rationibus quam imperiis ſuis parere coëgiſſet. Iam vt vnaquæque Latini illius cultus pars erupit, videmus eam & foris à Paganis & Iudæis, & intus ab ipſorum Chriſtianorum nonnullis fuiſſe denotatam; qui à Latinis quidem hæretici nunc omnes cenſentur, ſed plærique falſo ac immerito. Neque enim putandum eſt Lutherum, Zuinglium, & Calvinum vel primos, vel ſolos Chriſtiani nominis fuiſſe, quos iſti cultus offenderint. Iamdudum ante eos hæc omnis cauſa, & quidem ſæpius agitata fuerat, ac pæne iiſdem vltro citroque argumentis. Anno D. 1512. pauciſſimis ante Lutheri prædicationem annis, fratres, vt vocantur, Valdenſes apud Bohemiam in Apologia ad regem Vladiſlaum miſſa diſerte negant à Domino Chriſto traditum fuiſſe *colere ſacramentalem ſubſiſtentiam corporis & ſanguinis Chriſti*; Ajunt Apoſtolos *comediſſe & bibiſſe ſine cultu ejuſdem Sacramenti. Hi ſane* (inquiunt) *nullam tali ſacramento venerationem exhibuerunt; Quin potius perſonalem Chriſti ſubſiſtentiam dextra ſummi Patris venerati ſunt*; & in alio quodam libello ex 1. Corinth. 11. docent *primitivam Eccleſiam non feciſſe reverentiam huic ſacramento*; hoc eſt minime illud adoraſſe; Mox: Chriſtus *hoc ſacramentum* (inquiunt) *non dedit ad venerationem.* Et poſt multa interjecta, concludunt *non eſſe reverentiam exhibendam ſacramento, ſed corpori Chriſti exiſtenti in cœlis*; id eſt non illud, ſed hoc adorandum. Divorum vero cultum & invocationem libere atque aperte oppugnant. Neque hi tum primum ita ſentire cœperant. Extat Taboritarum, id eſt Valdenſium in Bohemia conſiſtentium Confeſſio à viro doctiſſimo Iohanne Lukavvitz contra Rokenzanam ſcripta, in qua eorum majores hæc ipſa, etiam, fuſius atque enucleatius jam anno D. 1431. profeſſi erant; *Panem Eu-*

Apol. Vald. p. 28.

Excuſat. eorumd. p. 4. p. 44. p. 67. 70.

Ioan. Lukavv Confeſſ. Tabor. c. 1. p. 17.

chariſtiæ

chariſtiæ eſſe in natura ſua verum panem; eoque omnem fidelium devotio- CAPUT
rum debere eſſe ad Chriſti corpus, quod eſt ſurſum, quo loco tranſſub- XVII.
ſtantiationem, cultus iſtius Euchariſtici fundum atque originem cla-
riſſime explodunt. Cultum vero & invocationem Divorum fuſe at- *ibid. c. 20. 21.*
que erudite ex Scriptura, & ex ipſis etiam Patribus confutant; exſer- *22. p. 8.*
te negantes ſanctos vita functos veros eſſe advocatos, & ſanctifica-
tores noſtros; quæ iis tribuitur rerum noſtrarum cognitio, eam
modeſtiſſime, vt rem ſibi incompertam, in medio relinquentes, ite-
rumque infra ſuam hanc ſententiam multis egregie aſtruunt, illud ve- *ibid c. 40. p.*
riſſime obſervantes Paulum Apoſtolum Chriſti quidem nomen ſæpiſ- *186.*
ſime, Divæ vero Virginis nunquam memoraſſe, ac denique ſapientiſ-
ſime monentes ab invocatione Sanctorum homines ad idololatriam *ibid. c. 45.*
facile delabi. Imaginum vero cultum pariter repudiant, & diſputa-
tionem ea de re à quodam Iacomello, vno ex ſuis, conſcriptam atque
editam memorant; nonnullaque inde recitant: Æneas certe Sylvius
Taboritarum mores & dogma paulò poſt, id eſt a. D. 1451. deſcribens, *Æn Sylv. ep.*
& rem invidioſe efferens ait eos *picturas omnes calumniari*. Alios in *129.*
Alpinis Taurinæ diæceſeos vallibus ac faucibus Valdenſes vt nomine,
ita & dogmate cum Bohemis iſtis Taboritis ante exortum Lutherum
conſenſiſſe teſtis locuples eſt Claudius Seyſſellus illius tractus Epiſco- *Claud. Seyſ.*
pus, vir ob eruditionem clarus, in diſputatione quadam ſua anno D. *contr. Vald.*
1516. ſcripta, vno vt apparet anno, ante Lutheri prædicationem. Hos *fol. 7.*
enim tradit ipſos quoque Sanctorum feſtivitates minime colere; quo-
rum ſuffragio nihil indigere mortales putabant; Chriſto omnibus *ibid. fol. 68.*
abunde ad omnia ſufficiente: Negaſſe interceſſionem, cultumque *A.*
Sanctorum; tum crucis & imaginum adorationem, miſſam abrogaſ- *ibid. fol. 54. B*
ſe; deque Euchariſtiæ ſubſtantia, & veritate Barbarum (ita illi
Paſtores ſuos vocabant) ſciolos aliter quam Latinos tradere: Salu- *ibid. fol 55. B.*
tationem ad Mariam Angelicam refutaſſe: nefas putaſſe Sanctos ado- *ibid. fol. 54.*
rari colique. Fatetur hanc iſtorum hæreſin (ſic enim appellat) ſupra *B. 55 A.*
annos ducentos in extremis ſuæ diœceſeos inter Alpinas fauces coa- *fol. 2. A.*
luiſſe. Ac id quidem repudiat, quod ex iis nonnullos fabulatos fuiſſe *fol. 5. B. 89. B.*
prodiiſſe à Leone quodam, qui Sylveſtri Pontificis Romani tempori-
bus hoc eſt ab a. D. 320. originem ducere; cæterum non negat eos *fol. 5. B. 6. A.*
à Valdenſi quodam Lugduni municipe ortos eſſe. Hunc porro ante
a. D. 1142. docere cœpiſſe à Petro Pilichdorpio diſcimus. Neque vero *Pilichd c. 1.*
apud Bohemos & Taurinos ſolos hi Latinorum cultus contradictio- *Bibl. Patr.*
nem paſſi ſunt. Eos jam in Anglia circa a. D. 1372. palam ac fortiter *T 4. Part. 2.*
oppugnaverat Ioannes Wiclefus, vir doctiſſimus, ingeniique acutiſ- *p. 779. C.*
ſimi, quem non modo Taboritæ, ſed & cæteri Bohemi vt vocantur,
Subutraquiſtæ, plurimi fecerunt, vt ex Lukavvitzio conſtat, qui ex *Lukavv.*
ejus operibus ac dogmatis non pauca cum laude recitat, *Doctorem* *Conf. Tabor.*
Evangelicum paſſim vocans. Is autem Wiclefus, vt autor eſt Valdenſis, *c. 7. c. 20 c 25.*
Euchariſtiæ adoratione idololatriæ apertiſſime incuſabat, ac *idolola-* *c. 26. 28 43.*
53. &c.

CAPVT XVII.

triam beſtialem vocabat, eos *ſtultiores muribus* dictitans, *qui non recognoſcerent in Sacramento ſubſtantiam putribilis panis*; *Iſtos ſenſibilibus nimis intendere, & in adorando hoſtiam, tanquam gentes ad ſimulacra muta, prout ducebantur captivati, ire ad idololatrandum.* Idem, & ejus diſcipulus Gulielmus Sartor neque Divos invocandos, neque eorum imagines, aut reliquias, vel etiam cruces adorandas defendebat: vt videre eſt apud eundem Valdenſem; aſſerebantque homines, qui reliquias adorant, *non honorare Deum & Sanctos ejus, ſed committere idololatriam.* Neque hi tantum, ſed & omnes *Lollardi*, id eſt Wiclefi placita ſequentes, quorum erat multitudo ingens, in eadem erant ſententia; quo fit, vt Valdenſis ſcripſerit *ſuper translatione & honoribus reliquiarum nauſeare omnem cognationem Lollardorum.* Sed & duobus ante Wiclefum ſæculis, totoque conſecuto tempore refutatos, & oppugnatos fuiſſe ab omnibus Valdenſibus iſtos Latinorũ cultus ex auctoribus diſcimus, qui adverſus eos ſcripſerunt. Reinerus, quem Miracus ait vixiſſe anno D. 1254. tradit *nullum eos Sanctum invocare niſi Deum ſolum*; *reliquias & crucem nihili facere, imagines, & picturas dicere eſſe idololatriam.* Petrus de Pilichdorf. item auctor vetus anonymus *, & Index errorum Valdenſium † à Gretſero Ieſuita publicati; & Petrus Couſſordus φ eadem quoque de his teſtantur. Neque Euchariſtiam ab iis adoratam credibile eſt, quam teſte Hermengaudo docebant *panem eſſe ſimplicem*; *neque vllam habere dignitatem*; qua ſcilicet cultum præ cæteris ſacramentis religioſum mereatur; † item *panem eſſe benedictum, qui in figura quadam dicitur corpus Chriſti: ſicut dicitur, Petra autem erat Chriſtus, & ſimilia*; vt ex Reynero habet Claudius Couſſordus.* Atque his quæ de Valdenſibus ſunt ab aliis tradita, plane conſentanea ſunt ipſorum partim opuſcula, partim fragmenta quædam, veteri lingua Provinciali ante aliquot ſæcula ſcripta, & à Ioanne Paulo Perrino ante annos XXXIX. edita; inter quæ vnus eſt inſignis de Antichriſto liber, ſcriptus, vt codex ipſe affirmat, anno D. 1120. id eſt aliquot ante Petrum ipſum Valdenſem φφ. Ac ſupra hæc quidem tempora nihil fere de Euchariſtiæ adoratione in vtramvis partem occurrit, nõdum ſcilicet plane adhuc conſtituto tranſſubſtantiationis dogmate, vnde ſacramenti adoratio poſtea profluxit. Divorum vero, & reliquiarum, ac imaginum, & crucis jampridem invecto in religionem cultui, multos ſubinde interceſſiſſe videmus; vt initio noni ſæculi Claudium Taurinenſem Epiſcopum, quem non modo imaginum (quod ei hactenus cum omnibus Galliæ, & Germaniæ & magnę Britanniæ epiſcopis cõmune fuit) ſed etiam reliquiarum, & crucis, & ipſorum quoque Sanctorum cultum reprobaſſe ac repudiaſſe liquido ex Ionæ Aurelianenſis tribus adverſus eum libris intelligimus *; Vt in Oriente Leonem Iſaurum, Conſtantinum Copronymum, Leonem Porphyrogenitum, Leonem Armenium, Michaëlem Balbum, & Theophylum, Conſtanti-

ſtanti-

Vald. T. 2. c. 26. fol. 23. B. Id. T. 3. tit. 12. & 13. & 14. c. 128. init. & Tit. 20.

Ibid. tit. 14. c. 128. init.

Rein. contr. Vald. c. 5. Bibl. Patr. T. 4. Part. 2. p. 751. C.

Pilich. c. 20. Bibl. Patr. T. 4. Part. 2. p. 790.

* *ibid. p. 821. D.*

† *ibid. p. 931.*

§ *1. 2. 3. 16.*

φ *Claud. Couſſord. cõt. Vald. c. 19. 74.*

† *Ermeng. T. 4. Bibl. Patr. P. 1. p. 248. D.*

* *Couſſord. cont. Vald. c. 10.*

φφ *Perr. hiſt. du Vaud. l. 1. c. 2. 3. 4.*

* *Ion. contr. Claud. l. 1. Bibl. Patr. T. 4. Part. 1. p. 533. D. & p. 545. A. & l. 3.*

ſtantinopolitanos Imperatores, qui omnes imaginum, plærique etiam Divorum ac reliquiarum religionem octavo toto ſæculo, & noni initiis ad annum D. 840. pro virili ſua, etiam interdum conſentiente toto Oriente oppugnarunt; Vt circa ſexti ſæculi finem Serenum Maſſiliæ Epiſcopum, qui cultum imaginum adeo non probavit, vt etiam eas, in ſua diœceſi ex locis ſacris everterit; Vt ipſum ejus σύγχρονον, & cenſorem Gregorium Romæ Epiſcopum, qui imagines deiici, & Eccleſiis excludi prohibet, ſic tamen vt eas quoque *adorari omnibus modis evitandum* eſſe præcipiat. Quarto vero exeunte, & quinto ineunte ſæculo, cum religioſi in Divos, & in reliquias honoris cultuſque rudimenta cœpiſſent, cernimus neque ex hæreticis, neque ex ipſis Catholicis defuiſſe, qui rem denotarent, ac reprehenderent. Ex Catholicis quidem occurrit inprimis Epiphanius, Salaminis in Cypro Epiſcopus: cujus luculentæ extant tam in imaginum, quam in Sanctorum ipſorum cultum voces. Ac imaginem quidem hominis, ſive is Sanctus aliquis fuerit, ſive etiam ipſe Chriſtus, pronuntiat *contra authoritatem Scripturarum* in Eccleſia appendi; idque vſque adeo indigne fert, vt quam in tali loco pendentem vidit, eam ſtatim inde detractam ſcindere non dubitaverit: Quo pertinet, & aliud ab Iconomachis olim allatum, ejuſdem ad Chriſtianos præceptum, *ne imagines inducant in Eccleſias, neque in cœmeteria Sanctorum, ſed ſemper Deum in memoria habeant in cordibus ſuis.* τὸ μὴ ἀναφέρειν εἰκόνας ἐν ἐκκλησίᾳ, μήτε ἐν τοῖς κοιμητηρίοις τῶν ἁγίων. ἀλλ' ἀεὶ διὰ μνήμης ἔχετε τὸν Θεὸν ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. Sanctorum vero mortuorum cultum quam non probarit, ſatis clamat tota ejus in Collyridianas Virginis Mariæ adoratrices diſputatio: quam aggrediens, velut ab Apoſtolo prædictum refert, *futuros inter Chriſtianos, qui mortuos colant, quemadmodum apud Iſraëlitas honore fuerunt affecti*; eoſque errores contingere dicit, *non quod Sancti cuiquam offenſionis anſam præbeant; ſed quod conquieſcere mens hominum nequeat, & ad pravum declinet.* Alter quoque de Catholicis vir, Epiphanio aliquanto junior, vtrumque apud ſuos cultum reprehendit Auguſtinus in opere de moribus Eccleſiæ Catholicæ, quo neſcio an vllum diſertius ediderit; *Novi* (inquit) *multos eſſe ſepulcrorum & picturarum adoratores: Novi multos eſſe, qui luxurioſiſſime ſuper mortuos bibunt, & epulas cadaveribus exhibentes ſuper ſepultos ſe ſepeliant, & voracitates, ebrietateſque ſuas deputent religioni.* Quo & illa ejuſdem auctoris, ſed in alio opere, pertinent; *Non ſit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia ſi piè vixerunt, non ſic habentur, vt tales quærant honores, ſed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti ſui nos eſſe conſortes; honorandi ergo ſunt propter imitationem, non adorandi propter religionem.* Fuit & Vigilantius ejuſdem memoriæ vir, Catholicus; Paulini Nolani Epiſcopi amicus & familiaris: Fuit ipſi etiam Hieronymo, ſed nondum irato, *Sanctus presbyter.* Et is tamen gliſcenti reliquiarum

Marginal notes: CAPUT XVII. — *Gregor. Epiſc. l. 9. epiſt 9. ad Seren.* — *Epiphan. ep. ad Ioan. Hiero. T. 2. Epiph.* — *Syn. 7. Act. 6. to. 1. E. Conc. T. 5. p. 772. F. Epiph. hær. 78. p. 1055. A.* — *ibid. c. Vid. hær. 79. tot.* — *Auguſt. de moribus Eccl. Cathol. l. 1. c. 34.* — *Id. l. de vera relig. c. 55.* — *Paulin. ep. 1. Hier. ep. 13. T. 1. fol. 37. M. apud Hier. ep. ad Rip. T. 2. fol. 43. K.*

CAPUT XVII.

cukui oblocutus eſt, *cinerarios, & idololatras* vocans, *qui mortuorum hominum oſſa venerentur*; libereq; negavit *adorandum pulverē linteamine circumdatum*; queſtuſque eſt *prope ritum Gentilium ſub prætextu religionis introductum in Eccleſiis, Sole adhuc fulgente, moles cereorum accendi; & ubicumque pulviſculum neſcio quod in modico vaſculo pretioſo linteamine circumdatum oſculantes adorare. Magnum,* (inquit) *honorem præbent hujuſmodi homines beatiſſimis martyribus, quos putant viliſſimis cereolis illuſtrandos, quos Agnus, qui eſt in medio throni, cum omni fulgore majeſtatis ſuæ illuſtrat.* Sed hunc Vigilantium Latini non alio merito, quam quod hæc ita ſcripſerit, habent pro hæretico; Hieronymi atrociſſima in eum diſputatione freti, in qua ipſe Hieronymi magnus admirator Eraſmus *pluſculum modeſtiæ cogitur deſiderare.* Eſto vero quando ſic Latinis placet, Vigilantius hæreticus. Nobis nunc quidem ad hanc cauſam ſatis eſt, quod reliquiariam illam ſui temporis religionem denotavit ac ſugillavit, neque ferendam apud Chriſtianos clamavit; ejuſque prætextu ritum prope Gentilium introductum in Eccleſias deploravit; cum nec dum iſti tamen *adorari* à ſe *martyres* concederent; quod nunc de ſuis Latini adeo non inficiantur, ut eò etiam gloriari videantur. Sed en tibi iiſdem temporibus veri nominis hæreticum Fauſtum Manichæorum in Africo ſigniferum, qui in opere quodam contra Catholicos ſuo, iiſdem fere temporibus edito, hos illis cultus, hos mores ita exprobrat. *Vos* (inquit) *ſacrificia Paganorum vertiſtis in agapes, idola in Martyres, quos votis ſimilibus colitis; defunctorum umbras vino placatis & dapibus,* Dicit autem à Catholicis martyres coli eodem modo, quo à Paganis idola colebantur; *Vinum & dapes,* quibus eorum aliqui, etiā fatente Auguſtino, apud memorias martyrum liberius interdum indulgebant, calumniatur, veluti ſacra fuerint ad placandos martyrum ſpiritus. Eunomium hæreſiarcham (quem anno Theodoſij 14. adeoque Chriſti 392. adhuc ſuperfuiſſe conſtat ex Hieronymo; mortuum vero circa annum D. 393. aut 394. ex Philoſtorgio, & alijs omnino probabiliter argumentatur Iacobus Gothofredus noſter *) hunc inquam Eunomium reliquiarum etiam cultum oppugnaſſe. Vigilantianæque *hæreſeos auctorem* eſſe tradit Hieronymus; ſed unus: è quo id Gennadius, & poſteri hauſerunt. Philoſtorgius quidem, quo magis Eunomianus mortalium nemo fuit, reliquiarum ſacratum meminit aliquoties; ſed ſemper honorifice; Tum quos negat Hieronymus Eunomianos baſilicas Apoſtolorum, & Martyrum ob reliquiarum odium ingredi, eoſdem ait mortuum adorare Eunomium: quæ non ſatis videntur inter ſe convenire. Neque certius eſt, quod Vaſques tradit Euſtathium illum, qui in Sinodo (Vide ex Annal. quando iſte vixerit ad annum 350. ni fallor,) Gangrenſi damnatus eſt reliquiarum cultum primum omnium refutaſſe. Nihil ea de re dicit Synodus; neque Euſtathianos ideo damnat, quod reliquias, & earum cultum proprie repudiarent

Hier. contr. Vigil. ibid. fol. 44. 9. D.

Eraſ. in argum. libri contr. Vigil. ibid.

Apud Aug. l. 20. contr. Fauſt c. 4. T. 6. p. 151. A.

ibid. c. 21 p. 156. B. & alibi.

Hieron. de Scripѕ. Eccl. c. 117. 135. & in proœm.

**Ad Philoſt. l. 11. c. 6.*

Hier contr. Vigil. fol. 45. C.

Philoſt Hiſt. l. 2. c. 3. l. 3. c. 2. l. 7. c. 4.

Hier. ab ſuprà.

Vaſq in 3. Th q. 25. art. 3. diſp. 112. c. 1. & diſp. 97. c. 1.

pudiarent, ſed quod publicos conventus, qui apud martyrū memorias fere tū fiebant, cōtemnerent, atq; accuſarent: quod illi nō martyrū, aut reliquiarū, ſed vel eorū qui in cōventibus miniſtrabāt, vel eorū quæ in iis fiebant odio feciſſe videntur; vt ex Synodica Patrū Epiſtola patet: vbi de Euſtathianis loquēs; Εὑρίσκοντο γὰρ (inquit) καὶ ἀναχωρήσεις ἐκ τῶν οἴκων τοῦ θεοῦ καὶ τῆς ἐκκλησίας ποιούμενοι καταφρονητικῶς διακείμενοι κατὰ τῆς ἐκκλησίας, καὶ τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ ἰδίᾳ συνάξεις ποιούμενοι, καὶ ἐκκλησιάζοντες, καὶ διδασκαλίας ἑτέρας. *Inventi ſunt diſceſſiones, ac ſeparationes à domibus Dei, & ab Eccleſia inſtituere, Eccleſiam & quæ fiunt in Eccleſia contemnentes, & PRIVATIM conventus, & alias doctrinas facientes.* Ex his, & aliis quæ contra eos tota paſſim Synodo habentur, omnino videntur Patres iſtorum non in reliquias odium (quod Baronius,* & Binius†, & Vaſques temere opinantur) ſed in Eccleſiæ conventûs publicos, ſacraque ſolemnia, & miniſtros ordinarios inſolentiam, atque contemptum denotare viceſimo illo canone qui ita habet; Εἴ τις αἰτιῷτο ὑπερηφάνῳ διαθέσει κεχρημένος, καὶ βδελυσσόμενος τὰς συνάξεις τῶν μαρτύρων ἢ τὰς ἐν αὐταῖς γινομένας λειτουργίας, καὶ τὰς μνήμας αὐτῶν, ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis ſuperbiæ affectu vſus, & abhorrens accuſet conventus, ſive congregationes martyrum.* (Solennes apud confeſſiones & memorias martyrum) *& ſacra, vel miniſteria, quæ in iis fiunt, & eorum memorias, anathema eſto.* Dionyſius Exiguus jampridem ſic erat interpretatus; *Si quis* (inquit) *per ſuperbiam, tanquam perfectum ſe exiſtimans, conventus, qui per loca & baſilicas Sanctorum Martyrum fiunt, accuſaverit, vel etiam oblationes quæ ibidem colebantur, ſpernendas eſſe crediderit, memoriaſque ſanctorum contemnendas putaverit, anathema ſit.* Recte Patrum mentem expreſſit; ſi modo per Sanctorum quas dicit *memorias*, baſilicas intelligas ad Eccleſiaſticos conventus ſuper martyrum ſepulcris de illius ævi more exſtructas. Miſſo ergo Euſtathio, quem *reliquiarum* proprie *cultum* reprehendiſſe, neque veterum quiſquam affirmat, neque ſane Gangrenſis hic canon vincit; illud potius obſervemus, quod eſt ab Athanaſio de Antonio proditum. *Solent* (inquit) *Ægyptii pie defunctorum, atque inprimis ſanctorum Martyrum corpora funerare quidem, & linteis involvere: non autem mandare terræ, ſed imponere lectulo, & apud ſe domi ſervare, idque mortuis honorem eſſe ducunt. Qua de re Antonius ſæpe Epiſcopos rogavit, populum vt erudirent, ſimiliter etiam laicis pudorem injecit, & mulieres objurgavit, negans id vel legibus ſancitum vel omnino pium eſſe. Nam & Patriarcharum, & Prophetarum corpora in hunc vſque diem ſepulchris ſervari; ipſum etiam Domini corpus in monumentum poſitum fuiſſe, ſaxo quoque advoluto, quo tegeretur, donec die tertio reſurgeret. Quibus verbis peccare demonſtrabat eum, qui defunctorum corpora poſt obitum non humaret; quantumvis ſancta eſſent. Quid enim majus aut ſanctius Domini corpore?* οἱ Αἰγύπτιοι τὰ τῶν τελευτώντων σπουδαίων σώματα, καὶ μάλιστα τῶν ἁγίων μαρτύρων φιλοῦσι μὲν θάπτειν καὶ περιειλίσσειν ὀθονίοις, μὴ κρύπτειν δὲ

ὑπὸ

CAPVT XVII.

Syn. Gangr. in ep. T. 1. Cóc. p. 451. B.

**Baron a. D. 361. §. 57.*

† in can. Gangr. 20 T. 1. Conc. p. 462. A.

Synod. Gágr. c. 20.

Athan. in Vit. Ant. T. 2. pag. 502. B.

CAPVT XVII.

ὑπὸ γῆν, ἀλλ' ἐπὶ σκιμποδίων τιθέναι καὶ φυλάττειν ἔνδον παρ' ἑαυτοῖς. νομίζοντες ἐν τούτῳ τιμᾶν τοὺς ἀπελθόντας. ὁ δὲ Ἀντώνιος πολλάκις περὶ τούτου καὶ ἐπισκόπους ἠξίου παραγγέλλειν τῷ λαῷ. ὁμοίως δὲ καὶ λαϊκοὺς ἐνέτρεπε. καὶ γυναιξὶν ἐπέπληττε. λέγων μήτε νόμιμον, μήτε ὅλως ὅσιον εἶναι τοῦτο. καὶ γὰρ τὰ τῶν πατριαρχῶν, καὶ τῶν προφητῶν σώματα μέχρι νῦν σώζεται εἰς μνήματα, καὶ αὐτὸ δὲ τὸ τοῦ Κυρίου σῶμα εἰς μνημεῖον ἐτέθη, λίθος τε ἐπιτεθεὶς ἔκρυψεν αὐτό, ἕως ἀνέστη τριήμερον. καὶ ταῦτα λέγων ἐδείκνυε παρανομεῖν τὸν μετὰ θάνατον μὴ κρύπτοντα τὰ σώματα τῶν τελευτώντων, κἂν ἅγια τυγχάνῃ. τί γὰρ μεῖζον ἢ ἁγιώτερον τοῦ Κυριακοῦ σώματος: Itaque ipſum Antonium narrat, cum eſſet in ſupremis, diligenter ſuis diſcipulis ac fratribus præcepiſſe *ne corpus ſuum in Ægyptū transferri paterentur, ne forte Ægyptij id domi reſervarent ſua; ſed id ſepelite* (inquit) *terraque contegite, ſermoque hic meus apud vos ita cuſtodiatur, vt nemo præter vos ſolos, locum ſepulcri noſcat.* μὴ ἀφῆτε τινὰς τὸ σῶμά μου λαβεῖν εἰς Αἴγυπτον, μήπως ἐν τοῖς οἴκοις ἀπόθωνται; tumque θάψατε ὖν τὸ ἡμέτερον ὑμεῖς, καὶ ὑπὸ γῆν κρύψατε, καὶ ἴσω τὸ παρ' ἐμοῦ ῥῆμα φυλαττόμενον παρ' ὑμῖν, ὥστε μηδένα γινώσκειν τὸν τόπον, πλὴν ὑμῶν μόνων.

ibid. p. 503. B

Hæc Antonius; quem anno D. 358. die Ian. 17. obiiſſe ſatis conſtat. Ad illa ergo vſque tempora abhinc ſurſum ſi aſcenderis, nullis pæne ſæculis defuiſſe reperies (vt ex iis quæ diximus liquet) qui huic Latinorum cultui, modo vniverſo, vt in citerioribus ſæculis, modo vni, aut alteri ejus parti, vt in vlterioribus oblocuti ſunt, ſive hæretici, ſive orthodoxi; interdum ſinguli, interdum etiam plures in vnam aliquam ſocietatem colligati; Taboritæ, Valdenſes, Wiclefus, Lollardi, Claudius Taurinenſis, ſex Orientis Imperatores cum magna imperij ſui parte, Serenus Maſſilienſis, Gregorius Romanus, Auguſtinus, Vigilantius, Epiphanius, Fauſtus Manichæus, monachorum denique parens Antonius. Superioris vero Chriſtianiſmi, qui ab Apoſtolis ad quarti illius ſæculi initia floruit, vbi pomœria ingreſſus fueris, repente conticeſcere miraberis omnem illum adverſus Latinos cultus ſtrepitum. Neminem toto illo trium ſæculorum decurſu neque hæreticum invenies, qui vel Euchariſtiæ adorationem, vel Divorum invocationem, vel imaginum venerationem, vel reliquiarum religionem, vel crucis cultum veri nominis Chriſtianis objecerit, qui ve eo nomine ab iis diſceſſerit; neque orthodoxum, qui eoſdem hac de re reprehenderit, & commonefecerit. De Euchariſtiæ quidem adoratione, res plana eſt; quam conſtat non modo tribus ilis ſæculis, nuſpiam apud Chriſtianos agitatam eſſe, ſed ne ſequentibus quidem pœne ad duodecimum. Neque de imaginibus res eſt obſcurior; quarum cultum nemo, quod ſciam, veteribus quinque priorum ſæculorum Chriſtianis objeciſſe reperitur. Tantum ex Eliberitanæ Synodi decreto *ne ea eſſent in Eccleſiis*, videtur non inepte colligi, fuiſſe circa quarti ſæculi initia aliquos, qui Eccleſias picturis ornare vellent; quod Patres ob idololatriæ periculum vetant. Iam neque de Sanctorum, aut reliquiarum, aut crucis materialis cultu vlla controverſia

eſſe

eſſe poteſt; quem toto illo ad decimam vſque perſecutionem tempore à quoquam vel hæretico, vel orthodoxo in vllis veris Chriſtianis denotatum fuiſſe inauditum eſt. Tantum de reliquiis reſiſtit Hieronymus, qui in Vigilantij eas colendas negantis opinionem ipſis Tertulliani temporibus (id eſt circa a.D. 200.) ab hæreticis ſparſam fuiſſe vult; *Scribit* (inquit Vigilantium compellans) *adverſum hæreſim tuam, quæ olim erupit adverſum Eccleſiam (ne & in hoc quaſi repertor novi ſceleris glorieris) Tertullianus, vir eruditiſſimus, inſigne volumen quod Scorpiacum vocat rectiſſimo nomine; quia arcuato vulnere in Eccleſiæ corpus venena diffudit, quæ olim appellabatur Caïna hæreſis; & multo tempore dormiens vel ſepulta nunc à Dormitantio ſuſcitata eſt. Dormitantium,* homini illudens, dixit pro Vigilantio. Sed hoc Hieronymi plane mira ſunt. In alio opere *Samaritanum & Iudæum* eſſe Vigilantium juſſerat; *qui corpora mortuorum* (inquit) *pro immundis habent, & etiam vaſa quæ in eadem domo fuerint, pollui ſuſpicantur.* Nunc vult eundem eſſe Gnoſticum, & *Caïnæum*; quem etiam paulo ante *Eunomianum* fecerat. Sed & hanc hæreſim cujus Eunomium *auctorem* fuiſſe paucis antè verſibus ſcripſerat, nunc vult ipſis Tertulliani temporibus *erupiſſe adverſum Eccleſiam*, annis ante natum Eunomium centum & amplius. Sed cætera mitto; Nunc de eo videamus, quod dicit Vigilantij hæreſim à Tertulliano fuiſſe oppugnatam in *Scorpiaco*, vel *Scorpiace* (vt apud Rigaltium ex codicibus manuſcriptis legitur) Liber extat; ſcriptus, quod ipſe ſtatim edidit, contra *Gnoſticos & Valentinianos, & omnes martyriorum refragatores*; qui ſubeunda pro fide martyria negabant; qui facerent, *ſimplices animas, & innocentes* vocabant, *perire ſine cauſa*: ne *ſimplicitatem* quidem eſſe, ſed *vanitatem, imo dementiam pro Deo mori.* Adverſus horum Scorpiorum venena *theriacam ſtilo temperavit* Tertullianus, hanc ſuam Scorpiacen. Contra illam iſtorum impudentiam liber totus dimicat. Nullos alios petit. Viderit Vigilantius, an hunc errorem erraverit; an martyrium pro Chriſto faciendum negaverit. Si negavit, fateor adverſus ejus hæreſim ſcriptum eſſe à Tertulliano *inſigne Scorpiaces volumen.* Sed Vigilantij hæreſis, ſi hæc fuit, nihil ad rem noſtram pertinet; qui dicimus hæreticos ante decimam perſecutionem nullos extitiſſe, non qui facienda martyria, ſed qui eorum ipſorum martyrum, quos probarent, & laudarent, adorandas reliquias negarent; vel qui Eccleſiam, non ob commendata ac præcepta martyria, ſed ob religioſe culta martyrum corpora reprehenderent. Illos confutat Tertullianus; hos-ne nominat quidem, aut innuit. Itaque in demonſtranda martyrij excellentia, neceſſitate, bonitate, ac vtilitate totus eſt; de reliquiarum adoratione, cultu, miraculis, nullum verbum facit. Res clara eſt, & ab ipſo Bellarmino obſervata: *Gnoſtici contra quos ſcribit Tertullianus ſolùm negabant martyria perpetienda. Ac Iudæos & Samaritas*, quibus Vigilantium in altero opuſculo accenſuerat, pariter

CAPVT XVII.

Hiero. contr. Vigil. T. 2. fol. 45. C.

Hier. ep. ad Ripar. T. 2. fol. 43. E.

ibid. fol. 45. C.

Tert. Scorp. c. 1. p. 616. C. D.

p. 627. B.

Bellar. l. 2. de Sanct. reliq. 1. init.

V

CAPUT XVII.

riter quoque confitetur *credidiſſe quidem immunda eſſe omnia corpora mortuorum; nihil tamen in particulari de Sanctorum corporibus diſputare*. Quam vereor, ne de Eunomio, altero Vigilantianæ hæreſeos auctore, res eodem quoque modo habeat! hoc eſt ne is martyrum, non reliquias, aut cultum, ſed aliud aliquid, puta prudentiam, aut fidē denotaverit. Vel hinc diſce, quam periculoſum ſit vel eruditiſſimis etiam Patribus, niſi tota lege perſpecta, credere. Nam ſi Tertulliani Scorpiace interiiſſet: quis Hieronymo non crederet volumen fuiſſe adverſus eos ſcriptum, qui Sanctorum reliquias religioſe colendas negant? quod tamen uſque adeo falſum eſſe nunc videmus, ut de iſtis ne unum quidem in toto libro legatur. Cur autē Cainam, ſive Caïanā, aut Caïnæam eam dicat hæreſim quam Scorpiace oppugnat, equidē neſcio. *Gnoſticos*, & *Valentinianos* à ſe peti ipſe Tertullianus nos docet, cæteroſque *martyriorum*, ut loquitur, *refragatores*; Caïnæos nuſquam toto libro nominat, quos tamen (fateor) martyriorum haud fuiſſe amicos, veriſimillimum eſt; portentoſos impoſtores, & omnium hæreticorum deterrimos, ac ſceleratiſſimos: propudia verius, quam homines; ut ex Irenæo diſcimus, & Tertulliano ipſo, & ex Origene (qui hos, & Ophianos plane penituſque à Chriſti nomine defeciſſe tradit) & ex Epiphanio, Theodoreto, Auguſtino, aliis. Cæterum nemo eſt iſtorum, qui aliquam proprie fuiſſe Caïnæorum de reliquiarum cultu hæreſin tradiderit. Hoc ergo certum, & inconcuſſum maneat Eccleſiam toto trium priorum ſæculorum decurſu nullam vel à ſuis, vel ab hæreticis paſſam eſſe contradictionem de reliquiarum magis, quam de Euchariſtiæ, Divorum, vel imaginum, vel crucis cultu religioſo. At ſi hic cultus illis ſæculis apud noſtros obtinuiſſet, plane eſt incredibile nullum neque domi, neque foris tanto tempore exoriturum fuiſſe, qui eum vel damnaret, vel certe reprehenderet. Ratio clara eſt; quod is ſcilicet cultus vehementer vel pugnat vel certe pugnare videtur cum unius Dei adoratione, & ſpirituali Chriſtianæ religionis ingenio, & multis fidei capitibus; quod nuſquam in Scripturis legatur vel à Domino inſtitutus, præceptus, laudatus, vel à piis factitatus; quod denique pravis opinionibus, atque ſuperſtitionibus non paucis latam portam aperiat; quarum partem aliquam ne ipſi quidem Latini negant. Itaque quibus ſæculis is cultus vel omnino, vel partim apud Chriſtianos valuit, iis neque defuiſſe oſtendimus, qui reprehenderent. Cur aliter accidit tribus primis ſæculis, ſi res, ſi cauſa eadem fuit? Cur non tunc quoque aliquis extitit Auguſtinus, qui *picturarum & ſepulchrorum adoratores* denotaret? cur nullus Epiphanius, qui imagines in Eccleſiis proſtantes ſcinderet, & mulierum in colenda Virgine immodeſtiam caſtigaret? Cur nullus Gregorius, qui imaginum uſum in ſacris ferret, adorationem omnimodis vetaret? Cur non aliquis ſaltem Antonius, qui ſanctorum reliquias terra contegendas, non conſpicue geſtandas, aut oſten-

Iren. l. 1. c. 35. Tert. Præſcr. c. 47. Orige. contr. Celſ. l. 3. p. 122. Epiph hær. 38. Theodor l. 1. Hær. fab. c. 15. Auguſt. de hæreſ

oſtentandas moneret? Sed eos mitto, quos ipſi Latini Catholicos fuiſſe confitentur. Cur non hæreticus ſaltem aliquis tum emerſit, eorum ſimilis, quos iſti hæreticos vocant? aliquis verbi gratia Wiclefus, qui *Eucharistiæ*, & Divorum, & crucis religionem idololatriæ damnaret? aliquis Claudius, qui imagines deſpueret? aliquis Vigilantius, qui reliquias ſperneret? aliquis Fauſtus, qui idola in Martyres à Catholicis verſa, defunctorumque ab iis vmbras vino placari & dapibus quereretur? Fuerunt primis illis ſæculis hæretici pœne innumerabiles; audaciſſimi, procaciſſimi, impudentiſſimi, Gnoſticorum proximo poſt Apoſtolos ſæculo quæ quantaque fuit colluvies, multitudo ſpurcities? Quæ Marcionitarum? quæ Cataphrygum protervia? Quæ Hermogenis, Apellis, Praxeæ, Artemonis, & aliorũ pæne innumerabilium temeritas, atque amentia? Nihil in Eccleſię fide, nihil in diſciplina ac moribus fuit, quod non illi inſano fingendi ac novandi amore inverterent, mutarent, oppugnarent. Alium Deum, alium Chriſtum, plane aliam & creaturam & ſalutem fabricati ſunt; Neque Creatori ſuum numen, ſuam-ve monarchiam: neque Chriſto ſuam vel carnem, vel mortem, vel crucem: neque fidelibus ſuam reſurrectionem integram, aut intactam reliquerunt. Alius Patrem in Filium transfudit, vt Praxeas & Sabellius; alius à Patre Filium toto genere diviſit, vt Ebion, & Artemon. Fuerunt qui nihil vel natura ſua, vel Dei voluntate juſtum aut ſanctum; omnia *ἀδιάφορα* eſſe contenderent. Non pauci ſacros baptiſmi, & Euchariſtiæ ritus miris modis transformarunt; Alij moroſiſſimis ſuperſtitionibus piorum vitam deformarunt, imperatis jejuniis, abſtinentiis, xerophagiis inauditis; Alij vinum & carnes, & nuptias omnino ſuſtulerunt. Fuere qui Eccleſiæ ordinem, & diſciplinam in totum damnarent; ac *lenocinium* eſſe dicerent; nihil inter Catecuhmenum, & fidelem diſcriminis ſtatuerent; ordinationes temerarias, leves, inconſtantes probarent, mulieres ad docendum, & ad alia virilis curæ admitterent. Qui omnia etiam ſolidiſſima, ac (vt ſic dicam) fundatiſſima quaſſarunt, honeſtiſſima ſugillarunt, ordinatiſſima disjecerunt; eos tu cultibus iſtis Latinorum nullo Dei verbo, nulla rationis ſpecie commendatis, ab omni Dei populo hactenus alienis manifeſtam Paganici ritus ſimilitudinem præferentibus paſſuros? aut in materia adeo benigna ſic ceſſaturos fuiſſe puros, vt eorum nemo ſollicitarit illa, quæ non modò Fauſtus & Vigilantius, ſed omnes etiam Taboritæ, omnes Lollardi, ac Valdenſes ſumma poſtea vi apertiſſime oppugnarunt? Vtriſque fateor, & veteribus, & recentioribus eadem cauſa fuit, ſi iidem primæ Eccleſię cultus fuerunt, qui Latinorum nunc ſunt. Cæterum illis ad audendum multo, quam his commodiora fuiſſe tempora, nemo ſanus negaverit. Nam citimis ſæculis Vrbico Epiſcopo longe lateque dominante cultus illos nemini licuit impune ſugillare; Publicum ritum, vel perſtrinxiſſe multis capitale fuit. Igne, ferro,

CAPVT XVII.

Tertull. de Præſcr. c.41.

CAPVT XVII. carnificinis. bellis & exercitibus, & πανωλεθρίοις gentium cædibus vindicabantur imaginum, & reliquiarum, & aliorum Latinorum cultuum injuriæ. Primis contrà temporibus ſumma erat philoſophandi, & a communi receptaque Eccleſiæ ſententia diſcedendi apud Chriſtianos libertas: Imo hæreticis plærumque melius erat, quam Catholicis; quod Pagani, qui tum rerum potiebantur, Chriſtianiſmum ſic ſcindi & mutuis vulneribus confici gauderent. A quibus ergo reprehendendis, atque repudiandis noſtros Valdenſes, non tormenta, non ignes, non diri cruciatus deterrere potuerunt; ea veteres illi ſcilicet hæretici ferrent, neque aperte reiicerent, quibus nulla propoſita eſſet vel merces tacentibus, vel obloquentibus pœna? Profectò his & rationibus, & exemplis patet, ſi veterum idem olim fuiſſet, qui nunc Latinorum eſt, cultus, tunc etiam futuros fuiſſe aliquos noſtris illis, vt eos Latini vocant, hæreticis ſimiles primæ Eccleſiæ adverſarios, qui res tam in ſpeciem à vero, & à pietate abhorrentes reprehenderent. Atqui ex tanto veterum hæreticorum numero nullum fuiſſe certum eſt, qui Eccleſiam his de rebus turbaret, vel pravi & illegitimi in Euchariſtiam, in Divos, in cætera cultus accuſaret, quive Eccleſiaſticos hac in parte ritus exploderet, aut ſugillaret. Id vero conſtat ex Ireneo, Tertulliano, Iuſtino, Clemente, Origene; quorum duo primi certis neque paucis ex profeſſo voluminibus, cęteri obiter quidem, & ex occaſione, ſed tamen ſępe neque indiligenter, omnem nobis hęreticorum ſuę memorię ſcenam, omnia dogmata ac deliramenta, omnes denique ritus patefecerunt, eruditiſſimeque confutarunt; nequid de ſequentium ſęculorum Scriptoribus dicam, qui idem argumentum complures fuſe tractarunt. Iam apud iſtos omnes nemo veterum hęreticorum quicquam de Euchariſtię adoratione, vel de Divorum, reliquiarum, imaginum, cruciumve cultu adverſus Catholicos turbaſſe, vel aliquid novum & ab Eccleſiaſtico ritu alienum de his vel ſtatuiſſe, vel dixiſſe repetitur. Ergo cum auctorum Catholicorum ſilentium nil ea de re turbaſſe hęreticos oſtendat; hęreticorum vero ceſſatio nil apud Eccleſiam hac in parte fuiſſe vincat, quod vel reprehendere, vel calumniari poſſent: concludamus deniq; illum hodiernum Latinorum cultum nullum apud Chriſtianos primis illis ſęculis locum habuiſſe. Id ipſum vero inde etiam confirmatur, quod horum cultuum, cum Catholicis nihil hęretici objeciſſe reperiantur, Catholici contra aliquid interdum hęreticis exprobraſſe deprehenduntur. Paulum inprimis Apoſtolum notum eſt, quibuſdam ſui temporis impoſtoribus τὴν τῶν ἀγγέλων θρησκείαν, *Angelorum religionem* ſive *culturam* pro magno & ab omnibus piis cavendo crimine imputare. Quo jure, imo qua fronte, ſi & ipſe & tota illius temporis Eccleſia *Angelos religioſe colebat*, eamque culturam ſuæ religionis ac pietatis partem eſſe non contemnendam, profitebatur, vt nunc profitetur omnis Latinorum natio? Sic & Tertullianus hanc Apoſtoli cenſu-

Col. 2. 18.

cenſuram ſequens ac reſpiciens inſtitutum à Simone Mago cultum idololatriæ ideo accenſeri vult, quod Angelis ſerviret; *Simoniana* (inquit) *Magia diſciplina Angelis ſerviens utique & ipſa inter idololatrias deputabatur.* An ſic loqueretur, qui Angelis ipſe quoque ſerviret? Irenæus certe hoc inter cæteras Gnoſticorum labes diſerte obſervavit, *quod imagines, quaſdam quidem depictas, quaſdam autem & de materia fabricatas habeant, dicentes formam Chriſti factam à Pilato illo in tempore, quo fuit Ieſus cum hominibus, & has coronent, & proponant eas cum imaginibus mundi philoſophorum, videlicet cum Imagine Pythagoræ, & Platonis, & Ariſtotelis, & reliquorum; reliquam obſervationē, circa eas ſimiliter, ut Gentes, faciāt.* Ille vero ſi Chriſti & pictas, & fuſas & fictas ex omni materia imagines in Eccleſiis ſuis proſtantes habuiſſet, eaſque & coronis, & odoribus, & omni ornamentorum genere coluiſſet, & ante eas vel proſtratus vel de geniculis ſupplex oraſſet (qui Latinorum ſolennis hodie eſt in hujuſmodi ſimulacra honos) nunquam profecto hæc Gnoſticis ita ſimpliciter exprobraſſet; ſua in hoc cultu ab alienis ſedulo diſtinxiſſet; Quod Dominicam imaginem cum philoſophicis impie miſcerent; quod has etiam colerent, reprehendiſſet; Quod varias imagines haberent, eaſque colerent, inter illa, quæ eorum propria ac ſingularia erant, non denotaſſet. Idem quoque Irenæus, dum alibi, quod ſupra edidimus, Eccleſiam negat ex ſuis *virtutibus* ſive miraculis *quicquam invocationibus Angelicis facere*; præterquam quod diſertiſſime ſignificat nullo apud ſuos in loco fuiſſe Angelorum invocationes, quæ nunc apud Latinos publico ſunt in vſu; tacite inſuper hoc ipſo innuit morem hunc hæreticorum, quibus ſua per antitheſin hoc loco opponit, fuiſſe, vt ad prodigia, ſi qua facerent, edenda *Angelos invocarent*, quos etiam à Latinis ad curationes, & alia, quæ jactant, miraculoſa invocari & quotidie cernimus, & aliquot ſupra allatis exemplis oſtendimus.

CAPVT XVII. *Tertull. de Præſcr. c. 33. p. 244. B.* *Iren. l. 1. c. 24. extr.* *Iren. l. 2. c. 57 extr.*

CAPVT XVIII.

Argumentum XIII. quo neque Euchariſtiam, neque Reliquias, neque imagines, neque cruces à vetuſtiſſimis Chriſtianis cultas fuiſſe inde oſtenditur; quod ij res mutas & anima carentes adorari non modo nefas, ſed & ſtultum ac ridiculum eſſe contendant in ſuis adverſus Paganos diſputationibus.

ATQVE ita hactenus in genere demonſtravimus nullum Latinorum, de quibus diximus, cultuum fuiſſe in veteri triuṁ priorum ſæculorum Chriſtianiſmo vſitatum aut cognitum. Antequam ad ſingulas ſpecies venio, ſuperioribus adjungenda videntur argumenta, quæ non quidem omnia, ſed tamen complura ex iis, quæ nunc Latini colunt, ſimul ac ſemel probant non fuiſſe à priſcis illis Chriſtianis culta. Quale eſt hoc inprimis, quod nunc ſum explicaturus, ex iis petitum, quæ illius memoriæ Theologi contra Paganorum idololatriam diſputant. His enim illi ea paſſim objectant, quæ apertiſſime oſtendunt Chriſtianos nondum illis temporibus vel Euchariſtiam, vel reliquias, vel imagines vel cruces coluiſſe. Primo quæ Pagani adorabant Deorum ſigna illi ideo negant eſſe veneranda, quod muta eſſent, animaque ac ſenſus expertia. Iuſtinus; *Sed neque* (inquit) *victimis multis, & florum coronis colimus, quos homines effigiantes, & in templis collocantes Deos cognominarunt, quandoquidem hæc novimus anima carere, mortua eſſe, neque Dei formam habere*: ἀλλ᾽ οὐδὲ θυσίαις πολλαῖς καὶ πλοκαῖς ἀνθῶν τιμῶμεν οὓς ἄνθρωποι μορφώσαντες, καὶ ἐν ναοῖς ἱδρύσαντες θεοὺς προσωνόμασαν. ἐπεὶ ἄψυχα καὶ νεκρὰ ταῦτα γινώσκομεν, καὶ θεοῦ μορφὴν μὴ ἔχοντα. Ita Tertullianus, ſe laudem, non pœnam eo meritos dicit, quod *ſtatuas & imagines frigidas mortuorum ſuorum ſimillimas non adorent*. Clemens Alexandrinus in hoc argumento multus eſt; ſimulacris gentium etiam viliſſima animalia præferens, etiam talpas, & mures araneos, imo & oſtreorum genus, quod hæc quantumvis viſu atque auditu, voceque carentia, *vivunt tamen & augentur, & Luna creſcenti aut decreſcenti compatiuntur*; ἀλλὰ ζῇ γε, καὶ αὔξεται, καὶ τῇ σελήνῃ συμπάσχει. *Simulacra vero* (inquit) *inertia & otioſa, inefficacia, & inſenſilia*. τὰ δὲ ἀγάλματα ἀργὰ, ἄπρακτα, ἀναίσθητα. Eadem alter, ſed falſi nominis Clemens, Petrum facit contra paganos perorantem; *Iſta ſimulacra* (inquit) *nec in mortuorum numero habenda ſunt, quia nunquam vixerunt. Preferenda ſunt eis etiam ſepulcra mortuorum: quoniam licet nunc mortui ſunt, habuerunt autem aliquando vitam. Iſti autem, quos colitis, nec eam quidem qua eſt omnibus teterrima, ranarum ac bubonum vitam aliquando geſſerunt.* Tum ſic pergit; *Non vides, quia quem adoras, non videt? audi, quia quem adoras, non audit,*

Iuſtin. Apol. 2. p. 44. l. 29.

Tert. Apol. c. 12. p. 14. C.

Clem. Alex Paran. ad Gent. p. 33. D. 34. A.

Clem. Recogn. l. 5. fol. 30. A.

CAPUT XVIII.

audit, & intellige, quia non intelligit. Opus enim mortalis manus eſt & neceſſario ſenſu caret. Tu ergo adoras inſenſibilem, cum unuſquiſque habens ſenſum, nec ea credat adoranda, quæ à Deo facta ſunt & habent ſenſum, id eſt Solem & Lunam vel ſtellas. Itaque iſtos etiam Ægyptiis muta quidem, ſed tamen animalia colentibus poſthabet. *Ægyptiorum* (inquit) *ſtultitiam merito videtis, qui muta animalia, ipſi cum ſint rationabiles colunt. Audite tamen quomodo & illi vos irrideant. Ajunt enim, Nos viventia colimus animalia licet moritura. Vos vero, quæ nunquam omnino vixere, hæc colitis & adoratis.* Hæc illi; quæ cum ita diſputant, clare liquidoque ſtatuunt nihil eſſe religioſe colendum, quod ſit vitæ ſenſuſque expers; adeoque eadem opera religioſe à ſe coli Euchariſtiam, Divorum reliquias, imagines, & cruces negant; quæ omnes ſcilicet vident ipſa quoq; non minus quam Paganorum numina, muta ſurdaque eſſe & ſenſibus carere; Atque id quidem hæc iſtorum diſputatio eo validius conficit, quod hæc illi non dicunt ſimpliciter, ſed etiam Paganis objectant. At cujus quæſo, vel prudentiæ, vel pudoris eſt ea adverſario, & quidem potentiori obiicere, quorum tu ipſe reus eſſe convinceris? Clemens talpas, & oſtrea, quod etſi vel mutilum, vel obtuſum, aliquem tamen habent ſenſum, eo præfert Paganorum Diis. Hac ratione quis non iſtum intelligit quæ à ſe ſuiſque colebantur, ea infra iſtorum quoque animalium vilitatem abjeciſſe, ſi Euchariſtiam quidem & reliquias & imagines & cruces adoravit, quæ quam talpæ, quam etiam oſtrea vitam habent, ne eam quidem habent. Iuſtinum vero quis credat apud Senatum, apud Imperatores, apud ipſum Marcum, quo nemo Romanis imperavit melior, aut ſapientior, profeſſurum fuiſſe ſe ſimulacra ſertis floribus ideo honoranda non putare, quod *inanimata ſint, & mortua,* ſi & ipſe & cæteri Chriſtiani æque inanimes Divorum Divarumque effigies floribus & ſertis redimitas, & ſolutis conſperſas, ſi reliquias & cruces multo auro, multiſque gemmis illuſas, ſi Euchariſtiam denique omnibus iis, quæ capit, vel ornamentis vel muneribus inſtructam adoraſſent? Tertulliano quoque, ſi is hodiernorum Latinorum conſectaneus erat, quid ſtultius dici poteſt, qui *laudem* ſibi ſuiſque vindicat, quod *ſtatuas, & imagines frigidas, mortuorum ſimillimas adorare* deſierint? Quaſi vero quas colunt Latini *ſtatuas & imagines,* ea non æque ac Paganicæ, torpeant, ac *frigeant, mortuorumve* ſuorum diſſimiliores ſint? Tu vero ſi ita eſt, Septimi ſtatuas & imagines non repudiaſti, ſed aliis æque mutis ac frigidis commutaſti: & adjunctis *mortuorum* haudquaquam calidioribus cineribus atque oſſibus cumulaſti. Iam illis quæ Petrum ſuum Clemens falſe loquutum ſe feciſſe putat; quid inſulſius, aut frigidius dici poteſt, ſi Petri eadem fuit, quæ nunc Latinorum eſt religio? Paganum ideo ridet, quod ea coleret quæ non viderent, neque audirent, neque intelligerent, neque denique viverent. Hoc quis in eo ferat, qui oſſa ipſe, & veſtes, &

ibid. 8.

pilos

CAPVT XIX. pilos hominum mortuorum, qui inertes & mutas imagines, qui nullo ſenſu prædita crucis ſigna, qui tenues farinæ coctæ bracteolas quotidie ſupplex vivus, ac ſentiens religioſiſſime colit?

CAPVT XIX.

Argumentum XIV. idem inde concludens, quod vetuſtiſſimi Theologi Paganos irrideant ea colentes, quæ cuſtodiuntur ab hominibus, quæque & hominum, & ignis & imbrium, & aliis Naturæ injuriis obnoxia ſunt, & quæ denique oppignerare licet; quæ omnia in Euchariſtiæ, imaginum, crucium, & reliquiarum cultores aperte quoque conveniunt.

IDEM quoque de eo judicium eſt, quod ipſi illi Patres humanam Deorum Gentilium cuſtodiam irrident. Iuſtinus; *ô ſtuporem!* (inquit) *Homines & quidem impuri, dicuntur, Deos ad hoc vt adorentur fingere & transformare, iidemque fanorum, in quibus illi reponuntur, cuſtodes conſtitui. Non vident nefas eſſe cogitare vel dicere homines eſſe Deorum cuſtodes?* ὢ τῆς ἐμβροντησίας! ἀνθρώπους ἀκολάστους, θεοὺς εἰς τὸ προσκυνεῖσθαι πλάσσειν λέγεσθαι, καὶ μεταποιεῖν. καὶ τῶν ἱερῶν, ἔνθα ἀνατίθενται φύλακας τούτους καθιστάνας. μὴ συνορῶντας ἀθέμιτον καὶ τὸ νοεῖν ἢ λέγειν ἀνθρώπους θεῶν εἶναι φύλακας. Quis non intelligit, quam ridicule iſte hæc ita tragice exclamet, ſi is quoque Deus quem & ipſe & omnes conſecranei religioſiſſime in myſteriis quotidie adorabant, cuſtodiebatur tamen, eique ferendo proprius erat, vt nunc apud Latinos, conſtitutus ſacerdos? An Dei *bajulum* quam cuſtodem eſſe hominem minus dictu aut cogitatu impium eſt? Sed & quod dixi, *cuſtoditur*, ſacer ille panis, qui Latinis idem Deus eſt, & quidem cuſtodia multo quam Deorum Gentilium vulgus, arctiori. Arcula enim aut pyxide ſub ſera incluſus tenetur, ne vel ab hominibus, vel etiam a beſtiis violetur. Eandem quoque Divorum eſſe apud Latinos ſortem notum eſt, quorum & imagines & reliquiæ diligentiſſime cuſtodiuntur. Arnobius eadem quæſtione Paganos fatigat: *Et tamen ô iſti, ſi apertum* (inquit) *vobis & liquidum eſt in ſignorum viſceribus Deos vivere atque habitare cœlites; cur eos ſub validiſſimis clavibus, ingentibuſque ſub clauſtris, ſub repagulis, peſſulis, aliiſque hujuſmodi rebus cuſtoditis, conſervatis, atque habetis incluſos, ac ne forte fur aliquis, aut nocturnus irreptas latro aditus mille protegitis, atque excubitoribus mille?* Mox duobus verſiculis interjectis: *Quinimo ſi fiditis Deos iſtic eſſe, nec à ſignis vſpiam ſimulacriſque diſcedere: permittite illis curam ſui; reſerata ſint ſemper atque aperta delubra.* Hæc ille; quæ ſi Latini ritus religioſus fuiſſet, nunquam ita dicturus, neque ſe adverſariorum ſannis objecturus

Iuſt. Apol. 2. p. 44. l. 47.

Arnob. contr. gent. l. 6. p. 257.

ſtus erat; quos ſciret itidem à ſe quæſituros, ſi ipſe certo crederet non Vulcanum, aut aliquem de Deorum plebe, ſed ſummum Deum in ſuo pane habitare; cur eum ſub validiſſimis quoque clavibus haberet incluſum? cur clauſtris & repagulis, ac æditiuorum cura atque vigiliis ſepiret? Cur non illi curam ſui permitteret? De cineribus & reliquiis Divorum, ipſiſque etiam ſignis ac ſimulacris, & crucibus ſacris, eadem non ineptè interrogari poſſunt; quibus Latini ſanctorum cœlitum, etſi non ipſam ſubſtantiam, certe divinam, activam, ac miraculorum capacem vim ſemper ineſſe vel adeſſe putant. Neque hoc in Recognitione omiſit Petrus Clementis, qui Gentilium ſimulacra eo etiam ridet, quod *à furibus, canum Vigiliis, & clauſtrorum munitionibus conſerventur, & hoc ſi fuerint argentea vel etiam area. Nam lapides* (quod addit ſane vrbaniſſime) *& fictilia ipſa ſui vilitate muniuntur. Nemo enim lapideum aut fictilem Deum furatur. Vnde miſerabiliores videntur hi, quibus pretioſius metallum pericula viciniora conquirit.* Omnia in Latinorum Divos, ac cruces ad amuſſim convenire nemo non videt. Illud vero quod ibidem ſequitur etiam numini, quod in oblatis Latinis conſecratum adoratur, pœne totum congruit; *Qui ergo* (inquit) *furari poſſunt, qui ab hominibus cuſtodiri, qui conflari & appendi & mallais cadi, iſti hominibus ſenſum habentibus Dij debent videri.* Si quis Latinorum iſta Pagano alicui non ſtulto dixiſſet; an tu eum non putes eveſtigio reſponſurum; Quid-ni? quando tibi is ipſe, qui tanto noſtri ſtuporis cenſori placet, & in pane colitur Deus, idem tamen, quod noſtris obiicis & furari poteſt, & ab hominibus cuſtodiri, & frangi, & nullo negotio etiam abſque mallæis ſolvi? Sed & quatuor iſtis cultus Latini objectis congruit infirmitas, quam veteres Theologi idolis gentium non ſemel obiiciunt; eaque duplex; tum adverſus hominum injurias; tum contra naturæ vim, & caſus. De priore, illa ſunt Cypriani de falſis Diis; *Sic illos læſos vltio veſtra* (inquit) *defendit quomodo & clauſos, ne pereant, tutela veſtra cuſtodit. Pudeat te eos colere, quos ipſe defendis: pudeat tutelã de ijs ſperare, quos tu ipſe tueris.* Dixerat paulo ante in eãdem ſententiã; *Quid præſtare colentibus poſſunt, qui ſe de nõ colentibus vindicare nõ poſſunt? Nam ſi eo qui vindicatur pluris eſt ille, qui vindicat, tu Diis tuis major es. Si autem ijs, quos colis major es, non tu illos colere, ſed ab ipſis potius coli debes & timeri vt Dominus.* Hæc Cyprianus ita diceret, ſi panem ipſe & reliquias, & imagines, & cruces, omnia vt patet, humanæ opis æque indiga coluiſſet? Illa enim Latinos, qui colunt, tueri; illa defendere, illa vindicare, illa Latinorũ legibus, autoritate, imperio, vi denique ſtare & vigere illæſa; non autem aliqua ſua virtute omnes vident. Eodem pertinent illa Arnobiana: *Ergo humana patrocinia Dij quærant? & niſi veſtra fuerint aſſertione protecti, idonei non ſunt ipſi, qui propulſare, defendere ſuas valeant contumelias.* Res ipſa clamat ne eos quidem eſſe ad ſe tuendos magis idoneos,

CAPVT XIX.

Clem. Recog. l. 5. p. 59. init.

Clem. Recog. l. 5. p. 19. M.

Cypr. ad Demetr. p. 136.

Arnob. l. 1. adverſ. Gent. p. 14.

CAPUT XIX.

neos, quos Latini colunt, vel hunc exiguo pane ac vino, vt ſibi ipſi fingunt, incluſum Deum, vel illos ex materia & coloribus efformatos Divos, vel ipſa in quibus olim vixiſſe creduntur corpora, vel illas denique cruces, quas divinis quoque honoribus proſequuntur. Itaque & Latinis ea etiam licet dicere, quæ Cyprianus & Arnobius in vtroque loco Paganis dicunt; *Si quid* (inquit ille) *Diis tuis numinis & poteſtatis eſt, ipſi in vltionem ſuam ſurgant; ipſi ſe ſua majeſtate defendant.* Arnobius vero; *ſi verum eſt* (inquit) *ardere illos ira* (id eſt injuriarum ipſis illatarum ſenſu tangi & commoveri) *permittite illis poteſtatem ſui; Defendant ſe ipſi, atque in vltionem majeſtatis offenſæ inteſtinas exerant, experiunturque virtutes.*

Arnob. ibid. l.6.p.258.

Sed alibi, vt idola oſtendat omni divina vi, ac virtute carere, colligit hominum exempla, qui injurias contumeliaſque Diis, & ſecuri intulerunt, & illatas impune tulerunt, vt Antiochi Cyziceni, & Dionyſij junioris ſacrilegia, & hujus quidem etiam cum gravi Iovis & Apollinis ludibrio conjuncta; quæ tangit etiam Clemens in Protreptico.

Clem. Protr. p.34.D.

Quaſi hæc Paganis, ſi Latini ritus erat Arnobius, non liceret in ipſum repercutere; & inultas ſacri panis id eſt ſummi ejus numinis contumelias, inultas reliquiarum, & imaginum, & crucium calamitates ac clades ad faſtidium regerere; & expilata impune fana, Divos ipſos impune conflatos, confractos, combuſtos, & per omnia contumeliarum genera volutatos narrare.

Clem. Alex. Protrep. p.35. A.

**Videtur legend. σκηρδαλέοι.*

Venio ad naturæ injurias; quas hi quoque Theologi idolis Gentium obiiciunt. Clemens Alexandrinus; ἀλλ' ὅτι γε τὸ πῦρ (inquit) καὶ οἱ σεισμοὶ κερδαλέοι*, οὐδὲ μὴν φοβοῦνται, ἢ δυσωποῦνται, οὐ τοὺς δαίμονας, οὐ τὰ ἀγάλματα, οὐ μᾶλλον ἢ τὰς ψηφῖδας τὰς πρὸ τοῖς αἰγιαλοῖς σεσωρευμένας τοῖς κύμασι. Ἰδοὺ ἐγὼ πῦρ ἐλεγκτικὸν, καὶ δεισιδαιμονίας ἰατικόν. εἰ βούλει παύσασθαι τῆς ἀνοίας, ταῦτά σοι καταλάμψει τὸ πῦρ. τοῦτο τὸ πῦρ καὶ τὸν ἐν Ἄργει νεὼν σὺν καὶ τῇ ἱερείᾳ κατέφλεξε Χρυσίδι. καὶ τὸν ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀρτέμιδος δεύτερον μετὰ τὰς Ἀμαζόνας. *Sed neque ignis, neque terribiles terræmotus dæmonia aut ſimulacra pertimeſcunt, aut reverentur: non magis profecto quam calculos fluctibus ad littora accumulatos. Ignem ego novi, qui arguere & convincere ſuperſtitionem, eique mederi poſſit. Si vis ad te redire, & ab inſania atque amentia deſinere, præſto eſt ignis, qui te ad lucem deducat. Hic ignis & templum quod erat Argis, vnà cum ſacerdote Chryſide, & Epheſiam Dianæ ædem iterum poſt Amazones, incendit atque conſumpſit.* Quibus alia quædam exempla ſubiicit. Quid agis Clemens? ſacra, dum aliena tollis, tua ipſe funditus evertiſti. Hic enim ignis non tua magis quam Paganorum fana, delubra, ſimulacra ſacra, & numina ipſa reformidat, aut reveretur. Hoc igne arſerunt tua quoque interdum Capitolia, tuæ cruces, tuorumque Divorum, ac Divarum ſigna, imo & reliquiæ; neque negare potes tuum ipſum illud auguſtiſſimum Euchariſtiæ numen de cœlo non ſemel tactum conflagraſſe vnà cum ſacra pyxide, & in cineres abiiſſe; & ſi neges, te publica rerum fides, te populorum

omnium

omnium fama, te domeſtici annales revincent. *Quod ergo tibi excidit nefas?* ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων; Hunc ignem vt diceres ſuperſtitionis elencticum? Tu vero periiſti, ſi ita res habet; Hac lege tuum juxta atque illius numen vanum falſumque eſt; neque tuæ imagines, cruces, reliquiæ Ethnicorum ſignis, theneis & religionibus meliores ſunt. Vtraque ſacra ignis ille tuus ἐλεγκτικὸς pariter damnavit. Sed brevis eſt & vera eruditiſſimi ac ſapientiſſimi Clementis defenſio; Nullum ille norat ſacro pane incluſum numen; nullos Divos in reliquiis præſentes, nullas cruces, nulla ſimulacra, quæ ignis iſte explorare poſſet. Nihil ille adorabat, quod non eſſet ſupra cœlos, ab omni hominum & elementorum, & fulminum injuria tutum. Neque alios præter paganos ſciebat, qui res meteoris obnoxias colerent; eo neque alias quam iſtorum religiones, admiſſo hujus ignis elencho, conflagraturas putavit. Suæ nihil timuit, veſtræ Latini, ſi minus cavit; venia dignus eſt, qui nondum illis temporibus natam noſſe non potuit. Neque Arnobij aliter purgari poteſt intempeſtiva, planeq; ex iſtorum quidem diſciplina, væcors ac flagitioſa in Ethnicorū ſimulacra rhetho[illegible]tio; *Cum* (inquit) *Capitoliū toties edax ignis abſumeret, Iovemq; ipſum Capitolinū cum vxore corripuiſſet, ac filia; vbinā fulminator tempore illo fuit, vt ſceleratū illud arceret incendiū, & à peſtifero caſu res ſuas ac ſemet, & cunctā familiā vindicaret? Vbi Iuno Regina cum inclytū ejus fanum, ſacerdotemq; Chyſidem eadē vis flamma Argiva in civitate deleret? Vbi Serapis Ægyptius, cum conſimili caſu jacuit ſolutus in cinerem, cum myſteriis omnibus atq; Iſide? Vbi liber Eleutherius, cum Athenis? vbi Diana cum Epheſi? vbi Dodonæus Iuppiter cū Dodone? vbi denique Apollo divinus, cum à piratis maritimiſque prædonibus & ſpoliatus ita eſt, & incenſus, vt ex tot auri ponderibus, quæ infinita congeſſerant ſæcula, ne vnum quidem habuerit ſcripulum, quod hirundinibus hoſpitis* (*Varro vt dicit in Menippeis*) *oſtenderet?* Sed & alia ejuſdem ingenij ad prodendam idolorum vanitatem jam ſupra ad Paganos ſuos declamitaverat. *Non videtis* (inquit) *ſpirantia hæc ſigna, quorum plantas & genua cōtingitis ac contrectatis orantes, modo caſibus ſtillicidiorum labi, putredinis modo carie relaxari; vt nidoribus atque fumo ſuffita ac decolorata nigreſcant; quemadmodum ſæculi longioris incuria perdant ſpeciem ſitu, & rubigine convulnerentur exeſa? Ita inquam non videtis ſub iſtorum ſimulacrorum cavis ſtelliones, ſorices, mures, blattaſque lucifugas nidamenta ponere, atque habitare? ſpurcitias huc omnes, atque alia vſibus accommodata conducere, ſemiroſi duritias panis, oſſa in ſpem tracta, pannos, lanuginem, chartulas nidulorum in mollitiem, miſerorum fomenta pullorum? non in ore aliquando ſimulacri ab araneis ordiri retia, atque inſidioſos caſſes, quibus volatus innectere ſtridularum poſſint, impudentiumque muſcarum? Non hirundines denique intra ipſos ædium circumvolantes tholos, jacularier ſtercoris plenas, & modo ipſos vultus, modo numinum ora depingere, barbam, oculos, naſos, aliaſque*

Arnob. l. 6. p. 260.

Arnob. l. 6. contr. gent. p. 253. 254.

CAPVT XIX. *omnes partes, in quaſcunque ſe detulerit deonerati proluvies podicis? Erubeſcite ergo vel ſero, atque ab animantibus mutis vias rationis accipite, doceantque vos eadem nihil numinis ineſſe ſimulacris, in qua obſcœna dicere* * *neque metuunt, neque vitant, leges ſuas ſequentia, & diſtincta veritate naturæ.* Hæc ille quæ nemo non videt Latinorum, & crucibus, & ſimulacris, & reliquiis, earumque capſis, & thecis non minus quam Paganorum idolis & partem aliquam pani ſacto etiam magis quam idolis convenire. Hunc enim & paucis aquæ pluviæ guttis ſolvi, & ſitu per ſe muceſcere, & fumo decolorari, & leviculis caſibus horæ momento non ſpeciem modo perdere, ſed totum deformari ac diſſipari conſtat. Ergo & Arnobium, niſi vel hominem ſtultum ac mente captum fuiſſe finxeris, vel certe nequiſſimum cauſæ ac religionis ſuæ prævaricatorem, omnino confiteri neceſſe eſt nihil iſtorum, quæ Latini nunc colunt, vel vſurpaviſſe ipſum, vel à Chriſtianis ſuis vſurpari ſciviſſe. Atque his illa quoque ſunt attexenda (ſunt enim ejuſdem generis) quæ noſtri illi veteres in ſuorum Paganorũ idola ludunt: *Quãta* (inquit Octavius) *de Dijs veſtris animalia muta naturaliter judicant? Mures, hirundines, milvi non ſentire eos ſentiunt, rodunt, inculcant, inſident, ac niſi abigatis, in ipſo Dei veſtri ore nidificant. Aranea vero faciem ejus intexunt, & de ipſo capite fila ſua ſuſpendunt.* Paria habet Tertullianus: *ſtatuas, & imagines milvi* (inquit) *& mures, & aranea intelligunt.* Sic etiam Clemens Alexandrinus: αἱ δὲ χελιδόνες, inquit καὶ τῶν ὀρνέων τὰ πλεῖστα κατεξερῶσιν αὐτῶν τῶν ἀγαλμάτων εἰσπετόμενα, οὐδὲν φροντίζοντα οὔτε Ὀλυμπίου Διὸς, οὔτε Ἐπιδαυρίου Ἀσκληπιοῦ, οὐδὲ μὴν Ἀθηνᾶς Πολιάδος, ἢ Σαράπιδος Αἰγυπτίου; *Hirundines vero & avium pleraque ipſa ſimulacra advolantes inquinant, nihil neque Olympium Iovem reverita, neque Epidaurium Æſculapium, ſed nec Minervam Poliadem, nec Serapidem Ægyptium.* Quo merito Paganos ſimiis deteriores paulo poſt judicat, *quos nulla neque cerea, neque lutea ſimulacra fallunt, nulla quantumvis pelle efficta puppe.* τῶν κηρίνων ἢ πηλίνων ὁμοιωμάτων καὶ κοροκοσμίων ἀπατᾷ τούτους (πιθήκους) οὐδέν. Hæc illi; ſalſe quidem, ac ſapienter, ſi Deo meo ritu adorarunt. Sin panem ſacrum, & reliquias, & imagines, & cruces cum Latinis coluerunt; nil dici potuit vel ineptius, vel etiam, vt mihi quidem videtur, impudentius. Quid enim? An Latinam hoſtiam mures minus ſentiunt, quam Paganam Cererem, aut Venerem non ſentire? Atqui illam neque minus impune, etiam vero libentius, quam has rodunt. Itaque hoc ipſum, vt Paganis olim Octavius, Tertullianus, & Clemens; ita & Latinis poſtea Wiclef & Lollardi objecerunt; quos ex Valdenſi dictitaſſe ſupra dicimus *hos muribus ſtultiores ſibi videri, qui non recognoſcerent in ſacramento ſubſtantiam putribilis panis.* Sed neque mures, vt opinor, Latinorum reliquias ſanctius habent, quam Paganorum Deas; neque milvi & hirundines Divorum tardius aut obtuſius quam Deorum ſtatuas, & imagines intelligunt. Certè vtriſque

* *dicere*, alij malunt *digerere.*

Minut. in Oct. p. 69.

Tert. Apol. c. 12. p. 14. C. Clem. Alex Pretrep. p. 34. D.

ibid. p. 39. B.

vtriſque æque inſident, æque vtraſque calcant. De vtrorumque capite, & ore pariter arāneæ ludunt. Et cruces iiſdem quoque contumeliis obnoxiæ ſunt. Neque ego facile crediderim hirundines, & alias aves Divorum Ignatij Loyolæ, Franciſci Xaverij, Caroli Borromæi reverentius quam Iovis, Æſculapij, & Sarapidis ſimulacra habere; vel illos parcius, quam hos, *merdis albis*, quod ait Poëta feſtiviſſimus, *inquinare*. Omnino neceſſe eſt veteres Theologos cum ita adverſus Paganos diſputarent, vel deliraſſe (quod nemo de viris eruditiſſimis ac ſapientiſſimis dixerit) vel certe (quod eſt longe veriſſimum) omnem illum novitium Latinorum cultum neſciviſſe. Sed & hunc eos neſciviſſe inde apparet, quod Paganis Deos ſuos *pigneratos* exprobrant. *Domeſticos* (inquit Tertullianus) *Deos Lares dicitis, domeſtica poteſtate tractatis pignerando, venditando, demutando.* Iſtum ſi Latinam religionem colebat, puduiſſet profecto id exteris obiicere, quod fieri à ſuis non potuiſſet neſcire. Nam apud Latinos etiam Euchariſtiam, quæ pro ſummo numine habetur, nonnunquam pigneratam, & quidem à ſummis Principibus, & hoſti pro fidei obſide datam, ſciunt hiſtoriæ. Divos vero domeſticos, reliquias, imagines, cruces etiam privati homines impune venditant & permutant. Quid-ni? cum id cuique in ſua ſit juris? Donare quod vbi velis, licet, id cur non & pignerare, & pretio in alium tranſcribere liceat ſi velis, nulla ratio eſt. Si Chriſtianis hujuſmodi ſacra tum fuiſſent, Tertullianus quod apud ſuos fieret, id adverſario pro crimine non erat imputaturus. Imputavit; vt patet. Ergo nihil à Chriſtianis colebatur, quod ita tractari poſſet; nullum adeo tum erat Euchariſtia Chriſtianorum numen; nullæ ab iis colebantur reliquiæ, nullæ imagines, aut cruces.

CAPVT XIX.

Tert. Apol. c.13.p.14.

CAPUT XX.

Argumentum XV. eadem inde confirmans, quod vetuſtiſſimi Chriſtiani religionem docent non terræ affigendam, ſed in cœlum evehendam, quodque res terrenas, & ex terrenæ materia concretas, fictasve ſtulte & ridicule ab homine coli ſcribunt ac pertendunt.

DENIQUE nihil iſtos religioſe coluiſſe, quod in terris hic apud nos exiſteret, facile ex multis ipſorum ad Paganos ſermonibus intelligitur; in quorum idololatria hoc inprimis damnant, quod humanas mentes non in cœlum ut docebat, eveheret, ſed in terra retineret, terreniſque rebus affigeret. *Quid* (inquit Cyprianus) *ante inepta ſimulachra, & figmenta terrena captivum corpus incurvas? Rectum te Deus fecit; & cum cætera animalia prona, & ad terram ſitu vergente depreſſa ſint, tibi ſublimis ſtatus, & ad COELUM atque ad Deum SURSUM vultus erectus eſt. Illuc intuere; illic oculos tuos dirige, IN SUPERNIS Deum quære.* Et hoſtia, & reliquiæ & cruces, & imagines, & ſtatuæ Latinorum res, ut liquet, terrenæ ſunt. Ergo vetat ante eas hominum corpus incurvari. In cœlo ſurſum, in ſuperis id vult quæri, quod colimus. Nihil autem iſtorum in cœlis exiſtere confeſſum eſt. Ergo nihil iſtorum vult coli. Ita etiam Clemens poſtquam demonſtravit tum eos ipſos qui pro Diis à Paganis colebantur, homines eſſe, in terra & natos & mortuos, quin & dæmones quoque Spiritus eſſe impuros, terrenos, & lutulentos, circa ſepulcra verſantes; aurum denique, argentum, ferrum, ebur, gemmas, quibus ornabantur, vel è quibus fiebant ſimulacra, nihil aliud revera eſſe quam terram; τί δαὶ (inquit) καταλιπόντες τὸν οὐρανὸν, τὴν γῆν τετιμήκατε; *Cur relicto cœlo terram honoraſtis?* Et ſtatim; τί, τὸν ὑπερουράνιον βλασφημήσαντες τόπον εἰς τοὔδαφος κατεσύρατε τὴν εὐσέβειαν χθονίους ὑμῖν ἀναπλάττοντες θεούς. *Cur cœleſtem locum blaſphemantes pietatem ac religionem in terram detraxiſtis? terreſtres Deos vobis effingentes.* Atqui tu ipſe religionem quoque Clemens *in terram dejeciſti*, ſi Latini ritus homo es. Cruces, reliquiæ, imagines, quibus illorum religio pietaſque advolvitur atque affigitur, non minus in terra ſunt, quam Paganorum ſacra; Et quem illi pro ſummo Deo colunt, is ipſe quoque χθόνιος *terreſtris Deus eſt*; qui in terris verſatur, qui in altari terreſtri oſtenditur: in terreſtri pyxide cubat; ipſe denique paulo antequam adoretur, de terra panis germinavit. Itaque qui iſta Paganis exprobrat, neque hunc profecto Deum norat, neque imaginum, aut reliquiarum, ac crucium religioſus erat. Atque huc pertinet inſignis Arnobij locus, qui ejus religionis, quam à Chriſto doctus eſt, ab ea, quam

Cypr. ad Demetr. p. 236. extr.

Clem. Alex. Protrep. p. 37. D.

quam Paganus olim exercuerat, hoc diſerte diſcrimen ponit. *Ille* (inquit) *nos à ſignis inertibus, atque ex viliſſimo formatis luto, ad ſidera ſublevavit, & cœlum, & cum Domino rerum Deo ſupplicationum fecit verba, atque orationum colloquia miſcere. Venerabar ô cœcitas! nuper ſimulacra modo ex fornacibus prompta; in incudibus Deos & ex malleis fabricatos.* Atqui ſi noſtrorum Latinorum vnus eras Arnobi, fruſtra tu quidem hac tibi in parte gratularis; Neque enim hi ad ſidera ita ſublevati ſunt, vt non etiam ſigna ex eodem illo viliſſimo luto formata colant, & ante ea procumbant, & colloquia orationum etiam cum aliis, non autem cum vno Domino rerum Deo miſceant. Denique & Lactantij, tametſi jam ſupra, ſed in alio argumento deſcriptus locus, hic quoque repetendus eſt; *Ne hunc* (inquit) *cœleſtem vultum proyciamus ad terram, ſed oculos eò dirigamus, quò illos naturæ ſuæ conditio direxit; nihilque aliud adoremus, nihil colamus, niſi ſolum artificis, parentiſque noſtri vnicum numen.* Certe qui Divis ſupplicant, in eorum ſigna; qui Euchariſtiæ, in altare vbi cubat; oculos dirigunt. Sed neque illos Latinorum cultus vetuſtiſſimis Chriſtianis fuiſſe agnitos, inde patet, quod eos videmus Paganis pro magno crimine obiicere rerum materialium, atque ex elementis concretarum cultum. Tatianus Aſſyrius eos refellens, qui gentium numina in res naturæ & elementorum digeſtiones per allegoriam transformabant; οὐδὲ γὰρ (inquit) τὴν στοιχείων τὴν ὑπόστασιν, οὔτ' ἂν πεισθείην, οὔτ' ἂν πείσαιμι τὸν πλησίον. *Ego vero elementorum naturam eſſe colendam, nec ipſe crediderim, nec alij cuiquam ſuaſerim.* Ita Clemens ſimulacrum non eſſe adorandum eo probans, quod ſit è materia terrena conflatum, liquido colendum negat quicquid ex hujuſmodi materia eſt, χρυσίον τὸ ἄγαλμά σου (inquit) ξύλον ἐστί, λίθος ἐστί, γῆ ἐστὶν, ἐὰν ἄνωθεν νοήσῃς μορφὴν τὴν παρὰ τοῦ τεχνίτου προσλαβοῦσα· γῆν δὲ ἐγὼ πατεῖν οὐ προσκυνεῖν μεμελέτηκα. *Tuum ſimulacrum aurum eſt, lapis eſt, & ſi rei primordia ex alto cogitaveris, terra eſt, formam ab artifice nacta. Ego vero terram calcare non adorare didici.* Hoc decreto omnes vident tam Latinorum imagines & cruces & ipſas etiam reliquias, quam Gentilium ſimulacra, cultu atque adoratione multari. Vtraque enim in terram æque reſolvi planum eſt; quam iſte noſter magnanimus Clemens *calcare* ſe natum profitetur, non *adorare*. Itaque veteribus familiare eſt Gentium Deos per contemptum *lapideos, ligneoſque* vocare; & Gentibus exprobrare, quod *lapides, & ligna, & reliquam materiam colant.* ὅτι σέβονται λίθους, καὶ ξύλα, καὶ τὴν λοιπὴν ὕλην; item, quod ea quæ colerent, etſi conſecrata, ea ipſa adhuc eſſent, quæ antea olim erant *ſaxum, æs, lignum, colores, alia materia.* τοιοῦτοι εἰσὶ ὁποῖοι καὶ ὅτι ἐγλύφητοῦσιν αὐτοί· ἤτοι λίθος ἢ χαλκὸς, ἢ ξύλον, ἢ χρῶμα, ἢ καὶ ἑτέρα τῆς ὕλη. Non omiſit Octavius; *Deum* (id eſt ſimulacrum) *ligneum, rogi fortaſſe, vel infœlicis ſtipitis portionem eſſe; aureum, vel argenteum de immundo fortaſſe vaſculo conflatum eſſe; lapideum cæſum eſſe, nec ſua nativitatis* injuriam

CAPVT XX.

Arnob. contr. gent. l. 1. p. 28.

Lactan. Inſt. l. 6. p. 613. B.

Tatian. contr. Græc. Bibl. Patr. Græcl. T. 1. p. 175. D.

Clem. Alex. Protrep. p. 38. A.

Theoph. l. 1. init. Bibl. Patr. Græc. Lat. T. 1 p. 104 A.

id. ibid. p. 109. D.

ibid. l. 2. p. 112. A.

Minut. in Octav. p. 68.

CAPVT XX.

ibid.p.4.

Tert. Apol. c.12.B & c. 13.p.15.A.

injuriam ſentire, nec poſtea dè Gentilium veneratione culturam. Et jam antea Cæcilium, qui forte viſum in publico ſaxeum Serapidis ſignum manu ori admota adoraverat, jocans dixerat, *luculento die in lapidem impegiſſe, effigiatum ſane & unctum, & coronatum.* Eadem quoque ludit Tertullianus; *Quantum autem* (inquit) *de ſimulacris ipſis, nihil aliud deprehendo, quam materias, ſorores eſſe vaſculorum, inſtrumentorumque communium, vel ex iiſdem vaſculis, & inſtrumentis, quaſi fatum conſecratione mutantes, licentia artis transfigurante.* Et paulò poſt dicit iſtorum Deos viciſſim *aliquando in cacabulum de Saturno, aliquando in trullam de Minerva demutari, ut quiſque contritus, atque contuſus eſt, dum diu colitur.*

in Act. Ap. ad Bar.a.D. 298.§.2.

Marcellus Centurio apud civitatem Fingitanam Martyr; in ipſa confeſſione, *Deos* (inquit) *veſtros ligneos, & lapideos adorare contemno, quæ ſunt idola muta & ſurda.* Arnobius vero tem totam Paganis pleniſſime exprobrat;

Arnob.contr. Gent. l.6. p. 250.251.

Simulacra (inquit) *iſta, quæ vos terrent, quæque templis in omnibus proſtrati, atque humiles adoratis, oſſa, lapides, æra ſunt, argentum, aurum, teſta, lignum ſumptum ex arbore, aut commixtum glutinum gypſo, ex ornatibus fortaſſe meretriciis, aut ex muliebri mundo, camelinis ex oſſibus, aut ex Indici animalis dente, ex cacabulis, ollulis, ex candelabris, & lucernis, aut ex aliis obſcœnioribus vaſculis congeſta, conflata, in has ſpecies ducta ſunt, atque in formas quas cernitis, exierunt.* Ac paulo poſt indignatur,

ibid.p.252.

rationale hominem animal, & ſapientia munere, conciliique donatum, immemores ſimulacrorum ſubſtantia, atque originis, quæ ſit coctilibus teſtis ſuccumbere, æris laminas adorare, elephantorum ab dentibus ſecundas poſcere valetudines, magiſtratus, imperia, & cætera bona; *& cum pateat, luceat* (inquit) *rebus fieri verba cum brutis, exaudiri vos remini, ipſique vos ultro credulitatis vacua circumſcriptione traducitis.* Neque hæc apud veros, & genuinos tantum Scriptores leguntur. Eadem in ipſis illorum temporum apocryphis perſonant, ex communi totius Eccleſiæ fide ad veri ſpeciem efficta. Tradit ſane Origenes ab Heracleone quodam hæretico Valentiniano, in Ioannem commentante, quædam eſſe uſurpata verba, quæ ipſe ait ex eo libro ſumpta eſſe, qui *Prædicatio Petri* inſcriptus eſt;

Orig.in Ioan. Tom.14.T.2. Orig.p.337.

librum autem illum docere, perinde quaſi Petrus docuerit non oportere more Gentilium adorare, materialia laudantium, atque ſervientium lignis, atque lapidibus. Locum ex illa apocrypha Petri prædicatione ante Heracleonem hæreticum jam laudaverat, atque deſcripſerat Clemens Alexandrinus; apud quem illa quæ dicit Origenes, leguntur. Poſtquam enim unum eſſe dixit verum, ſummum, atque omnipotentem Deum, *Hunc* (inquit) *Deum colite; non ſecundum Græcos;* addit *eos quod ignorantia ferrentur, neque*

Clem. Alex. Strom. l.6. p. 635.B.C.

Deum ut nos, perfecta cognitione ſcirent, ligna & lapides, æs & ferrum, aurum & argentum formaſſe, & hæc colere οἱ ἔθνη. Hæc Petrum Scriptor ille quiſquis eſt, ſane vetuſtiſſimus, docentem inducit; & ſimulacrorum, & in genere rerum omnium materialium cultum in Dei

religione

religione exſerte vetantem. Sed apud Pſeudo-clementem eadem quoque tradit Petrus; *Quis* (inquit) *ita ſine ſenſu invenitur, cui perſuaderi debeat vt idolum colat, ſive illud ex auro, ſive ex quolibet metallo factum ſit? Cui non palam eſt, id eſſe illud metallum, quod artifex voluit?* Et poſt multa, idololatriæ origines explicaturus, præfatur ſe *idola dicere exanima ſimulacra, quæ colebant Ethnici, ſive lignea, ſive lapidea, ſive fictilia, vel area, vel ex quibuſcunque aliis ſumpta ſunt metallis.* Atque hæc quidem vetuſtiſſimi illi Chriſtiani de Gentium ſimulacris. Iam dic obſecro, nonne omnia iis, quæ nunc Latini colunt, æque ac ipſis idolis conveniunt? Simulacrorum quidem, quorum plena ſunt apud eos omnia, plane eſt eadem, ac Paganicorum ratio; Ipſa quoque lignea ſunt, lapidea, ferrea, ærea, aurea, argentea. Et ſtipitis, ex quo lignea exſculpta ſunt, fieri æque poteſt, quod Paganicis obiiciebat Octavius, vt portio, vel rogo, vel vel infœliciori etiam vſui ceſſerit. Ærea, & argentea, & aurea, quidni, vt jocabatur Arnobius, *ex cacabulis, ollulis, candelabris, & lucernis, aut ex aliis obſcœnioribus vaſculis congeſta ſunt?* Illud quidem certum eſt, *materias* (quod ſcribit Tertullianus) tam Latinarum, quam Paganicarum ſtatuarum, æque vtraſque *ſorores eſſe vaſculorum inſtrumentorumque communium*; & quod hæ in Divos evaſerint, de artificis veniſſe arbitrio, non de naturæ prærogativa; plane, vt Deo illi gentilitio accidit, qui ſe truncum olim ficulnum, inutile lignum, fuiſſe apud Poëtam meminit; fabrum, cum incertus deliberaſſet Deum, an ſcamnum faceret, maluiſſe eſſe Deum. De crucibus, omnia eadem. Et tamen ante iſta ſimulacra, Paganicorum plane germana ac gemina, videmus homines, non modo (quod ait Arnobius) *ratione preditos, & ſapientia munere, conſiliiſque donatos*, ſed etiam quod multo eſſe duxiſſet indignius, cœleſti Evangelij luce afflatos, procumbere ærique laminas, & lapidum ac lignorum ſegmenta proſtratos atque humiles adorare, & à mutis, ſurdiſque ſtaticulis vitæ & præſentis commoda, & futuræ gloriam poſcere. Quod vero Cæcilium ſuum jocatur Octavius *luculento die in lapidem impegiſſe effigiatum, & coronatum*; nonne & Latinis congruit, crucis columnam in via poſitam, & frondibus coronatam, quoties oſtendunt, ſtatim religioſiſſime, ſæpe poſito genu, certe capite nudato adorantibus? Euchariſtiæ fateor aliam eſſe materiam; ſed neque ipſam alterius generis; certe non melioris; niſi quis ſuſpicetur veteribus magis placuiſſe è farina, quam ex auro Deum fieri. Neque mortuorum reliquiæ à religionis cultu per hæc minus excluſæ cenſendæ ſunt, quam aureæ, vel argenteæ imagines; maxime eo, quo à Latinis capiuntur ſenſu; vt etiam pili, & vngues, & ſemiroſi dentes, & chartulæ, & pectines, & laceræ veſtis centunculi, & cæteræ id genus quiſquiliæ in hunc cenſum veniant, quæ materiæ eſſe conſtat haud paulò, quam plærique erant Divi Gentilium, vilioris. Et hæc tamen ipſa colunt Latini; nobiſque,

CAPVT XX.

Clem. Recog. l. 4. fol. 16. extr.

ibid. fol. 17. G.

CAPVT XXI.

quod ea colere abnuamus, graviter iraſcuntur. Euchariſtiam vero etiam habent pro ſummo numine. Iam finge veteres iſtos Theologos horum fuiſſe conſecraneos; nonne iniquiſſimi erant, qui quas ipſi religioſe colunt materias, eas nolunt à Paganis adorari? nonne ſtulti, & ridiculi, qui tela in ſe ſtatim reditura, mittunt in adverſarios? nonne poſtremo impudentes, qui quæ ipſi quotidie facere non erubeſcunt, de iis alios libere, atque audacter increpant: quæ religionis, & pietatis, adeoque, & laudis ſuæ partem eſſe ducunt, eadem aliis veluti crimen ac probrum, & vltimo pudore dignam ſtultitiam atque abſurditatem objectant? Atqui id ipſi in iiſdem illis diſputationibus flagitium eſſe pronuntiant non ferendum; *Cujus eſt pudoris* (inquit vnus ex iſtis Arnobius) *quinimo inverecundiæ cujus, quod agere te videas, in eo alterum reprehendere? maledicti & criminis loco dare ea, quæ in te poſsint reciprocata viciſsitudine retorqueri?* Cum ergo veteres illos Scriptores & æquiſſimos, & prudentiſſimos, & verecundiſſimos fuiſſe, tum perpetua Chriſtianorum de iis judicia, tum multo magis res ipſa, & excellentiſſima, quæ ſuperſunt ipſorum monumenta, teſtentur, pro certo tenendum eſt non fuiſſe primis ſæculis in Eccleſia viſitatos illos, nunc Latinorum ſolennes, Euchariſtiæ, reliquiarum, imaginum, & crucium cultus; qui ſcilicet iis ipſis actibus conſtant, quos illi auctores Paganis, veluti ac pietate & ratione alienos, tam crebro, tamque interdum acriter & acerbe obiiciunt.

Arnob. contr. Gent l. 2. p. 118.

CAPVT XXI.

Argumentum XVI. quo Euchariſtiam, imagines, & cruces non fuiſſe tribus primis ſæculis à Chriſtianis religioſe cultas inde probatur, quod ij ab hominibus coli, quæ ipſi arte & manu ſua fecerunt, flagitioſum & ineptum putant; quod tamen ab Euchariſtiæ, imaginum, & crucium adorationibus admitti, clarum ac confeſſum eſt.

SED Euchariſtiam quidem, imagines, & cruces ſimilis quoque ratio oſtendit à priſcis Chriſtianis adoratas non fuiſſe. Iidem enim illi Theologi paſſim in ſuis cōtra Paganorū idololatriā diſputationibus, veluti rem ſtultiſſimam atque abſurdiſſimam; exagitant, quod illi ea colerent, quæ ipſi feciſſent. Id vero vt omnes vident, pro abſurdo habere poterant, ſi Euchariſtiam, ſi cruces, atque imagines ipſi colebant quas ab hominibus fieri clarum, atque confeſſum eſt. Iuſtinum jam audivimus ſupra exclamantem; ὢ τῆς ἐμβροντησίας! *O ſtupor! Homines, & quidem impuri, dicuntur Deos ad hoc, vt adorentur, fingere & transformare.* Tu vero Iuſtine; quid ita, velut in re peregrina, atque inuſitata

Iuſt. Apol. 2. p. 44.

Inuſitata paratragædias, quaſi apud tuos (ſi tu quidem Latinorum, CAPVT
quod iſti volunt, eras conſecraneus) non eadem quotidie dici fierique XXI.
audias & videas? *Homines* & quidem interdum *impuros Deum ad hoc*,
vt in myſteriis *adoretur, facere, & faceret transformando*; & quidem
prodigioſius, quam illi Ethnicorum vnquam numinum fabricatores
fecerint; nimirum non ſimpliciter *transformando*, quod ſculptorum,
& pictorum opus eſt, ſed etiam *TRASVBSTANTIANDO.*
Si hoc à tuis fieri & ſciviſti, & credidiſti, & probaſti; quid Paganis,
rem ſibi multo minorem vindicantibus ἐμβροντησίαν imputare auſus
es, & quidem cum apud Marcum Auguſtum, & Senatum Romanum
diceres? De tuis vero Divis, quid dicam? quos tu iiſdem
qnoque ſculptorum officinis., iiſdem (vel ſcalpellis fingi, vel
penicillis pingi, *ad hoc vt à veſtris adorentur*, vides? Quid de crucibus,
quas ipſas ſimili, tametſi impari, arte ad cultum quoque *fieri
& transformari* apud tuos notum eſt? Paganos ἐμβροντησίας hoc nomine
accuſare non potes, quin Latinos tuos eodem crimine involvas.
Sed res clara eſt. Cum Iuſtinus hæc ita loqueretur, nondum erat exortus
ille Latinorum ex pane μεταποιηθεὶς Deus; nondum notæ erant
illæ imagines ac cruces, quæ nunc vbique apud iſtos coluntur. Sed
ita Iuſtinus neque ſemel, neque ſolus. Nihil eſt apud hunc, & alios
ejuſdem ævi vulgarius. *Vero Deo deſtitutæ erant gentes omnes* (inquit *Iuſt Apol. 2.*
ille) *manuum opera colentes.* ἔρημα ἦν πάντα τὰ ἔθνη, χειρῶν ἔργοις λατρεύοντα. *p. 69. l. 16.*
Et hanc ſuam, Chriſtianorumque eſſe ſententiam profitetur, *non
eſſe adoranda opera manuum hominum*, μὴ δεῖν χειρῶν ἀνθρωπίνων ἔργοις *ibid. p. 51.*
προσκυνεῖν (ſic enim locus ex Sylburgio legendus videtur) Theophylus *extr.*
Autolyco, veluti credulitatē ac ſtultitiam non ferendam, exprobrat,
quod *ſimulacra ab hominibus facta Deos eſſe, & virtutes operari*, *Theoph. l. 1.*
id eſt miracula facere, *crederet.* εἶτα πιστεύεις τὰ ὑπὸ ἀνθρώπων γινόμενα *ad Auto.*
ἀγάλματα θεοὺς εἶναι, καὶ ἀρετὰς ποιεῖν. Quaſi vero non ab hominibus *Bibl Patr.*
quoque facta ſint illa ſigna, quibus Latini Divorum, & nomen, & *Gr. Lat. T. 1.*
vim miraculorum operatricem tribuunt. Clemens λῆρον eſſe, *nugas & p. 108.*
deliramenta dicit illam Ethnicorum *conſuetudinem, quæ manuum hominum *Clem. Alex.*
opera inſenſibilia colebant*, ἔργα (inquit) χειρῶν ἀνθρώπων ἀναίσθητα *Protrept. p. 39. D.*
προστρεπόμενοι. Idem Paganos ideo vocat ἠλιθίους τοὺς λίθων δημιουργούς *ibid. p. 61. D.*
τε καὶ προσκυνοῦντας, *ſtultos lapidum & opifices, & adoratores*; & Iovem
eorum Olympium *ſurdum eſſe opus* dicit *manuum Atticarum*; ἔργον *ibid. p. 62 B.*
ἐστι κωφὸν χειρῶν Ἀττικῶν. Qualiter ex Pſeudo-clemente ſupra audiebamus
eum, quem Gentiles adorabant, *opus mortalis manus eſſe*, *Clem. Recog.*
& neceſſario ſenſu carere. At qui in Latinorum ſimulacra eadem quo- *l. 5. fol 30. A*
que invidia recidit; quæ & ipſa *mortalis manus, Florentinæ*, aut *Venetæ*
opera ſunt, ſi qua vel à *Michaële Angelo* vel à *Baſſano*, aliiſque
vel pictoribus, vel ſculptoribus nobilioribus facta fuiſſe prædicantur. *Orig. contr.*
Quare Origenes hoc Chriſtanorum ſuorum dogma fuiſſe teſtatur, ὅτι *Celſ. l. 3. p.*
οὐδὲν τῶν παρ᾽ ἀνθρώποις κατασκευαζομένων, καὶ εἰς θεῶν τιμὴν παραλαμβανομένων. *163.*

CAPVT XIX.

omnes partes, in quaſcunque ſe detulerit deonerati proluvies podicis? Erubeſcite ergo vel ſero, atque ab animantibus mutis vias rationis accipite, doceantque vos eadem nihil numinis ineſſe ſimulacris, in qua obſcœna dicere * *neque metuunt, neque vitant, leges ſuas ſequentia, & diſtincta veritate naturæ.* Hæc ille quæ nemo non videt Latinorum, & crucibus, & ſimulacris, & reliquiis, earumque capſis, & thecis non minus quam Paganorum idolis & partem aliquam pani ſacro etiam magis quam idolis convenire. Hunc enim & paucis aquæ pluviæ guttis ſolvi, & ſitu per ſe muceſcere, & fumo decolorari, & leviculis caſibus horæ momento non ſpeciem modo perdere, ſed totum deformari ac diſſipari conſtat. Ergo & Arnobium, niſi vel hominem ſtultum ac mente captum fuiſſe finxeris, vel certe nequiſſimum cauſæ ac religionis ſuæ prævaricatorem, omnino confiteri neceſſe eſt nihil iſtorum, quæ Latini nunc colunt, vel vſurpaviſſe ipſum, vel à Chriſtianis ſuis vſurpari ſciviſſe. Atque his illa quoque ſunt attexenda (ſunt enim ejuſdem generis) quæ noſtri illi veteres in ſuorum Paganorũ idola ludunt: *Quãta (*inquit Octavius*) de Diis veſtris animalia muta naturaliter judicant? Mures, hirun*[illegible]*, milvi non ſentire eos ſentiunt, norunt, inculcant, inſident, ac niſi abigatis, in ipſo Dei veſtri ore nidificant. Aranea vero faciem ejus intexunt, & de ipſo capite fila ſua ſuſpendunt.* Paria habet Tertullianus: *ſtatuas, & imagines, milvi* (inquit) *& mures, & aranea intelligunt.* Sic etiam Clemens Alexandrinus: αἱ δὲ χελιδόνες, inquit καὶ τῶν ὀρνέων τὰ πλεῖςα κατεξερῶσιν αὐτῶν τῶν ἀγαλμάτων εἰσπετόμενα, οὐδὲν φροντίζοντα οὔτε Ὀλυμπίου Διὸς, οὔτε Ἐπιδαυρίου Ἀσκληπιοῦ, οὐδὲ μὴν Ἀθηνᾶς Πολιάδος, ἢ Σαράπιδος Αἰγυπτίου; *Hirundines vero & avium pleræque ipſa ſimulacra advolantes inquinant, nihil neque Olympium Iovem verita, neque Epidaurium Æſculapium, ſed nec Minervam Poliadem, nec Serapidem Ægyptium.* Quo merito Paganos ſimiis deteriores paulo poſt judicat, *quos nulla neque cerea, neque lutea ſimulacra fallunt, nulla quantumvis pelle effecta puppa.* τῶν κηρίνων ἢ πηλίνων ὁμοιωμάτων καὶ κορεοκομίων ἀπατᾷ τύπος (πιθήκους) οὐδὲν. Hæc illi; ſalſe quidem, ac ſapienter, ſi Deo meo ritu adorarunt. Sin panem ſacrum, & reliquias, & imagines, & cruces cum Latinis coluerunt; nil dici potuit vel ineptius, vel etiam, vt mihi quidem videtur, impudentius. Quid enim? An Latinam hoſtiam mures minus ſentiunt, quam Paganam Cererem, aut Venerem non ſentire? Atqui illam neque minus impune, etiam vero libentius, quam has rodunt. Itaque hoc ipſum, vt Paganis olim Octavius, Tertullianus, & Clemens; ita & Latinis poſtea Wiclef & Lollardi objecerunt; quos ex Valdenſi dictitaſſe ſupra dicimus *hos muribus ſtultiores ſibi videri, qui non recognoſcerent in ſacramento ſubſtantiam putribilis panis.* Sed neque mures, vt opinor, Latinorum reliquias ſanctius habent, quam Paganorum Deas; neque milvi & hirundines Divorum tardius aut obtuſius quam Deorum ſtatuas, & imagines intelligunt. Certè

* *dicere*, alij malunt *digerere.*

Minuc. in Oct. p. 69.

Tert. Apol. c. 12. p. 14. C.

Clem. Alex Protrep. p. 34. D.

ibid. p. 39. B.

vtriſque æque inſident, æque vtraſque calcant. De vtrorumque capite, & ore pariter arāncæ ludunt. Et cruces iiſdem quoque contumeliis obnoxiæ ſunt. Neque ego facile crediderim hirundines, & alias aves Divorum Ignatij Loyolæ, Franciſci Xaverij, Caroli Borromæi reverentius quam Iovis, Æſculapij, & Sarapidis ſimulacra habere; vel illos parcius, quam hos, *merdis albis*, quod ait Poëta feſtiviſſimus, *inquinare*. Omnino neceſſe eſt veteres Theologos cum ita adverſus Paganos diſputarent, vel deliraſſe (quod nemo de viris eruditiſſimis ac ſapientiſſimis dixerit) vel certe (quod eſt longe veriſſimum) omnem illum novitium Latinorum cultum neſciviſſe. Sed & hunc eos neſciviſſe inde apparet, quod Paganis Deos ſuos *pigneratos* exprobrant. *Domeſticos* (inquit Tertullianus) *Deos Lares dicitis, domeſtica poteſtate tractatis pignerando, venditando, demutando.* Iſtum ſi Latinam religionem colebat, puduiſſet profecto id exteris obiicere, quod fieri à ſuis non potuiſſet neſcire. Nam apud Latinos etiam Euchariſtiam, quæ pro ſummo numine habetur, nonnunquam pigneratam, & quidem à ſummis Principibus, & hoſti pro fidei obſide datam, ſciunt hiſtoriæ. Divos vero domeſticos, reliquias, imagines, cruces etiam privati homines impune venditant & permutant. Quid-ni? cum id cuique in ſua ſit juris? Donare quod vbi velis, licet, id cur non & pignerare, & pretio in alium transcribere liceat ſi velis, nulla ratio eſt. Si Chriſtianis hujuſmodi ſacra tum fuiſſent, Tertullianus quod apud ſuos fieret, id adverſario pro crimine non erat imputaturus. Imputavit; vt patet. Ergo nihil à Chriſtianis colebatur, quod ita tractari poſſet; nullum adeo tum erat Euchariſtia Chriſtianorum numen; nullæ ab iis colebantur reliquiæ, nullæ imagines, aut cruces.

CAPVT XIX.

Tert. Apol. c.13.p.14.

CAPVT XX.

Argumentum XV. eadem inde confirmans, quod vetuſtiſſimi Chriſtiani religionem docent non terræ affigendam, ſed in cœlum evehendam, quodque res terrenas, & ex terrenæ materia concretas, fictasve ſtulte & ridicule ab homine coli ſcribunt ac pertendunt.

DENIQVE nihil iſtos religioſe coluiſſe, quod in terris hic apud nos exiſteret, facile ex multis ipſorum ad Paganos ſermonibus intelligitur; in quorum idololatria hoc inprimis damnant, quod humanas mentes non in cœlum vt docebat, eveheret, ſed in terra retineret, terreniſque rebus affigeret. *Quid* (inquit Cyprianus) *ante inepta ſimulachra, & figmenta terrena captivum corpus incurvas? Rectum te Deus fecit; & cum cætera animalia prona, & ad terram ſitu vergente depreſſa ſint, tibi ſublimis ſtatus, & ad COELVM atque ad Deum SVRSVM vultus erectus eſt. Illuc intuere; illic oculos tuos dirige, IN SVPERNIS Deum quære.* Et hoſtia, & reliquiæ & cruces, & imagines, & ſtatuæ Latinorum res, vt liquet, terrenæ ſunt. Ergo vetat ante eas hominum corpus incurvari. In cœlo ſurſum, in ſuperis id vult quæri, quod colimus. Nihil autem iſtorum in cœlis exiſtere confeſſum eſt. Ergo nihil iſtorum vult coli. Ita etiam Clemens poſtquam demonſtravit tum eos ipſos qui pro Diis à Paganis colebantur, homines eſſe, in terra & natos & mortuos, quin & dæmones quoque Spiritus eſſe impuros, terrenos, & lutulentos, circa ſepulcra verſantes; aurum denique, argentum, ferrum, ebur, gemmas, quibus ornabantur, vel è quibus fiebant ſimulacra, nihil aliud revera eſſe quam terram; τί δαὶ (inquit) καταλιπόντες τὸν οὐρανὸν, τὴν γῆν τετιμήκατε; *Cur relicto cœlo terram honoraſtis?* Et ſtatim; τί, τὸν ὑπερουράνιον βλασφημήσαντες τόπον εἰς τοὔδαφος κατεσύρατε τὴν εὐσέβειαν χθονίους ὑμῖν ἀναπλάττοντες θεούς. *Cur cœleſtem locum blaſphemantes pietatem ac religionem in terram detraxiſtis? terreſtres Deos vobis effingentes.* Atqui tu ipſe religionem quoque Clemens *in terram dejeciſti*, ſi Latini ritus homo es. Cruces, reliquiæ, imagines, quibus illorum religio pietaſque advolvitur atque affigitur, non minus in terra ſunt, quam Paganorum ſacra; Et quem illi pro ſummo Deo colunt, is ipſe quoque χθόνιος *terreſtris Deus eſt*; qui in terris verſatur, qui in altari terreſtri oſtenditur: in terreſtri pyxide cubat; ipſe denique paulo antequam adoretur, de terra panis germinavit. Itaque qui iſta Paganis exprobrat, neque hunc profecto Deum norat, neque imaginum, aut reliquiarum, ac crucium religioſus erat. Atque huc pertinet inſignis Arnobij locus, qui ejus religionis, quam à Chriſto doctus eſt, ab ea, quam

Cypr. ad Demetr. p. 236. extr.

Clem. Alex. Protrep. p. 37. D.

quam Paganus olim exercuerat, hoc diſerte diſcrimen ponit. *Ille (inquit) nos à ſignis inertibus, atque ex viliſſimo formatis luto, ad ſidera ſublevavit, & cælum, & cum Domino rerum Deo ſupplicationum fecit verba, atque orationum colloquia miſcere. Venerabar ô cæcitas! nuper ſimulacra modo ex fornacibus prompta; in incudibus Deos & ex malleis fabricatos.* Atqui ſi noſtrorum Latinorum vnus eras Arnobi, fruſtra tu quidem hac tibi in parte gratularis; Neque enim hi ad ſidera ita ſublevati ſunt, vt non etiam ſigna ex eodem illo viliſſimo luto formata colant, & ante ea procumbant, & colloquia orationum etiam cùm aliis, non autem cum vno Domino rerum Deo miſceant. Denique & Lactantij, tametſi jam ſupra, ſed in alio argumento deſcriptus locus, hic quoque repetendus eſt; *Ne hunc (inquit) cæleſtem vultum proiciamus ad terram, ſed oculos eò dirigamus, quò illos naturæ ſuæ conditio direxit; nihilque aliud adoremus, nihil colamus, niſi ſolum artificis, parentiſque noſtræ vnicum numen.* Certe qui Divis ſupplicant, in eorum ſigna; qui Euchariſtiæ, in altare vbi cubat; oculos dirigunt. Sed neque illos Latinorum cultus vetuſtiſſimis Chriſtianis fuiſſe agnitos, inde patet, quod eos videmus Paganis pro magno crimine obiicere rerum materialium, atque ex elementis concretarum cultum. Tatianus Aſſyrius eos refellens, qui gentium numina in res naturæ & elementorum digeſtiones per allegoriam transformabant; οὐδὲ (inquit) τὴν στοιχείων ὑπόστασιν, οὔτ' ἂν πεισθείην, οὔτ' ἂν πείσαιμι τὸν πλησίον. *Ego vero elementorum naturam eſſe colendam, nec ipſe crediderim, nec alij cuiquam ſuaſerim.* Ita Clemens ſimulacrum non eſſe adorandum eo probans, quod ſit è materia terrena conflatum, liquido colendum negat quicquid ex hujuſmodi materia eſt, χρυσός ἐστι τὸ ἄγαλμά σου (inquit) ξύλον ἐστί, λίθος ἐστί, γῆ ἐστιν, ἐὰν ἄνωθεν νοήσῃς, μορφὴν παρὰ τοῦ τεχνίτου προσλαβοῦσα· γῆν δὲ ἐγὼ πατεῖν οὐ προσκυνεῖν μεμελέτηκα. *Tuum ſimulacrum aurum eſt, lapis eſt, & ſi rei primordia ex alto cogitaveris, terra eſt, formam ab artifice nacta. Ego vero terram calcare non adorare didici.* Hoc decreto omnes vident tam Latinorum imagines & cruces & ipſas etiam reliquias, quam Gentilium ſimulacra, cultu atque adoratione multari. Vtraque enim in terram æque reſolvi planum eſt; quam iſte noſter magnanimus Clemens *calcare* ſe natum profitetur, non *adorare*. Itaque veteribus familiare eſt Gentium Deos per contemptum *lapideos, ligneoſque* vocare; & Gentibus exprobrare, quod *lapides, & ligna, & reliquam materiam colant.* οἱ σέβοντες λίθους, καὶ ξύλα, καὶ τὴν λοιπὴν ὕλην; item, quod ea quæ colerent, etſi conſecrata, ea ipſa adhuc eſſent, quæ antea olim erant *ſaxum, æs, lignum, colores, alia materia.* Τοιοῦτοί εἰσιν ὁποῖοι καὶ ὅτε ἐγένοντο ὑπ' αὐτῶν, ἤτοι λίθος, ἢ χαλκός, ἢ ξύλον, ἢ χρῶμα, ἢ καὶ ἑτέρα τις ὕλη. Non omiſit Octavius; *Deum (id eſt ſimulacrum) ligneum, rogi fortaſſe, vel infælicis ſtipitis portionem eſſe; aureum, vel argenteum de immundo fortaſſe vaſculo conflatum eſſe; lapideum cæſum eſſe, nec ſuæ nativitatis injuriam*

CAPVT XX.

Arnob. contr. gent. l. 1. p. 28.

Lactan. Inſt. l. 5. p. 613. B.

Tatian. contr. Græc. Bibl. Patr. Græcl. T. 1. p. 175. D.

Clem. Alex. Protrep. p. 38. A.

Theoph. l. 1. init. Bibl. Patr. Græc. Lat. T. 1 p. 104. A.

id. ibid. p. 109. D.

ibid. l. 2. p. 112. A.

Minut. in Octav. p. 68.

CAPVT XX.

injuriam ſentire, nec poſtea de Gentilium veneratione culturam. Et jam antea Cæcilium, qui forte viſum in publico ſaxeum Serapidis ſignum manu ori admota adoraverat, jocans dixerat, *luculento die in lapidem impegiſſe, effigiatum ſane & unctum, & coronatum.* Eadem quoque ludit Tertullianus; *Quantum autem* (inquit) *de ſimulacris ipſis, nihil aliud deprehendo, quam materias, ſorores eſſe vaſculorum, inſtrumentorumque communium, vel ex iiſdem vaſculis, & inſtrumentis, quaſi fatum conſecratione mutantes, licentia artis transfigurante.* Et paulò poſt dicit iſtorum Deos viciſſim *aliquando in cacabulum de Saturno, aliquando in trullam de Minerva demutari, ut quiſque contritus, atque contuſus eſt, dum diu colitur.* Marcellus Centurio apud civitatem Fingitanam Martyr; in ipſa confeſſione, *Deos* (inquit) *veſtros ligneos, & lapideos adorare contemno, quæ ſunt idola muta & ſurda.* Arnobius vero rem totam Paganis pleniſſime exprobrat; *Simulacra* (inquit) *iſta, quæ vos terrent, quæque templis in omnibus proſtrati, atque humiles adoratis, oſſa, lapides, æra ſunt, argentum, aurum, teſta, lignum ſumptum ex arbore, aut commixtum glutinum gypſo, ex ornatibus fortaſſe meretriciis, aut ex muliebri mundo, camelinis ex oſſibus, aut ex Indici animalis dente, ex cacabulis, ollulis, ex candelabris, & lucernis, aut ex aliis obſcœnioribus vaſculis congeſta, conflata, in has ſpecies ducta ſunt, atque in formas quas cernitis, exierunt.* Ac paulo poſt indignatur, *rationale homines animal, & ſapientiæ munere, conciliique donatum, immemores ſimulacrorum ſubſtantiæ, atque originis, quæ ſit coctilibus teſtis ſuccumbere, æris laminas adorare, elephantorum ab dentibus ſecundas poſcere valetudines, magiſtratus, imperia,* & cætera bona; *& cum pateat, luceat* (inquit) *rebus fieri verba cum brutis, exaudiri vos remini, ipſique vos ultro credulitatis vacuæ circumſcriptione traducitis.* Neque hæc apud veros, & genuinos tantum Scriptores leguntur. Eadem in ipſis illorum temporum apocryphis perſonant, ex communi totius Eccleſiæ fide ad veri ſpeciem efficta. Tradit ſane Origenes ab Heracleone quodam hæretico Valentiniano, in Ioannem commentante, quædam eſſe uſurpata verba, quæ ipſe ait ex eo libro ſumpta eſſe, qui *Prædicatio Petri* inſcriptus eſt; *librum autem illum docere, perinde quaſi Petrus docuerit non oportere more Gentilium adorare, materialia laudantium, atque ſervientium lignis, atque lapidibus.* Locum ex illa apocrypha Petri prædicatione ante Heracleonem hæreticum jam laudaverat, atque deſcripſerat Clemens Alexandrinus; apud quem illa quæ dicit Origenes, leguntur. Poſtquam enim unum eſſe dixit verum, ſummum, atque omnipotentem Deum, *Hunc* (inquit) *Deum colite; non ſecundum Græcos*; addit *eos quod ignorantia ferrentur, neque Deum ut nos, perfecta cognitione ſcirent, ligna & lapides, æs & ferrum, aurum & argentum formaſſe, & hæc colere σεβάζειν.* Hæc Petrum Scriptor ille quiſquis eſt, ſane vetuſtiſſimus, docentem inducit; & ſimulacrorum, & in genere rerum omnium materialium cultum in Dei religione

Ibid. p. 4.

Tert. Apol. c. 12. B. & c. 13. p. 15. A.

in Act. Ap. ad Bar. a. D. 298. §. 2.

Arnob. contr. Gent. l. 6. p. 250. 251.

ibid. p. 252.

Orig. in Ioan. Tom. 14. T. 2. Orig. p. 337.

Clem. Alex. Strom. l. 6. p. 635. B. C.

religione exſerte vetantem. Sed apud Pſeudo-clementem eadem quoque tradit Petrus; *Quis* (inquit) *ita ſine ſenſu invenitur, cui perſuaderi debeat ut idolum colat, ſive illud ex auro, ſive ex quolibet metallo factum ſit? Cui non palam eſt, id eſſe illud metallum, quod artifex voluit?* Et poſt multa, idololatriæ origines explicaturus, præfatur ſe *idola dicere exanima ſimulacra, quæ colebant Ethnici, ſive lignea, ſive lapidea, ſive fictilia, vel ærea, vel ex quibuſcumque aliis ſumpta ſunt metallis.* Atque hæc quidem vetuſtiſſimi illi Chriſtiani de Gentium ſimulacris. Iam dic obſecro, nonne omnia iis, quæ nunc Latini colunt, æque ac ipſis idolis conveniunt? Simulacrorum quidem, quorum plena ſunt apud eos omnia, plane eſt eadem, ac Paganicorum ratio; Ipſa quoque lignea ſunt, lapidea, ferrea, ærea, aurea, argentea. Et ſtipitis, ex quo lignea exſculpta ſunt, fieri æque poteſt, quod Paganicis obiiciebat Octavius, ut portio, vel rogo, vel vel infœliciori etiam uſui ceſſerit. Ærea, & argentea, & aurea, quidni, ut jocabatur Arnobius, *ex cacabulis, ollulis, candelabris, & lucernis, aut ex aliis obſcœnioribus vaſculis congeſta ſunt?* Illud quidem certum eſt, *materias* (quod ſcribit Tertullianus) tam Latinarum, quam Paganicarum ſtatuarum, æque utraſque *ſorores eſſe vaſculorum inſtrumentorumque communium*; & quod hæ in Divos evaſerint, de artificis veniſſe arbitrio, non de naturæ prærogativa; plane, ut Deo illi gentilitio accidit, qui ſe truncum olim ficulnum, inutile lignum, fuiſſe apud Poëtam meminit; fabrum, cum incertus deliberaſſet Deum, an ſcamnum faceret, maluiſſe eſſe Deum. De crucibus, omnia eadem. Et tamen ante iſta ſimulacra, Paganicorum plane germana ac gemina, videmus homines, non modo (quod ait Arnobius) *ratione præditos, & ſapientiæ munere, conſiliyque donatos*, ſed etiam quod multo eſſe duxiſſet indignius, cœleſti Evangelij luce afflatos, procumbere æriſque laminas, & lapidum ac lignorum ſegmenta proſtratos atque humiles adorare, & à mutis, ſurdiſque ſtaticulis vitæ & præſentis commoda, & futuræ gloriam poſcere. Quod vero Cæcilium ſuum jocatur Octavius *luculento die in lapidem impegiſſe effigiatum, & coronatum*; nonne & Latinis congruit, crucis columnam in via poſitam, & frondibus coronatam, quoties oſtendunt, ſtatim religioſiſſime, ſæpe poſito genu, certe capite nudato adorantibus? Euchariſtiæ fateor aliam eſſe materiam; ſed neque ipſam alterius generis; certe non melioris; niſi quis ſuſpicetur veteribus magis placuiſſe è farina, quam ex auro Deum fieri. Neque mortuorum reliquiæ à religionis cultu per hæc minus excluſæ cenſendæ ſunt, quam aureæ, vel argenteæ imagines; maxime eo, quo à Latinis capiuntur ſenſu; ut etiam pili, & ungues, & ſemiroſi dentes, & chartulæ, & pectines, & laceræ veſtis centunculi, & cæteræ id genus quiſquiliæ in hunc cenſum veniant, quæ materiæ eſſe conſtat haud paulò, quam plærique erant Divi Gentilium, vilioris. Et hæc tamen ipſa colunt Latini; nobiſque,

CAPVT XX.

Clem. Recog. l. 4. fol. 26. extr.

ibid. fol. 27. G.

Y quod

CAPVT XXI.

quod ea colere abnuamus, graviter iraſcuntur. Euchariſtiam vero etiam habent pro ſummo numine. Iam finge veteres iſtos Theologos horum fuiſſe conſecraneos; nonne iniquiſſimi erant, qui quas ipſi religioſe colunt materias, eas nolunt à Paganis adorari? nonne ſtulti, & ridiculi, qui tela in ſe ſtatim reditura, mittunt in adverſarios? nonne poſtremo impudentes, qui quæ ipſi quotidie facere non erubeſcunt, de iis alios libere, atque audacter increpant: quæ religionis, & pietatis, adeoque, & laudis ſuæ partem eſſe ducunt, eadem aliis veluti crimen ac probrum, & vltimo pudore dignam ſtultitiam atque abſurditatem objectant? Atqui id ipſi in iiſdem illis diſputationibus flagitium eſſe pronuntiant non ferendum; *Cujus eſt pudoris* (inquit vnus ex iſtis Arnobius) *quinimo inverecundiæ cujus, quod agere te videas, in eo alterum reprehendere? maledicti & criminis loco dare ea, quæ in te poſsint reciprocata viciſsitudine retorqueri?* Cum ergo veteres illos Scriptores & æquiſſimos, & prudentiſſimos, & verecundiſſimos fuiſſe, tum perpetua Chriſtianorum de iis judicia, tum multo magis res ipſa, & excellentiſſima, quæ ſuperſunt ipſorum monumenta, teſtentur, pro certo tenendum eſt non fuiſſe primis ſæculis in Eccleſia vſitatos illos, nunc Latinorum ſolennes, Euchariſtiæ, reliquiarum, imaginum, & crucium cultus; qui ſcilicet iis ipſis actibus conſtant, quos illi auctores Paganis, veluti ac pietate & ratione alienos, tam crebro, tamque interdum acriter & acerbe obiiciunt.

Arnob. contr. Gent l. 2. p. 118.

CAPVT XXI.

Argumentum XVI. quo Euchariſtiam, imagines, & cruces non fuiſſe tribus primis ſæculis à Chriſtianis religioſe cultas inde probatur, quod ij ab hominibus coli, quæ ipſi arte & manu ſua fecerunt, flagitioſum & ineptum putant; quod tamen ab Euchariſtiæ, imaginum, & crucium adorationibus admitti, clarum ac confeſſum eſt.

SED Euchariſtiam quidem, imagines, & cruces ſimilis quoque ratio oſtendit à priſcis Chriſtianis adoratas non fuiſſe. Iidem enim illi Theologi paſſim in ſuis cõtra Paganorũ idololatriã diſputationibus, veluti rem ſtultiſſimam atque abſurdiſſimam; exagitant, quod illi ea colerent, quæ ipſi feciſſent. Id vero vt omnes vident, pro abſurdo habere poterant, ſi Euchariſtiam, ſi cruces, atque imagines ipſi colebant quas ab hominibus fieri clarum, atque confeſſum eſt. Iuſtinum jam andivimus ſupra exclamantem; ὢ τῆς ἐμβροντησίας! *O ſtupor! Homines, & quidem impuri, dicuntur Deos ad hoc, vt adorentur, fingere & transformare.* Tu vero Iuſtine, quid ita, velut in re peregrina, atque inuſitata

Iuſt. Apol. 2. p. 44.

inuſitata paratragædias, quaſi apud tuos (ſi tu quidem Latinorum, quod iſti volunt, eras conſecraneus) non eadem quotidie dici fierique audias & videas? *Homines* & quidem interdum *impuros Deum ad hoc*, vt in myſteriis *adoretur, facere, & faceret transformando*; & quidem prodigioſius, quam vlli Ethnicorum vnquam numinum fabricatores fecerint; nimirum non ſimpliciter *transformando*, quod ſculptorum, & pictorum opus eſt, ſed etiam *TRASVBSTANTIANDO*. Si hoc à tuis fieri & ſciviſti, & credidiſti, & probaſti; quid Paganis, rem ſibi multo minorem vindicantibus ἰμβροτησίαν imputare auſus es, & quidem cum apud Marcum Auguſtum, & Senatum Romanum diceres? De tuis vero Divis, quid dicam? quos tu iiſdem quoque ſculptorum officinis., iiſdem (vel ſcalpellis fingi, vel penicillis pingi, *ad hoc vt à veſtris adorentur*, vides? Quid de crucibus, quas ipſas ſimili, tametſi impari, arte ad cultum quoque *fieri & transformari* apud tuos notum eſt? Paganos ἰμβροτησίας hoc nomine accuſare non potes, quin Latinos tuos eodem crimine involvas. Sed res clara eſt. Cum Iuſtinus hæc ita loqueretur, nondum erat exortus ille Latinorum ex pane μεταποιηθεὶς Deus; nondum notæ erant illæ imagines ac cruces, quæ nunc vbique apud iſtos coluntur. Sed ita Iuſtinus neque ſemel, neque ſolus. Nihil eſt apud hunc, & alios ejuſdem ævi vulgarius. *Vero Deo deſtituta erant gentes omnes* (inquit ille) *manuum opera colentes*. ἔρημα ἦν πάντα τὰ ἔθνη, χειρῶν ἔργοις λατρεύοντα. Et hanc ſuam, Chriſtianorumque eſſe ſententiam profitetur, *non eſſe adoranda opera manuum hominum*, οὐ δεῖν χειρῶν ἀνθρωπίνων ἔργοις προσκυνεῖν (ſic enim locus ex Sylburgio legendus videtur) Theophylus Autolyco, veluti credulitatẽ ac ſtultitiam non ferendam, exprobrat, quod *ſimulacra ab hominibus facta Deos eſſe, & virtutes operari*, id eſt miracula facere, *crederet*. εἶτα πιστεύεις τὰ ὑπὸ ἀνθρώπων γινόμενα ἀγάλματα θεοὺς εἶναι, καὶ ἀρετὰς ποιεῖν. Quaſi vero non ab hominibus quoque facta ſint illa ſigna, quibus Latini Divorum, & nomen, & vim miraculorum operatricem tribuunt. Clemens λῆρον eſſe, *nugas & deliramenta* dicit illam Ethnicorum *conſuetudinem, quæ manuum hominum opera inſenſibilia colebant*, ἔργα (inquit) χειρῶν ἀνθρώπων ἀναίσθητα προσκυνούμενοι. Idem Paganos ideo vocat ἠλιθίους τοὺς λίθων δημιουργούς τε καὶ προσκυνοῦντας, *ſtultos lapidum & opifices, & adoratores*; & Iovem eorum Olympium *ſurdum eſſe opus* dicit *manuum Atticarum*; ἔργον ἐστι κωφὸν χειρῶν Ἀττικῶν. Qualiter ex Pſeudo-clemente ſupra audiebamus eum, quem Gentiles adorabant, *opus mortalis manus eſſe, & neceſſario ſenſu carere*. At qui in Latinorum ſimulacra eadem quoque invidia recidit; quæ & ipſa *mortalis manus*, *Florentinæ*, aut *Venetæ* opera ſunt, ſi qua vel à *Michaële Angelo* vel à *Baſſano*, aliiſque vel pictoribus, vel ſculptoribus nobilioribus facta fuiſſe prædicantur. Quare Origenes hoc Chriſtanorum ſuorum dogma fuiſſe teſtatur, ὅτι οὐδὲν τῶν παρ' ἀνθρώποις κατασκευαζομένων, καὶ εἰς θεῶν τιμὴν παραλαμβανομένων.

Marginal notes: CAPVT XXI. — Iuſt. Apol. 2. p. 69. l. 16. — ibid. p. 58. extr. — Theoph. l. 1. ad Auto. Bibl Patr. Gr. Lat. T. 1. p. 108. — Clem. Alex. Protrept. p. 39. D. — ibid p. 61. D. — ibid. p. 62 B. — Clem. Recog. l. 5. fol 30. A — Orig. contr. Celſ. l. 3. p. 163.

CAPVT XNI.

καθηκόντως ἐντὶς σέβοιτο, εἴτε χωρὶς τοῦ δημιουργοῦ Θεοῦ, εἴτε μετ' ἐκείνου. τὸ γὰρ μηδαμῶς συγκριτὰ συγκρίνειν τῷ ἀπείρῳ ὑπεροχῇ ὑπερέχοντι πάσης γενητῆς φύσεως, τυφλῶν τὴν διάνοιαν ἐστὶν ἔργον, *quod nihil eorum quæ ab hominibus fiunt, & parantur, & ad Deorum honorem aſſumuntur, quiſquam legitime colat, ſive abſque Deo rerum condisore, ſive etiam cum illo. Nam cum eo, qui rem omnem creatam infinita excellentia præcellit, res comparare nullo pacto comparandas, id profecto eorum opus eſt, qui mentis cæcitate laborant.* Hæc ille; quem nemo mihi perſuaſerit ita fuiſſe locuturum, ſi Latinorum vel hoſtiam, vel imagines, vel cruces, quas παρ' ἀνθρώπων κατασκευάζεσθαι, *ab hominibus fieri pararique*, καὶ εἰς θεῶν τιμὴν παραλαμβάνεσθαι, & *ad Dei honorem aſſumi* notum ac perſpicuum eſt, *legitime* idem *coli* καθηκόντως σέβεσθαι ſciviſſet, aut putaſſet. Cyprianus Paganorum errorem non alia re magis deſcribit, quam quod

Cypr. ad Demetr. p. 235.

eos *inepta idola & manu hominis facta ſimulacra venerari* dicit. Quaſi vero alia quam *hominis manu* facta ſint, quæ Latini nunc noſtri *venerantur* vel Dei Divorumque, vel crucis ſimulacra, vel etiam ipſam illam tenuem, ac rotundam, albamque hoſtiam quam pro ſummo Numine in altaribus ſuis adorant. Tharacus Martyr apud Tarſum in

Bar. a.D. 290.§.5.

Actis à Baronio publicatis. *Vos* (inquit ad Paganos) *impij lapides, & ſigna, & opera manuum hominum adoratis.* An hæc ita dixiſſet Tharacus, & ipſe & cæteri Chriſtiani, magnam ſuæ pietatis partem in colendis Dei Divorumque & crucis *ſignis* poſuiſſent non paucis *lapideis*, omnibus certe *manuum humanarum operibus?* qui poſterior titulus illi quoque rei ſic convenit quæ omnium religioſiſſime nunc à Latinis in ſuis myſteriis colitur, vt iſtic opus *manuum hominum* à ſe adorari vere negare non poſſint? Arnobius vero fuſe ſuo more Paga-

Arnob. l. 6. p. 2. 1.

norum ſtultitiam exagitat, *Ita iſte* (inquit) *non error eſt? non vt proprie dicatur, amentia? Deum credere, quem tute ipſe formaris? ſupplicare tremebundum fabricatæ abs te rei? & cum ſcias, & certus ſis tui eſſe operis, & digitorum partum, pronum in faciem ruere, opem rogare ſuppliciter, adverſiſque in rebus, atque in temporibus aſperis propitij numinis favore ſuccurrere?* Vt de imaginibus, & crucibus taceã, quas Latini & faciunt iidem & colunt *pronique in faciem* ante *digitorum ſuorum partum ruunt*; certe hæc Arnobiana tam bellæ hoſtiæ Romanæ congruunt, vt eum nunquam iſta ſic vel dicturum, vel ſcripturum fuiſſe non dubitem, ſi id numen & ipſe, & Chriſtiani cæteri ſciviſſent. Latini quidem eum ipſum, quem *Deum credunt*, non poſſunt *à ſe formatum* negare; neque certe negant; qui id ſibi divinitus donatum eſſe gloriantur, vt eum creent, qui ipſos creavit. Et

Biel in Can. Miſſ. lect. 4 C. Qui creavit me (ſi fas eſt dicere) dedit mihi creare ſe.

ſciunt *partum eſſe digitorum ſuorum*, rem illam ante quam *ruunt*, & cæteros ruere cogunt; & à qua *opem rogant ſuppliciter.* Idem diu ante Arnobium ſcripſerat Athenagoras; ἃ ἐγὼ οἶδα ἀνθρώπους δημιουργοὺς, πῶς τῶν προσείπω θεούς; *Qua tandem ratione Deorum nomine ſalutabo illa, quæ ab hominibus fabricata eſſe novi?* Denique hæc veteres Pa-

ganis

CAPVT XXI.

ganis ſuis non ita ſimpliciter, & in genere vno aut altero verbo obiiciunt; ſed ipſum illud opus, ejuſque partes omnes ad exaggerandam eorum ſtultitiam ſigillatim deſcribunt; vt hic ipſe Arnobius, fuſe enumeratis variorum generum materiis, ex quibus Ethnicorum ſimulacra fiebant, ex his *congeſta* (inquit) *conflata in has ſpecies ducta ſunt, atque in formas, quas cernitis, exierunt, fornacibus incocta figulinis, ex incudibus, & malleis nata groſſis, raſa, deſcobinata de limis, ſerris furfuribus, aculeis, aſciis ſecta, dolata, effoſſa, terebrarum excavata vertigine, runcinarum lævigata de planis.* Idem jampridem fecerat apud Minutium Octavius. *Deus* (inquit) *ligneus ſuſpenditur, cæditur, dolatur, runcinatur; Et Deus æreus conflatur, tunditur malleis, & incudibus figuratur; & lapideus cæditur, & ab impurato homine lævigatur;* Tum, *Ecce* (inquit) *funditur, fabricatur, ſcalpitur; nondum Deus eſt; Ecce plumbatur, conſtruitur, erigitur; nec adhuc Deus eſt. Ecce ornatur, conſecratur, oratur; Tunc poſtremo Deus eſt, cum homo illum voluit, & dedicavit.* Tertullianus quoque luſerat, vt Deos ſuos Paganis iiſdem pæne ſuppliciis extruerent, ac conſecrarent, quibus mactabant Chriſtianos: quod *ſimulacra* primum *argilla deformarent, cruci & ſtipiti ſuperſtructa*; quod *in eorum membra omnia incumberent aſciæ, & runcinæ, & ſcobinæ*; quod *ante plumbum, & glutinum, & gomphos ſine capite eſſent*; quod ignibus jam ab initio vterentur. Iam hæc omnia Latinorum ſacris tum ſimulacris, tum crucibus, atq; etiam partim hoſtiæ convenire perſpicuum eſt. Nam & quæ illi colunt ſimulacra, & ab iiſdem artificibus nunc fiunt, à quibus idola Paganica olim fiebant, pictoribus, & ſculptoribus, & aliis, & iiſdem artibus, & eadem plane ratione fiunt. Sunt quæ fornacibus figulinis incoquuntur, ſunt quæ ex incudibus & malleis naſcuntur groſſis, quæ limis, ſerris, aſciis deſcobinantur, ſecantur, dolantur, terebrarum vertigine excavantur, & runcinis læviganrur. Neque cruces aliter formantur. Sunt & qui coluntur à Latinis Divi, æque ac Paganorum Dij, lignei, qui cæduntur, dolantur, runcinantur; & ærei qui conflantur, malleiſque tunduntur; & lapidei qui cæduntur; qui omnes in hanc quæ nunc colitur ſpeciem per eaſdem, quas Tertullianus commemorat, injurias exierunt. Farinacea vero illa bracteola, quæ in ſummum, & latria dignum numen ex tam humili ſtatu proficit, nonne & ipſa igne piſtoris coquitur; & ferro incluſa comprimitur ac formatur? Qui ergo hæc & alia ejuſdem generis tam libere, tam aperte, tam contumelioſe cultis apud Paganos rebus illudentes, ac jocantes objectant Tertullianus, Octavius, Arnobius, alij; eos ne dubites vel ſacras imagines, ac cruces, vel Euchariſtias, quibus paria conveniunt, nullo in religionis cultu aut habuiſſe ipſos aut à ſuis habitas ſciviſſe.

Athen. Legat. pro Chriſt. Bibl. Patr. Gr. Lat. T. 1. p. 61. E.

Arnob. l. 6. vbi ſupra.

Min. Octav. p. 68. 69.

Tertul. Apol. c. 12. p. 14. B. C.

CAPVT XXII.

Argumentum XVII. Vetuſtiſſimorum Paganorum ad ſuperiores noſtrorum in cultus ſuos objectiones, reſponſio vincit à noſtris cultas non fuiſſe imagines, Euchariſtiam, reliquias, cruces; Pagani enim illi harum rerum cultum in noſtros tali loco erant repercuſſuri; ſiquis vere fuiſſet, quem nunquam repercuſſiſſe reperiuntur, ſed longe alia ad eas objectiones reſpondiſſe.

HÆc ſunt quæ vetuſtiſſimi Chriſtiani falſis Paganorum religionibus paſſim objectant; non facturi, ſi & ipſi quoque cruces, & imagines & reliquias & hoſtiam coluiſſent; in quæ iſta ſi non omnia, certe plæraque conveniunt. Sed fac tamen (quod nemo pius concedet) iſtos fuiſſe vel mente captos, & Paganici cultus odio excæcatos, ita vt non intellexerint ſe dum ſic diſputarent, non Paganorum ſacra magis quam ſua evertere, vel inverecundos, ita vt quæ in ſe dici poſſe ſciebant ea adverſariis exprobrare auderent; Paganos quidem certe non negabis hac tanta iſtorum protervia provocatos hujus criminis invidiam in noſtros haud ſegniter fuiſſe repercuſſuros, ſi quid apud ipſos eorum, quæ nunc Latini faciunt, ſimile fieri vidiſſent. Verbi gratia Chriſtianis obiicientibus mortua eſſe, inertia, vitæ & ſenſus, & animæ expertia, ſitui, corruptioni, omnibus & hominum & mutorum animalium, & naturæ denique injuriis obnoxia, ad hæc, humanæ & manus & artis opera ea quæ colebant ſimulacra; ſtatim repoſuiſſent parem eſſe & imaginum & crucium, & reliquiarum, & hoſtiarum naturam atque conditionem; ſi hæc à noſtris jam tum ſolenne erat coli. Paganos certe, qui eo tempore vixerunt quo iſta vel omnia vel aliqua à Chriſtianis culta fuiſſe confeſſum eſt, quoties à noſtris de ſuis idolis pulſabantur, hæc ſtatim quæ diximus reciprocare videmus. Nam & idololatras barbaros in Mexicano tractu,
Petr. Martyr. Indic. rer. l. 20. O. V. de ſuo in ſimulacra cultu reprehenſos crimen in Latinum cenſorem ex templo retorſiſſe, ſolennemque apud hos religionem repercuſſiſſe legimus; & vetuſtioribus temporibus Gentilem hominem eadem plane ratione ſuam idololatriam purgaſſe ex Ioanne Theſſalonicenſi
Synod. 7. Act. 5. T. 5. Concil. p. 700. E. apud Synodum VII. diſcimus; Ὑμεῖς οὖν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις εἰκόνας οὐ γράφετε τοῖς ἁγίοις ὑμῶν καὶ προσκυνεῖτε αὐτάς; καὶ οὐ μόνον τοῖς ἁγίοις, ἀλλὰ καὶ αὐτῷ τῷ Θεῷ ὑμῶν; *Vos ergo* (inquit) *in Eccleſiis imagines non pingitis ſanctis veſtris, & adoratis illas? & non ſolum ſanctis, ſed & ipſi Deo veſtro?* Res vero iſta per ſe clara, atque obvia eſt, vt nemo adeo obtuſus fuerit Paganus, qui non eam fuerit in hac diſputatione vſurpaturus, ſi idem tum religionis Chriſtianæ cultus fuiſſet, qui nunc Latinæ eſt. Atqui Paganos nihil hujuſmodi vetuſtiſſimis Chriſtianis vnquam

vnquam objeciſſe ad ſuorum cultuum defenſionem conſtat. Extant apud Origenem non vno loco ipſæ Celſi Græci Philoſophi voces ſimulacrorum ſuorum cultum à Chriſtianorum reprehenſionibus & ſannis defendentis; in quo argumento, vt erat acutiſſimus multa affert, quæ nunc à Latinis ad purgandum ſuarum imaginum cultum afferri ſolent. Illud ſane inſigne eſt, & hujus loci in quo nunc verſamur proprium, quod noſtris *ſuos viſibiles Deos veluti idola* (vt ipſe loquitur) *blaſphemantibus*, obiicit *ipſos eum, qui idolis eſt miſerior, imo qui ne idolum quidem eſt adhuc, ſed velut mortuum colunt*; quibus verbis homo impius Chriſti mortui cultum noſtris; vt liquet exprobrat, *Ridiculi* (inquit) *eſtis* τοὺς μὲν ἄλλους τοὺς δεικνυμένους θεοὺς ὡς εἴδωλα βλασφημοῦντες, τὸν δὲ καὶ αὐτῶν ὡς ἀληθῶς εἰδώλων ἀθλιώτερον· καὶ μηδὲ εἴδωλον ἔτι, ἀλλ' ὡς νεκρὸν σέβοντες. Idem alibi, ſuorum vt apparet, in aurea & lapidea ſimulacra religionem defendens *humanas Ieſu carnes cum auro, & argento*, & marmore comparabat dicens *his illas eſſe corruptibiliores*, ἀφὲς ἄλλων τὰς ἀνθρωπίνας: τὰς Ἰησοῦ σάρκας χρυσοῦ καὶ ἀργύρου καὶ λίθου, ὅτι αὗται ἐκείνων φθαρτότεραι. Nimirum noſtros ridet, qui aurea, argentea, & marmorea ſimulacra corruptioni obnoxia à Paganis adorari indignantes, ipſi humanam Ieſu carnem adorarent; cujus naturam auro & argento infirmiorem ſolvique & corrumpi faciliorem eſſe putabat. Primo cur ille de vnius carne dicit? Cur martyrum, & aliorum Divorum carnes ac reliquias tacet? Atqui multo erat ad Celſi argumentum commodius atque validius horum, quam Ieſu carnes afferri. Has enim Chriſtiani corruptas, quod ille volebat, negabant; luce & gloria veſtitas, & in naturam non modo auro & argento, ſed & ipſo Sole, ſideribuſque firmiorem, atque incorruptiorem mutatas eſſe affirmabant, Martyrum vero reliquias in terra eſſe, & in cinerem ac pulverem ſolvi ne ipſi quidem negabant. Cur ergo qui de Chriſti carne dicit, nihil de martyrum reliquiis dicit? Ratio eſt in promptu: Illam nimirum à Chriſtianis coli ſciebat; Harum aliquam fuiſſe apud noſtros religionem neſciebat; quam profecto ſi fuiſſet vere aliqua, non neſciviſſet. Sed & ſtultum atque ineptum erat Ieſu carnem tam longe petitam in hunc locum inducere, ſi illud aurum, argentum, atque marmor, cujus iſte ſolennem apud ſuos in idolis cultum defendere velle videtur, ipſi quoque Chriſtiani in ſimulacris religioſis venerabantur. Sed iſte neque hic, neque alibi vſquam in Chriſtianos vel imagines, vel reliquias, vel cruces, vel denique hoſtias, aut earum cultum religioſum retorquet ad defendenda Paganorum idola. Longe aliter ea defendit. Negat ea à ſe aut ſuis ſi quis non eſſet plane fatuus, pro Diis haberi; ait *Deorum* eſſe *anathemata* (id eſt donaria iis dicata) *& ſimulacra: Eſſe enim & Dei ſuam aliquam imaginem atque ſimilitudinem* ex Chriſtianis ipſis probat, docentibus *ad imaginem* Dei *creatum eſſe hominem & ei ſpecie ſimilem.* Quivis videt iſtum Chriſtianis hoc loco ſuum non *dogma* tantum, ſed multo magis *factum* & *vſum*

CAPVT XXII.

Orig. contr. Celſ. l. 7. p. 366.

ibid. l. 3. p. 140.

Orig contr. Celſ. l. 4. p. 384.

CAPVT XXII.

Apud Min. a p. 14. ad 29.

& *vſum* ipſum fuiſſe objecturum. Si quas illi Dei imagines finxiſſent, aut coluiſſent, vt nunc Latini. Ita Celſus. Neque tota Cæcilij pro Paganicis apud Minutium ſimulacris diſputatio quicquam Latinæ in Euchariſtiam, in imagines, in cruces, aut reliquias religionis retorquet in Chriſtianos. Sunt, & alia tum apud Origenem, tum apud alios vetuſtiſſimos Scriptores loca, in quibus ea commemorant, quæ Pagani ad purgandum ſuum in idola cultum afferre ſolerent. Athenagoras refert quoſdam ex eorum ſapientibus dixiſſe ipſa quidem idola *imagines* & ſimulacra *tantum fuiſſe*; Deos non fuiſſe *quorum honori ea eſſent dicata; & quæcunque in ea conferuntur, reditus, & ſacrificia ad Deos referenda eſſe, & in eorum gratiam fieri.* Origenes teſtatur eoſdem cauſſari ſolitos *ſe ſimulacra adorare in honorem Dei*; alios dixiſſe *hæc non eſſe Deos, ſed divinitatis imitationem, & verorum ſymbola.* Conſimilis eſt Paganorum apud Pſeudo clementem excuſatio *ſe ad honorem inviſibilis Dei imagines viſibiles adorare.* Sic etiam apud Arnobium, *Deos* (inquiunt) *per ſimulacra veneremur*? Et; *Neque nos* (inquiunt) *æra, neque auri argentique materias, neque alias quibus ſigna conſtant, eas eſſe per ſe Deos, & religioſa credimus numina: ſed eos in his colimus, eoſque veneramur, quos dedicatio infert ſacra.* Quin & fuiſſe ait, qui confiterentur *ſigna nihil habere numinis, neque vllum omnino ineſſe his ſenſum, neque hoc ignoraſſe antiquos, ſed propter indomitum atque imperitum vulgus* (*quæ pars in populis, atque in civitatibus maxima eſt*) *Salutariter ea conſilioque formaſſe, vt velut quadam ſpecie objecta his numinum, abjicerent aſperitatem metu, arbitratique præſentibus ſeſe ſub Diis agere facta impia deponerent, & ad humana officia morum immutatione tranſirent.* Hæc fere ſunt, quæ noſtri Paganos ad purgandum ſimulacrorum cultum afferre ſolitos tradunt; Qui in hoc argumento Chriſtianorum in Euchariſtiam, in imagines, in cruces, in reliquias religionem & cultum attulerit, & ſuis ſimulacris objecta à noſtris incommoda atque indecora in noſtras imagines atque reliquias, & Euchariſtias & cruces rejecerit atque retorſerit, plane neminem edunt. Itaque cum hæc neque noſtros tacituros ſi eſſent ſibi à Paganis objecta, neque Paganos omiſſuros fuiſſe ſi eſſent à noſtris culta credibile ſit; omnino confitendum eſt iſtorum nihil à Chriſtianis primis illis tribus ſæculis religioſe cultum fuiſſe.

Athen. Lega. pro Chriſt. T. 1. Bibl. Patr. Gr. Lat. p. 62. E.
Orig. l. 6. côtr. Celſ. p. 285.
ibid. l. 5 p. 291. extr.
Clem. Recog. l. 5. fol. 30. 1.
Arnob. l. 6. p. 245.
ibid. p. 254.
ibid. p. 261.

CAPVT

CAPVT XXIII.

Argumentum XVIII. Imagines, cruces, & reliquias in eo, quo nunc ſunt apud Latinos, cultu minime fuiſſe apud vetuſtiſſimos ad a. D. 314. Chriſtianos, inde conficitur, quod hæc, quæ illi perpetuo inter ſua adverſus perſecutiones arma ac munimenta cenſent, hi nullo vnquam numero habuiſſe cernuntur; quod tum ex divinis, tum ex Eccleſiaſticis primæ memoriæ Scriptoribus demonſtratur; Vice verſa Domini calicem, quo muniri pios adverſus perſecutionem veteres volunt, Latinos omnibus de plebe Chriſtiana fidelibus eripuiſſe.

AD HVNC poſtremo communium contra illos Latinorum cultus argumentorum ordinem, id quoque pertinet, quod ex multis horum & veterum inter ſe comparatis locis apparet, primis illis temporibus nondum apud noſtros in eo religionis cultu fuiſſe imagines, cruces, & reliquias, in quo nunc eſſe cernuntur apud Papalis cõmunionis homines. Nam hi quidem res illas ob vſum, quem eas in certaminibus atque periculis habere putant, multis, iiſque magnificis elogiis ornant; *ſua ſymbola, ſuas teſſeras, ſua adverſus hoſtem arma, atque munimenta vocant*: quorum nihil apud veteres talibus locis reperire eſt. In Ieſuitarum annalibus paſſim illa profitentes Latinos legimus *Imagines, roſaria, Agnos-Dei, cruces & reliquiaria*, Gabriel Mattos Ieſuita, *ſacras* vocat *ſanctiſſimæ ſuæ religionis teſſeras*; *ſuáque arma ſpiritualia*. Alius ejuſdem generis ſcriptor, *Suæ fidei ſymbola.* Leo ad ſe ſuoſque contra impendentem perſecutionem muniendos roſaria, IMAGINES, ſacra numiſmata, grana benedicta,, aliaque ARMA SPIRITVALIA ſibi à Ieſuitis dari petit, *vt ad hujuſmodi* (inquit) *diſcrimina ſi forte inciderint, parati ſimus.* Ignatio Cocincinenſi Catechetæ hæc eadem è vinculis, in quæ ob cultum Latinum conjectus erat, flagitanti, Alexander Rhodius Ieſuita ſe ait *ſtrenuo Chriſti militi ſpiritualia illa arma, quibus tam fœliciter vteretur, miſiſſe, quæcumque nanciſci potuit.* Sic alij omnes de his loquuntur; Froës Ieſuita, ſuos Bungenſes & Amagucciano in Iaponia Chriſtianos *magna fide complecti* dicit Divorum *reliquias*, calculos benedictos, Agnos-Dei; atque *his armis* contra dæmonis inſultus ſe communire. Trigautius ejuſdem ordinis ſignifer, Bungenſem perſecutionem narrans, quendam apoſtatam ait *ſacræ militiæ arma*, roſarium & imagines, iis ipſis à quibus acceperat reddidiſſe, diſciplinæ ſcilicet renunciantem; & civitatum præfectos edixiſſe, vt quæcumque Latini cultus homines haberent Chriſtianæ religionis arma, ea apud magiſtratus deponerent, *IMAGINES, roſaria, Agnos-Dei, aliaque conſimilia*; hoc eſt, vt om-

Ann. Iap. an. 1614. p. 167.
Ann. Iap. an. 1630. p. 217.
Sol. Iapon. l. 11. c. 1. p. 107.
Ann. Iap. a. 1595. c. 10. p. 54.
Alex. Itin. Part. 2. c. 50. p. 216.
Ann. Iap an. 1595 p. 226.
Trigaut. Martyr. Iap. l. 1. c. 23. p. 116. 117.

CAPVT XXIII.

vt omnes vident, reliquiaria, cruces, & cætera ſi qua ſunt apud iſtos ejuſdem cenſus. Idem Firoximenſem Principem juſſiſſe dicit, vt decenti in loco ſervarentur, quæ Ieſuitarum diſcipulis erepta erant *ARMA SACRA*, quæ nequid dubites, Annales rem eandem narrantes, *imagines & roſaria* fuiſſe diſertè docent. Solerius Leonem quendam Martyrem ſuum ſe ad vltimum illum agonem comparantem, ſumpſiſſe inprimis ait reliquiarium, & Dominicæ paſſionis imaginem, & librum ſpiritualem, *veluti veri Germanique Chriſtiani ARMA.* Ioannis Roder. Gironus nobilem in Iaponia mulierem narrat *fortiter repellere Paganorum tentationes.* Si quæris, qua ratione rem tantam perficiat; *Arma (*inquit*) illi* roſarium quotidie recitatum; *ſacras item IMAGINES, quibus advolvitur, & adorat;* item flagra, quibus in ſe ſævit. Bonellus ipſe quoque Ieſuita Firandenſes ſui ritus ac cultus cives, cùm à Præfecto juſſi eſſent, imagines, roſaria, reliquiaria, & cætera ejuſdem ordinis ſtatim ad ſe adferre; vna omnes mente voceque decreviſſe dicit nunquam ſe propria fidelium *ARMA* homini idololatræ tradituros; Inſtante ac vrgente Præfecto negaſſe confidentiſſimè *ſe quicquam habere*; nimirum *quod ei ad fidei ſuæ contemptum dederent*; hoc enim iſtos apud ſe ex mirabili Ieſuiticæ æquivocationis diſciplina tacitos ita excepiſſe, nos idem auctor monuit, vt ſciremus quantos brevi etiam apud barbaros veteratoria Loyolæ diſciplina progreſſus faciat. Martyrem Iaponem cui Xiquiba nomen fuit, cum ſe ad illud certamen pararet, nocte quę ejus paſſionem præceſſit, Divæ Virginis iconem vnam ex compluribus imaginibus quas in aula habebat, delegiſſe ferunt, & ex ſuo cingulo ſuſpendiſſe, negantem *ARMA ad hoſtem propulſandum his meliora, vlla ſe habere poſſe.* Tum injecto in collum roſario, ad familiarem ſuum Remonem proceſſiſſe, & hominem amiciſſimum rogaſſe, *Quid me (*inquit*) putas novo hoc armorum genere inſtructum moliri? Fert nimirum animus cum fidei hoſtibus congredi, ac præliari.* Chriſtophorus Borrus ejuſdem Sectæ hiſtoricus narrat domum apud Cocincinenſes fuiſſe ſpectris infamem quam dæmon inſidere, & illic ſe horrenda ſpecie gallinaceis vnguibus, immani cauda, oculis ardentibus, ac ſcintillantibus oſtentare, & accedentes territare à barbaris credebatur: Ieſuitas in ædes impavidos intraſſe, & hoſtem formidabilem oppugnaſſe, *crucibus, reliquiis, & Agnis-Dei armatos.* Cætera, quæ multa ſunt, parco recitare. Hoc ſpecimen ſatis eſt, vt intelligas quæ Latinorum ſit de ſuis imaginibus, crucibus, ac reliquiariis ſententia atque oratio. Nunc vetuſtiſſimorum ex altera parte hiſtorias, annaleſque ſpectemus. Pervelim mihi Latinos iſtic aliquem ſui generis militem oſtendere, hæc ipſorum arma poſcentem, his ſe inſtruentem, his rem adverſum Chriſti hoſtes gerentem, vel horum quæ recitavimus, gemina de his loquentem oſtendi. Illi vero nunquam facient. Nullum enim noſtrorum in omni illa prima antiquitate

Ibid.l.3.c.10. p.281.
Ann.Iap.an. 1614.p.260.
Sol.Iap.l.16. c.11 p.449.
Ann.Iap.a. 1610.p.43. 44.
Ann.Iap.an. 1625.p.51. 52.
Ann.Iap.a 1618.p.28.
Borr.Relat. de Cocinc. Part.II.c 9. p.212 213.

reperire eſt, qui de his verbum vnum dicat. Ergo-ne, inquis, nulla illi fœliciſſimi primorum ſæculorum Chriſtiani bella ſacra geſſerunt? Geſſiſſe, & quidem Iaponicis & Sinicis haud quaquam mitiora vel ex iis quæ ſupra attigimus, apparet. Quid ergo eſt? An inermes adverſus hoſtem tam terribilem conſtiterunt? Plane inquam, Nudi pugnarunt, & abſque *armis ſpiritualibus*; ſi, quod Latinorum jecur ſapit, *reliquiaria, cruces, imagines* (ne quid de roſariis, numiſmatis & granis benedictis, & Agnis Dei dicam) *ſpiritualia arma* ſunt, ſi ſunt, quod iidem dicunt, *ſacra diſciplinæ ac religionis Chriſtianæ arma*, ſi ſunt quod ex iiſdem quoque recitavimus, *propria fidelium arma*. Imo ne illud quidem ſatis intelligo, quomodo illi vetuſtiſſimi confeſſores ac martyres liquido *Chriſtiani* dici cenſerique ex recentium quidem magiſtrorum dictatis poſſint. Si ſunt enim hæ iſtorum *reliquiæ, cruces, imagines, coronæ*, & cæteræ res ejuſdem generis *fidei Chriſtianæ Symbola*, ſi ſunt *ſacra ſanctiſſimæ religionis inſignia, teſſeræque ac notæ*, quod iſti non obſcurè, ſed clarè perſpicueque ſtatuunt; qui caruiſſe certò deprehenduntur veteres illi confeſſores ac martyres, profecto Chriſtianorum nomen vix, ac ne vix quidem tueri ac retinere poſſe videntur. Quis enim *Chriſti milites* dixerit, qui Chriſtianæ militiæ neque arma norunt, neque inſignia, ac ſymbola gerunt? En quò iſtos cogat imaginum mutarum, & crucium informium, & reliquiarum frigidarum zelus? Vt hæc arma ſint Iaponum & Sinarum neophytorum, confitendum erit fortiſſimos ac ſanctiſſimos Chriſtianarum expeditionum duces, qui totam hanc Domini diſciplinam ſuo olim cruore, ſuis vulneribus, cruciatibus, ac mortibus conſignarunt atque propagarunt, *inermes* fuiſſe, ne ſuæ quidem militiæ ſymbola ac teſſeras geſſiſſe. Si ſua Latini retinent, non aliter hanc à prima illa antiquitate labem eluent, niſi & ei cognitas, cultas, geſtataſque fuiſſe ſuas imagines, reliquias, cruces, coronaſque demonſtraverint. Ac illi quidem quod ſciam, hoc ne tentarunt quidem hactenus. Nos verò Chriſtianæ antiquitatis *armamentarium* ſcrutemur, ſicubi iſtic, vel in remoto aliquo angulo latens aliquid Latinæ illius apud Iapones & Sinas familiaris armaturæ deprehendi poſſit. Nam & ſua quædam *arma* veteres illi habuiſſe noſcuntur, quibus & ſe ipſi, & alios ſuæ curæ à ſummo Imperatore traditos tirones muniunt. Audi Paulum antiquiſſimum & illuſtriſſimum hujus militiæ veteranum, ſuos ad Domini prælia inſtruentem, atque armantem; *Induite vos* (inquit) *armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli.* πανοπλίαν dicit, quæ etiam aliquid amplius ſignificat, quam quod noſter reddidit, *univerſam* nimirum *armaturam* ſignificat, cui nihil eorum armorum deſit, quæ nobis ad hoc bellum neceſſaria ſunt. Theodoretus in hunc locum πανταχίαν eodem ſenſu dicit, & quidem τὴν βασιλικὴν regiam. Statim verò Apoſtolus ſuam illam *panopliam* totam nobis ſigillatim explicat; *ſtate ergo* (inquit) *ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſtitiæ,*

CAPVT XXIII.

Eph. 6. 11.

Eph. 6. 14. 15. 16. 17.

CAPVT XXIII. *ſtitiæ, & calceati pedes, in præparatione Evangelij pacis; in omnibus ſumentes ſcutum fidei, & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, per omnẽ orationẽ & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu.* Hæc Paulus: qui quo ſe loco *panopliam, univerſam Dei armaturam* traditurum præ ſe fert, vt in eo aliquid eorum armorum omiſerit, quæ ipſe ad ſacrum hoc bellum neceſſaria noſſet; nemo qui virum norit, facile vt opinor, ſibi perſuaſerit. Et ille tamen Paulus eo ipſo in loco, quo panopliam noſtram, & quidem copioſè atque magnificè explicat, nullas *imagines*, nullas ex auro, vel ex ligno *cruces*, nullas *reliquias*, nulla *roſaria*, nihil cæterorum vel nominat, vel innuit, quæ ſapientiſſimi nunc Ieſuitæ *arma ſpiritualia, & propria fidelium arma* vocant, ne illas quidem D. Viginis imagines memorat, quibus meliora ſe nulla contra hoſtem arma ſcire, Ieſuitarum diſcipulus dicebat. Ne dubitemus Paulo nihil fuiſſe iſtorum cognitum; quæ ſi noſſet & probaſſet, omittere hoc quidem loco abſque flagitio non potuiſſet. Ne & illud dicam, ita eum nos totos, latera, pectus, pedes, caput, corpus vniverſum tegere & manum etiam armare occupaſſe, vt nullum armis Latinorum novitiis locum reliquerit, noſque ea lorica, ea galea, iis calciamentis, eo denique gladio muniviſſe, vt iſtam Ieſuitarum recentem, non profecto de cœlo allatam armaturam, nemo, qui Paulina panoplia indutus fuerit, ſit deſideraturus. Secutis Chriſtianæ militiæ magiſtris tradita à Paulo panoplia ſatis fuit; neque toto decem illorum (vt ſic dicam) *bellorum*, quæ tribus primis ſæculis & quarti initio à noſtris fortius, an fœlicius geſta fuerint, incertum, quiſquam occurrit, qui illa Latinorũ arma his Paulinis addiderit. Eruditiſſimus quidem Alexandrinæ Eccleſiæ presbyter Clemens, poſtquam totum hunc Apoſtoli locum recitavit. *Ita nos* (inquit) *Paulus ad aciem pacificè inſtruit. Hæc ſunt arma noſtra invulnerabilia. His armati in aciem adverſus malignum procedamus; ignita ejus jacula aqueis à Verbo intinctis cuſpidibus exſtinguamus, beneficia gratis benedictionibus remunerantes.* ἔτως ἡμᾶς ὁ ἀπόσολος εἰρηνικῶς ἐκτάττει. Ταῦθ' ἡμῶν τὰ ὅπλα τὰ ἄτρωτα. Τούτοις ἐξοπλισάμενοι παραταξώμεθα τῷ πονηρῷ. Τὰ πεπυρακτωμένα τοῦ πονηροῦ ἀποσβεσώμεθα βέλη ταῖς ὑδατίναις ἀκμαῖς ταῖς ὑπὸ τοῦ λόγου βεβαμμέναις, εὐχαρίστοις ἀμειβόμενοι τὰς εὐποιΐας εὐλογίαις. Facit & alio in loco divinæ hujus panopliæ mentionem in ſtromateôn opere, Sed neque hîc, neque illic traditis à Paulo armis vlla reliquiaria, vllas imagines, vel cruces adiicit. Cypriani, eximij Epiſcopi & Martyris, extat de exhortatione martyrij luculentus ad Fortunatum liber in quo ipſe præfatur, incumbente jam perſecutionum & preſſurarum pondere, ad præparandas & corroborandas fratrum mentes iis ſe *pugnaturis quaſi arma ac monimenta quædam de præceptis Dominicis promturum.* Hæc pollicentem ſi Ieſuiticæ quidem diſciplinæ cultor erat, decebat in hoc libro *imaginum, & crucium, & reliquiarum*, quibus ſe Latini *meliora* ad hoc prælium *arma* reperire negant, inprimis vtilitatem

Clem. Alex. Protrept. p. 72. D.

Id. Strom. l. 2. p. 407. C.

Cypr ad Fortun. de exhort. Martyr. [illegible] p. 2. a.

tatem ac neceſſitatem commendare, fratreſque hortari vt hæc, & alia ejuſdem cenſus arma adverſus incumbentes Diaboli acies diligenter geſtarent, atque induerent, iiſque ſe contra omnes dæmonum inſultus munirent. An ergo ita hęc tractat Cyprianus? Ille vero de his *fidelium* (ſi Ieſuitis credimus) *propriis armis*, nihil dicit; Evolve librum totum, ſi vel vnum verbum de iſtis fecerit. Quanquam librum, vt hoc ſcias, evolvere nihil neceſſe eſt. Ipſa nos paucula illa, quæ deſcripſimus, ſatis docent nihil ab iſto de reliquiis, aut imaginibus, crucibus-ve nunc eſſe expectandum; qui ſcilicet profitetur ſe *arma*, quæ fratribus miniſtraturus eſt, ea ex *præceptis Dominicis* eſſe *promptuarum*; id eſt cœleſti Scripturarum armamentario, è quo difficile, ni fallor, fuerit imaginum, & crucium, & reliquiarum cultum, vſumque religioſum, qui nunc apud Latinos obtinet educere, quod ipſum quoque paulò poſt ſignificat, *Præcepta ipſa divina* (inquit) *velut arma pugnantibus ſuggerenda ſunt.* Vides hunc profecto non ignobilem Chriſti bellatorem, non roſaria, aut icunculas & brevi auro argentóve incluſos mortuorū hominum pilos, vngues, cineres ſuis pugnaturis porrigere, ſed viva Dei viventis præcepta ſuggerere, quæ ſi qua decet fide, ea exceperimus, nos adverſus omnia Diaboli tela multo tutiores præſtabunt, quam omnes Latinorum cruces, imagines, reliquiæ. Idem alibi, vnaque alij non pauci Eccleſiæ Africanæ Epiſcopi lapſis pœnitentibus ideo reddi communionem volunt, *vt quos* (inquiunt) *excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis, & Corporis Chriſti muniamus*; *& cum ad hoc fiat Euchariſtia, vt poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra adverſarium volumus, munimento Dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quomodo docemus, aut provocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, ſi non eos prius ad bibendum in Eccleſia poculum Domini jure communicationis admittimus?* Hæc illi; in quibus hoc inprimis eſt obſervandum fruſtra eos lapſorum, niſi maturè ad communionem admittantur, periculum vrgere, quaſi *inermes & nudi relinquantur*, qui Dominicæ menſæ communione multantur; ſi ſtat quod Ieſuitæ nunc prędicant, contra hoſtem perſecutione nos oppugnantem bene eum inſtructum, armatumque eſſe, cum imago ex zona, & crux & reliquiarium ex collo pependerit. Tum illud quoque notandum; quod Dominicæ communio Cœnæ inter arma Chriſtiani militis à veteribus iſtis cenſetur, id merito, & ex diſciplina fieri, & ex Dominico præcepto depromptum eſſe, quo clariſſimè juſſi ſumus hoc myſterium celebrare. *Imagines, & reliquias, geſtare*, falſo & ineruditè inter arma noſtra cenſeri, quibus nihil vnquam hujuſmodi à Domino præceptum eſt. Denique neque illud prætermittendum eſt, vt iis carebant veteres, quę nunc Latini inter primaria ſuorum contra perſecutionem arma cenſent;

CAPVT XXIII.

Ibid. p. 181.

Cypr. ep. 54. ad Cornel. p. 85. 86.

CAPUT XXII.

Argumentum XVII. Vetuſtiſſimorum Paganorum ad ſuperiores noſtrorum in cultus ſuos objectiones, reſponſio vincit à noſtris cultas non fuiſſe imagines, Euchariſtiam, reliquias, cruces; Pagani enim illi harum rerum cultum in noſtros tali loco erant repercuſſuri; ſiquis vere fuiſſet, quem nunquam repercuſſiſſe reperiuntur, ſed longe alia ad eas objectiones reſpondiſſe.

HÆc ſunt quæ vetuſtiſſimi Chriſtiani falſis Paganorum religionibus paſſim objectant; non facturi, ſi & ipſi quoque cruces, & imagines & reliquias & hoſtiam coluiſſent; in quæ iſta ſi non omnia, certe plæraque conveniunt. Sed fac tamen (quod nemo pius concedet) iſtos fuiſſe vel mente captos, & Paganici cultus odio excæcatos, ita vt non intellexerint ſe dum ſic diſputarent, non Paganorum ſacra magis quam ſua evertere, vel inverecundos, ita vt quæ in ſe dici poſſe ſciebant ea adverſariis exprobrare auderent; Paganos quidem certe non negabis hac tanta iſtorum protervia provocatos hujus criminis invidiam in noſtros haud ſegniter fuiſſe repercuſſuros, ſi quid apud ipſos eorum, quæ nunc Latini faciunt, ſimile fieri vidiſſent. Verbi gratia Chriſtianis obiicientibus mortua eſſe, inertia, vitæ & ſenſus, & animæ expertia, ſitui, corruptioni, omnibus & hominum & mutorum animalium, & naturæ denique injuriis obnoxia, ad hæc, humanæ & manus & artis opera ea quæ colebant ſimulacra; ſtatim repoſuiſſent parem eſſe & imaginum & crucium, & reliquiarum, & hoſtiarum naturam atque conditionem; ſi hæc à noſtris jam tum ſolenne erat coli. Paganos certe, qui eo tempore vixerunt quo iſta vel omnia vel aliqua à Chriſtianis culta fuiſſe confeſſum eſt, quoties à noſtris de ſuis idolis pulſabantur, hæc ſtatim quæ diximus reciprocare videmus. Nam & idololatras barbaros in Mexicano tractu, de ſuo in ſimulacra cultu reprehenſos crimen in Latinum cenſorem ex templo retorſiſſe, ſolennemque apud hos religionem repercuſſiſſe legimus; & vetuſtioribus temporibus Gentilem hominem eadem plane ratione ſuam idololatriam purgaſſe ex Ioanne Theſſalonicenſi apud Synodum VII. diſcimus; Ὑμεῖς οὖν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις εἰκόνας οὐ χαράττετε τοῖς ἁγίοις ὑμῶν καὶ προσκυνεῖτε αὐτάς; καὶ οὐ μόνον τοῖς ἁγίοις, ἀλλὰ καὶ αὐτῷ τῷ Θεῷ ὑμῶν; *Vos ergo* (inquit) *in Eccleſiis imagines non pingitis ſanctis veſtris, & adoratis illas? & non ſolum ſanctis, ſed & ipſi Deo veſtro?* Res vero iſta per ſe clara, atque obvia eſt, vt nemo adeo obtuſus fuerit Paganus, qui non eam fuerit in hac diſputatione vſurpaturus, ſi idem tum religionis Chriſtianæ cultus fuiſſet, qui nunc Latinæ eſt. Atqui Paganos nihil hujuſmodi vetuſtiſſimis Chriſtianis vnquam

Petr. Martyr. Indic. rer. l. 20. O. V.

Synod. 7. Act. 5. T. 5. Concil. p. 700. E.

vnquam objeciſſe ad ſuorum cultuum defenſionem conſtat. Extant apud Origenem non vno loco ipſæ Celſi Græci Philoſophi voces ſimulacrorum ſuorum cultum à Chriſtianorum reprehenſionibus & ſannis defendentis; in quo argumento, vt erat acutiſſimus multa affert, quæ nunc à Latinis ad purgandum ſuarum imaginum cultum afferri ſolent. Illud ſane inſigne eſt, & hujus loci in quo nunc verſamur proprium, quod noſtris *ſuos viſibiles Deos veluti idola* (vt ipſe loquitur) *blaſphemantibus*, obiicit *ipſos eum, qui idolis eſt miſerior, imo qui ne idolum quidem eſt adhuc, ſed velut mortuum colunt*; quibus verbis homo impius Chriſti mortui cultum noſtris, vt liquet exprobrat, *Ridiculi* (inquit) *ἐστὲ τοὺς μὲν ἄλλους τοὺς ἐναργεῖς θεοὺς ὡς εἴδωλα βλασφημοῦντες, τὸν δὲ καὶ αὐτῶν ὡς ἀληθῶς εἰδώλων ἀθλιώτερον· καὶ μηδὲ εἴδωλον ἔτι, ἀλλ' ὡς νεκρὸν σέβοντες.* Idem alibi, ſuorum vt apparet, in aurea & lapidea ſimulacra religionem defendens *humanas Ieſu carnes cum auro, & argento*, & marmore comparabat dicens *his illas eſſe corruptibiliores, παραβάλλων τὰς ἀνθρωπίνας τοῦ Ἰησοῦ σάρκας χρυσῷ καὶ ἀργύρῳ καὶ λίθῳ, ὅτι αὗται ἐκείνων φθαρτότεραι.* Nimirum noſtros ridet, qui aurea, argentea, & marmorea ſimulacra corruptioni obnoxia à Paganis adorari indignantes, ipſi humanam Ieſu carnem adorarent; cujus naturam auro & argento infirmiorem ſolvique & corrumpi faciliorem eſſe putabat. Primo cur ille de vnius carne dicit? Cur martyrum, & aliorum Divorum carnes ac reliquias tacet? Atqui multo erat ad Celſi argumentum commodius atque validius horum, quam Ieſu carnes afferri. Has enim Chriſtiani corruptas, quod ille volebat, negabant; luce & gloria veſtitas, & in naturam non modo auro & argento, ſed & ipſo Sole, ſideribuſque firmiorem, atque incorruptiorem mutatas eſſe affirmabant, Martyrum vero reliquias in terra eſſe, & in cinerem ac pulverem ſolvi ne ipſi quidem negabant. Cur ergo qui de Chriſti carne dicit, nihil de martyrum reliquiis dicit? Ratio eſt in promptu: Illam nimirum à Chriſtianis coli ſciebat; Harum aliquam fuiſſe apud noſtros religionem neſciebat; quam profecto ſi fuiſſet vere aliqua, non neſciviſſet. Sed & ſtultum atque ineptum erat Ieſu carnem tam longe petitam in hunc locum inducere, ſi illud aurum, argentum, atque marmor, cujus iſte ſolennem apud ſuos in idolis cultum defendere velle videtur, ipſi quoque Chriſtiani in ſimulacris religioſis venerabantur. Sed iſte neque hic, neque alibi vſquam in Chriſtianos vel imagines, vel reliquias, vel cruces, vel denique hoſtias, aut earum cultum religioſum retorquet ad defendenda Paganorum idola. Longe aliter ea defendit. Negat ea à ſe aut ſuis ſi quis non eſſet plane fatuus, pro Diis haberi; ait *Deorum* eſſe *anathemata* (id eſt donaria iis dicata) *& ſimulacra: Eſſe enim & Dei ſuam aliquam imaginem atque ſimilitudinem* ex Chriſtianis ipſis probat, docentibus *ad imaginem Dei creatum eſſe hominem & ei ſpecie ſimilem*. Quivis videt iſtum Chriſtianis hoc loco ſuum non *dogma* tantum, ſed multo magis *factum*

& *vſum*

CAPUT XXII.

Orig. contr. Celſ. l. 7. p. 366.

ibid. l. 3. p. 140.

Orig. contr. Celſ. l. 14. p. 384.

CAPVT XXII.

& *vſum* ipſum fuiſſe objecturum. Si quas illi Dei imagines finxiſſent,
aut coluiſſent, vt nunc Latini. Ita Celſus. Neque tota Cæcilij pro
Apud Min. p. 14. ad 29. Paganicis apud Minutium ſimulacris diſputatio quicquam Latinæ in
Euchariſtiam, in imagines, in cruces, aut reliquias religionis retor-
quet in Chriſtianos. Sunt, & alia tum apud Origenem, tum apud
alios vetuſtiſſimos Scriptores loca, in quibus ea commemorant, quæ
Pagani ad purgandum ſuum in idola cultum afferre ſolerent. Athena-
Athen. Lega. pro Chriſt. T 1. Bibl. Patr. Gr. Lat. p. 62. E. goras refert quoſdam ex eorum ſapientibus dixiſſe ipſa quidem idola
imagines & ſimulacra *tantum fuiſſe*; Deos non fuiſſe *quorum honori*
ea eſſent dicata: & quæcunque in ea conferuntur, reditus, & ſacrificia
ad Deos referenda eſſe, & in eorum gratiam fieri. Origenes teſtatur
Orig. l. 6. cōtr. Celſ. p. 285. eoſdem cauſſari ſolitos *ſe ſimulacra adorare in honorem Dei*; alios di-
ibid. l. 5 p. 292. extr. xiſſe *hæc non eſſe Deos, ſed divinitatis imitationem, & verorum ſym-*
bola. Conſimilis eſt Paganorum apud Pſeudo-clementem excuſatio
Clem. Recog. l. 5. fol. 30. I. *ſe ad honorem inviſibilis Dei imagines viſibiles adorare.* Sic etiam apud
Arnobium, *Deos* (inquiunt) *per ſimulacra veneremur*; Et; *Neque*
Arnob. l. 6. p. 245. *nos* (inquiunt) *æra, neque auri argentique materias, neque alias quibus*
ſigna conſunt, eas eſſe per ſe Deos, & religioſa credimus numina: ſed eos
ibid. p. 254. *in his colimus, eoſque veneramur, quos dedicatio infert ſacra.* Quin &
ibid. p. 261. fuiſſe ait, qui confiterentur *ſigna nihil habere numinis, neque vllum om-*
nino ineſſe his ſenſum, neque hoc ignoraſſe antiquos, ſed propter indomi-
tum atque imperitum vulgus (quæ pars in populis, atque in civitatibus
maxima eſt) Salutariter ea conſilioque formaſſe, vt velut quadam ſpecie
objecta his numinum, abjicerent aſperitatem metu, arbitratique præ-
ſentibus ſeſe ſub Diis agere facta impia deponerent, & ad humana offi-
cia morum immutatione tranſirent. Hæc fere ſunt, quæ noſtri Paga-
nos ad purgandum ſimulacrorum cultum afferre ſolitos tradunt;
Qui in hoc argumento Chriſtianorum in Euchariſtiam, in imagines,
in cruces, in reliquias religionem & cultum attulerit, & ſuis ſimu-
lacris objecta à noſtris incommoda atque indecora in noſtras imagi-
nes atque reliquias, & Euchariſtias & cruces rejecerit atque re-
torſerit, plane neminem edunt. Itaque cum hæc neque noſtros ta-
cituros ſi eſſent ſibi à Paganis objecta, neque Paganos omiſſuros
fuiſſe ſi eſſent à noſtris culta credibile ſit; omnino confitendum eſt
iſtorum nihil à Chriſtianis primis illis tribuis ſæculis religioſe cul-
tum fuiſſe.

CAPVT

Capvt XXIII.

Argumentum XVII I. Imagines, cruces, & reliquias in eo, quo nunc ſunt apud Latinos, cultu minime fuiſſe apud vetuſtiſſimos ad a. D. 314. Chriſtianos, inde conficitur, quod hæc, quæ illi perpetuo inter ſua adverſus perſecutiones arma ac munimenta cenſent, hi nullo vnquam numero habuiſſe cernuntur; quod tum ex divinis, tum ex Eccleſiaſticis primæ memoriæ Scriptoribus demonſtratur; Vice verſa Domini calicem, quo muniri pios adverſus perſecutionem veteres volunt, Latinos omnibus de plebe Chriſtiana fidelibus eripuiſſe.

AD hvnc poſtremo communium contra illos Latinorum cultus argumentorum ordinem, id quoque pertinet, quod ex multis horum & veterum inter ſe comparatis locis apparet, primis illis temporibus nondum apud noſtros in eo religionis cultu fuiſſe imagines, cruces, & reliquias, in quo nunc eſſe cernuntur apud Papalis cõmunionis homines. Nam hi quidem res illas ob vſum, quem eas in certaminibus atque periculis habere putant, multis, iiſque magnificis elogiis ornant; *ſua ſymbola, ſuas teſſeras, ſua adverſus hoſtem arma, atque munimenta vocant*: quorum nihil apud veteres talibus locis reperire eſt. In Ieſuitarum annalibus paſſim illa profitentes Latinos legimus *Imagines, roſaria, Agnos-Dei, cruces & reliquiaria*, Gabriel [*Ann. Iap. an.* 1614. *p.* 167.] Mattos Ieſuita, *ſacras* vocat *ſanctiſſimæ ſuæ religionis teſſeras*; *ſuáque arma ſpiritualia.* Alius ejuſdem generis ſcriptor, *ſuæ fidei ſymbola.* [*Ann. Iap. an.* 1630. *p.* 217.] Leo ad ſe ſuoſque contra impendentem perſecutionem muniendos roſaria, Imagines, ſacra numiſmata, grana benedicta, aliaque Arma Spiritvalia ſibi à Ieſuitis dari petit, *vt ad hujuſmodi* (inquit) [*Sol. Iapon. l.* 11. *c* 1 *p.* 107.] *diſcrimina ſi forte inciderint, parati ſimus.* Ignatio Cocincinenſi Catechetæ hæc eadem è vinculis, in quæ ob cultum Latinum conjectus [*Ann. Iap. a.* 1595. *c.* 10. *p.* 54.] erat, flagitanti, Alexander Rhodius Ieſuita ſe ait *ſtrenuo Chriſti militi* [*Alex. Itin. Part.* 2. *c.* 50. *p.* 266.] *ſpiritualia illa arma, quibus tam fœliciter vteretur, miſiſſe, quæcumque nanciſci potuit.* Sic alij omnes de his loquuntur; Froës Ieſuita, ſuos [*Ann. Iap an.* 1595 *p.* 226.] Bungenſes & Amaguccianos in Iaponia Chriſtianos *magna fide complecti* dicit Divorum *reliquias*, calculos benedictos, Agnos-Dei; atque *his armis* contra dæmonis inſultus ſe communire. Trigautius ejuſdem ordinis ſignifer, Bungenſem perſecutionem narrans, quendam [*Trigaut. Martyr. Iap. l.* 1. *c.* 23. *p.* 116, 117.] apoſtatam ait *ſacræ militiæ arma*, roſarium & imagines, iis ipſis à quibus acceperat reddidiſſe, diſciplinæ ſcilicet renunciantem; & civitatum præfectos edixiſſe, vt quæcumque Latini cultus homines haberent Chriſtianæ religionis arma, ea apud magiſtratus deponerent, *IMAGINES, roſaria, Agnos-Dei, aliaque conſimilia*; hoc eſt, vt om-

CAPVT XXIII.

vt omnes vident, reliquiaria, cruces, & cætera ſi qua ſunt apud iſtos ejuſdem cenſus. Idem Firoximenſem Principem juſſiſſe dicit, vt decenti in loco ſervarentur, quæ Ieſuitarum diſcipulis erepta erant *ARMA SACRA*, quæ nequid dubites, Annales rem eandem narrantes, *imagines & roſaria* fuiſſe diſertè docent. Solerius Leonem quendam Martyrem ſuum ſe ad vltimum illum agonem comparantem, ſumpſiſſe inprimis ait reliquiarium, & Dominicæ paſſionis imaginem, & librum ſpiritualem, *veluti veri Germanique Chriſtiani ARMA*. Ioannis Roder. Gironus nobilem in Iaponia mulierem narrat *fortiter repellere Paganorum tentationes*. Si quæris, qua ratione rem tantam perficiat; *Arma* (inquit) *illi* roſarium quotidie recitatum; *ſacræ item IMAGINES*, *quibus advolvitur*, *& adorat*; item flagra, quibus in ſe ſævit. Bonellus ipſe quoque Ieſuita Firandenſes ſui ritus ac cultus cives, cùm à Præfecto juſſi eſſent, imagines, roſaria, reliquiaria, & cætera ejuſdem ordinis ſtatim ad ſe adferre; vna omnes mente voceque decreviſſe dicit nunquam ſe propria fidelium *ARMA* homini idololatræ tradituros; Inſtante ac vrgente Præfecto negaſſe confidentiſſimè *ſe quicquam habere*; nimirum *quod ei ad fidei ſuæ contemptum dederent*; hoc enim iſtos apud ſe ex mirabili Ieſuiticæ æquivocationis diſciplina tacitos ita excepiſſe, nos idem auctor monuit, vt ſciremus quantos brevi etiam apud barbaros veteratoria Loyolæ diſciplina progreſſus faciat. Martyrem Iaponem cui Xiquiba nomen fuit, cum ſe ad illud certamen pararet, nocte quę ejus paſſionem præceſſit, Divæ Virginis iconem vnam ex compluribus imaginibus quas in aula habebat, delegiſſe ferunt, & ex ſuo cingulo ſuſpendiſſe, negantem *ARMA ad hoſtem propulſandum his meliora, vlla ſe habere poſſe*. Tum injecto in collum roſario, ad familiarem ſuum Remonem proceſſiſſe, & hominem amiciſſimum rogaſſe, *Quid me* (inquit) *putas novo hoc armorum genere inſtructum moliri? Fert nimirum animus cum fidei hoſtibus congredi, ac præliari.* Chriſtophorus Borrus ejuſdem Sectæ hiſtoricus narrat domum apud Cocincinenſes fuiſſe ſpectris infamem quam dæmon inſidere, & illic ſe horrenda ſpecie gallinaceis vnguibus, immani cauda, oculis ardentibus, ac ſcintillantibus oſtentare, & accedentes territare à barbaris credebatur: Ieſuitas in ædes impavidos intraſſe, & hoſtem formidabilem oppugnaſſe, *crucibus, reliquiis, & Agnis Dei armatos*. Cætera, quæ multa ſunt, parco recitare. Hoc ſpecimen ſatis eſt, vt intelligas quæ Latinorum ſit de ſuis imaginibus, crucibus, ac reliquiariis ſententia atque oratio. Nunc vetuſtiſſimorum ex altera parte hiſtorias, annaleſque ſpectemus. Pervelim mihi Latinos iſtic aliquem ſui generis militem oſtendere, hæc ipſorum arma poſcentem, his ſe inſtruentem, his rem adverſum Chriſti hoſtes gerentem, vel horum quæ recitavimus, gemina de his loquentem oſtendi. Illi vero nunquam facient. Nullum enim noſtrorum in omni illa prima antiquitate

Ibid.l.3.c.10. p.281.
Ann.Iap.an. 1614. p. 260.
Sol.Iap.l.16. c.11 p.449.
Ann. Iap. a. 1610. p.43. 44.
Ann.Iap.an. 1625. p. 51. 52.
Ann. Iap. a 1628. p.28.
Borr.Relat. de Cocinc. Part.II. c 9. p.212 213.

reperire eſt, qui de his verbum vnum dicat. Ergo-ne, inquis, nulla illi fœliciſſimi primorum ſæculorum Chriſtiani bella ſacra geſſerunt? Geſſiſſe, & quidem Iaponicis & Sinicis haud quaquam mitiora vel ex iis quæ ſupra attigimus, apparet. Quid ergo eſt? An inermes adverſus hoſtem tam terribilem conſtiterunt? Plane inquam, Nudi pugnarunt, & abſque *armis ſpiritualibus*; ſi, quod Latinorum jecur ſapit, *reliquiaria, cruces, imagines* (ne quid de roſariis, nummiſmatis & granis benedictis, & Agnis Dei dicam) *ſpiritualia arma* ſunt, ſi ſunt, quod iidem dicunt, *ſacræ diſciplinæ ac religionis Chriſtianæ arma*, ſi ſunt quod ex iiſdem quoque recitavimus, *propria fidelium arma.* Imo ne illud quidem ſatis intelligo, quomodo illi vetuſtiſſimi confeſſores ac martyres liquido *Chriſtiani* dici cenſerique ex recentium quidem magiſtrorum dictatis poſſint. Si ſunt enim hæ iſtorum *reliquiæ, cruces, imagines, coronæ*, & cæteræ res ejuſdem generis *fidei Chriſtianæ Symbola*, ſi ſunt *ſacra ſanctiſſimæ religionis inſignia, teſſeræque ac notæ*, quod iſti non obſcurè, ſed clarè perſpicueque ſtatuunt; qui caruiſſe certò deprehenduntur veteres illi confeſſores ac martyres, profecto Chriſtianorum nomen vix, ac ne vix quidem tueri ac retinere poſſe videntur. Quis enim *Chriſti milites* dixerit, qui Chriſtianæ militiæ neque arma norunt, neque inſignia, ac ſymbola gerunt? En quò iſtos cogat imaginum mutarum, & crucium informium, & reliquiarum frigidarum zelus? Vt hæc arma ſint Iaponum & Sinarum neophytorum, confitendum erit fortiſſimos ac ſanctiſſimos Chriſtianarum expeditionum duces, qui totam hanc Domini diſciplinam ſuo olim cruore, ſuis vulneribus, cruciatibus, ac mortibus conſignarunt atque propagarunt, *inermes* fuiſſe, ne ſuæ quidem militiæ ſymbola ac teſſeras geſſiſſe. Si ſua Latini retinent, non aliter hanc à prima illa antiquitate labem eluent, niſi & ei cognitas, cultas, geſtataſque fuiſſe ſuas imagines, reliquias, cruces, coronaſque demonſtraverint. Ac illi quidem quod ſciam, hoc ne tentarunt quidem hactenus. Nos verò Chriſtianæ antiquitatis *armamentarium* ſcrutemur, ſicubi iſtic, vel in remoto aliquo angulo latens aliquid Latinæ illius apud Iapones & Sinas familiaris armaturæ deprehendi poſſit. Nam & ſua quædam *arma* veteres illi habuiſſe noſcuntur, quibus & ſe ipſi, & alios ſuæ curæ à ſummo Imperatore traditos tirones muniunt. Audi Paulum antiquiſſimum & illuſtriſſimum hujus militiæ veteranum, ſuos ad Domini prælia inſtruentem, atque armantem; *Induite vos* (inquit) *armaturam Dei, vt poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli.* πανοπλίαν dicit, quæ etiam aliquid amplius ſignificat, quam quod noſter reddidit, *vniverſam* nimirum *armaturam* ſignificat, cui nihil eorum armorum deſit, quæ nobis ad hoc bellum neceſſaria ſunt. Theodoretus in hunc locum παντευχίαν eodem ſenſu dicit, & quidem τὴν βασιλικὴν regiam. Statim verò Apoſtolus ſuam illam *panopliam* totam nobis ſigillatim explicat; *ſtate ergo* (inquit) *ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſtitiæ,*

CAPVT XXIII.

Eph. 6. 11.

Eph. 6. 14. 15. 16. 17.

CAPVT XXIII.

ſtitiæ, & calceati pedes, in præparatione Evangelij pacis; in omnibus ſumentes ſcutum fidei, & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, per omnẽ orationẽ & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu. Hæc Paulus: qui quo ſe loco *panopliam, univerſam Dei armaturam* traditurum præ ſe fert, vt in eo aliquid eorum armorum omiſerit, quæ ipſe ad ſacrum hoc bellum neceſſaria noſſet; nemo qui virum norit, facile vt opinor, ſibi perſuaſerit. Et ille tamen Paulus eo ipſo in loco, quo panopliam noſtram, & quidem copiosè atque magnificè explicat, nullas *imagines,* nullas ex auro, vel ex ligno *cruces,* nullas *reliquias,* nulla *roſaria*, nihil cæterorum vel nominat, vel innuit, quæ ſapientiſſimi nunc Ieſuitæ *arma ſpiritualia, & propria fidelium arma* vocant, ne illas quidem D. Viginis imagines memorat, quibus meliora ſe nulla contra hoſtem arma ſcire, Ieſuitarum diſcipulus dicebat. Ne dubitemus Paulo nihil fuiſſe iſtorum cognitum; quæ ſi noſſet & probaſſet, omittere hoc quidem loco abſque flagitio non potuiſſet. Ne & illud dicam, ita eum nos totos, latera, pectus, pedes, caput, corpus vniverſum tegere & manum etiam armare occupaſſe, vt nullum armis Latinorum novitiis locum reliquerit, noſque ea lorica, ea galea, iis calciamentis, eo denique gladio muniviſſe, vt iſtam Ieſuitarum recentem, non profectò de cœlo allatam armaturam, nemo, qui Paulina panoplia indutus fuerit, ſit deſideraturus. Securis Chriſtianæ militiæ magiſtris tradita à Paulo panoplia ſatis fuit; neque toto decem illorum (vt ſic dicam) *bellorum,* quæ tribus primis ſæculis & quarti initio à noſtris fortius, an fœlicius geſta fuerint, incertum, quiſquam occurrit, qui illa Latinorũ arma his Paulinis addiderit. Eruditiſſimus quidem Alexandrinæ Eccleſiç presbyter Clemens, poſtquam totum hunc Apoſtoli locum recitavit. *Ita nos (inquit) Paulus ad aciem pacificè inſtruit. Hæc ſunt arma noſtra invulnerabilia. His armati in aciem adverſus malignum procedamus; ignita ejus jacula aqueis à Verbo intinctis cuſpidibus exſtinguamus, beneficia gratis benedictionibus remunerantes.* οὕτως ἡμᾶς ὁ ἀπόστολος εἰρηνικῶς ἐκτάττει. ταῦτ' ἡμῶν τὰ ὅπλα τὰ ἄτρωτα. τούτοις ἐξοπλισάμενοι παραταξώμεθα τῷ πονηρῷ. τὰ πεπυρακτωμένα τοῦ πονηροῦ ἀποσβέσωμεν βέλη ταῖς ὑδατίναις ἀκμαῖς ταῖς ὑπὸ τοῦ λόγου βεβαμμέναις, ἀχαρίστοις ἀμειβόμενοι τὰς εὐποιΐας εὐλογίαις. Facit & alio in loco divinæ hujus panopliæ mentionem in ſtromate&n opere, Sed neque hîc, neque illic traditis à Paulo armis vlla reliquiaria, vllas imagines, vel cruces adiicit. Cypriani, eximij Epiſcopi & Martyris, extat de exhortatione martyrij luculentus ad Fortunatum liber in quo ipſe præfatur, incumbente jam perſecutionum & preſſurarum pondere, ad præparandas & corroborandas fratrum mentes iis ſe *pugnaturis quaſi arma ac monimenta quædam de præceptis Dominicis promptiurum.* Hæc pollicentem ſi Ieſuiticæ quidem diſciplinæ cultor erat, decebat in hoc libro *imaginum, & crucium, & reliquiarum,* quibus ſe Latini *meliora* ad hoc prælium *arma* reperire negant, inprimis vtilitatem

Clem. Alex. Protrept. p. 72.D.

Id. Strom. l. 2. p. 407.C.

Cypr ad Fortun. de exhort. Martyr. inimp p. 2. a.

tatem ac neceſſitatem commendare, fratreſque hortari vt hæc, & alia ejuſdem cenſus arma adverſus incumbentes Diaboli acies diligenter geſtarent, atque induerent, iiſque ſe contra omnes dæmonum inſultus munirent. An ergo ita hęc tractat Cyprianus? Ille vero de his *fidelium* (ſi Ieſuitis credimus) *propriis armis*, nihil dicit; Evolve librum totum, ſi vel vnum verbum de iſtis fecerit. Quanquam librum, vt hoc ſcias, evolvere nihil neceſſe eſt. Ipſa nos paucula illa, quæ deſcripſimus, ſatis docent nihil ab iſto de reliquiis, aut imaginibus, crucibus-ve nunc eſſe expectandum; qui ſcilicet profitetur ſe *arma*, quæ fratribus miniſtraturus eſt, ea ex *præceptis Dominicis* eſſe *promptturum*; id eſt cœleſti Scripturarum armamentario, è quo difficile, ni fallor, fuerit imaginum, & crucium, & reliquiarum cultum, vſumque religioſum, qui nunc apud Latinos obtinet educere, quod ipſum quoque paulò poſt ſignificat, *Præcepta ipſa divina* (inquit) *velut arma pugnantibus ſuggerenda ſunt.* Vides hunc profecto non ignobilem Chriſti bellatorem, non roſaria, aut icunculas & brevi auro argentóve incluſos mortuorũ hominum pilos, vngues, cineres ſuis pugnaturis porrigere, ſed viva Dei viventis præcepta ſuggerere, quæ ſi qua decet fide, ea exceperimus, nos adverſus omnia Diaboli tela multo tutiores præſtabunt, quam omnes Latinorum cruces, imagines, reliquiæ. Idem alibi, vnaque alij non pauci Eccleſiæ Africanæ Epiſcopi lapſis pœnitentibus ideo reddi communionem volunt, *vt quos* (inquiunt) *excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis, & Corporis Chriſti muniamus; & cum ad hoc fiat Euchariſtia, vt poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra adverſarium volumus, munimento Dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quomodo docemus, aut provocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, ſi non eos prius ad bibendum in Eccleſia poculum Domini jure communicationis admittimus?* Hæc illi; in quibus hoc inprimis eſt obſervandum fruſtra eos lapſorum, niſi maturè ad communionem admittantur, periculum vrgere, quaſi *inermes & nudi relinquantur*, qui Dominicæ menſæ communione multantur; ſi ſtat quod Ieſuitæ nunc prędicant, contra hoſtem perſecutione nos oppugnantem bene eum inſtructum, armatumque eſſe, cui imago ex zona, & crux & reliquiarium ex collo pependerit. Tum illud quoque notandum; quod Dominicæ communio Cœnæ inter arma Chriſtiani militis à veteribus iſtis cenſetur, id merito, & ex diſciplina fieri, & ex Dominico præcepto deprompptum eſſe, quo clariſſimè juſſi ſumus hoc myſterium celebrare. *Imagines, & reliquias, geſtare*, falſo & ineruditè inter arma noſtra cenſeri, quibus nihil vnquam hujuſmodi à Domino præceptum eſt. Denique neque illud prætermittendum eſt, vt iis carebant veteres, quę nunc Latini inter primaria ſuorum contra perſecutionem arma cenſent;

CAPVT XXIII.

Ibid. p. 281.

Cypr. ep. 54. ad Cornel. p. 85. 86.

ita hos viciſſim ſuis ea ſuſtuliſſe, quę illi ſuorum eſſe *arma, protectionem, tutelam, munimentum,* profitentur. Nam vt Latinorum imagines & cruces, & reliquias nullas apud Veteres ad pugnam ſe accingentes, invenimus; ita neque apud vllos Latinos (niſi qui ipſi Euchariſtiam confecerint) Dominicum illud poculum, veterum athletarum arma, tutelam, ac munimentum, vſquam reperimus. Ac vt *inermes, nudique* ex Latinorum hypotheſi veteres, qui imaginibus, crucibuſque & reliquiis iis carebant, quibus hi militis Chriſtiani arma cenſent; ita & omnis Latinorum plebs, Dominico calice fraudata, *inermis & nuda*, ex Veterum judicio eſt, qui *inermes & nudos relinqui* ſtatuunt, *quibus militaturis ille Chriſti ſanguis denegatur*, quem nemo neſcit omnibus laïcis, ſacerdotibuſque non conficientibus à Latinis negari. Ita iſtis ſcilicet cum antiquitate ad amuſſim convenit, quam ad ravim clamitare ſolent. Sed eſt & alius Cypriani inſignis locus, in quo fideles ad perſecutionem fortiter ferendam hortatur, eoſque armis Evangelicis egregiè inſtruit; *Armemur* (inquit) *fratres dilectiſſimi, viribus totis, & paremur ad agonem mente incorrupta, fide integrâ, virtute devota.* Hęc ſunt ſcilicet Cypriano ad hoc bellum gerendum *arma* neceſſaria. *Ad aciem* (inquit) *quæ nobis indicitur, Dei caſtra procedant. Armentur integri, ne perdat integer quod nuper ſtetit. Armentur & lapſi, vt & lapſus recipiat quod amiſit. Integros honor, lapſos dolor ad prælium provocet. Armat nos & præparat Apoſtolus dicens; Non eſt nobis colluctatio adverſus, carnem & ſanguinem,* &c. *Propter quod induite TOTA arma Dei* (τὴν πανοπλίαν τοῦ θεοῦ) &c. *ſtetis accincti lumbos veſtros in veritate, induti loricam juſtitiæ;* & cętera Apoſtoli, cujus locum deſcribit integrum; & ſic pergit, *Hæc arma ſumamus; his nos tutamentis ſpiritalibus, & cœleſtibus muniamus, vt in die nequiſſimo reſiſtere Diaboli minis, & repugnare poſſimus. Induamus loricam juſtitiæ, vt contra inimici jacula munitum ſit pectus, & tutum: Calciati ſint Evangelico magiſterio, & armati pedes, vt cum ſerpens calcari à nobis & obteri cœperit, mordere & ſupplantare non poßit. Portemus fortiter ſcutum fidei, quo protegente quicquid jaculatur inimicus, poſſit extingui. Accipiamus quoque tegumentum capitis, galeam ſalutarem, vt muniantur aures, ne audiant edicta feralia; muniantur oculi, ne videant deteſtanda ſimulacra; muniatur frons, vt ſignum Dei incolume ſervetur; muniatur os, vt Dominum ſuum Chriſtum victrix lingua fateatur. Armemus & dexteram gladio ſpiritali, vt ſacrificia funeſta fortiter reſpuat, & Euchariſtiæ memor, quæ Domini corpus accipit, ipſum complectatur, poſtmodum Dominum ſumptura præmium cœleſtium coronarum.* Hęc ſunt arma quę Cyprianus pugnaturis fidelibus porrigit. Neque alia ab ipſo popoſcerant Moyſes & Maximus Eccleſię Romanę preſbyteri, & cęteri vnà cum iis vincti, quo propoſitum certamen implere poſſent. *Pete ergo* (inquiunt) *Cypriane cariſſime, vt nos gratia ſua Dominus*

Cypr. ep. 56. ad Thibarit. vlt. med. ep. p. 102. extr.

Moyſ. & Max. ep. ad Cypr. inter ep. Cypr. 26. p. 49. extr.

minus magis ac magis in dies ſingulos quoſque vberius ac propenſius & armet & *illuſtret*, tum. *porrigat, nobis A R M A D I V I N A, illa tela qua neſciunt vinci, loricam juſtitiæ, quæ nunquam ſolet rumpi, clypeum fidei, qui non poteſt perforari, & gladium ſpiritus, qui non conſuevit vulnerari.* Male factum, quod vtrique Apoſtolico canone contenti nullas *imagines*, nullas *cruces*, aut *reliquias* novo Latinorum more vel ille porrexit, vel hi flagitarunt. Sed nunc ipſos veteris illius memoriæ Chriſtianos ad agonem procedentes ſpectemus; & arma, quæ qualiaque gererent, ſigillatim enarrantem ejuſdem ſæculi Scriptorem audiamus. Turma eſt Alutinenſium in Africa martyrum, qui in domo Oceani Fœlicis Dominica Sacramenta præter Diocletianã adverſus noſtros legem celebrantes à coloniæ Magiſtratibus, atque ab ipſo Stationario milite apprehenſi ſunt XLVII. ſi bene numeravi vtriuſque ſexus, & cujuſvis ætatis mortales. Scriptor cum de Dativo, & Saturnino preſbytero, & quatuor ejus liberis, qui primi ibant, dixiſſet, ita pergit. *Hos agmen* (inquit) *Dominicum ſequebatur, in quo fulgebat cæleſtium ſplendor A R M O R V M, ſcutum fidei, lorica juſtitiæ, ſalvationis galea, & gladius bifrons, ſermo Dei, quorum præſidio fulti ſpem victoriæ fratribus promittebant.* Hæc erant beatiſſimorum Chriſti militum arma, quæ ex Paulino omnes armamentario prompta recognoſcimus, *Imagines*, & *cruces*, & *reliquias*, quæ in eorum armis fuiſſent, tam hic Scriptor hoc loco dixiſſet, quam ſolent eas Ieſuitæ dicere, quoties ſuorum Athletarum palmas exequuntur. Nullas, vt vides, memorat, nullas cæterorum Martyrum acta, quotquot intra A. D. trecenteſimum & decimum tertium paſſi ſunt. Ergo nullas in Chriſtianæ militiæ armis cenſitas fuiſſe, verum eſt. Atque huc illud quoque pertinet quod Euſebius hoſtem de vincendis vndequadraginta illis martyribus, qui ſunt vno die Maximiani Imperatoris mandato, capitis pœnâ multati, ideo deſperaſſe ſcribat, quod eſſent, non imaginibus & reliquiariis, *ſed attentiſſimus ad Deum contra ipſum precibus, armati*: ἅτε γοῦν αὐτὰ τὰ καθ' αὑτὸν διὰ τῆς πρὸς θεὸν εὐχῶν ὡπλιζομένοι. Iam vt noſtras bombardas nullo apud veteres Romanos in vſu fuiſſe certiſſimè inde colligimus, quod in priſcis hiſtoriis nullam vſpiam fieri earum mentionem animadvertimus, in bellis & præliis illorum ſæculorum, quæ literis ab auctoribus ejus memoriæ mandata ad nos vſque pervenerunt, ita profecto, quod hæc Latinorum recentiorum *ſpiritualia* (vt ipſi vocant) *arma*, nullo planè in veris antiquitatis Chriſtianæ monumentis loco cernuntur, vbicumque veterum fidelium agones, pugnæ & certamina deſcribuntur; ex eo, inquam, omnino concludendum eſt nullo hæc adhuc in vſu apud noſtros fuiſſe, ſed ſecutis poſtea temporibus paulatim inventa atque excogitata eſſe; *reliquias*, primo, tum *cruces*, ac denique, ſed longo pòſt intervallo, *imagines*, in lucem prodiiſſe. Atque hæc quidem conſecutio ita mihi clara, atque evidens videtur, vt qui res iſtas, imagines, inquam,

CAPVT XXIII.

Acta Mart. Alut. apud Bar. a D. 303. §. 37.

Euſeb. Hiſt. l. 8. c. 22. extr. fol. 99. B. edit. Gr.

quam, reliquias, & cruces, jam & ipſis Chriſtianiſmi primordiis apud Apoſtolos, & eorum ad A. D. 314. ſucceſſores cultas & vſitatas, & pro armis ſpiritualibus habitas contendunt, eos ego non minus mirer, ſi quidem ſunt in antiquitatis Chriſtianæ lectione & cognitione verſati, quam ſi quis vir Romanæ hiſtoriæ peritus, noſtros, vt vocant, *Scloperos, muſquetos, & Canones*, Scipionibus, & Mario, ac Syllæ, Pompeïoque, & Iulio Cæſari cognitiſſimos fuiſſe, & in ſuis bellis atque præliis adhibitos & vſurpatos defenderet.

CAPUT XXIV.

Argumentum XIX. idem ex eō confirmat, quod cum imagines, cruces, reliquias, & ſuſcipiant, qui Latinæ religioni ex Ethniciſmo initiantur, & deponant, qui ab ea ad Ethniciſmum deficiunt; neutrum apud vetuſtiſſimos Chriſtianos ſolenne, aut factitatum fuiſſe reperitur.

SED ex eo quod de imaginibus, crucibus & reliquiis proximè obſervavimus, aliud etiam pendet, quod ipſum quoque ſatis, vt opinor, arguit eas res non fuiſſe apud veteres Chriſtianos in vſu. Nam quod has Latini, vt demonſtravimus pro ſuæ religionis non tantum teſſeris & ſymbolis, ſed etiam armis & munimentis habent; inde factum eſt, vt eas & qui iſtorum ſacris initiantur, ſuſcipiant, & qui ab illis ad Ethniciſmum deficiunt, deponant & proiiciant. De iis, quos ſuo cultui per baptiſmum apud Sinas initiant, Trigautius vbi rem totam fuſe deſcribit; *Tandem* (inquit) *baptiſmo ritè expiati precarios globulos, IMAGUNCULAS ex ære penſiles, ſacræ ceræ particulas, velut ſpiritualis militiæ ARMA ſuſcipiunt.* Idem alibi, *Solent neophytis, quo die baptizantur, ſingulæ ſingulis imagines dari, & pro numero jam domeſticus theſaurus exhauſtus eſt.* Ita & apud Cocincinenſes ſe quoque inſtituere ſignificat Alexander Rhodius, dum narrat quibus *armati* ſui Catechetæ in prælium adverſus diabolum procedebant. CRUCES, aquam luſtralem, cereos, & ramos benedictos, & Virginis IMAGINES, ſe eas illis in baptiſmo dediſſe. Idem iſtos apud Iapones obſervare video. Nam & ſenem quendam à ſe ex ea gente baptizatum narrant ſua quidem idola tradidiſſe, IMAGINEM vero horum vice accepiſſe; & Ozacenum adoleſcentem à ſe itidem & tinctum & pulchra *imagine*, roſarioque & Agno-Dei (vt vocant) donatum eſſe. Sed & ex Ethniciſmo initiatis reliquias dari teſtis eſt Chriſtophorus Borrus, qui Vrſulæ Cocincinenſis cujuſdam Legati vxori & ejus puellis cum baptiſmum miniſtraſſet, & in ejus oratorio pro idolo pulcram Servatoris mundi imaginem poſuiſſet, hoc quoque addit illas & imaginem adoraſſe, & donatas à ſe cruces, numiſma-

Trigaut. Sinic. l. 4. c. 17. p. 446.
Ibid. l. 5. c. 4. p. 502.
Alex. Rhod. Itin. Part. II. c. 10. p. 97.
Relat. de 9. Mart. p. 80.
Sol. Iap. l. 18. c. 5. p. 599.
Borr. Relat. Cocin. Part. II. c. 5. p. 159.

miſmataque & Reliquiaria collo læras & alacres implicuiſſe. Caput XXIV.
Iarricus quoque tradit quendam in Africa neſcio cujus Philippi Regis fratrem, cum à Ieſuita ſacerdote baptizaretur, ab eodem accepiſſe roſarium, reſiquiarium, & devotam Imaginem, vt ante eam ſcilicet Deo orationes ſuas funderet. De crucibus, quas ſe Borrus neophytis ſuis dediſſe dicit, id quoque ex diſciplina factum ex aliis diſcimus. Nam Froes tradit ſingulis apud Iapones à baptiſmo, crucis ſigillum è collo geſtandum; item roſarium precandi cauſa datum fuiſſe. Sed & in Indiis cis Gangem id ipſum ſervari, inde liquet, quod Iarricus Ieſuitam in illis locis refert baptizato infanti trimo crucem ex collo ſuſpendiſſe. Ille, fateor, quo loco ſolennem Indorum apud Goam competentium baptiſmum fuſe deſcribit, non meminit hujus crucium munuſculi. Sed cruces tamen in illa pompa non ſemel memorat, quæ & *doctrina* (vt vocant) *Chriſtianæ* pueris & ipſi Societatis Patribus ad illam ceremoniam procedentibus præferuntur. Huc quoque pertinet, quod apud Almeidam legimus, præter iſta quæ diximus, fuiſſe Iaponum neophytorum morem, ſuſceptam Latinam religionem cruce in charta depicta & in ædium foribus collocata, profiteri. Atque hæc quidem recentes Latini; de quibus omnibus altiſſimum apud primos Chriſtianiſmi Scriptores vbique ſilentium, iis ipſis etiam locis, in quibus baptiſmi, vel adminiſtrandi ordinem, vel certis quibuſdam hominibus adminiſtrati hiſtoriam tradunt. Princeps hujus generis eſt Lucas, qui converſorum à Iudaïſmo, & ab Ethniciſmo mortalium initiationes aliquot exhibet; vt Iudæorum, quos à Petro tinctos ad tria millia, & Samaritanorum poſtea, quos à Philippo, & Eunuchi Æthiopis, quem ab eodem, & Pauli, quem ab Anania, & Cornelij Centurionis, quem à Petro, vna cum tota familia, & Lydiæ purpurariꝫ Thyatirenꝫ, & Philippenſis commentarienſis, & Criſpi archiſynagogi Corinthij, quos à Paulo cum eorum domeſticis baptizatos memorat. Rogo, cur nullꝫ à Petro, nullꝫ à Paulo, nullꝫ à Philippo ſuis illis ſive Iudꝫis, ſive Gentilibus neophytis datꝫ vel imagines, vel cruces, vel reliquiꝫ dicuntur in omnibus iſtis locis? Eſto; Iudꝫos nondum ſatis ab illo ſuo ingenito in ſimulacra odio purgatos veriti fuerint Apoſtoli in iſtis initiis hac quadam idololatriꝫ ſimilitudine offendere; cur Cornelio Petrus, cur Paulus Philippenſis carceris cuſtodi, domo Ethnicis, familiaria, adeoque grata munuſcula inviderunt? Lydiæ vero, cujus ſexum in imagines propenſiorē eſſe notum eſt, nihil eorum donare Paulum, quæ ſe Borrus Vrſulæ ſuæ Cocincinenſi dediſſe refert; quis non miretur? Et ſexus, & prior mulieris religio id flagitabant. Neque quiſquam puto Ieſuitas ſolos ſapere; Paulum vt tironem, multa neſciiſſe dixerit. Denique cum omnia circumſpexeris, reperies ſi hæc revera fuit Apoſtolicæ, quæ nunc eſt Latinæ Eccleſiæ diſciplina, nullas Ieſuitis cauſas fuiſſe, cur vel Gentibus neophytis cruces, imagines, & reliquias potius darent, quam Apoſtoli,

Iarr. Indi. l. 5. c. 50. p. 43?.

Epiſt. Iap. l. 4. p. 209. B.

Iarr. Indic. l. 6. c 17. p. 708.

Id. ibid. l. 2. c. 2.

Epiſt. Iap. l. 4. p. 213.

Act. 2. 41. & 8. 12. 13. 38. & 9. 18. & 10. 47. 48. & 16. 15. 33. & 18. 8.

CAPVT XXIV.

vel cur donatas potius memorarent, quam Lucas. Quod ergo Lucas nullas cuiquam ſuorum initiatorum ab Apoſtolis datas refert; eo revera nullas datas fuiſſe docemur; quod vero nullæ iſtis ab Apoſtolis datæ ſint, inde diſcimus nullo apud eos in vſu fuiſſe iſtam elegantiſſimorum Ieſuitarum apud Iapones & Sinas ſuos fixam regulam, vt baptiſmo rite expiati precarios globulos, imagunculas ex ære penſiles, reliquias, & alia velut ſpiritualis militiæ arma ſuſcipiant. Sed neque Iuſtinus hujus legis meminit, quo loco totum initiationis Chriſtianæ ordinem accuratiſſime exponit, quæ qualiſque ſuo tempore erat, id eſt altero jam adulto Chriſtianiſmi ſæculo. Tradit qui de doctrinę Chriſtianę veritate eſſent perſuaſi, ac vivere ſe ita poſſe recepiſſent, eos in primis orare jejunantes, & petere à Deo priorum peccatorum remiſſionem juberi, cæteris fidelibus vnà orantibus & jejunantibus; Tùm eo adduci, vbi ſit aqua, ac ibi denique in nomine Dei cunctarum rerum Patris, & Domini Dei, & Servatoris noſtri Ieſu Chriſti, & Spiritus Sancti in aqua lavari. Hanc omnino ſolennis in Chriſtianiſmo initiationis formam exhibet Iuſtinus. Ita baptizatis traditas fuiſſe aliquas reliquias, cruces aut imagines (quę nunc apud Latinos in Ethnicorum competentium baptiſmo diſciplina eſt) non magis hîc memorat, quam in Actis Apoſtolorum Lucas. Recognitionum auctor, ipſo Origene vetuſtior, qui ſua ad ritus apud Chriſtianos ſuo tempore ſolennes effinxit, Clementem (quem ſe fuiſſe mentitur) à Petro planè ad hanc Iuſtini formam baptizari facit. *Me* (inquit) *ad vltimum jejunare juſſit, & poſt jejunium in fontibus, qui contigui habentur mari, perennis aqua mihi baptiſmum dedit.* Si Ieſuitarum fuiſſet ſymmyſtes, hic omnino addidiſſet ſibi, homini ſcilicet Romano, ex Ethniciſmo ad Chriſti fidem venienti, poſt baptiſmum datam fuiſſe aliquam à Petro pro idolis ſacram imaginem, aut crucem; neque reliquiarium ex collo geſtandum tacuiſſet. Ille vero vetus Scriptor, de his planè nihil dixit; neque hoc loco, vbi ſuum; neque ſequenti, vbi quorumdam aliorum baptiſmum tradit, *Petrus* (inquit) *eos, qui fidem Domini planè receperant, deducens ad fontes, quos mari contiguos ſupra diximus, baptizavit, & Euchariſtiam cum eis fregit.* Vides, vt communicatos poſt baptiſmum diſertè dicat? Cur non & crucibus, vel imaginibus donatos æque dicit? Quia (inquam) apud Eccleſiam illius temporis, ad cujus ritus ſua iſte effingit, ignotę erant res iſtę, quę nunc apud Latinos coluntur. Neque aliter poſtea vel Mattidiam, vel Fauſtinianũ, ficititios Clementis parentes, à Petro baptizatos narrat. De Mattidia; *Vos & ego* (inquit Petrus) *vobiſcum hodie jejunemus cum ipſa; & craſtino baptizabitur.* De Fauſtiniano itidem; *Petrus* (inquit) *indixit jejunium omni plebi, & veniente die Dominica, baptizavit eum.* De imagine aut cruce, aut reliquiario, Ieſuiticę Paganorum initiationis appendice, nihil dicit, quibus iſte baptiſmum, non ornari, vt nunc Latini putant, ſed pollui & dehoneſtari haud dubie ex ſui

Iuſtin. Apol. 2. p. 73. lin. 28.

Clem. Recog. l. 6. extr. fol. 54. C.

ibid.

Id. l. 7. extr. fol. 37. G.

ibid. l. 10. extr. fol. 56 I.

CAPUT XXIV.

ex ſui ſæculi motibus credidiſſet, ſi quem baptizatum his donari & inſtrui vidiſſet. Apud Tertullianum tertij ineuntis ſæculi Scriptorem, liber extat de Baptiſmo inſignis, in quo ille omnem totius myſterij ordinem, vt apud Eccleſiam ſuam, id eſt Africanam, ac ſi forte etiam Italicam, tunc temporis adminiſtrabatur, fuſè exponit. Formam autem ejus exhibet illa Apoſtolica & Iuſtiniana nonnihil auctiorem: Tantulo enim temporis, quod inter Iuſtinum, & hunc Afrum interceſſerat, ſpatio ſimplicitatis Apoſtolicæ, nonnulli noſtrorum jam vt videtur, pertæſi, aquæ, qua tingi eos qui initiabantur, traditum erat, *olei vnctionem* & *manus impoſitionem*, vtramque ex *priſtina*, id eſt Moſaïca, *diſciplina*, ipſo Tertulliano teſte, repetitam adjunxerant. Poſtquam de aqua pleniſſimè dixit; *Exinde* (inquit) *egreſſi de lavacro perungimur benedicta vnctione de priſtina diſciplina, qua vngi oleo de cornu in ſacerdotium ſolebant.* Mox peracto vnctionis ritu; *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans, & invitans Spiritum Sanctum,* idque ſtatim docet ipſum *quoque eſſe de veteri Sacramento, quo nepotes ſuos ex Ioſeph, Ephraïm & Manaſſem, Iacob capitibus impoſitis & intermutatis manibus benedixerit.* Neque de jejunio baptiſmum antecedente tacuit. *Ingreſſuros* (inquit) *baptiſmum orationibus crebris, jejuniis & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum confeſſione retro delictorum* Hæc Tertullianus, Qui in opere, quod totum baptiſmo impendit, *jejunia, geniculationes, pervigilia, confeſſionem, orationes*, quibus initiandus ad myſterium præparabatur, aquam qua tingebatur, oleum, quo tinctus vngebatur, manus impoſitionem, qua obumbrabatur, tam ſollicitè dixit; cur de illis Chriſtianæ ſcilicet militiæ armis, *crucibus, reliquiis, imagunculis*, quibus nunc ſuos de Ethniciſmo neophytos Ieſuitæ ſedulo accingunt, ac muniunt, nihil dicit? Nimirum aliæ erant Chriſtianiſmi Tertullianeis temporibus; aliæ nunc ſunt Latiniſmi leges. His *cruces*, & *reliquiæ*, & *imagines*, Latinis ſcilicet ſacræ ac religioſæ congruunt; Illis quod eſſent noſtris ignotæ, non congruebant; eoque & ab hoc & à cæteris ejuſdem ævi prætermiſſę ſunt. Memorat & alibi Tertullianus non ſemel, quem in hoc libro tacuit, alium quendam baptiſmi veterum ritum, vt ſcilicet baptizati mel & lac pręguſtarent, *Inde* (id eſt ex baptiſmo) *ſuſcepti lactis & mellis concordiam* (inquit) *prægustamus*, & alibi, *mellis & lactis ſocietate etiam ſuos Marcionem infantaſſe* teſtatur. Qui ne hanc quidem, tametſi & ipſam quoque, ęque ac vnctionem & impoſitionem manus, adjectitiam, & aliunde quam ab Apoſtolis profectam cærimoniam tacuit, cur Ieſuiticam neophytorum armaturam, ſiquam norat, conſtanter vbique tacuiſſet? Cyprianum prudens pręnereo, qui cum de baptiſmi ritibus, tinctione, vnctione, manus impoſitione plurima paſſim dicat, nihil vnquam ſcripſiſſe reperitur de novis iſtis *armis* neophyto tradendis; eum, inquam, mitto, quod illis ferè locis verba de initiatis iis faciat, qui non ex Ethnicis, ſed ex hęreticis ve-

Tertull. de Bapt. c. 7. p. 258 C.

ibid. c. 8. D.

Id. c. 20. p. 264. D.

Id. de Coron. c. 3. p. 121. D. &c.

l. 1. contr. Marc. c. 14. p. 440. A.

CAPVT XXIV.

nientes baptizarentur. Iam ſingulorum baptiſmos, ſicubi ſunt narrati, nihil afferre neceſſe eſt. Vnius exemplum extat, ſed paulò intra præſcriptum huic diſputationi tempus planè memorabile; Conſtantini Auguſti; quem in vitę ſupremis, id eſt A. D. 337. baptiſmum expetiviſſe narrat Euſebius, cùm ei exitus vitę in mentem veniſſet; humique procumbentem genubus, in ipſa Martyrum æde, errata ſua confeſſum, ſupplicem ſe Deo obtuliſſe, manuumque impoſitionem per precationem primo eſſe conſecutum: inde ad ſuburbana Nicomediæ vectum, Epiſcopos rogaſſe, vt ſibi quamprimum baptiſmum impertirentur; atque ita demum ab iis per ſacrum baptiſmum rite initiatum: & rejecta tum purpura candidiſſimo in lecto ſe reclinaviſſe; gratias precantem egiſſe; multa præclarè de ſua fide ac ſalute, deque animo ad mortem parato, locutum, tandem ipſa Pentecoſtes die circa meridiem in Domino obdormiviſſe. Datam Principis, vel baptizati, vel ægrotantis & morientis manibus crucem, aut imaginem, aut aliquam reliquiarum particulam, quas in vtroque illo Chriſtianæ vitę articulo dari à Latinis notum eſt, neque Euſebius, neque quiſquam alius, quod ſciam, prodidit. Hinc ergo concluſum eſto, ne quarti quidem ſeculi an. XXXVII. morem apud Chriſtianos fuiſſe imagines, aut cruces, aut reliquiaria geſtare. Idem quoque ex eo cernere eſt, quod qui ad Ethniciſmum à ſuſcepta fide deficiunt, ij nunc quidem apud Latinos cruces, & imagines deponere atque abiicere, eoque apoſtaſiam ſuam teſtari, atque confirmare perhibentur; olim apud veteres quicquam ſimile feciſſe non leguntur. De Latinis res ex ijs, quæ ſupra ex ipſorum Annalibus recitavimus, clara eſt. Nam & Iaponem quendam apoſtatam roſarium & imagines ijs ipſis à quibus acceperat, reddidiſſe audivimus, quo ſe eorum ſacris atque cultui renuntiare, rite clareque profiteretur, & Iudicem quendam Ethnicum homini, cui fidei Latinæ abnegationem, ſed invito & nonnihil reluctanti extorſerat, præcepiſſe, vt imaginem ſacram in terram proiiceret, ac pedibus calcaret, quo ſcilicet plenam ſuę negationis fidem faceret; & Paganum hominem amico Latini cultus ad horum placandum huic diſciplinę infeſtum ſuaſiſſe, vt eo pręſente ſacras aliquot imagines vnà cum ea corona, quam geſtabat, diſcerperet ac proculcaret. Hęc apud Latinos merito, & ex ſuę diſciplinę genio. Neque enim quis, quam profitebatur, ſectam clarius, aut liquidius ejerare, ac deſerere poteſt, quam ſi, quę retro apud illam religiosè coluerat, ea nunc contemnat, abiiciat & pedibus proculcet. Itaque ſi cruces geſtabiles, ſi reliquiæ, ſi imagines deniquæ ſacræ, quo nunc apud iſtos ſunt loco, eodem & apud veteres quoque fuiſſent; fieri profecto non poſſet, quin & in eorum quoque monumentis aliquid iſtorum quæ diximus ſimile occurreret. Eſſet iſtic aliquis apoſtata, qui Chriſtianiſmum vel redditis, vel abjectis ſuis imaginibus, crucibus, aut reliquiis, ejeraret; eſſet aliquis judex, aut magiſtratus,

Euſeb. de Vita Conſt. lib. 4. (Lat. c. 61. 62. 63. 64.) Gr. fol. 155. A. B.

Trig Mart. Iap. l. . . c. 23.

Ann. Iap. 1630. p 17

Ann. Iap. a 16.6 p. 314.

qui

qui Chriſtianos res iſtas proculcare juberet. Nunc vero clarum certumque eſt, in omni iſta de qua nunc diſputamus, antiquitate, nihil hujuſmodi reperiri. Plinius plura refert, ex quibus ſe egiſſe cum Chriſtianis narrat (neque dubitandum, quin & cæteri magiſtratus eodem modo cum iiſdem agerent) juſſiſſe, vt Deos ſe præeunte appellarent; & imagini Trajani, quam propter hoc juſſerat cum ſimulacris numinum afferri, thure ac vino ſupplicarent; præterea maledicerent Chriſto; *quorum* (inquit) *nihil cogi poſſe dicuntur, qui ſunt revera Chriſtiani.* Iſta certè in omnibus antiquorum martyrum actis paſſim occurrunt; in quibus Polycarpum *ſacrificare*, Herodes, & Nicetas primo, mox & Proconſul ipſe hortantur; hic etiam *vt Chriſto malediceret*, λοιδόρησον (inquit) τὸν χριστόν. Cætera vbique obvia referre, ſupervacaneum eſt. Sed & *inter tentamenta Chriſtianorum* fuiſſe ex Tertulliano diſcimus *botulos cruore diſtentos iis admovere*; quod res hujuſmodi guſtare illicitum penes illos eſſet, Apoſtolicum ſcilicet de idolothytis, & ſuffocatis, & ſanguine ad tempus interdictum adhuc tum ſervantes. Qui imagines, aut cruces, aut reliquias, vel abjecerit deſertor, vel proculcari à noſtris juſſerit judex, plane nullum in omnibus veterum monumentis deprehendes; quo, vt & cæteris, quæ ſuperius explicavimus, abunde confirmatur nullo tum apud Chriſtianos in vſu ſacro & religioſo fuiſſe iſtas nunc Latinis omnibus ſolennes, cruces, reliquias & imagines.

Plin. ep. l. 10. ep. 97.

Apud Euſeb. Hiſt. l. 4. c. 15. ſ. 38. A.

Tertull. Apolog. c. 9. p. 11. A

Act. 15. 29.

CAPUT XXV.

Argumentum X X. Idem ex eo demonſtratur, quod in perſecutionibus imagines, cruces, & reliquiæ apud Latinos quidem à perſecutoribus vetitæ, ereptæ, exciſæ, everſæve memorantur; apud vetuſtiſſimos vero Chriſtianos nunquam. Vicè verſa, in talibus locis, quæ apud hos ſæpe occurrunt Scripturæ divinæ, nunquam apud Latinos memorantur. Vnde patet quanta ſit vtrorumque in Religione differentia.

SED hoc ipſum etiam multo luculentius docebunt perſecutionũ, quæ & in hos, & in vetuſtiſſimos Chriſtianos, ab Ethnicis excitatæ ſunt, comparatæ inter ſe deſcriptiones. Vtriuſque enim memoriæ hiſtorias, atque relationes, quæ de hoc argumento extant, ſi accuratè expenderis, ac inter ſe contuleris, ita reperies, cruces, reliquias, imagines apud Latinos quidem paſſim, ac fere vbique, apud veteres vero ad Annũ D. trecenteſimum Scriptores plane nuſquam in iſtis locis memoratas occurrere. Hoc vero tantum vtrorumque auctorum in rebus vnius ejuſdemque generis, atque ordinis narrandis

CAPVT XXV.

diſcrimen quiſquis non ſponte cæcurit, facilè intelliget, non aliunde proficiſci potuiſſe, quam quod iſta, quæ Latini nunc cultus ac nominis præcipua ſymbola atque inſignia ſunt, apud primos Christianos ignota, atque inuſitata fuerint. Quod vt clarè ac liquidò poſſit perſpici, in primis ante oculos ponenda ſint vtrorumque Scriptorum de ſuorum perſecutionibus loca, ex quibus eorum, quæ hac de re affirmavimus, veritas apertiſſimè eluceſcet.

Apud Latinos ergo, vt hinc ordiamur, quoties Ethnicorum in ſuam religionem perſecutiones narrant, in ipſis ſtatim Principum atque magiſtratuum in ſe & fidem ſuam edictis ac decretis occurrit earum imaginum, & reliquiarum, & crucium mentio, quæ ab ipſis coluntur. Quabacondoni Iaponum monarchæ, edictum A. D. 1587. promulgatum hoc referunt, vt Ieſuitæ intra dies viginti de Iaponiæ finibus, omnes exeant, vtque ſingulis eorum ſegem ſecutis *corona & reliquiaria* eripiantur, quæ illis ſolenne eſt collo geſtare, vtque eorum Eccleſiæ, ac *CRVCES* ſolo æquentur; Veniſſe mox in Ximi Quabacondoni miniſtros cum mandatis, vt Eccleſias, ac CRVCES everterent, & vnà cum CRVCIBVS incenſas atque inflammatas fuiſſe Eccleſias quinque, A. D. 1589. Ludovici, Gottenſis regni hæredis, tutor Ieſuitis infeſtus apud eoſdem Iapones Latinæ religionis excidium moliens, præcipit *cruces* dirui; & A. 1597. e eorumdem Annalibus, Facatæ in iiſdem inſulis Præfectus edicit Christianis, vt fidem deſerant, & baptiſmo renuncient, ſuaque ad eum ſinguli roſaria, grana benedicta, IMAGINES deferant. A. D. 1604. cum Tarazaba Regulus, ſuæ ditionis Christianos perſequeretur, Eccleſiaſque Amacuzanas dirui juſſiſſet, vnum ex ejus magiſtratibus edixiſſe tradunt, nequis ROSARIVM, vel RELIQVIARIVM, vel aliud vllum Christianiſmi (vt iſti quidem loquuntur) inſigne geſtaret. A. 1622. iidem tradunt hominibus ſuis ſeveriſſima magiſtratus lege edictum fuiſſe, ne vllos Ieſuitarum libellos, vllaſve *imagines* domi haberent, neve RELIQVIARIA, aut AGNOS-DEI (vt vocant) geſtarent. Eadem quoque à Provinciarum Præſidibus decreta fuiſſe. A. D. 1629. & 1630. eſt apud eoſdem Annales; ne Ieſuitarum diſcipulis, & conterraneis liceret cruces de collo pendulas pro more geſtare, vel imagines, aut roſaria, & Agnos Dei, ſimileſve Latinæ fidei teſſeras habere. Hæc apud Iapones. In Sinenſibus perſecutionibus eadem occurrunt. Primus ſex ſummorum tribunalium Mandarinus in edicto, quo Ieſuitas & peregrinos exilio, indigenas diſcipulos carcere plectit, jubet eorum libros, IMAGINES, & alia ejuſdem generis in Regis theſaurum inferri. A. D. 1618. Xin gravis Ieſuitarum adverſarius, eos Nanquino, alterâ Sinarum metropoli, eiicit; ædem quam illic habebant, & incolebant, fiſco addicit, & quinque Mandarinis præcipit, vt iſtorum IMAGINES, libros, & inſtrumenta mathematica colligerent: mox vero dicitur ex congeſtis in vnum locum libris Europæis, IMAGINIBVS,

Luigi Froeſ. lettera Annal. a. 1590. p. 62. 63. 80.

ibid. p. 80.

Sol. l. 19. c. 16. §. 163.

ibid. l. 12. c. 1. §. 1.

Sol. Iap. l. 15. c. 3. §. 20.

ibid. l. 19. c. 14. §. 104.

Annal. Iap. a. 1629. 1630. p. 117.

Semedo, part. 2. c. 11 p. 338.

Annal. Sin. 1617. 1618. p. 227.

ibid. p. 138.

BVS, RELIQVIIS, roſariis, CRVCIBVS, & rebus aliis ejuſdem generis ſacris, pyram, ſive cataſtam in publico extruxiſſe, ſubjectoque igne, incendiſſe, & in cineres redegiſſe. Sic etiam in Cocincina circa A. D. 1615. Apoſtolus gentis illius Alexander Ieſuita narrat Regem ſuis civibus, ac ſubditis edixiſſe ne IMAGINES, CRVCES, & roſaria geſtarent, quæ Latinorum diſcipulis ex collo ſuſpendere ſolenne eſt. Idem cum, ingruente apud eandem gentem perſecutione, ſacras ſuorum imagines magnâ curâ collectas in arcano quodam, ac tuto loco abdidiſſet, refert ſe à magiſtratu eas tradere juſſum parere conſtanter abnuiſſe. Iſta quidem edicunt qui Latini & Ieſuitici ritus homines perſequuntur. Itaque eorum ſatellites atque miniſtros, ſtatim vt perſecutio increpuit, nihil ferè antiquius habere videmus, quem vt huic rerum generi bellum acerrimum inferant; Si quæ cruces, imagines, reliquiæ in Eccleſiis, aut aliis locis ſacris extent, eas in primis evertant, ac demoliantur: & quæ in privatorum ædibus, & ſacellis latent, eas magna cura ac diligentia conquirant, ac de medio tollant. Narrat Balthazar Gagus inſignem CRVCEM Ficandi à Ieſuitis jampridem poſitam, à barbaris idololatris, A.D. 1559. præciſam fuiſſe; templum cum ara & IMAGINIBVS diſturbatum; omnes Latinis ſacris addictos mortales ex vrbe, & ſuburbanis exterminatos. Alij tradunt A. D. 1586. Saxumanum quendam, Iaponem quoque regulum, exſtructam à Leone, Ieſuitarum diſcipulo, ædem incendiſſe, & CRVCES diſieciſſe. A. D. 1614. cum in Iaponia bellum eſſet Ieſuitis indictum, milites in hominum Latino cultui addictorum domos irrupiſſe teſtatur Trigautius, reſque omnes ſacras, quas iſtic offendebant, expilaſſe, id eſt, vt alter ex eadem familia, illum ipſum caſum narrans diſertius explicat, *IMAGINES, CRVCES, roſaria & coronas.* Ita ſupra vbi Trigautius ſuorum Meacenſium direptionem narrans *ſacram eorum ſuppellectilem expilatam*, elegantius ſed obſcurius dicit, eam ille alter ejus ſocius ſimplicius, ſed clarius & apertius *IMAGINES, Agnos-Dei, & Roſaria,* fuiſſe dixerat. Idem quoque Trigautius cum eodem illo anno Ieſuitæ è Nangazacheno portu Cuboſamæ juſſu dimitterentur, ait Eccleſias ſacris IMAGINIBVS ſpoliatas acerbum piis ſpectaculum præbuiſſe. Apud eundem quoque legimus, perſecutores, cum in Leonis cujuſdam ædes invaſiſſent, nihil iſtic præter ſemilaceram quandam ex charta IMAGINEM reperiſſe, quod aliæ paulo ante à Leone ſubductæ ac in tuto collocatæ eſſent. Iiſdem quoque temporibus ab aliis Ethnicorum miniſtris tradunt Thomæ cujuſdam filium ſua corona, ſuoque Reliquiario ſpoliatum fuiſſe. A. verò 1622. miſerabiliter conqueruntur ſuorum domos Nangazachi, ipſa Natalis Dominici nocte invaſiſſe, curioſiſſimeque ſcrutatos eſſe Iaponios ſatellites, & IMAGINES, quaſcunque nacti ſunt, confregiſſe. Mitius alibi cum Sanxiro ſui ritus homine in provincia Xembocu actum narrant; quem ereptū ſibi

CAPVT XXV.

Alex. Rhod. Itiner. Orient. Part. II. c. 5. p. 78.

Ibid. c. 39. p. 229.

Iap. ep. l. 2. p. 145. B.

Sol. l. 8. c. 14. §. 134.

Trig. Marty. Iap. l. 3. c. 15. p. 307.

Ann. Iap. a. 1614. p. 31 3.

Trig. Marty. Iap. l. 3. c. 4. p. 245.

Ann. Iap. an. 1614. p. 167.

Trig. Mart. Iap. l. 3. c. 20. p. 347.

Trig. Mart. Iap. l. 4. c. 14. p. 555.

Ann. Iap. 1615. 1616. p. 58.

Id. ann. 16.

Sol. Iap. l. 19. c. 13. p. 704.

CAPVT XXV. ſibi à militibus RELIQVIARIVM à Iudice recepiſſe tradunt, ſed ea tamen lege vt ipſe exularet. Apud Sinas auctor eſt Trigantius Ethnicos coorta perſecutionis tempeſtate per neophytorum domos Chriſti ſervatoris IMAGINES conquiſiviſſe; duas treſve etiam laceraſſe ſacrilegè. Idemque paulò poſt refert, illos ipſos Sinenſium magiſtratuum apparitores, qui latam in Ieſuitas ſententiam ne imagines habere liceret, exequi juſſi erant, poſtulaſſe ab illis, Servatoris imaginem, ſibi ad eam venerandam tradi; adeo Ethnici etiam, quas perſequuntur, imagines amant. Ita quoq; Semedus memorat ibidem, ſed recentiori memoria, cùm in carcerem cõjecti eſſent Ieſuitæ, eorũ hoſtes in neophytorum ædes irrupiſſe, graviterque eas increpuiſſe ſiquam reperirent IMAGINEM. Idem mox Nanquinenſem perſecutionem quæ A.D. 1618. accidit, exſequens tradit magiſtratuum miniſtros cum neophytorum domos ſcrutarentur, apud vnum ex iſtis CRVCEM cum Servatoris IMAGINE inveniſſe, & ſi quem Chriſtianum eſſe olfacerent in ejus domum involaſſe, ac roſaria, CRVCES, IMAGINES, & libros diripuiſſe, aliaque (vt iſte loquitur) *pietatis inſignia, quæ ſolet homo Chriſtianus apud ſe habere, & veluti res cariſſimas ſervare.* Similia habet Camillus Conſtantius in eadem perſecutione deſcribenda; *Alij quiſe* (inquit) *juſtitiæ miniſtros ferebant, in Chriſtianorum ædes cum armis ingrediebantur, & abditiſſima quæque ſcrutantes ac odorantes IMAGINES, coronas, aquam luſtralem, catechiſmos, &c. conquirebant, & ſi quid hujuſmodi offenderent ſcripto annotabant, minantes ſe rem ad Mandarinos delaturos.* Pantaleo ex eodem Ieſuiticorum ſcriptorum ordine narrat A. D. 1620. Paganum hominem in mulierum Nanquinenſium neophytarum ædem impudenter irrupiſſe, cum omnia circumſpexiſſet, Servatoris IMAGINEM forte inventam rapuiſſe, & ad Iudicem detuliſſe: Iudicis eam fuiſſe æquitatem, vt imaginem repoſcenti mulierum præfectæ reddi ſtatim juſſerit. Eadem in perſecutionis ab Onghebo apud Cocincinam excitatę deſcriptione obſervare eſt apud Alexandrum Rhodium Ieſuitam. Onghebus ſuos in primis emiſſarios in Latini ritus homines ſummittit, qui præcipuorum domos luſtrent, & ſi quas IMAGINES, ſi quos CRVCIFIXOS, ſi quam aliam ſacræ ſuppellectilis partem nanciſcantur, ea omnia rapiant, atque efferant. Hi ex pulchetrimo quodam ſacello omnes IMAGINES detrahunt; & ex alterius cujuſdam ædibus belliſſimum CRVCIFIXI ex ebore ſimulacrum tollunt, & his *pietatis* (ſanè Latinæ) *ſpoliis onuſti* ad Onghebum redeunt, qui hac præda ſupra modum elatus IMAGINES & CRVCIFIXOS, & cætera omnia in ignem immiſit; Rubeho quodam Ieſuita ad infandum ſpectaculum nequicquam ingemiſcente, lacrymante, ſupplicante, comminante; omnia denique moliente, vt ſuas picturas ex impiis flammis eriperet; ac poſtremo ne res cariſſimas ardere videret, in ſuum quoddam Oratorium ſecedente, vbi homo devotiſſimi jecinoris, ſuam illam jactu-

ram

Ibidem c. 30. p. 775.
Trigant. in Sin. l. 5. c. 14. p. 574.
ibid. p. 578.
Semed. Part. II. c. 9. p. 320.
ibid. c. 11. p. 336.
ibid. p. 337.
Ann. Sin. a. 1617. 1618. p. 215.
Ann. Sin. a. 1620. p. 138. 140.
Alex. Rhod. Itin. Part. II. c. 16. p. 126. 127.

ram ac cladem, genibus nixus apud Deum multis querelis ac ſuſpiriis CAPVT
deflevit. Narrat idem alibi Scriptor in Cam Cocincinæ provinciam XXV.
immiſſos à Præſide ſatellites, omnia ſuorum, id eſt Latino ritui addi- *ibid. c. 32*
ctorum hominum eſſe ſcrutatos, ſacras omnes IMAGINES expilaſſe, *196.*
cum omnibus Eccleſiaſticis ornamentis; & paulò poſt, Onghebum
illum ſævum & infeſtum Latini cultus hoſtem memorat IMAGINES *ibid. c 34. p.*
omnes accuratiſſime ac ſæviſſime à ſuis militibus conquiri juſſiſſe: & *203.*
neophytos quo eas traderent quæſitiſſimis tormentis cruciandos cura-
viſſe. Idem in vltima operis nugaciſſimi parte fuſe ἐκτραγῳδεῖ, quæ
à Batavis, Chriſtiani quidem, ſed à Latino tamen diverſi cultus homi-
nibus paſſus Iaquetræ apud majorem Iavam Eoi maris inſulam fue- *ibid. Part III.*
rit. Vt in domo Luſitani mercatoris, præter civitatis vſum ac leges *c. 4. § 6.*
miſſificare deprehenſus & ἐπ' αὐτοφώρῳ captus, in vincula raptus fuerit.
Vt vnà quoque à Iudice comprehenſæ fuerint IMAGINES, & reli-
quus ſacer apparatus. Vt ipſe exilio multatus; IMAGINES ex Præto-
ris decreto in ignem miſſæ; quo loco nihil neceſſe eſt referre, quas
iſte fundit ampullas; non aliter ob conſumptas flammis aliquot de
papyro ſi forte, vel de linteo, aut ligno icunculas, æſtuans, indignans
ac exclamans, quam ſi ipſe de cœleſti ſolio Chriſtus à Batavo Præto-
re detractus eſſet. Iam neque iſti Latinorum Scriptores tacent, quan-
ta ſui cura, quantoque ſtudio, quoties perſecutionem ingruere vi-
dent, imagines, cruces & reliquias, ejuſdemque generis alia, mature
ſubducere & occultare ſoleant, vt à rebus ſanctiſſimis; ſibique ipſa
vitâ carioribus dedecus atque exitium amoliantur. Narrant in Am-
boino Indici maris Inſula, recens à Xaverio ad Latinos cultus con-
verſa, cujuſdam loci incolas à Iavanis Mahumedanis obſeſſos, cùm de
oppido conſervando deſperarent, in primis crucem quandam ante- *Du Iarric.*
quam ſe hoſti permitterent, defodiſſe, altaque humo condidiſſe, ne *Indic. l. 2. c.*
ea victoris ludibria & cõtumelias pateretur; & cum paulò poſt Mahu- *26. p. 648.*
medani eam deſiderarent, & vbi eſſet etiam per tormenta exquire-
rent, neminem repertum qui indicaret, adeoque omnes cives obfir-
maſſe ad fidem animos; vt ſexcenti mortales in mediis cruciatibus
enecari maluerint, quam crucem illam prodere. Trigautius ſuos,
cum Schiauquino apud Sinas A. D. 1589. pellerentur, Serva- *Trig. Sinic.*
toris IMAGINI inprimis caviſſe memorat, quam vni ex neophy- *l. 2. c. 14.*
tis ſuis tradiderunt, in ejus domo collocandam, vt ad eam ſacri cœtus
diebus à Riccio notatis fierent; & poſtea cum Nanciani perſecutio
pararetur, ſuaſiſſe ſuis diſcipulis Ieſuitas, vti IMAGINES occulta-
rent: neque enim eo negari religionem, ſatis eſſe quod coronas ſuas
publicè geſtarent: imo ne ad hoc quidem ſacris legibus adſtringi. Se-
medus addit fabellam non inelegantem; religioſiſſimam quandam *Ibid. l. 5. c. 14.*
mulierem (Nankinenſem fuiſſe ex altero Scriptore diſcimus) eo metu *p. 5-4.*
territam, vnam ex IMAGINIBVS in arca depoſitam occultaſſe. Mu- *Sem Par.*
lieri mox Chriſtum in ſomnis viſum, quærentem, vbinam imaginem *II. c. 9. p. 322.*

BB abdi-

CAPVT XXV.

abdidiſſet, poſtremoque eam juſſiſſe in priſtinum ac ſolennem, vnde detracta erat locum reponi. Hujus planè geminam fabellam habet Alfonſus Vagnonius, ipſe quoque Ieſuita, eo tantum diverſam quod mulier apud Semedum à Domino ipſo, apud hunc à Domina imaginem in locum ſuum reponere jubetur; qui & hoc præter Semedum docet illam imaginem Divæ Virginis fuiſſe. Neſcio an mulieris ſomnio crediderint Ieſuitæ. Anno quidem D. 1617. qui ex eorum ordine Nanquini degebant, cum eſſent à ſuis Pekino moniti de procella ex illa aula imminente, IMAGINES, omnemque illam Latini cultus ſacram ſupellectilem maturè côvaſatunt, & fido cuidam conſecraneo ſuo Sinæ tradiderunt, qui eam ab hoſtili manu intactam ſervaret. Apud Iapones in tractu Ximabarenſi hominem ſui ritus fuiſſe refert Trigautius, qui crucem à tyranno dejectam in ædes ſuas clam translatam hoſtis injuriæ ſubduxit. In eadem Iaponia Vreman quoque ſcribit, circa an. 1615 quendam Latini cultus zelotem crucem, quæ apud ſuos in magna ſanctitatis opinione erat, ex eo loco, in quo defixa extabat, in ſubterraneum tranſtuliſſe: ne ex Daïfu edicto vnà cum Eccleſiis, & aliis crucibus everteretur; Sed hominis cautionem fruſtra fuiſſe, Tyranni enim ſpeculatores & Corycæos, cum latebram eſſent ſubodorati, crucem inde detractam in ignem miſſam côſumpſiſſe. Fœlicius (vt videtur) Tacacuenſibus ritus Latini civibus res ſucceſſit, qui imagines ſuas aliò tranſtulerunt, cum Satellites viderent ex Præfectorum imperio omnes vrbis domos triduum totum continenter, noctu diuque ſcrutatos eſſe, ſi forte iſtic latentes vel monachos, vel coronas aut libros deprehenderent. Sed Latinorum in iſtis cuſtodiendis diligentiam illud quoque oſtendit quod ſcribit Ioannes Bonellus Ieſuita, quendam ex ſuis conſectaneis arculam in hominis Pagani hortulo adverſus incendij periculum depoſuiſſe: ex ea, cum neſcio quo caſu forte aperta eſſet, erumpens CRVCIFIXI, quem iſtic condiderat, brachium, viſum eſſe; quo indicio, cum arculæ dominum Chriſtianum eſſe patuiſſet, hominem confeſtim captum vinctumque fuiſſe. Denique & Alexander Rhodius ſcribit quendam Cocincinenſem neophytum, cui *Tè* nomen erat, cum ab Onghebo accenſam perſecutionem fervere videret, à ſuis conſecraneis popoſciſſe, vt quicquid ipſi domi haberent imaginum & rerum ſacrarum ſibi traderent, vt eas in tuto aliquo loco reconderet. Idem quoque memorat ſe ipſum eadem procella ſæviente omnes ſuorum IMAGINES maturè collegiſſe, & in locis quibuſdam repoſuiſſe, ne ab inimicis profanarentur, tantique eas æſtimaſſe, vt magiſtratui niſi eas traderet, pœnas denuncianti, præfractè quod ſupra diximus, pariturum ſe negaverit, profeſſus ſe quidvis pati paratum, priuſquam theſaurum illum proderet. Atque hunc ſuum pro imaginibus zelum tantum fuiſſe prædicat, vt cum Iacquetræ quod ſupra retulimus, Prætor ereptas ei imagines cremandas eſſe decreviſſet, ipſe dolore & indignatione ar-

& Annal. a 1617. p. 124. Vagnon. ep. dat. a. 1618. p. 280.

Ann. Sin. an. 1617. 1618. p. 183.

Trig. Mart Iap. l. 1. c. 17. p. 86.

Ann. Iap. an. 1615. 1616. p. 57.

Ann. Iap. an. 1626. p. 293.

Ann. Iap an. 1625. p. 23.

Alex. Rhod. Itin. Part. II. c 34. p. 204.

Idem ibid. Part. II. c 39. p. 229.

ibid. Part. III. c. 6.

neardens, exclamarit, obſecrans, vt ſe potius diſcerperent ac lace- CAPVT
rarent, vel etiam vivum comburerent, quam vt tantum ſacrilegium XXV.
admitterent. Neque hic ſolus fuit in ea ſententia. Commune hoc
eſſe videtur iſtorum dogma mortem Chriſtiano homini pro hujuſmo-
di rebus eſſe oppetendam. Itaque ſexcentos illos Amboinenſes mul-
tum commendant, quos in tormentis emori maluiſſe ſupra diximus,
quam locum vbi Crucem occultaverant, prodere. Et ipſe Alexander
tradit, vetulæ cuidam Cocincinenſi tantum fuiſſe animi, vt egregiam *Ibid.Part. K.*
quandam Servatoris imaginem poſcentibus tyranni militibus, con- *c.14.p.203.*
ſtanter reſponderit, ſe mortem prius perpeſſuram, quam id pietatis *ibid.p.204*
ſuæ pignus traditura. Addit cæteros neophytos diris tormentis
cruciatos fuiſſe ab hoſtibus vt imagines reddere compellerentur.
Trigautius conſimilem fuiſſe narrat Clementis cujuſdam apud Iapo- *Trig Mart.*
nes conſtantiam, qui cum à Paganis ſummopere vrgeretur, vt ſuæ *Iap.l.3.c. 8.p.*
curæ ac fidei creditam ſacelli neſcio cujus Figenenſis imaginem trade- *332.*
ret, cervices perſecutoribus vltro porrexit, ſibi imaginem vita potio-
rem eſſe profeſſus. Principem perſpecta viri fortitudine conceſſiſſe,
vt imaginem ſibi haberet, & in exilium, ad quod erat damnatus, ſecum
ferret. His addenda ſunt ea Latinorum loca, in quibus ſacram illam
ſuam, vt vocant ſuppellectilem teſtantur fuiſſe à perſecutoribus ap-
petitam. Vix enim iſti vllam ſuæ fidei perſecutionem deſcribunt, in
qua non faciant alicujus ex iſtis ſuis cultibus mentionem. Interdum,
ſed rariſſimè, gloriantur vel ipſos hoſtes nonnulla fuiſſe animi reli-
gione deterritos, ne ſacra ſua violarent: vt Facatæ, verbi gratia,
Tonum, id eſt, Præſidem, quem cum ſacram Ieſuitarum ædem ever- *Ann. Iap. an.*
teret, negant auſum eſſe quandam pictam tabulam, vel cætera quæ *1613.p.163.*
in æde erant ornamenta ſacra attingere; omniaque Nangazachum ad
eos illæſa miſiſſe. Sed alias ac fere vbique confitentur longe aliter à
perſecutoribus habitas ſuas & imagines & cruces & reliquias. Vt
primis expeditionis apud Iapones ſuæ annis narrant Bonzios, idolo- *Epiſt.Iap.l.4.*
rum apud eam gentem ſacerdotes, concitata adverſum Ieſuitas mul- *ep Almeid.p.*
titudine in eorum ædes irrupiſſe, & poſitam iſtic crucem effregiſſe, & *213.*
alias item cruces quos neophyti ſuis ſinguli foribus in charta depi-
ctas, publicum ſuſcepti Latini cultus ſymbolum, affixerant, eas om- *Sol.l.4. c. 14.*
nes diſcerpſiſſe, atque laceraſſe, A. D. 1563. Solerius illius anni perſe-
cutionem tradens inter cætera cruces quoque proſtratas memorat.
Idem in perſecutione quæ Arimæ Andrea Principe mortuo, A. D. 1576. *Id.l.6.c. 6. §.*
accidit, refert tum quoque à Paganis everſas ac exciſas cruces, quas *49.*
in iis locis neophyti ſui defixerant; quod à Franciſco Cabrali didicit, *Fr.Cabral.*
qui eo Rege mortuo tradit filium ejus ſucceſſorem & proceres exem- *ep.a. 1577.p.*
plo acerrimam perſecutionem moviſſe, juſſis paſſim truncari & exſcin- *40.*
di, quas ſui erexerant, crucibus. A. vero 1590, Firandi Regem infe-
ſto Quabacondoni in Ieſuitas edicto fretum cruces, quæ erant à La- *Sol. l. 9. c.*
tini cultus hominibus in Firandenſi cœmeterio more Latino fixæ, *26. §.247.*

CAPVT XXV.

everti ac diſiici juſſiſſe, apud eundem Solerium legimus. Trigautius vero magnam rerum converſionem A D. 1613. in Iaponia factam exſequens Michaëlem Arimæ Principem Latinæ fidei deſertorem, tradit cruces nonnullas, quas iter faciens offenderat everti juſſiſſe; & inter cætera quæ in ſuos A. D. 1615. vel inique vel crudeliter à perſecutoribus geſta recenſet, illud quoque diſerte memorandum putavit *Suſioyum* & cæteros ſui nominis hoſtes publice Nangazachi combuſſiſſe quæcumque ſuis Arimæ & alibi eripuerant, vel roſaria, vel SIGNA, ſive IMAGINES, vel Agnos-Dei, vel alia ejuſdem cenſus. In illa poſtremo perſecutione, qua nomen Latinum plane penituſque apud Iapones profligatum eſt Solerius tradit Xoguaum, ſummum totius gentis monarcham pulcherrimum Nangazachenorum cœmeterium quod ad A.D.1624. manſerat, exſcindi & CRVCES quæ iſtic plurimæ erant ad tumulos defixæ, & ſiquid aliud inerat ex materia operis, evelli & comburi juſſiſſe. Sic etiam Alexander Rhodius Cocincinæ Regem eo irritatum, quod Ieſuitæ plebem *crucifixos* pro patriis ac vernaculis Diis adorare inſtituerent, edixiſſe tradit, vt quidam magnæ apud illos Patres religionis, egregiique operis CRVCIFIXVS ipſe quidem crematur: Patres vero qui tales NVGAS vel ineptias, hæc Alexandri verba ſunt) adveherent, de ſui imperij finibus diſcederent. Atque hæc quidem Ethnici *univerſim*, vt ſic dicam, in omnes Latinorum cruces, imagines, aut reliquias, vel decreviſſe vel deſignaſſe leguntur. Sed neque illud omittendum eſt, quod iidem, quos martyras interfecerunt, eorum proprie ſi quæ res hujus generis deprehenſæ captæque eſſent, vnà cum illis ipſas quoque aboleviſſe traduntur. Vt A.D 1622. in illa Spinolæ Ieſuitæ & aliorum quinquaginta martyrum nobili paſſione factum videmus; qua peracta Annales produnt martyrum IMAGINES, ROSARIA, alia quæcumque erant iis viventibus à Satellitibus erepta omnia vnà cum ipſorum corporibus fuiſſe in alteram quandam ac prægrandem foſſam conjecta, terraque obruta. Prudens mitto quæ in bello ab hoſtibus & quidem religionis Latinæ adverſariis contra iſtorum cruces vel imagines vel reliquias geſta leguntur; vt quæ apud Iarricum occurrunt, Indos idololatras aliquando vndecim ſuorum pagos vnà cum Eccleſiis & crucibus incendiſſe, eoſdem, cum Colchetanam quandam Eccleſiam cremarent, crucem ligneam ingentem cremare non potuiſſe. Ariam Perumalem cruces, Eccleſias, & imagines Sanctorum in expeditione quadam ſua flammis abſumpſiſſe. Paganos Turococinenſem Ieſuitarum Eccleſiam fœde violaſſe, altaribus disjectis, confractis crucifixorum ſignis, omnibus denique direptis & expilatis; alia in parte Aracani Regem quendam Luſitanorum pagum depopulatum vaſa ſacra polluiſſe, & dejectum in terram crucifixi ſignum exſecranda impietate raptaſſe: Gallos prædones (ſic enim appellat Iarricus) capta Azevedi nave, magna cum injuria atque contumelia, imagines & reliquias, quas plurimas in ea invene-

Trig. Mart. Iap l.1.c.11. p.54.

Id.ibid. l.4.c.14.p.450.

Sol.l.10.c.15. p.835.

Alex. Rhod. Itin.Part. II. c.14 p.118.

Qui apportoient de telles Sorriſes.

Sol.l.19 c.14.p.[illegible] §.732.

Iarr. [illegible] 18 p.714. 717

ibid. [illegible]

ibid. c.34.p.872.

invenerunt, habuiſſe quæque his ſimilia in noviſſimis rerum Indica- CAPVT
rum relationibus traduntur Ethnicos Zeylani (quæ veterum Tapro- XXV.
bana fuit) incolas Luſitanorum in illa inſula Eccleſias exſcidiſſe, CRV- *Id.l.3.c.26.p.*
CES evertiſſe, & quod ab Antonio Gouveaneo de Armeniæ cladibus *104.*
in Abbaſſi Perſiæ Regis adverſus Turcos proditum eſt, pollutas ac vio- *Relat. Cardimi. Part.2.*
latas fuiſſe Eccleſias, fractaſque & incenſas imagines: hæc, inquam, *p.176.*
& cætera ejuſdem generis quæ in omnibus Latinorum hiſtoriis innu- *Gouvea. de*
merabilia obſervare licet, prudens mitto; quod iſta ad inſtitutum *reb. Abb.*
noſtrum plurimum quidem facerent, ſi qua olim fuiſſent vetuſtiſſi- *Part.3. c.1. p.*
morum Chriſtianorum cum externis aliquibus hoſtibus bella: nunc *348.*
vero nihil nobis ad hanc diſputationem conferunt, quod toto
illo trium priorum ſæculorum decurſu bella Chriſtiani nulla publice
contra communem & externum hoſtem geſſerint, quibuſcum hæc La-
tinorum recentia comparare poſſimus; ſed illatas tantum à Princi-
pibus ſuis vexationes ac perſecutiones paſſi ſint. Illa vero non omi-
ſerim quæ privati homines in Latinorum cruces & reliquias & ima-
gines, aliquando feciſſe dicuntur ad eos, vel à Chriſtianiſmo deter-
rendos, vel ad Ethniciſmum traducendos. Hæc enim tametſi vel
nulla vel certe non publica auctoritate geſta ſint, pertinent tamen
ad Latinæ religionis perſecutionem. Quale eſt quod narrat Solerius *Sol.l.16.§30.*
ad A.D. 1606. cum Iapo quidam Facata natus adoleſcens baptiſmum *c.4.p.402.*
inſcio ac invito Patre ſuſcepiſſet, Patrem re cognita inter cætera
quibus Filium à fide modis omnibus abducere conatus eſt ejus aliquot
IMAGINES laceraſſe. Eandem quoque artem adhibuiſſe Ethnicum
hominum Sinam legimus, vt Marium cujus erat avunculus à Ieſui- *Ann.Sin. an.*
tarum religione, quam recens erat amplexus avocaret; modo Serva- *1618.p.219.*
toris IMAGINEM, modo coronam, interdum etiam ſpirituales li-
bros nepoti auferendo, quod his illum in Ieſuitica diſciplina confir-
mari putaret. Sed & alius Sina in iſtorum Annalibus occurrit, qui *Ann Sin.an.*
cum filium quem Ieſuiticis ſacris nomen ſuum dediſſe indignabatur *1625.p.141.*
ad ſuperſtitionem Ethnicam revocare vellet, multas ejus IMAGINES
& Catechiſmum cremaviſſe dicitur. Quin & cives Meacenſes vici- *Ann.Iap an.*
num quendam ſuum, quem Latinos cultus profeſſum eſſe dolebant, *1619.p.102.*
eadem ratione de propoſito dimovere tentarunt IMAGINEM furtim
ei ſublegendo; quam ipſam tamen reddiderunt vbi virum in ſententia
perſtare intellexerunt. Illa vero quorumdam Ethnicorum Iaponum *Ann Iap an.*
mera protervia fuit, quos Ieſuitici Annales memorant, cum in ædes *1626.p.264.*
hominis Chriſtiani eſſent ingreſſi, vt explorarent numquid iſtic ali- *265.*
qui forte monachi præter Principis edicta laterent, IMAGINES quas
ibidem offenderunt, valde irreverenter habuiſſe: Etiam major eo-
rum fuit inſolentia, qui cum anum quandam in cubiculo precantem
ſubito oppreſſiſſent, plurimas IMAGINES, quibus affatim exornatum
erat conclave, de ſuis locis revulſas abjecerunt, vt eſt in iiſdem An-
nalibus. Quæ ſequuntur exempla, oſtendunt ne ipſis quidem Paga-

CAPVT XXV. nis ignotum eſſe imaginum honorem, Latinæ pietatis partem eſſe neceſſariam. Cum herus Ethnicus famulum domo ideo ejeciſſet quod is religionem ſequeretur quam à Ieſuitis didicerat, ferunt famulo
Ann. Iap. a. 1626. p. 314. amicum quidem, ſed Paganum hominem quo is heri gratiam ac benevolentiam recuperaret, hoc dediſſe conſilij, vt ſacras aliquas imagines vnà cum ea quam geſtabat corona hero præſente, diſcerperet, & pedibus proculcaret. Apud eoſdem auctores, cum quidam per in-
Ann. Iap. an. 1629. 1630. p. 176. firmitatem lapſus, Latinam quidem diſciplinam publice ejeraſſet, ſic tamen vt auditores de ſuo in Ethniciſmum animo ac ſinceritate dubitare cogeret, Tonus Iapo, hominis experiundi gratia, *En* (inquit) *imaginem ex earum numero, quas Latini tui adorant: Velim vt arreptam in terram proijcias, pedibuſque proculces, vt te bona fide iſtorum cultum negaſſe affirmes.* Fruſtra hæc ſuaſit amicus, fruſtra juſſit judex. Vterque & fidelis & lapſus conſilium eſt averſatus, ac veluti *grandem blaſphemiam* exſecratus. Idem quoque ex alio exemplo apparet.
Iarric. Indic. l. 2. c. 28. p. 649. Tolani (civitas eſt in nobiliſſima Indici maris inſula Gilolo) vt ſe Latinorum ſacris ac religioni bona fide renunriaſſe teſtarentur, Eccleſiam, quam habebant Romani ritus exſciderunt, CRVCES everterunt, IMAGINES pedibus conculcatas, partim igne abſumpſerunt, partim ferro conciderunt, *& pagoda* (id eſt idola) in eorum locum reſtituerunt. Sed quanti ſit Latinis crucis cultus, nihil clarius demonſtrat, quam exemplum quod extat apud Conſalvum Fernandum. He-
Epiſt. Ieſ. l. 3. Ep. Conſ. Fern. p. 152. A rus Ethnicus ancillæ ex Ieſuitica forma Chriſtianæ mortem intermi-natur, ſi ad crucem adorandam ſe in poſterum conferret. *Illa vero* (inquit Fernandus) *divino fulta præſidio nihil iccirco ab inſtituta crucis LATRIA deſiſtere, quo ad eam herus obviam in itinere factus occidit.* Quem cultum iſto majorem, aut digniorem finxeris, quem iſti & *latriam* vocant, quod nomen ſummum totius in res divinas religionis apicem apud eos ſonat, & abrumpi vel intermitti etiam vitandæ mortis cauſa nefas putant? Atque hæc quidem ita latini in ſuarum perſecutionum deſcriptione de imaginibus, crucibus, ac reliquiis tradunt, merito, & ex rerum ipſarum ingenio. Cum enim religioſus eorum cultus, quatenus quidem conſpicuus eſt, & foris extra animum ſe prodit, his præcipue contineatur, templis, inquam, fanis, imaginibus, reliquiariis, Agnis-Dei, coronis, roſariis, granis benedictis, & cæteris ejuſdem generis, quibus apud iſtos plena ſunt omnia; fieri profecto aliter non poteſt, quin iſta Latinæ religionis hoſtes quidem exſcindere, zelotæ vero defendere ac retinere, illæſaque & integra ſervare omnibus modis nitantur, veluti potiſſima ac cariſſima cultus in Deum ſui inſtrumenta, ſuique nominis ſymbola ac teſſeras. Quæ ergo acciderunt in Latinos perſecutiones, eæ vere ac plane deſcribi non poſſunt, niſi & bellum eorum imaginibus, reliquiis & crucibus indictum, illatumque memoraretur: qua in parte Scriptorum, quos nuper citavimus, optima ſane fides laudanda eſt, qui nihil fere in hoc genere

genere quod erat memorabile omiſerunt. Sed & ex alia parte dici quoque debuit Ieſuitarum & aliorum conſecraneorum in ſuis ſimulacris à perſecutorum furore defendendis diligentia, ac prudentia & animi magnitudo; ne tam egregia Latinæ pietatis exempla poſteri neſcirent. Vt Abdias cum Eliam de ſua pietate certiorem vellet facere, inprimis hoc apud eum commemoravit quod impia Iezabele in Domini ſervos furente ac ſæviente ipſe centum de eo numero prophetas ſervaſſet quos in ſpeluncis abſconderat, & toto regiæ perſecutionis tempore paverat: idque optimi viri factum, ipſe Dei ſpiritus in ſacris literis conſignari ac prædicari voluit; ita ſane & à Latinis auctoribus hoc ſuæ in Divos religionis ſpecimen celebrari debuit quo ſua ſacra à Gentilium furoribus & ſacrilegiis eripuerunt. Neque enim minoris eſt Divos quam homines ſervaſſe: & viros Latinorum religioſiſſimos nuper audiebamus papyraceas, vel linteas imagines ſua vita multo potiores cenſuiſſe. Ex quibus omnes, ni fallor, intelligunt ſi quæ nunc eſt Latinorum, eadem vetuſtiſſimorum Chriſtianorum in iſta religio quoque erat eadem apud hos in ſuarum perſecutionum narrationibus occurſura, quæ nuper ex Ieſuitis & aliis noviſſimis Scriptoribus recitavimus. Nunc ergo videamus quid veteres trium priorum ſæculorum Chriſtiani de ſuis ipſi perſecutionibus narrent, quas toto illo tempore graviſſimas paſſi ſunt. Ac primo quidem neminem ex omni perſecutorum qui noſtros vexarunt numero vel Regem, vel Proconſulem aut Præfectum in illius memoriæ monumentis reperire eſt, qui quod omnes Latinorum hoſtes faciunt, edixerit, vt Chriſtianorum cruces ſolo æquarentur, vel vt ij ſuas IMAGINES, ſuave roſaria, & reliquiaria deferrent ad magiſtratus, vel ne civibus cruces collo geſtare, reliquiaria & imagines habere liceret. Iudæi quantopere imagines ſemper averſari ſint jam ſupra diximus. Iidem omnes hominum mortuorum reliquias ſic ex lege abominantur, vt vel ſolo earum contactu homines & ſacra pollui exiſtiment. Hos itaque, cum apud ſe naſcentem Chriſti Eccleſiam inſectarentur & omnibus modis extinguere conarentur, edicere in primis decebat, ne ſui cives imagines, cruces & reliquias vel ſecum geſtarent, vel etiam domi haberent; noſtris vero ſeveriſſime interdicere, ne ſe ſuaque tangerent, præſertim vero ne ſuum illud templum, à cujus aditu omnes profanos & pollutos arcebant, vnquam ingrederentur. Atqui nihil eos hujuſmodi præcepiſſe ex Luca conſtat, qui narrat cum Petrus & Ioannes in ipſo templo capti vinctique, & poſtridie frequenti ſacerdotum & magiſtratuum, concilio interrogati eſſent, illis à Senatu denuntiatum eſſe *ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Ieſu:* & paucis poſt diebus, cum de Chriſto verba apud populum feciſſe iterum comperirentur, virgis cæſos eſſe; & eadem dicta lege dimiſſos, *ne omnino loquerentur in nomine Ieſu.* Neq; ex toto Actorum commentario apparet de Chriſtianorum crucibus, reliquiis, & imaginibus factum

CAPUT XXV.

1. Reg. (al. 3.) 18. 13.

Act. 4. 18.

Act. 5. 40.

CAPUT XXV. factum eſſe vllum à Iudæis decretum, vel aliud iis prohibitum fuiſſe, niſi hoc vnum, *ne nomen Ieſu invocarent*, aut in eo loquerentur. *Act.9.21.* Iam diffuſo in gentes Evangelio Romanos Chriſtianum nomen crudeliſſime inſectatos eſſe, multiſque legibus vetuiſſe conſtat, ne quiſquam id impune profiteretur. Nemo eos edixiſſe prodidit, ne quis imagines cruceſve, aut reliquias geſtaret, haberet, conſecraret. Anno D. circiter 103. cum Plinius Bithyniæ Præſes Trajanum Auguſtum docuiſſet magnā ſe in illa provincia Chriſtianorū reperiſſe multitudinem, non tantum in civitatibus, ſed etiam in vicis atque agris, vt jam prope deſolata Gentilium templa, & ſacra ſolennia diu intermiſſa eſſent, & victimarum rariſſimus emptor inveniretur; ſed ſpem tamen eſſe oſtenderet illam hominum *ſuperſtitionem* (ſic enim homo impius de diviniſſima Domini diſciplina loquitur) legitima aliqua animadverſione *ſiſti* & corrigi poſſe, quæreretque quid facto eſſet opus; *Plin. Epiſt. l. 10. ep. 97. 98.* Imperator reſpondit, *Chriſtianos non eſſe conquirendos: ſi vero deferantur & arguantur eſſe puniendos.* Nihil de prohibendis imaginibus, reliquiis, aut crucibus: quod tamen ad hanc cauſam ſingulariter pertinebat. Vt enim Chriſtianiſmi profeſſio *ſiſteretur*, nihil factu erat opportunius, quam iſta (quod nunc faciunt omnes Latinorum perſecutores) vetare. Trajanus prudentiſſimus juxta, & noſtrorum, vt ex edicto apparet, inimiciſſimus, non vetuit. Ne dubites noſtris hujus generis, quod vetaretur, nihil fuiſſe. Cæteras ſequentium temporum ſub Marco, & Severo, & Maximino, & Decio, & Gallieno & Aureliano Principibus perſecutiones ſigillatim memorare nihil neceſſe eſt. Satis eſt monere horum neminem, neminem eorum magiſtratuum, qui ipſis ſuberant legi quicquam in Chriſtianos, quæ acerrime atque crudeliſſime vexabant, eorum ſimile ſtatuiſſe, quæ à Quabacundono, Cuboſama, Xoguno, Xino, & aliis vel Iaponum vel Sinarum aut regibus aut præfectis de reliquiis, de imaginibus, & crucibus edicta adverſus Latinos fuiſſe ex ipſorum Annalibus ſupra didicimus.

Tantum ex illius memoriæ monumentis obſervo Valerianum Principem, cùm perſecutionem in noſtros moliretur, edixiſſe vt eorum præſides, epiſcopi & preſbyteri exiliis, & aliis pœnis multarentur; item ne ii ſacros de more conventus in cœmiteriis haberent. Res clara ex Cypriani Actis; *Paſſ. Cypr. edita à Rigalt. ex ms. Cod.* vbi Paternus Proconſul primo datas ad ſe ab Imperatoribus Valeriano & Gallieno litteras memorat, quibus præcipiebant Chriſtianos ad Ethniciſmum revocari; eoque in epiſcopos ac preſbyteros animadverti; Deinde Cyprianum, cum eum in fide conſtanter perſeverare videret, exulem ad vrbem Curubitanam proficiſci jubet. Tum hæc addit de iiſdem Imperatoribus; *Præceperunt etiam, ne in aliquibus locis conciliabula fiant, nec cœmiteria ingrediantur.* Omnia apud Dionyſium Alexandrinum eadem, vbi res ſecum & ſuis preſbyteris ab Æmyliano Ægypti Præfecto ſub eodem Principe, & circa eadem tempora Alexandriæ geſtas exſequitur. *Apud Euſeb. Hiſt. l. 7. c. 11. fol. 74. A.* Ille enim Diony-

Dionyſium vbi eum intellexit à Chriſtianiſmo deficere nolle, Cephro, CAPVT
verſus Libyam exulem ire jubet; tum edicit *ne ipſis vel aliis quibuſque* XXV.
poteſtas ſit celebrandi vſquam conventus, aut ea, quæ appellantur cœmeteria ingrediendi. οὐδαμῶς δὲ ἐξέσται οὔτε ὑμῖν οὔτε ἄλλοις τισὶν ἢ συνόδους ποιεῖσθαι, ἢ εἰς τὰ καλούμενα κοιμητήρια εἰσιέναι. Si quis aliter faxit, ei pœnam inevitabilem ſtatuit. Paulò pòſt vero cùm Gallienus capto à Perſis Valeriano Patre, mitiùs imperans perſecutionem remitteret, in edicto ad Epiſcopos quoſdam directo *poteſtatem iis facit illa loca recipiendi, quæ cœmeteria dicebantur,* τὰ τῶν καλουμένων κοιμητηρίων ἀπολαμβάνειν ἐπιτρέπων χωρία. quæ in altero ejuſdem edicti exemplari ad Dionyſium & collegas miſſo, vocat *loca religioſa*, τοὺς τόπους θρησκευσίμους. *ibid. c. 13. fol. 75. A.*

Sed & ante Valerianum ſolitos jam fuiſſe Paganos perſecutores ejuſmodi loca noſtris eripere, docent Ethnicæ plebis apud Tertullianum initio tertij ſæculi vota: *Sub Hilariano (inquit) Præſide de areis ſepulturarum noſtrarum adclamarunt Areæ non ſint.* Significat plebem furentem à Præſide, aut Proconſule petiiſſe, & obtinuiſſe, vt *ſepulturarum areæ* Chriſtianis eriperentur, ne in eas ſcilicet religionis ſuæ cauſa convenirent. *Tertull. ad Scap. c. 3. p. 86. C.* Has enim Afris dictas *areas*, cœmeteria fuiſſe, in quibus ſacri à Chriſtianis primis illis temporibus habebantur conventus, & hinc liquet, & ex Cypriani Actis, quæ eum tradunt *ſepultũ in Macrobij Candidi AREIS*, & ex Cirthenſi Concilio, vbi legimus, dum Sylvanus vitio ordinabatur, cives & populum interea incluſos fuiſſe in area martyrum. *Paſſ. Cypr. Acta Cirth. apud Baron. a. D. 303. §. 14.* Ergo vt ſacra Chriſtianorum ſocietas, & religio ſolveretur, petebat plebs Paganica, vt iis areæ ſive cœmeteria eriperentur, in quibus collectæ fiebant. Cur non Chriſtianorum vt cœmeteria tolli & poſcit plebs, & Proconſul ex Principis reſcripto decernit; ita & cruces quoque everti, & imagines frangi illi poſtulant, & hi jubent? ex perſecutorum Latini cultus more, qui, quod ex ſuperioribus exemplis patuit, nunquam Eccleſias dirui præcipiunt, quin & cruces reſcindi, & imagines profligari, & reliquiaria denique tolli jubeant? Nimirum quæ Latinis nunc religioſæ ſunt Cruces, reliquiæ & imagines, eæ veteribus Tertullianei, Cyprianei, & Dionyſiaci ſæculi Chriſtianis nullę fuerunt. Sed res temporibus paulò pòſt conſecutis, etiam clarior eſt. Cum enim re Chriſtiana pœne in immenſum aucta, & Dei benignitate, & Cæſarum indulgentia noſtri ex anguſtis illis cœmeteriorũ & aliis ſi forte locis egreſſi auſi eſſent προσευκτήρια baſilicas ad preces & ad alios religioſos cultus multo quã antea majores exſtruere, & quod ait Euſebius, *amplas Eccleſias in vniverſis vrbibus à fundamentis excitare*, εὐρείας εἰς πλάτος ἀνὰ πάσας τὰς πόλεις ἐκ θεμελίων ἀνίστων ἐκκλησίας; *Euſeb. Hiſt. l. 8. init.* tum Chriſti nomen deinceps perſecuti ſunt, non jam *cœmeteria*, & *areas*, ſed ipſas *baſilicas*, ſive Eccleſias noſtris eripi edixerunt. Vt Diocletianus Auguſtus ſub finem ſui imperij; quo viro nemo Principum Romanorum in noſtros immanius eſt bacchatus. Ejus edictum A. D. 302. initio decimæ, id eſt no-

CAPVT XXV.

viſſimæ ejuſdemque ſæviſſimæ perſecutionis publicatum, vel vnam hanc cauſam ita clarè liquidoque firmat, vt nihil de quo dubitemus reliquum faciat. Eo enim tyrannus diſertè quod refert Euſebius, mandabat, *vt Eccleſiæ quidem ſolo æquarentur, & Scripturæ igni abſumerentur: tum qui honorem fuiſſent adepti, de gradu turpiter deponerentur, tum privati, ſi modo in profeſſione Chriſtiana perſtarent, libertate penitus privarentur;* [Euſeb. hiſt. l. 8. c. 3. (Lat.) 2. (Græc.) fol. 84. B.] τὰς μὲν ἐκκλησίας εἰς ἔδαφος φέρειν, τὰς δὲ γραφὰς ἀφανεῖς πυρὶ γενέσθαι προστάττοντα· καὶ τοὺς μὲν τιμῆς ἐπειλημμένους ἀτίμους, τοὺς δὲ ἐν οἰκετείαις, εἰ ἐπιμένοιεν τῇ τοῦ Χριστιανισμοῦ προθέσει, ἐλευθερίας στερεῖσθαι προαγορεύοντα. Idem paulò pòſt aliis litteris juſſit Eccleſiarum omnes vbique præſides in vincula conjici, & ad ſacrificandum omnibus modis cogi. Vix aliud quicquam eſt in tota Chriſtianorum hiſtoria hoc Diocletianeo edicto certius atque illuſtrius; cujus præter Euſebium omnes ferè rerum noſtrarum Scriptores meminerunt; ac inprimis [Arnob. l. 4. contr. gent. p. 191.] Arnobius qui ipſis illis temporibus florebat, quibus hæc perſecutio in Chriſtianiſmum ſævijt; *Noſtra quidem* (inquit) *ſcripta, cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter conventicula dirui, in quibus ſummus oratur Deus, pax cunctis, & venia poſtulatur magiſtratibus, exercitibus, Regibus, familiaribus, inimicis?* Acta Martyrum Afrorum apud [Bar. an. D. 303. §. 3c. Sur. Febr. D. 11.] Baronium & Surium; *Temporibus namque Diocletiani & Maximiani bellum diabolus Chriſtianis indixit iſto modo, vt Sacroſancta Domini Teſtamenta, Scripturaſque divinas ad exurendum peteret, baſilicas Dominicas ſubverteret, & ritus Sacros, cœtuſque ſanctiſſimos celebrari Domino prohiberet.* Alia Afrorum Acta; [Bar. ibid. an. D. 3. 2 §. 119.] *Exivit edictum Imperatorum & Cæſarum ſuper omnem faciem terræ, & propoſitum eſt per colonias, per civitates Principibus & magiſtratibus ſuo cuique loco, vt libros Deificos legis peterent de manu Epiſcoporum & presbyterorum.* Iam Latinos convenio; Cur Diocletianus, in nos omni & Xoguno & Xino crudelior, quo edicto Eccleſias vt iſti, dirui jubet, eodem cruces & imagines exſcindi perinde vt illi, non jubet? Cur qui *Scripturas* ἀφανεῖς γενέσθαι, *aboleri ac de medio tolli præcipit*; de *reliquiariis*, de *imaginibus*, de *crucifixis*, de *Agnis-Dei*, & *granis benedictis* nihil dicit, quæ nunc Iapones & Sinæ talibus in edictis nunquam omittunt? Ratio, niſi animum contra manifeſtam rerum lucem obfirmas, in promptu eſt; Imagines, cruces, reliquias, roſaria & cætera, in religionis vſu, habent Latini, quos perſequuntur Iaponum & Sinarum magiſtratus; non habuerunt veteres Chriſtiani, quos Diocletianus petebat. Nullum alium hujuſce inter edicta in cæteris omnibus paria diſcriminis vel colorem potes dicere. Nam & Diocletianus, quod omnes fatentur, Chriſtianiſmum exſcindere, omnia ejus inſtrumenta, ſymbola, firmamenta, veſtigia denique omnia delere parabat; eóque & Eccleſias, id eſt loca, in quibus docebatur, & Scripturas, ex quibus hauriebatur, ſubverti atque incendi jubet; Imaginibus, reliquiis, crucibus, ſi quæ apud noſtros cultæ, ſi quæ ſacræ & religioſæ

eſſent

essent habitæ, cur parceret, nulla cauſa fuit; quin & multo in eas diligentius quam in conventicula ſæviiſſet, quas adorari ſcilicet à noſtris, quas pro ſuæ religionis inſignibus, armis, teſſeris haberi cognoviſſet; vt vel ex eo licet intelligere, quod Latinos, quorum hæc de iſtis opinio eſt, nullus nunc Iapo, nullus Sina aut Cocincinus perſequitur, qui non eorum *imagines, reliquias, & cruces*, planè vt veterum *Eccleſias & Scripturas* Diocletianus, exſcindi atque incendi jubeat. Idem obſervare eſt in edicto, quod Galerius Maximianus in noſtrorum gratiam condidit. Chriſtianorum enim cruces & imagines vt iratus exſcindere, ita & placatus reſtituere debuit. Ille vero Eccleſias reſtituit, de crucibus & imaginibus nihil dicit, quia ſcilicet vt nullæ fuerant quas iratus tolleret, ita nullæ erant quas placatus redderet. *Libentiſſime* (inquit) *iſtud conceſſimus, vt homines denuo ſe libere Chriſtianos profiteantur; vt ÆDES in quibus convenire ſolent, reſarciant.* ἐν τούτῳ τῇ συγχωρήσει τῇ ἡμετέρᾳ ἐπηκολουθεῖν δεῖν ἐνομίσαμεν, ἵνα αὖθις ὦσι χριστιανοὶ, καὶ τοὺς οἴκους ἐν οἷς συνήγοντο, συνθῶσιν. Dixiſſet, *& cruces rurſum pro more ſuo erigant, & imagines libere ſibi ſuas habeant*, ſi quas res hujus generis feralibus ſuis edictis antea ſuſtuliſſet. Nullas nunc dicit; Nullas ergo ſuſtulerat, nullæ adeo apud Chriſtianos fuerant, quas ſi quæ tum apud eos fuiſſent, haud dubie & prius ſuſtuliſſet, & nunc viciſſim reſtitueret. Hæc de edictis. Sed non in edictorum exſecutione, magis quam in ipſis edictis vllas vel cruces, vel imagines vel reliquias videmus. Latini ſuas Eccleſias ſupra à perſecutoribus dirutas aut incenſas aut profanatas nunquam memorabant, quin & *CRVCES aut præciſas, aut disjectas, & confracta crucifixorum ſigna* aut incenſas *imagines* ſimul quoque dicerent; vel certe monerent eam fuiſſe ipſorum perſecutorũ in ſua ſacra reverentiam, vt ædem quidem everterent, ædis ornamenta, & tabulas pictas attingere nequaquam auderent. Veteres vero Scriptores ſuas quidem Eccleſias everſas, aut inflammatas narrant; *cruces*, aut *imagines* nunquam (quod equidem ſciam) vel exciſas, aut violatas, vel ſervatas in communi ædium ſacrarum exitio narrant. Arnobius ſua *conventicula immaniter diruta* dicit. Divos incenſos, ſparſas RELIQVIAS, laceratas IMAGINES ſanctiſſimas, dejectas & proculcatas cruces non dicit. Euſebius vero tametſi magna cum emphaſi rem eloquatur, neque hæc ipſe magis quam Arnobius adjecit: *Sacras* (inquit) *ædes precibus dicatas è ſublimi in ſolum fundamentis ipſis conquaſſatis dejectas, divinas & ſanctas Scripturas medio foro in rogum impoſitas oculis noſtris aſpeximus.* Τῶν δ᾽ οὖν προσευκτηρίων τοὺς οἴκους ἐξ ὕψους εἰς ἔδαφος αὐτοῖς θεμελίοις καταῤῥιπτουμένους, τὰς δ᾽ ἐνθέους καὶ ἱερὰς γραφὰς κατὰ μέσας ἀγορὰς πυρὶ παραδιδομένας αὐτοῖς ἐπείδομεν ὀφθαλμοῖς. Vides, vt rei indignitatem pingat; vt infandi ſpectaculi fœditatem exaggeret: vt non everſas modo ſacras ædes, ſed & Scripturas publicè incenſas referat. Fungus eſt, qui non ſentit tali loco omitti ab homine docto abſque flagi-

CAPVT XXV.

Euſeb. Hiſt. l. 8. c. 7 (Græc.) fol. 91. A. Lat. c. 19.

Arnob.

Euſeb. Hiſt. l. 8. c. 2. fol. 84. A.

CAPUT XXV. tio non potuiſſe cruces, imagineſque & reliquias violatas, ſi quæ violatæ erant. Omiſſæ ab Euſebio; Ergo neque vllas violari ſuis illis oculis videtur, quibus & ruentes alto à culmine Eccleſias, & ardentes in medio foro Scripturas ſpectaverat. Eſt & vbi eadem de re verba

ibid. l. 10. c. 4. fol. Gr. edit. 468. B. extr. faciens dæmonis inſaniam irridet, quem ait *inſtar canis dentes in lapides miſſos illidentis, belluinam ſuam rabiem in Eccleſiarum lapides, & ædium inanimam materiam convertiſſe.* καὶ δὴ δίκην λυττῶντος τοὺς ὀδόντας ἐπὶ τοὺς ἀφιεμένους καθ' αὐτοῦ λίθους προσαράττοντος, τοῖς τῶν προσευκτηρίων λίθοις καὶ ταῖς τῶν οἴκων ἀψύχοις ὕλαις τὴν θηριώδη μανίαν ἐναπερείσατο. Hic quoque non quod facit, *Eccleſiarum & domorum ſimpliciter*, ſed & *imaginum*, & *crucium ſacrarum materiam*, dixiſſet, ſi quas *imagines* aut *cruces* dæmonis furor appetiviſſet, atque violaſſet. Idem paulò

Ibid. fol. 11c. 4. poſt illatam Eccleſiæ à perſecutoribus cladem ac vaſtitatem deſcribens ait, *eos ſecuribus excidiſſe januas ejus in idipſum, eam in ſecuri & aſcia contriviſſe, libros ejus corrumpendo, ſive abſumendo incendiſſe igne Sanctuarium Dei. in terra polluiſſe tabernaculum nominis ejus.* οἳ ἀξίναις ἐξέκοψαν τὰς πύλας ἐπὶ τὸ αὐτὸ, ἐν πελέκει καὶ λαξευτηρίῳ συνέτριψαν τες αὐτὴν· οἳ καὶ τὰς βίβλους διαφθείραντες ἐνεπύρισαν ἐν πυρὶ τὸ ἁγιαστήριον τοῦ Θεοῦ, εἰς τὴν γῆν ἐβεβήλωσαν τὸ σκήνωμα τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, Eccleſias everſas, combuſtas Scripturas apertiſſime dicit, imagines, cruces, reliquias, quod hic ſi factum eſſet, neceſſariò erat dicendum, nullas dicit. Sed eam nunc perſecutionis partem videamus, quæ in privatas piorum ædes ſæviit, ſi forte hic occurrant aliqua cultus Latini veſtigia. Hujus quidem hodiernos perſecutores Iapones & Sinas eorum quos vexabant, domos ideo invaſiſſe ſcrutatoſque eſſe audivimus, vt *imagines, reliquias, & cruces* inveſtigarent, atque venarentur; deprehenſas rapuiſſe, laceraſſe, incendiſſe; apud quem invenerant, eum Latinæ religionis convictum putaſſe. Quid veteres? Narrant-ne perſecutorum miniſtros, quos & ipſos noſtrorum quoque domos in perſecutione invaſiſſe non tacent, tale aliquid apud eos quæſiviſſe; cruces aliquas, reliquiaria, imagines? Hoc quidem eos diſerte memorare decebat; ſi quis apud ſuos fuiſſet religioſus iſtorum cultus; qualiter Latinorum annales eadem & ſæpe & diligenter, & fuſe narrantes audivimus. Nemo tamen vt opinor, quicquam hujuſmodi in primis antiquitatis Chriſtianæ monumentis ſe legiſſe dixerit. Dionyſius refert quæ noſtri Decianæ perſecutionis temporibus Alexandriæ

Euſeb. Hiſt. l. 6. c. (Lat. 3a) Gr. 41. fol. 63. 2. paſſi ſunt; ac inter cætera Ethnicos ait *vno quaſi animorum impetu omnes in ædes piorum irruiſſe, & quos ſibi vicinos eſſe cognoverant propere ſingulos eduxiſſe, expoliaſſe, diripuiſſe; & divitias ac ſupellectilem, ſi qua erat pretioſior, ſibi ſepoſuiſſe; ſi qua vilior, ſordidior, & ex ligno confecta, in viis diſſipaſſe, atque exuſſiſſe, adeo vt civitas veram ſpeciem vrbis ab hoſtibus captæ, diſpoliatæque probe repræſentaret.* εἶθ' ὁμοθυμαδὸν ἅπαντες ὥρμησαν ἐπὶ τὰς τῶν θεοσεβῶν οἰκίας, καὶ ἃς ἐγνώριζον ἕκαστοι γειτνιῶντας ἐπεισπεσόντες ἦγον. ἐσύλων τε καὶ διήρπαζον· τὰ μὲν τιμιώτερα τῶν κειμηλίων.

διανοσφιζόμενοι. τὰ δ' εὐτελέστερα καὶ ὅσα ἐκ ξύλων ἐπεποίητο διαῤῥιπτοῦντες καὶ κατακαίοντες ἐν ταῖς ὁδοῖς ἑαλωκυίας ὑπὸ πολεμίων πόλεως παρεῖχον θέαν. CAPVT XXV.
Facultatum direptionem hic vides, ei ſimilem (quod & obſervat Dionyſius) quam Hebræos fideles olim cum gaudio ſuſcepiſſe ex Paulo *Hebr.10. 34.* diſcimus: *Imaginum*, & *crucium*, & *reliquiarum* injuriam nullam vides; quæ ſcilicet apud noſtros nullæ erant: Nam ſi fuiſſent aliquæ, ab Ethnicis raptæ atque violatæ haud dubie eſſent, neque earum injuria eſſet à Dionyſio prætermiſſa. Illud vero in Diocletianea perſecutione ſingulare fuit, quod præter cætera quæ privati ex ſua quiſque libidine rapiebant, Scripturæ ſacræ codices Imperatoris miniſtri diligentiſſime à Chriſtianis exigebant & conquirebant, vt eos ſcilicet ex tyranni edicto cremarent. Si quis de Chriſtianis ſacros libros petentibus miniſtris dediſſet, is *traditor* celebri apud veteres Afros nomine dicebatur. Secundus, Epiſcopus Tigiſitanus, apud Auguſtinum ſcribit *ad ſe ipſum miſſos à Curatore & Ordine Centurionem & Beneficiarium, qui peterent divinos codices exurendos, eiſque reſpondiſſe, Chriſtianus ſum & Epiſcopus, non Traditor; & cum ab eo vellent aliqua eobola* * *aut quodcumque accipere, neque hoc eis dediſſe, exemplo Eleazari Macchabæi, qui nec fingere voluit ſuillam carnem ſe manducare, ne aliis præberet prævaricationis exemplum.* Alibi in Actis ſub Zenophilo ab Auguſtino memoratis, & à Baronio ex Pithœano codice publicatis, legimus perſecutores in eadem perſecutione A. D. 303. exegiſſe à Chriſtianis & libros Sacros, & cæteram ſacram ſupellectilem. Locus eſt inſignis; *cum ventum eſſet* (inquit) *ad domum in qua Chriſtiani conveniebant, Fœlix Flamen perpetuus Curator Paulo Epiſcopo dixit, Proferte Scripturas legis, & ſi quid aliud hic habetis, vt præceptum eſt, ac juſſioni parere poſſitis. Paulus Epiſcopus dixit, Scripturas Lectores habent, ſed nos, quod hic habemus, damus.* Tum paulò poſt, *Fœlix Flam. P. Curator reipublicæ dixit, Manente ratione de Lectoribus quos demonſtrabit Officium, quod vos habetis date.* Tum ex brevi quæ prolata ſunt & tradita recenſet, calices duos aureos, argenteos ſex, vrceola ſex argentea, cucumellum argenteum, lucernas argenteas ſeptem, cereoſala duo, candelas breves æneas cum lucernis ſuis ſeptem, item lucernas æneas vndecim cum catenis ſuis, tunicas muliebres LXXXII. maforrea XXXVIII. tunicas viriles XVI. caligas viriles paria XIII. caligas muliebres paria XLVII. Coplas ruſticanas XIX. Deinceps ſic pergit. *Poſteaquam perventum in Bibliothecam, inventa ſunt ibi armaria inania. Ibi protulit Sylvanus capitula argentea & lucernas argenteas, quod diceret ſe poſt orcam eas inveniſſe.* Et paucis interjectis. *Et cum apertum eſſet triclinium, inventa ſunt ibi dolia quatuor, & orcæ ſex. Fœlix Flamen Perpetuus, Curator Reipublicæ dixit, Proferte Scripturas quas habetis, vt præceptis Imperatorum & juſſioni parere poſſimus. Catulinus protulit codicem vnum perniminum majorem.* Poſt hæc idem ille Procurator pergit ad

Aug. in brevic. collat. d. 3. c. 13.

* *id. eſt veiicula, nullius pretij libros.*

Aug. l. 3. cõtr. Creſt. c. 29.

Bar. a. D. 303. §. 10.

ibid. § 12.

ibid § 13.

CAPUT XXV. domum Eugenij, qui codices quatuor; tum ad Fœlicis Sarſoris, qui quinque; inde ad Victorini, qui octo; & Projecti, qui codices quinque majores, & minores duos protulit. Erant autem iſti, vt ex his Actis intelligitur Cirthenſis Eccleſiæ lectores. Idem denique ad

ibid. §. 14. Victoris Grammatici domum, & Euticij quoque Cæſarienſis & Coddeonis, venit, ſuumque illud ſolenne ad ſingulos præfatus, *Profer Scripturas, quas habes, vt præcepto parere poſſis*, à Grammatico quidem codices duos & quiniones quatuor recepit; à Coddeonis vero vxore codices ſex. Hactenus Acta in quibus obſervandum; primò Fœlicem Flaminem *Scripturas* à Chriſtianis poſcere; *imagines*, quas ab Alexandro Rhodio Cocincinenſes magiſtratus, ab aliis Latini cultus hominibus Sinenſes & Iapones ſupra exigebant, nullas exigere; nullas cruces, nulla reliquiaria. Secundò & illud animadvertendum eſt Flaminem, cum omnem Eccleſiæ ſuppellectilem ſibi tradi jubeat; ſolas *Scripturas* nominatim memorare, imagines, cruces, reliquias, quas ſi quæ in Chriſtiana religione fuiſſent, æque ac Scripturas nominari decebat, non nominari tamen. *Proferre* (inquit) *Scripturas legis, & ſi quid aliud hîc habetis.* At Latinorum hodie perſecutores imagines, cruces, reliquias, nominatim æquè ac libros ab iis, quos vexant, poſcunt. Sed illud tertiò quod præcipuum eſt, conſiderandum venit, cum Flamen Eccleſiaſticam Cirthenſium fidelium domum anxie totam excuſſerit & bibliothecam etiã & tricliniũ, & quæcumq; in iis erant accuratiſſime ſcrutatus ſit; nihil enim iſtarum hodie apud Latinos ſacrarum & familiariũ rerum vſpiam reperiſſe. Narrant Acta inveniſſe calices aliquot, tũ aureos, tum argenteos, lucernas argenteas & æteas cõplures; quorum quis in ſacro miniſterio vſus fuerit, omnes intelligunt; ne alia quidem mittunt ad pauperes ſublevandos ſervata, tunicas, caligas, & cætera tum virilis, tum muliebris vſus, & dolia item atque orcas. Hic vero cur nullæ recenſentur imagines, nullæ cruces, nulla reliquiaria? At qui hodie Latinorum Eccleſias, & domos, præcipue Eccleſiaſticas, à perſecutoribus vel excuſſas vel direptas narrant, ij ſemper vel cruces & imagines & reliquias, vel harum certe aliquas memorant. Cur nullæ in Actis Flaminis recenſentur? Quia, inquam, nullæ erant. In ea autem Eccleſia, quæ aurea & argentea vaſa ſacra complura habebat, nullas ſi hæ tunc erant in Chriſtianorum vſu, futuras fuiſſe cruces aureas, argenteas, æteas, nullas iiſdẽ metallis incluſas reliquias, nullas imagines; plane eſt incredibile. Neque vero hîc dixeris fuiſſe quidem hujus generis aliqua apud Cirthenſes; ſed ea ab Epiſcopo coorta tempeſtate ſemota & aliò tranſlata; vel à Flamine inventa quidem & rapta, ſed in actis ejus prætermiſſa. Prius refellit aurum & argentum iſtic inventum, & quidem ſatis pro illis temporibus copioſum, alterum refutat nota & confeſſa veterum hujuſmodi actorum diligentia ac fides. Nam ſi quid Epiſcopus aliò ex Eccleſiæ domo in tutiorem locum tranſtuliſſet, profecto & calices &

lucer-

lucernas tranſtuliſſet, maximè ſi quid ex auro argentóque fuiſſet; qualia iſtic fuiſſe plura reperiuntur. Qui calices aureos iſtic reliquerat, crucibus illum ligneis, aut imaginibus lapideis caviſſe; quis niſi ſtultus ſuſpicetur? Tantum auri, tantum argenti, atque æris, tam mulçę viriles; muliebreſque tunicæ, & alia neceſſarij vſus in iſta domo à Flamine reperta oſtendunt ſubito ejus adventu oppreſſum fuiſſe Epiſcopum; ſupellectilem ſacram integram ac illibatam deprehenſam fuiſſe, nullâ dum ejus parte ſubductâ; idque ita contigiſſe vel Pagani Flaminis feſtinatione, vel noſtrorum certe ſocordiâ. Acta vero publica quàm diligenter, quàm anxiè, quàm accurata fide confici à Magiſtratuum officiis ſolerent, ſic, vt nulla res in ijs maxima minima prętermitteretur, imo etiam ipſa loquentium verba, ipſęque voces litteris mandarentur, & Baronius non ſemel nos monuit; & quæ ſuperſunt hujus generis antiqua monumenta docent, tum alia non pauca, tum hoc ipſum Cirthenſe; quod Munatij Fœlicis Flaminis perpetui, ACTA apud Cirtham, continet quæ & apud Auguſtinum, & in Codice Pithæano huc vſque conſervata ſunt. Cum ergo Actorum fides nullas in Cirthenſi Eccleſia imagines, cruces, aut reliquias geſtatiles à perſecutoribus tali tempore repertas eſſe vincat; nullas ſanè iſtic tum fuiſſe, pro certo habendum eſt. Ex quo porro illud quod nos volumus, liquidò ac neceſſariò conficitur nondum illo ævo, id eſt A. D. 303. Chriſtianis hominibus notum fuiſſe aut vſitatum illum nuperum Latinorum morem, vt in Eccleſiis Eccleſiaſticiſque ædibus cruces, imagines, & reliquiæ precioſa aliqua materia ad venerandum incluſæ haberentur. Nam ſi is tum noſtrorum vſus fuiſſet, Cirthenſis Eccleſia, quam copioſam ac vaſculis, inſtrumentiſque ſacris inſtructiſſimam fuiſſe hinc diſcimus, illo cultu atque ornatu minimè caruiſſet, quo eam caruiſſe jam confecimus. Nimirum nullas cruces aut imagines habuit; quia hic mos atque vſus nullus tum adhuc apud Chriſtianos erat. Id ipſum confirmat, quod Fœlix nihil iſtorum ab Eugenio. nihil à Sartore, vel à Victorino, aut Projecto, nihil à Victore, Euticio, & Coddeone, qui omnes Cirthenſis Eccleſiæ lectores erant, vel poſcit, vel apud eos invenit. Nihil vel ab iſtis exigit, vel ex eorum ædibus rapit præter Scripturas, codices & quiniones; De imaginibus, de reliquiis, de crucibus, quas nunc à Latinis non modo clericis, ſed etiam laïcis, omnes perſecutores vel exigunt vel certè apud eos inventas rapiunt, nullum in veterum iſtorum Chriſtianorum rebus verbum. Sed & præter hoc Cirthenſe monumentum, alia quoque teſtantur Principis miniſtros à Chriſtianis, quos perſequebantur, Scripturas popoſciſſe. Nam & ex Actis Martyrum Afrorum jam ſupra recitavimus Diaboli miniſtros *Scripturas divinas ad exurendum petiviſſe*; & in iiſdem poſtea legimus Proconſulem à ſingulis eas petere: Vt ab Emerito lectore, qui in ea cauſa glorioſiſſimè martyrium fecit; *Habes ergo* (inquit) *Scripturam aliquam in domo tua?* Et reſpondiſſe

CAPVT XXV.

Apud Baron. a. D. 303. §. 30.

CAPVT XXV. ſpondiſſe Martyrem, *Habeo, ſed in corde meo.* & vrgente Proconſule, *In domo tua habes, annon?* Emeritum conſtanter dixiſſe, *in corde meo illas habeo.* Ita Felici Martyri idem Proconſul Chriſtianum ſe eſſe

ibid. §. 51. vnà cum cæteris confeſſoribus clamanti, *Non quæro* (inquit) *an Chriſtianus ſis, ſed an collectam feceris, vel Scripturas aliquas habeas?* Mox quoque Ampelius paria interroganti Pro-

ibid. § 52. conſuli; *Cum fratribus* (inquit) *feci collectam; Dominicum celebravi, & Scripturas Dominicas habeo, ſed in corde meo conſcriptas.*

ibid. § 53. Mox Saturnino juniori Proconſul, *Habes* (inquit) *Scripturas aliquas,* & rurſum cum Martyr *Chriſtianum* ſe eſſe reſpondiſſet, *Ego* (inquit) *quæro an conveneris, & an Scripturas habeas?* & cum vexari eum acrius juſſiſſet, *Dic* (inquit) *an aliquas Scripturas habeas?* Ille gra-

ibid. §. 54. viſſimos cruciatus invicta fide perpetiens; *Scripturas* (inquit) *Dominicas habeo, ſed in corde meo.* Sic quoque anno (vt putat Baronius) ſuperiore, Magnilianus Thibarenſis civitatis Curator, Apro presby-

Act. Thibar. Mart. apud Baron. a. D. 302. §. 120. tero, Cyro & Vitali Lectoribus, *Libros* (inquit) *Deificos habetis? Aper dicit, Habemus. Magnilianus Curator dicit; Date illos igni aduri. Tunc Aper; Epiſcopus noſter apud ſe illos habet.* Epiſcopo vero Fœlici poſtridie Thibarim Carthagine reverſo, idem Magnilianus, *Fœlix* (inquit) *Epiſcope, Da libros vel membranas quaſcumque habes.* Fœlix Ep. dixit, *Habeo, ſed non do.* Tum vrgente Magniliano & Imperatorum juſſa cauſſante, & *libros dari, igni adurendos jubente*, noſter fortiſſime, planeque vt Chriſti ſervum decebat, *Melius eſt* (inquit) *me igne aduri, quam Scripturas Deificas, quia bonum eſt obedire Deo magis, quam hominibus.* Deniq; cum eundem in vinculis per Siciliam & Lucaniam raptatum, tandem Venuſij in Apulia Præfectus ſolvi juſſiſſet, poſtremoque interrogaſſet, *Fœlix quare Scripturas Do-*

ibid. §. 123. *minicas non das? Aut forſitan non habes?* Fœlix conſtanter reſpondit. *Habeo quidem, ſed non do,* quo dicto Præfecti juſſu gladio eſt animadverſus. Sed Scripturas quidem, vt perſecutores petiviſſe ac quæſiviſ-

Apud Baron. A. 303. §. 51. ſe, ita Chriſtiani occultaſſe, ac Ethnicorum furori ſubduxiſſe leguntur. In illis ipſis Actis ex quibus ſuperiora deſcripſimus, plures vnà Confeſſores tanquam ex vno ore clamant, *Chriſtiani ſumus, non poſſumus, niſi Domini legem ſanctam vſque ad effuſionem ſanguinis cuſtodire.* In Actis Agapes & Sociarũ, quæ Theſſalonicæ paſſæ eſſe perhibentur,

Id. A. D. 304. §. 44. Præſes Irenen quod libros ſacros cuſtodierit, ita objurgat; *Tua* (inquit) *inſania propoſitum, ex iis quæ facis, manifeſto apparet; quæ tot membranas, libros, tabellas, codicillos, & paginas Scripturarum, quæ ſunt impiorum Chriſtianorum, qui vnquam fuerunt, ad hodiernum vſque diem ſervare voluiſti.* Mox: *Quiſnam* (inquit) *tibi autor fuit, vt membranas iſtas, atque Scripturas, in hodiernum vſque diem cuſtodires? Irene*

ibid. §. 45. *inquit, Deus omnipotens, qui juſſit nos ad mortem vſque ipſum diligere; qua de cauſa non auſæ ſumus eum prodere, ſed maluimus aut viventes comburi, aut quæcumque alia nobis acciderint, perpeti, quàm talia ſcripta pro-*

pta prodere. Tum Præſes, *Quiſnam conſcius erat hæc in domo illa eſſe, in qua habitabas? Reſpondit Irene; Hæc vidit Deus ipſe omnipotens, qui omnia ſcit, præterea nemo. Noſtros enim homines inimicis pejores ducimus, ne forte nos deferrent; itaque nulli hæc oſtendimus. Præſes; ſuperiore anno, cum edictum illud tale, ac pium juſſum Dominorū Imperatorum ac Cæſarum primo fuit divulgatum, vbinam vos latuiſtis? Reſponit Irene; Illic* Deus voluit. In montibus; ſcit Deus, ſub dio fuimus.* Et paucis interjectis. *Poſtquam è monte reverſæ fuiſtis, vt tu dicis, legebatis-ne ſcripta iſta præſente aliquo? Inquit Irene; Domi noſtræ erant; neque audebamus illa efferre. Quamobrem magnoperè angebamur, quod non poteramus nocte & die illis operam dare, ſicut à principio conſueramus, vſque ad annum ſuperiorem, quo & illa occultavimus.* Hæc Irene hactenus; ex quibus patet quanta cura noſtri quoties perſecutio ſæviebat, Scripturarum divinarū codices cuſtodierint, occultaverint & perſecutoribus ſubduxerint. Neque id novum, vel Diocletianea iſta tantum perſecutione fieri cœptum putem. Certè ad eam curam referendum videtur quod Tertullianus de Chriſtianis dicit perſecutionem mox exarſuram ex quadam occaſione conjectantibus. Sic enim eos maturè ſibi ab eo periculo caventes ac proſpicientes deſcribit; *Nec dubito (*inquit*) quoſdam Scripturas emigrare, Sarcinas expedire, fugæ accingi de civitate in civitatem.* Quod ait *Scripturas emigrare*, omnino, vt loquuntur Grammatici, *tranſitivè*, tametſi præter ſolennem Latinæ linguæ vſum, dictum videtur; vt ſignificet Chriſtianos Scripturas, quibus à Paganorum odio ac perſecutione metuebant ex iis locis vbi ipſi noti erant, in alia tutiora ſecum tranſtuliſſe; ſecum *migrare (*vt ſic dicam*) feciſſe*; vt veterem Pſalmorum interpretem Latinum hoc eodem verbo vſum videmus; *Propterea (*inquit*) Deus deſtruet te in finem; evellet te, & EMIGRABIT TE* (id eſt migrare te faciet) *de tabernaculo tuo.* Rigaltiana quidem hujus loci interpretatio durior eſt, quam vt placere poſſit, quæ abſque vlla veri aut rationis ſpecie verbum *muſſitare* longè ex præcedentis periodi initio repetit, & cum nomine *Scripturas* ſic conſtruit, *Nec dubito quoſdam Scripturas* (ſubaudi *muſſitare*) *emigrare, ſarcinas expedire,* &c. Iam veteres illos auctores, qui Scripturas & à perſecutoribus petitas, quæſitaſque, & à noſtris occultatas, ſummaque fide cuſtoditas, diſerte memorant; quis dubitet eadem de crucibus, imaginibus, ac reliquiis ſacris, & ad hoſtium invidiam, & ad ſuorum laudem memoraturos pariter fuiſſe, ſi quid hujuſmodi factum eſſet? perinde vt Latinos nunc ſervare videmus, quos iſtam & perſecutorum in illas res ſacras inſaniam, & ſuorum pro iis ſollicitudinem ac fortitudinem accuratiſſimè in omnium ſuarum apud Iapones, Sinas & Cocincinenſes vexationum relatione prædicantes audivimus? Eodem quoque pertinet, quod apud veteres videmus Confeſſores aut Martyres cum Scripturis à perſecutoribus fuiſſe deprehenſos: vt Irenę

CAPVT XXV.

*leg. illic vbi.

ibid. §. 46.

Tertull. l. de Corona. c. 1. p. 110. C.

Pſalm. 51. (Hebr. 52) 7

CAPVT XXV. & ſororibus Theſſalonicæ accidiſſe modò audivimus, quarum ſacri codices vnà cum ipſis capti ſunt. Et de Euplio Diacono Catanenſi *Act Eupl. apud Baron. a. D.303.§.146.* in Sicilia Martyre Acta tradunt, quod ab *exploratoribus inventus legere Evangelia ab illis tentus eſt, & perductus cum libro.* Nullum de imaginibus, aut crucibus, aut reliquiis ſimile apud eoſdem reperitur exemplum, alicujus ſcilicet qui imagines venerans vel habens inventus & tentus ſit; apud Latinos vero anum narrabant Annales apud *Ann. Iapon. 1616. p. 265.* Iapones à quibuſdam Ethnicis domum ejus ſubitò ingreſſis oppreſſam eſſe orantem in conclavi ſacris imaginibus pleno. Sed & apud hos videmus Confeſſores multa pati ne imagines & cruces ſuas prodant; quod de ſe & ſuis Cocincinenſibus Alexander; alij de aliis narrabant. Apud veteres nihil vſpiam ſimile occurrit. Afros Martyras diros cruciatus ſumma conſtantia pertuliſſe potius quam Scripturæ codices Iudicibus traderent nuper ex Actis vetuſtiſſimis recitabamus: & Eu- *Euſeb. Hiſt. l. 8. (Lat. c. 12) G. fol. 99. A.* ſebius in genere ſignificat Eccleſiarum præfectos *multas contumelias, multas ignominiæ notas, multa tormentorum genera ab Imperatorum procuratoribus & magiſtratibus per varia tempora ſubiiſſe,* pro ſacris VASIS ECCLESIASTICO THESAVRO; *τῶν ἱερῶν σκευῶν τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἕνεκα κειμηλίων.* Fuiſſe enim jam tum noſtris vaſa & *κειμήλια* non parvi pretij ſatis docuerunt illi tam multi apud Cirthenſis Eccleſiæ domum à Flamine inventi caprique calices, vrceique aurei & argentei, & ex eadem materia lucernæ, aliaque complura ex brevi in actis flaminalibus recenſita. Cur obſecro, ne vnum quidem in tam multis veterum perſecutionibus offendimus, qui aliquid hujuſmodi pro IMAGINIBVS aut CRVCIBVS paſſus eſſe, vt in Latinorum hiſtoriis, dicatur? Quia nimirum imagines illæ ac cruces ſacræ, quarum multus eſt in horum religione vſus, nullo apud illos veteres in cultu erant. Denique is Latinorum eſt in ſuas cruces atque imagines zelus, vt ob earum cultum nonnullos martyrium feciſſe in ipſorum Annalibus legamus; quale illius ancillæ exemplum ſupra fuit, quæ ab hero ideo occiſa fuiſſe narratur, quod ab hero juſſa à crucis cujuſdam *Tom. l. 3. epi. Iap. p. 152. A.* LATRIA deſiſtere noluiſſet. Hæc quidem non Chriſtianiſmi, à quo deficere juſſam non legimus, ſed LATRIÆ crucis martyr fuit. Veteres vero ob Scripturas martyrium nonnunquam feciſſe audivimus, vt illum Tibarenſem Fœlicem, & Afros non paucos, quos ad mortem ideo cæſos acta memorabant, quod Scripturæ codices tradere conſtantiſſimè recuſarent. Qui ob crucem vel imaginem non adoratam martyr tribus illis primis Chriſtianiſmi ſæculis fuerit, planè nullus extat. Neque illud ſanè prætermittendum quod Paganos Latinorum cruces, imagines, reliquias, vel ex Eccleſiis, vel ex privatis ædibus raptas lacerare, exſcindere, incendere in perſcriptis ea de re annalibus atque actis vidimus, vt Xinum Sinenſem, & alios: Qui veterum Chriſtianorum, de quibus diſputamus, cruces aut imagines aliquid à perſecutoribus paſſus dixerit, illius memoriæ Scriptor nullus eſt.

Hic quidem reperio Alutinenſis in Africa coloniæ magiſtratum ſacrilegum traditas à Fundano Epiſcopo Dominicas Scripturas publicè in medio foro igni appoſuiſſe: eodemque loco *ſubito imbrem ſereno cœlo diffuſum ignem Scripturis ſanctis admotum extinxiſſe, grandineſque eſſe adhibitas, & omnem illam regionem pro Sripturis Dominicis, elementis furentibus devaſtatam fuiſſe.* Imagines, cruces, & alias hujuſmodi res nunc Latinorum ſacras, olim vel ab aliquo ignavo Epiſcopo traditas, vel à Diocletiani, aut aliorum hoſtium miniſtris igni admotas, vel aliquo de cœlis repente miſſo imbre vindicatas nullas reperio. Poſtremo illud etiam animadverſione dignum videtur, quod apud veteres Scripturæ codex patienti martyri aliquando appenditur, pœnas, vt ſic dicam, cum eo daturus, veluti ad eandem ignominiam, idemque exitium à perſecutoribus damnatus; quod in Euplij Diaconi paſſione diſertè commemoratum eſt; cùm ille ad mortem ex Proconſulis tabella duceretur, *appenſum eſt* (inquiunt acta) *ad collum ejus, Evangelium*; id ipſum nimirum quod legebat, cum ab exploratoribus deprehenſus & tentus eſt, *proclamante præcone, Euplius Chriſtianus inimicus Deorum & Imperatorum.* Nemo non videt ad hoc exemplum narratura quoque fuiſſe Acta, ſi cujus Martyris deprehenſæ imagines, cruces, aut reliquiæ vnà cum eo vel exuſtæ vel laceratæ eſſent, Latini quidem nequaquam omiſerunt; è quibus Alexander fuſe paratragœdiat, vt eodem judicio & ipſe ad exilium, & imagines quædam ſuæ ad ignem damnatæ ſint. Solerius vero docet quæcumque ſuo Spinolæ ejuſque ſociis vivis erepta erant ab Iaponibus roſaria, ſigna, IMAGINES, & alia eadem vnà cum ipſis mortuorum corporibus in altam quandam foſſam fuiſſe injecta. Apud veteres vero nullum hujus generis exemplum occurrit; in quo martyris, non dico roſarium, cujus inventum ne ipſi quidem credo, Ieſuitæ Apoſtolicum eſſe dixerint, ſed imagines, & cruces defoſſæ vnà cum eo fuiſſe tradantur. Atqui veteribus de imaginibus non magis quam de Evangeliis defuturum hujuſmodi aliquid fuiſſet ſi apud eos vt Evangelij Scripturæ, ſic imagines quoque in pretio aliquo & vſu religioſo fuiſſent, vel ipſum docet Latinorum exemplum.

CAPVT XXV.

Act. Martyr. Afror. apud Baron. a. D. 305. §. 28.

Soler. l. 19. c. 14.

Illa vero divinæ Scripturæ tam crebra in veterum perſecutionibus & Martyriis mentio, hic nos lectorem, tametſi obiter, admonere ſubigit de re, vt mihi quidem videtur, ſingulari obſervatione digniſſima: Nimirum ex iſtis quæ hactenus de vtrorumque, veterum, inquam, & recentiorum perſecutionibus diximus, patet in iis non modo imaginum & crucium & reliquiarum mentionem apud Latinos quidem vbique ad faſtidium occurrere, apud veteres vero ne ſemel quidem extare. Sed etiam Scripturas vt apud hos ſæpe & paſſim, ſic viciſſim apud illos plane nuſquam in hujuſmodi narrationibus inveniri. In veterum de ſuorum perſecutione actis Scripturas divinas & Diocletianus & Maximianus igne delendas inprimis edicunt, & infe-

riores magiſtratus apud noſtros curioſiſſimè ſcrutantur & conquirũt, & quaſcumque reperiunt diligenter exurunt; eaſdem noſtri altera ex parte ſummo zelo cuſtodiunt ac propugnant, hoſtium furori in loca tuta ſubducunt, pro iis ad ſanguinem, ad tormenta, ad cruciatus diriſſimos, ad mortem vſque dimicant. In Latinorum vero apud Sinas & Iapones deſcriptis ab ipſis perſecutionibus, nullus Xinus aut Cuboſama aut Xogunus Scripturis divinis bellum indicit; nullus Facaræ, aut Arimæ, aut Firandi regulus eas deleri jubet; nullus tyrannorum explorator apud Ieſuitici cultus homines quærit, aut venatur, aut proditas, aut extortas aut repertas denique incendit. Nullum ego iſtic, quod meminerim, Ieſuitam reperio *Evangelium legentem* deprehendi ac teneri; nullum Ieſuitarum diſcipulum Scripturæ codicibus conſulentem, eoſque in latebras aliquas tutas transferentem, aut vt prodat de eculeo pendentem, vel ne prodat, cruciatus & cædem ſubeuntem. *Libros libelloſque* fateor & in horum hiſtoriis rarò quidem, ſed interdum tamen nominari. Sed ne erres. Iſtos libros libelloſque quos memorant, ſcito non Dei, ſed vel ipſorum vel aliorum hominum Scripturas, commentarioſque fuiſſe. Ac ne me calumniari putes, interpretatio noſtra affirmanda eſt. Mario de ſuis neophytis vni avunculum, qui erat Ethnicus per vim eripuiſſe tradunt interdum quidem Servatoris imaginem, interdum verò *libros ſpirituales*. Cave putes libros iſtos aliquos fuiſſe ſacræ Scripturæ codices. Nam præterquam quod ſacram Scripturam laïcis omnibus negant, nedum vt eam neophytis Sinenſibus tradant; Non ſolent Dei Scripturæ *Spiritualium* librorum nomine appellari. Si verò acrius vrgeas & quæras quinam ergo tandem *Spirituales* illi *libri* fuerint, dabo auctorem qui hoc doceat, & quidem idoneum & locupletem, Is eſt Emanuel Dias, Ignatianæ ſectæ non ignobilis apud Sinas operarius; qui res iſtic à ſuis geſtas, A.D.1625. exſequens hiſtoriam ſuperioris geminam narrat, ait hominem quendam Ethnicum filij ſui ad cultum Latinum ſe invito converſi & *imagines complures, & Catechiſmum quoque combuſiſſe*. Hi ſunt ne dubites, Ieſuiticorum diſcipulorum *Spirituales libri*, quos vt ipſis ægrè faciant, Ethnici Sinæ eripiunt; libellos ſcilicet in eorum gratiam à Ieſuitis ipſis Sinicè vel Iaponicè conſcriptos. Idem ex Aloyſio Froës, ipſo quoque Ieſuita diſcimus, qui Ioannem Sciurindorum principem apud Iaponas virum tradit magno in pretio habere reliquias, roſaria, piaculares globulos, & imagines à ſuo patre relictas. Sed *libros Spirituales* poſcere ac ſcribere ſibi hujus generis nullum eſſe alium, niſi Gerſoni de contemptu mundi commentarium; cujus ſe lectione, ſimul oratione ante faciam quandam imaginem fuſa, ſpiritum fidei ſemel hauſtum fovere. Alibi quoque reperio ejuſdem Gerſoni lectione quendam iſtorum diſcipulum Antonium Facatam ad Dei amorem fuiſſe mirabiliter inflammatum. Eſt ergo & his auctoribus ille Gerſonis commentarius vnus de Spiritualibus Ieſuitarum libris.

Ann. Sin. an. 1618. p. 259.

Ann. Sin. an 1625. p. 141.

Al. Froës. Ann. Iap. 1596. p. 277.

Ann. Iap. an. 1619. c. 6. p. 134.

CAPUT XXV.

libris. Sic & Iuliam quandā ſummæ ſed Latinæ pietatis mulierem iſtorū Annales in deſertam inſulā ob fidem relegatam, referunt ad ſuæ ſolitudinis ſolatium, cereos & campanam & imaginem & libros ſpirituales à Ieſuitis ſuis popoſciſſe, id eſt, vt ipſa interpretatur, *Martyrum & Virginum*. Trigautius Adamum quendam poſt graviſſimos cruciatus laboreſque ob Latinam religionem apud Xiqui in Iaponia exantlatos dicit *in pietatis*, ſive vt iſti loquuntur, *devotionis libris*, præſertim vero in iis qui de *Imitatione Chriſti*, inſcripti ſunt, legendis ſe quotidie exercere. Idem ſex leproſis hominibus, quorum martyrium deſcribit, Petrum quemdam, carcere incluſis legiſſe dicit *Ludovici Granatenſis Monachi* libellum qui *dux peccatorum* dicitur. Solerius Leonem quendam ſuum ſcribit ingruente perſecutione enixè à Nangazachenis Ieſuitis flagitaſſe, vt ad ſe multos *Horarum*, quæ Virginis dicuntur, codices mittant, vnà cum roſariis, imaginibus, granis benedictis & aliis ejuſdem cenſus. Idem Medicum quemdam apud civitatem Yendo vnum in iſtis partibus ſui cultus hominem prædicat ſexies legiſſe Catechiſmum Iaponice à ſuis redditum, ſexies quoque *magnum peccatorum ducem ſive hodegum*. Alibi tradunt eorumdem Annales Michaëlem, & Ioannem Giſſiachos, religionis ſuæ apud Iaponiam martyras, in carcere, dum illic eſſent, varias poſuiſſe imagines, & *Vitas Sanctorum*, & alibi Bartholomæum Omaræ Regem in manibus ferè ſemper habuiſſe ſcriptum à Villela Ieſuita de Bonziorum quæſtionibus ſuiſque ad eas reſponſionibus volumen; Item alio in loco quemdam fuiſſe tanti in Latinam religionem zeli, vt cum peculiolam omnem ſuam (ajunt enim cum in re fuiſſe perquam tenui) *in coemendis libris ſpiritualibus* Iaponicis conſumpſiſſet, pugionem poſtremo ſuum, quo Iaponibus nihil eſſe carius perhibent, vendiderit, vt eo ære codicem de Roſarij myſteriis manuſcriptum ſibi compararet. Ex his jam ſatis patet qui ſint illi ab iſtis interdum in ſuorum perſecutionibus commemorati libri. Sunt nimirum *Catechiſmus*, & *Gerſonis de mundi contemptu* opuſculum & *Martyrum ac Virginum* acta, & *de imitatione Chriſti*, ſive à Ioanne de Gerſen, ſive à Thoma Kempenſi ſcriptum volumen, & Ludovici Granatæ *Peccatorum Hodegus*, & *Horarum Virginis* codex, & de Roſarij myſteriis lucubratio, & alia ejuſdem farinæ: *Dei* vero *Scripturæ non ſunt*, quæ veteris ac novi fœderis libros continent; Has enim in vlla iſtorum de ſuæ religionis perſecutionibus narratione nominatas equidem non memini. Neque fieri poteſt, vt iſti Sinæ, & Iapones & Cocincinenſes de Ieſuitarum officina Chriſtiani Scripturæ ſacræ libros apud ſe habuerint. Nam ſi habuiſſent, à Ieſuitis certè ſuis Sinicè & Iaponicè interpretatos habuiſſent, qui ipſi ſcilicet neque Latinè, Græcè, aut Ebraicè ſciunt, neque vllam earum linguarū tenent, in quas ſacræ litteræ vel à noſtris vel etiam à Latini cultus hominibus converſæ ſunt. Ieſuitas vero Scripturas in vulgarem aliquam linguam tranſtuliſſe, inauditum eſt; &

Trig. Mart. Iap. l. 1. c. 9. p. 49. &c.

Ann. Iapon. 1611. p. 119.

Trig. Mart. Iap. l. 3. c. 16.

Ibid. l. 5. c. 22. p. 604.

Solier. Iapon. l. 11. c. 1. p. 107.

Id. ibid. l. 15. c. 24.

Relat. de 9. Martyr. a. 1609 p. 27.

Sol. Iap. l. 4. c. 13. §. 135.

Ann. Iap. an. 1605. p. 226.

CAPVT XXV.

monſtri ſimile; Iaponicè quidem aut Sinicè non fuiſſe ab iis interpre-
ratas hinc indubitatò conficitur, quod homines vaniſſimi famæque ac
gloriæ longe omnium quotquot vnquam fuerunt mortalium, cupidiſ-
ſimi hanc ſuorum lauream non erant diſſimulaturi, ſi qui eam ſuorum
eſſent meriti. Sed nihil iſtos hujuſmodi tradidiſſe in tam multis volu-
minibus de Iaponicis Siniciſque ſuis bellis, victoriis ac triumphis vi-
Froës Ann. Iap. a. 1595. p. 176. deor mihi meminiſſe. Gloriantur quidem ſe typographycam officinã
pro lingua Latina & Iaponica in Amacuſano apud Iapones gymnaſio
inſtituiſſe an. jam ni fallor, ſuperioris ſæculi 94. Inde vero prodiiſſe
non alia narrant niſi Catechiſmum Tridentinum, Contemptũ mun-
di & Ignatij exercitia. Euclidem quoque Sinicè Sinis ſuis edidiſſe ma-
Trigaut. p. 514 l. 5. c. 7. gnum eorum Apoſtolum Riccium, & de Ariſtotelis item ac Ptolo-
mæi libris nonnulla legi, niſi me fallit memoria, apud Trigautium aut
Semedum; vtiliſſimam ſcilicet ac propemodum neceſſariam prope-
diam ad imbuendas Ieſuitico Chriſtianiſmo barbarorum mentes. Sed
& Maldonatum in Evangelia & Toletum & Riberam in Epiſtolam ad
Ann. Æth. a. 1617. p. 139. Romanos, commodiſſima profecto quis neget? ad Æthiopas in myſte-
riis fidei erudiendos volumina ab Ant. de Angelis & ab Azevedo in lin-
guam Abyſſinorum, aut vulgarem, aut litteralem transferri narrabat
Sol. Iap. l. 19. c. 26. p. 764. 5. 234. Petr. Paëſius ipſorum contubernalis A.D. 1617. Et librum Petri Anto-
nij Spinelli Ieſuitæ de Mariæ Virginis laudibus ab alio iſtius conſecra-
neo Petro Paulo Navarro pro ſua fide apud Iaponas vincto in ipſo car-
cere Iaponicè redditum eſſe teſtantur Annales, & Azevedum *Horas
Latinorum canonicas*, & *tempeſtatum exorciſmum*, & de *Symbolo Apo-
Ann. Æth. a. 1624. 1625. p. 82. ſtolorum homilias* ſive tractatus, & *annotationes in Chriſti Domini, A-
poſtolorum, & Eremitarum imagines*, & alium quemdam ex eo ordine
librum de *Eccleſiaſtica immunitate* edidiſſe, vel edituros Æthiopum
quidem, ſed litteratorum, idiomate. Hæc tranſtuliſſe Ieſuitas in gentiũ
barbararum linguas, & alia ſi fote ejuſdem cenſus ab ipſis didicimus;
Sacras Dei Scripturas in vulgarem aliquam linguam convertiſſe nun-
quam vel ipſi vel alij, quod ſciamus dixerunt. Illud ſane ſcimus Hie-
ronymum Xaverium inter Ieſuitas qui in Oriente peregrinati ſunt, no-
biliſſimum cum Domini Ieſu Chriſti hiſtoriam Perſicis litteris manda-
re & Achebaro Mogori, maximo potentiſſimoque in Indiis Orientali-
bus Monarchæ offerre vellet, non, quod facillimum ac promptiſſimũ
erat, ſcripta ab Apoſtolis & diſcipulis de hoc argumento Evangelia
Perſicè eſſe interpretatum, ſed divinis Scriptoribus veluti ſua illa pro-
vincia non ſatis feliciter defunctis diffiſum, novum opus de integro
pro ſuo ipſum judicio condidiſſe; quod vir doctiſſimus Ludovicus de
Dieu ὁ μακαρίτης, cùm in ejus manus veniſſet, Perſicè & Latinè A.D.
1639. edidit; adeo διὰ παντὸς illos ſacræ Scripturæ libros vel metuunt,
vel faſtidiunt, vel certè erubeſcunt Ieſuitæ. Cùm ergo neque Sinicè
neque Iaponicè Scripturas ſacras illi vnquam converterint, nunc cla-
rum eſt, non de his, ſed de aliis humanis à ſe vel ſcriptis, vel inter-

preta-

pretatis libris eſſe intelligendos ſpirituales illos libros, quorum in perſecutionum Iaponicarũ & Sinenſium hiſtoriis pauculis locis fit ab illis mentio. Vnde id jam quod ſtatuebamus, conſtat Scripturas in hujuſmodi martyriorum & confeſſionum narrationibus apud veteres quidem paſſim ac ſæpiſſime occurrere; apud Latinos verò nunquam; qui quidem res hujus generis poſtremo hoc ſæculo geſtas tradunt. Quod magno argumento eſt iſtos & hominum amorem ac ſtudium à Dei litteris ad imagines & cruces, cæteraque cultus ſui muta atq; inanimata inſtrumenta tranſtuliſſe; & Chriſtianiſmum ab eo vſu cultuque plurimum immutaſſe, in quo olim prioribus tribus ſæculis fuerat. Planum enim eſt ſi is idem manſiſſet, qui fuerat priùs, ſimiles futuras vtrorumque ſæculorum de rebus iiſdem, puta de perſecutionibus narrationes; quæ quantoperè inter ſe diſcrepent, omnes ſatis, vt opinor, vident. CAPVT XXV.

LIBER

LIBER II.

QVO PROPRIA ADVERSVS Latinam de Euchariſtiæ adoratione traditionem argumenta continentur.

CAPVT I.

Argumentum I. quod Euchariſtiam Apoſtoli in prima Cœna inſtitutam & participatam adorare à Domino juſſi non ſunt.

ATQVE hæc quidem de his quinque Latinorum cultibus vel pluribus in commune, vel etiam omnibus in genere hactenus dicta, niſi fallor, probant eorum nullum apud veteres Chriſtianos intra decem primarum perſecutionum tempus fuiſſe vſitatum aut cognitum. Sed tamen quod res ipſa per ſe ſit magni omnino ſingulariſque momenti, quodque adverſariorum animus falſorum ſtudio non vna de cauſa occupatus veris haud facilè cedat; age nunc vnumquemque iſtorum apud Latinos ſolennium cultuum ſigillatim conſideramus; & ex iis, quæ ſingulorum propria ſunt, num ij primo Chriſtianiſmi ævo fuerint aliquo in vſu quam accuratiſſime fieri poterit, indagemus. Ab Euchariſtia ordiemur; quam præcipuo, ac ſupra ceteras omnes religiones longe eminentiſſimo cultu venerantur. Tridentini Patres cum multa de ipſo myſterio dixiſſent, tandem quis ei debeatur cultus his verbis, ſane confidentiſſime, definiunt; *Nullus itaque dubitandi* (inquiunt) *locus relinquitur, quin omnes Chriſti fideles pro more in Catholica Eccleſia SEMPER recepto LATRIÆ cultum, qui vero Deo debetur, huic ſanctiſſimo Sacramento in veneratione exhibeant; Neque enim ideo minus eſt adorandum, quod fuerit à Chriſto Domino, vt ſumatur, inſtitutum. Nam illum eundem Deum præſentem in eo adeſſe credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei; quem Magi proci-*

Conc. Trid. Seſſ.13.cap.5.

procidentes adoraverint, quem denique in Galilæa ab Apoſtolis adoratum fuiſſe Scriptura teſtatur. Neque hæc ita definire ſatis habuerunt; Inſuper qui diſſentirent, eos homines anathematum largiſſimi, horrendo fulmine, velut Chriſti Eccleſiæque hoſtes, feriunt; *Si quis* (inquiunt) *dixerit in ſancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum unigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ, etiam externo, adorandum, atque ideo nec feſtiva peculiari celebritate venerandum; neque in proceſſionibus ſecundum laudabilem, & univerſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum & conſuetudinem, ſolenniter circumgeſtandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores eſſe idololatras; anathema ſit.* Hæc illi. Ego jam non quæro, cur cum in capite illo quinto definiviſſent *Sacramento exhibendum latriæ cultum*, in ſexto canone eum damnaverint, qui *cultu latriæ adorandum* negaverit, non *Sacramentum*, ſed *Chriſtum unigenitum Dei Filium in Sacramento*; quæ multum à ſe invicem diſtare videntur. Neque illud agito, cur *in eo Sacramento*, cui *latriam exhiberi* jubent, *Chriſtum præſentem adeſſe*; cur non potius, quod alij dixerunt, *Sacramentum ipſum Chriſtum eſſe* dixerint; Neque illud diſcutio, an ſatis valeat illa Tridentinorum mirabilis demonſtratio, qua *ſacramentum latriæ cultu adorandum eſſe* inde conficiunt, quod *IN EO Chriſtum ipſum præſentem adeſſe* ſtatuant; Neque enim vel *cœlum vel terram latriæ adorari* debere ideo quiſquam putat, quod in cœlo & in terra idem ille Deus præſens adſit, quem omnis ſemper Eccleſia latria adoravit. Mitto & hoc quærere, quidnam illud tandem Euchariſtiæ ſit, quod, præter ejus ſubſtantiam (quam iſti Chriſtum ipſum eſſe ſupponunt) *cultu latriæ* ipſum quoque indubitabiliter *adorandum eſſe* decernunt. Hoc enim Sacramentum, cui *latriæ cultum à fidelibus exhibendum* eſſe ſanctiſſimi Patres affirmatiſſime pronuntiant, quicquid illud tandem ſit, aliud certe *à Chriſto* aliquid eſſe iidem ſtatuere clariſſime videntur, dum *in eo* ipſo latria adorando Sacramento Chriſtum Dominum ac Deum noſtrum *præſentem adeſſe* dicũt; quod, mihi quidem certe, inauditum ſit id, in quo quid *præſens adeſt*, idem eſſe cum eo quod in ipſo *præſens adeſt*, neque id quod in aliquo præſens adeſt aliud quicquam ab eo eſſe in quo ipſum præſens adeſt. Neque ſi conſtiterit (ut ſane conſtare videtur) illud à Chriſto aliud quod in Euchariſtiæ Sacramento intelligitur, eſſe viſibilia panis & vini accidentia, quæ difflata ac ſoluta ipſa utriuſque elementi ſubſtantia, ſola remanſerunt; illud ſollicitare pergo, qui tam tenui, tamq; levi rei, quæ quod longius à Deo diſtet, vix quicquam in omni rerum univerſitate reperias, diviniſſimus latriæ cultus congruat, quem ipſi Tridentini *vero Deo deberi* ibidem ajunt. Neque denique illa jam tango, quæ ſunt nuper à Romano Ieſuita Sforza Pallavicino ad purgandam hanc ſuæ ſynodi orationem allata, ſubtilia ſcilicet & ex penitiſſimis Ariſtoteleæ philoſophiæ arcanis eruta; nempe *Chriſtum in Sacramento eſſe dici*, non ut aquam in vaſculo, ſed ut partem in toto, cujus pars

CAP. I.

ibid. can. 6.

EE eſt;

CAP. I. eſt; quamquam equidem vix ſatis perſpiciam, qui poſſit hunc ſenſum Tridentina oratio admittere, qua Chriſtus in Sacramento non *eſſe* ſimpliciter, ſed *PRÆSENS ADESSE* dicitur, hæc enim verba non partis in toto, ſed contenti in continente, vel locati certe in loco exiſtentiam ſignificare ſolent in omni, quod ſciam, Dei hominumque ſermone; neque illam profecto equidem Ieſuitæ ratiocinationem ſatis capio, qua ex eo quod humanam Chriſti naturam ob vnionem cum æterno Dei verbo adoramus, colligit etiam panis & vini accidentia, quod in eodem cum Chriſti corpore, Sacramento ſint, eſſe pariter adoranda; neque enim iſte, vt opinor, putat, vt natura Chriſti humana cum Filio, ita quoque panis accidentia cum Chriſti corpore perſonaliter ſic vniri, vt ab illa panis vinique albedine, rubedine, rotunditate, humiditate, &c. Chriſti corpus album, rubrum, rotundum, humidum, &c. vere dici poſſit: quemadodum ab illa Chriſti humana natura Filius vere *homo* eſſe, verè σαρκωθεὶς, & *natus* eſſe dicitur. Sed hæc, inquam, & alia ejuſdem generis à præſenti inſtituto aliena mittamus. Illud vnum nunc quod hujus proprie eſt operis, excutiamus, quo jure ſciſcant Tridentini legiſlatores, *hunc in Catholica Eccleſia ſemper receptum fuiſſe morem vt Euchariſtiæ Sacramento, illum latriæ cultum, qui vero Deo debetur, fideles in veneratione exhiberent.* Id vero quam non modo temere, ſed etiam falſo ac impudenter dictum ſit, & multis iam, iiſque haud quaquam obſcuris argumentis demonſtravimus, & pluribus nunc deinceps oſtendemus. Ac vt rem ab ipſa origine repetamus ſi Euchariſtiæ, id eſt rei panis & vini forma præditæ, omnique motu ac ſenſu, quantum intelligere poſſumus, carenti ſummus ille cultus à fidelibus exhiberi debebat profecto Dominus Chriſtus, noſtræ vnus diſciplinæ auctor & princeps, religionem tam ab ea, quæ hactenus apud ſuos Iudæos ex Dei legibus obtinuerat, pietatis ratione abhorrentem, tam ab ipſo humanæ mentis ſenſu alienam præcipiſſet ipſe diſerte, ac ſuis enixe imperaviſſet, quo tempore Euchariſtiam apud eos inſtituit. Iam vero illius inſtitutionis accuratiſſime deſcripta extat ab Ieſu diſcipulis, & quidem non vna narratio. Matthæus Apoſtolus ſacram illam hiſtoriam primus, vt creditur, litteris mandavit. Ille quidem memorat imprimis Chriſtum Apoſtolis præcepiſſe, vt panem illum ſacrum acciperent, ac *comederent*; item vt ex ſacro calice *biberent*; juſſiſſe, vt *adorarent*, ille ne leviſſime quidem vel vno verbo tota narratione indicat, aut innuit. Atqui de *adorando* multo magis monendi erant, quam de manducando. Panem enim diſcipulis ad menſam diſcumbentibus eo à Domino porrigi, vt manducetur, facile quivis intelligit; eo dari, vt ſummo latriæ cultu adoretur, nemo quantumvis acutus, per ſe ſuſpicari poteſt; quod nemo ſit communis modo ſenſus non plane expers, qui ſtultum & abſurdum eſſe non putet ea quemquam adorare ipſa, quibus veſcitur; vt vel ex Paganorum hominum libris atque teſtimoniis

Sforz. Pallav. Hiſt. Conc. Trid. Part. I. lib 12. c. 7. §. 6. 7. p. 988.

Matth 26. 26.

niis diſcere eſt. Idque ipſos etiam Tridentinos ſenſiſſe inde apparet, quod poſtquam huic Sacramento divinos cultus attribuerunt, illa ſtatim, quæ recitavimus, inferunt; *Neque enim ideo minus eſt adorandum, quod fuerit à Chriſto Domino vt ſumatur inſtitutum.* Nimirum intelligebant cum ratione & Scriptura ipſa pugnare videri, vt quod *ſumitur*, id eſt ore comeditur & in ventriculum mittitur, id ipſum tamen adoretur; eo diſerte monendos lectores putarunt non obſtare illam cibi comedendi apparentem cum rei adorandę natura repugnantiam, quominus myſticus ille Chriſti panis, qui ex Domini inſtituto ſumitur ac comeditur, idem tamen adoretur. Ego vero hunc panem, ſi Chriſtus, qui ſumi ac comedi præcepit, adorari idem præcepiſſet, adorandum equidem confiterer, tametſi cum omnibus naturæ ac pietatis ſenſibus pugnare vehementer videatur, vt quod ſumimus ac comedimus, id ipſum adoremus. Nihil enim Chriſtiani homines adeo clarum certumque habent, quo divinam Domini ſui auctoritatem multo potiorem non putent. Itaque ſi nos Matthæus Chriſtum ab Apoſtolis panem illum vt comedi, ſic etiam adorari juſſiſſe docuiſſet; laudarem Tridentinorum modeſtam ſapientiam, qui ſpretis auctore Chriſto, ſenſuum & rationis ſuæ dictatis, adorari ſacrum panem, tametſi eo vt ſumatur inſtitutum, decernere auſi ſunt. Vt vero ſua illa auctoritate, nullo Domini præcepto aut inſtituto, rem tam in ſpeciem abſurdam, tam ab omni humani generis judicio ac ſenſu abhorrentem præcipiant, & quidem ſub anathematis pœna omnibus fidelibus imponant; nemo, vt opinor, ferendum exiſtimabit, niſi ſiquis eos pari cum ſuo illo Deo pane honore ac cultu adorandos putet. Sed quod Matthæo memorare imprudenti non venerat in mentem, Marcus fortaſſis proximus è divinis Scriptoribus, exhibebit. Imo vero eadem & iſte quæ Matthæus peccat. Nam & ipſe Ieſum manducantibus Apoſtolis narrat *panem accepiſſe, benedicentemque fregiſſe, & dediſſe eis*, & diſerte edixiſſe, vt *SVMERENT*; edixiſſe vt *adorarent*, ne hic quidem narrat. Lucas, qui & ipſe de Chriſti diſcipulis vnus Evangelium edidit, in quo ſe ſumma fide ac diligentia omnia à principio aſſecutum ſcripturum profitetur, cum ad hanc Dominicæ hiſtoriæ partem venit, cætera cum aliis fuſiſſime exſequitur; de adorando illo pane quicquam fuiſſe à Chriſto præceptum, non magis quam Matthæus aut Marcus, meminit. Obſecro te, ſi Chriſtus, quod ſupponunt Tridentini, ſacrum pané & adorari, & ſumi, ſive manducari inſtituit; ſi vtrumque præcepit; cur non vtrumque Scriptores, longe omnium, qui vnquam fuere, ſapientiſſimi, memoraverunt? cur hoc de manducatione, quod & facile intellectu erat, & omni abſurditatis etiam ſpecie cavebat, ideoque & à Luca omiſſum eſt, Matthæus & Marcus dixerunt? illud de adoratione alterum, quod multo magis tum ob vſum ipſum, tum ob rei nōvitatem atque admirabilitatem dicendum erat, & Lucas & Matthæus,

CAP. K. *Vid. Cicer. l. 3. de Nat. Deor. p. 133.*

Marc. 14 22.

Luc. 1. 3.

Luc. 22. 17. 18. 19. 20.

Cap. I. thæus, & Marcus ſummo omnes conſenſu tacuerunt? Mirificam iſti nobis fingunt divinorum auctorum ſapientiam, qui horum duorum id quidem quod facilius ac per ſe obvium erat, dicendum; id vero quod longe difficilius, atque obſcurius erat, tacendum exiſtimaverint. Neque vero hic quiſquam reſponſet ſacros Scriptores, qui Chriſtum narraverint de hoc pane diſerte ita profeſſum eſſe, *Hoc eſt corpus meum*, nihil neceſſe fuiſſe memorare eundem præterea Apoſtolis præcepiſſe, vt eum panem *adorarent*; quod ipſi ſcilicet ex his Domini ſui verbis adorandum eſſe ſatis per ſe intelligerent. Primo enim etiamſi fingamus, quod longe falſiſſimum eſt, potuiſſe ex his Chriſti verbis intelligere Apoſtolos id, quod ipſi accipiebant, non *panem*, vt eſſe videbatur, ſed ipſum Domini proprie dictum *corpus* proprie ac vt loquuntur *ſubſtantialiter* fuiſſe; non ideo tamen inde conſequens fuerit, vt de eo ipſo adorando & Apoſtolos & nos moneri nihil neceſſe ſit. Ieſum eſſe Dei Filium, Deumque ſuper omnia benedictum in ſæcula Scriptura divina non ſemel, ſed ſæpiſſime, & locis pæne innumerabilibus non obſcure, aut ambigue, ſed apertiſſime atque clariſſime tradidit; neque quiſquam Chriſtianorum eſt, qui non partim per ſe, partim ex iiſdem illis litteris intelligat, qui hoc ſenſu Deus ſit, verus nempe & ſuper omnia & in ſæcula benedictus, eum par eſſe ſummo ab omnibus cultu adorari. Non ideo tamen Ieſum ita eſſe *adorandum vel* Patrem piguit diſertis verbis nos monere, vel Scriptores divinos memorare id ita à Patre præceptum, & ab ipſo Filio promulgatum, & à fidelibus non paucis ſuo exemplo confirmatum eſſe. Nota ſunt quæ paſſim apud novi fœderis Scriptores hac de re leguntur; Patrem cum ſuum illum primogenitum in orbem terræ introduceret, dixiſſe, *Adorent eum omnes Angeli Dei*; Ieſum vero de ſe ipſo idem quoque his verbis luculentiſſime teſtatum eſſe; *Pater omne judicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem.* Et ipſi Apoſtoli id eſſe Filij nomen nos docent, in quo *omne genu flecti oporteat cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Ac vt exemplis doctrinam hanc firmarent, non tacuerunt Ieſum, cum primum eſſet natus, *Magos procidentes adoraviſſe*; eundemque cultum ei ab aliis non paucis exhibitum fuiſſe adhuc in terris verſanti; vt à leproſo quodam, pio ac religioſo homine, & ab alio quodam fideli principe, & à multis diſcipulis à tempeſtate navim, in qua jactabantur, exagitante ſervatis, & à muliere Chananæa, & ab vxore Zebedæi, & à mulieribus, quæ cum è mortuis reſuſcitatum ſalutaverunt, & ab Apoſtolis; quo & illud Lucæ pertinet, qui invocatum à Stephano martyre Ieſum narrat. Hæc omnia de adoratione, Domino Ieſu vel debita, vel etiam exhibita haud quaquam fruſtra & ſupervacaneo labore tradita fuiſſe in divinis litteris patet. Nam etiamſi qui Deus eſt, ei divinum hunc cultum deberi & ipſa naturæ lux, & multo etiam clarius cœleſtis Scripturæ vox doceat; tamen quod Filius formam ſervi aſſumpſerit, & in ea omni-

Matt. 26. 26.

Hebr. 1. 6.

Ioan. 5. 22. 23.

Phil. 2. 10.

Matt. 2. 11.

Matth. 8. 2. & 9. 18. & 14. 33. & 15. 25. & 20. 20. & 28. 9. 17.

Act. 7. 59. 60.

omnibus noſtris infirmitatibus obnoxia ſe conſpiciendum præbuerit, *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus vt homo*; nequis propterea de ejus cultu dubitaret, omnino ſapienter, imo & ad compeſcendam omnem ea de re controverſiam neceſſario proviſum eſt, vt Scriptura Ieſum non modo Deum eſſe crebro clareque doceret, ſed & adorandum à nobis eſſe verbis inſuper & exemplis diſerte admoneret. Vnde facile quivis intelligere poteſt, etiamſi illis Chriſti verbis, *Hoc eſt corpus meum*, ita clare certoque ſignificaretur id, quod Dominus Apoſtolis porrexit, proprie & abſque vllo ſermonis tropo ipſius eſſe corpus, vt hoc illi verum eſſe ſtatim atque verba prolata ſint, ex iis potuerint cognoſcere; non ideo tamen conſequens eſſe, vt non debuerint de eo adorando diſerte admoneri; ne ſcilicet vlla in eorum animis de ejus rei adoratione ſupereſſet dubitatio, quæ quamlibet magnæ ac divinæ dignitatis eſſet, in ea tamen forma exhibebatur, in qua numen multo minus, quam in humana adoratum vnquam fuiſſe conſtat. Deum enim fideles in humana ſpecie aliquando viſum & adoratum fuiſſe, ex veteribus litteris ſciebant; in panis & vini ſpecie adoratum, plane inauditum erat. Neque opinor, quiſquam dubitat, quin horum elementorum ſpecie, ipſa carnis humanæ quantumvis humilis atque abjecta, forma multo ſit præſtantior, ac Deo vt ſic dicam, dignior. Quæ ergo Scriptura Ieſum tametſi docuiſſet eum Dei Filium, Deumque vere eſſe, nihilo ſecius adorandum, imo & adoratum fuiſſe, diſertiſſime & quidem non ſemel nos admonuit; eadem profecto Sacramentum, etiamſi (quod falſo ſupponunt adverſarij) corpus Chriſti vere ac ſubſtantialiter eſſe verbis illis Dominicis docuiſſet, non ideo tamen ſuperſediſſet ejus adorationem nobis diſerte præcipere; ſiquis, quod iidem volunt, hujuſmodi cultus ei eſſet à nobis exhibendus. Id certe ſaltem dixiſſet, quod Tridentinos non tacuiſſe videmus, *non ideo minus eſſe adorandum hoc Sacramentum, quod fuerit à Chriſto Domino, vt ſumatur, inſtitutum*. Id enim plane neceſſario addendum fuiſſe vel iſtorum exemplum docet, nequis quod *ſumere*, ſive *comedere* juberetur, id ipſum cunctaretur adorare. Atqui neque Dominus in ipſa myſterij inſtitutione Apoſtolos id, quod iis ſumendum porrigebat, adorare juſſit; neque vlla novi fœderis Scriptura hoc, aut alio vllo loco, vel adorandum eſſe præcipit, vel adoratam à piis fuiſſe ſignificat. Sed & huc aliud multo majus accedit. Nimirum quod adverſarij, veluti certum atque evidens, aſſumunt, adorandum id eſſe ſtatim ſignificari, cuicumque *corporis Dominici* nomenclatura attribuitur; hoc ipſum inquam, longe falſiſſimum eſſe liquido deprehenditur. Certe vt Chriſtus de Sacramento quod porrigebat, dixit, *Hoc eſt corpus meum*; ita & Paulus de Eccleſia, *Corpus eſt* (inquit) *ipſius*, id eſt vt liquet, *Domini Chriſti*, ac iterum alibi, cum de *Chriſti corpore* dixiſſet, *quod* (inquit) *eſt Eccleſia*; neque tamen hactenus quiſquam inventus eſt, qui Eccleſiam latriæ cultu adorandam

Cap. I. Phil. 2. 7. Eph. 1. 23. Col. 1. 24.

CAP. I. dam eſſe eo ſignificatum à Paulo fuiſſe putaret. Quid, quod idem
1. Cor. 6. 15. Paulus affirmat *corpora fidelium eſſe membra Chriſti?* *Neſcitis* (inquit pios alloquens) *quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti?* Atqui nemo vnquam fuit ita præpoſtere acutus, vt eo à Paulo decerni deliraret adoranda ſingulorum fidelium corpora. De petra, ex qua olim
1. Cor. 10. 4. Iſraëlitæ in eremo biberunt, idem Paulus diſertiſſime, *Petra* (inquit) *erat Chriſtus.* Eo-ne judicandum eſt Apoſtolum *Petram* illam vel adorari præcepiſſe, vel ſignificaſſe, olim, cum ex ea Iſraël biberet, adorandam fuiſſe? Nemo eſt neque veterum, neque recentiorum, qui hoc inde intellexerit. Nimirum non vna eſt ratio, qua nomina ſubjectis rebus attribuuntur. Quædam de iis *propriè* dicuntur, quorum cum ipſis rebus nexus eſſentialis veruſque eſt, non adumbratus; vt cum Ieſus vel *homo*, vel *Dei Filius*, vel *Deus* eſſe dicitur. Sed & *improprie* multa dicuntur, ob aliquam ſimilitudinem, vel relationem; & Theologorum verbum vetus eſt, ſigna eorum, quæ ſignificant, no-
Aug. ep. 23. ad Bonif. T. 2. minibus ſæpe dici. *Panem* vero *Chriſti corpus* non proprie dici monet ac vincit ipſa rerum poſt illa prolata verba perſeverans diſparitas. Chriſti enim *humanum* vere corpus fuiſſe, & ſcimus & tenebant Apoſtoli. Panem vero, qui Chriſti corpus dicebatur, plane alius & naturæ, & molis, & formæ, & coloris eſſe & noſtri & Apoſtolorum ſenſus æque deprehendunt. Ergo quod de porrecto Sacramento dixit Dominus, *Hoc eſt corpus meum*, eo nequaquam factum eſt, vt Sacramentum *corpus Domini* proprie & dici & eſſe intelligerent. Nihil enim erat quod eos hæc verba aliter ne caperent, deterreret; Multa, imo omnia vt aliter acciperent, hortabantur; maxime cum apud omnem eorum gentem familiaris, & in Paſchali ipſa cœna ſolennis eſſet ea locutio, qua vnius rei nomen alteri tribuitur, quæ ejus, cujus id proprie nomen eſt, ſymbolum & monumentum eſt. Nam Iudæis in Paſchali cœna ſolenne eſt inter cæteros ritus, quibus ea ſacra peraguntur, hæc nominatim verba de pane azymo, qui ſingulis convivis porrigitur effari; דא לחמא עניא די אכלו אבהתנא בארעא דמצרים *Hic eſt*
Seder Thephillos in noct. Paſch p. 102. A. *panis afflictionis, quem comederunt Patres noſtri in terra Ægypti.* Qui ergo Apoſtoli ſciebant Iudaïcum Paſchatis azymum ideo panem illum dici, quem Patres in Ægypto ederant, quod ejus eſſet apud poſteros μνημόσυνον, ac ſymbolicum monumentum; non quod revera ac proprie eſſet idem ille panis; eos profecto pronum ac proclive fuit quod à Chriſto in ſui memoriam inſtitui audiebant, *Hoc facite* (inquit) *in meam commemorationem*, id inquam, Domini corpus ideo dici intelligere, non quod ipſum proprie corpus eſſet, ſed quod ejus corporis μνημόσυνον ac monimentum apud ſuos eſſet. Sed quid eſt pluribus opus in re etiam apud plurimos, eoſque celeberrimos adverſarios confeſſa? Illi enim tametſi hęc Domini verba, *Hoc eſt corpus meum*, ita ſumi, quod nos negamus, poſſe contendant, vt ſignificent Sacramentum, quod Chriſtus porrigebat; proprie corpus eſſe Domini;

Domini; confitentur tamen non eam eſſe verborum vim, vt hoc per ſe neceſſario ſignificent; *poſſe* enim *illa in metaphorico ſenſu verificari*, id eſt ſic vt Sacramentum *corporis*, non ſubſtantia, ſed ſignum & figura eſſe intelligatur. Hæc Cajetani celeberrimi apud eos Theologi, ſententia fuit; quam & alij vetuſtiores jamdudum erant ſecuti; vt Occam, qui negat vel *naturali ratione, vel auctoritate Bibliæ probari poſſe* tranſſubſtantiationem; vt Alliacenſis, qui eam non modo ex Scriptura, ſed ne *ex Eccleſiæ* quidem *determinatione evidenter* probari poſſe putat; vt Gabriel Biel, vt Scotus, famoſiſſimi vt notum eſt, magiſtri; quibuſcum & ex recentioribus ſentire videntur Contarenus, & Perronius Cardinalis, Canus Canarienſis Epiſcopus, & Becanus Ieſuita. Bellarminus certe rametſi profiteatur ipſe *Scripturam ſibi videri tam claram, vt poſſit cogere hominem non protervum* ad tranſſubſtantiationis ſcilicet dogma admittendum; fatetur tamen *an ita ſit, merito dubitari poſſe, cum homines doctiſſimi & acutiſſimi qualis inprimis Scotus fuit, contrarium ſentiant.* Quod vero illa Chriſti verba de tranſſubſtantiatione intelligenda ſint, auctores iſti, qui ex Scriptura haberi negant, id vel ex Eccleſiæ Romanæ determinatione, vel ex communi opinione Doctorum, vel denique ex veteri traditione colligi putant; quarum rerum cum nulla adhuc eo tempore extaret, quo hæc verba Chriſtus de Sacramento dixit, apparet ne ex iſtorum quidem Scriptorum ſententia tum potuiſſe Apoſtolos certo ac indubitato ex iis verbis intelligere, an quod ſumebant Sacramentum proprie ac ſubſtantialiter ipſum Domini corpus eſſet, adeoque nihil hæc verba ad eos de Sacramenti adoratione docendos valuiſſe, quam ſcilicet Sacramento Tridentini ipſi non alia de cauſa tribuunt, quam quod in eo Chriſti corpus vere ac proprie per tranſſubſtantiationem *præſens adeſſe*, judicent. Ergo ſi adorari hoc à ſuis Sacramentum voluiſſet Chriſtus, non modo hæc ejus verba prohibere non debuerunt, ne eos *adorare* diſerte præciperet, ſed contra potius exigebant, vt ipſos ea de re nominatim admoneret, quo ex divino illo Euchariſtiæ attributo cultu intelligerent verum illorum verborum ſenſum, hunc ſcilicet ex adverſariorum hypotheſi eſſe, vt Sacramentum ſignificent proprie, nõ metaphorice eſſe Chriſti corpus. Itaque dominum, ſi mens quidem hæc ejus erat, vt adoraretur hoc Sacramentum, omnino decebat Apoſtolis, ut dixit, *Accipite*, ita quoque dicere, *Adorate.* Hoc autem à Chriſto dictum non fuiſſe, clamat vt nuper oſtendimus, ipſa Evangeliſtarum narratio; quæ nihil tale iis locis commemorat, in quibus hoc, ſi verum erat, à prudenti Scriptore omitti abſque flagitio non poterat.

Cajet. in Thom. q. 75. art. 1. *Occ. quodl. 4. q. 34* *Alliaco in 4. q. 6. art. 2.* *Biel in can. lect. 40. Scot. in 4. d. 11. q. 3 §. Ad arg.* *Contar. de Sacr. l. 2. c. 3.* *Perron. de l'Euch. l. 2. Auth. 61. c. 3. & Auth. 59. c. 3.* *Can. Loc. l. 3. c. 3. fund. 3.* *Becan. de Sacra. in ſpec. c. 18. q. 2. §. Nona concluſ.* *Bell. de Euch. l. 3. c. 23. §. Non diſſimiliter.*

CAPUT

CAPVT II.

Argumentum II. Quod Euchariſtiam Apoſtoli in prima illa Cœna minime adoraverint; quod non erant prætermiſſuri, ſi ea Chriſtiani officij pars aliqua eſſet. Bellarmini & Perronij effugia præcluduntur.

SED adorari Euchariſtiam neque Chriſtum diſerte præcepiſſe, neque Apoſtolos id verbis illis, *Hoc eſt corpus meum*, præceptum intellexiſſe, ipſum eorum in hoc Sacramento accipiendo factum, multo etiam validius probat. Nam illi Euchariſtiam, ſi ſe adorare à Chriſto juſſos intellexiſſent, haud dubie fuerant flexis genibus adoraturi. Adverſarij quidem, qui hoc à Chriſto inſtitutum atque præceptum putant, nunquam eam vident, quin ſtatim venerabundi & caput retegant, & genua ponant; & ſi quis eorum (vt vocant) *hoſtiam ſimpliciter adorare refugiat, cum ea à ſacerdote, vel elevatur, vel alias defertur, id vero nefarium eſſe, & hæreſi proximum pronuntiant.* Quid, ſi non ſacerdotis mortalis, ſed Chriſti Domini manibus geſtatam aſpicerent? Annon eum, qui non adoratam tali loco tranſmitteret hominem impium, & horrendi ac nefarij ſceleris reum cenſerent? Iam Apoſtolos Dominica præcepta etiam ſanctius & religioſius, quam Latinos habuiſſe, nemo opinor, Chriſtianus negabit. Dubitari ergo non debet, quin ij Euchariſtiam ſibi ſanctiſſimis Domini manibus porrectam ſtatim adoraturi fuerint, ſi quid ipſis hujuſmodi Chriſtus præcepiſſet. Quod vero negat Bellarminus Apoſtolos potuiſſe ſemper proſtratos cum Chriſto in terris verſante agere; id quidem verum eſt, ſed nihil facit ad rem præſentem. Nam ſi Chriſtus, quam tum primum inſtituebat, Euchariſtiam à ſuis adorari præcepit; cauſa dici non poteſt, cur eam Apoſtoli non ſtatim, vt aſpexerunt, adorarint, & quidem tanto religioſius atque diligentius, quod tam novum, tamque admirabilem ritum illuſtri inprimis cultus exemplo dedicari decebat. Confiteor neceſſarios vitæ humanæ vſus minime paſſos fuiſſe, vt Apoſtoli Chriſtum, qui cum erant aſſidui, corpore proſtrati jugiter adorarent, ſatiſque fuiſſe, *vt illum* (quod ait Bellarminus) *certis vicibus proni adorarent; alias autem mente & animo venerarentur, agnoſcentes verum Dei Filium.* Sed Euchariſtiam, quam nunquam antea viderant; quam non aſſidue (vt Chriſtum in terris verſantem) ſed certis tantum temporibus ejus cultui ſacris viſuri erant; quid prohibuit, quominus prima illa vice, ſi id à Domino juſſi ſunt, adorarent? Recumbebant (inquit) cum Chriſto in cœna. Ergo ad Chriſti mandatum conſurgere non potuerunt, vt præceptum, adeoque neceſſarium, cultum Euchariſtiæ exhiberent? eo functi menſam brevi repetituri? Vertat ſe in omnes partes adverſarius, colorem dicere nullum poteſt. qui

Luc. Tudel. l. 2. c. 14. T. 4. Bibl. Patr.

Bell. de Euchar. l. 4. c. 30. §. Reſp. Apoſtolos.

qui Apoſtolos purget ab impietate, ſi Euchariſtiam ab optimo Domino juſſi adorare vel detrectarunt, vel neglexerunt. Iam ſic diſputat Bellarminus, vt concedat ab Apoſtolis non fuiſſe vllo externo latriæ cultu adoratam Euchariſtiam, & merito quidem id concedit, quod vt mox demonſtrabimus, verum eſt. Sed & illud concedat neceſſe eſt, vel impie ac præfracte ſe geſſiſſe Apoſtolos (quod omnes pariter abominamur) vel certe (quod nos volumus) nullam à Chriſto Euchariſtiç adorationem fuiſſe Apoſtolis præceptam. Id vidit Perronius; eoque miſſa Bellarmini in hoc loco ſimplicitate, qui veris cedens, cauſam prodit, alio ipſe confugit, & adoratam ab Apoſtolis Euchariſtiam pugnat; ſed ita tamen vt nullum adferat ſuæ ſententiæ argumentum; tantum ea ſtudeat convellere, quæ nos contra obiicimus. Ac primo quidem negat quicquam obſtare, quominus Euchariſtiam Apoſtoli etiam ad menſam accumbentes, adoraverint; quod Chriſtum infantem, & Maria ſinu, & Symeon vlnis geſtantes nihilo ſecius adoraverint. Sed ille cauſam apertiſſime deſerit. Non enim nunc quæritur an Apoſtoli mente, animoque, & *interno* (vt loquuntur) cultu Euchariſtiam venerati ſint; quo in cenſu eam fuiſſe adorationem neceſſe eſt, quam hic affert Perronius Chriſto infanti à Maria, & Symeone ſedentibus delatam. Quæritur an Apoſtoli Euchariſtiæ cultum illum *latriæ externum* exhibuerint, quem huic Sacramento & Tridentini decernunt, & omnes nunc Latini quam religioſiſſime exhibent; quemque ei vel negari, vel etiam, quoties licet, non deferri, nefas putant. Eum vero cultum vel Chriſto à Maria & Symeone ſedentibus, vel vlli omnino rei a diſcumbentibus exhibitum vnquam fuiſſe, vel exhiberi nunc poſſe, quis ſanus dixerit? Hic enim cultus eo conſtat, vt rem adoratam vel toto corpore in terram proni, vel in genua procumbentes veneremur; quæ etiam à viris vel in ſella ſedentibus, vel ad menſam recumbentibus fieri præſtarique poſſe nemini, puto, perſuaſura vnquam eſt, quantacunque de cætero ſit, Perronij noſtri ſubtilitas. Nemo eſt tam bardus, qui neſciat aliud eſſe *ſedere*, aliud *in genua procumbere*: aliud *recubare*, aliud *in terram pronum proſterni*. Quod ſi ſuam Latini hoſtiam, etiam à ſedentibus, aut recubantibus abunde adorari poſſe exiſtimant; cur ergo tam ſevere, tamque diligenter ac religioſe ſuos omnes, imo etiam peregrinos & à ſacris ſuis alienos, ad eam, ſimulatque tintinnabulo ſignum datum eſt, in genua ſummiſſos procumbere jubent? Cur ſiquis ita eam venerati nolit, ſuccenſent? violatamque religionem clamant? cur in miſerum involant, pugniſque ac calcibus, quod hic apud nos nimium ſæpe fieri videmus, velut in hominem impium, deſæviunt? neque cum eo aliter agendum putant, quam olim cum Orpheo à Ciconum matronis actum fuiſſe proditum eſt in fabulis? Iam quæ de ſeſſione ſubiicit Perronius, ea ab hac omni cauſa ita aliena ſunt, vt plane cum illa ſcriberet, non tam *ſediſſe*, quam vagatus & peregrinatus eſſe

CAP. II.

Perron. de Euchar. l. 3. c. 10 p. 871.

Conc. Trid. Seſſ 13. c. 5. can. 6.

CAP. II. videatur. Narrat ex Plutarcho Numam inſtituiſſe, vt à ſedentibus Dij adorentur, & hunc fuiſſe veterum Græcorum vſum probat ex vulgari quodam apud nos rhythmo, quo *adorare* nos Poëta *ſedentes* jubet *ex Græcorum præcepto & ſententia*. Denique & ex Tertulliano obſervat quoſdam etiam ex Chriſtianis fuiſſe, qui Hermæ ſive exemplo, ſive oratione decepti ſedentes adorarent. Hæc ille; omnia & falſa, & à re quæ agitur, aliena. Primo Plutarchus inter Numæ inſtituta cenſet, non, quod delirat Perronius, vt *ſedentes adorent*, ſed τὸ καθῆσθαι προσκυνήσαντας, *qui adoraſſent, ij vt ſederent*; quod mox & & repetit iterum, & ſic explicat, vt clarum ſit *adorationem illam*, de qua Numa, fieri ſolitam non à *ſedentibus*, ſed plane contra à *non ſedentibus*; qua videlicet peracta adoratores *ſedere* jubet, non juſſurus ſi adorantes ſediſſent. Et Latinus & Francicus interpretes, vterq; hanc Plutarchi mentem diſerte expreſſerunt; Latinus, *Circumagas te cùm Deos adoras; ſedeas, CVM ADORAVERIS.* Et noſter plane eodem modo, *ſe ſeoir aprés les avoir adorés, ſedere, poſtquam eos* (Deos ſcilicet) *adoraveris*. Quo fit, vt mirer vnde Perronius ſuum iſtud ſomnium effingere potuerit. Patilis ejus quoque fuit in Tertulliano oſcitantia, atque hallucinatio. Quod enim Tertullianus quoſdam ævi ſui ſuperſtitioſulos præpoſtero Hermam imitandi ſtudio *deſignata oratione*, hoc eſt, vt ipſe mox loquitur, *tranſacta*, confectaque *aſſidendum* ſibi putaſſe; id noſter diſputator, ſane imperitiſſime, ſic accepit, quaſi iſti ſedentes adorarent; plane præter Tertulliani mentem, qui iſtos vult poſtquam oraſſent, tum demum ſediſſe. Neque in rhythmo vernaculo felicior fuit Perronius, cujus ſententiam liquido pervertit. Neque enim Poëta, de corporis, quod iſte gratis ſomniavit, ſed *de animi* in orando, vt ſic dicam, *poſitura* præcipit; orationem & cultum Dei fieri à nobis jubens *mente* non vaga, ſed fixa, ac vt ſic dicam, *ſedente*, attenta, & *hoc* (quod ſacra facientes olim apud Romanos monebantur) agere. Ita fruſtra fuit Perroniana eruditionis oſtentatio. Neque ſane veriſimile eſt tam ineptum tamque abſurdum vſum cuiquam cordato placuiſſe, vt homo mortalis Deum Opt. Max. cui maxime debetur reverentia, ſedens adoret. Sed fac tamen id Numæ, & Græcis ſapientibus, & pravis Hermæ æmulatoribus placuiſſe; quid hoc ad Apoſtolos, qui Hebræi ortu, Chriſtiani diſciplina, multis ante Hermæ imitatores annis vixerunt? Hos vero ex divinis ipſorum Actis non *ſedentes*, ſed *genibus nixos* adoraſſe ſcimus; eundemque morem apud eorum diſcipulos Chriſtianos perſeveraſſe & ex aliis multis, & ex Euſebiana de Chriſtianis Marci Auguſti militibus narratione conſtat; quæ tradit eos τὸ γόνυ θέντας ἐπὶ τὴν γῆν κατὰ τὸ οἰκεῖον ἡμῖν τῆς εὐχῆς ἔθος ἐπὶ τὰς πρὸς τὸν Θεὸν ἱκετείας τραπέσθαι. *genibus humi poſitis ſecundum ſolennem nobis orandi morem, ad preces Deo adhibendas ſe convertiſſe.* Sed fac Apoſtolos (quod portentorum vltimum eſt) ex tua illa fictitia Numæ diſciplina ſedentes orare ſolitos fuiſſe; ne ſic quidem

Perr. vb. ſupr.

Plut. in Numa p. 127.

ibid Lat. eod. p. 121.

Plut. Franc T. 1. des Vies p. 131.

Tertull. de orat. c. 12. p. 154. A.

Act. 7. 59. & 9. 40. & 20. 36 & 21. 5.

Euſeb. hiſt. l. 5. c. 5 p. 48. B.

CAP. II.

quidem quicquam valebit tua illa Perroni, omnis obſervatio; quæ ſi vera eſſet, efficeret quidem fateor, apud Romam fas fuiſſe *ſedentes* adorare; non efficeret *recubantem*, vel *menſæ accumbentem*, etiam Romæ, quemquam adoraſſe. Iam vero Apoſtolos, quo tempore Euchariſtiam ſumpſerunt, non *ſediſſe*, ſed in lectis de ſæculi illius more, ſemiſupinos recubuiſſe, & Evangelia apertiſſime docent, & omnes eruditi confitentur; * qui corporis ſitus atque habitus nuſquam ab vllis omnino gentibus religioſæ adorationi deputatus reperitur. Euchariſtiam ergo non magis Numæ, & Paganorum, quam Iudæorum aut Chriſtianorum ritu adorare potuerunt Apoſtoli, qui eam ſcilicet non in os proni, aut in genua ſummiſſi, aut denique ſedentes, ſed recubantes, & ſemiſupini ad menſam à Domino acceperunt. Quod poſtremo negat Perronius in Evangelio expreſſum eſſe quæ Apoſtolorum fuerit in Euchariſtia percipienda poſitura, id inſpecti ſacri codices refellunt; in quibus apud Matthæum diſerte perſcriptum legimus totum hoc myſterium *illis cœnantibus* & inſtitutum, & peractum eſſe. Ac tametſi vel hoc vnum verbum ſatis demonſtret eos pro illius ſæculi more ad menſam accubuiſſe (neque enim tunc aliter apud has gentes cœnabatur) tamen nequid nobis lucis deeſſet, Matthæus paulò ante diſerte poſuerat *diſcubuiſſe Chriſtum cum duodecim diſcipulis ſuis*. Sic & Marcus; *Diſcumbentibus* (inquit) *eis & manducantibus ait Ieſus, Amen dico vobis quia vnus ex vobis tradet me*. Tum continuato Domini ſermone ad verſum vſque viceſimum ſecundum, ſubiicit, *Et manducantibus illis accepit Ieſus panem, & benedicens fregit*, & cætera, quibus vno eodemque ſpiritu tota Euchariſtici ſacri narratio pertexitur. Neque aliter Lucas; *Cum facta* (inquit) *eſſet hora Ieſus diſcubuit*, * *& duodecim Apoſtoli cum eo*; ac deinceps paucula verſiculis non amplius quatuor præfatus, Euchariſtiæ inſtitutionem ac celebrationem totam exſequitur. Ex his patet cœnam illam Chriſti cum Apoſtolis vltimam à diſcumbentibus peractam; quod Ioannes etiam clarius demonſtrat. Narrat enim ſic ad menſam poſitos fuiſſe, vt *ipſe in Domini ſinu recumberet*; quæ ipſiſſima erat Romanorum & aliorum iis temporibus in tricliniis cœnantium poſitura; quæ in accumbentibus quidem locum habere poteſt; in ſedentibus vero, vt omnes intelligunt, nequaquam poteſt. Ergo falſo & inſcite ſomniavit Perronius Apoſtolos ſediſſe, cum Euchariſtiam ſumpſerunt. Sumpſiſſe diſcumbentes planum eſt, neque adeo externo vllo latriæ cultu adoraſſe, cum certum ſit vel proſtratos, vel in genua procumbentes, adoraſſe omnes mortales, vel ſi quid ſomnianti Perronio credamus, etiam aliquos ſedentes; nullos recubantes. Quod vero Perronius de agno Paſchali turbat, quem à ſtantibus, non autem à diſcumbentibus fuiſſe comeſum ex quorumdam opinione refert, id ipſe Baronius refellit; vere ex Ritualibus Hebræorum libris demonſtrans illum ritum, ſi vnquam in vſu apud Hebræos ab exitu ex Ægypto fuit, certe à tempore exilij

*Vid. Baron. ad a. D. 34. §. 36. 37. 38. 39. 40. Ciaccon. de modo conviv. apud pr. m.

Matt. 26. 25.

Id. ibidem verſ. 20. ἀνέκειτο.

Marc. 14. 18. 22.

Luc. 22. 14. 19 *ἀνέπεσε.*

Ioan. 13. 23. Vide Bar. a. D. 34 §. 40. ex Ciaccone.

Bar. a. D. 34. §. 41.

CAP. II. Babylonici deſiiſſe; vt nil cauſæ ſit, cur non & Agni comeſtio, vt cætera in noviſſima illa cœna peracta, à Chriſto & Apoſtolis diſcumbentibus facta fuerit, non à ſedentibus, vel ſtantibus; ſi vnam pedum lotionem exceperis, ad quam diſcipulis miniſtrandam Chriſtum à cœna *ſurrexiſſe*, eaque peracta *iterum recubuiſſe*, diſerte commemoravit Ioannes; quo exemplo ſi vel agnus à ſtantibus, vel panis Eucharisticus à proſtratis, aut ingeniculatis ſumptus eſſet, dubitandum non eſt, quin Evangeliſtæ eadem quoque diligentia admoni turi fuerint eos ad vtrumque hoc peragendum de cœna ſurrexiſſe; quod cum nulli fecerint, conſtare debet eos ab initio cœnæ ad exitum diſcubuiſſe, cum hymno dicto omnes Chriſti juſſu ſurrexerunt, & exierunt in montem olearum. Vnde poſtremo id conficitur quod nos contendimus, Euchariſtiam à Domino porrectam nullo externo latriæ cultu veneratos fuiſſe. Quamquam hoc ipſum mea quidem ſententia, vel id vnum ſatis demonſtrat, quod eam adoratam nemo Evangeliſtarum in hac narratione memoraverit. Nam id ſi factum ab Apoſtolis fuiſſet, hoc loco commemorari, & ad ipſorum profecto gloriam, & ad noſtrum exemplum pertinebat, ne vel illi ſui & in Chriſtum amoris atque obſequij, & in Sacramentum cultus laude, vel nos illuſtri, inprimiſque ad Euchariſtiæ fidem & adorationem neceſſario documento fraudaremur. Itaque cum adorationem, quam ſi vere facta eſſet, tam graves cauſæ commemorari poſtulabant, ſapientiſſimi, noſtrique in Chriſto profectus cupidiſſimi Scriptores plane penituſque indictam prætermiſerint: pro certo ac indubitato ſtatuendum eſt ne eam quidem revera factam ab Apoſtolis fuiſſe. Quod & inde ſatis videtur conſtare, quod in tota Chriſti Domini accuſatione nullam à Iudæis de pane ab Apoſtolis eo jubente adorato mentionem fieri videmus. Laborat ſummus Pontifex in fucanda ſuæ in ſanctiſſimum atque innocentiſſimum reum ſententiæ iniquitate; colores ſummiſſis teſtibus parat, quibus ſuæ crudelitatis atque impietatis invidiam minuat; Ieſum de Templo Dei ſecius loquutum fingit, & in graviſſimis atque diviniſſimis ejus vocibus neſcio quam blaſphemiam ſceleratiſſimus hypocrita impudenter, ac præter omnem veri ſpeciem comminiſcitur. Sed quid ille in ea cauſa ſudat? quid in quærendo crimine ſe tamdiu torquet? Præſto illi erat (ſi Latinis quidem credimus) ſpecioſiſſimus contra Ieſum titulus, illa ſcilicet nova, atque omnibus retro temporibus inaudita de adorando pane lex Apoſtolis illa ipſa nocte lata atque promulgata. Neque enim hoc, ſi vere factum erat, neſciviſſent Iudæorum Pontifices. Iudas Domini proditor, qui interfuerat, qui omnia ſacri convivij myſteria viderat, hanc tam peregrinam, tam ab omnium gentium ſacris, & à Iudæorum præ cæteris pietate, ſummoque in vnius Dei cultum zelo abhorrentem panis & vini adorationem non tacuiſſet profecto, ſed vel inprimis Caiaphæ & collegis revelaſſet. Quid ergo iſti in re facili hærent? Quid reſti-

Ioan. 13. 4. 12.

Marc. 14. 26. Ioan. 14. 31.

Matt. 26. 60. 64. 65.

tant, & teſtes, & tricas & dolos conquirunt? Cur non Chriſtum ſtatim de adorato ejus juſſu à diſcipulis pane interrogant? cur non accuſant violatæ legis? cur non exinde damnant idololatriæ, qua (quod ſupra jam diximus) nulla erat apud totam gentem noxa capitalior? Sed res nimirum plana atque aperta eſt. Iudæi nihil de pane ab Apoſtolis adorato obiiciunt; quia nihil ſciebant; Nihil porro ſciebant, quia nihil docuerat Iudas, nihil hic denique docuerat, quia nihil ipſe hujuſmodi in Dominico convivio viderat. Si adoratus eſſet panis, Iudas conſcius rem ad Iudæos detuliſſet; hi, ſi eſſet delata, haud dubie criminati eſſent. Quod rem tantam, tamque ſingularem nulli criminantur, id clamat iſtos nihil de ea inaudiviſſe. Quod nihil Iudæi de ea inaudiviſſent, id Iudam vincit nihil hujuſmodi compériſſe, ſciviſſe, vidiſſe. Quod hic poſtremo nihil hujuſmodi viderat, id plane liquidoque quod nos contendimus, confirmat nequaquam adoratum fuiſſe ab Apoſtolis in prima illa Euchariſtię celebratione Sacramentum. Vnde & illud porro quod nos probandum ſuſcipimus, non minus evidenter conſequitur, nullam Apoſtolis à Chriſto fuiſſe dictam aut traditam de adoranda Euchariſtia legem, cui (ſi qua eſſet tradita, non poterant Apoſtoli abſque inſigni rebellione & impietate non parere, maxime in prima illa Sacramenti inſtitutione atque celebratione. Quem autem à Chriſto in prima hac cœna minime traditum fuiſſe vicimus adorandi Sacramenti ritum, eum neque omnino à Domino fuiſſe traditum eadem quoque opera vicimus; qui ſiquando ab illo traditus atque inſtitutus eſt, in illa profecto cœna, non alias, traditus atque inſtitutus eſt. Neque enim quiſquam credo, facile ſibi perſuaſerit Dominum, ſi hoc à nobis Sacramentum adorari voluiſſet, non tunc ejus cultum fuiſſe præceptum, cum rem ipſam & inſtituit primum, & à ſuis celebrari juſſit ac curavit.

CAPVT III.

Argumentum III. inde ductum, quod ex quadam Pauli diſputatione conſtet non fuiſſe Chriſtianis illius ævi Eccleſiis ſolenne Euchariſtiam in ſacro convivio adorare.

SED idem quoque, & quidem paulò etiam clarius docet illuſtriſſimus Pauli locus in priore ad Corinthios epiſtola, quam ſcriptam putant eruditi a.D. quinquageſimo primo, Corinthij, vt ex eo loco 1.Cor.11.20. 21.22. apparet, inter cætera peccata hoc etiam laborabant, quod ſacram Domini cœnam valde irreverenter celebrarent. Paulus, vt huic iſtorum delicto mederetur, Dominicam ſacri myſterij inſtitutionem inprimis accuratiſſime recitat, & quidem totam nuper memoratis Evangeliſtarum narrationibus conſentaneam, neque vel vno pilo auctiorem. Atqui locus non poſcebat modo, ſed etiam flagitabat, vt ſiquid à Chriſto de Euchariſtia adoranda vel diſerte præceptum, vel certe ſignificatum fuiſſet, quod ab aliis eſſet prætermiſſum, id hîc Paulus ſuppleret, & bona fide repreſentaret. Ille vero neque hoc, neque aliud quicquam, quod alicujus quidem ſit momenti, Evangeliſtarum narrationi adjecit. Ne ergo dubitaveris Chriſtum ſuis de Euchariſtia adoranda plane nihil tradidiſſe. Sed & res loquitur, & omnes vtrorumque partium interpretes conſentiunt Paulum, vt Corinthiorum errorem corrigeret, eo, quod decebat, afferre quæ ad conciliandam 1.Cor.11.23. 24.25. Euchariſtiæ reverentiam pertinebant. Narrat à Domino fuiſſe inſtitutam, & quidem illa ipſa nocte, quam noviſſimam cum Apoſtolis ante crucis ſupplicium egit. Tum ipſa myſterij verba recitat; quibus panis, calixque ſacer nobis à Chriſto commendati ſunt. Sed & Sacramenti vſum ac finem fidelibus ob oculos ponit, quod ea gratia ibid.verſ.25. 26. fuit inſtitutum, vt Domini ac præſertim mortis ejus memoriam celebremus. Et hæc quidem omnia fateor magnam eo vim habere, vt piorum animos ad Euchariſtiam reverenter habendam commoveant. Negari tamen non poteſt, quin latria, ſive divina ei à Chriſto decreta, & ab omnibus fidelibus exhibita adoratio plus vna (ſi vera erat) ad hoc momenti habitura fuerit, quam iſta omnia. Quid enim & ad iſtorum coarguendum atque exaggerandum ſcelus, & ad ſuam Euchariſtiæ vindicandam dignitatem potentius afferri poterat, quam quod iſtud Sacramentum & cæteri omnes Chriſtiani, & vero illi ipſi, qui in eo participando tam indigne ſe gerebant, ex Domini & Apoſtolorum traditione, divino cultu venerarentur, neque id vnquam prius ſumerent, quam *latria* vni vero Deo debita adoraſſent? Hoc vero Paulum zelo in iſtos pugnare debuiſſe, & hoc ipſo pugnaturos in ſimili cauſſa noſtros nunc Latinos, quis non videt? Atqui Paulus, acer ille & vehemens ſupra omnem hominum modum diſputator, hoc

quod

quod erat omnium ad id, quod agit, longe validiſſimum, ne attigit quidem, aut cogitavit, in tota Corinthiorum obſurgatione & commonefactione, quæ egregia eſt in paucis ac plane divina. Quid ergo eſt? Paulus-ne Latinis noſtris obtuſior, vel imperitior fuit? Abſit; Sed quod nunc his ſuæ Eccleſiæ ritus miniſtrat pro Euchariſtiæ reverentia argumentum, id illi olim negabat Chriſtianorum fides; quippe quæ Euchariſtiæ adorationem neſcivit, quam omnis hodie Latinorum natio religioſiſſime & docet, & factitat. Vnde & illud quod nos contendimus, exiſtit, non fuiſſe à Domino Chriſto inſtitutam Euchariſtiæ adorationem; quod ad eam profligandam abunde eſt; Neque enim cuiquam alij quam Domino jus ac poteſtas eſt adorationem, id eſt ſummum religionis cultum inſtituere, ac tradere Eccleſiæ.

Capvt IV.

Argumentum IV. ex eo petitum, quod Iuſtinus a. D. circiter 155. ritum, quo apud noſtros Euchariſtia celebrabatur, accuratiſſime ſemel atque iterum deſcribens, nullam ejus adoratæ mentionem facit.

Atqve hæc hactenus de Euchariſtiæ inſtitutione ex ipſis Apoſtolis. Ordo, quo celebrari ſolebat apud proximæ memoriæ Chriſtianos myſterium, extat apud Iuſtinum Martyrem, qui vix centum poſt Paulum Apoſtolum annis floruit.[a] Is ergo conventuum, qui diebus Dominicis religionis ergo à noſtris fiebant, vſum & rationem enarrans, ſic tradit; Poſtquam omnes in eundem locum ἐπὶ τὸ αὐτὸ convenerunt, legi inprimis, quoad tempus fert, Apoſtolorum commentarios, aut Prophetarum ſcripta; tum lectore deſinente, eum qui præeſt orationem habere, qua commonefacit & cohortatur ad imitationem rerum tam pulchrarum, inde preces in commune ab omnibus in pedes vna erectis fieri; quibus peractis, *panis (*inquit*) & vinum & aqua offertur, & præpoſitus itidem quantum pro virili ſua poteſt, preces & gratiarum actiones fundit, & populus fauſte acclamat, dicens, Amen. Et diſtributio, communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ ſunt actæ, cuique præſenti; abſentibus autem per Diaconos mittitur*; ἄρτος προσφέρεται, καὶ οἶνος καὶ ὕδωρ καὶ ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας ὅση δύναμις αὐτῷ ἀναπέμπει, καὶ ὁ λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων τὸ Ἀμήν. καὶ ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται; καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται. Quibus poſtremò eas piorum eleemoſynas ſubiicit, quibus ſacra collecta conſignari ſolebat. Hîc vides panem & vinum aqua temperatum à ſacrorum miniſtro benedici precibus & gratiarum actionibus, tum plebem *amen acclamare*, ἐπευφημεῖν, denique τὰ εὐχαριστηθέντα, id eſt panem & vinum ſacrum diſtribui, & percipi. De adoratione, & ad eam prævia ſacramenti elevatione

Iuſt. Apol 2. p. 77. lin. 30.

CAP. IV. vatione plane nihil dicit. Atqui hic ejus commemorandæ fuit locus (ſi iſtorum quidem idem erat qui nunc Latinorum eſt ritus) Poſt *amen acclamatum*, omnino adiiciendum erat, vt panem prece Euchariſtica benedictum ſacerdos quidem elatum plebi oſtenderit, plebs vero in genua procidens adoraverit. Apud Iuſtinum vero omnia alia. Præſidis orationem, *amen* plebis excipit; plebis *amen*, ſive acclamationem, Euchariſtiæ, nulla vt nunc apud Latinos fit, adoratio, ſed diſtributio & participatio ſtatim atque continenter ſequitur, quam poſtremo fidelium piæ largitiones claudunt. Eadem Iuſtinus paulò ante, vbi explicabat qua ratione homines Chriſtianiſmo initiarentur,

ibid. p. 76. ac pœne iiſdem verbis dixerat; Ab eo qui fratribus præeſt, panem & poculum accipi, laudemque & gloriam rerum vniverſarum *Patri per nomen Filij, & Spiritus ſancti offerri, & gratiarum actionem prolixe fieri pro eo quod nos donis hiſce ſuis dignatus ſit*; Tum plebem acclamare

ibid. l. 40. Amen, *quod* (inquit) *lingua Ebræa ſignificat, Fiat*; τὸ δὲ ἀμὴν τῇ ἑβραΐδι φωνῇ τὸ γένοιτο σημαίνει. His peractis diſtributum continenter à Diaconis fuiſſe panem illum, vinumque ſacrum; *hoc autem* (inquit) *alimentum apud nos appellatur Euchariſtia*. καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν ευχαριστία. Sed neque in hoc Euchariſtici myſterij ordine vlla fit adorati ſacri panis mentio. In verbis vero ſequentibus, rationem reddens cur ſoli initiati ad hoc ſacrum admitterentur, Euchariſtiæ dignitatem quantam poteſt ſic extollit, vt à Latinis, quanquam errantibus, ac cauſæ ſtudio deceptis, exiſtimetur etiam tranſſubſtantiationem ſtatuere ac confiteri; nuſquam tamen ne hic quidem, hujus latriæ cultus meminit, quo nihil de Euchariſtia majus dici potuiſſe planum eſt. Ergo & illud demum nobiſcum confitendum eſt, nondum fuiſſe Iuſtini ſæculo adoratam à Chriſtianis Euchariſtiam. Certè cum iſtic

ibid. l. 49. hæc de ſacro pane verba poſuiſſet Iuſtinus, *Non enim vt communem panem, neque vt communem potum, iſta ſumimus* (οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν) hujus vt liquet ſententiæ ex hodierno Latinorum dogmate legitime antitheſis hæc erat; *ſed vt verum ac proprium Domini noſtri corpus, ſanguinemque adoramus*; Poſt ἄρτον præcedentem, omnino hanc (vt Grammatici loquuntur) ἴσον Romanæ aures expectabant; eamque Iuſtinus ita reddidiſſet, ſi Latini ritus homo fuiſſet. Ille vero aliter inſtituit. De adoratione, re ſcilicet ſuo ævo ignota, plane penituſque tacet; ſed illi ſuperiori particulæ, qua negaverat Chriſtianos Euchariſtiam *vt communem panem, potumque ſumere*, ſuam de ejus in rebus ſacris dignitate ſententiam opponit, aiens ſe *ab Evangelio edoctos eſſe hanc alimoniam, ex qua ſanguis & caro*

ibid p. 77. lin. 2. *noſtra per mutationem aluntur* (ita panem & vinum ſacrum deſcribit) *per preces verbi ab ipſo profecti benedictam, vel Euchariſtiam factam, Ieſu illius incarnati carnem & ſanguinem eſſe*. τὴν δὲ δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι.

Fateor

Fateor hæc, quæ de Euchariſtia ex Evangelio dicit eſſe magnifica; ſed hujuſmodi tamen, quæ veram ejus naturam adeò non evertunt, vt etiam conſtituant atque affirment. Quam enim negat *panem* eſſe *communem, hoc ipſo panem* eſſe fatetur, tametſi non communem; *& ex qua alimonia ſanguinem & carnem noſtram per mutationem ali* dicit, eam liquido negat propriè eſſe *corporis ac ſanguinis Dominici* ſubſtantiam. Sed hæc alias, ſi quando de dogmatis diſputabimus. Nunc ſatis eſt Iuſtinum de cultu Euchariſtiæ divino nihil hoc loco dixiſſe, in quo totum ejus celebrandæ ordinem tam luculente & quidem non ſemel, ſed bis vtrius pagellæ ſpatio explicavit. Hinc enim omnes ſatis, ni fallor, intelligunt Latinam illam Sacramenti Euchariſtici adorationem non magis beatiſſimi illius ſæculi Chriſtianis cognitam fuiſſe, quam Apoſtolis. CAP. V.

CAPVT V.

Argumentum V. ductum à conſtanti Scriptorum ſilentio, quotquot ex tribus primis Chriſtianiſmi ſæculis veri certique ſuperſunt; quorum nemo vſpiam meminit adorata à ſe, ſuisve Euchariſtia.

ID vero etiam inde perſpicitur, quod nullus primi illius Chriſtianiſmi neque divinus, neque Eccleſiaſticus Scriptor in tam multis eorum operibus, quæ extant, adoratæ Euchariſtiæ vſpiam meminerit. Inprimis habemus inſignem Lucæ de Apoſtolorum Actibus libellum in quo tota naſcentis Eccleſiæ facies graphice depicta eſt. Iſtic paſſim occurrunt religioſa piorum officia, baptiſmi ſuſceptio, Dei & Ieſu adoratio, preces & orationes ad Dominum, & cætera ejuſdem cenſus; de Euchariſtiæ adoratione verbum plane nullum legitur. *Sacri panis* non ſemel fit mentio (ex Latinorum præſertim Interpretum ſententia) ſed vbique *fracti*; nuſpiam *adorati*. *Erant* (inquit Lucas) *perſeverantes in doctrina Apoſtolorum & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Tum, *Frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis, collaudantes Deum.* Alibi; *Vnâ Sabbati* (inquit) *cum conveniſſemus ad frangendum panem*; & poſt pauca narrat Paulum in illo cœtu *fregiſſe panem & guſtaſſe.* Cur his locis, vt *fracta*, ſic *adorata* non meminit Euchariſtiæ? Sic etiam Apoſtolus de hoc Sacramento, *Calix* (inquit) *cui benedicimus, Panis quem frangimus.* Atqui & ad Sacramenti honorem, & ad ſuæ diſputationis argumentum dixiſſet vtilius, *Panis, quem adoramus, Calix, quem latriâ colimus.* Cur ergo non dixit? Quia, inquam, neutrum adorari ſciebat. Cave aliam cauſam quæſieris. Eadem in ſecutis poſt Apoſtolos Scriptoribus obſervare eſt. Idem ille Iuſtinus, ex quo nuper ſa- *Act. 2. 42. 46.* *Act. 20. 7. 11.* *1. Cor. 10. 16.*

CAP. V.

Iuſt. Dial. cum Tryph. p. 269. l. 48. p. 270. 12. *Iren. l. 4. c. 32.* *ibid c. 34. p. 362. A. B.*

cræ Synaxeos ordinem repcrivimus, alibi *Euchariſtiam panis & vini fieri vbique à Chriſtianis*, ἐν παντὶ τόπῳ τῆς γῆς γίνεσθαι ὑπὸ τῶν χριστιανῶν, & hoc accepiſſe eam *facere* ποιεῖν, dicit; *adorari*, nuſquam dicit. Sed neque Irenæus in locis, quibus de Euchariſtia loquitur, non paucis, fuiſſe eam à noſtris adoratam memorat. Docet à Domino inſtitutam *Deo offerendam* in gratitudinis noſtræ teſtimonium; à nobis adorandam non docet; eamque novam novi teſtamenti oblationem mox ait Eccleſiam in vniverſo mundo, non, quod abſit, *adorare*, ſed *offerre Deo, ei qui alimenta nobis præſtat, primitias ſuorum munerum in novo Teſtamento.* Alibi vtriuſque populi veteris & novi oblationes inter ſe contendens, non aliud vtrorumque diſcrimen notat, niſi hoc, ſpecies immutatas, quod illæ *à ſervis* offerrentur, hæ à liberis offerantur. Dixiſſet proculdubio ſi ſciviſſet, has, adeo ſunt eximiæ, à piis *adorari*; illas vero, vt res viles atque exigui precij, à nullis fuiſſe *adoratas*.

Clem. Alex. Pædag. l. 2. c. 2. p. 158. Id. Strom. l. 1. p. 271. C. Id. ibid. p. 292. D.

Clemens Alexandrinus alicubi quidem *vinum* fuiſſe demonſtrat, quod Dominus in calice Apoſtolis propinavit; alibi morem tum fuiſſe Euchariſtiam in partes dividi; eſt vbi dicit pane Domini eſſe λογικῶς *rationabiliter veſcendum. Adorandum* ipſe non magis quam Iuſtinus, vſpiam dicit. Neque apud Tertullianum, ſi totum evolveris, quicquam de hac adoratione reperies.

Tertul. Apol. c. 39. *ibid. p. 36.*

Profitetur ſe quodam loco *Chriſtianæ factionis negotia* editurum. Ne hic quidem quicquam innuit de hoc cultu Euchariſtico (quo nullũ eſt, ſi Latinis credimus, in negotiis Chriſtianorum majus) Sed & agapis Chriſtianorum enarratis; *Ita* (inquit) *ſaturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deũ ſibi eſſe.* Cur non dixit in ipſo ſacro eorum pane poculoque præſentem Deum coli?

Cypr. ep. 10. 11. 12. 13.

Cypriani eadem eſt ratio. Certè in lapſorum cauſa, qui martyrum libellis freti ad communionem ante factam exomologeſim irruebant, inter cætera quæ vel ad eorum exaggerandum crimen, vel ad ſuam purgandam ſeveritatem plurima ſcripſit, *adorandum & latria colendum* hoc Sacramentum alicubi dixiſſet, ſi adoratum apud ſuos ſciviſſet. Nuſquam dicit.

Origen. in Matth.

Neque Origenes (in veris quidem & certis ac indubitatis operibus) quicquam narrat hujuſmodi à noſtris factitatum. Longe aliud ſuadet, quod ipſe diſerte ſcribit, ſanctum illum cibum, cum ore ſumatur, in ſeceſſum quoque perinde vt alios cibos ſecundum id quod materiale eſt, emitti. Cæteros ejuſdem ævi Scriptores mitto. Satis eſt ſemel monuiſſe in nullis extare vllum adoratæ Euchariſtiæ veſtigium. Ex hoc enim tam conſtanti tot nobiliſſimorum Scriptorum de re vſque adeo memorabili in tam multis libris ſilentio, clariſſime apparet nullam tum adhuc fuiſſe vel factitatam, vel traditam Euchariſtiæ adorationem.

CAPVT VI.

Argumentum VI. Quod Euchariſtia à vetuſtiſſimis Chriſtianis elevata in ſacris non fuerit; & ab iis, à quibus elevari ſexto demum, vt videtur ſeculo cœpit, non vt adoraretur à plebe, ſed vt Chriſti in crucem elevationem plebi adumbraret, elevatam fuiſſe; Elevari, vt adoraretur, duodecimo demum, aut etiam decimo tertio ſeculo, inventum eſſe.

SED quo res omnis clarius perſpici poſſit, paulò nunc accuratius hodiernos Latinorum in re Euchariſtica ritus cum vetuſtiſſimæ illius Eccleſiæ moribus ac diſciplina comparemus. Illi quidem Euchariſtiæ, veluti vero germanoque, ac legitimo numini, quicquid vnquam apud religioſas gentes fuit honorum divinorum larga manu deferunt; ipſam primo adorationem externam, quam ei ab omnibus ſimul atque & vbicumque apparuit, poſitis etiam genibus & nudato capite exhiberi jubent & cogunt ſeveriſſime; Sed & omnes adorationis externæ pompas, ac vt ſic dicam appendices, ei decreverant; Vt ardentium facularum ac lampadum lætitiam; vt florum ſolutorum ſertorumque amœnitates; vt thuris & odorum ſuavitates; vt ſacrarum imaginum decora; vt ſodalitiorum collegia; vt anniverſariam feſti diei celebritatem; & ſi qua ſunt ejuſdem cenſus alia. His omnibus ornamentis Euchariſtiam apud Latinos quidem (vt paucis quod res eſt, dicam) affatim gaudere; apud veteres vero Chriſtianos plane caruiſſe, æque vtrorumque libri clamant. Ac Sacramentum quidem in ſolennibus illis miſſarum ſacris, in quibus hoc Latinorum Numen quotidie ſimul ſemelque & fit, & colitur, elevari certo quodam ritu à ſacerdote, & publice *populo vt adoretur, proponi* omnes ſciunt; neque Tridentinos piguit id ipſum commemorare, & ſiqui ritum non probarent, eos *anathemate*, vt mitiſſimos ac manſuetiſſimos Patres decebat, inexorabiliter percutere. Sed & Clemens Papa V. annis ante Tridentinum decretum propemodum 250. hoc Begardorum dogma notaverat ac damnaverat docentium, *quod in elevatione corporis Ieſu Chriſti* (Sacramentum ſignificat) *non debent aſſurgere, nec eidem reverentiam exhibere.* *Conc. Trid. Seſſ. 13.* *Decret. Clement. lib. 5. tit. 3. de hæret. 3. Ad noſtrũ.*

Sed & ante Clementem, Honorius P. R. III. circa a. D. 1226. diſertiſſimâ ea de re lege tulerat, quæ extat in Gregorij IX. Decretalibus; *Ne* (inquit) *propter incuriam ſacerdotum divina indignatio gravius exardeſcat, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus à Sacerdotibus Euchariſtia in loco ſingulari,* &c. *conſervetur: Sacerdos vero quilibet frequenter doceat plebem ſuam, vt cum in celebratione Miſſarum elevatur hoſtia ſalutaris, ſe reverenter inclinet,* (id eſt) *flexis*, vt habet Gloſſa, *genibus*) *Idem faciens cum eam defert Presbyter ad infirmum.* Itaque in *Decretal. Greg. l. 3. Tit. 41. de celebr. Miſſ. c. 10. Sane.*

CAP. V. Miſſali diligenter ac pœne anxie monetur ſacerdos celebrans, prolatis illis verbis, *Hoc eſt corpus meum, hoſtiam genuflexus adorare*; tum *eam ſe erigens, quantum commode poteſt, elevare in altum, & intentis in ipſam oculis populo reverenter oſtendere adorandam.* Mox ſimiliter prolatis his verbis, *Hic eſt enim calix*, &c. jubetur calicem ſuper corporale reponere, & *genuflexus calicem reverenter adorare*; tum ſe erigere, & accipere calicem diſcoopertum cum Sanguine ambabus manibus, & elevare eum, & erectum quantum commode poteſt, *oſtendere populo adorandum.* Hæc Latini. Neque ego abnuo, ſi Euchariſtiæ Sacramentum latriæ cultu vere adorari debet, quin & merito congrueque à ſacerdote elevetur, plebique adorandum proponatur, iique jure notentur, qui hunc morem reprehendunt. Neque ego ſane dubitaverim, quin Apoſtoli & proximi eorum ſucceſſores, (quos ſapientiſſimos fuiſſe certum eſt; & quæ fieri vel deceret vel etiam neceſſe eſſet, ea optime pervidiſſe) hunc ritum elevandi Sacramenti ad hoc vt adoretur inſtituerint, ſi verum eſt, quod Latini contendunt, eos & credidiſſe & tradidiſſe Sacramenti hujus adorationẽ. Atqui Apoſtolos & Iuſtinũ nuper audiebamus docentes hoc Sacramẽtũ Chriſti juſſu à præfectis benedictũ & porrectũ, ad hoc vt ſumeretur, id eſt manducaretur, & biberetur, *elevatum, vt adoraretur*, nuſquam illi, nuſquã cæteri trium priorum ſeculorum Scriptores dixerunt. Bellarminus quidem nullum affert hujus ritus teſtem Baſilio vetuſtiorem; quem conſtat quarto jam adulto ac pœne præcipiti ſæculo vixiſſe. Sed neque qui ex Baſilio adducitur locus, quicquam ad hanc rem facit. Illa enim ejus verba, τὰ τῆς ἐπικλήσεως ῥήματα ἐπὶ τῇ ἀναδείξει τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας, ſignificant *verba invocationis cum conficitur panis Euchariſtiæ*, vt eruditi omnes intelligunt, ac vt ipſi adverſariorum recentiſſimi interpretes reddiderunt; non autem, *cum oſtenditur panis Euchariſtiæ*, vt imperiti ac pœne pueriliter exhibet Bellarminus. Neque Perronius hoc ipſum argumentum tractans antiquiores Baſilio auctores vllos laudat. Imo ne multis quidem poſt Baſilium ſæculis receptum fuiſſe apud Chriſtianos vt Euchariſtia ad hoc à ſacerdote elevaretur, quo ſic elevata à plebe adoraretur, hinc patet, quod Germanus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, vir, vt notum eſt, octavi ſæculi, vbi in rerum Eccleſiaſticarum theoria, ad hunc locum venit, elevari quidem ſacrum panem teſtatur; de adoratione nullum verbum facit; elevationis rationem plane aliam reddit; nimirum hanc, *illa Sacramenti elevatione repræſentari Chriſti elevationem in crucem, & mortem in cruce, & ipſam reſurrectionem*, τὴν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ ὕψωσιν, καὶ τὸν ἐν αὐτῷ θάνατον, καὶ αὐτὴν τὴν ἀνάστασιν. Latinos vero veteres officiorum Eccleſiaſticorum, tametſi diligentiſſimos, moroſiſſimoſque interpretes, ne elevationis quidem vllius meminiſſe reperio ante ſæculum vndecimum (quantum quidem

Miſſal. in Ritu celebr. miſſ. §. 8.

Bell. l. 2. Miſſ. c. 15. §. Secũda quæ eſt.

Baſ. l. de Sp. S. c. 27. T. 2. p. 351. D.

Perr. l. de Euchar. l. 7. c. 4. p. 846. 847.

German. in Theor. T. 2. Bibl. Patr. Gr. Lat. p. 363. D.

quidem obſervavi) non Gregorium Romanum, non Iſidorum Hiſpalenſem, qui ambo ſæculo ſeptimo ineunte vixerunt; non Amalaſium Fortunatum, non Rabanum Maurum (in iis quidem quæ verè ſunt ejus) non Valafridum Strabonem; non ipſum Pſeudo-Alcuinum, quos omnes, partim nono, partim etiam decimo ſæculo floruiſſe non eſt obſcurum. Itaque Goar, [a] vir & eruditiſſimus, & Latinarum traditionum ſtudioſiſſimus, vere, meritoque negat *plane conſtare quando conſecrationi apud Latinos juncta fuerit hoſtia elevatio*; & Stephani Duranti nunquam ab ea diviſam fuiſſe contendentis opinionem jure aſpernatur. Hoc quidem ex eo, quod ego proxime obſervavi, auctorum tam multorum de illa ſilentio conſtat, non fuiſſe hunc ritum apud Latinos receptum ante vndecimum ſæculum; quo eos vixiſſe, quos ad hanc rem Goar citavit [b], & Micrologi auctorem, omnes fatentur, & ipſum Ordinis Romani Scriptorem [c], ſi alij negant, docuit ac probavit Ioannes Morinus [d]. Quanquam ne hos quidem ambos de hac nunc ad adorandam hoſtiam ſolenni Sacramenti elevatione loqui ſatis concedat Goar [e], dum obſervat eam, quam iſti memorant, *elevationem* non, vt hodie fit, *conſecrationi junctam*, ſed in fine Canonis *proxime ad orationem Dominicam* factam fuiſſe. Sed neque hoc prætermiſerim, me in Ordine Romano, reperire quidem. [f] *Archidiaconum levare calicem per anſas, & tenere, exaltantem illum juxta Pontificem*; quod vero ait vir ille doctiſſimus; *Pontificem oblatam levare*, id me neque in laudato loco, neque alibi in eo libro inveniſſe. Primus ergo, quem equidem meminerim, certus ex Latinis auctor hunc ritum memorat Ivo Carnotenſis [g]; ſed eum plane vt ex Græcis Germanus, ad crucem Dominicam refert; aitque Sacramentum à diacono vnà cum preſbytero celebrante elevari; *Cum vero* (inquit) *panis & calix adhibito Diacono elevatio corporis Chriſti in cruce commemoratur*. Idemque tradit illius laciniæ auctor, quam præter rerum ipſarum lucem, & codicum manuſcriptorum fidem, libro Rabani de clericorũ inſtitutione ſecundo ad calcem, ſane impudenter, attextã fuiſſe apparet [h]; *Elevatio* (inquit iſte, quiſquis eſt) *ſacerdotis & Diaconi corporis & ſanguinis Chriſti elevationẽ ejus ad crucẽ inſinuat pro totius mũdi ſalute* Ivo autẽ, vt notũ eſt, vndecimo Chriſtianiſmi ſæculo, & quidẽ jã pœne præcipiti, floruit. Eadem Hugo Victorinus, proximi, id eſt duodecimi ſæculi Scriptor, hac de re philoſophatur [i]; *poſt ſigna crucis* (inquit) *ſacerdos vtraque manu elevat Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, &c. paulò poſt deponit; quod ſignificat elevationem corporis Ieſu Chriſti in cruce, & ejuſdem in ſepulcrum depoſitionem*. Sequentis demum ſæculi id eſt decimi tertij, anno circiter octuageſimo Gulielmus Durandus aliis quibuſdam allatis elevationis iſtius rationibus

CAP. V.

Greg. l. in Sacram. p. 3
Iſid. de offic. Eccl. l. 1. c. 15.
Alcuin. de div. off. §. de celebr. miſſa. Bibl. Patr. T. 10. p. 283. & ſeqq. ad 290.
Amalar. de offic. Eccl. l. 3. c. 24. 25. ibid. p. 423.
Raban. l. de Inſtit. Cler. c. 33. ibid. p. 584.
Valafr. l. de reb. Eccl. c. 22. ibid. p. 620.

a *Goar. Not. ad Euchol. Græc. p. 146. §. 158.*
b *Microl. de hac re locus habetur c. 23. Bibl. Patr. T. 10. p. 746. B.*
c *Morin. de Ordin. Sacr. Part. 3. Exercit. 9. c. 1. p. 169. B. §. 5.*
d *Goar. ubi ſupr.*
e *Ord. Rom. in Miſſ. celebr. p. 15. B. & p. 20. B. in Bibl. Patr. T. 10.*
f *Goar. ubi ſupr.*
g *Ivo ep. de Sacram. miſſ. Bibl. Patr. T. 2. p. 602. C.*
h *Adjectio ad Rab. l. 1. de offic. Patr. T. 10. p. 586.*

i. *Hug. de S. Vict. l. 2. c. 28. de Miſſ. obſerv. Bibl. Patr. T. 10 p. 1408. A.*

CAP. VI. hanc poſtremo præter ſuperiorum Liturgiæ interpretum doctrinam addit [k] *Quinto hoſtia* (inquit) *elevatur, vt populus non præveniens conſecrationem, ſed ex hoc cognoſcens illam factam, & Chriſtum ſuper altare veniſſe, reverenter ad terram proſternatur.* Ex his liquet ſero apud Latinos vltimis demum temporibus illum morem elevandæ ad adorationem Euchariſtiæ invaluiſſe; nedum vt primis illis tribus Chriſtianiſmi ſeculis in vſu fuerit. Fuiſſe quidem tum quandam commendatam in Euchariſtia *elevationem* fateor; Sed ab hac Latina plane alienam, *cordis* nimirum, non *Sacramenti*; *mentis*, non *panis*, aut *calicis*. Cyprianus id nos diſerre docuit; *Sacerdos* (inquit) *ante orationem præfatione præmiſſa, parat fratrum mentes, dicendo*, Surſum corda, *vt dum reſpondet plebs*, Habemus ad Dominum, *admoveatur, nihil aliud ſe, quam Dominum cogitare debere.* Hinc clare diſcimus jam tum in vſu fuiſſe Eccleſiaſtico illam quam etiam nunc Latini, quanquam præpoſtere & abſurde in Euchariſtiæ officio retinent, plebis de elevandis *ſurſum cordibus*, rectam ſane & Chriſtiano dogmati congruam admonitionem; Hanc alteram, ipſius Sacramenti *elevationem*, non Evangeliſtæ, non Paulus, non Iuſtinus, in Echariſtici ſacri inſtitutione, aut deſcriptione, non Cyprianus, non alius quiſquam ex vetuſtiſſimorum Patrum choro memorat. Atqui eam non minus, quam cordis noſtri in tanto myſterio elevationem, memorari decuerat, ſi qua fuiſſet. Quod ergo nuſquam memoratá eſt, id nullam revera tum apud Chriſtianos fuiſſe docet; Porro quod nulla tum fuerit apud noſtros hæc Latina Sacramenti elevatio, id vincit neque vllam fuiſſe Sacramenti adorationem; quod ſi veteres adorandum eſſe putaſſent, certe in ipſo ejus officio inprimis & adoraſſent ipſi, & plebi ſuæ adorandum propoſuiſſent, id vero commode fieri non aliter poterat, niſi elevato à miniſtris ante fidelium ora, pane ac poculo ſacro; vt vel ex ipſo Latinorum facto intelligitur, qui cum hoc eſſe rerum ingenium, hunc inter ſe nexum & ordinem pro ſua prudentia intelligerent, Sacramenti elevationem ad hoc vt à populo adoraretur, vel ipſi commenti ſunt, vel ab aliis ad alios vſus inventam ad hunc ſane ſapienter deflexerunt ac tráſtulerunt; poſtquam ſemel Sacramentum ſtatuerunt rem eſſe fidelium adoratione dignam. Itaque veteres, quorum non minorem fuiſſe cóſtat quam Latinorum recentiorum ſapientiam, plane aliter quam hos, de hoc Sacramento ſenſiſſe apparet, qui quam Latinorum dogma poſcebat, Sacramenti *elevationem*, eam nullam decreverunt, aut factitarunt. Nimirum ſui vtriſque facti ex dogmate ratio conſtat; Sacramentum Latini quod adorandum putant, merito ante plebem elevant; veteres, quod adoratione dignum non credebant, ipſi quoque merito in ſuis collectis elevandum minime putarunt.

[k] *Durand. in Ration. divin. offic. l. 4. de 6. part. Can. fol. 65. col. 2.*

Cyprl. de orat. Dom. p. 218. med.

CAPVT

CAPVT VII.

Argumentum VII. inde ductum, quod Latinus pulſandæ nolæ ritus, vt hoc ſono ad Euchariſtiæ adorationem, quicumque eum audiunt, excitentur, veteribus Chriſtianis ignotus fuerit. Zelacriſti & Conſtantini in hoc inſtituto latum diſcrimen.

IAM tanta eſt Latinorum in hunc cultum religio, vt non eos modo mortales, qui in ipſa Eccleſia celebranti ſacrũ ſacerdoti adſunt, ſed etiam cæteros extra delubri ſepta, in vicinis locis poſitos, vbicunque ex nolæ ſonitu, aut ex alio aliquo ſigno intelligi poteſt panem ſacrum elevari, vel ingratiis rogant in genua venerabundos hoc ipſo momento ſtatim procumbere: ac ni fecerint, eos velut impietatis atque hæreſeos ſuſpectos, haud ſane perfunctorie verberent (hæc enim apud Latinos jampridem obtinet optima, ac pæne vnica hujuſmodi morborum medicina.) Vt hic Lutetiæ videmus, quoties in Parlamenti ſacello ſacra matutina fiunt, vbi ad illum locum ventum eſt, in quo ſacerdos Sacramentum rite elevat, omnes non modo qui ſacris illis inter ſunt ac operantur, ſed etiã alios, quoſcumq; in ampliſſimis illis vaſtiſſimiſque Curiæ porticibus, aulis, etiam conclavibus, ſedentes aut inambulantes, deque rebus vel publicis vel privatis, ſeriis, jocoſiſque aut colloquentes inter ſe, aut apud ſe cogitantes, æris quorum pulſatur; tinnitus deprehendit; omnes inquam, veluti extra ſe raptos, aut vno eodemque cœleſtis alicujus fulminis ictu concuſſos, repente defluere, & decreſcere, & in genua certatim labi, & poſitis omiſſiſque cæteris curis, ſuæ illi adorationi vel vacare, vel certe vacantes ſe ſimulare. Nihil occurrit in tota antiquitate ſimile. Huc vero pertinet quædam non omittenda Ieſuitarum in rebus Æthiopicis narratio. Neminem ex tota gente impenſius laudant, quam Zelacriſtum quendam, Principem Æthiopici Auguſti fratrem, virum, vt illi quidem narrant, bello & pace egregium; ad hæc ſingulari in Deum & in Papam Romanum fide. Inter præcipua ſui hujus herois decora cenſent, quod ille inſtituerit, vt in caſtris cum Euchariſtia à ſacerdote ſacra faciente de more *elevatur*, ter pûlſata toto paſſim exercitu tympana concrepent, eoque ſigno audito omnes ſtatim milites, lixæ, equites, pedites, veterani, tirones de geniculis Sacramentum adorent. Quem cum Zelacriſto componam intra annum Domini trecenteſimum, non equidem reperio. Sed is tamen citra hanc epocham non erit longe petendus. Ecce enim primis ſtatim poſt illum annum temporibus occurrit Conſtantinus; cui credo, non minor fuit, quam Zelacriſto, in Dominum & in rem Chriſtianam zelus; neque vt opinor, Euſebio, & aliis iſtius ævi Scriptoribus minus fuit in Conſtantinum ſtudij & obſervantiæ, quam Ieſuitis nunc eſt in Zelacriſtum ſuũ.

Almeid. Ann. Æth. a. 1626. p. 37.

Atqui

CAP. VIII. Atqui nihil vnquam Conſtantinus ſimile hujus Æthiopis invento machinatus eſſe legitur, vel in quatuor de illius vita fuſiſſime ſcriptis ab Euſebio libris, vel in aliis veterum de eo narrationibus; tametſi ad ejus & munus atque pietatem pertinebat providere, vt apud legiones Sacramentum adoraretur (ſi tum quidem adorari fas & ſolenne fuit) & ad laudem, ne, ſi quid ab illo hujuſmodi geſtum eſſet, id indictum prætermitteretur. Non omiſit certe Euſebius quæ Conſtantinus ad exercitum Chriſti fide & cultu imbuendum inſtituit? vt milites certis locis ac temporibus convenire & ſacris operam dare juſſerit; vt eos ipſe docuerit Deo vni fidendum; ad eum religioſe tollendas manus, preceſque fundendas; Quin & ipſam illam ad Deum orationem exhibet quam militibus ab auguſtiſſimo Principe traditam fuiſſe narrat, à ſingulis in quotidiano cultu vſurpandam ac recitandam. Qui in hac re tam fuit accuratus; cur de Euchariſtiæ adoratione tacuiſſet, ſiquid ei curæ in exercitu impendiſſet Conſtantinus? Tacuit; Nihil ergo Conſtantinus de ea adoranda edixerat. Tu ne ergo hunc apud omnes noſtros laudatiſſimum Principem Zelacriſto minus fuiſſe religioſum putabis? Abſit. Diſcriminis ratio in virorum non Zelo, ſed ſententia quærenda eſt. Nimirum adorandum eſſe Sacramentum Zelacriſtus, Ieſuitarum diſcipulus, credebat; Conſtantinus à ſui ævi Epiſcopis edoctus non credebat. Nil mirum quod qui ſic ſentirent Sacramenti cultum ille quidem tanta cura in ipſo exercitu conſtituerit; hic vero nil ſimile cogitarit.

Euſeb. l. 4. de vita CN. p. 150. A. B.

CAPUT VIII.

Argumentum VIII. inde ductum, quod quæ nunc apud Latinos abundant, de adorata, etiam à beſtiis per miraculum, Euchariſtia narrationes, ad eam ſcilicet religionem aſtruendam confictæ, ea nullæ reperiuntur apud vetuſtiſſimos; neque apud eos vllum extat adoratæ, etiam extra ædem, Euchariſtiæ, veſtigium; qui cultus nunc apud Latinos vbique eſt obvius.

SED præter ſolennem illum cultum quem Euchariſtiæ tribuunt, cum in ſacris myſticis elevatur, eadem quoque latria adorari eam à Chriſtianis præcipiunt, quoties vel extra tempora miſſarum propria, in altari, vt loquuntur, exponitur, vel extra loca ipſa ſacra à miniſtris vel ad ægrotos defertur, vel religionis ergo in *proceſsione* (vt vocant) per vicos & plateas & loca profana geſtatur. Si quis iter forte faciens in Sacramentum, aliud cogitans inciderit, vel in via ipſa regia, ac non id ſtatim poſitis genibus adoraverit; ille pro atheo, vel certe pro hæretico habetur. Neque heri vel nudius tertius apud Latinos cœpit hæc tanta, tamque delicata in Euchariſtiam religio. Anni ſunt

ſunt haud pauciores, quam quingenti, cum jam de ea re ita ſtatueret Odo Pariſienſis Epiſcopus; quem duodecimo ſæculo pœne præcipitii ſediſſe ſatis conſtat; *Frequenter* (inquit) *moneantur laici, vt vbicunque viderint deferre corpus Domini, ſtatim genua flectant, tanquam Domino & Creatori ſuo, & junctis manibus, quoad vſque tranſierit, orent.* Neque deſunt ad cultum firmandum miracula; quale illud eſt quod ante annos centum Salzani, agri Tarviſini pago, contigiſſe narrat Orlandinus, Sacerdotem Euchariſtiam ad ægrotum ſine pompa, comitatuque deferentem aſellos quoſdam extra oppidum offendiſſe, qui cum presbytero occurriſſent, veluti ſentirent quid ille deferret, ex vtroque viæ latere repente diſcreti procubuerunt in genua; ſacerdotem rei novitate attonitum, medium inter mites ambulaſſe quadrupedes; eas vero quaſi pompam ducerent, præeuntem fuiſſe ſecutas, & presbytero in ædes ingreſſo conſtitiſſe pro foribus, nec inde prius abiiſſe, quam is ab ægro reverſus, eas ad ſua paſcua cum benedictione dimitteret. In hoc exemplo ſuaviter exultat Orlandinus, jactans & alia quædam ferri his affinia per Antonium Olyſſiponenſem, & alios inſigni ſanctitate viros patrata. Quòd autem ait de Antonio Liſbonenſi, ſive Paduano; id apud iſtorum Scriptores ad a. D. 1230. ſic fere narratur; Cum ille de Euchariſtia adverſus quemdam in partibus Toloſanis hæreticum diu multumque diſputaſſet; cumque hic tandem ſponderet ſe in Antonii partes tranſiturum, ſi mulus triduana inedia maceratus, prapoſitis ſibi hinc fœno, illinc Euchariſtia, ad hanc adorandam poſthabito pabulo feſtinaſſet; Divum accepiſſe conditionem; & eductum triduo poſt jumentum famelicum ſpretis eſcis, quæ ab homine hæretico offerebantur, ad Antonium perrexiſſe Euchariſtiam manibus tenentem, juſſumque ei *humiliter modo ſuo reverentiam exhibere*, ſtatim paruiſſe, & mirante ac ſtupente, quæ ad ſpectaculum concurrerat, multitudine, *caput vſque ad poplites inclinaſſe, genuque ante Sacramentum flexiſſe.* Auctor Conformitatum Divi Franciſci cum Ieſu Chriſto, vel aliud exemplum, vel ſi idem, aliter certe tradit; *cum Arimini quidam hæreticus,* Bonelus nomine, eſſet, qui hoſtiam conſecratam negaret eſſe corpus Chriſti, jactaretque ſe facturum vt ea ab aſina ſua comederetur, quam aſſuefecerat ad hoſtias comedendum; D. Antonium Liſbonenſem miſſam celebraviſſe, & hoſtiam conſecratam aſinæ detuliſſe, & oſtendiſſe; aſinam ſtatim genuflexiſſe, & capite inclinato reverentiam exhibuiſſe; eoque viſo miraculo hæreticum verum eſſe factum catholicum. Non ſum neſcius alia ejuſdem cum his exemplis farinæ apud Latinos non pauca circumferri; quale illud eſt de ovicula, quam Divus Franciſcus ad Sacramenti hujus venerationem ita fœliciter inſtituerat, vt id in Eccleſia, quoties noſtræ ſonitum audiret, pia ac ſapiens beſtia demiſſo reverenter capite, terram oſculans, poſitiſque humi genibus adoraret. Sed ex his ipſis, in quibus iſti nequicquam triumphant, appatet nul-

Don Stat Syno. c. 6 de Sacr. altar. Bibl. Patr. T. 6 p. 4:1. C.

Orland. hiſt. Soc. Ieſ. l. 2. §. 27.

Antonin. Chron. Part. 3. Tit. 24. c 3. §. 2. pag. 732. col. 2. f.

Conformit. Franc. l. 1. Part. 2. de provinc. Padua fol. 80. col. 10. in.

Angel. Gazaus Piar. Recreat p. 35.

CAP. VIII. lam fuiſſe in veteri Chriſtianiſmo Euchariſtiæ adorationem. Hic enim Orlandinum & ejus conſectaneos rogo, vt mihi vel vnum ex tota antiquitate hujus generis miraculum edant? Non facient. Nulla enim extant in veris veterum monumentis. Tum quæro; cur tam ſero in mundum venerint iſti Euchariſtici cultus doctores aſelli, muli, equi? Cur non aliquam veterum Euchariſtiam aliquot quoque aſelli adoraverint? Cur nullam ovem quiſquam ex ſeverioribus illis antiquitatis Divis hoc Sacramentum venerari docuerit? Cur nullum iſtis ſæculis Paganum legimus prodigioſa muli, aut caballi alicujus in Euchariſtiam religione fuiſſe impietatis convictum, & ad veriora traductum? Cur hæc poſtremorum temporum propria ſunt? Erant enim etiam olim, & quidem Toloſanis hæreticis multo duriores & à noſtris magis alieni homines Pagani; qui panis ſacti adorationem (ſi qua tum fuit) non minus averſarentur ac irriderent, quam vel Antonianis temporibus Albigenſes, vel noſtris Lutherani, aut Calviniani. Erant denique tum apud Eccleſiam ſanctiſſimi ſacerdotes; quibus Chriſtus non minus credo, favebat, quam poſtea Franciſco, atque Antonio faviſſe fertur. Cur ergo in tam pari ab omni parte cauſa tam diſparem videmus fuiſſe Dei voluntatem? Cur ei ad recentem potius quam ad veterem incredulitatem, vel flectendam vel certe revincendam, equis & mulis & aſellis doctoribus vti placuit? Nullus mihi Ieſuita tanti tamque abſoni diſcriminis rationem probabilem dixerit; Ego veram facile, ſi patiantur, edam. Nimirum quod nulli olim Chriſtiani Euchariſtiam adorarent, nihil ad hoc hominibus perſuadendum opus fuit eam ab aliquibus aſellis, mulis, caballis, & pecudibus adorari. Itaque abſurdum hoc & incredibile monſtrum neque Deum edere, neque Chriſtianos fingere neceſſe fuit. Poſtremis temporibus cum Latinis hoſtiæ adorationem decernere placuiſſet, neque vel recta hominum ratio, vel cœleſtes Dei litteræ quicquam ſuppeditarent, quo tale portentum vel firmari, vel ſaltem fucari & incruſtari poſſet; coacti ſuhr ad beſtiarum greges confugere, & ex iis ſui erroris teſtes vel neſcio quibus artibus excitare, vel (quod ego verius eſſe arbitror) confingere & aniles de iſtis fabulas apud vulgus talium avidiſſimum, ſpargere. Illud quidem certe conſtat nullam in omni hac, de qua nunc diſputamus, antiquitate, Euchariſtiæ vel in ipſa fidelium collecta, vel extra eam adoratæ mentionem vſquam occurrere.

CAPVT

CAPVT IX.

Argumentum IX. inde ductum, quod Euchariſtiam ad abſentes abſque vlla pompa, vlliſve cultus inſignibus mittere ac deferre, Latinis quidem ſumma religio eſt; veteribus vero nulla fuit; quod petitis ex vtrorumque auctoribus, exemplis confirmatur.

SED & aliud veteres, aliud Latinos ea de re ſenſiſſe, diſſimilia vtrorumque facta probant. Latini enim Euchariſtiam extra ſacella ſua efferre cunctantur, niſi in iis locis vbi eam adorare, cultuque legitimo afficere licet. Narrant enim Ieſuitæ cum Pequini apud Sinas Fabius quidam octogenarius neophytus in morbo letali peccata confeſſus *magno ardore viaticum* (id eſt Euchariſtiam) *expeteret*, id ei ſuos denegaſſe, quod neque in ægrotantis domo loco convenienti celebrari poterat, *neque pro majeſtate per vicos deferri.* Nimirum quod Pequini & Rex, & proceres, & omnis populus eſſent infideles, rarique in ampliſſima civitate huc & illuc ſparſi deliteſcerent Ieſuitarum diſcipuli, eo iſtis minime licebat numen illud ſuum ea pompa, ac veneratione publice geſtare, ac vectare quam ei deberi putant. Itaque maluerunt id ſolatium fideli, quanquam flagitanti, negare, quam tantum Numen in alicujus indignitatis diſcrimen coniicere. Neque ego abnuo, quin illi prudenter ac pie ſtatuerint, ſi revera, quod ipſi credunt, adoratione noſtra dignum eſt ſacrum illud viaticum. Fabius vero ne tanto ſolatio careret in ipſam Ieſuitarum aulam deferri ſe voluit ac juſſit. Illi in lectum vicini cubiculi hominem deferunt, tum totum iter, quod ex æde ſacra in cubiculum erat, tapetibus inſternunt; qua ſacerdos optatiſſimum Sacramentum tandem ad ſenem ea, qua decebat pompa, detulit, ſingulis neophytis cereos manibus geſtantibus, & longum ſupplicationum ordinem explicantibus. Belle omnia; quis neget? & plane ex nova diſciplina; quæ & veterum eadem eſſe debuit, ſi idem quoque illorum fuit de Sacramenti cultu dogma. Atqui aliam veterum fuiſſe diſciplinam conſtat; quos Euchariſtiam ad abſentes per Diaconos ſine pompa miſiſſe jam ſupra ex Iuſtino didicimus iis locis atque temporibus quibus Pagani longe lateque dominabantur. Idemque ex eo patet, quod tradit Dionyſius* Alexandriæ, civitate maxima & ampliſſima, vbi non ſecus ac Pequini, omnia erant in infidelium poteſtate, puerulum laïcum acceptum à presbytero Sacramentum ad Serapionem pœnitentem in ſupremis tum agentem detuliſſe. Ita & Tharſitium acolythum Romanæ Eccleſiæ, Gallieni & Valeriani temporibus in media perſecutione, Dominici corporis Sacramenta portaſſe narrant Ado & Beda & Martyrologium Romanum Baronianum, & acta Stephani Papæ I.† Quin & morem apud Chriſtianos altero à Domino nato ſæculo fuiſſe, vt Euchariſtiam Epiſcopi

Trigaut. Sinic l. 5. c. 7. p. 17.

Iuſt Apol. 2.

* *Apud Euſ. Hiſt l. 6. c. 44. p. 70. B.*

ad d. 15. Aug.

† *apud Bar. A. D. 260. §. 2.*

CAP. X. teſtandæ ſuæ inter ſe communionis gratia alij aliis abſentibus, imo etiam longe poſitis, miſſitarent, ex Irenæo manifeſtum eſt; quo loco teſtatur preſbyteros Eccleſiæ Romanæ ante Victorem præſidentes presbyteris Aſianis tametſi Paſcha diverſo à Romanis ritu celebrantibus, Euchariſtiam nihiloſecius miſiſſe; *αὐτοὶ* (inquit) *μὴ τηροῦντες οἱ πρὸ σοῦ πρεσβύτεροι τοῖς ἀπὸ τῶν παροικιῶν τηροῦσιν ἔπεμπον εὐχαριστίαν.* Hęc autẽ quam ab hodierna Latinorum de adoranda Euchariſtiæ majeſtate, ſententia diſſentanea ſint, & res ipſa loquitur, & nuper expoſitum ſapientiſſimorum Ieſuitatum in Pequinenſi civitate conſilium. Cave ergo putes veteres Euchariſtiam adoraſſe; quam ſi eo cultu dignam exiſtimaſſent, nunquam profecto in tanta contemptus, profanationiſque pericula ſcientes volentes miſiſſent, ſed (quod nunc prudentiſſime vſurpat Loyolæ grex) iis tantum locis, atque temporibus extitiſſent, quibus eam dignis ſua majeſtate atque numine honoribus proſequi & deducere procedentem liceret.

apud Euſeb. Hiſt. l. 5. c. 26. p. 55. B. extr.

CAPVT X.

Argumentum X. quod Euchariſtiam vel lætis, vel etiam adverſis & triſtibus temporibus exponere (vt loquuntur) Latinis quidem nunc ſolenne ac familiare ſit; vetuſtiſſimus vero Chriſtianis plane inſuetum atque inuſitatum.

SED ad divinum Euchariſtiæ cultum hoc quoque vel maxime pertinet, quod eam Latini extra ordinem in altaribus ſplendidiſſimo ornatu publicè (vt loquuntur) exponunt, tam feſtis lætiſque, quam triſtibus adverſiſque temporibus; precibus prò rerum ingenio diverſis, nunc quidem conciliandam ac propitiandam, nunc vero celebrandam, ac glorificandam. Ita Ieſuitæ narrant die Societatis ſuæ natali, quem præ cæteris omnibus feſtum agunt, inter alia magnifica *expoſitum* fuiſſe Goæ in eorum Eccleſia, altaris (vt vocant) Sacramentum. Sic & in diverſa rerum facie hunc à ſe narrant in Cicungo, Iaponum provincia, traditum fuiſſe ſuis diſcipulis morem, vt Sacramentum in periculis & calamitatibus exponant; id eſt vt diximus, adorandum ac promerendum humili prece palam in altari collocatum quibuſvis piis exhibeant. Tradunt eorumdem annales, ſuos, qui Funagi in Bungenſi Iaponiæ regno, collapſis Franciſci Regis rebus, in maximo fortunarum & vitæ diſcrimine verſabantur, trimeſtri, quo hæc procella ſævit, fuiſſe in jeiuniis, precibus, ac diſciplinis aſſiduos, ac inter cætera, quibus numen propitiare ſtudebant, hoc inprimis inſtituiſſe, vt ſemper è ſuo numero aliquis toto illo tempore, eſſet, qui ſupplex & de geniculis adorans ante Sacramentum in ara (vt ipſi loquuntur) *quieſcens*, excubaret. Poſtea cum anno hujus ſæculi decimo

Anna. Indic. a. 1619 p. 123.
Ann. Iapon. a. 1625. p. 76.
Ann. Iapon. a. 1579. p. 26. & Lud. Car. ep. p. 60.

cimo quarto Cuboſama Iaponiæ totius Imperator, maximani in ſocios, eorumque diſcipulos, perſecutionem commoviſſet, inter alia quibus hanc ingruentem peſtem aut avertere, aut certe nonnihil mitigare conati ſunt, Valentinus inprimis Carvajälus Societatis in iis locis *Præfectus* (vt vocant) *Provincialis*, juſſit vt Nangazaqui Sacramentũ primo in interiori ſive domeſtica ædicula; mox etiam cum ſacra ipſi Euchariſtiæ dies forte interveniſſet, publice in Eccleſia *exponeretur*. Sed & cum anno hujus ipſius ſæculi quadrageſimo Macaënſium Luſitanica in Sinarum finibus civitas in Iaponiam præter Toxoguſti Iaponum Monarchæ leges atque edicta infœlicem illam, funeſtamque legationem mitteret, quæ inde nunquam poſtea rediit, ſcribunt omnes vrbis Monachos pro ea, antequàm è portu ſolveret, vota preceſque ante Sacramentum plures dies nequicquam continuaſſe. Nihil neceſſe eſt plura ejus rei exempla referre, quæ vbique apud Latinos & in vſu quotidiano, & in Eccleſiaſticis hiſtoriis occurrit. Atque ita quidem Latini; merito profecto ac neceſſario, ex ſua certe hypotheſi. Nam ſi Euchariſtia (quod iſti volunt) ſummum eſt, diviniſſimoque nomine atque honore dignum numen; quis non intelligit Chriſtianos nuſpiam alibi vtilius ac felicius, quam in ejus conſpectu vota preceſque, gratiarum actiones & ſupplicationes deponere poſſe? neq; eos vel ſuam fœlicitatem, vel Domini bonitatem ſatis intelligere, qui alio quam ad hunc præſentem Deum in adverſis confugiunt? Quod ſi olim apud Iſraëlem graviſſime peccabant, qui alibi quam apud arcam ſua vel ἱλαστικὰ vel εὐχαριστικὰ ſacrificia offerebant, quod Deus in eo loco ſingularia quædam ſuæ præſentiæ documenta exhiberet; quanto majori ſe flagitio obſtringere putandi ſunt, qui cum ipſam Dei Opt. Max. Majeſtatem non in vmbra, vel in figuris, ſed reapſe, & quod Paulus elegantiſſime, ſed in vero rei hujus loco dicit, σωματικῶς: in Euchariſtia præſentem habeant, non ſemper, non ſaltem frequenter, maxime quoties accidit aliquid inſigniter vel lætum, vel triſte & acerbum, ante hoc Sacramentum procumbunt, ſuæque religionis officia exſolvunt? Cum ergo primos ac vetuſtiſſimos Chriſtianos, religioſiſſimos fuiſſe, & à pietate laudatiſſimos apud omnes conſtet, omnino confitendum eſt eos Euchariſtiam vel cum Latinis non putaſſe adorandam, vel certe adoraſſe, adorandamque plebi crebro expoſuiſſe proſperis, adverſiſve Eccleſiæ rebus. Ego vero exemplum hujus cultus ex omni trium priorum ſæculorum hiſtoria vel vnum requiro. In antiquiſſimæ quidem Eccleſiæ annalibus nihil occurrit crebrius, quam eæ calamitates atque perſecutiones, quæ Latinos ad illam quam diximus, *Sacramenti expoſitionem* compellunt. Nuſquam tamen illius memoriæ Eccleſiam ad hoc remedium confugiſſe legimus. Lucas Herodis in Hieroſolymitanos fideles crudelitatem ac minas, occiſum Iacobum, Petrum in vincula conjectum refert. Certe tam triſti tempore, ſublato vno Apoſtolo, altero in tanto vitæ diſcrimine

CAP. X.

Trig. Marty. Iap. l. 3. c. 19. p. 559. & Ann. Iap. a. 1613. p. 143.

Cardim. Relat. Iap. p. 34.

Col. 2. 9.

CAP. X. mine conſtituto, decebat Eccleſiam ex hac Latinorum diſciplina *Sacramentum* fidelibus inprimis *exponere*; id diu noctuque ante aras proſtratos ac ſupplices pios quoſque adorare atque invocare. Quid ergo Lucas? Ille vero narrat quidem *orationem factam ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro Petro*; Sacramentum vero *expoſitum*, vel ante id factas à proſtratis fidelibus preces non magis narrat, quam ſi *Calviniſtarum* (vt iſti nos vocant) actus deſcriberet. Neque tamen credibile eſt, vel Iaponios Hieroſolymitanis religioſiores, vel Ieſuitas Luca in ſcribendo diligentiores fuiſſe. Si Euchariſtiam tali in tempore adorari Chriſtianis cum fuiſſet, vt eſt hodie Latinis, ſolenne; eam haud dubie Hieroſolymitani in illo Petri diſcrimine non aliter olim adoraſſent, quam in ſua nuper calamitate adorarunt Iaponij? Et ſi eam tunc illi adoraſſent, hunc eorum actum haud dubie Lucas non aliter commemoraſſet, quam ſuorum in Iaponia adorationem Ieſuitas commemoraſſe videmus. Ergo quod Lucas de illo Euchariſtiæ cultu hæc narrans nullum verbum fecerit; eo ſtatuendum eſt nihil hujuſmodi à primis illis ſanctiſſimiſque fidelibus factum; quod vero nihil ab illis hujuſmodi factum tali tempore fuit, ex eo intelligitur non fuiſſe tunc adoratam apud Chriſtianos Euchariſtiam. Idem de cæteris Eccleſiæ, quæ Apoſtolis ad a. D. 315. ſucceſſit, Scriptoribus dictum volo, quorum nemo reperitur de illa Sacramenti ad adorandum triſtibus & calamitoſis temporibus *expoſitione* quicquam commemoraſſe. Ego ex ingenti rerum acervo pauca ad ſpecimen & exemplũ libabo. Smyrnenſis Eccleſia graviſſimam illam crudeliſſimamque perſecutionem enarrans, in quo Polycarpus glorioſiſſime pro Domini fide paſſus eſt, tradit cum is ad necem eſſet à plebe furente nominatim poſtulatus, ſanctiſſimum virum ſuorum conſiliis & votis obſequutum in agrum ſubvrbanum ſeceſſiſſe; totoque illius ſui ſeceſſus tempore nihil aliud egiſſe, niſi quòd preces ad Dominum diu noctuque pro pace Eccleſiarum continuaverit; Ante Sacramentum ad hoc tam neceſſarium in illo rerum articulo officium vel procubuiſſe ipſum, vel alios fideles procumbere juſſiſſe, neque aperte dicit, neque obſcure innuit. A. D. circiter 253. & 254. peſtis atrox ac diuturna toto orbe Romano poſſim graſſata eſt. Duorum nobiliſſimorum Patrum, Græci vnius, alterius Latini, Dionyſij & Cypriani ſcripta de ea calamitate habemus luculenta; ex quibus conſtat quam & funeſta humano generi & Chriſtianis acerba fuerit illa lues; at ſi quod ſit opportunum ac legitimum *exponendi* Sacramenti tempus, illud vel maxime fuiſſe nemo ex Latinorum quidem legibus dubitare poſſit. Dionyſius quidem refert ſuos Alexandrinos publicam hanc calamitatem ad ſe exercitandos ac probandos divinitus immiſſam ducentes omnia ſuę pietatis officia in curandis ſolandiſque ægrotis, mortuis vero ſepeliendis ac humandis explicaſſe. Cyprianus vero, cujus ex hac occaſione ſcriptam habemus plane auream ad ſuam plebem de mortalitate lucubratio-

Act. 12. 1. 2. 5.

apud Euſeb. Hiſt. l. 4. c. 15. p. 37. B.

Dion. Alex. apud Euſeb. Hiſt. l. 7. c. 22. p. 77. A.

Cypr. l. de mortalit. p. 451. & ſeqq.

brationem, fideles ad hæc mala fortiter ferenda, mortémque ipſam contemnendam, ac pro lucro habendam egregie hortatur; Tum officia, quibus tali tempore vacandum ſit recenſet *ſanos ſervire infirmis, dominos ſervorum languentium miſereri, medicos non deſerere deprecantes ægros, feroces violentiam ſuam comprimere, rapaces avaritiæ furentis ardorem vel metu mortis extinguere, cervicem ſuperbos inflectere, audaciam lenire improbos, divites ſine hærede morituros aliquid largiri & donare, ad martyrium libenter appetendum proficere dum mortem diſcunt non timere*; denique *mente integra, fide infirma, virtute robuſta paratum eſſe ad omnem Dei voluntatem.* Hæc Cyprianus. Pontius in ejus vita triſtiſſimi temporis actus indictos non prætermiſit. Miſerandas ſtrages, quas mortalitas Carthagine edebat exſecutus, addit Cyprianum *aggregatam vno in loco plebem de miſericordiæ bonis instruxiſſe, docuiſſe divinæ lectionis exemplis quantum ad promerendum Deum proſint officia pietatis*, inimicos diligendos, pro perſequentiū ſe ſalutē orandum; etiam in alienos à fide ſpargendam benignitatem. Piam inde plebem his hortatibus animatam ſuæ caritatis officia ſic omnibus miſeris eſſe impartitam, vt ne Paganos quidem, hoſtes ſuos, prætericrit. His illius temporis Chriſtiani actibus Deum mortalitatis tempore & Alexandriæ & Carthagine placabant; De expoſito ad adorationem Sacramento, nihil neque Dionyſius, neque Cyprianus, neque Pontius. Iam ſæviente perſecutorum rabie, quid egerint & quibus ſe præſidiis munierint, ex multis illius ævi monumentis diſcimus. Clerus Romanę Eccleſię poſt Fabiani martyriū ad clerū Carthaginenſem ſuas acerbiſſimo tempore curas enarrat; ſe fraternitatem ad ſtandum in fide; lapſos, ad agendam pœnitentiam hortari; *ipſam Eccleſiam totam cum ſumma ſollicitudine excubare pro omnibus, qui invocant nomen Domini.* Addit pœnitentibus infirmitate apprehenſis ſubveniendum; viduis, clinomenis, vinctis, exulibus miniſtrandum, martyrum & aliorum corpora ſepelienda. Cypriani complures extant ejuſdem argumenti ad ſuos epiſtolæ; ad presbyteros & Diaconos, quos cum ipſe ſecedere coactus eſſet, non ſuis tantum, ſed & ipſius partibus fungi jubet; cohortans nequid confeſſoribus, & aliis indigentibus deſit; vt ad procurandam quietem vigilent; ideo & presbyteri *ſinguli cum ſingulis diaconis apud confeſſores* in carcere conſtitutos, *offerant*, ad minuendam ſcilicet invidiam. Eadem ab iiſdem petit in ſequenti epiſtola; confeſſorum, qui è vinculis erant dimiſſi, curam impenſiorem mandans; Deum ipſe pro communi Eccleſiæ pace proque ſuo reditu precans, ſeque cleri & Fraternitatis precibus commendans. Epiſtola ſeptima eoſdem admonet vt *ad placandum & exorandum Dominum non voce ſola*, & orationibus, quibus ſe *eos aſſiduis inſtanter incumbere* confidit, *ſed & jejuniis & lacrymis & omni genere deprecationis ingemiſcant*, ob preſſuræ gravitatem, quæ gregem maxima ex parte populata adhuc vſque populabatur. Tum edita humili communiontorius

CAP. X.

ibid. p. 250.

ibid. p. 253.

Pont. in vit. Cypr. med.

inter epiſt. Cypr. 2. p. 8. 9.

Cypr. ep. 4. p. 10.

id. ep. 5. p. 12.

id. ep. 7. p. 15.

CAP. X. totius gregis peccatorum confeſſione, merito ſe vapulare agnoſcens; *Rogemus* (inquit) *de intimo corde & de tota mente miſericordiam Dei;* Tum petendum, pulſandumque & quidem gemitibus & lacrymis, *quibus* (inquit) *inſiſtere & immorari oportet, & ſi ſit vnanimis oratio.* Et poſtquam multa queſtus eſt de diſcordi fratrum in petendo voluntate, eo redit, *vt orandum inſtanter, & aſſiduis precibus ingemiſcendum* rurſum admoneat, *ſibi non olim per viſionem exprobratum* dicens,
ibid. p. 16. *quod dormitarent in precibus, nec vigilanter orarent. Excutiamus itaque* (inquit) *& abrumpamus ſomni vincula, & inſtanter ac vigilanter oremus*; quod & Pauli & Domini ipſius exemplis fuſe firmat: Tum
ibid. p. 17. ita inſiſtendum precibus docet, vt *& in præteritum peccaſſe nos pœniteat, & confitentes atque intelligentes delicta noſtra vel de cætero nos ambulare in viis Domini, & præcepta ejus metuere ſpondeamus.* Tum cœptum de reſipiſcentia ſermonem pertexens ſuos nominatim de *victu parco & ſobrio potu* admonet, ſuamque hanc epiſtolam fratribus omnibus ſuggeri petit; Orationem deinde non privatam pro ſingulis, ſed *communem & concordem pro omnibus eſſe* debere docet, ac bene de
ibid. p. 18. exitu ſperare jubet. Poſtremo; *Rogemus* (inquit) *pacem maturius reddi, cito latebris noſtris & periculis ſubveniri, impleri quæ famulis ſuis Dominus dignatur oſtendere, redintegrationem Eccleſiæ, ſecuritatem ſalutis noſtræ, poſt pluvias ſerenitatem, poſt tenebras lucem, poſt procellas & turbines placidam lenitatem.* Hæc ille de fidelium oratione & aliis ad Deum perſecutionis tempore placandum officiis. Iam in tam multiplici, tamque ſollicita & anxia orationis commendatione; quis non videt omnino commemorandam ac præcipiendam fuiſſe à Martyre illam Latinorum jugem ad Euchariſtiæ Sacramentum adorationem, ſi qua tum fuiſſet apud Chriſtianos cognita? non fuiſſe, evidentiſſime ex eo intelligi, quod ejus Cyprianus in tali loco nullus meminit? Extant inter ejus epiſtolas Africanæ Synodi litteræ ad Cornelium Romæ Epiſcopum datæ; in quibus ſe ad pacem & communionem lapſis pœnitentibus maturius reddendam eo compulſos eſſe nar-
apud Cypr. ep. 54 init. rant, quod crebris atque *aſſiduis oſtenſionibus* de inſtanti perſecutionis certamine divinitus eſſent admoniti; vt pœnitentes ſcilicet Euchariſtiæ perceptione ad proximum certamen munirentur. Hoc certe loco illius Sacramenti non perceptionem modo, ſed etiam adorationem inter arma perſecutionis tempore militibus Chriſti neceſſaria cenſuiſſet, ſi ea tum apud Afros ſolennis fuiſſet, vt eſt nunc apud Latinos. Denique ipſe Chriſti beatiſſimus Martyr ſe ad agonem, quem brevi fœliciter implevit, comparans, Succeſſo quidem Epiſcopo imperatam clericorum à Valeriano perſecutionem nuntiat, & hoc
ibid. ep. 82. p. 182. collegis per eum innoteſcere jubet, vt vbique hortatu eorum *poſſet fraternitas corroborari, & ſinguli plena fide ac tota virtute gaudeant magis quam timeant*; Eccleſiæ vero ſuæ vniverſæ epiſtola, quam vlti-
ib. ep. 83. p. 183. mam ad eam ſcripſit; mandat *vt quietem & tranquillitatem teneant, ne*

quiſquam

quiſquam aliquem tumultum de fratribus moveat, aut vltro ſe gentilibus offerat. De Sacramenti expoſitione ne hic quidem quicquam habet. Plura deſcribere ſupervacaneum eſt. Satis eſt monere in cæteris omnibus primæ ad a. D. 300. antiquitatis locis paribus altum itidem vbique eſſe de Euchariſtia ad adorationem vel expoſita, vel exponenda ſilentium; Vnde quod jam diximus, certo colligitur plane ignotam fuiſſe veteribus Chriſtianis Latinam hujus Sacramenti adorationem. CAP. XI.

CAPUT XI.

Argumentum XI. quod Euchariſtiam in rerum arduarum ſuſceptione ac molimine adorare & invocare Latini quidem pœne ſemper; vetuſtiſſimi verò Chriſtiani nunquam ſoleant.

IDEM ex quodam eorumdem vſu patet, qui ipſe quoque ad Euchariſtię cultum pertinet. Latinos enim nihil fere, quod quidem magnum ſit & arduum, moliri aut aggredi videmus, quod non à ſuæ hoſtiæ adoratione atque invocatione auſpicentur. Ita Petrum Paëſium Luſitanum Ieſuitam Æthiopicam illam expeditionem, ex qua multas poſtea laureas reportavit, ingreſſum eſſe legimus, magnis difficultatibus ad illa tempora obſeptum. Narrant eum a. D. 1603. cum eſſet poſtridie ex Indico vrbis Diu portu in Æthiopiam navigaturus, inſomnem tota nocte ante Sacramentum jacuiſſe, adorantem ſuppliciter & vota facientem; poſttremoque cum ad momentum, quo navis ſolvenda erat, advenìſſet, pronum in os, veluti poſtremum vale ſuo illi numini dicentem, coram Sacramento procubuiſſe Anno ſequenti cum Goa in eandem provinciam miſſi properarent duo Antonij, Fernandes, & de Angelis, nobiles ex eodem grege ſocij, Diu, vnde itidem erant navigaturi, non ante ſolverunt, quam noctem ſupremam vnà cum aliis, qui iſtic erant, ſodalibus, in Eccleſia ante hoſtiam proſtrati ſupplicesque exegiſſent; vt eſt in eorum annalibus proditum. Quin & Fernandem memorant Sacramentum, ante quod jacebat ſupplex, his verbis eſſe allocutum; *En adſum, Domine, meque totum tibi trado in manus*; Ac mox animis tacita ſpe, lætitiaque diffuſis, cum Ieſuiticum Armeniaco quo tutius falleret, veſtitum cõmutaſſet, in illo ſibi ornatu ac dolo valde, vt credibile eſt, placentem, ſublatis defixiſque in hoſtiam oculis, hominem vrbaniſſimum ita tandem apud eam pœne jocatum eſſe; *Obſecro te* (inquit) *bone Ieſu, ne mihi peregrina hæc veſtis etiam apud te ſit fraudi; neve tu tuum in alieno habitu latentem neſcias, vel pro alieno habeas.* Atqui hęc quidem à Latinis rite ac pœne neceſſario ſic inſtitui (ſi Euchariſtia quidem, quod ipſi volunt, numen vere adorandum eſt) & confiteor vltro, neq; repu-

Du Iarric. in Indic. l.5. c.32. T 3. p.230.

Id. ibid. c.35. 270.271.

CAP. XI. gnaturum quemquam ſanæ mentis arbitror. Quod ergo veteres Chriſtiani nihil tale ſimilibus locis ac temporibus facere leguntur apud Scriptores trium primorum ſæculorum, clariſſimo argumento eſt ignotam iis fuiſſe Euchariſtiæ adorationem. Subvecto in cœlum Chriſto ſtatim Apoſtoli cum cæteris diſcipulis in vnum convenientes deliberant de re longe graviſſima in Actis apud Lucam; nimirum de legendo in Iudæ deſertoris locum collega. Lucas eos preces ardentiſſimas, quas recitat, ad Dominum fudiſſe, tum datis ſortibus rem Deo permiſiſſe narrat. Euchariſtiam in medio locatam, & ante eum ſupplices procidiſſe Apoſtolos, nullus memorat; quod tamen ſi Euchariſtia adoratione dignum numen eſt, plane tum fieri ex Ieſuitarum

Act. 13.2. diſciplina & exemplis debuit. Quid, cum Paulus & Barnabas Spiritus Sancti juſſu Antiochia in Cyprum, & alia Paganorum loca miſſi ſunt, provinciam illis temporibus non minus difficilem, quam eſt noſtris Æthiopia, non-ne tum decebat & ipſos & cæteros collegas ac fideles ante Sacramentum ſupplices proſterni, ſeque ei *in manus tradere*, quod in ſimili cauſa vtiliſſime feciſſe feruntur Paëſius & Fernandes? An Ieſuitæ Apoſtolis religioſiores? Atqui Lucas, qui hanc expeditionem diligenter narrat, qui proficiſcentes ab omnibus ſanctis pie dimiſſos memorat, qui jejunio & precibus Domino ab Eccleſia commendatos tradit; qui manum iis ad opus tantum euntibus à fratribus impoſitam diſerte refert; de Euchariſtia, de altari in quo quieſceret, de miſſorum vel mittentium apud eam genuflexione, proſtratione, precibus, colloquio, adoratione, nullum plane verbum fecit. Profecto qui illa tam accurate exſecutus eſt, cum hæc ſi facta eſſent, dicere non piguiſſet. Sed quid facias? Et Lucas & Ieſuitæ res ſui vtrique temporis bona fide tradunt. Ille, quod nulla tunc eſſet in cultibus Eccleſiæ religioſis Euchariſtiæ adoratio, nullam vſpiam dixit; Hi, quod nunc plurima ſit apud ſuos, crebro quoque eam memorant. Rerum diſparitatem ſcriptionis diverſitas neceſſario conſecuta eſt. Eodem quoque argumento docemur ne illius quidem impoſteris temporibus, qui Recognitionum opus edidit, hunc Euchariſtiæ cultum fuiſſe apud Chriſtianos cognitum. Si enim jam tum ſolennis is vſus fuiſſet, nobilis ille fabulator, qui ad præſentis ſuo ævo Eccleſiæ ritus ſua pleraque effingit, ejus mentionem omnino facturus fuiſſe eo loco videtur, vbi fingit Chriſti Apoſtolos Hieroſolymis cum in diem poſterum indicta à Gamaliele eſſet de Chriſtianiſmi examine diſputatio,

Clem. Recog. l.1.fol.9.C. in ſumma cura atque exſpectatione noctem illam egiſſe. Res enim agebatur plane digna, quam ex Latinorum diſciplina, Euchariſtiæ, id eſt præſentiſſimi numinis adoratione, Deo commendarent; qualiter expeditiones ſacras Paëſium & Antonios auſpicatos eſſe nuper audiebamus. Atqui impoſtor ille nequiſſimus fateor, ſed vetus tamen & perquam eruditus, verbum eo loco de Euchariſtiæ cultu dicit nullum. Tantum ait Apoſtolos apud Iacobum manſiſſe, *omnipotenti Deo* per

per totam noctem ſupplicantes, vt futuræ diſputationis ſermo indubitatam fidei noſtræ oſtenderet veritatem. Idem alibi Petrum, cum eſſet coram magna hominum multitudine de religione diſputationem cum Simone Mago habiturus, qua re nulla eſſe poterat majoris in vtramque partem momenti, non ad Euchariſtiam pro felici certaminis exitu ſupplicare facit, ſed Deo graviſſimum negotium precibus domi commendare; *Oremus (*inquit*) fratres*, vt Deus per Chriſtum *ſuũ pro ineffabili miſericordia ſua adjuvet me exeuntem pro ſalute hominum, qui ab ipſo creati ſunt. Et hæc cum dixiſſet oratione facta, proceſſit ad atrium domus.* Nimirum iſtius ſæculo, hoc eſt poſt Chriſtum natum vel ſecundo exeunte, vel certe tertio ineunte, nondum piis innotuerat nulla re Deum melius & facilius propitiari & conciliari, quam exhibita Euchariſtiæ adoratione. In aliis primorum ſæculorum Scriptoribus multa quoque incidunt tempora Paëſij & Antoniorum temporibus ſimilia; quæ colligere nihil opus eſt. Satis eſt monere horum ad Euchariſtiam ſupplicationibus & adorationibus nullas iſtis veterum locis occurrere ſupplicationes adorationeſquè ſimiles.

Clem. Recog. l.1.f.12.G.

CAPUT XII.

Argumentum XII. Quod & neophyti & pœnitentes ante Euchariſtiam à Latinis ſiſtuntur: illi, vt ei gratias pro regeneratione ſua adorantes agant; hi vt coram ea ſatisfaciant venerabundi; qui ritus vterque eſt à vetuſtiſſimorum more alienus.

HOc quoque ad Latinum Euchariſtiæ cultum pertinet, quod plærique religionis actus, maxime qui momenti ſunt præcipui, apud Sacramentum fieri ſolent; nimirum vt apud Opt. Max. ex iſtorum hypotheſi numen. Ita Catechumenorũ competentium baptiſmus apud Ieſuitas adoratione Euchariſtiæ obſignatur. Multis ipſi verbis narrant, ſolennem pompam, qua Goæ Indis à Paganiſmo converſis ſacra hæc lotio adminiſtretur; Eccleſiarum aulæa, ac periſtromata, tubarum, buccinarum, & tympanorum ſtrepitum, lætam muſicorum partim alta voce, partim omnis generis inſtrumentis continentium harmoniam, totius denique civitatis tripudium ac triumphum, ſic ad Eccleſiam deductos, vbi primum aqua ſalutari tincti ſunt, ſtatim omnes apud magnum altare ſiſti, & *Sacramento* iſtic *quieſcenti gratias agere (* ſic enim loquuntur *) pro tanto beneficio, quo ejus filij facti ſunt.* Ita Ludovicus Froës Simonis Cicatoræ, nobiliſſimi apud Iapones adoleſcentis, converſionem magna pompa ad miraculum celebrans, neque hoc inter cætera prætermiſit, neophytum cum poſt ſuſceptum baptiſmum, ſacris Ieſuiticis intereſſet, flexis poſitiſque genibus de-

Du Iarric. Indic. l.2.c.2. Tom 1 pag. 314.315.

Ann Iapon. a.D.1577.

CAP. XII. vote ac reverenter Euchariſtiæ Sacramentum adoraviſſe, tam facile tamque expedite & decore quam ſi à multis jam annis Latinorum religione fuiſſet imbutus. Ego vero nimium velim mihi ex omni illa prima Chriſtianiſmi antiquitate aliquem oſtendi neophytum, qui ſuſcepto baptiſmo initiatus Euchariſtiam adoraſſe, eique gratias pro ſua regeneratione egiſſe dicatur. Veteres ſcio omnibus neophytis ſimulatque erant rite tincti, Euchariſtiam communicaſſe ſtatim, etiam parvulis (qui eam certe non adorabant) eamque communionem totius initiationis perfectionem, & obſignationem quandam fuiſſe habitam, qua ſemel percepta nihil amplius ad perfectum Chriſtianiſmum deſideraretur; idque mature apud noſtros ita fuiſſe inſtitutum, & ex multis aliis antiquitatis monumentis conſtat, & ex Synodo maxime Eliberitana anno quarti ſæculi quinto habita, ad quam videndus Albaspinæus. Sed & Iuſtinus neophytos ſtatim à lotione ad ſacram menſam admiſſos ſuo jam tempore fuiſſe eo docere videtur, quod deſcripto hominum ad fidem converſorum baptiſmo, eos continenter ad fratrum collectam deduci, omnium precibus Deo commendari, Euchariſtiæ denique celebrationi intereſſe ejuſque participes fieri non obſcure ſignificat. Fictitias quidem ille Ἀναγνωρισμῶν auctor Clemens, qui non pluribus quam 50. aut 60. annis poſt Iuſtinum vixiſſe videtur, Petrum facit quoſcumque baptizat *Euchariſtiam cum iis frangere*; Veteres autem & quidem tertij ſæculi Euchariſtiam ne infantibus quidem, modo tincti eſſent, invidiſſe, res apud omnes confeſſa eſt, & ex Cypriano indubitata; ex quo diſcimus utrumque Sacramentum etiam parvulos ſimul accepiſſe; ubi apud eum Africanæ Synodi Patres, Fidi errorem coarguentes, negantis puerulos ante octavum diem *baptizandos & ſacrificandos*, utrumque ante octavum diem licere decernunt (quos enim illi *ſacrificandos* dicunt, eos Euchariſtiæ communicandos apertiſſime intelligunt) Euchariſtiam ergo, à neophytis ſtatim poſt baptiſmum ſumptam quidem à veteribus memorari fateor; *adoratam* vero uſpiam tradi, nego; plane contra quam fit à Ieſuitis, qui eam à ſuis neophytis ſtatim poſt lavacrum *adorari* quidem narrant; *ſumi*, quod equidem meminerim, nunquam narrant. Unde hoc tantum inter utroſque diſcrimen? Nimirum Euchariſtiam, veteres quidem non alio quam ad *participationem*, ſive *ſumptionem*; Latini vero etiam ad *latriam* & *adorationem*, & quidem ad hanc magis quàm ad ſumptionem, datam atque inſtitutam putant. Unde fit, ut hoc Sacramento illi quidem nunquam, niſi *communicando*; hi vero etiam *adorando*, & quidem multo ſæpius, quam *communicando*, vel uſi eſſe olim, vel nunc uti reperiatur. Eodem quoque & illud pertinet, quod ſuos pœnitentes Ieſuitæ apud aram ante Euchariſtiam *ſatisfacere* tradunt. Iam ſupra audivimus ſocios Funagenſes, in magno rerum ſuarum diſcrimine, ante hoc Sacramentum aſſidue totos tres menſes proſtratos adoraſſe; Sed eos ibidem quoque *diſciplinas* feciſſe annales Iaponici.

Iuſtin. Apol. 2. p. 76. lin. 23. & ſeqq.

Clem. Recog. l. 6. extr. fol. 34. C.

Cypr. de lapſ. p. 102.

Id. ep. 59. p. 108.

Iaponici tradunt, id eſt ſe ipſos flagris & ſuſticis diverberaſſe; qui Latinæ vt notum eſt, pœnitentiæ actus eſt & quidem eximius, atque ſingularis. Sed & narrat Froës, egregium juvenem, Iaponicæ aulæ delibatum florem, Sangunum, quod aulicorum ſodalium importunitate victus, præter datam ſacerdoti fidem alea luſiſſet, ab Organtino Ieſuita id delictū publica pœnitentia expiare juſſum paruiſſe, & Meaci, vrbe regia, proſtrato apud Eccleſiæ aram corpore, *ante ſanctum Sacramentum* flagris in ſuum tergum tamdiu ſæviiſſe, donec recitatus eſſet Pſalmus CXXIX (Hebræis CXXX.) qui ex ſeptem pœnitentialibus vnus eſt. Cedo ſimile ex tota antiquitate exemplum. Non potes. Eſt enim pueris notum pœnitentes olim procul ab Euchariſtiæ & menſa & conſpectu ſummotos fuiſſe, neque ad eam ante admiſſos, quam ſatisfeciſſent. Quamobrem eos clara Diaconi voce nominatim videmus in veteribus quotquot ſunt, liturgiis ex Eccleſiæ cœtibus vnà cum *catechumenis* & *energumenis* dimitti, vbi ad eam ſynaxeos partem ventum eſt, in qua Euchariſtia conficitur & celebratur. Profecto & veteres & Ieſuitæ tametſi diverſimode, merito tamen ita vtrique obſervant, pro ſuo ſcilicet quique dogmate. Veteres, qui Euchariſtiæ vſum non alium norant; quam *communicationem*, qui hac multabantur eos ipſo Euchariſtiæ aſpectu haudquaquam abſurde ſummovebant; Ieſuitas vero, qui Euchariſtiam ſibi, non pro cibo tantum ad *ſumptionem*, ſed etiam pro numine ad cultum & latriam datam putant, hos, inquam, ita exiſtimantes profecto conſentaneum eſt & neophytos, & pœnitentes ante Euchariſtiam producere atque conſtituere, vt ſacra eorum officia, proteſtatio ſcilicet de Chriſtianiſmi fide, & ſatisfactio pro peccatis, præſenti Numini exſolvantur, & ejus præſentiâ commendentur, ſanctioraque efficiantur. Veteres, ſi itidem cum Ieſuitis Euchariſtiam numen eſſe latriæ cultu dignum crediſiſſent; ne dubites quin eadem ipſi quoque cum Ieſuitis de neophytis & pœnitentibus pro ſingulari ſua ſapientia decreturi fuerint. Non autem ſimilia de his decreviſſe; imo plane aliter decreviſſe certum conſtanſque eſt. Certum ergo & hoc eſſe debet veteres Euchariſtiam neque pro præſenti NVMINE habuiſſe, neque LATRIÆ cultu adoraſſe.

CAP. XII.
Ann. Iap. a 1579. p. 26.
Ann. Iap. a 1581. p. 153. 194.

CAPVT XIII.

Argumentum XIII. quod vetuſtiſsimi quidem Chriſtiani, omnes non communicantes Euchariſtiæ ſacro excluſerint; Latini vero eoſdem ad ſacri celebrationem admittant; quia nimirum illi ad ſolam communionem, ſive ſumptionem inſtitutum eſſe hoc ſacrum cenſebant; hi vero etiam ad adorationem putant. Abſurdiſsimum futurum fuiſſe priſcorum morem, ſi Euchariſtiam numen eſſe adorandum vnà cum Latinis crediſſent.

EX qua ſententiarum de Euchariſtia diverſitate illud quoque Latinorum à veteribus, ſane memorabile, diſcrimen profluxit; quod hi quidem ſuo in eam officio ſatisfeciſſe ſe non aliter putabant, niſi eam ſumpſiſſent; illi vero plæriſque anni temporibus ſufficere arbitrantur, vt eam adorent, etiamſi toto anno multi quater, plurimi tantum ſemel ſumant. Apud veteres quidem ſacris, in quibus ea celebrabatur, (quæ *Miſſam* dici Latinis placuit) omnes Chriſtiani, quotquot intererant, Sacramento communicabant. Iuſtinus poſtquam præſidem Euchariſtiam precibus & gratiarum actionibus confeciſſe, plebemque Amen reſpondiſſe narravit, continuo ita pergit; *qui apud nos* (inquit) *vocantur diaconi VNICVIQVE præſentium dant vel porrigunt, vt participent panem, vinum, & aquam, ſuper quibus gratiæ actæ ſunt*, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος. Quin & eam eſſe putabant ob Eccleſiaſticæ communionis pignus, Euchariſtiæ ſumendæ neceſſitatem, vt ejus non modo ij, qui collectæ, in qua fiebat, intererant, ſed etiam qui abfuerant fideles, participes fierent; ad quos ſcilicet à fratribus, qui interfuerant, per eoſdem diaconos è conventu ſacro mittebatur; vt ſtatim de Diaconis loquens docet Iuſtinus, dum eos addit panem illum, vinumque ſacrum *ad abſentes quoque deferre*, καὶ τοῖς (inquit) παροῦσι ἀποφέρουσι. Sed eos quidem qui ſacris intererant, ſumpſiſſe omnes ſecundo illo tertioque ſæculo Euchariſtiam, Tertulliani quoq; inſignis locus nos docet; vbi ait *pleroſq;* ſui ævi *non putaſſe ſtationũ diebus ſacrificiorũ orationibus interveniendũ, quod ſtatio* (inquit) *ſolvenda ſit accepto corpore Domini.* De fidelibus loquitur per illos ſtationum dies jejunantibus. Ait ergo plæroſque ita exiſtimaſſe; hos debuiſſe ab illa liturgiæ Eccleſiaſticæ parte abeſſe, in qua fiebat Euchariſtia (hanc enim per *ſacrificiorum orationes* intelligi patet.) Rationem autem ſuæ illius ſententiæ hanc afferebant, quod fideles, ſi huic liturgiæ parti intereſſent, eos ſtationis ſuæ officium, id eſt jejunium, ſolvere accepto ſcilicet corporis Dominici Sacramento, neceſſe eſſet. Atqui ſi, vt nunc apud Latinos, ita quoque tunc mos fuiſſet; ſi fideles Euchariſticæ liturgiæ intereſſe, neque tamen Sacramentum

Tertull. de Orat. c. 14 p. 155. A.

mentum accipere fas fuiſſet; inepta ac plane ridicula foret hæc ratio; CAPVT XIII.
quæ cum neminem Chriſtianum ſacrificij Euchariſtici orationibus, & liturgiæ intereſſe poſſe ſtatuat, niſi jejunium accepto Sacramento ſolvat; profectò illud quod diximus evidenter ac neceſſario (vt loquuntur) ſupponit, Euchariſtiæ apud illam ſecundi tertiique ſæculi Eccleſiam neminem fidelium interfuiſſe, niſi qui Sacramentum Dominici corporis acciperet. Vnde, vt obiter id dicam, id quoque tum temporis *à pleriſque* Chriſtianis creditum & pro certo atque indubitato habitum fuiſſe conſtat, Euchariſtiæ eſu ſolvi jejunium; quod quomodo cuiquam in mentem venire potuerit, qui Euchariſtiam non panem, ſed ipſam corporis Dominici cæleſtem ſubſtantiam eſſe crediderit, dicat, qui poteſt; ego quidem non capio. Iam hic ritus, vt omnes qui liturgiæ interſunt, Euchariſtiam iidem ſumant, diu in Eccleſia duravit; ejuſque in omnibus Liturgiis veſtigia expreſſa manent. In Latina quidem, Gregorius, qui ad ſeptimi ſæculi initia pervenit, teſtis eſt ſuo adhuc tempore, morem fuiſſe in celebrandis miſſarum ſolennibus, vt Diaconus clamaret, *Si quis non communicat, det locum.* In miſſa Æthiopica etiam hodie Diaconus jubet diſcedere, ſi quis communicare non vult. Græcorum eundem fuiſſe vſum, liquet ex Chryſoſtomo, acerrime eos objurgante, qui ſacris ſic interſunt, vt Euchariſtiæ minime communicent; *Quicumque* (inquit) *hic adſtat & myſteriorum particeps non eſt, is impudenter ſtat, & nimis audacter.* ὁ δὲ μὴ μετέχων τῶν μυστηρίων ἀναισχύντως καὶ ἰταμῶς ἑστηκώς. Et paulò poſt affirmat *melius eſſe talem hominem ſacris ne omnino quidem adfuiſſe.* ἢ βέλτιον τὸν τοιοῦτον μηδὲ παραγίνεσθαι; Si hunc audimus; quotuſquiſque Latinorum erit, qui non ſit impudentiæ damnandus? Miſſas enim apud eos quotidie celebrari notum eſt, etiam præſente copioſiſſima multitudine, in quibus rari, interdum nulli, præter vnum celebrantem, Euchariſtiam ſumunt. Auctor Micrologi hanc recentiorem à veteribus differentiam jampridem notavit, *ſoli* (inquit) *communicantes confectioni Sacramentorum antiquitus intererant*; & Georgius Caſſander parentum memoria, multa in hanc rem congeſſit, ac vt erat antiquitatis & ſtudioſiſſimus, & amantiſſimus; veterem ritum novo videtur præferre. Laudo; ſi vt ritum, ita & dogma, cui ritus congruit, repudiandum putat. Sin Latinum de adorando Sacramento dogma retinet; ſtulte (quod boni viri pace dictum ſit) præcipere videtur, vt quiſquis liturgiæ intereſt, is Sacramentum ſumat. Nam ſi id, quod in liturgia elevatur & oſtenditur, vere, quod Latini ajunt, ſummum & latria dignum numen eſt; ſi id ipſum, quod iidem decernunt, ea gratia in ſacro illo elevatur, vt adoretur; cur tu eum operæpretium feciſſe neges, qui humili corde præſens numen in ſacro adoravit, etiamſi id non ſumpſerit? An adorantem putas fruſtra & nequicquam adorare, nullumque adorationis pretium referre, niſi & id ipſum quod adorat, ſimul poſtquam adoravit, glutiat? Mirabilis eſt tua

Gregor. Dial. l. 2.

Miſſa Æthiop. in Liturg Caſſan.

Chryſ. hom. 3. in ep. ad Eph. extr. T. 5. in N. T. p. 888. D 886. A. B.

Microl. c. 21. Bibl. Patr. T. 10. p. 743. E.

Caſſ. liturg. c. 26.

CAPVT XIII.

tua religio, ſi ita ſentis. Atqui res videtur plane contra habere, ſi ex communi quidem hominum judicio æſtimetur, vt nimirum ſanctius atque religioſius ſe geſſiſſe cenſeatur, qui numen edere & glutire exhorruit, adorare ſat habuit. Sed etiamſi hoc Caſſandro conceſſero, fas, imo pium aliquando eſſe, Deum ſuum in os ſumere, & in ventriculum dimittere; illud arte negare noſter antiquarius non poteſt, ſimplicem illam numinis noſtri abſque eſu adorationem ipſam quoque ſua laude, ſuoque præmio dignam eſſe; vt illa Chryſoſtomi interrogatione (ſi ſtat quidem Latinum dogma) nihil ineprius, aut ſtultius fingi poſſit, qua quærit *an non ſatius foret* eum ne omnino quidem adeſſe, ſacris, qui iis ita intereſt, vt Sacramentum non ſumat? Tu vero nos ludis, Ioannes; dum hæc ita rogas. An tu quæſo pro nihilo habes, Opt. Max. Numen, quod ſe nobis in minuta oblata videndum exhibet, vidiſſe? oculos in eo fixiſſe? tum venerabundum ante præſentem ejus majeſtatem caput ſummiſiſſe? genua inflexiſſe? corpus totum proſtraviſſe adorantem, ſupplicantem, invocantem, gratias & laudes offerentem? Hic certe Sacramenti cultus, hic honos, vnus, imo primus ac maxime neceſſarius eſt miſſæ totius finis (ex Latinorum quidem inquam dogmate) abſque quo cæteri pietatis in hoc ſacro actus, nihil proſunt (Sacramentum enim fruſtra edere putant, niſi qui adoraverit.) Ergo adoratio Dei ex pane confecti pietatis ejus, quæ huic ſacro debetur, pars eſt; Eſto & ejuſdem Dei eſus, pars hujus pietatis altera (quamquam hoc quidem durum ac difficile videtur, vt pietatis in aliquem Deum noſtræ pars ſit eum glutire) Ne ſic quidem Chryſoſtomo ratio conſtabit, quærenti an non melius foret abeſſe à ſacris quam iis adeſſe non manducantem? Nam partem rei vnam, & quidem primam, ac præcipuam conſequi, id tametſi minus aliquid eſſe confitear, quam & hanc & alteram, qua cares, partem habere; nemo tamen negaverit multo eſſe majus ac præſtantius, quam re tota carere; præſertim ſi partem illam officij, qua nunc nullo contemptu, ſed quadam potius religione ac reverentia abſtines, alio & ipſe tempore, cum fas erit, vſurpaturum te apud animum tuum recipias. Iam his legibus apud Latinos agi omnes vident. Nihil igitur hic eorum vſus abſurdi aut indecori continet; Ritus cùm dogmate plane & ad amuſſim congruit. Velis nolis, Caſſander; Si hoſtia, quod tu tuis Latinis videris aſſentiri, vere numen adoratione dignum eſt; profecto legitima eſt & rationi conſentanea omnis hæc iſtorum diſciplina, vt hoſtia ſcilicet & parce ſumatur, & frequenter, imo aſſidue adoretur; quod Deum crebro, imo ſemper ſi fieri poſſet, adorare quidem omnes fas, juſtumque & ſalutare eſſe conſentiant; *manducare* vero vt aliquando fas eſſe concedatur, certe ita eſſe neceſſarium, vt non ſatis ſit Deum ſuum ter aut quater quot annis eſitare, niſi eum pœne quotidie (quoties ſcilicet ſacris te intereſſe contingit) in carnis tuæ fauces ac ventriculum immerſeris, nemo inquam, vt

opinor,

opinor, facile animo ſuo aſſequetur. Quinimo rei ipſius ratio Latinorum potius quam veterum vſui favet, ac patrocinatur, (ſi ex illorum, inquam, dogmate res conſtituatur.) Nam ſi Deus Chriſtianorum vere (quod ajunt Latini) in eorum ora, fauces, atque ventriculum ſubit, qui Euchariſtiam ſumunt; negari non poteſt, quin eximius quidam, planeque ſingularis, & apud homines hactenus inauditus, ſit iſte Dei in nos favor; Qui vero Principum favores eximij ſunt, & ſingulares, & invſitati, eos parce quidem ac ſobrie vſurpare, omnino eſt & eorum majeſtati, & noſtro pudori conſentaneum; frequenter vero, quotidie atque aſſidue vſurpare, id plane eſt & ab ipſorum dignitate, & à noſtra in eos reverentia alienum. Quid ergo? (inquit Caſſander) Tu-ne ſtultũ & abſurdum eum morem putas, quem antiquiſſimæ, ſecundo tertioque ſæculo, Eccleſiæ ſolennem, ab ipſis Apoſtolis fluxiſſe propemodum conſtat? vti nimirum Sacramento communicent, quicumque ejus liturgiæ interſunt? Ego vero abſit vt tam male de viris illis & vetuſtiſſimis & profecto ſapientiſſimis, ſentiam. Hoc vnum aio, ac contendo, & merito quidem, vt nuper docui, illum apud eos vſitatum morem omnino abſurdum ac iniquum futurum, ſi Euchariſtia quod volunt Latini numen eſſe credendum eſt adoratione dignum. Cum ergo æquum ac rationi conſentaneum illum veterum vſum fuiſſe & velit Caſſander, & nos aſſentiamur, & vix repugnent Latini, duo quædam, quæ hinc neceſſario exiſtant, omnino confitenda ſunt; quorum hoc prius eſt, vetuſtiſſimos illos Chriſtianos ſcilicet minime exiſtimaſſe hoc Sacramentum vel numen ipſum revera eſſe, vel ad hoc fuiſſe inſtitutum & traditum, vt latriæ cultu in liturgiarum ſolennibus adoretur; quod vtrumque ſi vnà cum recentioribus Latinis credidiſſent, id quoque vnà cum iis pro ſingulari ſua ſapientia perſpecturi erant, non modo fas, ſed etiam vtiliſſimum ac ſaluberrimum eſſe, vt plebes quotidianis ſacris quod fieri poteſt, & adſint frequentiſſime, & in iis Deum ex pane mirabiliter manifeſtatum adorent religioſiſſime; etiam cum Sacramentum non ſumunt (modo ne ex aliquo contemptu non ſumant.) Alterum vero quod hinc haudquaquam obſcurius conficitur, illud eſt, Apoſtolicos illos Chriſtianos de hoc Sacramento id omnino credidiſſe, quod & res ipſa, & rei inſtitutio, & omnis Scriptura clare liquidoq; nos docent, nimirum ſacrum hunc panem & calicem ad edendum, ac bibendum proprie proximeque traditum eſſe, vt eo eſu ac potu Dominici corporis ac ſanguinis pro nobis dati memoriam celebremus; neque præter hunc vllum eſſe alium legitimum ac religioſum ejus vſum. Vnde nunc quivis videt, quam recta ſit, quam vera, atq; Evangelica illa Chryſoſtomi interrogatio; εἰ δέ τινι τὸν ἄρτον μηδὲ προσφέρεσθαι; Nam ſi non alio quam *ad edendum & bibendum* in Chriſti memoriam inſtitutus eſt hic panis calixque ſacer; Chriſto auctori, ſanctiſſimæque ejus inſtitutioni aperciſſime illudunt, qui panem illũ calicemq; ſacrum minime guſtantes

KK ſpectare

CAPUT XIII.

ſpectare & venerari ſatis habent; veluti ad ſpectaculum aliquod publicum, non autem ad convivium à Domino Chriſto vocentur. Sic enim liquet iſtos multo in Dominum gravius peccare, quam ſi à ſacris plane abeſſent. Id quadamtenus vidit ipſe Bellarminus, qui alia quædam in eandem rem, & ex eodem Chryſoſtomi loco verba, nempe hæc, *Fruſtra fit oblatio quotidiana*, ita ſolvit, vt fateatur, ſi nulli ſint qui communicent fruſtra revera fieri oblationem, *quatenus ea ordinatur ad communionem.* Nam proprie quidem ac proxime & ex rei, non ex vtentis ingenio, non alio quam *ad communionem* ordinari hanc ſacram cœnam, & tota ejus inſtitutio clamat, & ipſa Chryſoſtomi oratio apertiſſime ſignificat; qui profecto nunquam dixiſſet, aut *fruſtra fieri oblationem, ſi nulli ſint communicantes*, aut *ſatius eſſe ne ſacris quidem intereſſe, quam ſic intereſſe*, vt non communices; nunquam ille inquam tam diſerti, tam recti, tamque admirandi oris Scriptor ita eſſet locutus, ſi ſacrum hoc Domini epulum alio quam ad rerum propoſitarum ſumptionem ordinatum eſſe putaſſet. Abſit vt negem alium inde fructum quam horum elementorum perceptionem ad nos redire; qui Paulum ſciam docere, Chriſti corpus ac ſanguinem nobiſcum hoc pane & hoc poculo communicari; qui Spiritum quoque in hoc ſacro nobis propinari ab eodem Apoſtolo didicerim; qui denique fidelium ad paternam menſam reverenter vnà diſcumbentium preces tum pro ſe, tum pro aliis à clementiſſimo Patre libenter exaudiri vltro agnoſcam. Sed qui hæc confiteor, illud vnà arcte teneo, omnia iſta, quæ per ſacrum Euchariſtiæ officium nobis communicantur, non aliis communicari, quam pane ſacro veſcentibus, poculumque item ſacrum ex Chriſti mandato ſumentibus. Hic proprius eſt totius Sacramenti actus; quem omnino neceſſe eſt ad divina bona conſequenda adhibere, & abſque quo quicquid fit, id, vt ſimpliciter quod res eſt, dicam, Euchariſtiæ eſt non legitimus vſus, ſed merum ludibrium. Ea vero Chryſoſtomi in illis locis mens eſt; quam fruſtra Bellarminus ſuis offuciis eripere nobis conatur, neſcio quos *exceſſus* viro admirandæ facundiæ affingens, & *amplificationis* nomine ſtultitiá ei & mendacium haud obſcure imputans, vt facile poſſem demonſtrare, niſi ea res extra inſtitutum meum eſſet. Ego enim nunc non Chryſoſtomi verba, ſed vſum veteris Eccleſiæ vrgeo; qui vt ex Iuſtino & Tertulliano oſtendimus, hic fuit vt omnes qui Euchariſtiæ ſacris interérant, Sacramentum ſumerent. Nam ſi illi veteres Euchariſtiam eo ordinatam putaſſent non modo, vt fidelibus communicetur, ſed etiam, quod Latini docent, vt in ſacrificium Deo offeratur, itemque vt à populo fideli latriæ cultu adoretur; profecto non communicantes Chriſtianos ad ejus conſpectum, atque ad orationem admiſiſſent, itidem vt nunc faciunt Latini. Quinimo ipſos quoque catechumenos, pœnitentes atque energumenos ad hæc ſacra admitti jus & ratio flagitabant, ſi ea ad hoc ordinata ſunt, vt Deus iſtis etiam abſque panis & ca-

Bell. l. 2. de Miſſa. c. 10. §. Ad locum Chryſ.

1. Cor. 10. 16.
1. Cor. 12, 13.

Bell. vt ſupr. §. Ad illud.

& calicis ſumptione, adoretur. Catechumenos enim, & energumenos, & omnium maxime pœnitentes, etiamſi à Sacramento participando jura divina atque Eccleſiaſtica manifeſte excludant, nihil tamen à Dei adoratione arcet, aut prohibet. Qui ergo hos omnes ipſo communionis jure carentes; qui etiam eos quibus non *jus*, ſed *voluntas* duntaxat fruendæ in præſens communionis deerat Euchariſtiæ ſacris excludebant, & ex cœtu ipſo in quo ea erant celebranda, Diaconi voce dimittebant, ii profecto Euchariſtiam nullum alium ad finem, proprium, inquam, & proximum, fieri putabant niſi ad *communionem*; Qui vero de ea ita ſentiunt, eos non minus quoque clarum eſt Euchariſtiam eo vt adoretur inſtitutam, minime exiſtimare. Cum ergo antiquiſſimos illos Chriſtianos à ſuæ Euchariſtiæ ſacris non modo catechumenos & energumenos, ſed etiam pœnitentes, ac, vt vno verbo dicam, omnes omnino fideles non communicantes, excluſiſſe ac prohibuiſſe ex iis, quæ diſputavimus, conſtet; illud poſtremo, quod inde evidenter atque neceſſario concluditur, eſt confitendum, antiquiſſimos Chriſtianos neſciviſſe hunc in vſum Euchariſtiam eſſe traditam, vt adoretur; non adeo eam vel adoraviſſe ipſos, vel ab aliis fidelibus adorari juſſiſſe. CAPVT XIV.

CAPVT XIV.

Argumentum XIV. quod Euchariſtiam publice palam, aperteque circumgeſtare, Latinis quidem ſolenne ſit; vetuſtiſſimis vero Chriſtianis inſuetum, & inauditum, & ab ipſa eorum diſciplina alienum.

EST & ab eodem quoque fonte illud Latinorum à veteribus in Euchariſtiæ negotio diſcrimen; quod eam circumgeſtare, & in ſublimi locatam, velut numen in ſuo pulvinari, ex illo, vt ſic dicam, ſolio ſuorum plauſus, adorationes, laudes atque hymnos excepturam circumferre Latini quidem noſtri ſæpe; veteres vero nunquam ſolent, quantum quidem ex vtrorumque comparatis inter ſe libris cõſtat. Apud illos, præter illam maximè celebrem ac ſolennem, quam quotannis die Euchariſtiæ ſacro peragi omnes vident, Sacramenti circumgeſtationem, certum eſt & aliis interdum feſtis eandem cærimoniam vſurpari. Vt Paſchate exempli gratia narrat Froës apud Iaponas Firandi (ni fallor) ſe Sacramentum ſub pallio, quo pro vmbella vtebatur, geſtaſſe; linteatum præiviſſe Fernandum corona roſea redimitum, & quanquam macie confectum, valde tamen jucunde illa ſolennia cecini ſſe, *Dic nobis Maria, Quid vidiſti in via?* & huic ex altera parte reſpondiſſe Iaponium quemdam ſenem, trullam bacillo pulſantem; quod alia ſcilicet organa deeſſent. Quin & Albertus Krant- Ep. Iapon. l. 4. ep. Froës a. 1564. p. 221. Sil. Iap. l. 4. c 17.

CAPVT XIV.

Krantzius auctor eſt in ſua olim Germania ante annos circiter ducentos, morem fuiſſe, *vt Euchariſtia in publicum deferretur in diebus Iovis per anni circulum*; idque ad devotionem paratum fuiſſe; ſed per crebram oſtentationem viluiſſe rei reverentiam. Itaque Nicolai Cuſani conſilium laudat, qui cum P.R. Legatus à latere veniſſet in Germaniam, inter cætera hoc etiam conſtituerit, ne in publicum Euchariſtia, niſi intra octavam feſtivitatis ad ejus honorem inſtitutæ, efferretur. Quam Cuſani conſtitutionem an vel ipſa Germania tunc obſervarit, non dicit Albertus; neganti quam aienti propior. Ipſe tamen valde probat, & cur probet hanc adfert rationem, quod *Euchariſtiæ vſus à cæleſti Magiſtro inſtitutus ſit ad eſum, non ad oſtentationem.* Krantzij judicium laudat, ac ſequitur Caſſander; & quidem eadem de cauſa. Sed fruſtra vterque ſic opinati ſunt. Nam Latinos feſtis etiam aliis, quam Sacramenti diebus, Euchariſtiam efferre & geſtare & ſcimus, & allatum Froës exemplum oſtendit. Ratio vero, qua Krantzius & Caſſander nitantur, valeret quidem apud veteres, qui quod illa ſupponit concedebant; contra Latinos futilis eſt, qui id negant. Inſtitutam enim Euchariſtiam ad *eſum* tantum, quod hi duo vnà cum veteribus ſtatuere videntur, Latini ſtrenue negant; docentes præterea inſtitutam, non quidem ad *oſtentationem* (quod vocabulum in vitio fere ponitur) ſed tamen ad *adorationem*, adeoque ad *oſtenſionem*; imò ad hanc multo magis, quam ad manducationem, vt ex eorum praxi videre eſt, apud quos Sacramentum nemo manducat qui non adoraverit; innumerabiles quotidie viri fœminęque adorant, qui non manducant; & qui manducant vix ac ne vix quidem milleſimam, imo bis aut ter milleſimam eorum partem efficiunt, qui adorant tantum. Quod ſi illa Alberti ratio quicquam valeret, conficeret Euchariſtiam ne feſto quidem ejus die geſtandam eſſe & populo oſtentandam; imo ne in ſingulis quidem miſſarum ſolennibus extollendam à ſacerdote, & plebi monſtrandam; quod tamen vtrumque ei concedere videntur tum Albertus, tum Caſſander. Nam ſi perperam fit quicquid fit præter Domini Chriſti inſtitutum; apparet profecto ſi Chriſtus, quod iſti ajunt, ad eſum, non ad oſtenſionem, Euchariſtiam inſtituit, eam feſto Sacramenti die, & quotidie in ſolennibus miſſis tam *perperam oſtendi*, quam ſingulis totius anni quintis feriis; quod Cuſanus, & Krantzius ferre non poſſunt. Sed iſti antiquarij in hoc fere omnes peccant, quod quid hodie fiat, & quid olim factum ſit, diligenter quidem obſervant; rationem cur vel hoc factum fuerit, vel aliud nunc fiat, non attendunt; rem cum re tantum comparantes; de vtriuſque rei cauſis parum ſolliciti. Nam ſi vtriuſque obſervationis rationes paulò accuratius ſcrutemur, reperiemus ambas tametſi inter ſe diverſas ac contrarias, conſtare tamen, & cum ſuis vtramque principiis aptiſſime ac decentiſſime cohærere; ita vt neutra mutari & loco moveri poſſit, quin tota religionis, in qua ſingulæ locum habent, compa-

Krantz. metrop. l. 11. c. 39. p. 360. A.

Caſſ Conſult. § de circumgeſt. p. 984.

compages luxetur ac ſubvertatur; quia ſcilicet inter ſe diverſæ ſunt, vt obſervationes, ita & obſervationum opiniones ac ſententiæ. Latini Euchariſtiam & numen eſſe cultu latriæ dignum, & conſequenter plebi ad adorandum proponendam & oſtendendam opinantur. Qui ita ſtatuunt, eos profecto hoc quoque decet, vt ſuum illud numen ſuis populis quam magnificentiſſime fieri poteſt, ſubinde oſtentent, publiceque circumgeſtent, tum pro rei ipſius dignitate, quæ cum divina ſit, nullis honoribus tantis à nobis coli poteſt, quin & majores mereatur; tum etiam pro totius populi ædificatione, cujus animos divinis illis ſpectaculis haud mediocriter incendi & inflammari ad Latinam illam pietatem, & ipſa rerum experientia clamat, & iſtorum Scriptores non ſemel teſtantur. Neque Tridentini ſuos hac in parte hærere amplius, aut dubitare patiuntur, dum definiunt *æquiſſimum eſſe ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cum Chriſtiani omnes ſingulari ac rara quadam ſignificatione gratos & memores teſtentur animos erga communem Dominum & Redemptorem pro tam ineffabili, & plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria & triumphus repræſentatur.* Illi vero bene ac conſentanee ita ſtatuunt, ſi vera ſunt, quæ de Chriſto ipſo ſub ſpeciebus panis realiter (vt loquuntur) præſente, deque latria ipſi in hoc ſtatu verſanti debita, philoſophantur. Nam alioqui ſi neque id quod panis eſſe videtur, Chriſti ſubſtantia eſt, neque vero id, quicquid de cætero ſit, latriæ cultu dignum eſt; ad hoc vt grati in Chriſtum pro mortis ejus beneficio animi ſignificationem ſingularem edamus, non tantum non neceſſe, ſed etiam nefas erit Euchariſtiam circumferre & adorare publice; ſatis erit eam in Eccleſia ea ratione qua à Domino inſtituta eſt, celebrare, pane ſacro veſcentes, & poculum ſacrum libantes ad ejus commemorationem. Cum ergo qui cum Tridentinis ſentiunt, eos ipſi judicent *æquiſſimum eſſe ſacros aliquos dies ſtatuere*, quibus Euchariſtiam palam ac publice circumferentes, adorandamque omnibus proponentes, ſe gratos ac memores Dominici beneficij ſingulari quadam ſignificatione teſtentur; profecto nemo non videt veteres ſi Euchariſtiam vnà cum iſtis ſenſerunt numen eſſe latriæ cultu adorandum omnino eam circumferre ac circumgeſtare, & adorandam ſuis plebibus exhibere certis quibuſdam ſtatiſque diebus debuiſſe; neque aliter huic officio deeſſe (ex Tridentinorum quidem decreto ac ſententia) potuiſſe, niſi vel ſtulti fuerint, qui quid ſit in religione *æquiſſimum* neſcierint; vel certe iniqui ac improbi, qui quod *æquiſſimum* eſſe ipſi judicabant, id tamen neque fecerint ipſi, neque aliis faciendum eſſe præceperint. Iam vero ex omnibus antiquitatis monumentis certiſſime conſtat illum circumgeſtandæ Euchariſtiæ morem Chriſtianis primorum temporum plane fuiſſe ignotum. Ex primis quidem tribus ſæculis nihil neque affertur, neque vero afferri poteſt, vnde quicquam hujuſmodi tum in vſu apud noſtros fuiſſe vel leviter ſuſpicemur. Sequentium verò ſæculorum,

Caput XIV.

Trid. Conc. Seſſ. 13. c. 5.

CAPVT. XIV. maxime quarti quintique & ſexti, mores ac ritus etiam ab hoc vſu alienos, eique plane ac tota (quod ajunt) diametro oppoſitos ac contrarios fuiſſe conſtat. Ab hoc enim vt Euchariſtiam publicaret, vſq; adeo aberat illorum temporum Eccleſia, vt præcipua quædam, atque admodum ſollicita ac anxia cura & religione caveret nequis eam omnino mortalis, non infidelis modo aut energumenus, ſed ne catechumenus quidem aut pœnitens Chriſtianus vel vllus denique, niſi qui edendam ſuſciperet, non dico fixis oculis intueri, ſed ne leviter quidem inſpicere poſſet; quod quia eſt apud omnes adverſarios confeſſū, apud Perronium vero etiam decantatiſſimum, non eſt quod in eo probando operam, aut verba perdam. Satis erit Caſſandrum hic audire id, quod res eſt, candide atque ingenue profitentem; *Conſuetudo (* inquit*) qua panis Euchariſtiæ in publica pompa conſpicuus circumfertur, ac paſſim omnium hominum oculis ingeritur, præter veterum morem & mentem, haud ita longo tempore inducta & recepta videtur. Illi enim hoc myſterium in tanta religione ac veneratione habuerunt, vt non modo ad eius perceptionem, ſed ne inſpectionem quidem admitterent, niſi fideles, quos Chriſti membra & tanti myſterij participatione dignos eſſe exiſtimarent. Quare ante conſecrationem catechumeni, energumeni, pœnitentes, denique non communicantes Diaconi voce, & oſtiariorum miniſterio ſecludebantur.* Hæc ille. Cum ergo ſtatis diebus circumgeſtare Euchariſtiam, & circumgeſtatam adorare eos omnes qui eam habent pro numine *æquiſſimum* & ad ſingularem teſtandum animi in Chriſtum grati ſenſum, aliquomodo neceſſarium ex Tridentinorum Patrum judicio ſit; nemo non videt veteres Chriſtianos, qui neque Euchariſtiam ſtatis vnquam diebus adorandam circumgeſtarunt, neq; vero quid ſit factu in religione *æquiſſimum* ignorarunt, omnino Euchariſtiam neque pro numine latria digno habuiſſe, neque ſane adoraſſe, aut adorandam præcepiſſe. Vtrique ritus colunt ſuo dogmati congruos. Latini Euchariſtiam, quam etiam ad cultum & adorationē, non autem ad eſum tantum datam eſſe putant, merito plebi adorandam, & in miſſarum ſolennibus oſtendunt, & in dierū feſtorum pompis præferunt; Veteres, qui quod ingenue bonus Krantzius etiam applaudente Caſſandro dictitabat, Euchariſtiæ vſum à cœleſti magiſtro non ad oſtentationem, ſed ad *eſum* inſtitutum eſſe credebant, eam ipſi quoque merito neque adorandam in ſuis quotidianis liturgiis oſtenderunt, neque vllo die feſto per totum annum ad pompam & cultum circumgeſtarunt.

CAPVT

CAPVT XV.

Argumentum XV. Quod Euchariſtiæ veteres neque lucernas aut cereos de die accenderint, neque thura adoleverint, neque flores ſolutos ſertoſque obtulerint; qui ſunt ex eorum honorum genere, quibus ſuam hodie Latini hoſtiam colunt. Quinimo plane nullum iſtorum trium fuiſſe apud vetuſtiſſimos in ſacris & religione vſum.

SED neque minores & rebus etiam inferiorem latria cultum ſerentibus adhiberi ſolitos, *cereorum*, & *ſuffituum*, & *coronarum* è floribus honores, vllo apud vetuſtiſſimos intra a. D. trecenteſimum Chriſtianos in vſu fuiſſe reperimus. Cereos quidem apud Latinos, cum hoſtia offertur, & aliis paſſim Miſſæ locis adhiberi, & ex praxi quotidiana, & ex Miſſali, & cæteris eorum Scriptoribus ſatis ſuperque notum eſt. E quibus vnum adfert Bellarminus ex vndecimo Chriſtianiſmi ſæculo Micrologum negantem *miſſam vnquam ſine lumine celebrari, etiamſi in meridie celebretur.* In omni quidem miſſa ſolenni ad finem præfationis *duo ſaltem intortitia ab acolythis accendi*, neque niſi poſt calicis ad adorandum elevationem extingui, ipſi iſtorum Rituales libri docent *. Sed & ſi quando extra Eccleſiam Sacramentum vel ad infirmos defertur, vel ad cultus publici pompam circumgeſtatur, tamquam abſque cereis ardentibus procedit; vbi quidem ceræ copia eſt. In hac civitate duo ſolent cerei Euchariſtiam ad infirmos prodeuntem comitari. Die vero, qui ei ſacer eſt, pompam illuminant innumerabilium cerarum luces, & pleno meridie & cœlo ſereno fulgentes, Soli invidiam immerenti faciũt. Quin & hoc ſuum numen factitio illo lumine adeo gaudere exiſtimant, vt loca ſint non pauca, in quibus aliquid vel olei, vel ceræ jugiter in ejus conſpectu ardere inſtituerint. Ieſuitæ quidem in annales ſedulo retulerunt Iapones ſuos neophytos Nangazachenæ Eccleſiæ legaſſe, quo tres lampades ante Sacramentum noctu diuque accenſæ perpetuo luceant, ac quadringentos præterea aureos donaſſe ad ornamenta, & ad ſupellectilem argenteam, & ſarta tecta ædiculæ ſacræ, in qua ſuus ille de pane Deus *quieſcit* (ſic enim ipſi de eo loqui ſolent.) Neque alij ejuſdem ordinis tacent egregij operis Lampadem à quodam ex Calecutenſis in India aulæ proceribus in hunc ſibi vſum dono datam fuiſſe, vt æternum ante Euchariſtiam arderet. Dixerant iidem in eodem opere in Salſetani agri, Goæ civitatis ſuburbani, Eccleſia quadam arſiſſe ante Sacramentum lampadem, cujus oleo pij neſcio cuius ruſtici pecus mirabiliter à lue in vicinorum greges graſſante ſervatum ſit; Et olearia quidem hujus generis miracula paſſim in

Bellar. l. 2. de Miſſa, c. 14. §. De cereu.

Microl. c. 11.

** Miſſale. Rit. celebr. Miſſ. c. 8. § 8.*

Ann. Iap. a. 1613.

De Iarric. Theſ. l. 2. c. 15.

Id. ibid. c. 3. p. 368.

iſtorum

CAPUT XV.

.1 ſſ Rit. celeb. Miſſ. c. 8. §.

Ep. lat. l. 4. f. 221.

iſtorum libris occurrunt, quæ deſcribere & longum & ſupervacaneum eſt. Sed & thus ad Sacramenti honorem à Latinis adhiberi notum eſt, & diſerte jubent rituales eorum libri *thuriferarium genuflexum in cornu epiſtolæ ter incenſare hoſtiam, cum elevatur, & ſimiliter calicem poſito incenſo in thuribulum abſque benedictione.* Sed & in Euchariſtiæ honorem cum publicè geſtatur, ſacerdotes floribus ſertis caput coronatos procedere ſolere, & omnes quotannis vident die huic Sacramento dicato, & ſupra exhibitū Froës de Fernande ſuo ſymmyſta teſtimonium docuit. Merito quidem hæc Euchariſtiæ à Latinis tribui omnes vident. Cum enim & cereorum lumina & thuris ſuffitus & florum coronas apud omnes fere gentes in religioſo etiam eorum cultu vſurpari videamus, quæ infra ſummi ac maximi Numinis majeſtatem multum ſubſidunt; cum his omnibus & à Latinis ipſis nunc honorari, & olim à Chriſtianis ſuperiorum temporum jampridem honoratas fuiſſe conſtet Divorum reliquias, atque Imagines, & cruces è materia dolatas; quis non intelligit eadem iſta huic Sacramento eſſe decernenda, quod verum eſſe & proprie dictum Optimi Max. rerum omnium conditoris numen eodem cum ipſo latriæ cultu adorandum credunt, atque definiunt? Quæ cum ita ſe habeant, dubitandum non eſt, quin vetuſtiſſimi illi primorum ſæculorum Chriſtiani, eoſdem quoque honores pro ſua ſapientia & pietate Euchariſtiæ decreturi fuerint, ſi eadem cum Latinis de ejus dignitate ſenſiſſent. Atqui ne tenuiſſimam quidem hujuſmodi in Euchariſtiam cultus vel honoris vmbram reperimus in omnibus Chriſtianæ intra a. D. trecenteſimum antiquitatis veris ac certis monumentis; nihil, inquam, apud ſinceros iſtorum temporum Scriptores vſpiam occurrit, ex quo anſam habeamus vel leviter ſuſpicandi veteres fideles huic Sacramento vel cereis accenſis, vel thuris fumis, vel coronis è floribus contextis eſſe aliquando blanditos. Sed quid dico nihil in iſtius memoriæ libris extare, vnde aliquid hujuſmodi non diſcere, & compertum habere, ſed vel conjicere, & argumentari poſſimus? Imo vero extant in iis libris clariſſima diſertiſſimaque teſtimonia, quæ nos certiſſime docent nihil tum hujuſmodi apud noſtros in vſu fuiſſe. Ac de cereorum quidem diurno in ſacris lumine, res ex Tertulliano clara eſt. Ille enim Paganorū ſimilem cultum irridens, *Accendant* (inquit) *quotidie lucernas, quibus lux nulla eſt.* Habet ergo ille pro cæcis, ac lumine caſſis, quotquot lucernas interdiu accendunt; Chriſtianum, qui de cœlo veram lucem hauſit, nefas putat quicquam hujuſmodi facere. *Tu lumen* (inquit) *es mundi.* An ſi paribus lucernis ſuum ipſe ſacrum coluiſſet, eas non aliis accendendas commiſiſſet, quam quibus *lux nulla eſt*? Idem interea, quæ mulieri Chriſtianæ viro Pagano nuptæ, gravia & acerba & impia perpetienda erant, hoc nominatim recenſet, quod diebus Paganiſmi feſtis lucernas de ædium ſuarum poſtibus ardentes [illegible]dere & tolerare cogeretur; *Omnibus* (inquit) *ſolennibus Regum, incipiente anno,*

Tertull. l. de idol. c. 5. p. 114. D.

Id. l. 2. ad vxor. c. 6. p. 190. B.

incipien-

incipiente menſe nidore thuris agitabitur, & procedet de janua laureata & LUCERNATA. Ad quem locum videndus eruditiſſimus Rigaltius, multis aſtruens veteres Chriſtianos, quod Ethnici in publica lætitia lauros januis ædium ſuarum affigere ſolerent, & per diem lucernas accendere, id *vt dicatum honori profanorum numinum, vt natura & rationi contumelioſum, denique vt ſignum novi alicujus lupanaris abhorruiſſe.* Eo autem refert & iſta Tertulliani; *Cur die læto non laureis poſtes obumbramus? nec lucernis diem infringimus? Honeſta res eſt ſolennitate publica exigente induere domui tuæ habitum alicujus novi lupanaris.* Et alibi Ethnicorum Philoſophorum vel impia, vel vana ſtultaque inſectans; *Quis* (inquit) *Philoſophum docuit ſacrificare, aut dejerare, aut lucernas meridie vanas proſtituere compellit?* Quod lucernas *vanas*, quod *meridie proſtitui* dicit, eo apertiſſime ſignificat illud ipſum quod de die accenderentur, ſtultum & inane & ridiculum ſibi ſuiſque Chriſtianis videri. Sic Arnobius, quod fabulæ Cererem faces accenſas interdiu geſtaſſe fecerant, vt inſanum ridet atque exprobrat; *Ergone* (inquit) *Dij veſtri* (Paganos alloquitur) *amiſſa quærunt, vt homines, & ſub ſole clariſſimo cum lucernis & facibus orbis peragrant vaſtitatem?* Qui hæc in aliena ſacra jocantur, an tu eos putes idem in ſuis factitaſſe? proceſſiſſe ipſos quoque cum faculis omnes claro meridie nequicquam ardentibus? & cereis, atque *intortitiis* ſuo numini, Sole rutilante accenſis, veluti nocte concubia, accuratiſſime atque ſtudioſiſſime alluxiſſe? quaſi ille noſtros duntaxat ignes cernat? ad pulcherrimum divinumque ſolis jubar cæcutiat? Huc quoque, neque abs re illa affert Rigaltius Eliberitanæ vetuſtiſſimæ Synodi decreta, *Ne lucernas publice accendant fideles*; *per diem*, inquit Rigaltius, *ſcilicet ritu Gentili.* Item; *Cereos per diem placuit in cæmeterio non incendi, inquietandi enim Spiritus ſanctorum non ſunt.* Non jam quæro, quid magnis ſequentium temporum ingeniis, ſemel invecta in Eccleſiam pompa & luxu & cæteris pacis malis, placuerit. Ad quarti quidem ſæculi initia, nullos in ſacris neque adeo ad Euchariſtiam, accenſos fuiſſe à noſtris cereos, ex his ſatis ſuperque conſtat. Neque ſane Bellarminus, qui pro hujus quoque ritus antiquitate pugnat, quemquam in hac cauſa pro ſe teſtem adducit Athanaſio & Hieronymo vetuſtiorem; quorum ille ſub Valente (id eſt poſt a. D. 364.) adhuc vivebat; hic Honorio imperante obiit a. D. 420. vt ipſe de vtroque teſtatur Bellarminus. Sed neque illud quod ſecundo loco diximus obſcurius eſt, nullum apud illius ad a. 313. Chriſtianiſmi Eccleſiam thuris & incenſi in ſacris fuiſſe vſum. Athenagoras Ethnicis noſtros, quod non *Sacrificarent*, criminantibus, ita reſpondet; *Opifex ille* (inquit) *& pater vniverſorum, non ſanguine eget, non nidore, non floribus & ſuffimentis fragrantibus, cum ipſe ſit odor longe ſuaviſſimus; cum nulla re indigeat, nihil extra ſe deſideret. Imo maximum hoc ſacrificium ducit, ſi cognoſcamus quis ipſe ſit.* ὁ τῶδε τοῦ παντὸς δημιουργὸς

CAPVT XV.

Rigalt. not. ad Tertull. p. 6. col. 1.

Tertull. Apolog. p. 32. B. C. 35.

Apolog. c. 46. p. 40. A.

Arnob. contr. Gent. l. 5. p. 220.

Concil. Eliber. c. 37. ibid. c. 34.

Bell. l. 2. de miſſ. c. 14. §. De cereis.

Bell. de ſcrip. Eccl. in Athan. & Hieron.

Athenag. Legat. pro Chriſt. Bibl. Patr. Gr. Latin. T. 1. p. 59. C.

CAPUT XV.

καὶ πατὴρ, οὐ δεῖται αἵματος, οὐδὲ κνίσσης, οὐδὲ τῆς ἀπὸ τῶν ἀνθῶν καὶ θυμιαμάτων εὐωδίας· αὐτὸς ὢν ἡ τελεία εὐωδία ἀνενδεὴς καὶ ἀπροσδεής. ἀλλὰ θυσία αὐτῷ μεγίστη, ἂν γινώσκωμεν τίς ἐξήγητο τοὺς οὐρανούς. Hæc ille; quibus à ſuis ſacris vt *ſanguinem & nidorem*, ita quoque *florum & ſuffimentorum* odores apertiſſime excludit. Neque aliter hunc locum tractat erudiriſſimus Clemens, Chriſtianorum caſtas, & cum juſtitia conjunctas preces omnibus Paganorum ſacrificiis opponens. *Eſt* (inquit) *Eccleſiæ ſacrificium oratio, quæ à ſanctis animis vt ſuffitus exhalatur.* ἔστιν ἡ θυσία τῆς ἐκκλησίας λόγος ἀπὸ τῶν ἁγίων ψυχῶν ἀναθυμιώμενος. Moxque definit ex noſtrorum ſenſu, *animam juſtam eſſe aram vere ſanctam; precationem vero puram caſtamque ſuffitum eſſe qui ab ea exhalatur.* βωμὸν ἀληθῶς ἅγιον τὴν δικαίαν ψυχὴν, καὶ τὸ ἀπ' αὐτῆς θυμίαμα τὴν ὁσίαν εὐχὴν (λέγομεν.) Denique non alium ſuffitum, qui quidem legitimus ſit ac Deo acceptus, agnoſcit, quam ſpiritualem & myſticum, *qui ex multis linguis & vocibus per orationem ſive precationem conflatur, vel etiam qui ex diverſis gentibus & naturis per teſtamentorum donum in vnitatem fidei conſtruitur.* Sic etiam Tertullianus profitetur ſe cæteroſque Chriſtianos *Deo offerre opimam & majorem hoſtiam, quam ipſe mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu ſancto profectam, non* (inquit) *grana THURIS vnius aſſis, non Arabicæ arboris lacrymas.* Hæc ille; quibus non video quid impudentius dicere potuerit, ſi jam tum Chriſtiani vt nunc Latini, Deo ſuo thura quotidie in omnibus ſacris adolerent. Alio ejuſdem operis loco, vbi ad eam Ethnicorum criminationem reſpondet, qua iſti querebantur, quod Chriſtiani *in negotiis eſſent infructuoſi*; cum ſe ſuoſque noſter oſtendiſſet perinde vt alios homines, rebus creatis in vita vti, neque vllum divinorum operum fructum repudiare; tantum ſtudere, ne qua re vltra modum, aut perperam vterentur; ſe Ethnicorum foro, & macello & balneis & tabernis & officinis & ſtabulis, & nundinis, cæteriſque commerciis pro ſua parte frui; tandem aſſentitur ſe eorum cærimonias non frequentare, neque ea vſurpare quæ ad idololatriæ ſacra pertinebant; qua in parte confitetur ſe eorum quoque ſpectaculis carere; neque tamen quæ iſtic venditantur, nulla comparare; ſed ſiquid deſideraverit, ex propriis mercatorum tabernis atque officinis ſumere. Tum; *Thura plane* (inquit) *non emimus. Si Arabia queruntur, ſcient Sabæi pluris & carioris ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam Diis fumigandis.* Si Arabes, inquit, querantur, quod nulla Sabæa thura ad Deorum ſuffitus impendimus; ſciant ne ſic quidem Chriſtianos ipſis eſſe infructuoſos; qui majorē merciū Arabicarū copiam in curandis ad ſepulturam ſuorum cadaveribus cōſumunt, ac profligant, quam Ethnicis ad ſuos Deos fumigandos. Dum ita ſe apud Arabias elegantiſſime profecto, atque vrbaniſſime purgat, liquido negat alium niſi ad condiendos mortuos thuris apud ſuos vſum fuiſſe; negat adeo aliquem fuiſſe ad Euchariſtiam fumigandam; qui ſi hodierno Latinorum

Clem. Alex. Strom. l. 7. p. 717. A.

ibid. B.

ibid. C.

ibid. p. 719. A

Tert. Apolog. c. 30 p. 30. C.

Id. ibid. c. 42. p. 38. C.

mori

mori ſimilis tum fuiſſet, in tanta Chriſtianorum multitudine, apud quam ſacra pœne quotidie fiebant, Arabibus iſtis & Sabæis vtiliſſimus ac fructuoſiſſimus futurus erat; eoque à noſtro hic vbi iſtos placare ſtudet, neceſſario erat cum altero illo ad cadavera ſepelienda vſu, commemorandus. Atqui non eſt hic vt liquet, commemoratus. Solus ille alter ad cadavera condienda thuris vſus à diligentiſſimo Scriptore allatus eſt. Ne dubites quin hic vnus noſtris tum notus; quin ille alter iis plane penituſque ignotus fuerit. Idem & in alio opere apertiſſime docet, vbi *thura & cætera peregrinitatis ad ſacrificia idolorum apud Ethnicos vſurpari ſolita*, ait *etiam hominibus ad pigmenta medicinalia, nobis quoque* (id eſt Chriſtianis) *inſuper ad ſolatia ſepulturæ vſui eſſe*. Vides vt hic quoque noſtros thure & cæteris ejuſdem cenſus peregrinis aromatis non alio quam vel ad medicinam, vel ad ſepulturæ ſolatium vti memoret? Cur hoc tam conſtanter, ſi & ad ſacrorum ornamenta his vti mos Chriſtianis jam tum æque erat, ac nunc eſt Latinis? Itaque mox à thurario, etiam Chriſtiano, *dæmonia quotidie paſci dicit*, & quod exinde ſequitur, dæmones *ejuſdem alumnos* vocat, quod ſcilicet incenſorum odoribus dæmonas idolorum ſuorum inſeſſores, & gaudere & paſci crederet ſtulta Gentilitas. Hæc vero Tertullianus nuſquam ita crude vt ſic loquar, atque præfracte dixiſſet, ſi verum Deum iiſdem quoque apud Chriſtianos vaporibus ac fumis, ſi non *paſci*, certe *coli* ac delectari; ſi aliis quam malis dæmonibus, falſiſque Divis, Arabicas iſtas merces incendi & ad cultum religioſum offerri ſciviſſet. Sed & alibi idem quoque thuris in Chriſtianorum precibus vſum breviter, ſed plane & erudite nullum fuiſſe ſignificat; vbi ad Scapulam de noſtrorum in Principem obſequio ac fide; *Itaque & ſacrificamus* (inquit) *pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro & ipſius, ſed quomodo præcepit Deus, pura prece.* Quam enim *puram* dicit *precem* eam auctor doctiſſimus atque caſtigatiſſimus, *meram precem* intelligit, nullius alterius rei mixtura conditam, an contaminatam; id eſt *abſque thure, & victima*; vt diſerte interpretatur Rigaltius; vt aperte Tertullianus ipſe firmat, dum illis, quæ deſcripſimus, continenter hæc ſubiicit; *Non enim eget Deus, conditor vniverſitatis, odoris aut ſanguinis alicujus.* Rationem, cur *mera prece* Deo ſupplicent, hanc edit, quod is neque *odoris* neque *ſanguinis* eget. Abſurde, vt omnes vident, niſi *precem* illam quam dixit *puram*, abſque odore & ſanguine, ſive abſque thure & victima fuiſſe intellexiſſet. *Puram* in hunc ſenſum precem plane hic dixit (quod & Rigaltio eſt obſervatum) quomodo alibi *paſtum & potum pura*, pro mero pane & aqua, nullis pulpamentis, nullis condimentis, aut ſalſamentis mixto. Quò idem Rigaltius *merum pedem* pro nudo, plane ſimiliter, in illo Iuvenalis verſu dictum appoſitiſſime huc attulit,

Obſervans vbi feſta mero pede Sabbata Reges.

Sed ne poſt Tertulliani quidem ævum, ſæculo à Chriſto nato vel tertio

CAPVT XV.

Id.l de idol.c. 11.p.110.C.

ibid.p.111.B.

Id.l ad Scap. c.2.p.86.A.

Rigalt. Not. in Tertull. p. 18.col.1.

CAPVT XV.

exeunte, vel etiam quarto ineunte, vllum adhuc fuiſſe thuris apud noſtros in ſacris vſum, æque docet Arnobius, quo loco fuſe diſputat temere fruſtraque id à Paganis in ſuorum Deorum cultu adhiberi; idque inde primum argumentatur, quod thus *novella res ſit*, hoc eſt, non ante multa ſæcula à Græcis Latiniſque cognita; vt ex eo demonſtrat, quod neque in priſcorum Scriptorum *libris poſita vlla ejus mentio reperitur*, neque in vetuſtiſſimis aut Etruſcorum, aut Albanorum, aut Romuli denique aut Numæ religionibus, quos omnes conſtare dicit abſque thure ſacrificiorum ſolennium munia peregiſſe. Hinc vero conficit religionem vel antiquorum claudicaſſe, quæ thure caruerit, vel poſterorum eſſe ſupervacaneam, quæ locum rei non neceſſariæ primum in cærimoniis dederit. Quo loco caſtiganda eſt Bellarmini flagitioſa vel ſupinitas, vel certe diſſimulatio; qui de thurificationis in ſacris Chriſtianis antiquitate diſputans miſſis quæ ex Tertulliano & Clemente adduximus, ad hunc tantum Arnobij locum reſpondet eum *de Gentilium conſuetudine* intelligi debere; Chriſtianos porro thuris religionem non à gentilibus, ſed ab Hebræis accepiſſe, apud quos antiquiſſimam fuiſſe thuris in ſacrificio divino conſuetudinem conſtare dicit ex libro Exodi, capite 25. & 30. & ſequentibus; quibus ſcilicet locis creberrima fit thymiamatum, & incenſi, & thuris ipſius mentio. Sed ille ſcilicet dum ſic diſputat, nugas more ſuo magnas agit. Non enim nunc quæritur, vnde ij Chriſtiani, qui thure in ſacris vtuntur, eum morem ſumpſerint, à Gentilibus-ne, an ab Hebræis, apud quos vtroſque familiarem olim fuiſſe incenſorum in rebus divinis vſum, nemo eſt in veteribus ſacris profaniſque litteris adeo vel rudis, vt neſciat, vel improbus & inverecundus, vt neget. Illud quæritur, quo demum tempore is vſus, vndecumque de cætero ſumptus ſit, apud Chriſtianos cœperit. Nondum autem Arnobij ævo cœpiſſe, profecto ex tota hac ejusde thure adverſus Paganos diſputatione patet. Non enim hoc ſimpliciter dicit (quod hic fingit Bellarminus) novellam eſſe thuris apud Gentiles religionem; ſed cum ejus religionem ex vſus apud eos novitate, oſtendiſſet eſſe nulla neceſſitate ſuſceptam; *hodieque* (vt ipſe loquitur) *fruſtra illud inaniterque præſtari, quod neque antiquitas neceſſarium credidit, & ſine vllis novitas rationibus appetivit*; Paganos inde vrget, & requirit, quæ ſit cauſa, quæ ratio, vt ante ipſa numinum ſigna *thura inijciantur altaribus, & ex eorum incendio familiaria fieri exiſtimentur, & mitia.* Reſpondentes *his Deos honorari*, ſic repellit; *Sed tamen ô pietas! quantus iſte honor eſt, aut qualis, qui ex ignis odore conficitur, & reſina ex arboris comparatur?* Thus enim eſſe viſcum ex corticibus profluens, ita vt ex amygdalo, ceraſo lacrymabili deſtillatione coaleſcens. *Hoccine ergo* (inquit) *ſuperas honorat & auctificat dignitates, aut offenſa ſi aliquando contracta eſt, thuris vapore diſſolvitur, & temperata indignatione ſopitur? Quid ergo ceſſatis cujuſlibet arboris viſcum ſine vlla paſſim differi-*

Arnob. adv. Gent. l. 7. p. 291.

Bell. l. 2. de Miſſ. c. 15. §. Secunda cærimonia.

Exod. 25. 6. Ez. 30. 1. 7. 34.

Arnob. l. 7. p. 292.

diſſeritate comburere? Nam ſi honorantur hoc numina, nec indigne ſuſtinent Panchaicas ſibi ardere reſinulas, quid intereſt vnde fumus altaribus conficiatur in Sanctis, vel ex viſci quo genere nubes ſuffitionis exæſtuent? Reponentibus *idcirco ſuperis thus dari, quod odoratus habeat ſuaves, & narium commulceat ſenſum, reliqua vero ſint aſpera, & ob cauſam offenſionis excluſa*; ipſe oſtendit ſtultam eſſe & ridiculam hanc cauſam, quod Deorum natura ſenſibus eorumque organis careat; *Habent enim* (inquit irridens) *Dij nares, quibus ducant aërios ſpiritus? Accipiunt auras & remittunt, vt penetrare illas poſſint nidorũ differentiũ qualitates?* Id vero quam ſit dictu abſurdũ eo demonſtrat, quod Deos mortales eſſe conſequens erit, ſi natura hujuſmodi *præditi ſint. Sed & illud rogat, ſi Deos hujuſmodi* ſenſibus præditos eſſe finxerint, cũ nõ omnibus eadẽ jucunda ſint, vnde ſciant iiſdẽ Deos mulceri afficiq. odoribus, quibus nos capimur? Deniq; rem ita concludit; *Cũ Dij ex ſapientũ ſententia ſint immortales, inanis* (inquit) *apud hos odor eſt, nec ſenſibiliter cõmovere aura eos potis eſt nidoris alicujus, nõ ſi mille tu pondera maſculi thuris incendas, cœlumq; hoc totum redundantium vaporum nebuloſitate cludatur.* Hæc omnino eſt Arnobij contra Gentiles diſputatio; in qua ille, vt quivis videt, non ſolum thuris in divinis adhibendi novitatem illis exprobrat, ſed ſimpliciter & abſolute contendit vanum & ineptum eſſe hunc vſum; rationes, quæ ad eum defendendum aut fucandum afferri poterant, omnes ſigillatim refutans, & rem contrariis argumentis evertens; quæ cuncta conſtat tam adverſus Latinorum, quam Gentilium thurificationem valere. Nam Latini primo thure incenſo tum Deum illum ſuum, quem ex pane mirabiliter confici volunt, tum Divorum & ſimulacra & reliquias *honorari* putant (quod vt ſtultum oppugnat & irridet Arnobius) Secundo ea, quæ in ſacris fumigant, odorandi ſenſu vel carere, vt ſimulacra; vel certe non vti, vt Chriſtum in panis ſpeciebus latentem, confitentur; Arnobius vero quæ ſunt ejuſmodi, iis odores adoleri abſurdum eſſe conſtituit. Qui ſic ergo diſputat eum, niſi inſaniſſe dixeris, neceſſario fatendum eſt thura Euchariſtiæ vel aliis hujuſmodi rebus ſacris nulla vel ipſum incendiſſe, vel à ſuis conſecraneis incendi ſciviſſe. Obſecro enim tuam fidem; Quemquam-ne credibile eſt tam eſſe protervum atque impudentem, qui cum ipſe quotidie thuris vaporibus ſacras ædes repleat, neque vnquam rem divinam faciat abſque thuribulo & incenſo, alios tamen irrideat, ſubſannet, exagitet, quod idem quoque factitent? qui illudens ab iis quærat *qua ratio ſit cur thura iniciant altaribus?* qui reſpondentem id ſe honoris gratia facere, cubito velut inſanientem pulſet, exclamans *ô pietas! quantus iſte honor eſt, aut qualis, qui ex ignis odore conficitur!* qui cætera quæ ſunt apud Arnobium fundiret, non animadvertens aut cogitans eadem in ſe thurificantem omnia recidere; eadem à ſe quæri poſſe; vel à quibus talia quærit, ſingula eos poſſe in ſe repercutere; rogantique ſibi *qua ratio ſit cur thura iniciant alta-*

CAPUT XVI.

ibid. p. 295.

ibid. p. 294.

CAPVT XV.

altaribus, ſtatim quoque reponere, *Tu vero, ô bone, dic nobis, quæ te ratio ſubigat id ipſum quod in nobis culpas, vſurpare? Vel ſi tibi ratio conſtat thuris in ſacris adhibendi, cur id nos erit nefas vſurpare, quod tibi licere putas?* Cætera ad eundem modum reciprocari poſſe, nemo tam bardus eſt, qui non intelligat. Sed etiamſi aliquem eſſe finxeris tam vel amentem & delirum, vel impudentem atque improbum, qui ſic cum adverſario, præſertim potentiori, ſibi diſputandum eſſe putet; Arnobius quidem certe iſte non fuit, qui diſerte ea ſcripſit, quæ quamquam jam ſupra edidimus, hic tamen neceſſario repetenda ſunt; *Cujus eſt* (inquit) *pudoris quinimo inverecundiæ cujus, quod agere TE videas, in eo alterum reprehendere? maledicti & criminis loco dare ea, quæ in te poßint reciprocata viciβitudine retorqueri?* Ergo qui *in eo reprehendit* adverſarios, quod *thura iniiciant altaribus*, quod *his Deos ſuperaſque dignitates honorari* putent, eum ex lege ſibi ipſi fixa fateri neceſſe eſt, id neque ſe, neque *ſuos agere vidiſſe*; nulla adeo tum thura altaribus à Chriſtianis injecta, nullo *Deum*, aut *ſuperas dignitates* thure ab iis honoratas fuiſſe. Ita ex auctoribus non dubiis aut apocryphis, ſed veris, certis, atque indubitatis, ex Athenagora, ex Clemente Alexandrino, ex Tertulliano, atque Arnobio jam conſtat nullum thuris in ſacris apud Chriſtianos toris primis tercentum à nato Domino annis vſum fuiſſe. Quod vero de Moſaïca diſciplina garrit Bellarminus, id ab hac, quod diximus, diſputatione alienum eſt. Moïſem enim non nobis, ſed Iudæis ſuis vt ſacrificiorum, ita & thymiamarum legem tuliſſe, vel ipſa Latinorum praxis oſtendit, qui incenſi ritum à Moſaïco in multis diverſum habent. Veteres quidem Chriſtianos, de quibus nunc quærimus ſenſiſſe fumos Leviticos Chriſti luce difflatos minime ad ſe pertinere, vel hinc patet, quod iis nullum in ſuis ſacris locum dederint, vt ex Scriptoribus modo laudatis demonſtravimus. Supereſt tertius Euchariſtiæ ex floribus in coronam textis apud Latinos cultus; quem iiſdem vetuſtiſſimæ memoriæ Chriſtianis ignotum fuiſſe, æque manifeſtum eſt. Athenagoras flores vt rem congenerem, jam ſupra vnà cum ſuffimentis à Chriſtiano cultu hanc ob rationem excluſit quod Deus neutrius ſpeciei odore egeat, *qui ſit ipſe odor longe ſuaviβimus.* Itaque Paganorum apud Minutium patronus Cæcilius noſtris hoc inter cætera obiicit, quod *caput floribus non nećterent*; *Non floribus,* (inquit) *caput nectitis, non corpus odoribus honeſtatis.* Neque Octavius, qui noſtrorum cauſam defendit, hoc inficiatur. Tantùm reſpondet Chriſtianos florum in vita communi vſum haudquaquam reſpuere; ſic tamen, vt nullos capiti imponant; *Sane* (inquit jocans) *quod caput non coronamus ignoſcite. Auram boni floris naribus ducere, non occipitio, capillisve ſolemus haurire.* His conſentanea ſunt, quæ Clemens Alexandrinus docet, *coronarum vſum vt ad comeſſationem & ebrietatem comparatum* damnans τῶν στεφάνων ἡ χρῆσις κωμαστικὴ καὶ πάροινος Quo continenter affert illum verſiculum. Μὴ

Arnob. l. 1. cont. Gent. p. 118.

Athe. Legat. pro Chriſt. p. 39 C.

Minut. in Oct. p. 31.

ib. p. 114. 115.

Clem. Alex. Pædag. l. 2 c. 8. p. 179. D.

μοι στεφάνῳ ἀμφιθῇς κάρα. *Ne caput mihi corona cinxeris.* Ac in pratis quidem vere ridentibus nativa ſinceraque florum εὐωδίᾳ frui, nobis concedit; *Ex puro vero prato contextam coronam pro ornamento domi circũferre* negat *eſſe ſobrij & modeſti hominis.* τὸ δὲ πλεκτὸν στέφανον ἐξ ἀκηράτου λειμῶνος κοσμήσαντας, οἴκοι περιφέρειν, οὐ σωφρόνων. Quanto minus id quod apud Latinos fieri ſolet, erat laudaturus, vt floribus coronati, etiam clerici aut in Eccleſia miniſtrent, aut in ſacris pompis incedant? Addit & hunc morem cum ipſis naturæ rationibus pugnare, quod qui floribus coronati ſunt, eorum neque pulchritudine per viſum, neque ſuavitate per odoratũ fruantur; cum tamen ad hos maxime vſus flores comparati ſint. οὔτε γὰρ ἀπολαύουσι τῆς ὄψεως οἱ ἀναδούμενοι τὸν στέφανον ὑπὲρ τὰς ὄψεις. οὐδὲ μὴν τῆς εὐωδίας, οἱ ἀπολαύοντες ὑπὲρ τὰς ἀναπνοὰς τὰ ἄνθη. Obſervat preterea vir longe eruditiſſimus luxum apud Græcos noviſſimis temporibus hunc inſtituiſſe coronarum vſum, Troïco ſæculo & diu etiam poſtea ignotum. Vnde concludit *à coronis arceri Verbi diſcipulos.* ἀρνοῦνται τοίνυν στεφάνων οἱ τῷ λόγῳ παιδαγωγούμενοι. Sed & hunc vſum eo nomine averſari nos debere contendit (idemque vrget in hoc ipſo argumento Tertullianus) quod Pagani & homines mortuos & idola æque mortua, coronarent, eó nefas eſſe *vivam Dei imaginem inſtar mortuorum idolorum coronare.* οὐδὲ τὴν εἰκόνα τοῦ Θεοῦ τὴν ζῶσαν, δίκην εἰδώλων τῶν νεκρῶν καταστέφειν. Quin & negat *rationi eſſe conſentaneum, ut qui audivimus Dominum ſpinis fuiſſe coronatum, ipſi venerabili ejus paſſioni per ludum inſultantes habeamus capita redimita floribus.* πρὸς δὲ καὶ ἀλόγιστον ἀκηκοότας τὸν Κύριον ἀκάνθαις ἐστεμμένον, αὐτοὺς ἐντρυφῶντας τῷ σεμνῷ τοῦ Κυρίου πάθει, ἀναδεῖσθαι τοῖς ἄνθεσιν. Poſtremo ſi quid in hoc genere modeſtæ recreationi concedendum eſt, rem ſic definit, vt *pijs florum odore frui ſatis ſit; coronari vero, nequaquam ſibi licere putent;* ἀπόχρη τὸ ὀσμῆς ἀπολαύειν αὐτοῖς τῶν ἀνθῶν, μὴ καταστεφέτωσαν δέ. Tertullianus idem quoque luculentiſſime aſtruit. Nam & in Apologetico, vbi ad illud reſpondet, quod Chriſtiani *in negotiis infructuoſi* dicerentur, de floribus, quos ſpernere inſimulabantur, ſatisfaciens; *Non emo* (inquit) *capiti coronam. Quid tua intereſt, emptis nihilominus floribus quomodo vtar? Puto gratius, liberis & ſolutis & vndique vagis; ſed & ſi in coronam coactis, nos coronam naribus novimus. Viderint, qui per capillum odorantur.* Apertiſſime idem dicit, quod Octavius & Clemens, floribus frui licere Chriſtiano & ſolutis, & ſertis; etiam in coronam textis, modo naribus admotos odoretur. Coronam capiti ex floribus imponere, ſtultum & ridiculum ſibi videri; neque aliis dignũ, quam iis, ſi qui ſint, qui per capillum odorentur. Idem vero alibi de his multo etiam & diſertius & vehementius teſtatur, vbi militem illum defendit, qui donativum accepturus coronam non capite, vt cæteri, ſed manu geſtaverat. Primò conſuetudinem obtendit, omnium Chriſtianorum communem, *Neminem* (inquit) *dico fidelium coronam capite noſſe, alias extra tempus tentationis hujuſmodi,* (id eſt niſi

vbi

CAPVT XV.

ibid. p. 180. A

ibid. B.

ibid. p. 181. B

Tertul. de Corona. c. 1 c. p. 126. A.

Clem. vb. ſupr. D.

ibid. p. 182.

ibid. p. 183. D

Tertul. Apol. c. 42. B. p. 38. B.

Id. l. de Corona c. 1. p. 120.

CAPVT XV.

altaribus, ſtatim quoque reponere, *Tu vero, ô bone, dic nobis, quæ te ratio ſubigat id ipſum quod in nobis culpas, vſurpare ? Vel ſi tibi ratio conſtat thuris in ſacris adhibendi, cur id nos erit nefas vſurpare, quod tibi licere putas ?* Cætera ad eundem modum reciprocari poſſe, nemo tam bardus eſt, qui non intelligat. Sed etiamſi aliquem eſſe finxeris tam vel amentem & delirum, vel impudenrem atque improbum, qui ſic cum adverſario, præſertim potentiori, ſibi diſputandum eſſe putet; Arnobius quidem certe iſte non fuit, qui diſerte ea ſcripſit, quæ

Arnob. l. 1. cont. Gent. p. 118.

quamquam jam ſupra edidimus, hic tamen neceſſario repetenda ſunt; *Cujus eſt* (inquit) *pudoris quinimo inverecundiæ cujus, quod agere* TE *videas, in eo alterum reprehendere ? maledicti & criminis loco dare ea, quæ in te poßint reciprocata viciſſitudine retorqueri ?* Ergo qui *in eo reprehendit* adverſarios, quod *thura iniiciant altaribus*, quod *his Deos ſuperaſque dignitates honorari* putent, eum ex lege ſibi ipſi fixa fateri neceſſe eſt, id neque ſe, neque *ſuos agere vidiſſe*; nulla adeo tum thura altaribus à Chriſtianis injecta, nullo *Deum*, aut *ſuperas dignitates* thure ab iis honoratas fuiſſe. Ita ex auctoribus non dubiis aut apocryphis, ſed veris, certis, atque indubitatis, ex Athenagora, ex Clemente Alexandrino, ex Tertulliano, atque Arnobio jam conſtat nullum thuris in ſacris apud Chriſtianos totis primis tercentum, à nato Domino annis vſum fuiſſe. Quod vero de Moſaïca diſciplina garrit Bellarminus, id ab hac, quod diximus, diſputatione alienum eſt. Moïſem enim non nobis, ſed Iudæis ſuis vt ſacrificiorum, ita & thymiamarum legem tuliſſe, vel ipſa Latinorum praxis oſtendit, qui incenſi ritum à Moſaïco in multis diverſum habent. Veteres quidem Chriſtianos, de quibus nunc quærimus ſenſiſſe fumos Leviticos Chriſti luce difflatos minime ad ſe pertinere, vel hinc patet, quod iis nullum in ſuis ſacris locum dederint, vt ex Scriptoribus modo laudatis demonſtravimus. Supereſt tertius Euchariſtiæ ex floribus in coronam textis apud Latinos cultus; quem iiſdem vetuſtiſſimæ memoriæ Chriſtianis ignotum fuiſſe, æque manifeſtum eſt. Athenagoras flores vt rem congenerem, jam ſupra vnà cum ſuffimentis à Chriſtiano cultu hanc ob rationem excluſit quod Deus neutrius ſpeciei odore egeat, *qui ſit ipſe odor longe ſuaviſſimus.* Itaque Paganorum apud Minutium patronus

Athe. Legat. pro Chriſt. p. 39 C.

Minut. in Oct. p. 33.

Cæcilius noſtris hoc inter cætera obiicit, quod *caput floribus non necterent*; *Non floribus*, (inquit) *caput nectitis, non corpus odoribus honeſtatis.* Neque Octavius, qui noſtrorum cauſam defendit, hoc inficiatur. Tantùm reſpondet Chriſtianos florum in vita communi vſum haudquaquam reſpuere; ſic tamen, vt nullos capiti imponant; *Sane* (inquit jocans) *quod caput non coronamus ignoſcite. Auram boni floris naribus ducere, non occipitio, capillíſve ſolemus haurire.* His conſentanea ſunt, quæ Clemens Alexandrinus docet, *coronarum vſum vt ad comeſſationem & ebrietatem comparatum* damnans τῷ στεφάνων ἡ χρῆσις κωμαστικὴ καὶ πάροινος Quo continenter affert illum verſiculum. Μὴ

Id. p. 114. 115.

Clem. Alex. Pædag. l. 2 c. 8. p. 179. D.

μοι

μοι στέφανον ἀμφιθῇς κάρα. *Ne caput mihi corona cinxeris.* Ac in pratis CAPVT XV.
quidem vere ridentibus nativa ſinceraque florum εὐωδίᾳ frui, nobis
concedit; *Ex puro vero prato contextam coronam pro ornamento domi* *ibid.p.180.A*
circũferre negat *eſſe ſobrij & modeſti hominis.* τὸ δὲ πλεκτὸν στέφανον ἐξ ἀκη-
ράτου λειμῶνος κοσμοῦντα τὰς, οἴκοι περιφέρειν, οὐ σωφρόνων. Quanto minus id
quod apud Latinos fieri ſolet, erat laudaturus, vt floribus coronati,
etiam clerici aut in Eccleſia miniſtrent, aut in ſacris pompis incedant?
Addit & hunc morem cum ipſis naturæ rationibus pugnare, quod qui
floribus coronati ſunt, eorum neque pulchritudine per viſum, neque
ſuavitate per odoratũ fruantur; cum tamen ad hos maxime vſus flores
comparati ſint. κατὰ γὰρ ἀπολαύουσι τῆς ὄψεως οἱ ἀναδούμενοι τὸν στέφανον ὑπὲρ τὰς *ibid.B.*
ὄψεις. οὐδὲ μὴν τῆς εὐωδίας, οἱ ἀπολαύοντες ὑπὲρ τὰς ἀναπνοὰς τὰ ἄνθη. Ob-
ſervat præterea vir longe erudititiſſimus luxum apud Græcos noviſſimis *ibid.p.181.B*
temporibus hunc inſtituiſſe coronarum vſum, Troïco ſæculo & diu
etiam poſtea ignotum. Vnde concludit *à coronis arceri Verbi diſci-*
pulos. ἀργοῦνται τῶν στεφάνων οἱ τῷ λόγῳ παιδαγωγούμενοι. Sed & hunc
vſum eo nomine averſari nos debere contendit (idemque vrget in hoc *Tertul.de Co-*
ipſo argumento Tertullianus) quod Pagani & homines mortuos & *rona.c.10.p.*
idola æque mortua, coronarent, eò nefas eſſe *vivam Dei imaginem in-* *126.A.*
ſtar mortuorum idolorum coronare. οὐδὲ τὴν εἰκόνα τοῦ Θεοῦ τὴν ζῶσαν, δίκην
εἰδώλων τῶν νεκρῶν καταστεπτέον. Quin & negat *rationi eſſe conſentaneum,* *Clem.vb.ſu-*
vt qui audivimus Dominum ſpinis fuiſſe coronatum, ipſi venerabili ejus *pr.D.*
paſſioni per ludum inſultantes habeamus capita redimita floribus. πρὸς δὲ
καὶ ἀλόγιστον ἀκηκοότας τὸν Κύριον ἀκάνθαις ἐστεμμένον. αὐτοὺς ἐντρυφῶντας τῷ σε-
μνῷ τοῦ Κυρίου πάθει, ἀναδεῖσθαι τοῖς ἄνθεσιν. Poſtremo ſi quid in hoc ge- *ibid.p.181.*
nere modeſtæ recreationi concedendum eſt, rem ſic definit, vt *pijs*
florum odore frui ſatis ſit; coronari vero, nequaquam ſibi licere putent; *ibid.p.183.D*
ἀπόχρη τῆς ὀσμῆς ἀπολαύειν αὐτοῖς τῶν ἀνθῶν, μὴ καταστεφοῦσθαι δέ. Tertullia-
nus idem quoque luculentiſſime aſtruit. Nam & in Apologetico, vbi
ad illud reſpondet, quod Chriſtiani *in negotiis infructuoſi* dicerentur,
de floribus, quos ſpernere inſimulabantur, ſatisfaciens; *Non emo* *Tertul.Apol.*
(inquit) *capiti coronam. Quid tua intereſt, emptis nihilominus floribus* *c.42.B.p.38.*
quomodo vtar? Puto gratius, liberis & ſolutis & vndique vagis; ſed & *B.*
ſi in coronam coactis, nos coronam naribus novimus. Viderint, qui per
capillum odorantur. Apertiſſime idem dicit, quod Octavius & Cle-
mens, floribus frui licere Chriſtiano & ſolutis, & ſertis; etiam in co-
ronam textis, modo naribus admotos odoretur. Coronam capiti ex
floribus imponere, ſtultum & ridiculum ſibi videri; neque aliis dignũ,
quam iis, ſi qui ſint, qui per capillum odorentur. Idem vero alibi de
his multo etiam & diſertius & vehementius teſtatur, vbi militem il-
lum defendit, qui donativum accepturus coronam non capite, vt cæ-
teri, ſed manu geſtaverat. Primò conſuetudinem obtendit, omnium
Chriſtianorum communem; *Neminem* (inquit) *dico fidelium coro-* *Id.l.de Coro-*
nam capite noſſe, alias extra tempus tentationis hujuſmodi, (id eſt niſi *na c.1. p.120.*

vbi

CAPVT XV. vbi periculum eſt, ne ex repudiata corona pro Chriſtiano agnitus, ad ſupplicium à perſecutoribus damneris) pergit noſter; *Omnes* (inquit) *ita obſervant* (ſic nimirum vt eorum nemo coronam capite geſtet) *à catechumenis vſque ad confeſſores & martyras, vel negatores.* Latinos iſte ſacerdotes nihil profectò minus quam Chriſtianos eſſe putaſſet, ſi die Sacramenti feſto linteatos, & accuratiſſimis ac delicatiſſimis coronis capite redimitos de more procedentes, & panem illum, non divinum, ſed Deum hoc ornatu religioſiſſime comitantes ſpectaſſet. Sed Tertullianus hunc morem (qui tunc non aliorum erat quam Paganorum, nunc etiam Latinorum eſt) poſtea vberius refellit, vt naturæ contrarium, adeoque ineptum. Coronam enim nihil aliud eſſe quam ibid. c. 5. p. 123. B. flores; flores porro *ſpectaculi & ſpiraculi rem eſſe*, id eſt rem ſic à natura inſtitutam, vt ea vel ſpectando vel ſpirando vtamur, fruamur; in capite vero nihil eſſe, quo vel color cernatur, vel odor ſpiretur. Itaque ibid. *tam eſſe contra naturam florem capite ſectari, quam cibum aure, quam ſonum nare; omne autem quod contra naturam eſt, monſtri mereri notam penes omnes; penes nos vero etiam elogium ſacrilegij in Deum, naturæ Dominum & auctorem.* En quibus iſte elogiis hanc Latini in Euchariſtiam cultus hodiernam ſpeciem exornet? *monſtrum* eam vocans & *ſacrilegium?* Sed & in ſequentibus; *Quis* (inquit) *Patriar-* ibid. c. 9. p. 125. C. *ches, quis Prophetes, quis Levites, aut ſacerdos, aut Archon, quis vel poſtea Apoſtolus, aut Evangelizator, aut Epiſcopus invenitur coronatus?* Nemo non videt, quam ſtulte hoc quærat, ſi omnis illa Apoſtolica Eccleſia hodiernis Latinorum moribus vivebat, apud quos & ille vnus novus Petri ſucceſſor, Apoſtolus ſcilicet ter maximus, triplici, eaque ex omnium pretioſiſſimis aureis, gemmeiſque floribus contexta corona redimitus ſedet, & alij omnes Hierarchiæ participes clerici monachique à Patriarcha ad ſubdiaconum non vno quidem, ſed tamen omnes aliquo coronamenti genere inſignes incedunt, & multi in ſolenni ſui ex pane Dei pompa etiam iis proprie floribus, qui in pratis hortiſque naſcuntur, coronati ſpectantur? Neque à Latinorum ſcitis minus illud abhorret, quod mox Tertullianus breviter & ibid. D. in genere definit *homines Dei coronari non oportere*; ex quo decreto confeceris neminem hodie in omni Latinorum clero vivere, qui Dei homo ſit. Ejuſdem eſt Spiritus, quod idem ſtatim quoque decernit nulli fas eſſe Chriſtano aliam quam ſpineam, & ad crucem coronam ibid. ad inſtar Chriſti gerere. *Si forſitan* (inquit) *opponis ipſum Chriſtum coronatum, ad hoc breviter interim audies; Sic & tu coronare. Licitum eſt.* Atq; hæc quidem de his hactenus; ex quibus clarũ nunc liquidumq; eſt apud vetuſtiſſimæ Eccleſię Chriſtianos primis tribus ſæculis nullum cereorum interdiu lucentium, nullum thuris apud aras incenſi, nullum denique coronarum ſutilibus capita floribus ambientium in ſacris vſum fuiſſe. Vnde & illud aperriſſime conficitur Euchariſtiam nullo ex his tribus genere fuiſſe apud noſtros illis temporibus cultam; adeoque

adeoque quod nos contendimus, neque divinis latriæ honoribus dignam eſſe habitam ab illius memoriæ fidelibus. Neque enim viri prudentiſſimi rei, quam latria dignam judicarent, cereorum, & florum, & thuris honores invidiſſent, quos omnes, ac thuris quidem maximè, iis impendi dicarique ab hominibus ſolitos ſciebant, quæcumque religioſe colenda eſſe exiſtimantur. CAPVT XVI.

CAPVT XVI.

Argumentum XVI. Quod vetuſtiſſimi Chriſtiani nullas feciſſe, vel conſecraſſe reperiantur Euchariſtiæ icones, quales hodie ſunt in ſolenni Latinorum vſu.

SED neque hoc loco omittendus eſt imaginum ſacrarum honos, qui vt mihi quidem videtur, vnus clariſſime oſtendit, quanta quamque tenera ac delicata, ac vt ſic dicam moroſa ſit Latinorum in hoc Sacramentum religio. Tametſi enim ipſa Euchariſtiæ forma rotunda atque orbicularis, pertenuis, atque exigua, adhæc tota vnius ejuſdemque fili, nullo partium, nullo colorum diſcrimine diſtincta, valde jejunum eſſe videatur ad pingendum, fingendumque argumentum; Latinorum tamē religio ne hoc quidem eam ornamento carere paſſa eſt; ne quo ſcilicet ſolenni rerum divinarum cultu fraudaretur. Mitto quæ nos in quotidiano eorum vſu videmus. Sed ex libris certè, etiam qui iſtorum res, perſonaſque nunquam viderint, intelligere tamen potuerunt eſſe apud eos in vſu, cultuque Euchariſtiæ ſimulacra. Reperio enim in Iaponicis Ieſuitarum annalibus Iuliam quandam, Coraïtenſem natu, eximiæ ex Latino ritu pietatis, cum in quandam deſertam incultamque inſulam ob ſuam fidem relegata eſſet, inter cætera, quæ omni Sacramentorum vſu deſtituta, ad animi ſolatium deſiderabat, expetiviſſe, vt à Ieſuitis ad ſe mitteretur aliqua imago, in qua ſacerdos Euchariſtiam ad altare conficiens depictus eſſet. *Trig. Iapon. Mart. l, 1. c. 9. p. 43 & Ann. Iap. a. 1613. p. 119.* Reperio & alibi Ieſuitam apud Indos Salſetanos in mulieris arreptitiæ collum globulos precarios injeciſſe, è quibus ænea pendebat Sacramenti icuncula; Diabolum ſtatim exceſſiſſe ejulantem ac conquerentem, quod hujus vi ſigilli ex ſuo domicilio pelleretur. *Ann. Goenſ. a. 1620. p. 210* Iidem quoque Scriptores (quod & ſupra me retuliſſe memini) martyras illos ſexdecim, qui Ionazavæ apud Iapones ante annos viginti novem paſſi ſunt, in ſupremis ſacrum quoddam ectypon, ſive ſignum religioſiſſime eſſe oſculatos, in quo expreſſa viſebatur Euchariſtiæ effigies. *Ann. Iap. a. 1628. 1629. p. 40.* Ita quidem nunc Latini. Apud veteres vero nulla vſpiam hujuſcemodi ſimulacri poſita reperitur mentio. Edidimus in ſuperioribus non pauca eorum fidelium exempla, qui pro Domini Chriſti fide martyrium in decem illis primis nobiliſſimis Chriſtianiſmi perſecutionibus fecerunt. Iſtorum

MM

CAPVT XVI.

rum nemo fuit, qui vllam in agone Sacramenti icunculam, ad inſtar Ionazavenſium illorum, oſculatus eſſe perhibeatur. Memini & in priſcis illis monumentis extare Nemeſiani, & Lucij,& Felicis,& aliorum illuſtriſſimorum Confeſſorum, ex metallo, in quo erant ob Chriſti teſtimonium conſtituti, ad Cyprianum datas epiſtolas. Sed neque iſtorum quiſquam inter ea ſubſidia & ſolatia, quæ à ſe vel accepta jam eſſe, vel adhuc expeti ſignificant, illam Sacramenti in altari à ſacerdote oblati imagunculam cenſet, quam à ſuis Ieſuitis Iuliam popoſciſſe videmus. Neque poſtremo inter curationum à veteribus facta miracula, quæ plurima quoque ſupra exhibuimus, dæmonem vllum reperias, qui Euchariſticæ icunculæ vi ejectus fuiſſe dicatur, quod nunc Latini de Salſetano illo ſuo apud Indias dæmonio tradunt. Sed quid ego me in iſtis conquirendis & convaſandis fatigo? Ne Ieſuitæ quidem ipſi, vt opinor, negaverint nullo adhuc apud noſtros in vſu fuiſſe Euchariſtiæ icunculas non modo toto decem illorum perſecutionum tempore, ſed ne inſecutis quidem ſæculis; adeo nulla tam nobilis, tamque vtilis inventi veſtigia apparent apud cætera Chriſtianiſmi vel climata, vel ſæcula. Atqui & Euchariſtiæ ipſius honos, & fidelium vtilitas hujuſmodi icunculas poſcebat; Nam & rerum divinarum ſacras imagines fieri colique ad earum honorem, decet, tum ex omnium pœne mortalium, tum maxime ex Latinorum diſciplina. Et harum nominatim iconum quantus ſit ad pietatem vſus, vel nuper memorata ex Ieſuitis exempla docent, in quibus cernere eſt ipſos quidem ex vna parte Confeſſores, atque martyras hoc ſolatio non parum recreari; ex altera vero etiam arreptitios dæmonibus ejuſdem adjumenti ope liberari. Si hæc, vt Latini opinantur, vera ſunt, & Apoſtoli ipſi, & proximi eorum ſucceſſores, ea viderunt & perſpexerunt; Neque enim Ieſuitæ credo, ſe ſolos ſapere, verumque perſpicere; Apoſtolos & veteres Chriſtianos in iis, quæ ad res divinas, earumque cultum, & ipſam fidelium vtilitatem pertinent, cæcos præ ſe & obtuſos fuiſſe dicent. Iam ſi primi illi Chriſtianiſmi doctores hæc, vt dixi, vera eſſe agnoverunt, cauſa dici nulla poteſt, cur non Euchariſtiæ ſimulacra (ſi eam quidem latriæ cultu dignam eſſe putarunt) fieri & à piis quibuſque haberi, & coli, tum ad ipſius honorem, tum ad ſuam vtilitatem præceperint; maxime, ſi *Chriſti* ipſius *effigiem*, & *ſervorum* ejus *icones* pingi decreverunt, vt eſt in neſcio cujus Synodi canone perſcriptum, quam & Concilij VII. Patres, & ex adverſariis Turrianus, & Binius, & Baronius, & alij volunt Antiochiæ ab Apoſtolis habitam; ſique, quod Gregorius P.R. II. affirmare non dubitavit, religioſi Chriſtique amantes homines Ieſum initio, vt viderant, depinxerunt, Iacobumque ſimiliter ac Stephanum & Martyras; adeo vt priſci Pontifices imagines ad Concilia deferre ſolerent, neque vllus ex piis Chriſtianis fuerit, qui iter peragens abſque imaginibus peregrinaretur. Non jam quæro quam hæc vera certaq; ſint.

Apud Cypr. ep.78.79.80. p.177.

Syn. Ant. Can.3. Syn.7. *Act.* 1. T.6. *Concil.* *Greg II.ep.1. ad Leon. in* *anteactis* *Concil.VII.* *Id.ep 2. ad eund. ibid*

ſint. Illud vnum aio ſi hæc fuit (quod ſtatuunt adverſarij) Apoſtolorum & vetuſtiſſimorum Chriſtianorum de effingendis eorum, quæ religioſe colenda ſunt, imaginibus ſententia; non potuiſſe eos de Euchariſtiæ deitate & cultu idem quod nunc docent Latini, ſentire, quia & horum more modoque, aliqua ejus ſimulacra piis tradiderint. Ergo cum nulla primæ illi ac vetuſtiſſimæ Eccleſiæ tradita, commendata, vel nota fuiſſe hujus generis ſimulacra vſque adeo conſtet, vt ne ipſi quidem Ieſuitæ id, ſiquis eis ſupereſt pudor, negare poſſint, illud quod nos contendimus, omnino confitendum eſt neque Apoſtolos, neque proximos eorum ad a. D. 313. diſcipulos & ſucceſſores ſciviſſe aut credidiſſe Euchariſtiam numen eſſe, *latriæ* cultu dignum, eive diviniſſimam hanc adorationem aut tribuiſſe ipſos, aut tribuendam decreviſſe.

Caput XVII.

Argumentum XVII. Quod apud veteres nullum fuerit Sacramento dicatum aut celebratum feſtum, vt & apud Latinos, & quidem celeberrimum, atque religioſiſſimum. Præcluditur Perronij effugium. Latini hujus feſti novitas, ejuſque inſtituendi auctores & cauſæ referuntur & affirmantur.

Idem quoque ex eo intelligimus, quod iidem nullum Euchariſtiæ diem feſtum conſecrarunt; quæ Latini in eam cultus pars eſt potiſſima. Hi enim quotannis quintam poſt Pentecoſtes octavas feriam huic Sacramento ſacram maximo triumpho concelebrant, nunquam alias ſuam in Euchariſtiam religionem effuſius teſtantes. Neque fortaſſe multum ille à vero aberraverit, qui nullum toto anno diem iſto lætius majorique pompa apud Latinos agitari dixerit; quod ideo fortaſſe fit, quod cæteræ nonnihil feſtivitates ipſa vetuſtate eviluerint; hæc quæ recens eſt, & iſtorum propria, ipſa novitate homines afficit ac delectat. Quod enim de cantilenis dixit ſummus Poëta eam eſſe mortalibus acceptiſſimam, quæ eſt recentiſſima; id neſcio an non & de feſtis merito vſurpari poſſit, quorũ quæ noviſſima ſunt, ea fere maxime placent, ac præcipue ſunt vulgo in deliciis. Quanquam hoc quidem præter novitatem, etiam ipſum fortaſſe argumentum Latinis merito commendat. Nam ſi Euchariſtia (quod iſti ſibi fingunt) ſummum numen eſt & noſtra & Angelorum latria dignum; quis neget ejus, ſi quod eſt feſtum, id præcipuam religionem mereri? Vtcumque ſit, illud quidem certum eſt Euchariſtici Sacramenti feſtum ſingulari quadam pompa, lætitia, ac celebritate quotannis ab iſtis coli. Nihil neceſſe eſt memorare quæ illo die apud

Hom. Odyſſ. a. τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.

eas gentes, in quibus Latini rerum potiuntur, fieri videmus, publicam exultationem, pompas proceſſionum, longos ſacerdotum linteatorum, monachorum, virorum, ac mulierum, ſenum, puerorumque ordines, vicorum ac platearum ornamenta, ſolum floribus conſtratum, ipſos domorum parietes pretioſiſſimis tapetibus ac periſtromatis veſtitos, diſpoſita certis intervallis pegmata, auro, argento, gemmis lucentia, ad hoc parata, vt numen tametſi molliſſime vectatum ſubinde interquieſcat, omnia citharis, ac muſicis omnis generis cantibus & horrendis etiam bombardarum mugitibus perſtrepentia, omnia odoribus atque ignibus gaudentia. Iſta quotannis ſumma pace ac voluptate apud populos Latini Pontificis religioſos fieri, nemo miratur. Eadem etiam in terris à Papa remotiſſimis, & Principum Paganorum imperio ſubditis, ab iſtis tentari, quis niſi ipſis narrantibus crederet? Certe cum a.D. (ſi bene obſervavi) 1581. Taraſuchi apud Iaponas hunc diem ageret Valignanus nobiliſſimus ex Ieſuitico ſodalitio (vt vocant) *Viſitator*, eorum Annales tradunt omnes oppidi vias, quacumque Euchariſtia proceſſura erat & viridiſſimis frondibus veſtitas, & multa roſa conſperſas, & blandis odorum paſſim in foculis ardentium vaporibus ſuffumigatas, & renidentibus denique lucernarum flammulis illuſtratas fuiſſe. Narrant iidem alibi cum primum id feſtum a.D. 1605. Nangazachi celebraretur, Iaponas omnes neophytos promptiſſime vias publicas exornaſſe, & proceſſionem comitatos eſſe, Euchariſtiam Epiſcopo ſub vmbella præferente, tormenta ænea diſploſa, ignes è nitrario pulvere mira arte ejaculatos, ſaltationes varias exhibitas fuiſſe, eaque cærimonia vehementer fuiſſe affectos Iaponum animos, admirabilemque de hujus Sacramenti magnitudine opinionem inde hauſiſſe; ſic vt ejus potiundi cupiditate inflammati inardeſcerent. A. D. 1607. Lahore apud Mogores in India cis Gangem, quod tota civitas expers eſſet Chriſtianiſmi, ferunt ſe feſtum hoc intra ſuos quidem parietes egiſſe; ſic tamen, vt in Eccleſia procedentibus Ieſuita Sacramentum manibus geſtans præiret, eique venuſtulus puer, comptus & ornatus, ore, veſte totoque corpore ad elegantiam & leporem factus certis per intervalla locis occurreret, & Euchariſtiam procumbens ac venerabundus adoraret, eique Chriſtum *realiter* (vt loquuntur) præſentem ineſſe, clara voce profiteretur. Nemo nunc mirari debet, quod tantas ſibi elegantias eripi Patres Tridentini pati non potuerunt, ſuaque illa trifida fulmina in tetricos hæreticos incunctanter moliti ſunt, qui has ſuas delicias turbare intempeſtiva ſeveritate conantur; *Si quis* (inquiunt) *dixerit non eſſe hoc Sacramentum peculiari feſtiva celebritate venerandum, neque in proceſſionibus ſecundum laudabilem & vniverſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum & conſuetudinem, ſolenniter circumgeſtandum*, &c. *anathema ſit.* Illud tantum in hac eorum dira ſane atque horrida animadverſione, aliquis fortaſſe non immerito reprehendendum putaverit, quod per hæreti-

Geſp. Cælius, ep. Iapon a. 1582 p. 91.

Ann. Iap. a. 1605. p. 149 & Sol. Iap. l. 15. c. 11. pag. 347.

Iarric. Indic. l. 5. c. 18. T. 3. p. 434.

Concil. Trid. Seſſ. 13. can. 6.

CAPUT XVII.

Hæreticorum latus Apoſtolos ipſos & veteres Chriſtianos ferire haud obſcure videantur, quos omnes conſtat *peculiari* illa *feſtiva* Sacramenti celebritate caruiſſe. Hanc enim quam diximus, *feſtivitatem* ſero admodum apud Chriſtiani nominis homines invectam eſſe nemo dubitat. Videtur & hoc iratis Patribus non ſatis caute per indignationis æſtum excidiſſet, quod hunc eſſe affirment non tantum *laudabilem*, (quod fortaſſe ferri ab antiquariis poſſet (ſed etiam *univerſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum atque conſuetudinem*, ut Sacramentum *circumgeſtetur*. Vix enim animo capi poteſt, quomodo *univerſalis* ea dici poſſit *Eccleſiæ conſuetudo*, quæ cum primorum ſæculorum, præſertim quarti, quinti, & ſexti Eccleſiaſticis ritibus recta pugnat, ut ſupra aſſentiente Caſſandro oſtendimus, & ſequenti etiam ævo Latinis quidem diu, cæteris vero nominis Chriſtiani hominibus Græcis, Armeniis, Æthiopibus, ad hodiernum diem ignota fuit. Conſtat enim hoc feſtum apud ipſos Latinos, qui id ſoli omnium Chriſtianorum celebrant, ab Urbano P. R. IV. anno ſæculi decimi tertij ſexageſimo quarto fuiſſe demum inſtitutum; ac cum ne ſic quidem *illud celebrarent omnes Eccleſiæ* *, quæ Romanæ Sedi ſubjectæ ſunt; renovatum fuiſſe & promulgatum Urbani decretum à Clemente P.R.V. in Concilio Vienneſi a. D. 1309. tandemque ab ejus ſucceſſore Ioanne P.R.XXII. firmatum, cum *Clementinas omnes conſtitutiones publicaſſet, & ad univerſalia ſtudia tranſmiſiſſet, novaſque ipſe indulgentias conceſſiſſet atque proceſſionem ſolennem ordinaviſſet* Ex quo demum *tempore ſolemnitatem hanc per totius orbis* (Latini ſcilicet) *Eccleſias devotiſſime receptam eſſe* notat apud Bzovium Ioannes Blarus, Prior Sancti Iacobi Leodienſis, accuratiſſimus hiſtoriis hujus feſti Scriptor. Extat utraque Urbani & Clementis conſtitutio; neque ulla eſt de re ipſa controverſia. Sed quærit Perronius quid inde concludi poſſit *? Quaſi res obſcura ſit, aut incerta. Ego vero viciſſim quæro cur tam ſero in Chriſtianum orbem invecta ſit hæc ſolennitas, ſi Euchariſtiæ adoratio, ad quam illa pertinet, jam initio, tredecim ante natum Urbanum ſæculis, in tota Eccleſia, quod iſti volunt, nota, factitata, ac ſolennis fuit? Volunt adverſarij. Apoſtolos feſta Chriſto & naſcenti, & circumciſo, & baptizato, & patienti, & in cœlum aſcendenti conſecraſſe. Cur non hoc quoque, ut nunc Latini, eidem in panis ſpeciebus ſe manifeſtanti conſecrarunt? Hunc honorem non minus poſcebat tranſſubſtantiationis quam nativitatis aut aſcenſionis miraculum; imo ſi rem cum re comparemus, illud quam hoc celebrari dignius erat; non tantum quod hoc Sacramentum ſit (ut ajunt quidem Latini) *miraculorum à Chriſto factorum maximum*, ſed etiam, quod in ea ipſa Dominici corporis ſubſtantia præſens adeſſe creditur; in natalis & aſcenſionis feſto non creditur. Cum ergo hoc feſto primi Chriſtiani caruerint, apparet nihil ejuſmodi ab Apoſtolis fuiſſe præceptum, aut inſtitutum; neque adeo vel ipſos

Vid. gloſſ. in cap. Si Dominum. l. 3. Clem. tit. 16.

Bzovius a. D. 1260. §. 17. art. 9. extr.

Clement. l. 3. Tit. 16. de reliq. & vener. Sanct. c. unico. Si Dominus.

Perron. de Euchar. l. 3. c. 19. p. 914. extr.

Lect. 6. offic. feſt. corp. Chr. Breviar. p. 561. B.

CAPVT XVII.

vel ſucceſſores eorum proximos ſenſiſſe Euchariſtiam numen eſſe adorandum; quod ſi ſenſiſſent, feſtum ei conſecrare homines ſapientiſſimi non omiſiſſent. Neque vero hanc noſtram ratiocinationem Perronij figmentum ſolvit; Si ex eo (inquit) quod Eccleſia ad celebrandam de Arianiſmo profligato victoriam, proprium Trinitatis feſtum inſtituit, minime concludi poteſt Chriſtianos ante inſtitutum illud feſtum nequaquam Trinitatem crediſſe; quid eſt quod miremur poſt extinctam Berengarianam hæreſim, & receptam in Lateranenſi ſub Innocentio P. R. III. vniverſaliſſimo Concilio ab omnibus totius orbis Chriſtianis tranſſubſtantiationem, inſtitutum fuiſſe ab Vrbano tanti triumphi monumentum, corporis Chriſti feſtum? vel cur inde argumentemur non fuiſſe à ſuperiorum temporum Chriſtianis adoratum hoc Sacramentum? Hæc ille, in quibus multa more ſuo peccat, falſa & à ſe ficta veluti vera nobis obtrudens. Primo enim quod de feſto Trinitatis veluti à Nicænis Patribus, vel à Proximorum temporum Eccleſia ob devictum Arianiſmum inſtituto declamitat ſane confidentiſſime; id rogo ex quibus annalibus hauſerit? quo auctore, quo teſte ſua hæc nobis ſomnia commendet? Ille vero nullos edit; ſuam nobis auctoritatem ſatis futuram exiſtimans ad ea pronis auribus excipienda, quæ ipſi dictare libuerit. Sed iniquum eſt eam ab adverſariis fidem poſtulare. Nos vero omnia plane alia in veris rerum monumentis reperimus. Hoc enim Trinitatis feſtum noviſſimis demum temporibus, ſeptem minimum ſæculis poſt triumphatum à Nicæna Synodo Arianiſmum invaluiſſe diſcimus. Ipſum officium, quale hodie habetur in Romano breviario, de Arianiſmo ne vnum quidem verbum dicit; ſeque poſt Fulgentij tempora, id eſt poſt ſexti ſæculi initia, conditum eſſe iis lectionibus liquido fatetur, quas habet ex illo auctore deſcriptas. Sed quid ego Fulgentij ævum dico? Ne nono quidem ſæculo notum fuiſſe hoc feſtum patet ex Moguntina Synodo a.D. 813. habita, quæ omnes totius anni feſtivitates recenſens ac cōmendans hanc Trinitati ſacram non magis memorat quam illam alteram Sacramento ab Vrbano dicatam. Id ipſum confirmant Gerardi Turonenſis Epiſcopi capitula circa a. D. 858. edita, in quibus feſta totius anni plane eadem quæ à Moguntinis pertexuntur, nulla hujus Trinitati ſacri mentione. Neque id memorant vlli vel iſtius vel ſequentis ſæculi non pauci Scriptores, qui de rebus Eccleſiaſticis, totiuſque anni ſolenni cultu ex profeſſo commentati ſunt Amalarius Fortunatus, Rabanus Maurus, Pſeudo-Alcuinus, cæteri. Quinimo ne ipſe quidem Gratianus, quo loco tempora totius anni lerianda enumerat, vllum profert auctorem, qui feſti hujus meminerit. Quod enim habet ex Concilio, vt ipſe inſcribit, Lugdunenſi capitulum, id cætera quidem feſta diſerte recenſet, de hoc nihil dicit. Denique obſcuriſſima eſt tota ejus apud Latinos hiſtoria, quantum equidem obſervare potui. Auctor Micrologi, qui ſe Gregorio P.R. VII. mortuo, id eſt

Perron. ibid. p. 914. 915.

Offic. Domin. Trinit. lect. 4. 5. 6. Breviar. p. 547.

Conc. Mog. c. 36. Conc. Gall. T. 2. p. 287. extr. Capit. Her. c. 61. T. 3. Conc. Gall. p. 113.

De conſecr. d. 3 c. 1. Pronunciandum. pag. 2139.

Microl. c. 14 Bibl. Patr. T. 10. p. 739. E.

eſt poſt a. D. 1085. vixiſſe ipſe ſignificat, primus ſi bene memini, de Trinitatis feſto loquitur. Vbi enim ad Pentecoſtes octavam venit, tradit *QVOSDAM in ea officium de ſancta Trinitate inſtituere*; ſed id negat *eſſe authenticum*. Tum addit; *Quidam Leodicenſis Stephanus idem officium, ſicut & hiſtoriam de inventione Sancti Stephani compoſuiſſe aſſeritur: quæ vtraque ab Apoſtolica Sede reſpuuntur.* Vnde videre eſt, quam vanos nobis fumos Perronius dederit; qui tam magnifice de ejus feſti cauſa atque origine philoſophatur, quod ab ipſa Romana Sede ſæculo vndecimo præcipiti adhuc reſpuebatur. Tum ita pergit Micrologus; *Vnde pia memoria Alexander Papa de hac re inquiſitus reſpondit juxta Romanum Ordinem nullum diem ſpecialiter aſcribi debere ſolennitati ſanctæ Trinitatis, ſicut nec ſanctæ Vnitatis, præcipue cum in omni Dominica, imo quotidie, vtriuſque memoria celebretur.* Alexandrum autem, vt apparet, hujus nominis ſecundum dicit Gregorij ſeptimi deceſſorem, a. D. 1061. in Romanam ſedem evectum. Ex his vero & aliis ipſe Micrologus concludit; incongruum videri *vnam Dominicam cum orationibus, Albini & cantu Stephani de ſancta Trinitate celebrari.* Atque hoc docent hujus feſti auctoribus, quiqui tandem illi fuerint, nihil *de triumphali Arianiſmi memoria* veniſſe vnquam in mentem; Id enim ſi verum eſſet, & Alexandri Pontificis, & hujus Micrologi contra hujus feſti celebrationem ratio plane inepta eſſet atque inefficax, ; quæ clariſſime ſupponit ad Trinitatis ipſius cultum hoc quicquid eſt feſti pertinere, non ad *profligati Arianiſmi* memoriam; quod vnus, quia ſic ei libuit, noſtro demum tempore, ſomniavit Perronius. Sed hæc inſtitutio (quæ & aliis plurimis accidit) tametſi initio reprobata ac exploſa, ſuperſtitioſa tamen hominum privatorum pertinacia evicit, vt in vſum paulatim reciperetur, tandemque apud omnes Latinos valeret; quod quomodo, & quibus gradibus, quibuſve fautoribus, atque auctoribus factum ſit, neque ſane obſervavi, neque ſi ſcirem, ejus commemorandi hic eſſet locus. Hoc vnum non tacebo Gervaſium Dorobernenſem monachum, rerum ſui, id eſt duodecimi ſæculi, Anglicanum Scriptorem, tradere *Thomam conſecratum Cantuarienſem archiepiſcopum, inſtituiſſe* a. D. 1162. apud ſuos *feſtivitatem principalem ſanctæ Trinitatis ſingulis annis in perpetuum die octavarum Pentecoſtes celebrandam.* Sed neque ille quicquam habet de exſtincti Arianiſmi memoria. Potius ſignificat eam Thomæ diem novi feſti acceſſione ornare placuiſſe in ſui pontificatus memoriam, quod illa ipſa ſcilicet Pentecoſtes octava Cantuarienſis Præſul eſſet ordinatus. Fortaſſe hominis auctoritas, quem Latini præ eximio Martyre colunt, feſtum hoc iis commendavit. Vtcumque ſit, Gulielmus quidem Durantus, quem anno 1280. floruiſſe conſtat, cum in ſuo divinorum officiorum Rationario ad hunc locum venit, ne tum quidem *vbique* obtinuiſſe hoc feſtum, ſed *in pleriſque locis* fieri ſcribit; & mox docet

CAPVT XVII.

ibid. c. 60. p. 765. C.

ibid. D.

Gervaſ. Chro. Henr. 2. T. 1 ſcript. X. Angl. p. 1383. lin. 10.

Durant. Ration. l. 6. de Dom. Trinit. fol. 157. col. 4.

CAPVT XVII. cet *variam fuiſſe conſuetudinem*; eos diſerte memorans, qui *non vtuntur* hoc feſto, *ſequentes reprobationem Alexandri Papæ*; quam ſcilicet ex Micrologo deſcripſimus. Quod certiſſimo argumento eſt illam feſtivitatem nullo vniverſæ totius Latinæ Eccleſiæ decreto fuiſſe inſtitutam, ſed privata primo paucorum, mox plurium devotione invectam tandem invaluiſſe. Certe nulla de ea obſervanda vllius Papæ (quod equidem ſciam) ad hæc tempora extat decretalis. Iam neque veriora ſunt quæ Perronius ex eodem ſui cerebri, figmentorum feraciſſimi, fonte deprompta exinde eructavit, primo quidem in *Concilio Innocentij Lateranenſi initam eſſe omnium Eccleſiarum Orientalium, Occidentalium, Septentrionalium, & Auſtralium conſenſionem in eandem de Sacramento* (hoc eſt de Sacramenti tranſſubſtantiatione & adoratione) *fidem*. Scimus factum fuiſſe ab Innocentio P. R. III. de tranſſubſtantiatione decretum; ſcimus id vna cum aliis 59. partim de fide, partim de aliis rebus decretis ſuis fuiſſe ab eodem in illa Lateranenſi Synodo lectum ac promulgatum. Approbatum, ſusceptumque vnanimi eorum l'attum qui aderant, conſenſu, neſcimus. Plane aliud teſtatur Matthæus Paris, illius ævi Scriptor, qui ſexaginta illa capitula (quorum hoc de tranſſubſtantiatione primum eſt) cum eſſent in pleno Concilio recitata, aliis dicit *viſa eſſe placabilia, aliis vero onerosa*. Vnde apparet illa capitula neque communi Patrum conſilio deliberata, ſed vnius Innocentij voluntate conſtituta; neque poſtquam ejus juſſu in medio conſeſſu lecta eſſent, ab iiſdem vna voce ac conſenſu ſuſcepta & approbata, ſed aliis quidem placuiſſe, aliis vero diſplicuiſſe; qua de re videri poſſunt, quæ doctiſſimus Viddringtonus adverſus Leſſium his quoque Lateranenſibus decretis nitentem ad cōſtituendam temporalem Papæ poteſtatem, ſapientiſſime diſſeruit, hujus Concilij, de quo Perronius tam magnifice loquitur, vana ex Latinis ipſis Scriptoribus demonſtrans. Sed vtcumque ſe ea in re geſſerint præſentes in eo conſeſſu præſules; illud quidem certum eſt nunquam eſſe fando auditum hoc Innocentianum de Sacramento decretum fuiſſe ab Eccleſiis illis omnibus, quos magniloquentia Perroniana crepat, ſuſceptum. Nemo demonſtrabit vel ab Æthiopica, & Ægyptiaca, quæ Auſtralis eſt, vel à Græca aut Armeniaca, quæ ſunt Orientales, vel deniq; à Ruſſica ſive Moſcovitica, quæ eſt ad Septentriones, non dico ſuſceptum, ſed vel cognitum fuiſſe illud decretum. Itaque ampullæ ſunt inanes, quas Perronius tam liberaliter de vniverſi orbis in ſuum de Euchariſtia dogma conſenſione profundit. Sed hæc mitto; Illud poſtremo quod eſt hujus noſtræ diſputationis proprium, nimirum Vrbanum IV. ad victoriæ de Berengarianiſmo reportatæ memoriam hoc Sacramenti feſtum inſtituiſſe; quis præter Perronium tradidit, qui quæ ſibi commoda ſunt, ea quoties vult, pro ſua libidine ſomniat? Officium quidem ipſum, quod extat à Thoma Aquinate contextum, & à Papis approbatum, Berengarij non magis meminit, quam

ibid. fol. 158. col. 2.

Matth. Paris ad a. 1215. in Ioan. R. p. 188. col. 2. G.

Viddrington. diſcuſſ. Diſcuſſionis part. I. Sect. 1. p. 3. & ſeqq.

quam Arij. Sed & Bullam ipſam Vrbani habemus, in qua de Berengario tam loquitur quam de ipſo Perronio. Obſecro te; nonne hoc bellum atque admirabile videtur? Quo animo, quaque de cauſa Vrbanus hoc feſtum inſtituerit; ipſum quidem Vrbanum neſciviſſe; Perronium poſt annos demum trecentos, & quod excurrit, nobis aperuiſſe? Non propter cladis Berengarianæ memoriam inſtitutum à ſe fuiſſe hoc feſtum Vrbanus ſi ſciviſſet, dixiſſet profecto in illa ſua Decretali, qua de hujus ſuæ inſtitutionis ratione & vtilitate fuſiſſime ac pæne ad faſtidium philoſophatur. Atqui de Berengario ne vnum quidem μῦ tota illa Decretalis continet. Ne ergo dubitemus quicquid ea de re hic dictavit Perronius id totum merum ipſius eſſe figmentum. Sed Vrbanum ipſum ſi placet audiamus. Ille de hujus ſacramenti vtilitate, ac divinitate multa ex Latinorum ſenſu præfatus, ita ſtatuit; *Licet igitur hoc memoriale Sacramentum in quotidianis Miſſarum ſolennnus frequentetur, conveniens tamen arbitramur & dignum, vt de ipſo ſaltem ſemel in anno ad confundendam ſpecialiter hereticorum perfidiam & inſaniam, memoria ſolennior & celebrior habeatur.* Hic *hæreticos* victos, exſtinctos, aut profligatos nullus dicit; Viventes, vigenteſque dicit, quorum *perfidiam* ſua hac inſtitutione, non profligatam triumphari, ſed perſeverantem *confundi* ſperat. Tum feſtum hoc *Sacramento* proprium deberi ex Divorum exemplo probat; quibus *feſta ſpecialia* certis diebus ſacrata ſint, etiamſi *ipſorum memoria in litaniis & miſſis*, aliis per annum temporibus ſæpe renovetur. Sed & aliam ſui inſtituti rationem edit, ſane palmariam; *Potiſſimè (*inquit*) exſequendum eſt erga hoc vivificum Sacramentum corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti (qui eſt Sanctorum omnium gloria & corona) vt feſtivitate ac celebritate præfulgeat ſpeciali, quatenus in eo, quod in aliis miſſarum officiis circa ſolennitatem eſt forſitan prætermiſſum devota diligentia ſuppleatur, & fideles feſtivitate inſtante infra ſe præterita memorantes, id quod in ipſis Miſſarum ſolenniis ſæcularibus forſan agendis implicits, aut alias ex negligentia vel fragilitate humana minus plene geſſerunt, tunc attente in humilitate ſpiritus, & animi puritate reſtaurent.* Sed neque divinas revelationes quibuſdam de hoc feſto oblatas tacet; *Intelleximus autem olim (*inquit*) dum in minori eſſemus officio conſtituti, quod fuerat quibuſdam Catholicis divinitus revelatum feſtum hujuſmodi generaliter in Eccleſia celebrandum.* His rationibus impulſum ſe fuiſſe concludit ad hujus diei inſtituendam celebritatem; *Nos itaque (*inquit*) ad corroborationẽ & exaltationem Catholicæ fidei digne ac rationabiliter duximus ſtatuendam vt de tanto Sacramento præter quotidianam memoriam, quam de ipſo facit Eccleſia, ſolennior & ſpecialior annuatim memoria celebretur; certum ad hoc deſignantes & deſcribentes diem; videlicet feriam quintam proximam poſt octavam Pentecoſtes.* Tum non ſemel ſui hujus feſti dignitatem prædicat; valde *excelſum & glorioſum*, item *magnum feſtum* vocans. Atque hæc quidem Vrbanus; quibus

CAPVT XVII.

in Clem. l. 3. Tit. 16. c. Si Dominum p. 230. B.

ibid. E. F.

ibid. F.

ibid. p. 230. A.

ibid. p. 232. B. & 233. A.

CAPVT XVII. *Offic. fer. 6. infr. oct. corp. Chr. Lect. 4. & 5. Breviar. p. 565.* quibus planè ſunt conſentanea quæ in Officio feriæ quintæ infra octavam corporis Chriſti ex Thoma Aquinate exhibet publicum Latinorum Breviarium; *Convenit* (inquit) *devotioni fidelium ſolenniter recolere inſtitutionem tam ſalutiferi tamque mirabilis Sacramenti, vt ineffabilem modum divinæ præſentiæ in Sacramento viſibili veneremur, & laudetur Dei potentia, qui in Sacramento eodem tot mirabilia operatur, nec non & de tam ſalubri tamque ſuavi beneficio exſolvantur Deo debita gratiarum actiones.* Quod vero obiici poterat nihil ad hoc neceſſe fuiſſe proprium feſtum inſtitui, *quod in die Cœnæ inter Miſſarum ſolennia de inſtitutione ipſius Sacramenti ſpecialis mentio habeatur*; hoc inquã, quod obiici poterat ſic occupat, vt neget id ſatis eſſe; quia *reſiduum illius diei officium totum ad Chriſti paſſionem pertinet, circa cujus venerationem Eccleſia illo tempore occupatur*; *Vt autem* (inquit) *integro celebritatis officio inſtitutionem tanti Sacramenti recoleret plebs fidelium, Romanus Pontifex Vrbanus IV. hujus Sacramenti devotione affectus piè ſtatuit præfatæ inſtitutionis memoriam prima quinta feria poſt octavas Pentecoſtes à cunctis fidelibus celebrari; vt qui per totum anni circulum hoc Sacramento vtimur ad ſalutem, ejus inſtitutionem illo tempore ſpecialiter recolamus, quo Spiritus ſanctus corda diſcipulorum edocuit ad plene cognoſcenda hujus myſteria Sacramenti.* Hactenus officij auctor. Sed quod Vrbanus obiter de revelationibus dicit, & inter cæteras cauſas commemorat, quibus ad hoc inſtituendum feſtum permotus fuerit, id inquam quam breviſſime fieri poterat, explanare neceſſe eſt, tum ad rem ipſam illuſtrandam, tum ad Perronij fraudem in hac parte retegendam & refellendam. Ille enim quæ de hoc negotio narrantur, ea veluti fabuloſa, magno ſupercilio repudiat; quod ea ſcilicet à Balæo Anglo tradita fuerint, quem *fabuloſum calumniatorem* gratis ac pro auctoritate vocare noſter Romana gravitate ſatis habet. Ac id quidem, inprimis, quod maxime videtur averſaris Vrbanum ſcilicet hac revelatione ad hoc inſtituendum feſtum fuiſſe commotum, id inquam, ipſe vt audivimus, Vrbanus clariſſime confirmat, dum memorata illa revelatione, ſtatim hæc addit; *Nos itaque*, &c. *rationabiliter duximus ſtatuendum, vt de tanto Sacramento*, &c. *ſolennior annuatim memoria celebretur.* Non potuit clarius teſtari ſe hac quoque revelatione commotum eſſe, vt hoc inſtitueret. Neque Balæi nomen narrationis fidem elevat. Nam præterquam quod parum ſit veriſimile hæc iſtum tot circumſtantiis deſignata nullo pretio finxiſſe; eadem quoque narrant alij, & quidem Latinarum partium Scriptores. Debuerat Perronius ex Nic. Vignerio homine & diligentiæ & fidei laudatiſſimæ didiciſſe eadem eſſe tradita ab Arnoldo Boſtio, & Petro Præmonſtratenſi; quibus ego nunc addo Ioannem Dieſtemium Blærum ex Abrahamo Bzovio celeberrimo Baronianorum Annalium continuatore, quem Perronius opinor, *Papæ hoſtem* non diceret. Apud hunc tota extat illius narratio, ſane accurata ac dilucida, novem articu-

Perron. l. 3. de Euch. p. 914.

Vign. Bibl. Hiſt. T. 3. a. D. 1264 p. 339.

articulis comprehenſa; ex qua nos miſſo Balæo, pauca ad rem noſtram CAPVT
delibabimus. Narrat ergo Blærus multis ante Vrbani conſtitutionem XVII.
temporibus anno Domini 1230. fuiſſe in hoſpitio Leproſorum juxta *Bzov. a. D*
Leodium civitatem, Virginem quandam Iulianam, omnium virtu- *1230. §. 16.*
tum flore renitentem, eo vſque vt crebro in cœlum per mentis exceſ-
ſum raperetur, & ſpiritu prophetico ipſas hominum cogitationes
proderet. Huic crebro ac pæne ſemper inter orandum oculis obver- *artic. 1.*
ſatum eſſe ſignum quoddam mirabile, *Lunam ſcilicet quaſi in ſuo ſplen-
dore cum aliquanta tamen ſui orbicularis corporis fractione*; dubitan-
tem quid hoc viſum portenderet, *divino reſponſo didiciſſe ſignificari in
Luna præſentem Eccleſiam, & in ejus fractione defectum vnius ſolenni-
talis, quam Deus in Eccleſia ad augmentum ſacræ fidei voluit celebrari;
accepiſſeque præceptum cœlitus, vt hanc ſolennitatem inchoaret, & cele-
brandam mundo nuntiaret.* Iulianam præ humilitate viginti annos in- *art. 2.*
junctum ſibi cœlitus munus deprecatam, omnibuſque modis conten-
dentem vt alteri perſonæ id negotij daretur tandem cœleſtibus man-
datis paruiſſe, ac rem totam Ioanni de Lanſenna Sancti Martini Leo-
dienſis Canonico aperuiſſe; Hunc cum aliis quibuſdam præſtantibus
viris, ac nominatim cum Iacobo de Trecis, qui tum Archidiaconus
Leodienſis, poſtea per omnes Eccleſiæ dignitates ad Pontificatus cul-
men evectus Vrbani IV. nomen aſſumpſit, cuncta communicaſſe;
omnes re diligentius examinata ſummo conſenſu judicaſſe *digniſſimũ
fore & ad Dei honorem & ad profectum gratiamque electorum pertinere,
vt in memoriam inſtitutionis Sacramenti Euchariſtici feſtum ſpeciale Ec-
cleſia celebraret.* Mox alteram quandam eximiam quoque Virginem *art. 3.*
Iſabellam, à Iuliana cujus erat amica perfamiliaris, de viſo edoctam,
cum in Eccleſia S. Martini Leodienſis ante crucifixum proſtrata ado-
raret, in Spiritu divinitus didiciſſe, *quod hæc ſpecialis divinæ Eucha-
riſtiæ feſtivitas ſemper fuerat in ſecreto ſummæ Trinitatis, quodque jam
tempus advenerat, quod hominibus in quos fines ſæculorum devenerant,
palam declarari deberet. Videbat enim* (inquit) *in mentis exceſſu om-
nium cœleſtium ordinum exercitus, cernuis Domino precibus ſupplicantes,
vt nunc tandem ad confirmandam Eccleſiæ militantis, fidem periclitanti
mundo hanc feſtivitatem patefacere feſtinaret.* Iſabellam hac viſione
ſic eſſe confirmatam, *vt diceret ſe laboraturam pro hac ſolennitate inſti-
tuenda; etiamſi mundus obſiſteret vniverſus.* Iulianam auditis, quæ Iſa-
bellæ contigerant, exultaviſſe; & ambas deinceps ad feſtivitatem
promovendam colloquia, ac conſilia ardentius & familiarius contu-
liſſe. Ac Iulianam primo clerico cuidam ſimpliciſſimis moribus ju- *art. 4.*
veni, neque admodum erudito, mandaſſe, vt officium feſti compo-
neret. Hunc illius precibus victum paruiſſe. Officium ab eo dige-
ſtum Theologis ad corrigendum eſſe exhibitum; quorum omnium
vocem vnam hanc fuiſſe, *illud opus non abs homine, ſed à Patre lu-
minum deſcendiſſe.* Re per diœceſim Leodienſem vulgata, multos *art. 5.*

CAPUT XVII.

Eccleſiaſticos viros vehementer ex adverſo inſurrexiſſe, ſed Hugonem Cardinalem omnium adverſantium rationes epiſtola quadam ſua eliſiſſe; Robertumque Leodienſem Epiſcopum in generali Synodo decreviſſe, vt ea ſolennitas in tota ſua diœceſi cum officio à Clero celebraretur; ſed morte præventum ſubditorum obedientiam extorquere non potuiſſe. Cæterum in S. Martini Eccleſia habitaſſe illis temporibus Evam quandam ſanctimonialem, Angelicæ converſationis mulierem, Iulianæ diſcipulam, atque amicam longe cariſſimam. *artic. 6.* Hujus Evæ monitis S. Martini canonicos ſolennitatem hanc novam primos celebrandam ſuſcepiſſe. Iiſdem temporibus Hugonem illum Cardinalem, Romani Pontificis in Germania Legatum, cum Leodium forte veniſſet, publice ad populum de ſuperiore loco concionantem, multis verbis novam ſolennitatem commendaviſſe, rationibuſque & Apoſtolica auctoritate inſtitiſſe vt ea quotannis celebraretur. Paruiſſe quandiu Cardinalis adfuit, Eccleſiæ majoris canonicos; eo digreſſo, vetuiſſe ne ſolennitas fieret; omneſque miſerabiliter vlciſcente Deo, ex hac vita abreptos eſſe. *artic. 7.* Sed Martini Eccleſiam in cultu feſti conſtanter perſeveraſſe; multum quidem dolente Eva, quod ſalutare inſtitutum cæteræ Eccleſiæ aſpernarentur; Iuliana vero affirmante ſolennitatem per omnes tandem Eccleſias exaltatum iri; idque ipſo eventu confirmatum, ac impletum eſſe annis octo poſt Iulianæ obitum, qui a. D. 1257. Aprili menſe contigit. Cum enim Vrbanus P.R. IV. in civitate Vrbeveteri cum Curia a. D. 1264. reſideret, accidiſſe Bolſenæ vicino oppido inſigne prodigium; Sacerdotem enim iſtic miſſam celebrantem, inter verba conſecrationis, dubium in fide, vidiſſe carneis oculis hoſtiam in *forma pietatis*, & de ea ſanguinem fluere in calicem; quod cum territus conaretur occultare & cooperire, de corporali apparuiſſe mox formam pietatis, ac ita coactum eſſe miraculum populo patefacere. *Anto. Chron. P. 3. Tit. 19. c. 13. p. 185. col. 2. D. E.* Antoninus hoc tantum dicit *guttam ſanguinis ex calice profluxiſſe in corporale ſacerdotis negligentia, & reliquiſſe rubeam admodum ſanguinis formam hoſtiæ in pluribus partibus corporalis.* Pontificem re comperta, & eorum quæ olim Leodij approbaverat, memorem, communicato cum Cardinalibus conſilio feſtum vti deinceps in tota Eccleſia celebraretur, decreviſſe. Thomæ, qui aderat, præcepiſſe, vt feſti officium componeret; ſed & recordatum revelationis Leodienſibus Virginibus oblatæ, ad Evam recluſam, quam adhuc ſupereſſe à clericis Leodienſibus didicerat, miſiſſe illam ipſam epiſtolam, quam Perronius tantopere faſtidit, quamque à Balæo confictam vult videri. Legat apud Bzovium qui volet. Hæc Ioannes Dieſtemius apud Bzovium fuſius; quæ Perronij fraudes, figmentaque apertiſſime refellunt. Primo enim de tota illa Berengarianæ cladis memoria in tam longa narratione nullum extat verbum. Plane aliæ hujus inſtitutionis cauſæ referuntur, quarum præcipua eſt memoria inſtitutionis ipſius Sacramenti. Tum hic videmus Vrbanum,

illas

illas Leodicenſes viſiones jam initio, antequam eſſet Papa, multum probaſſe; primamque hanc ei ſuggeſtam de inſtituendo Sacramenti feſto cogitationem; Quin & rei præteritæ memoriam ex prodigij Bolſenani occaſione excitatum eum impuliſſe, vt probatum olim feſtum tandem auctoritatem nactus plane pleneque conſtitueret; eoque pertinere tam verba, quæ in ejus Decretali notavimus, tum litteras, ad Evam datas. Ex quibus apparet hujus feſti inſtitutionem quicquid oblatret Perronius, à viſionibus illis muliebribus primo eſſe profectam; vt de ea illud ſummi Poëtæ appoſite vſurpari poſſe videatur. CAPVT XVII.

------ Dux fœmina facti.

Ad hæc accedit Clementis V. auctoritas; qui Vrbani de hoc feſto conſtitutionem de novo promulgans, Berengarianiſmi aboliti memoriam nullam, ſed aliam longe cauſam obtendit, debitum ſcilicet ipſi Chriſto cultum; *Si Dominum (inquit) in Sanctis laudare jubemur, dignum profecto juſtum & ſalutare nobis exiſtit, vt ſibi in ſui, quo nos quotidie ſpiritualiter reficit memoriam corporis laudes feſtiva venerationis & gratias referamus.* Denique neque ipſi poſtremo Tridentini de hoc feſto aliter judicarunt, dum præfati *pie & religioſe admodum in Dei Eccleſiam inductum fuiſſe*, hujus annuæ ſolennitatis morem, hanc ſui dicti rationem afferunt, *Æquiſſimum eſt enim ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cum Chriſtiani omnes ſingulari ac rara quadam ſignificatione gratos ac memores teſtentur animos erga communem Dominum & Redemptorem pro tam ineffabili & plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria, & triumphus repræſentatur.* Quibus illa boni Patres quæ ſibi ipſi finxere ſubiiciunt; *Atque ſic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæreſi triumphum agere, vt ejus adverſarij in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta vniverſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati & fracti tabeſcant, vel pudore affecti & confuſi aliquando reſipiſcant.* Ex his omnibus patet, quam ſit ex Latinorum de Eucharistiæ divinitate hypotheſi neceſſaria feſti hujus Euchariſtici ſolennitas, tum ad ipſius ibi præſentis numinis honorem, cui is feſti peculiaris honos, qui ſanctis cœlitibus defertur, abſque impietate negari non poteſt, vt Vrbanus & Clemens, & in Officio Thomas ſignificant; tum ad fidelium vtilitatem, vt ſecus in quotidianis miſſis commiſſa reſtaurent, quod habet Vrbanus; ac vt *integro officio celebritatis*, quod ait Thomas, *inſtitutionem tanti Sacramenti recolant*; tum denique, quod habent Vrbanus & Tridentini ad inimicorum & adverſariorum vel confuſionem, vel certe reſipiſcentiam. Itaque ex his merito ſane cœleſti viſo monita eſt Iuliana Eccleſiam, quæ hoc feſto caret, eam inſigni defectu laborare, Lunæque inſtar eſſe ſplendentis quidem, ſed tamen fractæ; Merito & Iſabella divinitus docta eſt *hanc feſtivitatem ad confirmandam Eccleſiæ militantis fidem periclitanti mundo patefieri debere*; Merito denique judicarunt Leodienſes Theologi, & cum his Iacobus de

Clement. l. 3. Tit. 16. c. Si Dominum.

Conc. Trid. Seſſ. 13 c. 5.

CAPVT XVII.

Trecis, futurus olim Vrbanus IV. *digniſſimum eſſe, & ad Dei honorem, & ad profectum, gratiamque electorum pertinere*, vt hoc feſtum à Chriſtianis *celebretur*. Quæ omnia non leviter ex iis etiam confirmantur; quæ narrant αὐτόπται Ieſuitæ, hujus feſti ſingularem eſſe efficaciam ad inflammandos Euchariſtici Sacramenti deſiderio fidelium animos, & admirabili de ejus magnitudine opinione imbuendos. Iam cum hæc Eccleſiæ ſemper & vbique neceſſaria ſint, nemo non videt etiamſi nulli vnquam fuiſſent Berengariani, nihilo ſecius tamen hujus feſti ſolennitatem Chriſtianis ob tam eximias vtilitates inſtituendam ac præcipiendam fuiſſe; ſi quod Latini ſtatuunt, id verum eſſe fingamus, eſſe ſcilicet Euchariſtiam numen latriæ cultu dignum. Faceſſat ergo, & in vmbrarum ac ſomniorum, vnde prodiit, loca mature redeat Perronij commentum, fingentis nō alio quam ad memoriam profligati Berengarianiſmi, inſtitutum fuiſſe apud ſuos hoc feſtum. Quo ſic exploſo, nunc clara & perſpicua eſt noſtræ ratiocinationis conſecutio; Apoſtolos, ſi Euchariſtiam numen eſſe itidem cum Latinis latriæ cultu dignum credidiſſent, hoc ei feſtum æque cum Latinis fuiſſe conſecraturos. Nemo enim eos dixerit neſciviſſe quid conveniens, quid *dignum*, quid *juſtum*, quid *ſalutare*, quid *æquiſſimum*, quid *rationabiliter ſtatuendum ſit*; quid *ad Dei honorem, & ad profectum gratiamque electorum pertineat*; quid ad ſarciendum *Eccleſiæ* defectum, & ad complendam ejus *fractionem* neceſſarium ſit. (Nam quod Iſabellæ Leodienſis pace dictum ſit, non fit veriſimile Deum quod ipſi & Iulianæ patefecit, id Apoſtolos Ieſu celaturum fuiſſe, à quibus nemo Chriſtianus negaverit Eccleſiam fuiſſe ſuis omnibus numeris punctiſque perfectam & abſolutam.) Iam vero non fuiſſe ab Apoſtolis Euchariſtiæ feſtum inſtitutum, & totius Eccleſiæ veteris praxis clamat, & adverſarij confitentur, qui id ante Vrbani IV. tempora ne apud ſe quidem vllo in vſu fuiſſe tradunt. Ergo & illud quoque confitendum eſt, Apoſtolos neque illam quam diximus, hujus feſti vtilitatem atque neceſſitatem, neque adeo Euchariſtiæ (vnde illa omnis pendet) divinitatem & adorationem ſciviſſe.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Argumentum XVIII. Quod Euchariſtiæ veteres Chriſtiani nullas preces, nullas gratiarum actiones dixiſſe vnquam reperiuntur; quod vtrumque nunc eſt in frequentiſſimo ac pene paſſivo & univerſali omnium Latinorum vſu.

ID ipſum vero inde etiam diſcere licet, quod nullas Apoſtoli, nullas eorum primi per annos trecentos & multo etiam amplius diſcipuli ad Euchariſtiam preces, gratiarumve actiones direxiſſe vnquam reperiuntur. Cum enim precum & gratiarum officium fere potiſſima, certe neceſſaria ſit divini cultus ſive latriæ pars, quod quiſque latriæ cultu adorat, huic eum ſuas quoque preces, ſua vota, ſuaſque gratiarum actiones offerre inprimis decet. Itaque Latini hoc vtroque officio ſuam Euchariſtiam crebro, imo aſſidue colunt; Ac merito quidem facerent, ſi quod ipſi ſibi ſummo mentis errore perſuadent, id verum eſſet; eſſe ſcilicet Euchariſtiam latriæ cultu dignum numen. Iam veteres neutrum iſtud officium huic Sacramento detuliſſe, inde certo atque evidenter colligitur, quod nullæ eorum hujus quidem generis, preces vel gratiarum actiones vſquam inveniuntur in veris ſinceriſque eorum monumentis, quæ plurima magno Dei beneficio extant. Latinorum quidem hanc fuiſſe in ſuum illud Sacramentum religionem, dum eorum ſupererunt libri, poſteri etiam abhinc remotiſſimi, facile intelligent. Sunt enim in iis vbique tam multa impreſſa hujus cultus veſtigia, vt hæc quiſquis illos cum aliqua animi attentione legerit neſcire non poſſit. Ipſæ orationum ad Sacramentum directarum formulæ paſſim iſtic cernuntur; vt hæc verbi gratia ſolennis, cujus Thomam auctorem eſſe ferunt, *Adoro te devote latens Deitas, Quæ ſub his figuris vere latitas; tibi ſe cor meum totum ſubjicit, Quia te contemplans, totum deficit. Viſus, tactus, guſtus in te fallitur, Sed auditu ſolo tuto creditur. Credo quicquid dixit Dei Filius; Nihil hoc verbo veritatis verius. In cruce latebat ſola Deitas, At hic latet ſimul & humanitas. Ambo tamen credens atque confitens, Peto quod petivit latro penitens. Plagas ſicut Thomas, non intueor, Deum tamen meum te confiteor. Fac me tibi ſemper magis credere, In te ſpem habere, te diligere. O memoriale mortis Domini, Panis vivus, vitam præſtans homini, Præſta meæ menti de te vivere, Et te illi ſemper dulce ſapere. Pie pellicane Ieſu Domine, Me immundum munda tuo ſanguine, Cujus una ſtilla ſalvum facere, Totum mundum quit ab omni ſcelere. Ieſu, quem velatum nunc aſpicio, Oro fiat illud, quod tam ſitio. Ut te revelata cernens facie, Viſu ſim beatus tuæ gloriæ.* Hæc Thomas. Hujus etiam eſt generis illa oratio, quam Decretalium gloſſa exhibet, quamque fideles in Miſſarum celebratione, cum elevatur hoſtia, reverenter genibus

In Miſſali Orat. ante miſſ. ſignatura F iiij.

Gloſſ. ad Decretal. Greg. l. 3. Tit. 41. de Miſſ. celebr. c. 10. Sane.

flexis

flexis inclinatos recitare docet,

Salve lux mundi, Verbum Patris, hoſtia vera,
Viva caro, Deitas integra, verus homo.

Talibus pleni ſunt ij præſertim libri, quibus viri ac mulieres ad pietatis officia informantur; quod genus *devotionis libros* vocant. Denique tam familiares ſunt, tam aſſiduo apud Latinos in vſu hujuſmodi preces, vt meminerim ipſos mendicos, quibus hæc nuper civitas abundabat, non aliam magis eleemoſynarum mercedem polliceri ſolitos, quam *orationem ſanctiſſimi Sacramenti*, quam in eorum ſe gratiam dicturos eſſe ſpondebant, qui ſibi aliquid eſſent largiti. De gratiarum actionibus idem quoque dictum puta. Sua enim proſpera Euchariſtiæ imputare, eique laudem & gloriam pro his referre, omnium pæne Latinorum ſolenne eſt. Memini me jam in ſuperioribus ex Iarrico memoraſſe ſolere Goæ omnes Ieſuitarum ex Indis neophytos ſimulatque baptiſmum ſuſceperunt, Sacramento in altari quieſcenti gratias agere ſolennes de ſuæ regenerationis dono, quo nullum Dei eſt in miſeros mortales majus beneficium. Quin & illud piis in omni vitæ parte vſitatum, *Laus Deo*, iidem ad hoc Sacramentum tranſtulerunt. Ita narrat Hieronymus Majorica Ieſuita Salſetanis & aliis in illo Indiarum tractu conſecraneis ſuis ſolenne eſſe, quoties alter alteri, vel in via ſi forte occurrentes, vel litteras ſcribentes, vel denique ſalutem dicentes, mutuo (vt mos eſt) bene precantur, illud vſurpare, *Laus ſanctiſſimo Sacramento.* Martyrum Iaponiorum aliquot jam exempla ſupra dedimus, qui eo carmine ſupplicium adituri, ſibi gratularentur; veluti Euchariſtia hanc iis palmam decreviſſet; vt Damianus, & Ioannes Giroyemon, & Iacobus ipſe Caravallius Ieſuita, & Simon Iapo, & alij ſexdecim Latinorũ de eadem gente athletæ, qui omnes illud ſolenne aut voce aut ſcripto in ſupremis edidiſſe dicuntur, *Laus ſanctiſſimo Sacramento.* Sed ex Indiis & Iaponibus in Europam per Ieſuitas invecta illa Euchariſtiæ glorificandæ formula ita apud multos, præſertim Hiſpanos, invaluit, vt nihil nunc ſit in omni eorum ſermone crebrius. Iam ſi idem fuiſſet primi Chriſtianiſmi ſenſus atque vſus, extarent itidem in veris primæ antiquitatis monumentis aliquæ piorũ illius memoriæ preces & gratiarum actiones ad Sacramentum Euchariſticum directæ. At nullas extare videmus. Multas confeſſorum & martyrum veterum preces & gratiarum actiones in ſuperiori diſputationis parte attulimus, plures piorum ejuſdem ævi infra opportunius vbi de Sanctorum cultu dicemus allaturi ſumus. Omnes ad Deum directæ ſunt; nulla plane ad Sacramentum. Illam vero nunc apud Latinos frequentiſſimam δοξολογίαν *Laus ſanctiſſimo Sacramento*, non modo in vetuſtiſſimis Chriſtianorum libris non extare; ſed ne in ſequentium quidem ad noſtram pœne memoriam ſæculorum monumentis vſpiam inveniri, ipſi ni fallor, Ieſuitæ confitebuntur, ſuamque hanc propriam eſſe laudem agnoſcent, quod omnium morta-

Iarric. Indic. l. 2. c. 2. p. 314.

Ann. Goa. a. 1610. p. 110.

mortalium primi tradiderint, quæ vera ac legitima ſit glorificandi Sacramenti ratio, ac formula. Etiam qui ante eos Euchariſtiam adoraverant, hoc tametſi claro ac neceſſario adorationis (vt ſic dicam) conſectario abſtinuerant tamen, pudore credo, deterriti, ne Deum de eo loco pellere viderentur, qui ejus apud omnes pios, & Iudæos primum; & deinceps etiam Chriſtianos ſemper proprius in omni tetro Eccleſia fuerat. Cæteros mitto. Primis quidem tribus Chriſtianiſmi ſæculis, de quorum traditione nunc diſputamus, nullam hujus glorificationis formulam, nullas ad Sacramentum directas preces, aut gratiarum actiones occurrere, certum clarumque eſt; Vnde illud [illegible]tro quod concludebamus, ſequitur, illum Euchariſtiæ divinum cultum, ex quo omnis hæc tum glorificandi, tum precandi Sacramenti conſuetudo apud Latinos profluxit, nondum fuiſſe toto illo tempore apud Chriſtianos cognitum aut factitatum. CAPVT XIX.

CAPVT XIX.

Argumentum XIX. Quod Euchariſtiam etiam à cœnatis, certe inter cœnandum, apud Apoſtolicam Eccleſiam fas fuerit ſumi; eumque morem per aliquot ſecula apud noſtros continuatum eſſe; quod & à rei ipſius ingenio (ſi Euchariſtia quidem adorari debet) & à Latinorum, non alios ad communionem quam jejunos admittentium, religione plurimum abhorret.

ATQVE ita hactenus demonſtravimus, neque ipſam Euchariſtiæ adorationem, neque vlla ejus conſectaria apud vetuſtiſſimos Chriſtianiſmi Scriptores vſpiam reperiri; vnde omnes facile intelligant eam primis illius memoriæ fidelibus plane penituſque fuiſſe ignotam. Aliud jam ejuſdem rei addendum eſt, etiam clarius atque certius argumentum. Nam in prima illa veterum religione non modo (quod oſtendimus) ea non inerant, quæ Euchariſtiæ adorationem, neceſſario vel comitantur, vel conſequuntur; ſed & quod aliquanto gravius eſt, ea ipſa inerant, quæ cum illa Sacramenti adoratione conſiſtere poſſe non videntur. Quale illud eſt inprimis, quod ipſo Pauli ævo obtinuiſſe clarum eſt, vt Euchariſtia inter cœnandum, vel etiam à cœnatis ſumeretur. Non vrgeo quod ipſe Dominus hoc Sacramentum Apoſtolis cœnatis diſtribuit; quia hujus cœnæ ſua quædam propria ac ſingularis ratio fuiſſe videtur; in qua ſcilicet poſt ſumptum Paſcha Iudaïcum, (quo non niſi veſpere cœnantes veſci fas erat) novum novo populo Sacramentum inſtituendum erat; cum neque hanc inſtitutionem in craſtinum mane reiicere liceret; quod ea ipſa nocte, quæ interceſſit, Dominus à Iudæis capiendus, & Gentilibus ad mortem erat dedendus. Detur ergo huic ineluctabili neceſſi-

OO tatis

CAPVT XIX.

tatis articulo illa venia, vt Sacramentum, tametſi adorandum eſſe ſtatueretur, licuerit tunc cœnatis ſumendum ſemel dare. Poſtea cum ab omni hac neceſſitate libera eſſet ſolutaque Eccleſia; quis non videt, quam abſurdum, imo quam impium ſit concedere vt res adoranda in ventriculum cibis diſtentum mittatur? Hoc nos ſi neſciremus, vel Latinorum praxis ſatis doceret; qui Euchariſtiam, quod eam numen eſſe putent latria dignum, nunquam ſuis, niſi jejunis, tradunt; excepta ſi forte vltimæ neceſſitatis cauſa, *cum ægrotus aliquis de vita periclitatur, & nondum viaticum accepit, & periculum eſt in mora, tunc enim,* (inquit Bellarminus) *quacumq; hora, etiam poſt cibum, communio dari ſolet.* Extra hanc cauſam, quæ rara eſt, & potentiſſimo neceſſitatis telo armata, ſpecta quæſo, quanta religione ſui illius numinis dignitati conſulant, neque id quantum quidem caveri poteſt niſi inanibus & ab omni ciborum proluvie puris libetiſque inteſtinis committant. Illi vero non ſimpliciter jejunos eſſe jubent, qui ad communionem accedunt. Nequid fraudis fiat; multo ſollicitius etiam ipſum jejunii modum, omneſque ſigillatim rei circumſtantias enucleate præſcribunt; *Si quis* (inquiunt) *non eſt jejunus poſt mediam noctem, etiam poſt ſumptionem ſolius aquæ, vel alterius potus aut cibi, per modum etiam medicinæ, & in quantacumque parva quantitate, NON POTEST communicare, nec celebrare.* Vides, quam accurate omnia, quam prudenter, quam religioſe definiverint? quam caute omnes legis fraudandæ vias, aditusque præcluſerint, atque obſepſerint? Nequis proximè poſt mediam noctem comeſſatus, ſomnoque inde plures horas ad nonam aut decimam ante meridianam recreatus, ſe ſatis ad communionem ſumendam jejunum putaret; diſerte edicunt ne *à media* ipſa nocte quicquam ſibi ſumpſerit. Nequis vel de qualitate, vel de quantitate alimenti cavillaretur, vel ſe ſi quid ſumpſit, non in cibum, ſed in medicinam ſumpſiſſe cauſſificaretur; ecce diſtricte definiunt ne *aquam* quidem, aut quidvis aliud *quantacumque parva quantitate*, ac ne per modum quidem *medicinæ* ſumi impune poſſe. Quas omnes cautiones vt paucis verbis complecteretur ſubtiliſſimus Cajetanus *jejunium* aliud *naturæ* eſſe dixit, *aliud Eccleſiæ*; illud omnem omnino cibum, potumque excludere; ea ſola in ſtomachum admittere, quæ eo trahuntur, vel *deſcendunt per modum ſalivæ, vt ſunt reliquiæ cibi inter dentes remanentes, & alia hujuſmodi*; Ad *jejunium Eccleſiæ* minus rigidam requiri abſtinentiam, neque enim id videri ſumpto *cinnamomo*, vel aliquo hujuſmodi frangi. Iam vero, eum, qui Euchariſtiam ſumpturus eſt priori illo modo, non hoc ſecundo jejunum eſſe jubet, *jejunio*, inquam, *naturæ*, non autem ſimpliciter, *Eccleſiæ*; qui aliter *ſciens & advertens* communicaverit (mortis articulo duntaxat excepto) eum vir ſapientiſſimus *mortaliter peccare* ex communi ſuorum ſententia pronunriat. Indigna, inquis, Prætorum majeſtate ſollicitudo; Imo inquam, digniſſima; de iis ſcilicet

Bell. l. 2. de Miſſ. c. 14. § Lutherani.

Miſſal. de defectib. circa miſſ. c. 9.

Cajet. in Summul. in verbo, Communio Sacram. *p. 59.6.*

ſcilicet rebus in quibus nihil eſt parvum; omnia etiam minima, magna. CAPVT XIX.
Quis enim non intelligit, quam prudenter, quam circumſpecte, quam timide omnia ſint procuranda, vbi ipſum purum putum numen vere ac vt loquuntur, realiter in viſcera noſtra demittendum eſt? Primo hoc ipſum, quod Deus comedendus eſſe dicitur, nimis per ſe durum & horrendum videri nemo negaverit. Sed quando *comedi Deum* Latinis placuit, fatendum eſt hoc ſemel ita conſtituto, omnino eos provide, ac ſapienter ſe gerere, qui rem in ſpeciem valde contumelioſam religioſe ſaltem ac decenter fieri volunt. Iam ſatis indignum eſt, quod illi Deum ſuum edant. Sed quando ſe rationes illi idoneas habere putant, cur hoc, quantumvis in ſpeciem immane, faciant; eo certe laudandi ſunt, quod ſummo ſtudio cavent, ne rem per ſe invidioſam nova contumelia cumulent. Si Deus edendus eſt, ſi nulla ratio hoc quamlibet durum atque aſperum effugere nos ſinit; nemo negarit dandam certe eſſe operam, vt, quod ratio, quod jus faſque non modo ſinit, ſed etiam ſuadet; puro corpore tantam majeſtatem excipiamus. Satis hoc ipſum indignum videtur, quod in noſtra viſcera, quamlibet puta & inauia deſcendit Deus. Abſit, vt eum inſuper in ciborũ ſemicoctorũ fœditates, velut in cloacã aliquã abiiciendũ putemus. Abſit, vt numen inter recentis vel cœnæ, vel jentaculi cruditates, in mero bulliente, id eſt in lotij rudimentis, apud nos natet. Tam impiam indignitatem non modo jure meritoque, ſed etiam neceſſario Latinorum leges prohibent. Itaque Apoſtolos, qui Latinis haud paulò ſapientiores erant, non eſt dubitandum pari providentia Euchariſtiæ dignitati fuiſſe conſulturos, ſi eam æque ac Latini, adoraſſent, numiniſque & nomine & cultu dignam ſenſiſſent. Iuſſiſſent illi haud dubie non ab aliis quam à jejunis Deum comedi; Paribus cum Latinorum Miſſali cautionibus fraudes & cavillationes peccantium excluſiſſent. Quod nihil tale feciſſe reperiuntur, id jam per ſe ſatis arguit eos neque Euchariſtiam adoraſſe, neque adorari à piis præcepiſſe. Sed aliud eſt multo etiam gravius. Conſtat enim eos non modo has de cõmunicantium jejunio ſeveras & moroſas Latinorum leges nullas tuliſſe, (quod omnino fieri debuit ſi Euchariſtia numen eſt) ſed etiam vel cœnatos, vel certe cœnantes ad Sacramenti communionem admiſiſſe. Id ex Paulo manifeſtum eſt in priore ad Corinthios Epiſtola; quo loco eos graviter reprehendit, quod cœnam Dominicam, non ea qua par erat, reverentia, caritate, ac modeſtia celebrarent. Poſtquam enim eorum conventus in genere culpavit, quod
non in melius, ſed in deterius convenirent, mox quid in iis vitij fuerit, 1.Cor.11.17.
apertius ita docet *Convenientibus*, (inquit) *vobis in vnum, jam non*
eſt Dominicam cœnam manducare. Vnuſquiſque enim ſuam cœnam præ- 1.Cor.11.20.
ſumit ad manducandum. Et alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. 21.22.&c.
Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ec- ἐν τῷ φαγεῖν,
cleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid di- in manducando.

CAPVT XIX. *cam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis quoniā Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem*, & cætera, quibus totam hujus Sacramenti inſtitutionem enarrat. Ex his Pauli patet celebrata tum fuiſſe pia quędam à Chriſtianis in vnū ad hanc rem convenientibus cōvivia, in quibus omnes ſimul & epularentur in commune, & Euchariſtiam ſumerent; quales fuiſſe videntur eæ (vt vocabant) Agapæ, quas primis illis ſecutiſque etiam temporibus frequentatas apud noſtros fuiſſe omnes conſentiunt. Epulatos quidem fuiſſe fratres in illis à Paulo notatis conviviis, hæc ejus verba clare docent; *Vnuſquiſque ſuam Cœnam præſumit ad manducandum*; Item; *Alius eſurit, alius autem ebrius eſt*; id eſt affatim potus. Denique; *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum?* Hæc enim oſtendunt iſtos in ipſo piorum conventu epulis illis ſuis ita indulſiſſe, ac ſi domi fuiſſent. Iam & in iiſdem illis conviviis Euchariſtiam quoque ſumpſiſſe fideles non eſt ex Paulo obſcurius; primo ex eo, quod has epulas *cœnam Dominicam* vocat; quod nomen epulo non alij convenit, quam vel Euchariſtico, vel ei ſane in quo etiam Euchariſtia celebratur. Tum reliqua illa quæ à verſu 23. & 30. ſequitur Apoſtoli oratio, tota vt liquet, de Euchariſtia, idem invicte demonſtrat. Quorſum enim illa Paulus de hujus Sacramenti & inſtitutione & vſu tam alte repetita, tam fuſe tamque diligenter explicata afferret in medium, niſi Corinthij in illis quæ reprehendit, conviviis Euchariſtiam ſumpſiſſent? Hæc ergo duo concluſa ſunto, Corinthios in vno eodemque conventu & epulatos eſſe vnà omnes, & Euchariſtiam ſumpſiſſe; neque de his quicquam eſt apud interpretes controverſiæ. De eo vno lis aliqua eſt, an illam piorum communem agapen, ſive cœnam, præceſſerit an vero ſecuta ſit Sacramenti ipſius participatio. Chryſoſtomus enim cum Græcis (qui eum fere ſequuntur) Euchariſtiæ confectionem & perceptionem convivio priorem fuiſſe volunt; forte, (vt vere, niſi fallor, obſervavit Eſtius) quod abſurdum & ab Eccleſiaſtico ſui æ·i ritu alienum videretur poſt epulas accedere ad participationem myſteriorum. Auguſtinus vero cum plæriſque Latinis ſentit, prius habitum fuiſſe commune convivium, deinde celebratum fuiſſe Sacramentum. Nunc quidem mea vel nihil vel parum certe refert, vtra ſententia præferatur. Adorandum enim numen ventriculo ſuſceptum injectis ſtatim cibi potuſque fœditatibus obrui nō minus abſurdum, aut impium eſt, quam in inteſtina his fæcibus jam repleta immitti. Itaque Latini, qua cautione prohibent Euchariſtiam, niſi longo poſt ſuſceptum cibum intervallo, percipi, eadem quoque vetant cibum, niſi ſexta poſt perceptam Euchariſtiam hora, ſumi, *Qui* (inquiunt) *reſidua corporis Domini, quæ in Sacrario relicta ſunt, conſumunt, non ſtatim ad communes accipiendos cibos conveniant, ne putent Sanctæ portioni miſcere cibum, qui per aqualiculos digeſtus in ſeceſſum funditur.* Si igitur mane Domi-

Eſt. in 1. Cor. 11.20.

Aug. ep. 118. quæ eſt ad Ianuar.

de Conſecr. d. 2. c. 23. Tribus gradibus.

Dominica portio editur, uſque ad ſextam jejunent miniſtri, qui eam conſumpſerunt, & ſi tertia, vel quarta hora acceperint, jejunent uſque ad veſperam. Sic ſecreta ſanctificatione æterna cuſtodienda ſunt Sacramenta. Hæc illi; ſapienter ſane, ac plane neceſſario, ſi Euchariſtia quidem res eſt adoratione digna. Sed etſi quod ad præſentem cauſam pertinet vel nullum, vel perquam exiguum ſit vtriuſque expoſitionis diſcrimen, nobis tamen Latinorum ſententia multo potior, imo ſola vera videtur. Eam Eſtius, qui præfert, multis rationibus confirmat; Ac primo quidem inde quod hæc Corinthiorum cœna repræſentatio quædam fuerit cœnæ Domini cum Apoſtolis. At hanc ita fuiſſe iuſtitutam, vt prius cum diſcipulis cœnatus, tum demum Sacramentum ſui corporis & ſanguinis tradiderit, ex Evangeliſtis clarum certumque eſt. Idem ſecundo ex eo probat, quod Paulus dicat *aliquos cœnam præſumpſiſſe cæteris non expectatis*; quod falſo & abſurde diceretur, ſi congregati Euchariſtiam, quod Græci volunt, jam ante illud alterum convivium vnà omnes ſumpſiſſent. Tertio id ipſum ex iis acute ſane colligit, quæ mox Paulus de indigna ſumptione panis & poculi ſacri, deque probatione ante ſumptionem neceſſaria ſubiicit. Ea enim nullum hic locum haberent, ſi convivium, & quæ in eo peccata erant, facta fuiſſent poſt ſumptam demum Euchariſtiam; quod nemo indigne ſumpſiſſe Sacramentum judicetur, propter peccata poſtea commiſſa, Quatro denique ac poſtremo ad hujus ſententiæ firmandam veritatem veterem multarum Eccleſiarum conſuetudinem affert, quam ad ſua tempora viguiſſe teſtis eſt Auguſtinus, vt certo die per annum, quo ipſam cœnam Dominus dedit, poſt cibos *offerri & accipi liceat corpus & ſanguinem Domini* (id eſt vtriuſque Sacramentum, quod corpus Domini omnes pæne ſuo ſæculo dixiſſe nos alibi docet idem Auguſtinus. Ejuſdem moris Africani quoque Patres in Carthaginenſi Concilio meminerunt canone 29. quem hic Eſtius recitavit; *Vt Sacramenta altaris nonniſi à jejunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniverſario, quo Cœna Domini celebratur.* Huc etiam pertinet, quod Socrates & Sozomenus tradunt, etiam ſuis temporibus conſueviſſe tum Thebaïdenſes, tum Alexandriæ vicinos Ægyptios Euchariſtiam diebus Sabbati veſpere bene paſtos ſumere; quem morem dubitandum non eſt apud illos ex veteri & Apoſtolico Sacramenti poſt cœnam percipiendi ritu hæſiſſe. Hic autem dici vnius Auguſtiniano ſæculo, ritus, multo videtur Apoſtolicis temporibus frequentior, imo omni fortaſſe totius anni tempore communis fuiſſe. Non enim Paulus Corinthios ſignificat ſemel tantum in anno hunc morem vſurpaſſe; ſed ita cum iis agit, quaſi hic eorum fuerit frequens ſumendæ Euchariſtiæ ritus tametſi non ego quidem negaverim jam tum quoque obtinuiſſe, quod de ſui ævi Eccleſiis nos docet Iuſtinus, vt in publicis, matutiniſque fidelium ſynaxibus Euchariſtia celebraretur. Præter rationes, Eſtius ſuæ hujus expoſitionis, quæ nobis

CAPVT XIX.

Aug. ep. 118. c. 7.

Socr. l. 5. c. 21. edit. Lat. Soz. l. 7. c. 19.

CAPVT XIX.

bis veriſſima videtur, auctores edit & multos & locupletes Auguſtinum, Primaſium, Sedulium, Haymonem, Hervæum, Aquinatem, Lyranum, Cajetanum. His ita conſtitutis nunc patet hunc fuiſſe, & Corinthiorum, & aliorum haud dubie fidelium Apoſtolicis temporibus morem, vt vulgo ac frequenter, imo pæne aſſidue, in agapis ſive communibus ac fraternis Eccleſiæ illius epulis Sacramentum Euchariſtiæ ita celebraretur, vt tum Paſtores, tum reliqui fideles primo collatitiis illis, in commune appoſitis dapibus, omnes caſte ſobrieque ac modeſte reficerentur; refecti demum ſacram Euchariſtiam ſumerent ſuo quiſque ordine, atque ita totam illam cœnam obſignarent; Domini primo ſupremum illud convivium, ſed & Hieroſolymitanorum

Act. 2. 44. 46. 47. exinde fidelium memoratas à Luca dapes imitati; *Omnes qui credebant* (inquit Lucas) *erant pariter & habebant* omnia communia, & frangentes circa domos panem ſumebant cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis, collaudantes Deum. Albaſſinæum hic non moror,

Obſerv. l. 1. obſ. 18. ſcribentem *ſe non inficias ire tempore Apoſtolorum, agapas forte factas eſſe cum celebratione Euchariſtiæ.* Nos ejus liberalitate nihil hic indigemus, qui quod iſte *forte verum eſſe non inficiatur*, id veriſſimum eſſe & Auguſtino, & cæteris veteribus noviſque interpretibus conſentientibus, ex Paulo conſtituimus. Sed virum alioqui doctum, & in ſcrutandis antiquioris Eccleſiæ rebus haud perfunctorie verſatum, Latinæ cauſæ ſtudium tranſverſum hoc loco egit. Cum enim videret, cœnatum Euchariſtiam quemquam ſumere, qui eam adoret ac pro numine habeat, abſurdiſſimum eſſe, & ab omni pietatis ratione alienum; optavit aliter inſtituiſſe Apoſtolos. Sed quia quod optabat, id firmari aut probabiliter defendi poſſe deſperabat, illud quod verius eſſe invitus videbat, dilute dixit *forte* verum eſſe. Iam Corinthij illũ ritum, vt etiã cœnati Euchariſtiã ſumerent; vnde quæſo, habuerãt, niſi à ſuis præceptoribus Apoſtolis viriſq; Apoſtolicis? Eſtius *poſtmodũ juſta ratione mutatũ eſſe ab ipſis Apoſtolis* hariolatur, & *credibile eſſe* dicit. Abſit, vt putem tam parum ſibi conſtitiſſe Apoſtolos, vt quem morem tradidiſſent, eum ipſi ita ſubito mutarent. Quam enim fuiſſe dicit mutationis *juſtam rationem*, ſi ſuum Euchariſtiæ cultum intelligit, ea vero hujuſmodi erat ratio, quæ morem illum ab Apoſtolis non modo *mutari* inſtitutum, ſed ne inſtitui quidem ab initio, imo vero nuſpiam apud Chriſtianos ferri flagitabat. Tuliſſe Paulum apud Corinthios oſtendit hic locus, neque negat Eſtius. Et diſertiora ſunt Apoſtoli verba, quam vt hoc quiſquam neget. Nam tametſi Corinthios acerrime, vt decebat, objurget; iis tamen poſtremo concedit, vt ſiquis ſit, qui eſuriat, is antequam ad Euchariſtiam accedat, cibum capiat, ſed domi, extra cœtum Eccleſiæ; nullo in fratres tenuiores faſtu, nullo proximorum ſcandalo; ita diſputationem totam con-

1. Cor. 11. 33. 34. cludens; *Itaque fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem exſpectate. Siquis eſurit, domi manducet, vt non in judicium conveniatis.*

Certe

Certe ſi vlla fuit abrogandi illius ritus occaſio, ea ſe Paulo hoc loco præclara ac opportuna dabat. Atqui nihil hujuſmodi hic fecit Apoſtolus. Ille vero eos reprehendit, qui cum eſſent cæteris ditiores, quam domo cœnam attulerant, eam non in communi omnium menſa cum tota Eccleſia communicandam apponerent, ſed ſeorſum cum ſuis ſumerent; quo fiebat, vt qui in cœtu pauperes erant, ii aut non cænarent omnino, aut minus laute quam alii fratres cœnarent, & ſe contemni ſentientes tacito pudore ſuffunderentur. Hoc iſtorum peccatum, à modeſtia, & caritate alienum, acerrime vt decebat, notavit Paulus. Quod Euchariſtia à cœnatis ſumeretur, de eo nihil dicit. Totum illum ſuum in agapis poſt cœnam cõmunicandi morem Corinthiis integrum, illæſumque dimittit; dum ſua Chriſtianis illis conviviis caritas, ſuaque modeſtia ac humilitas, & in omnes, etiam tenuiores, reverentia conſtet. Obſecro te, ſi qui nunc extarent apud Latinos Corinthij, qui hujuſmodi agapas facerent; eos ne recens ille Romæ Apoſtolus hoc vno nomine reprehenderet, quod inſigni fratrum contumelia ſuis ſoli dapibus in communi conventu ſeorſum veſcerentur? Non violatum in primis Euchariſtiæ numen quereretur, ac comploraret? Non Deum atque hominum fidem obteſtaretur? non iſtos veluti homines profanos & impios traduceret, qui adorandum, imo & adoratum Dei corpus in inteſtina proluvie & cruditate fœdiſſima diſtenta, & mero fœtentia mitterent? Qui Euchariſtiam ne illuc quidem deſcendere patiuntur, quo vel paucæ aquæ guttæ antea intraverint; quomodo quæſo, iſtos Pauli Corinthios exciperent, qui Sacramentum tam bene poti paſtique ſumebant, vt eorum quoſdam ebrios fuiſſe dixerit Apoſtolus? (Ebrios autem hic dici libens Eſtiò aſſentior, qui tametſi rationis vſum non amiſerint, aliquanto tamen largius biberant, quam Chriſtianæ ſobrietatis leges ferunt.) Profecto homines hujuſmodi non cenſuris, & admonitionibus ſed anathematis, ſed flagris & ignibus, velut plane impios ac perditos, inſectaretur de Latinorum genere Apoſtolus. De Paſtoribus vero ipſis, quos hic Corinthiorum agapis præfuiſſe, & Sacramentum eadem lege *celebraſſe*, qua cæteri ſumebant, id eſt ipſos quoque cœnatos; quid nunc quæſo ſtatuerent Latini? Nihil tam grave aut acerbum dici poteſt, quod non illorum ſcelus (ex horum quidem legibus) ſuperet. Qui enim laïcum poſt hauſtum aquæ meræ poculum *communicare* nefas putant; quid de eo ſacerdote judicaturi ſunt, ſi quis cœnatus celebraverit? Narrat Cajetanus *ſe à fide dignis accepiſſe bonum quemdam fuiſſe ſacerdotem, qui multo tempore pro reverentia Sacramenti præacciperet nucem muſcatam, vt bonum odorem ſtomachi Euchariſtiæ præpararet* Hunc ille fateor nonnihil purgat, & letalis criminis purum ſibi videri dicit; ſed non ſic tamen, vt ab omni omnino noxa abſolvat. Quo ergo piaculo dignum ſacerdotem eum putaret, qui bene cœnatus ſua illa ſtatim divina ſacra perageret ac perciperet? Atqui

CAPVT XIXI.

Cajet. Summula. in verb. Cõmunio Sacram. *p. 59*

CAPVT XIX.

qui Paulus Corinthiorum neque plebem, quod ſumpſerit, neque miniſtros, quod celebraverint Sacramentum, vtrique poſt cænam vel vno verbo reprehendit. Vtrorumque vel luxum, vel ſuperbiam, vel gulam, vel in fratres faſtidium ac contemptum promiſcue denotat, ac corripit. Cæterum qui Corinthiorum immodeſtiam in fratres, & indecoram convivij inæqualitatem, tam acriter caſtigat; is ipſum ritũ, quo cœnati Sacramentum ſumebant, non erat abſque nota & quidem gravi tranſmiſſurus, ſi eum, vt nunc Latini, irreligioſum, ac pæne nefarium & impium eſſe putaſſet. Quod cum minime ſenſerit Apoſtolus, pro certo habendum eſt neque ipſum, neque cæteros ejuſdem ævi Chriſtianos (apud quos nulli dubitandi cauſa eſt, quin idem quoque ritus tunc obtinuerit) Euchariſtiam vel adoraſſe, vel adoratione dignam cenſuiſſe. Neque enim illos credibile eſt hoc Sacramentum ſi de eo ita cum Latinis ſenſiſſent, poſt cœnam vel ſumpturos fuiſſe, vel aliis miniſtraturos. Fateor & alterum morem, vt ante cibum Euchariſtia celebretur, apud Chriſtianos & mox invaluiſſe, & jam tum, quod nuper dixi, locum habuiſſe. Cum enim horis, & matutinis plerumque ac fere ſemper & ſæpe etiam illo ævo antelucanis, vt ex Plinio, & Tertulliano, & aliis diſcimus, Eccleſiæ conventus ac ſynaxes fierent, profecto nihil dubitandum videtur, quin etiam ipſo Apoſtolorum ævo, Euchariſtia à piis ante cibum frequenter ſumeretur. Neque enim vel ante meridiem veſci ſolemus, maxime quibus diebus ſacris vacamus, vel alio loco commodius atque decentius, quam in publica Eccleſiæ ſynaxi celebrari Euchariſtia poterat. Ergo vterque mos tum in vſu erat, vt hoc Sacramentum & in publicis Eccleſiæ conventibus à jejunis, & in Agapis à cœnatis indifferenter riteque ſumeretur. Sed & poſt Apoſtolos vtramque illam conſuetudinem diu manſiſſe, vel ea quæ ſupra ex Auguſtino & aliis recitavimus, docent fuiſſe etiam tum (id eſt poſt a. D. 400.) Eccleſias, in quibus vno quotannis die, fuiſſe & in quibus ſingulis per totum annum Sabbatis, Euchariſtia poſt cibos celebraretur. Cum enim eo tempore, quo Eccleſiæ mores jam multum à priſtina ſimplicitate deſciverant, adhuc tamen apud nonnullos quædam veteris illius ritus, Euchariſtiæ poſt cœnam ſumendæ, particula remaneret; nihil eſt, vt ego quidem arbitror, cur cuiquam incredibile videatur, primum illum vſum etiam duobus poſt Apoſtolos ſæculis manſiſſe. Quæ contra affert Albaſpineus, ea vero leviſſima ſunt. Non fuiſſe factam in agapis Euchariſtiam inde colligit, quod illas Tertullianus dum deſcribit, hanc non memorat. Eodem argumento conficere potuit ne in ſolennibus quidem Chriſtianorum collectis celebratam fuiſſe Euchariſtiam; cujus ſcilicet neque Tertullianus meminit, vbi ſacros ſuorum conventus eodem capite exponit. Ex eodem adfert mulierem Chriſtianam ſacrum panem *ante omnem cibum guſtaſſe*. Quis negat? Quæritur an non eum aliquando & fideles cœnati in agapis ſumerent; de quo nihil eo loco

Plin. epiſt. l. 10 ep. 9. Tertull de Corona. c. 3.

Albaſp. Obſ. l. 1. c. 18. p. 57. Tertull. Apol. c. 39. Id. l. 2. ad vxor. c. 5.

loco Tertullianus. Sed & hæc Albaſpineus ex eodem auctore deſcribit; *Euchariſtiæ* (inquit) *Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præſidentium ſancimus. His verbis* (inquit Albaſpineus) *apparet eos non niſi mane ſumpſiſſe Euchariſtiam.* Longe aliter, & quidem rectius ac verius, eruditiſſimus Rigaltius Latinæ & ipſe homo communionis, ſed non ſemel ab Albaſpineo diſſentiens; *Tertullianus* (inquit) *cum ait* ETIAM antelucanis cœtibus, *Euchariſtiam celebrari, fatetur etiam in tempore victus celebratam fuiſſe.* Ita eſt profecto. Veterem Sacramenti, victus tempore, ſumendi morem, qui ſic loquitur, non ſignificat plane deſiiſſe; adhuc ſupereſſe ſignificat. Tantum oſtendit alium præterea inductum veteri non tam ſucceſſiſſe, quam acceſſiſſe. Ipſis Cypriani temporibus, tametſi receptiſſimo & vulgatiſſimo Sacramenti mane celebrandi more, fuiſſe tamen & priorem conſuetudinem, Aquariorum exceptio teſtatur, qui ſe cum viderent Domini exemplo vrgeri, reſpondebant ſe ei ſatisfacere, quod tametſi in matutinis ſacrificiis aquam ſolum; in cœna tamen itidem, vt Chriſtus fecerat, mixtum calicem ipſi quoque offerrent. *An illa* (inquit Cyprianus) *ſibi aliquis contemplatione blanditur, quod etſi mane aqua ſola offerri videtur, tamen cum ad cœnandum venimus, mixtum calicem offerimus?* Hoc quod iſti ponebant, non negat Cyprianus; quod tamen erat negaturus, ſi calicem in cœna, hoc eſt victus tempore offerri, tum fuiſſet inuſitatū. Tantum oſtendit hanc eſſe Dominici exempli vim, *vt nihil aliud, quam quod ille fecit, faciamus*, etiamſi id alio & tempore & loco, quam ipſe fecit, faciamus. Vnde & hoc defendit mane Sacramentum rite celebrari, tametſi à Domino in cœna inſtitutum; quod dies Dominica, qua id celebratur, reſurrectioni ſacra ſit. Neque tamen vetat Sacramentum inter cœnandum celebrari. Tantum contendit non eo ſolum tempore, ſed etiam mane cum tota fraternitas adeſt, *vere ac legitime* (id eſt non ex aqua ſola, vt apud Aquarios fiebat, ſed ex vino aqua temperato) celebrari; *Sed cum cœnamus* (inquit) *ad convivium noſtrum plebem convocare non poſſumus, vt Sacramenti veritatem fraternitate omni præſente celebremus.* Ergo ex his patet totis tribus primis Chriſtianiſmi ſæculis, tametſi in matutinis fraternitatis conventibus, & ſeorſum in ædibus quoque privatis, Sacramentum mane ſumi ſoleret; apud Eccleſiam tamen vſitatum fuiſſe, vt id etiam à cœnatis ſumeretur, maxime in ſancta agaparum lætitia; vt Pamelius in hanc ipſam Cypriani epiſtolam fatetur. Itaque cum hic ritus Latinæ Sacramenti adorationi repugnet, & quidem duabus de cauſis, tum quod vetus ad cœnam diſcumbentium poſitura ſit ab adoratione aliena (vt ſupra oſtendimus) tū quod à majeſtate rei adorandæ alienum ſit, vt in ventriculū cibis oppletum mittatur; omnino concludendum eſt vetuſtiſſimos illos priorum ſæculorum Chriſtianos Euchariſtiam nequaquam adoraſſe.

CAPVT XIX.
ibid p. 58.
Tertull. de Coron. c. 3.
Rigalt. ad Cypr. ep. 63. p. 120.

Cypr. ep. 63. p. 120.

CAPUT XX.

Argumentum X X. Quod Euchariſtiam in vetuſtiſſima Eccleſia communicantes ſua ſinguli manu exceptam in os ſuum ipſi inferrent, quod apud Latinos eſt nefas; qui ſacrum illum panem (quia adorant ſcilicet) non alia, quam ſacerdotali manu, contingi aut attrectari concedunt.

IDEM ex eo licet argumentari, quod tribus primis Chriſtianiſmi ſæculis, quin & diu etiam poſtea, hunc fuiſſe apud noſtros morem conſtet, vt Euchariſtiam quivis fideles à Dei miniſtro porrectam, manu ſua ſuſciperent; ſuſceptam ipſi deinde in os ſuum edendam inferrent. Ita docet Tertullianus, vbi idola à Chriſtianis artificibus fieri nefas eſſe diſputans, indignatur Chriſtianum hominem *ab idolis in Eccleſiam venire, attollere ad Deum Patrem manus matres idolorum*; poſtremo *eas manus admovere corpori Domini* (id eſt vt ex Auguſtino oſtendimus, Sacramento corporis Dominici) *quæ dæmoniis corpora conferunt.* Hic vides communicantes manus Sacramento ipſos admoviſſe. Quin & fuiſſe quoſdam eo ævo presbyteros notat Clemens Alexandrinus, qui Euchariſtiam communicantibus ne porrigerent quidem, ſed ad menſam ſacram accedentibus cuique permitterent, vt eam pro ſuæ conſcientiæ arbitrio ex menſa ſumerent. τινὲς δ' ἐυχαριστίαν διανείμαντες ὡς ἔθος, αὐτὸν δὴ ἕκαστον τ λαοῦ λαβεῖν τὴν μοῖραν ἐπιτρέπουσιν. ἀρίστη γὰρ πρὸς τὴν ἀκριβῆ αἵρεσίν τε καὶ φυγὴν ἡ συνείδησις. *Quidam Euchariſtiam, cum, vt mos eſt, diviſerunt, permittunt vnicuique ex populo ejus partem ſumere. Ad accurate enim perfecteque eligendum ac fugiendum optima eſt conſcientia.* Clemens horum morem adeo non reprehendit, vt potius probare ac laudare videatur. Cyprianus fideles manu ſua Sacramentum ſumpſiſſe non ſemel teſtatur; *Armemus* (inquit) *dexteram gladio ſpirituali, vt ſacrificia funeſta fortiter reſpuat, & Euchariſtiæ memor, quæ Domini corpus accipit, ipſum complectatur poſtmodum Dominum, ſumptura præmium cæleſtium coronarum,* (vt ex Vaticanis manuſcriptis codicibus legendum locum docet Rigaltius.) Idem in alio opere indignans lapſum ante factam exomologeſim communionem poſcere, ac flagitare, ſuperbe niſi impetret, minitantem; *Iacens* (inquit) *ſtantibus, & integris vulneratus minatur; & quod non ſtatim Domini corpus inquinatis MANIBVS accipiat, aut ore polluto Domini ſanguinem bibat, ſacerdotibus ſacrilegus iraſcitur.* Alibi quoque vbi patientiæ vi excludi facta carnis docet; *Sit fortis* (inquit) *& ſtabilis in corde patientia; & nec adulterio ſanctificatum corpus, & Dei templum polluitur,* &c. *nec poſt geſtatam Euchariſtiam MANVS gladio & cruore maculatur.* Cornelius Romæ, Cypriani temporibus, Epiſco-

Tertull. l. de Idol. c. 7. p. 107. C.

Clem. Alex. Strom. l. 1. p. 271. C.

Cypr. ep. 56. p. 103.

Id. de lapſ. p. 201.

Id. l. de bon. pat. p. 270.

CAPVT XX.

Epiſcopus, idem clariſſime ſignificat, cum ad Fabium Antiochenum ſcribens narrat Novatianum ſchiſmaticum eos, qui ad ipſum communicaturi venerant, jurejurando in ſuas partes obſtrinxiſſe; *Cum* (inquit) *feciſſet oblationes, & ſingulis partem Sacramenti diſtribuiſſet, porrexiſſetque, miſeros homines & infœlices pro benedictione & gratiarum actione juſjurandum dare coegit. Atque ſuis vtriſque manibus MANVS accipientis prehendens, non prius dimiſit, quam jureſjurando eum obſtrinxiſſet* ποιήσας τὰς προσφορὰς, καὶ διανέμων ἑκάστῳ τὸ μέρος, καὶ ἐπιδιδοὺς τοῦτο, ὀμνύειν ἀντὶ τῆς εὐλογίας τοὺς ταλαιπώρους ἀνθρώπους ἀναγκάζει, κατέχων ἀμφοτέραις χερσὶ τὰς τοῦ λαβόντος, καὶ μὴ ἀφιεὶς ἕως ἂν ὀμνύοντες εἴπωσι ταῦτα· Qui jurare cogebatur, acceptum à Novatiano Sacramentum, tenebat manibus, vt liquet, idque ori ſuo edendum admovere tamdiu prohibebatur, donec juraſſet ſe à Novatiani partibus ad Cornelium numquam tranſiturum. Sed hunc illorum temporum in diſtribuenda Euchariſtia ritum fuiſſe clariſſime quoque nos docet Dionyſius Alexandrinus, vtriuſque, Cypriani, inquam, & Cornelij συγχρόνος, quo loco ad Xyſtum Romæ Epiſcopum ſcribens narrat cuidã fratri, qui ab hæreticis olim veniens ſuſceptus in Eccleſia diu vixerat, baptiſmum poſteà poſcenti, cum eum quem ab hæreticis retro acceperat, vitioſum nullumque fuiſſe intellexiſſet, ſe ideo non putaſſe concedendum, quod abſurdum videretur eum virum, qui multos annos in Eccleſia cum laude verſatus, & frequenter Euchariſtiæ particeps factus erat, de integro ad initiationis Chriſtianæ myſteria revocare; *Qui* (inquit) *gratiarum actiones audiviſſet; qui Amen vnà pronuntiaviſſet; qui aſtitiſſet menſæ, qui MANVS ad ſanctum illud alimentum capeſſendum porrexiſſet, qui illud recepiſſet, qui tam longo tempore fuiſſet corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti particeps, ejus baptiſma non auſim de integro renovare*; εὐχαριστίας γὰρ ἐπακούσαντα, καὶ συνεπιφθεγξάμενον τὸ ἀμήν, καὶ τραπέζῃ παραστάντα, καὶ ΧΕΙΡΑΣ εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείναντα, καὶ ταύτην καταδεξάμενον, καὶ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετασχόντα, ἱκανῷ χρόνῳ, οὐκ ἂν ἐξ ἀρχῆς ἀνασκευάζειν ἔτι τολμήσαιμι. Ritum Baronius ipſe obſervavit, & longe vltra a. D. trecenteſimum apud Chriſtianos obtinuiſſe pluribus ex quarti ſæculi & ſequentium Scriptoribus firmat. Iam vero adoratione dignum numen aliis, quam ſacris, & ad hoc munus ſanctificatis manibus attrectari tangique nefas eſſe, & ipſe communis religioſorum hominum ſenſus docet, & accurata Latinorum in hac eadem re praxis clamat. Neque enim hi hoc ipſum Sacramentum, quod latriæ cultu colendum putant ſcilicet, aliis quam ſacerdotum manibus tangi fas & pium eſſe exiſtimant; & ſi quis apud eos laïcus, vel etiam clericus, ſed non preſbyter, illi ſuo ex pane vinoque numini manus admoviſſet, is ſe ſacrilegij & ſuo & Eccleſiæ Latinæ judicio reum cenſeret. Itaque quoties communionis neceſſitas homines quotquot apud eos ſunt non preſbyteri, ad altare vt Sacramentum glutiant, accedere cogit; enixe

Concil. apud Euſ. Hiſt. l. 6. c. 35. Chriſtop.

Dion. Alex. ep. ad Xyſt. apud Euſ. Hiſt. l. 7. c. 8. Chryſtoph.

Ed. gr. l. 7. c. 9. p. 73. A.

Bar. a. D. 57. §. 147. 148. Vide etiam, ſi lubet, Garſiam Loayſã, ad Conc. Tol. I. c. 14. & Ioann. Morinum de Ordinat. Sacr. Part. 3. Exercit. 12. c. 3.

CAPUT XXI.

cavent, ne iis Euchariſtiam in manus tradant, neve aliis id corporis ſui partibus contingant, niſi illis, quæ ad eam edendam ac gluttiendam plane penituſque ſunt neceſſariæ. Omnibus enim notum eſt, panem illum Deum in communicantium ora hiantia ipſa ſacerdotum manu immitti; neque aliter quam ore, & faucibus, & ventriculo à laïcis tangi. Veteres idem facturos fuiſſe ſi eadem de Euchariſtiæ cultu ſenſiſſent, dubitare non poſſumus, niſi eos ſtultos fuiſſe, ſoloſque Latinos ſapere putemus (quod quam ſtultum & abſurdum ſit, omnes vident.) Cum ergo veteres illos alia omnia feciſſe, cum Sacramentum omnibus communicaturis, tam laïcis quam clericis, in manus nulla religione tradidiſſe certum, confeſſumque ſit; omnino illud quoque quod contendimus confitendum eſt, illos ſcilicet de primis ſæculis Chriſtianos Euchariſtiæ divinitatem, adorationemque neſcivisſe.

CAPUT XXI.

Argumentum XXI. Quod vetuſtiſſimæ Eccleſiæ præſides omnibus communicantibus, laïcis, clericis, viris, mulieribus permiſerint ſacras Euchariſtiæ particulas domum auferre, domi habere, & ſervare; quod ex Latinorum dogmate & praxi nefarium crimen eſſe conſtat.

ILLI vero Euchariſtiam non in manus modo accipere, tangereque & contrectare, ſed etiam ejus particulas reſervare, ſecum ferre, & domi apud ſe quamdiu liberet habere, & cum placeret, ſumere, laïcis, omnibuſque ut ſemel dicam, communicantibus permittebant. Res notiſſima eſt, & apud adverſarios ipſa confeſſa. Quarto quidem ſæculo hunc morem obtinuiſſe tam apud Orientis, quam Occidentis Eccleſias, plura Scriptorum illius ævi luculentiſſima teſtimonia Gregorij Nazianzeni [a], Ambroſij [b], Hieronymi [c], & aliorum docent; è quibus Baſilium unum hic laudare ſatis erit, qui diſerte ſcribit [d] non modo *anachoretas, & monachos,* ſed *unumquemque ex laïcis, qui Alexandriæ & in Ægypto degebant, communionem* (id eſt Euchariſtiam) *domi ſuæ maxima ex parte habere. Etenim* (inquit) *in Eccleſia Sacerdos tradit particulam, & cum omni poteſtate ac libertate eam tenet, qui accipit, & ſic ſua manu ad os adducit,* ἐν Ἀλεξανδρείᾳ δὲ καὶ ἐν Αἰγύπτῳ ἕκαστος καὶ τῶν ἐν λαῷ τελούντων, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἔχει κοινωνίαν ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ. Mox; καὶ γὰρ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ὁ ἱερεὺς ἐπιδίδωσι τὴν μερίδα, καὶ κατέχει αὐτὴν ὁ ὑποδεχόμενος μετ' ἐξουσίας ἁπάσης, καὶ οὕτω προσάγει τῷ στόματι τῇ ἰδίᾳ χειρί. Baronius ſcribit *hanc conſuetudinem*, etiam *in Occidente perſeveraſſe ſaltem uſque ad Hormiſdæ Papæ tempora, quando* (inquit) *in Synodo Cæſaraugustana in Hiſpania abrogata cognoſcitur.* Hæc ille ad a. D. 57.

Vid. Bar. a. D. 57. §. 149.
a *Greg. Naz. Orat. in Gorg. ſor.*
b *Ambr. in in orat. in fun. Satyri fratr.*
c *Hieron. ep. 50.*
d *Baſil. ep. ad Cæſarium Patr. T. 3. p. 279.*
Bar. a. D. 57. §. 150.

Sed

Sed in alia Annalium parte ſua hæc ſcita eadem, qua poſuerat, manu refigit atque evertit, *erroris* eum *collectorem* arguens, qui hanc Synodum Cæſarauguſtanam *ad Hormiſdæ tempora rejecerat* (id eſt ad a. D. circiter 514.) affirmanſque, & quidem probabiliter, *eam ſub Damaſo collocandam fuiſſe*; quam ſententiam Garſias quoque Loaiſa, & Binius ſequuntur; in hoc tantum diverſi, quod quam vterque ſub Damaſo Synodum ponit, eam ad a.D. ille 380. hic 381. perexiguo diſcrimine refert. Hujus ergo Synodi Patres ita de ſacra communione decernunt; *Euchariſtiæ gratiam ſiquis probatur acceptam in Eccleſia non ſumpſiſſe, anathema ſit in perpetuum.* Toletani Patres eadem decreverunt anno D. 400. (id eſt annis poſt Cæſarauguſtanos non pluribus, quam viginti.) *Si quis acceptam à Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur.* Vtriuſque ferendæ legis eadem Hiſpanis Patribus occaſio fuiſſe videtur; Priſcillianiſtarum tunc apud eos graſſans peſtis. Hi enim (quod à Baronio, & Binio traditum eſt) *vt laterent, convenientes ad Eccleſiam Catholicorum, vt viderentur cõmunicare, ſic accipiebant Euchariſtiam, vt eam non comederent.* Quæ ſi vera ſunt, vt veri eſſe videntur ſimillima, hanc legem ideo tulerunt Hiſpani, ne quem Priſcillianiſtæ conſueta fraude fallere deinceps poſſent. Sed vt legis & cauſſa ſingularis fuit, & latores vnius tantum Hiſpaniæ Præſules; ſic & lex ipſa Hiſpanorum propria, non omnium Chriſtianorum communis fuit; vt cæteris extra Hiſpaniam fidelibus fraudi eſſe nequiverit, quominus ij in poſterum quoq; ex vſu antiquo Euchariſtiam ipſi in Eccleſia acceptam ſervarent, domi pro cujuſque arbitrio ſumendam. Vtcumque ſit, ſæculis certe quarto anterioribus morem, quem dixi, vbique apud noſtros fuiſſe, clarum eſt, neque id quiſquam negat. An primo jam ſæculo ita fuerit, merito dubites; certe fuiſſe, non conſtat; imo non fuiſſe verum puto. Secundo vero exeunte, & toto tertio jam cœpiſſe illum vſum, ex veris illius memoriæ auctoribus, patet. Tertulliani locus eſt in eam rem diſertiſſimus, quo ſolenni ſtationum die jejunantibus auctor eſt, vt Eccleſiaſtico Euchariſtiæ officio interſint quidem, ſic tamen, vt eam non guſtent in præſentia, ſed domum ſecum ferant, ac ſervent, tum demum ſumendam, cum ſolvendi jejunij tempus aderit; *Accepto* (inquit) *corpore Domini & reſervato vtrumque ſalvum eſt, & participatio ſacrificij, & executio officij*; id eſt, vt patet, jejunij. Qui locus in Annalibus Baronianis, auctoris-ne an typographi, neſcio, ſed *immani* certe errore, Auguſtino tribuitur. In eo autem Tertullianum vides præcipuæ ſeveritatis virum, illam Sacramenti (vt Latini nunc dicerent) *profanationem*, adeo non damnare, aut alicui crimini deputare, vt eam ipſe etiam ſuadeat. Sed & hinc refellitur Baronij temerarium inſulſumque judicium, qui nullo ex antiquitate auctore, nullo teſte, ſua vna haruſpicina fretus hariolatur illius memoriæ fidelibus conceſſum fuiſſe, Euchariſtiæ particulas domum ferendas accipere, vt perſecutione ſæ-

CAPVT XXI.

Id.a.D.381. §.102.

Vide Bin. ad Conc.Cæſaraug.T.1.Concil.p.624.

Conc.Cæſar. l.c.3.ibid.col.1.A

Concil.Tolet. l.c.14.T.1. Conc.p.738. Bar.a.D. 381.§.106. Bin.vb.ſupr.

Tertull.l de Orat.c.14.p.155.

Bar.a.D.57. §.150.

id.ibid.§.149.

CAPVT XXI. viente ſingulis diebus apud ſe communicare poſſent, quod iniquitate temporum prohiberentur in vnum ad ſacras ſynaxes coire. Hæc quæ iſte ex ſuo nobis cerebro veluti res compertiſſimas certiſſimaſque magna (vt ſolet) confidentia narrat, Tertullianus hic vno flatu diſiicit, ac diſſipat, clariſſime confirmans, etiam ſecluſo illo quotidianæ communionis commentitio planeque Baroniano colore, ſolitos fideles ob alias cauſas Euchariſtiam ſervare; & domum ſecum ferre. Sed & hinc quoque alius ejuſdem viri hic obiter inſperſus error arguitur, quo nobis perſuadere velle videtur neminem tum particulas Sacramenti ſecum abſtuliſſe, qui non idem aliquam in ſynaxi Eccleſiaſtica ediſſet. Sic enim ille loquitur; Conceſſum fuit vt *fideles* (inquit) *non tantum de ea, quæ oblata erat ſacratiſſima Euchariſtia communicarent, ſed & ex eadem particulas à ſacerdote acceptas domum ferendas ſumerent.* At ex Tertulliano liquet etiam licuiſſe quicquid particularum acceperant; id domum totum deferre; nihil ex eo in ſynaxi guſtare. Hi enim de quibus iſtic Tertullianus, ſe ſiquid ex iis particulis guſtaſſent, eo jejunium, quod ad veſperam ſervare cupiebant, ſoluturos eſſe exiſtimabant. Ad hunc ſervatæ Euchariſtiæ morem illa quoque pertinent, quæ idem ſcriptor alibi mulieri Chriſtianæ dicit viro Pagano nuptæ; *Non ſciet* (inquit) *maritus, quid ſecreto ante omnem cibum guſtes! &, ſi ſciverit panem, non illum credit eſſe, qui dicitur?* Significat ſuſpicaturum virum infidelem panem eum, quem ab vxore fideli ante alium cibum guſtari deprehenderit, ipſum illum famoſum panem eſſe, quem Pagani calumniatores apud vulgum ſpargebant infantis cæſi cruore à Chriſtianis tingi. *Panem* autem illum revera fuiſſe Euchariſtiæ particulas, quas mulieres Chriſtianæ ſecum domi ſervare, & mane guſtare ſolebant, & res loquitur, & Baronius, Pamelius, Rhenanus, Rigaltius, & alij omnes fatentur. Ex Cypriano eundem vſum adhuc perſeveraſſe intelligimus; vbi de muliere lapſa, quæ nulla facta ſui lapſus exomologeſi ad ſacram communionem præter Eccleſiæ leges irruerat; *Cum quædam* (inquit) arcam ſuam, in qua *Domini ſanctum fuit* (Sacramentum autem intelligit) *manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere.* Eodem quoque pertinere videtur, aliud quod ſtatim ſubjecit ejus viri exemplum, qui *cum & ipſe maculatus, ſacrificio à ſacerdote celebrato, partem cum cæteris auſus eſſet latenter accipere, ſanctum* (inquit) *Domini edere & contrectare non potuit; cinerem ſe ferre apertis manibus invenit.* Quod enim ait eum *tuliſſe.* & *manus aperuiſſe*, omnino videtur ſignificare iſtum acceptum Sacramentum, non ſtatim edendum ori admoviſſe, ſed in manu ſervatum extra ſynaxin edendum ſecum abſtuliſſe, quod cum poſtea edere voluiſſet, manumque ad ſumendum aperuiſſet, *cinerem* in manu pro *Euchariſtia* inveniſſe. Idem auctor (ſi tamen liber de Spectaculis vere Cypriani eſt) eumdem quoque morem his verbis de quodam Chriſtiano loquens expreſſit, *Feſtinans*

id. ibid.

Tertull. l. 2. ad vxor. c. 5. p. 190. A.

Cypr. l. de lapſ. p. 102.

ibid.

ſtinans (inquit) *ad ſpectaculum, dimiſſus* (ex Eccleſia ſcilicet) *& adhuc gerans ſecum, vt aſſolet, Euchariſtiam inter corpora obſcœna meretricum tulit.* Cyprianus in ſuperioribus non reprehendit, quod iſti Euchariſtiam ſecum extra Eccleſiam detuliſſent; vel quod eam mulier domi in arca ſervaret; Illud vnum denotat, quod idolorum ſacris cõtaminati, manus nulla exomologeſi purgatas ad ſacram menſam vnà cum fidelibus extendere, & ſanctum inde Domini panem ſumere auſi eſſent. Scriptor item de ſpectaculis in illo tertio id tantum damnat, quod rem ſacram profana atque impia impudentia in turpem & flagitioſum locum intuliſſet; non queritur, quod eam de menſa Chriſti acceptam ſecum habere & auferre præſumpſiſſet. Ergo fidelibus vel nullo ſcelere pollutis, vel ſcelere, ſi quod admiſerant, per legitimam pœnitentiam ablutis; etiam mulierculis, per Cyprianum & cæteros illius ævi Theologos licebat Euchariſtiæ particulas è ſacra menſa ſumptas aſportare (modo ne in loca impia profanaque efferrent) domique etiam privata arca incluſas ſibi habere ſervareque, quamdiu vellent. Hæc illius ſæculi Chriſtiani. Baronius nimium de noſtro ſibi ſtupore pollicetur, dum nos vetat hinc concludere majorum in Euchariſtiam minorem, quam qui nunc Latinorum eſt, cultum fuiſſe; imo ſe nobis perſuaſurum ſperat iſta olim ideo ſic conceſſa fuiſſe, quod *major penes cunctos fides vigeret*. *Fidem* in Deum & in Chriſti diſciplinam majorem multo paſſim apud noſtros fuiſſe, quam nunc Romæ eſt, facile concedo; Sed ne tunc quidem eam fuiſſe omnium in res ſacras reverentiam, quæ eſſe debet, vel illa pauca ex Cypriano exempla docent. Porro quæcumque majorum de cætero pietas fuerit (neque enim id jam quæritur) illud certe ex ſuperioribus clarum liquidumque eſt eos Euchariſtiam, quam ita habebant, haberique à ſuis ſinebant, non putaſſe quod nunc docent Latini, numen eſſe latriæ cultu adorandum. Neque quemquam ego tam fatuum eſſe opinor, cui perſuadere poſſit Baronius, non vnum aut alterum, ſed pleroſque, imo quatenus quidem de eo conſtare poteſt omnes illius ævi, imo & aliquot ſequentium ſæculorum Chriſtianos Theologos, homines (vt omnes fatentur) ſumma eruditione ac pietate præditos in tantum tamque pudendum flagitium conſentire potuiſſe, vt quod & ipſi & cæteri Chriſtiani diviniſſimis latriæ honoribus colerent, ac pro ſummo ſuo numine haberent; id quibusvis ferre quo liberet, in privatis locis præter decorum ſervare, etiam mulierculis in arca vna cum reculis domeſticis & mundo ſi forte muliebri, includere liceret; Non proſpexiſſe viros ſapientiſſimos, non exhorruiſſe religioſiſſimos, ſui illius numinis indignos, fœdoſque caſus? ac ne iis quidem, quæ ipſi contigiſſe ex hac occaſione narrant, admonitos eſſe, vt Dei ac Servatoris ſui majeſtati diligentius ac verecundius caverent, neve eum privatorum hominum temeritati expoſitum irent? Atqui nulla vnquam gens fuit quæ de ſummis ac principibus quidem Diis ſuis ita luſerit.

CAPVT XXI.

l. de ſpect. apud Cypr. p. 370.

Bar. ad a. D. 57. §. 150.

CAPVT XXI.

luſerit; quæ non iis ſacra domicilia, ſacros miniſtros attribuerit, quæ non ab iis privatorum ac minime ſacrorum hominum manus, imo etiam ſæpiſſime ora atque oculos diligenter ac ſevere arcuerit, magnis in eos conſtitutis ſuppliciis, qui res divinas attrectare auſi eſſent. Sed quid ego aliena conſector? quaſi non ipſum Latinorum exemplum ſatis nos doceat, quid de toto hoc negotio ſit judicandum? Hos ſcimus, quod ipſi profitentur, Euchariſtiam latria colere, ac pro numine habere. Videamus ergo quibus eam legibus tractent. Concedunt-ne, vt quivis laïcus communicans eam extra ſynaxin efferat? vt in ædes privatas aſportet? Liberum-ne ſuis eſſe ſinunt, vt acceptam pro arbitrio, vel conſumant, vel ſervent? Ferunt-ne vt in mulierculæ alicujus arcula vna cum ejus ſuppellectile jaceat? Abſit. *Hæc omnia* (inquit Baronius) *noſtris temporibus penitus inconceſſa ſunt. Si quis laïcus* (inquit Petavius) Euchariſtiam ſecum deferret, ſibique ſervaret, atque haberet, *is apud nos cenſeretur criminis gravi pœna expiandi reus, veluti ſanctiſſimi Sacramenti profanus temerator.* Tridentini vero Sacramentum non modo in mulieris alicujus laïcæ arcula, ſed ne ſub ſacratiſſimarum quidem Virginum tecto cubare patiuntur. *Quod vero* (inquiunt) *Sanctiſſimum Chriſti corpus* (id eſt Sacramentum) *intra chorum, vel ſepta monaſterij* (quod ſcilicet ſit ſanctimonialium) *& non in publica Eccleſia conſervetur, prohibet ſancta Synodus, nonobſtante quocumque indulto, vel privilegio.* Hæc Latini; quæ nemo negaverit (ſi Euchariſtia quidem quod ipſi volunt, adoratione digna ſit) ſapientiſſime, religioſiſſime, neceſſariiſque rationibus ab iis & fuiſſe antea decreta, & nunc obſervari. Cum ergo veteres illi, quos neque deſipuiſſe, neque irreligioſos fuiſſe quiſquam dixerit, non modo hæc non ita vt Latini, ſed plane contra quam illi, vt oſtendimus, omnia ſtatuerint, decreverint, fecerint; fatendum eſt invitis omnibus Baroniis, eos Euchariſtiam neque numen eſſe putaſſe, neque eam latriæ cultu dignam cenſuiſſe.

Bar. a. D. 57. p. 150.

Petav. de Pœn. publ. Part. l. 1. c. 7. p. 94. [?]

Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 10. [?]

CAPVT

Caput XXII.

Argumentum XXII. Quod Euchariſtiã ad abſentes & ægrotos deferendam vetuſtiſſimi hominibus privatis, etiam pueris committerent; Latini non aliis, quam ſacerdotibus tradant. Argumentum XXIII. Quod vetuſtiſſimi Chriſtiani vinum ſacrum in calice vitreo offerrent; Latini non aliter, quam in calice ex ſolida materia.

Hvc quoque pertinet, quod apud illos vetuſtiſſimos Chriſtianos Euchariſtiam fidelibus, ſiqui à publica ſynaxi abeſſent, Diaconos tuliſſe ex Iuſtino; quod ab acolytho Tharſicio portatam ex Martyrologio ſupra didicimus. Sed & laïcis, & quidem pueris, aliquando deferendam eſſe traditam docet Dionyſius Alexandrinus. Ille enim narrat apud Euſebium; cum Alexandrinus quidam ſenex, cui nomen erat Serapioni, diu antea lapſus, poſt actam longam delicti pœnitentiam, in ſupremis tandem conſtitutus Euchariſtiæ ſolatium popoſciſſet (quod lapſis in eo rerum articulo poſcentibus indulgeri decreverat Dionyſius) preſbyterum, qui ad id officium præſtandum noctu accerſebatur, quod ipſe ob morbum ire non poſſet, Euchariſtiæ particulam Serapionis nepoti puero ad ſe miſſo tradidiſſe ad avum deferendam; qui eam, vt erat juſſus, madefactam in os ſenis gluriendam infudit. Dionyſius hoc ſui preſbyteri factum ne leviter quidem carpit, vel reprehendit; imo etiam ad exemplum narrat. Sed etiamſi hæc nobis diſerta veterum teſtimonia deeſſent, non eſſet tamen ambigendum, quin ij Sacramentum ad alios deferendum laïcis libenter commiſſuri fuerint, quibus id ipſum apud ſe domi quamdiu liberet, ſervandum tradere non dubitabant. Atqui hoc à Latinorum vſu, ac religione ſic abhorret, vt putem non impune preſbytero nunc futurum, ſiquis ad illius Alexandrini exemplum, Euchariſtiam homini laïco quantumvis vrgente neceſſitate tradidiſſet. Neque enim illi fas eſſe arbitrantur tantum Sacramentum ab alio, quam à ſacerdote ad ægrotos deferri. Itaque & in Eccleſiis copioſis, quales ſunt hujus civitatis plæreque, ſacerdotem habent ad id muneris propie conſtitutum; quem ab hoc officio *Deiferum*, ſive *Dei-bajulum* vocant, novo ſane, & apud Chriſtianos in hoc quidem ſenſu inaudito nomine. Addo ſuperioribus neque cum Latinorum circa Euchariſtiam vel vſu, vel cultu congruere illum veterum morem, vini ſacri in calice vitreo & offerendi & miniſtrandi. Morem enim hunc fuiſſe ſecundo tertioque ſæculo ex Tertulliano clarum certumque eſt. Is enim contra Catholicos diſputans, mœchiæ reos ad pœnitentiam, indeque ad pacem Eccleſiæ admittentes, tangit parabolam Evangelicam Paſtoris ovem

Iuſt. Apol. 2. Martyr. Rom. d. 11. Aug. Dion. Alex. apud Euſ. Hiſt. l. 6. c. 44. p. a. d. gr.

Porte-Dieu.

QQ perdi-

CAPUT XXII.

perdiram humeris revehentis, eamque Catholicos, vt ſuæ in peccantes indulgentiæ argumentum, in calicibus ſuis pingi curaſſe ſignificat; *Procedant (inquit) ipſæ picturæ calicum veſtrorum, ſi vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, vtrumne Chriſtiano an Ethnico peccatori de reſtitutione conliniet.* Catholici enim volebant illa ove figuratum à Domino qemvis peccatorem, etiam Chriſtianum; Tertullianus non alium, quam Ethnicum, contendebat. Idem quatto abhinc capite & Catholicos illum *Paſtorem in calice depingere* iterum dicit, & *frangi facilem*, id eſt vitreum, fuiſſe eo ipſo ait, quod ſtatim addit; *At ego ejus Paſtoris ſcripturas haurio, qui non poteſt frangi.* Hinc vides *calices vitreos* in vſu Catholicorum ſacro ſolennes fuiſſe, ad vini ſcilicet Dominici celebrandum Sacramentum. Annotavit Baronius, & ex hoc ipſo Tertulliani loco obſervavit; idque inde firmari poteſt, quod vt ipſe quoque alibi ad Martyrologium notat, liber Pontificalis in Zephyrini, Tertulliani σύγχρονου, vita *patenas* itidem *vitreas* memoret. Quo loco probat ex Actis Donati Martyris ſub Iuliano Auguſto deſertore paſſi, ex Hieronymo epiſtola ad Ruſticum, & ex Cæſarij Arelatenſis vita & aliis, illum calicum vitreorum in ſacris miniſteriis vſum diu, etiam ad octavum ſæculum apud Chriſtianos viguiſſe. Itaque fatetur Baronius *à temporibus Apoſtolorum vitreum calicem in vſu fuiſſe videri*; & ex ejuſdem moris æmulatione factum ait, quod vetuſtiſſimus hæreſiarcha Marcus vitreis quoque & ipſe calicibus in ſacris ſuis vteretur. His enim vſum, inde non inepte argumentatur, quod quibuſdam præſtigiis vinum ex albo in rubrum mutaret, ita vt populus, qui ſpectabat, vinum in ſanguinem converſum putaret. Atqui veteres illi Theologi ac multo etiam minus Apoſtoli (ad quorum ævum hunc morem refert Baronius) Euchariſtiam, ſi numen eſſe latria dignum credidiſſent, in vitro habitare paſſi eſſent. Omnes enim facile intelligunt, quam abſurdum ſit, & ab omni non modo ratione, ſed etiam humani generis conſuetudine alienum, vt in materia tam fragili ſummum numen conſecretur & adoretur. Apud religioſas quidem gentes numen vitro includi, inauditum eſt hactenus, quod ſciam. Itaque Latini, qui Euchariſtiam Deum cenſent, omnino ex ſua ſententia ſapienter ac neceſſario, vitrum, rem futilem, hinc amovent; neque niſi in auro, argentove Sacramentum locari patiuntur; digna ſcilicet numine materia, ſive pretium, ſive ſoliditatem materiæ ſpectes; In ſtanno vt habeatur, ægre concedunt, ſed ſolis pauperrimis. Hæc ipſiſſima ſunt legis verba; *Vt calix Domini cum patena, ſi non ex auro, omnino ex argento fiat. Si quis autem tam pauper eſt, ſaltem vel ſtanneum calicem habeat. De ære aut aurichalco non fiat calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem de ligneo, aut VITREO calice præſumat miſſam cantare.* Hæc illi; quamquam illa de *vini virtute*, deque *ærugine*, ex veteribus repetita, ſtulte & præter præſens Latinorum dogma, hic vſurpata videntur;

Tertull. l. de Pudic. c. 7. p. 721. C.

ib. c. 10. p. 727.

Bar. a. D. 276. §. 13. Id. ad Martyr. K. d. 7. Aug. B. Hieron. ep. 4. Cyprian. in Cæſar.

Decret. de Conſecr. d. 1. c. 45. Vt calix.

dentur, qui à communicantibus, nullum *vinum*, ſed merum numen potari definiunt. Quod autem numini eadem vis inſit, quam vino ineſſe videmus, vt ex ære ſcilicet æruginem procreet, res eſt ni fallor, apud omnes, qui de Dei natura tam apud Gentes, quam apud Iudæos & Chriſtianos hactenus philoſophati erant, inaudita. Miſſale eadem quoque ſciſcit; *Calicis* (inquit) *cuppa debet eſſe aurea, vel argentea, vel ſtannea; non ærea, nec vitrea.* Cum ergo nulla Chriſtianis primæ memoriæ religio fuerit liquidam Euchariſtiæ partem in vitreis calicibus habere, offerre, miniſtrare; eos niſi ſtulte ac indecore, & inſipienter in rebus divinis (quod nemo feret) verſatos eſſe dixeris; fatendum eſt hoc Sacramentum neque numen eſſe cenſuiſſe, neque vel adoraſſe ipſos, vel communicantibus adorandum propoſuiſſe. Neque hic mihi quiſquam Eccleſiæ per prima illa tempora tenuitatem, anguſtias, & inopiam ob aſſiduas perſecutiones objectet. Fateor non eam ejus tum fuiſſe amplitudinem atque copiam, quæ vel ſub Conſtantino, & Principibus poſtea Chriſtianis fuit, vel nunc apud Latinos eſt. Non tamen ita arctæ vel ipſis primis ſæculis noſtrorum res fuerunt, vt Euchariſtiæ dignitati, ſi eam pro numine habuiſſent, non facile conſulere potuerint. Nam etiam paulò ante Valeriani & Gallieni tempora, quibus Tharſicius acolythus paſſus eſt, ſcimus Romanam Eccleſiam & miniſtris & opibus in tantum abundaſſe, vt presbyteros quidem haberet quadraginta ſex, viduas & afflictos aleret ſupra mille & quingentos, cum magno & innumerabili populo; vt diſerte docet Cornelius, qui ſub Decio martyrium fecit. Aliarum Eccleſiarum vt Antiochenæ & Alexandrinæ, & Carthaginenſis & cæterarum pro ratione vrbium, in quibus degebant, haud abſimiles jam tum fuiſſe facultates, omnino credibile eſt; & de illis tribus conſtat ex iis, quæ in hiſtoria abdicati ob hæreſim Pauli Samoſateni, & in epiſtolis tum Dionyſij, tum Cypriani leguntur. Cur ergo Romana Eccleſia ex illa preſbyterorum multitudine nullum tum habuit *Dei* (vt loquuntur) *bajulum*, qui numen Euchariſticum portaret? Cur id acolythi manibus credidit? Cur vitreis calicibus ſuos vti permiſit? Cur in tanta rerum abundantia, quæ alendo tam numeroſo egentium gregi ſatis fuit, Deo ſuo auri argentique aliquot pondo negavit? Cæteratum eadem ratio eſt; vt liqueat, non ex fortunarum, ſed ex ſententiarum circa Euchariſtiam diverſitate extitiſſe illud, quod in ea adminiſtranda tantum intercedit, veterum à Latinis diſcrimen.

CAPVT XXII.

Miſſ defect. miſſ. c. 10. §. 1.

Corn. apud Euſ. l. 6. c. 43. p 70. A.

CAPUT XXIII.

Argumentum XXIII Quod vetuſtiſſimis Chriſtianis Pagani ejuſdem ævi neque ſerio, neque joco, neque in ſuis contra noſtros calumniis, & maledictis, neque in ſuorum Deorum à noſtrorum objectionibus defenſione θεοφαγίαν *objeciſſe, vel eos* θεοφάγους *(Dei voratores) vocaſſe reperiuntur; quod infidelium in Latinos nunc eſt ſolenne convitium.*

ITA veteres primi Chriſtianiſmi ritus ſcrutati, nullum qui cum fictitia Euchariſtiæ divinitate & adoratione congrueret; quoſdam qui ab ea abhorrerent, reperimus. Nunc priſcorum fidelium cum Paganis certamina videamus, ſiquid in iis extet, quod huic diſputationi lucem afferre poſſit. Qua in parte illud inprimis obſervandum venit, quod Rigaltius, ut ſtupendum notavit, *inter tot probra & convitia Paganorum Chriſtianos accuſantium impietatis, eo quod neque aras haberent, neque ſacrificarent, interque tot fratrum perfidorum transfugia, non extitiſſe, qui eos criminarentur, quod Dei ſui carnes ederent, ſanguinem potarent, cum id ſe facere in Euchariſticis ſuis teſtarentur.* Ego vero cum illius ævi Chriſtiani Deo ſe ac Domino ſuo veſci & crederent & profiterentur, non ut ejus carnes & ſanguinem proprie edere ac in ventriculum ſuum trajicere, ſed ut vitam & quam hic degebant in ſpe & fide, & quam erant olim in cœlis adituri, eam utramque eſſe Domini Chriſti, & morte ac ſanguine quæſitam; & verbo illuminatam, & Spiritu collatam ſignificarent, (ut ex eorum commentariis liquet) equidem non miror Paganos non fuiſſe uſque adeo vel improbos, vel ſtultos, ut ex vocularum & phraſeon ambiguitate non admodum ad diſcutiendum & explicandum difficilis infandi & inauditi apud homines criminis noſtros accuſarent. Utinam feciſſent. Nam ſi feciſſent, haberemus haud dubie in veterum Theologorum ſcriptis etiam clariorem ex ea occaſione expoſitionem eorum, quæ de hoc myſterio vere ſentiebant; tametſi ne deſint quidem in iis quæ ſuperſunt, hujuſmodi veritatis argumenta, quæ ingeniis non modo modeſtis docendis, ſed & protervis revincendis ſufficiant. Hoc ipſum, quod vere affirmat Rigaltius, neminem repertum, qui noſtros criminaretur, quod Dei ſui carnes ederent, ſanguinemve potarent, hoc inquam evidentiſſimo nobis documento eſſe debet, nihil eos hujuſmodi apud ſe factitaſſe, aut profeſſos eſſe à ſe factitari; ſi proprie quidem ac citra tropum loquamur. Nam Deo ſuo veſci ſenſu improprio ac metaphorico, id eſt ex Dei ſui bonitate, potentia, ſpiritu, luce, munere denique ac dono, vitam ducere atque *arceſſere*, & eam quidem nō quod ait Poëta *tenuem* aut evanidam, ſed ſtabilem, beatam ac immortalem, id ne-

Rigalt. ad Tert. l. 2. ad ux. c. 4. pag. 89.

iđ nemini vnquam quod ſciam, apud vllam gentem vel criminí fuit vel fraudi. Si vero illorum temporum Chriſtiani id quoque ſenſiſſent ac docuiſſent, nimirum Euchariſtiam vere ac proprie ipſiſſimum eſſe Chriſti corpus & ſanguinem, ipſiſſimumque vivum ac immortalem Chriſtum Deum, totum, & quantus pependit in cruce, & quantus in cœlo ſedet ad dexteram Patris, ſi eam de qua ita ſentirent, Euchariſtiam, & ex ſuo illo dogmate adoraſſent divinisſimis honoribus corpore in terram proſtrato, aut geniculis poſitis venerabundi, & ex Domini ſui præcepto mox ediſſent (quod vtrumque Latini quotidie factitant) quis dubitat, quin & multa alia quæ prudens prætereo, & hoc certe in primis quod nunc agemus, noſtris & graviter & ſæpe & invidioſiſſime objectui fuerint Pagani; quod ſcilicet vel ipſum quod adorarent numen, comederent, vel certe quod quem comederent cibum, eum ipſum ſummo latriæ cultu adorarent? Plane, inquam, eſt incredibile, plane non potuit fieri, vt veteribus Chriſtianis hoc vtrumque in ſacris ſuis factitare ſolenne fuerit, neque tamen Græcorum, Romanorumve gentilium quiſquam extiterit, qui id eis exprobraret. Certe à quo illum Euchariſtiæ divinum cultũ apud Latinos obtinere conſtitum eſt, conſtat in tota eorum religione nihil fere ineſſe, quod philoſophis & infidelibus majorem quam hoc, excitarit in Chriſtianiſmum nauſæam, atque contemptum; vel quod illi improbius irriſerint, aut exagitarint petulantius. Nota ſunt omnibus illa Averrois, Saraceni philoſophi, quæ etiam Perronius deſcribenda alicubi putavit, *ſe ſectam Chriſtiana deteriorem. aut ineptiorem nullam reperire, quam qui ſequuntur ij quem colunt Deum, dentibus ipſi ſuis diſcerpunt ac devorant*. Quin & hoc ipſum Latinis à Turcis & Mahumedanis etiam hodie vulgo, veluti fœdiſſimum probrum obiici, ex Boulaïo Guzo, viro apud ſuos Andegavos nobili & Alexandri Rhodij Ieſuitæ amiciſſimo, nuper didicimus; qui in peregrinationum apud Orientem ſuarum libris narrat ſe à militibus quibuſdam Mahumedanis ſecum, vt fit, jurgantibus tum multis aliis conviciis ac maledictis eſſe perfuſum, tum hoc inprimis plane ſingulari, quod iſti canes eum *infidelem* ac θεοφάγον, *id eſt Dei voratorem**, ſive vt ſic dicam *manducatorem*, per ſummam contumeliam vocarent. Si ergo idem ille Euchariſtiæ cultus, qui apud Latinos & Averrois temporibus in vſu erat, & noſtris adhuc eſt, jam primis apud Chriſtianos ſæculis obtinuiſſet; nemo non videt mirificam hanc religionem & Celſum & cæteros Paganorum ſapientes, quod Averroes poſtea fecit, fuiſſe irriſuros, & cum magno faſtidio aſpernaturos; ipſum vero etiam Gentilium vulgus, vel ſubſannaturum, vel certe ſicut immanem aliquam impietatem abominaturum noſtroſque θεοφάγους vocaturum fuiſſe; perinde, vt Latinos nunc Turci hoc dicterio figunt. Cur enim non facerent? An obſcura eſt, & quam ſoli ſapientes deprehendant, rei abſurditas? Atqui nemo eſt homo, ſenſu modo communi prædicus, cui ex ſolo natu-

CAPVT XXIII.

Perron. de Euch. l. 3. c. 29. p. 973.

La Boulaye en ſes voyages. Part. 1. c. 10. p. 21.

*MangeDieu.

CAPVT XXIII.

naturæ lumine rem metienti non mira ſtatim ac prodigioſa primo ipſo aſpectu appareat iſta Latini Sacramenti adoratio, quique eam, ſi cum aliis cæterarum gentium, etiam amentiſſimarum, cultibus comparet, non judicet omnium eſſe longe ſtultiſſimam, & ab honeſto ac decoro maxime alienam. Neque ipſi Latini negant, qui eam hodie tanto zelo factitant, quin ita ſit judicandum, ſi hoc omne negotium ad illas veri juſtique rationes exigatur, quæ ſunt hominum generi à natura inſitæ. Tantum, ne ita inſtituant, ſe divinæ traditionis, omni & ratione & ſenſu potioris, auctoritate prohiberi (tametſi hoc quidem falſo) cauſſantur ac dictitant. Quid enim vel animo fingi poteſt, quod à communi mortalium ſenſu atque ratione magis abhorreat, quam vt homo non dico id, quod mutum atque exanime, quod infirmum, & omnium animantium, etiam infirmiſſimorum, injuriis expoſitum eſſe deprehenditur, ſed id quod vel ipſe vel alius æque mortalis, comeſturus atque voraturus, & in ventriculum ſuum immiſſurus eſt, id ipſum, inquam, adoret, & Deum ſuum cenſeat? Qui ergo diuinam illam traditionem, qua nunc Latini ſe vna niti clamitant, vel plane penitusq; neſciebant, vel reſpuebant ac proculcabant Pagani, eos profecto neceſſe eſt omnes, magnos, parvos, doctos ac rudes judicaſſe, Euchariſtiæ pro ſummo Deo adorationem rem eſſe non modo impiam & nefariam, ſed etiam abſurdiſſimam ac ſtultiſſimam. Cicero quidem certe, cujus opera omnia apud Paganos ob excellentiſſimam eloquentiam, erant decantatiſſima, ipſiſq; etiam pueris familiaria, hoc vſque adeo ineptum & portentoſum eſſe exiſtimavit, vt etiam incredibile ſibi videri ſcripſerit. Nam apud eum, quod nemo neſcit eruditus, in altero de Deorum natura volumine, hæc extat Balbi Stoici vox; *Ecquem* (inquit) *tam amentem eſſe putas, qui illud quo veſcatur, Deum credat eſſe?* Si hoc ergo, quod ille fieri poſſe non credebat, Chriſtianos facere ſciiſſent Pagani; annon hanc, vt ille vocat, *incredibilem amentiam*, vehementer erant & admiraturi, & exprobraturi, & omnibus modis exagitaturi? Neque eſt, quod eos quiſquam exiſtimet hac exprobratione propterea fortaſſe abſtinuiſſe, quod Ægyptios ſuos ea etiam quibus veſcerentur, porra & allia, adorare, proque numinibus habuiſſe ſcirent. Atqui tantum abeſt, vt iſtis ſuis Ægyptiis parcerent, vt in eos ipſos hoc à Marco Tullio proprie dictum fuiſſe appareat. Neque enim ejus ævo adhuc extabant Latini illi noſtri, in quos hoc, quod iis ad amuſſim congruit, jeciſſe putetur. Et noti ſunt Romani veteris poëtæ verſiculi, quibus ille Ægyptiorum inſaniam ſalſe ridet, ciconias & crocodilos & herbas religioſe colentium, fœliceſque jocans vocat, quibus numina in hortis naſcerentur. Qui tantę erant dicacitatis, vt etiam in ſuos luderent, alienis, credo, pepercisſent? quique Nili accolas (hoc eſt congeneres ac pœne germanos ſuos) ea quibus veſcerentur, inter numina cenſentes, mordaci ſatyræ aceto perfundunt; ij Chriſtianos, hoc eſt peregrinos & hoſtes, in-

Cic. l. 2. de Nat. Deor. p. 135.

Iuvenal.

tactos

CAPVT XXIII.

tactos ſiviſſent, ea quoque ipſa religioſiſſime colentes, quæ ederent ac biberent? Quamquam ne Ægyptios quidem ea, quæ colebant, ad victum vſurpaſſe conſtet; ſed eo tantum peccaſſe, quod res ad edendum factas, pro ſuis numinibus eligerent. Chriſtianos, ſi illud adoraſſent, quod ipſi ſtatim erant comeſturi, Ægyptiis deteriores Græci Romanique proculdubio erant exiſtimaturi. Sed dicacitatem mitto, quę iſtis, ne tam benignam jocandi materiam negligerent, vna ſatis futura erat; Odium certe, quo illi in noſtros veluti in communem quandam humani generis peſtem, acerrimo flagrabant, non erat tam ſpecioſum ſui in eos furoris colorem in hac cauſſa omiſſurum. Quid enim iis dirius, atque immanius obiici poterat, quam quod ſuum ipſi Deum (quod ajebat Averroës) vorarent ac diſcerperent? Illi interdum indignantur *hominem ſummo ſupplicio punitum* ab iis coli, neque quicquam noſtris crebrius obiiciunt. Quaſi non & ipſi Socratem ad cicutam magiſtratus judicio damnatum admirarentur; Quaſi non Æſculapium, à Iove ipſo fulminatum, & Herculem Oeteis ignibus inter ſummos cruciatus concrematum, etiam divinis honoribus religioſiſſime colerent. Quanto erat facilius juxta & invidioſius panem pro Deo adoratum objectare; quem nulli mortalium, ac ne ipſi quidem Mithræ ſacerdotes (tametſi & ipſi pane in myſteriis vterentur) adoraſſe vnquam reperiuntur? Tum infantem in arcanis cœtibus, farre contectum, à noſtris occidi, & membratim diſcerpi, ſanguinem ejus ſitienter lambi, carneſque vorari, longam & abſurdam, & ineptiſſimam fabulam narrabant. Cur & incerta & ſtulta & incredibilia vrgent, ſi quod & multo erat dirius, neque à reis, (ex Latinorum quidem ſomnio) negari poterat, in promptu habebant, Chriſtianos ſcilicet ipſum ſuum Deum vorare? Eſt vbi & in ipſum Chriſti Patrem blaſphemas linguas exerunt, fingi à Chriſtianis inviſibilem, omnium conſcium, moleſtum, & curioſum*. Sed multo eſt & in ipſum numen contumelioſius, & apud homines ſapientes abſurdius, Deum fingi in panis fruſtulis, & vini guttis deliteſcentem, ſurdum, & mutum, & ſenſus omnis expertem, qualem apud noſtros haberi haud dubie putaſſent, ſi panis & calix ab iis adorati eſſent. Qui ergo illud obiiciunt, hoc ſi ſciviſſent, objecturos quis dubitet? Poſtremo aliud etiam erat, quod Paganos ad hanc Chriſtianis exprobrandam Euchariſtiæ adorationem provocabat, Deorum ſcilicet ſuorum injuria. Quibus enim eos ſalibus noſtri ſæpicule defricabant, ij hoc Sacramenti cultu dilui, atque abſtergi facile poterant, & numinum gentilium probra in hoc ex pane numen, ſi Chriſtianis fuiſſet eo nomine adoratum, repercuti. Nos non pauca jam ſupra attulimus in ea diſputationis parte, quæ Euchariſtiæ, reliquiarum, imaginum, & crucium communis fuit. Exempli gratia, noſtri id Paganorum numinibus objectabant, quod ea mures arroderent; At Pagani noſtris, ſi hi Latini ritus fuiſſent, reſponſuri erant ipſorum numen mures non modo

Iuſt. Apol. 2. p. 47. l. 13.
Lucian. in Protev. p. 760.
Minut. in Octav. p. 22.
Arnob. l. 1. p 25.
Orig. contr. Celſ. l. 3. p. 135.
Minut. in Oct. p. 23. Iuſt. Apol. 2 p 77.
Tertul. Apol. c. 7. Orig. cõtr. Celſ. l. 6.
**Minut. in Oct. p. 26.*

CAPUT XXIII. modo rodere, ſed etiam vorare, totumque glutire & abſumere. Noſtri Paganicorum numinum infirmitatem irridebant.. Noſtris, ſi Euchariſtiam coluiſſent, Pagani exprobraſſent, ipſorum numen ne conſiſtere quidem per ſe poſſe, & alteram ejus ſpeciem, ni vaſculo contineatur, diffluere. Chriſtianis lignea numina putreſcere declamitantibus, nihil erat promptius quam Paganos ſtatim reponere, Veſtrum vero etiam (quod miſerius eſt) brevi per ſe vel muceſcit, vel aceſcit. Noſtris Paganos Deos quod in auro, & argento & gypſo habitarent, ſubſannantibus; non veniſſet his in mentem noſtrorum numen etiam in vitro, quo nihil futilius eſt, natare, imo & in humanis inteſtinis quibus nihil eſt turpius inter ventriculi fœditates volutari, & quantum quidem ex communi eorum quæ edimus ſorte judicaſſent, etiam laſano, proh pudor! inter alvi recrementa interdum excipi? Cur hoc enim homines & profani, & inimici adverſariis objectare dubitaſſent, quod ipſi Latinorum Theologi admittunt, ac confitentur? Certe Dominici Soti hæc ea de re verba ſunt; neceſſario ne quid fingere videar, deſcribenda; *Cum* (inquit) *digeſtio fiat in ſto-*

Soto in 4. diſt. 12. q.1. art.3. *macho, illic deſinunt eſſe ſpecies, atque adeo corpus* (Chriſti ſcilicet) *Sed ſi ob aliquem morbum ſpecies deſcenderent,* (in ventrem) *conſequenter & ipſum corpus deſcenderet, ac emitteretur. Pudor enim non debet eſſe in cauſa negandi veritatem.* (Errorem nimirum de Euchariſtiæ divinitate ſuum, *veritatem* vocat) O fortem ac durum Soti ſtomachum, qui tantam turpitudinem concoquere potuit! vt numen cultu latriæ dignum aliquando in inferiorem corporis humani ventrem, id eſt in retrimentorum ac excrementorum fœdiſſimam cloacam deſcendere, ac inde vnà cum fæcibus, quas ne nominari quidem pudor ſinit, in ſeceſſum evolvi concederet! Hæc ſunt præclara ſcilicet, & cœleſti Chriſti Domini religioni honeſtiſſima Latini de Euchariſtiæ divinitate atque adoratione dogmatis corollaria. Hæc primorum temporum Pagani, homines diſertiſſimi, atque dicaciſſimi, noſtris ſi illam adorationem facerent, non obiicerent? non exaggerarent? non omnibus locis atque temporibus exprobrarent? Non exclamarent, qui ſuis Diis caſus rerum omnium humanarum communes obiicerent, Deum ipſos colere ſingulari turpitudini obnoxium, in quam neque ſua, neque vllius gentis quantumvis abjecta, viliaque numina, vnquam tamen caderent! Ac iſta turpia tanto erat proclivius objicere illorum temporum Chriſtianis, quod ipſi hoc, quod concedit Soto, de Euchariſtia ſua non modo non negabant; ſed vltro ipſi libere ac rotunde, profiterentur, eam ſcilicet perinde vt communes cibos, ex ventriculo in alvum labi; inde in ſeceſſum emitti. Diſertum extat Origenis ea de re teſtimonium; *Si quicquid ingreditur in os, in ventrem abit,*

Orig. in Matth. c. 15. T. 2. Orig. p. 27. *& in ſeceſſum eiicitur, etiam ille* (inquit) *cibus, qui ſanctificatur per verbum Dei, perque obſecrationem quatenus quidem materialis eſt, in ventrem ipſe quoque abit & in ſeceſſum eiicitur,* εἰ δὲ πᾶν εἰσπορευόμενον εἰς τὸ ςόμα

στόμα εἰς τὴν κοιλίαν χωρεῖ, καὶ εἰς ἀφιδρῶνα ἐκβάλλεται, καὶ τὸ ἁγιαζόμενον βρῶμα διὰ λόγου θεοῦ καὶ ἐντεύξεως, κατ' αὐτὸ μὲν τὸ ὑλικὸν εἰς τὴν κοιλίαν χωρεῖ καὶ εἰς ἀφιδρῶνα ἐκβάλλεται. Vnde nemo non videt ſi Euchariſtiam, de qua hæc dicunt, iidem adoraſſent, numenq; eſſe crediidiſſent, quantam hinc Pagani in eorum numen objectionum, ſarcaſmorum, & irriſionum ſegetem habituri fuerint. Sed & illud poſtremo noſtri Paganorum numinibus, veluti rem divina majeſtate indigniſſimam obiiciebant, quod illa eorum quæ celebrantur ſimulacra ab hominibus inhoneſtis, ſceleratis, ac flagitioſis ſæpe fierent. Nonne & hoc telum in noſtrorum capita (ſi illi quidem Euchariſtiam pro numine adoraſſent) Paganis ſtatim retorquere licebat; ipſum eorum numen, non ejus modo ſimulacrum, & ab impiis contaminatiſque ſacerdotibus ſæpe quoque confici, & (quod multo gravius eſt) etiam improbiſſimorum hypocritarum ora ſubire, & in eorum ſtomacho aliquantiſper reſidere? *Eſt indubie tenendum* (inquit Soto) *quod corpus* (Chriſti ſcilicet) *deſcendit in ſtomachum, etiamſi ab iniquo ſumatur.* Memini Celſum noſtris veluti rem Domino indignam, objeciſſe, quod Ieſus in cenſum familiarium eum hominem allegerit, qui ipſum eſſet proditurus, & in manus inimicorum traditurus. Quanto indignius erat Chriſtum eidem illi homini ſe in os & inde in ventriculum ejus deſcenſurum credere, ac committere? Ergo & hoc ſi Chriſtiani crediidiſſent, iis quoque Celſus multo magis objecturus erat. Itaque cum tot tantæque cauſæ eſſent cur Pagani hanc noſtris Dei ſui adorationem obiicerent; ſumma rei ipſius ac plane ſingularis ex ſenſus, mentiſque humanæ judicio, abſurditas, acerrimum in noſtros odium, Deorum ad hæc gentilium injuriæ; dubitari profecto non poteſt, quin ij hanc Chriſtianis ſi factitata ab iis fuiſſet, crebro ac in omni ſermone exprobraturi fuerint. Atqui conſtat, (quod veriſſime dixit Rigaltius) neminem olim extitiſſe Paganorum, qui hoc in noſtris fuerit criminatus; neminem, qui illa rei conſectaria, quæ nuper expoſui, ad majeſtatem ſuorum numinum à noſtrorum hominum telis atque criminationibus vindicandam, retorſerit atque repercuſſerit; neminem, qui vel illud Averrois dixerit (*Chriſtianos ſuum ipſos Deum & adorare & vorare*, vel eos nunc Mahumedani etiam vulgi familiaris convitio, θεοφάγους *Dei voratores* vocarit, vel noſtris ex ſuo Cicerone *amentiam* exprobrarit, *qui illud, quo veſcantur, Deum eſſe putent*, vel denique hoc ex ſuo Euripide ridiculum de Deo à noſtris ex vtre deprompto, ac in calicibus adorato vſurparit,

Soto vbi ſupra. *Celſ. apud Orig. l. 2. ſ. 67. in.*

Θεὸς δ' ἐν ἀσκῷ πῶς γέγηθ' οἴκους ἔχων;
Deus in vtre quomodo lætatur domicilium habens?

Eurip. in Cyclope verſ. 523.

Extant apud Iuſtinum, apud Minutium, apud Tertullianum, apud alios ejuſdem memoriæ Scriptores, cunctæ Paganorum in religionem ac diſciplinam noſtram lœdoriæ, calumniæ atque criminationes; Extant apud Origenem ipſæ Celſi, impij quidem & idololatræ, ſed tamen di-

CAPVT XXIII.

ſertiſſimi, & eruditiſſimi hominis contra Chriſtianos ex profeſſo di-ctatæ, atque æditæ diſputationes. Sed illi in noſtros ſive ludant, ſive ſævjant, nuſquam hanc panis & vini ſacri adorationem, nuſquam vlla ejus-conſectaria, argumentum ad vtrumque genus commodiſſimum memorant. Habemus ipſas nonnullorum Chriſtianiſmi accuſatorum voces; & crimina quæ delatores, ſummiſſique in eos teſtes edebant, & quorum nomine noſtri exoſi vulgo erant. Nihil de illa, qua nihil apud Paganos invidioſius dici poterat, θεοφαγία vſquam occurrit. Præſertim inſignis eſt ad hanc rem in Lugdunenſium Martyrum Actis locus. Lugdunenſes narrant quoſdam è ſuis ſervis, qui Ethnici religione eſſent, juſſu Præſidi captos, qui de dominorum moribus & arcanis rebus interrogarentur; Hos cum tormenta reformidarent, contra Chriſtianos militibus Satanæ impulſu illos ad hoc incitantibus illa vulgata *Thyeſteas* ſcilicet *cœnas*, & *Oedipodis inceſtus*, & alia nefanda mentitos eſſe; συνελαμβάνοντο δὲ καὶ ἐθνικοί τινες οἰκέται τῶν ἡμετέρων. ἐπεὶ δημοσίᾳ ἐκέλευσεν ὁ ἡγεμὼν ἀναζητεῖσθαι πάντας ἡμᾶς, οἳ καὶ κατ᾽ ἐνέδραν τοῦ σατανᾶ φοβηθέντες τὰς βασάνους ἃς τοὺς ἁγίους ἔβλεπον πάσχοντας, τῶν στρατιωτῶν ἐπὶ τοῦτο παρορμώντων αὐτοὺς, κατεψεύδοντο ἡμῶν θυέστια δεῖπνα, καὶ οἰδιποδείους μίξεις, καὶ ἃ μήτε λαλεῖν μήτε νοεῖν θέμις ἡμῖν. ἀλλὰ μηδὲ πιστεύειν εἴ τι τοιοῦτο πώποτε παρὰ ἀνθρώποις ἐγένετο. *His vulgatis omnes contra ſe efferatos eſſe*.. Atqui hic locus erat θεοφαγίας, vt omnes videñt, efferendæ; quæ & vera erat (ſi Latinis quidem credimus) & illis falſiſſimis ac mendaciſſimis criminibus, etiam horribilior, niſi quis Deum forte humanius eſſe putet vorare quam hominem. Cum ergo neque hic, tam opportuno loco, neque vſquam alibi noſtris Pagani illam θεοφαγίαν, vel vlla ejus conſectaria, primis Chriſtianiſmi ſæculis vnquam objecerint; omnino confitendum eſt Euchariſtiæ, quæ à fidelibus edebatur, nullam tum à noſtris eſſe creditam divinitatem, nullam factitatam adorationem; quod ego argumentum tanti eſſe cenſeo, vt ſi vel vnum eſſet, ea de re dubitare me non ſineret.

Lugd. Martyr apud Euſ. Hiſt. l. 5. c. 1.

edit. gr. p. 45. A.

CAPVT

CAPVT XXIV.

Argumentum XXIV. Quod Pagani noſtris multa objecerint, quæ in Euchariſtiam (ſi ea quidem à noſtris eſſet adorata) multo & fortius, & ſpecioſius dici poterant, quam in ea, quibus objiciebantur, & illam tamen talibus locis Pagani nuſquam memorant, alia quædam minus ad ſuam diſputationem apta commodaque memorant; quo patet Euchariſtiam non fuiſſe à noſtris adoratam. Celſi, apud Origenem, Cæcilij apud Minutium; Ethnicorum apud Theophilum, objectiones hujus generis adverſus noſtros referuntur.

SED neque hic tacenda videntur ſingularia quædam Celſi loca, in quibus ille Euchariſtiæ divinitatem omiſit, quæ iſtic tamen, ſi ea à Chriſtianis eſſet credita, ab acri & erudito adverſario (qualis Celſus fuit) omnino commemoranda veniebat. Ille ergo *res Chriſtianorum alicubi cum rebus Ægyptiorum* comparabat; *ad quos venienti offerebant ſe ſplendida fana cum lucis, & templa cum veſtibulis atque porticibus eximia magnitudine pulchritudineque mirandis, cæremoniaque admodum religioſa ac myſtica; introgreſſus autem videbat adorari felem, aut ſimiam, aut crocodilum, aut hircum, aut canem.* Hoc autem iſtum ſimili vſum docet Origenes, quod apud nos poſt magnificam de prophetia, de Deo vniverſorum Domino, deque idolorum contemptu doctrinam, Ieſus cruci affixus ab iis, qui hanc diſciplinam (vt ſic dicam) ingrederentur, adorandus poſtremo occurreret. Id Origenes dicturum Celſum putat; aliud, negat. οὐ γὰρ ἄλλο τι οἴεται φήσειν αὐτόν. At ſi res Chriſtianorum tunc erant præſentibus Latinorum rebus ſimiles, longe aliud, & Celſus dicturus, & Origenes intellecturus erat. Illis enim Ægyptiorum viliſſimis numinibus, non Chriſtum, quem licet fixum cruci, hominem certe fuiſſe & quidem eximium negare non poterat; ſed *panem ac vinum* oppoſuiſſet, res per ſe viliſſimas, & anima ac ſenſu carentes, quibus ipſi illi quantumvis viles, Ægyptiorum Dij pollebant. Atqui non hoc dixit Celſus, neque dicturus fuit, auctore Origene. Ergo neque Euchariſtiam apud noſtros tum adorari ſolenne fuit; quam ſi ita ſe res habuiſſet, omnino erat cum Ægyptiorum numinibus in hac ſua ſimilitudine compoſiturus (quod non fecit) non autem Chriſtum crucifixum, quod fecit. Idem noſtros criminatur, *quod Ieſum mortali corpore conſtantem crederent eſſe Deum idque ſe pie facere arbitrarentur*, ἐπεὶ ἡγοῦνται ἐκ θνητοῦ σώματος ὄντα θεὸν νομίζουσι, καὶ ἐν τούτῳ ὅσια δρᾶν δοκοῦσιν, inquit Origenes. Verum cum & ipſe & cæteri Pagani tum Herculem, tum Bacchum & alios, quos corporibus

Orig. contr. Celſ. l. 3. p. 124.

ibid p. 137. extr.

CAPVT XXIV. mortalibus olim conſtitiſſe non negabant, Deorum nihiloſecius & nomine & cultu donarent, quanto fortius, & quanto cum ad rem ſuam, tum ad noſtrorum invidiam vrilius objeciſſet *panem & vinum*, quæ corpore non ſolum mortali, ſed etiam ſenſus &. animæ. vitæque omnis experte conſtarent, Chriſtianos pro vero & ſummo Deo habere? Ergo & hoc vix eruditus erat dicturus, ſi apud noſtros Euchariſtia Dei & nomen & honores tum habuiſſet. Ne ergo dubites non habuiſſe; quando ille hic, quod erat ſpecioſum, non dixit; illud alterum, quod multo minus probabile eſt, dixit. Ibidem & hoc Chriſtiano cultui obiicit, quod carnes Ieſu, quem adorarent, auro & argento & marmoribus, quæ Pagani colebant, ſint corruptibiliores. At multo erat & rectius, & facilius *panem & vinum*, quibus pauca ſunt magis fluxa, magiſque evanida, cum illis ſuis Diis marmoreis, aureis & argenteis contendere; ſi illa quidem Chriſtiani adoraſſent. Non contendit. Ergo neque iſta pro Deo apud noſtros habebantur. Idem rem Deo indignam eſſe dicit, quod nos ex Evangelio tradimus, Chriſti corpus in vtero muliebri finxiſſe Dei Spiritum; Magis decuiſſe corpus ei, vt Adamo olim, ſola Dei potentia compingi; *ne (inquit) ſuum Spiritum in tantam contaminationem mitteret*, εἰς τοσοῦτο μίασμα. Quanto magis fuiſſet & indignaturus & noſtris exprobraturus, ipſum illum Deum in Virgine ita formatum Chriſtianos in quorumvis mortalium ſtomachos ac ventres in mediam illam inteſtinorum proluviem immittere, εἰς τοσοῦτο μίασμα ἐμβαλεῖν? Nam in muliebri quidem vtero fingi Deorum corpora, etiam Celſi Paganiſmus admittebat; edi Deum & in ventriculum mitti ſecurus obiicere potuit, rem ſolis ex omni religioſarum gentium copia, Latinis notam. Sed nondum hanc ſcilicet Latinorum ſingularem ſapientiam noſtri illius memoriæ didicerant. Itaque nihil peccavit Celſus, qui neque hoc eis objecit. Idem ille Chriſto, vt rem & ipſam quoque Deo indignam, exprobrat, quod corpore fuerit, noſtris etiam fatentibus, parvus, & deformis, & humilis; decuiſſe enim cui divinitas inerat, eum cæteris præſtare ſtatura, forma, robore, voce, majeſtate, eloquentia. Ille vero qui hæc parum caute, ac pœne ſtulte obiicit, immemor ea ſuo Vulcano, ſuoque Pani eſſe contumelioſa, eoſque divinitate, qua apud Paganos gaudebant, fraudare; eadem in Euchariſtiæ corpus, non modo puſillum, & humile, & parum ſpecioſum, ſed ne humanum quidem vlla ex parte, verum vnius formæ totum, non in membra, non in artus vllos diſtinctum, haudquaquam abſurde jeciſſet; ſi id eſſet à noſtris pro numine habitum & adoratum. Non ergo fuiſſe, tam eruditi adverſarij de ea re tali in loco ſilentium arguit. Idem hoc quoque, vt abſurdum, & à divinitate alienum, in Ieſu noſtro reprehendit, quod ovillam ederit, & fel, vel acetum biberit; nihilque id aliud fuiſſe dicit, quam excrementis veſci; τί γὰρ ἄλλο ἦν Θεῷ τὸ προβάτων σάρκας ἐσθίειν. ἢ χολὴν ἢ ὄξος πίνειν, πλὴν σκατοφαγεῖν; Quanto ille Deo indignius putaſſet

ipſum

ibid. p. 140.

ibid. l. 6. p. 335. extr.

ibid. p. 337.

ibid. l. 7. p. 370.

CAPVT XXIV.

ipſum comedi, & in ea humani corporis cava dimitti, quo illa, quæ ipſe tantopere abominatur, ἐκεῖσε deferuntur? Ergo & hoc noſtris erat objecturus, ſi, quam comedebant Euchariſtiam, noſtri Deum eſſe docuiſſent, diviniſque eam honoribus, vt nunc Latini, coluiſſent.

ibid. p. 366.

Eſt & hæc Celſi in noſtros criminatio, quam me ſupra jam tetigiſſe memini, quod qui Paganorum Deos, velut idola blaſphemarent, ipſi Ieſum mortuum colerent. At idolis & concinnius & fortius panem & vinum oppoſuiſſet, quæ & ipſa inanimata, & vitæ, non modo nunc ſunt, ſed & ante ſemper fuerunt expertia, vt ne vixiſſe quidem dici poſſint, quod de mortuis certe dicitur. Cur hoc, quod erat melius, vir doctus non dixit? Quia nimirum noſtri Sacramentum illud Deum eſſe nondum didicerant, neque id ſane adorabant. His Celſi vnum addam ex Theophilo Antiocheno; qui Paganum à ſe Chriſtiano hoc petentem inducit, vt *Deum illi ſuum oſtendat*; cui & illud Cæcilij congruit noſtros apud Minutium oppugnantis, iiſque exprobrantis, quod Deum ſuum *nec oſtendere poſſunt, nec videre*. Vterque ſtulte, & ridicule, ſi Euchariſtia quidem noſtrorum erat Deus; quæ & oſtendi & videri æque poteſt ac quodvis Paganorum numen. Et Latini in omnibus miſſis ſe Deum ſuis *oſtendere* gloriantur, & ad hoc ipſum vt oſtendant, eum ſimulatque conſecratione in Deum evaſit, diligenter elevare, ſive attollere ante omnium oculos, & in feſto, quod *corporis Dominici* vocant, in vicis ac plateis glorioſiſſime ante ora civium oſtentare & circumferre, (vt notum eſt) ſolent. Ergo nunquam hoc Pagani vel à noſtris quæſiviſſent, vel iis exprobraſſent, quod ex Theophilo & Minutio recitavimus, ſi Chriſtiani Euchariſtiam illo ſæculo adoraſſent, eoque loco ac numero habuiſſent, quo nunc à Latinis cenſetur. Hoc vero ex Theophili & Octavij ad illam Paganorum hominum ſive quæſtionem, ſive objectionem reſponſionibus etiam clarius patet. Theophilus quidem illi Ethnico, quocum colloquebatur, ſe ita roganti, Δεῖξόν μοι τὸν θεόν σου, *Oſtende mihi Deum tuum*, vt ſatisfaceret, debebat ex Latinorum dogmate ac diſciplina polliceri ſe Deum ei, tametſi per ſe inviſibilem, oſtenſurum tamen in myſteriis, quatenus vel oſtendi vel videri eum fas eſt humanis oculis, ſi modo derelictis erroris Paganici tenebris, Chriſtianiſmo initiari vellet. Atqui Theophilus iſtorum nihil apud Paganum illum ſuum collocutorem dicit. Negat diſerte Deum aliter, quam mentis oculis videri, ſi quis eos puros, neque vllis ſæculi vitiis ſuffuſos obtulerit. Neque Octavius ſuo Cæcilio *de Sacramenti* (vt vocant) *altaris* oſtenſione, aut viſione quicquam narrat; imo quod ille negaverat, nos *Deum noſtrum vel oſtendere vel videre*, id diſertiſſime verum eſſe aſſentitur; *Ex hoc* (inquit) *Deum credimus, quod eum ſentire poſſumus, videre non poſſumus. In operibus enim ejus, & in mundi omnibus motibus virtutem ejus præſentem ſemper aſpicimus, cum tonat, fulgurat, fulminat, cum ſerenat. Nec mireris, ſi Deum non vides*; & quæ ſequuntur. Neque homini

Theoph. ad Autol. l. 1. in Bibl. PP. Gr. Lat. T. 1. p. 104. C.

Minut. in Oct. p. 16.

Theoph. ubi ſupr. p. 105.

Minut. in Octav. p. 97.

CAPVT XXV. vllam injicit Sacramenti mentionem, aut ſpem videndi ſub panis & vini involucris Dei, ſi modo Chriſtianis ſacris imbui, & Chriſto nomen dare velit. Poſſent alia ejuſdem generis non pauca à Paganis olim Chriſtianiſmo objecta afferri, ex quibus colligere liceat Euchariſtiæ Latinam illam divinitatem & adorationem, fuiſſe noſtris hominibus primis ſæculis ignotam. Sed hoc breve ſpecimen dediſſe nunc ſatis eſſe videtur.

CAPVT XXV.

Præcluditur Latinorum ad ſuperius argumentum effugium, cavillantium Paganos neſciviſſe Euchariſtiam à Chriſtianis adorari, etiamſi revera ab iis adoraretur; ac demonſtratur neque Chriſtianos ſua dogmata ſuoſve cultus occultaſſe, neque ea, ſi occultaſſent, Paganos tamen latere potuiſſe.

VERVM enimvero nequis fortaſſe ſit, qui ſuſpicetur hæc Paganos, quæ diximus, vetuſtiſſimis Chriſtianis ideo non objeciſſe, quod ab his Euchariſtia minime adoraretur, ſed quod eam à noſtris adorari ipſi neſcirent, quæ tamen vere ab iis adorabatur; id quanquam ſane nulla, ne tenuiſſima quidem, veri ſpecie dici poſſit, nunc antequam progredimur, hoc loco refellendum eſt. Ac primum quæro ſi ille Euchariſtiæ cultus apud Chriſtianos tum erat, vt nunc eſt apud Latinos, ſolennis, legitimus, quotidianus, aſſiduus; ſi fiebat quoties à fidelibus Sacramentum vel videbatur, vel ſumebatur; cur eum vel quomodo Pagani eorumdem temporum neſcire potuerint? Miram tu mihi fingis vel Paganorum ἀναισθησίαν, qui rem apud noſtros, cives & familiares ſuos, ſolennem ſcire tamen nequiverint; vel Chriſtianorum certe religionem, qui quid colerent, veluti eos Dei ſui puderet, tam ſtudioſe homines exteros celaverint. Cur nunc quidem Latinos Mahumedani, & locis & commercio diſſiti Φράγκους eſſe didicerunt; hoc vero ipſum olim fuiſſe Chriſtianos, Pagani ejuſdem ævi Græci Romanique neſcierunt? Vel cur quæſo, Celſus adorari à ſui temporis Chiſtianis Euchariſtiam neſciret, quam Averroës à ſuæ memoriæ Latinis & coli & comedi optime ſcivit? Atqui hunc neque in Latinos quicquam nominatim ſcripſiſſe, neque in eorum res ac diſciplinam inquiſiviſſe accepimus; Celſum ſcimus adverſus Chriſtianos diſputationẽ ex profeſſo edidiſſe, & eorum dogma ac ritus, & litteras vſque adeo curioſe eſſe ſcrutatum, ad eum non modo novi teſtamenti, ſed etiam veteris ſcripturas, 1. neque divinos modo libros, ſed etiam Eccleſiaſticos, vt Papiſci, & Iaſonis ἀντιλογίαν, 2. etiam apocryphos, vt hiſtoriam Iannis & Iambris, 3. & Enochi prophetiam, 4. neque noſtrorum tantum, ſed etiam hæreticorum, vt Marcionis,

1. apud Orig. l. 7. contr. Celſ. p. 379. 387.
2. ibid. l. 4. p. 205.
3. ibid.
4. ibid. l. 5. p. 271.

cionis, 5. Ebionæorum, 6. Marcellianorum, 7. Harpocratiano- CAPVT
rum, 8. Valentinianorum, 9. etiam obſcuriſſimorum, vt Ophiano- XXV.
rum 10. dogmata, myſteria, diagrammata, volumina legiſſe appa- *5. ibid p.280.*
reat; & nonnulla quidem tam arcana ac recondita, vt quemdam hæ- *& l. 6. p. 336.*
reticorum & ordinem à *Martha* 11. dictum, & dialogum, *Cœleſtem* 12. *6. ibid. l. 5. p. 279.*
inſcriptum memoraverit, quem vtrumque ſibi ignotum & incomper- *7. ibid. p. 280*
tum fuiſſe confitetur Origenes, ille noſtrorum facile eruditiſſimus, *8. ibid. l. 6. p.*
tam diffuſæ alioqui doctrinæ, tamque prodigioſæ lectionis, vt ipſis ſui *307.*
temporis Paganis miraculo fuerit. Hunc Celſum, tam ſagacem, tam *9. ibid. p. 300.*
multa & quidem occultiſſima vno noſtris contradicendi ſtudio rima- *10. ibid. l. 5. p. 280.*
tum, ſolennem eorum, ſiquis vere erat, in Euchariſtiam cultum, igno- *11. ibid. l. 8.*
rare potuiſſe, non mirabile tantum, ſed plane eſt incredibile. Primo *p. 399.*
ſuam hanc in Sacramentum religionem, ſi qualis hodie Latinorum
eſt, olim fuit, noſtros occultaſſe ipſos, ab eorum moribus eſt alie-
num. Eos enim viros, quorum ardens in Deum & in res divinas
amor, ſtudium, zelus tam multis experimentis in orbe vniverſo incla-
ruit, abſurdum & indignum, eſt fingere Latinis noſtris tepidiores, ac
timidiores fuiſſe; occultaſſe quod hi oſtentant; erubuiſſe, quo hi glo-
riantur, Principes & cives ſuos celaſſe, quod hi etiam apud Iaponas
& Mogores profitentur. Abſit à nobis, vt ſanctiſſimos ac fortiſſimos
majores illos noſtros tanti flagitij infamia immeritiſſimos aſpergamus;
vel Cæcilio veteri ex Paganis hoſtibus calumniatori credamus,
aut faveamus, de Chriſtianis apud Minutium hoc ipſum mentienti, *Minut.*
dum eos *latebroſam & lucifugacem nationem, in publicum mutam, in* *Oct. p. 20. ex-*
angulis garrulam falſo ac procaciter vocat, & invidioſiſſime quærit; *tr.*
Cur occultare (inquit) & abſcondere, quicquid illud colunt, magnope- *ibid. p. 24.*
re nituntur, cum honeſta ſemper publico gaudeant, ſcelera ſecreta ſint?
Calumnia eſt vtraque impudens & improba. Quod enim Chriſtiani
conventus ſuos religioſos, ſuaque ſacra ſæpe noctu, & antelucanis
temporibus, ſæpe in remotis, aut abditis locis haberent, ne publice
facerent, legum & Principum adverſantium iniquitate & ſævitia pro-
hibiti; id homo Paganus per inſignem nequitiam ita interpretatur,
quaſi noſtri ſua ſponte, ac non coacti, ſuo, non alieno metu, ſuorum
denique motum aliqua conſcientia, non inimicorum vi atque impetio
lucem publicam fugerent. Eo pertinet quod *latebroſam & lucifuga-*
cem nationem appellat, ſuorum ſcelus in noſtros protervè tranſcribens.
Ejuſdem eſt genij quod ſequitur, Chriſtianos fuiſſe *in publicum mutos;*
in angulis garrulos. Atqui veſtra eſt Cæcili, non iſtorum, omnis hæc
culpa. Vos iſtos publicè tacere cogitis; Vos in iſtos, quos dicis, an-
gulos eos compellitis; qui ſacra ſua palam, ac in media hominum
luce colere, exponere, defendere, imo & profiteri graviſſimarum pœ-
narum terrore prohibetis. Timetis enim ne ſi in publico vobiſcum
conſiſtant, ſua brevi perſuadeant, veſtra evertant, voſque vel ad pu-
dorem vel ad ſilentium agant. Denique quod noſtros iſte magnopere

CAPVT XXV. *niti* mentitur *occultare & abſcondere quod colunt*; Pagani hominis nos ex ſe mentientis delirium eſt. Nimirum qui nullam ſine aliquo conſpicuo ac viſibili numine religionem eſſe putaret, aliquid quoque eſſe apud noſtros hujuſmodi ſuſpicatus eſt, quod quid non videbat, abſcondi putavit. Octavius totam calumniam breviſſime quidem, quod putidiſſima ſit atque inverecundiſſima, ſed tamen, vt ſolet fortiter ac dilucide his verbis refellit; *Factioſi* (inquit) *non ſumus, ſi omnes vnum* Minut. in Oct. p. 94. *ſapimus, eadem congregati quiete, qua ſinguli, nec in angulis garruli, ſi audire nos publice, aut erubeſcitis, aut timetis.* Mox paucis interjectis? ibid. p. 95. *Putatis* (inquit) *nos occultare quod colimus, ſi delubra & aras non habemus?* Hæc vero apud ſe ideo nulla videri, non quod *abſcondantur*, ſed quod nulla ſint revera, apertiſſime eo ſignificat, quod hic reſpondens demonſtrat Deo neque ſimulacra, neque victimas conſecrari vel neceſſe eſſe, vel rationi conſentaneum. Suam vero religionem veteres Chriſtianos, ſuum dogma, ſuos ritus, cultuſque adeo non occultaſſe, vt etiam palam atque aperte quoties ſeſe daret occaſio, profiterentur, aperirent, ac vulgarent, ipſi non ſemel teſtantur. Iuſtinus quidem quæ Chriſtus Dominus docuit, ea ſe non modo ipſos accepiſſe ac ſequi ait, *ſed etiam vnicuique diſcere atque noſſe volenti pro eo atque* Iuſt. Apol. 2. p. 43 l. 40. *edocti ſunt candide tradere*, παντὶ βουλομένῳ μαθεῖν, ὡς ἐδιδάχθημεν, ἀφθόνως παραδιδόντες. Ita quoque Tatianus, hactenus quidem ejus diſci- Tatian. cõtr. Gr. Bibl patr. Gr. Lat. T. 1. p. 181. C. pulus; *omnes* (inquit) *audiendi cupidos eodem modo admittimus*, τοὺς γ̃ ἀκροᾶσθαι βουλομένους πάντας οὕτως προσιέμεθα. Tertullianus præſcribit Chriſti Domini hanc eſſe voluntatem, vt revelata à ſe myſteria ejus diſcipuli aperte ac candide prædicent; *Ipſe* (inquit) *præceperat, ſi quid* Tertull. de Præſcript. Hær. c. 26. p. 140. *in tenebris & in abſcondito audiſſent, in luce & in tectis prædicarent. Ipſe per ſimilitudinem præfiguraverat, ne vnam mnam, id eſt vnum verbum ejus ſine fructu in abdito reſervarent. Ipſe docebat, lucernam non ſub modium abſtrudi ſolere, ſed in candelabrum conſtitui, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt.* Ex his domini mandatis Apoſtolos ſumma libertate Chriſtianiſmum apertiſſime promulgaſſe conficit; *Neminem* (inquit) *quod ſcio, verebantur, non Iudæorum vim, non Ethnicorum; quo magis vtique in Eccleſia libere prædicabant; qui in ſynagogis & in locis publicis non tacebant. Imo neque Iudæos convertere, neque Ethnicos inducere potuiſſent, niſi quod credi ab eis volebant, ordine exponerent.* Et ibid. p. 141. A mox negat eos *alium Deum in Eccleſia dixiſſe, alium in hoſpitio; aliam Chriſti ſubſtantiam deſignaſſe in aperto, aliam in ſecreto; aliam ſpem reſurrectionis apud omnes annunciaſſe, aliam apud paucos.* Ita ſe quoque ſui ſæculi Chriſtianos geſſiſſe idem, ſed in alio opere docet; ſacras Scripturas, qui Chriſtiani myſterij fundus eſt, ab iis vltro fuiſſe cum Id. Apolog. c. 31. p. 30. D. extraneis ipſis communicatas ſcribit; *Litteras noſtras* (inquit) *neque ipſi ſupprimimus, & plerique caſus ad extraneos transferunt.* Itaque idem alibi Valentinianorum hæreticorum vafritiem ſugillat, qui ſua abſcondebant, neque aliis, quam quos jam ſubjugarant, ſectæ ſuæ

myſteria

myſteria pandebant, *Nihil magis* (inquit)*curant, quam occultare quod* CAPVT
prædicant ;ſi tamen prædicant, qui occultant. Eo iſtorum inſtitutio- XXV.
nem Eleuſiniis Paganorum in Attica ſacris comparat. Et mox; *Ne* *Id. l contr.*
diſcipulis quidem (inquit)*propriis ante committunt* (ſuum ſcilicet do- *Valent. c.* 1.
gma) *quam ſuos fecerint. Habent artificium quo prius perſuadeant,* *p.289.A.*
quam edoceant. Veritas autem docendo perſuadet, non ſuadendo docet. *ibid.C.*
Eoſdem hac de cauſa *ſerpenti* ſtatim eleganter comparat, *lucifugæ be-* *ibid. c.3.p.*
ſtiæ, per anfractus ſeriem ſuam evolventi, ac tortuoſe procedenti; cui *290. A.*
Eccleſiam continenter opponens; *Noſtra* (inquit) *columba etiam* *ibid.*
domus ſimplex, in editis ſemper, & apertis, & ad lucem. Amat figura
Spiritus Sancti Orientem Chriſti figuram. Nihil veritas erubeſcit, niſi
ſolummodo abſcondi. Qui hunc ſuorum morem, qui hoc veritatis in-
genium eſſe clamat, nihil in ſuæ Eccleſiæ vel fide vel cultu fuiſſe ſi-
gnificat, quod non ſimpliciter, atque aperte ederet ac proferret; &
hoc paulò poſt contra Valentinianos diſputans præſtruit, *aſtute* qui-
dem occultari, quæ *pudenda*; *inhumane*, quæ *honeſta*. Ita ille ſuam *ibid.C.*
diſciplinam & Valentinianos occultaſſe, & Eccleſiam in aperto ha-
buiſſe docet. Obſecro nonne mirabile eſt Celſum, illorum quidem
qui ſua occultabant, dogma (quod paulò ante diximus) ſciviſſe; Ca-
tholicorum cultum, qui ſua clare palam prædicarent, noſſe ac videre
non potuiſſe? Sed & ex his ſatis patet, quam ab illius Eccleſiæ mori-
bus alienum id ſit, quod ea fingitur ſuum in Euchariſtiam cultum oc-
cultaſſe. Cur vero occultaſſet, ſi ſciviſſet? Nihil ea erubuit, quod
Apoſtolis à Domino traditum ſciret; conſcia ex eorum officina quic-
quid prodiſſet, eſſe honeſtiſſimum. Et cum ob Chriſti cultum à Iu-
dæis occiſi noſtros Pagani *hominis cultores* eſſe dicerent, negat eos *Tertul. Apol.*
Tertullianus *de Chriſto erubeſcere*; ac myſterium Dominicæ tum *c.21.p.20.C.*
Theologiæ, tum œconomiæ, id eſt Filij Dei & divinitatem, & incar-
nationem exinde evolvit, vt ſe ſuoſque Chriſti licet cultores, demon-
ſtret, non ideo *hominis*, quod Pagani exiſtimabant eſſe cultores. Illi
ergo ſi, vt Chriſtum, ſic & Euchariſtiam coluiſſent, neque de hac
profecto *erubuiſſent*; ſed ejus quoque myſterium explicaſſent, id eſt
tranſſubſtantiationem, atque ita demonſtraſſent non ideo *panis* eſſe
cultores, quod Euchariſtiam colerent; denique id omnino tum fe-
ciſſent, quod Latinos in hoc negotio nunc facere videmus. Scio, &
confiteor quarti, quintique ſæculi Chriſtianos, Euchariſtiæ & baptiſ-
mi Sacramenta, & ſiquid his eſſet in ſuis ſacris non abſimile quadam
Paganicorum myſteriorum æmulatione in arcano inter ſolos initia-
tos peregiſſe, deq; iis parce ac ſobrie apud exteros verba feciſſe (quod
ipſum tamen non eſt ita accipiendum quaſi iſtorum plane nihil ad ex- **Albaſp.Ob-*
teros etiam ipſis illis temporibus emanarit.) Hoc vero quicquid eſt, *ſerv. l.1.c.13.*
nondum primis tribus Chriſtianiſmi ſæculis (de quibus hîc ſolis diſpu- *p 38. ultr.*
tamus) obtinuiſſe, adeo clarum manifeſtumque eſt, vt Albaſpineum* *med.*
habeamus in hac parte confitentem. Vnus Iuſtinus ad hoc proban- *Iuſtin. Apol.*
2. extr.

Caput XXV. dum ſatis fuerit, qui apud Cæſares & Senatum Romanum verba faciens, totam Euchariſtiæ inſtitutionem ſine vllis ambagibus, aut involucris apertiſſime enarrat; & res,& verba, & panem,& vinum, & cætera ad hoc Sacramentum pertinentia ſæpius memorans; quod nequaquam erat facturus, ſi jam tum apud noſtros invaluiſſet illa quarti ſæculi fidelibus ſolennis circa ſacros Eccleſiæ ritus religio. Idem obſervare eſt in Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Origenis, & aliorum operibus, quæcumque, inquam, illorum Scriptorum vere ſunt. Itaque neque apud hos auctores vſquam reperias illas quarti ſæculi Scriptoribus, quoties in Sacramentorum mentionem incidunt, ſolennes ac perquam familiares formulas, ἴσασιν οἱ μεμυημένοι, οἶδας ὁ μυηθεὶς, *norunt fideles*, & alios ſi forte ſimiles; quæ paſſim apud Chryſoſtomum, Cyrillum, Auguſtinum, & cæteros, qui poſt Conſtantinum vixerunt, in hoc negotio occurrunt; apud vetuſtiſſimos illos, quos dixi, nunquam occurrunt. Quod certiſſimo argumento eſt illum Euchariſtici myſterij ſolis *fidelibus*, ſive *initiatis* aperiendi ac detegendi morem ſero, & ævo demũ Conſtantiniano vnà cum aliis non paucis ritibus ex Paganiſmo fere, aut Iudaiſmo repetitis, in Chriſtianiſmum invectum fuiſſe. Cum ergo neque hæc, neque vlla alia ratio fuerit, quæ trium primorum ſæculorum Chriſtianos ad occultandum Euchariſtiæ cultum obſtringeret, omnino concludendum eſt eos Latinam hanc Sacramenti adorationem, ſi qua tum apud eos in vſu fuit, libere aperteque & factitaſſe, & profeſſos eſſe, neque eam magis, quam ſuam in Chriſtum crucifixum religionem, aut alios ejuſdem generis cultus ſuos, aut cætera denique fidei ſuæ myſteria occultaſſe, vel clam habuiſſe. Hanc ergo Euchariſtiæ adorationem Pagani, ſi à Chriſtianis factitata eſſet, non magis, quam ipſum Domini Chriſti cultum ignorare poterant. Noſtri enim erant Paganis vbique paſſim in civitatibus, in pagis atque oppidis, in iiſdem ſæpe ædibus, atque familiis, imo etiam aliquando cubilibus permixti. Nam ex Chriſti diſciplina & tunc, & ſemper fas juſque fuit homines fideles etiam in infidelium vt ſervitio, ſic & conjugio vivere, conjuges cum conjugibus, dominos cum famulis, famulos cum dominis; ſi infideles quidem paterentur;

1.Cor.7. quod ex Pauli diſerta doctrina notum eſt, & multis ex veteris Eccleſiæ hiſtoria exemplis firmari poteſt. Itaq; cum ſic alij cũ alijs vnà mixti ſimul viverent, Paganos noſtrorum ſacra, ne ſi hi quidem voluiſſent, latere poterant. Quanto ergo proclivius fuit ſua minime diſſimulantium, ſed aperte ac optima fide ſimpliciter profitentium, atque exercentium eos ritus notare ac pernoſcere, qui quotidiani ac pœne aſſidui erant, vt hic Sacramenti cultus eſſe debuit, ſi vllus apud noſtros fuit? Huc accedit quod Pagani noſtros, quos oderant, & pęne perpetuis perſecutionibus vexabant, haud ſegniter aut perfunctorie contemplabantur; ſed in eorum res, maxime vero in mores, ac religionis ritus, vſuſque omnes inquirebant, intentiſque oculis, atque impro-

improba diligentia ſingula curioſiſſime rimabantur, ac explorabant, ſperantes ſe aliquid in iis turpe atque infandum, quo ſuam in eos crudelitatem purgarent, vel certe coloris aliquid reperturos, quo duras leges & carnificinas in Chriſtianum nomen ſuas fucarent. Principum ac magiſtratuum miniſtri in eos vbique ſic vigilabant, vt horum artes atque inſidias vix ac ne vix quidem evitare, oculos fallere, manus effugere poſſent. Sæpe incautos in ædibus privatis vel in latibulis cryptiſque ſuis ad religionis exercitia congregatos, ſæpe ſacris ipſis ſuis operantes deprehendebant, *Tot hoſtes veritatis* (inquit Tertullianus) *quot extranei, & quidem proprie ex æmulatione Iudæi, ex cõcuſſione milites, ex natura ipſi etiã domeſtici noſtri. Quotidie obſidemur, quotidie prodimur; in ipſis PLVRIMVM cœtibus & cõgregationibus noſtris opprimimur.* Arq; hinc ille refellit infanticidij, & Thyeſtearũ epularũ infamiam. *Quis vnquam* (inquit) *taliter vagienti infanti ſupervenit? quis cruenta, vt invenerat, Cyclopum & Sirenarum ora judici reſervavit? quis vel in vxoribus immunda aliqua veſtigia, quis talia facinora, cum inveniſſet, celavit, aut vendidit, ipſos trahens homines?* Eodem in opere ad Nationes, quod Apologetici rudimentum fuit; *Quid* inquit) *cum domeſtice eos* (Chriſtianos) *vobis prodant? Omnes à nullis magis prodimur*; Et paulò poſt; *Quod ſciam, & converſatio notior facta eſt. Scitis & dies conventuum noſtrorum. Itaque & obſidemur & opprimimur, & in ipſis arcanis congregationibus detinemur. Quis vnquam tamen ſemeſo puero ſupervenit?* Iam quod ſæpe contingere hic affirmat, vt ad ſacra ſua congregati opprimerentur à magiſtratuum Paganorum miniſtris, ejus exempla in veteris Eccleſiæ hiſtoria extant, & quædam ſupra ex Afrorum martyrum actis afferre me memini, quæ non repeto. Illud obſervo Tertullianum, infanticidia in ſynaxibus non fieri à ſuis ex eo argumentantem, quod nunquam hæc vel facere vel feciſſe in ipſis cœtibus deprehenſi ſint, apertiſſime ſtatuere & præſtruere non potuiſſe non aliquando contingere, vt noſtri à Paganis in ipſo (vt loquuntur) *facto* deprehenderentur vel infantem trucidantes, vel ejus ſanguinem lambentes, ſi talia apud eos in ſacris congregationibus fieri ſolenne fuiſſet. Ac merito quidem ille hoc ita præſtruit, ac (vt vulgo loquimur) *ſupponit*. Rei enim ipſius per ſe clara neceſſariaque eſt conſecutio. Atqui inde etiam patet illam ſacri panis & calicis adorationem, ſi tum apud noſtros fuiſſet, vt nunc eſt apud Latinos, ſolennis, plane non potuiſſe Paganis eſſe incognitam; quod noſtros eam factitantes non aliquando ab iis opprimi in tanta conventuum frequentia ac multitudine, tantaque eos opprimendi facultate, difficile, imo etiam liquido impoſſibile erat. Quo & illud quoque accedit, quod Euchariſtiam adorantes non in cœtibus modo publicis ac communibus, ſed etiam domi quiſque ſuæ facile à Paganis familiaribus ac domeſticis opprimi ac deprehendi poterant. Cum enim, quod ſupra demonſtratum eſt, Euchariſtiæ particulas plærique ſecum

CAPVT XXV.

Tertull. Apol. c. ? p. ? B

Id. ad Nat. l. 1. c. 7. p. 51. D.

ibid. p. 52.

CAPVT XXV. auferrent, & apud ſe ſervatas domi poſtea pro ſuo arbitrio ederent, edere vero niſi prius adoratas neminem fas ſit (ex eorum diſciplina qui Euchariſtiam numen eſſe latria dignum putant) apparet fieri non potuiſſe, quin noſtri, ſi hunc Latinorum ritum ſequebantur, ſæpe ac pæne quotidie à ſuis domeſticis, interdum etiam ab amicis Paganis, ſubito ac familiariter (vt fit) in eorum ædes ingredientibus, panem ſacrum adorantes deprehenderentur. Tertullianus nos docet vix fieri potuiſſe in convictu quotidiano, vt maritus infidelis vxorem Chriſtianam non obſervaret ſacris Euchariſtiæ particulis mane veſci; *Non ſciet* (inquit) *maritus, quid ſecreto ante omnem cibum guſtes? & ſi ſciverit panem, non illum credet eſſe, qui dicitur?* Atqui panem multo etiam minus adorans latuiſſet, quam guſtans, quod vt liquet adorandi, quam edendi actus notabilior ſit (vt dicam) ac vt obſervari facilior, ita & occultari difficilior. Neque dubito Tertullianum (ſi particulas tum adorari mos fuiſſet) adorationem hoc loco fuiſſe memoraturum, atque ita dicturum, *Non ſciet maritus quid ſecreto primum adores, mox vero ante omnem cibum guſtes?* Si vel hæc ſola eſſent, ſatis vt liquet, demonſtrant Euchariſtiæ cultum (ſi apud vetuſtiſſimos Chriſtianos obtinuiſſet) Paganos latere nulla ratione potuiſſe; non, ſi ipſi Chriſtiani (quod ab eorum moribus alienum erat) ſuam religionem occultare ac extraneos celare omni operæ cura conati eſſent. Sed & adoratum apud noſtros panem ſacrum (ſi adorari ſolenne fuiſſet) etiam ab invitis extorſiſſent tormenta, quibus eos ſubiici & quidem diris atque atrocibus, mos erat in familiaribus illo ſæculo de Chriſtiana religione quæſtionibus; qualiter ſe Plinius cum Bithyniam regeret, narrat *ex duabus ancillis, quæ miniſtræ* (inquit, id eſt diaconiſſæ) *dicebantur, quid eſſet veri & per tormenta quæſiviſſe*; qualiter & noſtrorum Lugdunenſium ſervos paulò ante memoravimus ad tormenta judicum ſententia damnatos, eorum metu quicquid militibus Paganis libuit, in dominorum ſuorum religionem fuiſſe mentitos. Quibus & hoc poſtremo merito à Rigaltio memoratum, addendum eſt, fuiſſe vt alias ſemper, ſic illis etiam temporibus deſertores diſciplinæ & transfugas non paucos, qui Chriſtianiſmum, poſtquam aliquandiu profeſſi erant, plærique quidem ſuppliciorum metu, & præmiorum ſpe impulſi, quidam etiam ſponte vel ex inſita ingenij levitate, vel Paganorum ſeductorum eloquentia, aut ſophiſmatis decepti, vel Eccleſiæ cenſuris irritati, poſtea abiicerent, & ad idololatras tranſirent; qualis ille fuit à Luciano ſub Protei nomine ſalſiſſime deriſus Peregrinus, qui à noſtris ob flagitium in diſciplinam admiſſum notatus ignominiam non ferens ad Ethnicos ſuos, Cynicoſque philoſophos rediit. Ab his certe Pagani, ſiquid à Chriſtianis ſuorum ſacrorum, (quod incredibile ac falſum eſt) occultaretur, id diſcere ac reſciſcere nullo negotio poterant. Ex his Plinius ſe intellexiſſe ſcribit, *hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem.*

Tertull. l. 2. ad Vxor. c. 5.

Plin. epiſt. l. 10. ep. 97. ad Trajan.

Lucian. in Proteo.

Plin. epiſt. l. 10. ep. 97.

lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem, Caput
ſeque Sacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne la- XXV.
trocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent, quibus peractis morem ſibi diſcedendi fuiſſe, rurſuſque coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen, & innoxium. Ab his certe, quos nulla amplius tenebat deſertæ diſciplinæ religio, vt iſta, ſic & Euchariſtiæ adorationem, ſi qua fuiſſet apud noſtros, æque didiciſſent, & Plinius, & cæteri Pagani. Ita demonſtratum eſt Euchariſtiæ adorationem, ſi apud noſtros tum ſolennis fuiſſet, neque ipſos occultaturos fuiſſe, neque etiamſi ipſi occultaſſent, ignoraturos tamen Ethnicos. Vnde illud poſtremo conficitur, validum eſſe ſcilicet, evidens, ac neceſſarium ſuperius illud argumentum, quo non fuiſſe apud vetuſtiſſimos Chriſtianos in vllo vſu hunc Euchariſtiæ religioſum cultum inde concluſimus, quod is nunquam noſtris à Paganis objectus fuiſſe reperiatur. Cum enim hic cultus neque à Paganis ſciri potuerit, quin ab illis vel maxime ac præcipue noſtris objectaretur, neque à noſtris porro factitari, & exerceri in ſolenni religionis vſu ac praxi quiverit, quin hoc ipſum Pagani reſciſcerent; profecto clarum ac perſpicuum eſt Euchariſtiam, neque Paganos, quos ejus cultum nunquam objeciſſe noſtris demonſtravimus, adorari à Chriſtianis ſciviſſe, neque Chriſtianos revera adoraſſe, quam adorare ſcilicet ita occulte non poterant, vt ejus facti notitia ad Paganos non perveniret; Si noſtri Sacramentum tunc adoraſſent, vt nunc adorant Latini, id Pagani ſciviſſent; ſi vero ſciviſſent, & objeciſſent. Non objecerunt; ergo neſciverunt. Pagani neſciverunt; Ergo neque noſtri factitarunt. Paganos ſuum hac in parte ſilentium, vincit neſciviſſe cultam à Chriſtianis Euchariſtiam; Chriſtianos Euchariſtiam minime coluiſſe arguit Paganica rei totius ignoratio. Clara omnia & in ſuperioribus probata. Ergo verum eſt denique & certum, quod ex aliis multis argumentis apparet, illam nunc apud Latinos ſolennem Euchariſtiæ adorationem nullo apud vetuſtiſſimam trium primorum ſæculorum Eccleſiam in vſu fuiſſe.

CAPVT XXVI.

Argumentum XXVI. Quod Patres primorum trium ſæculorum nonnulla Paganis obiiciant quæ objecturi non erant, ſi Euchariſtiam adoraſſent; vt quod ſit ἀνόσιον *id, quod adoratur, comedere; item id ipſum adorare, quod ſacrificamus; & adorare id quod paſcimus, & Deum vel homine veſci, vel liberos ſuos glutire.*

SED nunc etiam poſtremo inſpicienda eſt altera Eccleſiaſticæ cum Ethnicis diſputationis pars; in qua noſtri ſcilicet horum infidelitatem ac idololatriam oppugnant; ac vt ea conſideravimus, quæ noſtris Pagani; ita viciſſim quæ Paganis noſtri objecerunt, intuenda ſunt. Hic vero quædam occurrunt, quæ non fuiſſe adoratam à Chriſtianis Euchariſtiam, etiam clarius quam ſuperiora confirmant. Multa jam antea & quidem validiſſima attulimus, ſed quæ aliorum quoque erant cum hoc Sacramenro communia. Nunc quæ ſunt Euchariſtiæ propria afferenda ſunt. In eo cenſui illud nunc mihi primum occurrit, quod Origenes Ægyptiorum de animalium cultu inſaniam refellens; id inde conſequi obiicit, quo nihil dici poſſe putat abſurdius; nimirum vt vnus idemqne vir aliquid & pie & ſancte, & impie ac impure ſimul facere dicendus ſit, pro variis ſcilicet ac contrariis aliorum atque aliorum eadem de re legibus. Hoc autem ille ex diverſis Ægyptiorum civitatum inſtitutis ac religionibus concludit. Ait enim (quod ex aliis quoqne auctoribus conſtat) vnam quidem harum civitatum crocodilum coluiſſe, aliam vitulum; fuiſſe & quæ hircum putaret eſſe Deum; Iam quæ crocodilum colebat, apud eam fas fuiſſe iis, quæ apud alias colebantur, animalibus, puta vitulo, aut hirco, veſci; ὅσιον γὰρ παρὰ τοῖσδε μὲν σέβειν κροκόδειλον, ἐσθίειν τῶν παρ' ἄλλοις τι προσκυνουμένων. καὶ ὅσιον ἑτέροις τὸ σέβειν τὸν μόσχον. καὶ παρ' ἄλλοις τὸν τράγον νομίζειν θεόν. Siquis ergo de crocodili cultoribus vitulina aut caprina veſcatur, eum & ſummæ impietatis & nullius ſimul ſemelq; reū fore; pium ex ſuæ, impium ex aliorum civitatum legibus. Atque ita quidem Origenes; ἀνόσιον impium & impurum eſſe liquido ſtatuens id, quod adoratur, comedere. Nam ſi rem vnam eandemque & comedi & adorari fas ſanctumque eſt (quod Latini nunc putant) apparet qui *vitulo*, vel *hirco* veſceretur, hunc ne apud eos quidem jure impium dici poſſe qui vitulum, aut hircum colunt; vt Latini Euchariſtiam, qui ederit, nihil hoc eum in pietatem admiſiſſe putant, ſi nihil aliud ſit; etiamſi Euchariſtiam pro Deo colant. Origenes ergo qui ejus rei, quæ apud aliquos colitur, vocatorem, τὸ ἐσθίοντα τῶν παρ' ἄλλοις τι προσκυνουμένων, cum apud illos, à quibus res illa colitur, impium & cen-

Orig. contr. Celſ. l. 4. p. 259. init.

& cenſeri & eſſe dicit; profectò nondum hoc recens Latinorum mirabile myſterium ſciebat, quo pie ſanctéque id ipſum edi ſtatuunt, quod adoratur & pro Deo habetur, eoque putant numen non modo non lædi, ſed etiam religioſiſſime coli. CAPVT XXVI.

Tatianus idololatris id velut impium & abſurdum exprobrat, quod rem eandem & adorarent & ſacrificarent. *Tu mactas* (inquit) *ovem, & eandem adoras,* θύεις πρόβατον· τὸ δ' αὐτὸ καὶ προσκυνεῖς. Hæc ita diceret, ſi cum Latinis, quam ſacrificaret Euchariſtiam, eandem ipſe quoque Latria adoraret? Sic quoque apud Minutium Octavius Ethnicos ridet; *Boum* (inquit) *capita & capita vervecum & immolatis & colitis.* Vterq; *immolationẽ* opponit *adorationi*; Vterq; alterã cum altera cõponi, aut cõſiſtere non putat; Vterq; abſurdũ & indignũ eſſe ſtatuit, vt quod quis immolat, id adoret, vel id immolet quod adorat. Atqui hoc ipſum faciunt Latini Euchariſtiã eandem & adorant & immolant; & quam religioſiſſime diviniſſimo latriæ cultu adorarunt, eam ſtatim immolant; neque vllum Deo à ſe offerri ſacrificium melius aut magis legitimum arbitrantur. Non ergo Latinorum conſectanei Tatianus, & Octavius; qui non potuerunt diſertius negare Euchariſtiam à ſe coli, quam cum vt ſtultum & abſurdum exagitant id adorare, aut colere quemquam, quod immolet. Neque vero ſuſpicandum eſt aliud ſenſiſſe eorumdem temporum Eccleſiam. Abſit vt exiſtimemus viros diſertiſſimos id velut ineptum & impium objectaſſe Paganis, quod ſcirent ſuos vt pium & ſanctum, quotidie factitare. Iam nemo dubitat, quin veteres ſecundi & tertij ſæculi Chriſtiani Euchariſtiam obtulerint Deo, in ſacrificium (tametſi ſenſu longe alio, quam quo nunc Latini id ſe facere & profitentur & intelligunt.) Cum igitur iidem illi veteres, quod immolamus, id à nobis adorari nefas putent; neceſſario confitendum eſt eos Euchariſtiam non modo non adoraſſe, ſed neque à ſe adorari fas ſanctumque putaſſe. Neque illud quod paulò poſt apud Minutium ſequitur, ſatis verecunde ab eo homine dici in Ethnicos videtur, qui eo, quod colit, veſcitur; *Nonne* (inquit) *& Apim bovem cum Ægyptiis & adoratis & paſcitis?* Idem & paſcere & adorare abſurdum, vt liquet, eſſe cenſuit. Sed ſi hoc abſurdum eſt, illud profectò longe etiam abſurdius videtur, vt Euchariſtiam adores, qua paſceris. Ergo ſi eam adoraſſet Octavius, caviſſet ab hoc joco; neque Ægyptiis dixiſſet, *Nonne quem paſcitis adoratis?* ne illud ſtatim, quod obvium erat, audiret, Vos vero nonne id quo paſcimini adoratis? Paſcere nos, quem adoramus, certe humanum eſt; Quod adoratis, eo paſci, id vero inhumanum & dirum eſt. Denique & illud poſtremo ejuſdem generis occurrit, quod noſtri illi veteres Paganis de Saturno liberos ſuos vorante, deque Pelope Diis in cibum appoſito non ſemel invidiam faciunt; *Apud vos* (inquit Tatianus) *Pelops Deorum epulis apponitur, etſi adamatus à Neptuno, & Saturnus filios devorat, & Iuppiter Metin deglutit.* παρ' ὑμῖν ὁ Πέλοψ δεῖπνον τῶν θεῶν.

Tatian. orat. contr. Græc. Bibl. Patr. Gr. Lat. T. 1. p. 167. B.

Minut. in Oct. p. 86.

ibid. p. 85.

Tat. orat. ad Gr. Bibl. patr. Gr. Lat. T. 1. p. 177. D.

CAPUT XXVIJ. θεῶν γένος, καὶ Ποσειδῶνος ἐρώμενος, καὶ Κρόνος τοὺς υἱοὺς ἀναλίσκει, καὶ ὁ Ζεὺς τὴν Μῆτιν καταπίνει. Et noſter Minutius; cum Paganis objeciſſet, quod apud eos gravidæ conceptum vtero fœtum medicaminibus epotis ſæpe extinguerent, *Et hæc vtique* (inquit) *de Deorum veſtrorum diſciplina deſcendunt. Nam Saturnus filios ſuos non expoſuit, ſed voravit.* Hæc illi. At cujus quæſo pudoris eſt, qui Deum ipſe tuum quotidie comedas, iſta te aliis veluti non ferenda exprobrare? Quaſi vero ſit indignius Deo hominem (quod illi dicunt) quam homini, quod tu mavis, Deum epulandum apponi! vel quaſi dirius ſit ac funeſtius liberis ſuis (quod apud Paganos Saturnus ſemel & iterum fecit) quam Deo ſuo (quod vos quotidie facitis) quemquam veſci! Si hæc ergo Tatianus & Minutius & crediidiſſent ipſi, & apud ſuos ſolennia ſciiſſent, nunquam illa profecto Scriptores ambo graviſſimi atque prudentiſſimi, Ethnicis objecturi erant. Objecerunt, vt liquet; Ergo nullum ipſi Deum ederunt, nullum à ſuis edi ſciverunt.

Minut. in Oct. p. 98.

CAPUT XXVII.

Argumentum XXVII. Quod vetuſtiſſimi Chriſtiani invidioſiſſimũ anthropophagiæ crimen, cujus nomine diræ in eos perſecutiones à Paganis excitabantur, vel refellentes, vel à ſe ſuiſque audiente ſed ſimpliciter negant, neque Euchariſtiæ negotium, quod ad calumniam diluendam explicari neceſſe erat (ſi cum Latinis de eo ſenſiſſent) vſquam talibus in locis memorant.

SED & hoc ſatis videtur ab Euchariſtiæ adoratione abhorrere, quod de Thyeſteis illis dapibus toties tamque invidioſe pulſati vbique ſimpliciter ac præfracte nulla plane quod meminerim, vſpiam adhibita diſtinctione negant ſe ἀνθρωποφαγεῖν. Παρ' ἡμῖν οὐκ ἔστιν ἀνθρωποφαγία (inquit Tatianus) ψευδομάρτυρες οἱ ὑπὲρ τοῦ δὲ ἐμῷ ἐνι γεγόνατε. *Apud nos non invenitur anthropophagia. Falſi teſtes hoc crimine contra nos confiſto deprehenſi eſtis.* Sed ſi Euchariſtiam adorabant, tanquam quæ Chriſtus ipſe eſſet; quoties eam ſumebant, hominem comedebant. Eſt enim Chriſtus verus homo. Neque ſi idem Chriſtus, qui homo, vere quoque Deus eſt, eo negandum eſt, qui Chriſtum comedit, hominem eum comedere. Hoc tantum in hoc iſtius eſu ſingulare eſt, quod quem is edit, non merus nudusque homo eſt, ſed vnà & homo & Deus, id eſt vt Græci vno nomine ſignificant, θεάνθρωπος. Quo & illud accedit, quod qui Euchariſtia veſcitur, is non vnam aliquam, aut plures hominis partes ſigillatim comedit (vt cæteri qui apud gentes vulgo dicuntur *anthropophagi*) ſed hominem totum, atque integrum, nulla ſui parte minutum, glutit, atque abſorbet; quod neſcio an anthropophagiæ vel nomenclaturam mutare, vel crimen minuere,

Tatian. orat. ἀδυ. gr. Bibl. Patr. T. 1. Gr. Lat. p. 177. D.

aut

aut elevare poſſit. Hoc ſcio, neminem qui hominem ita comedere aut comediſſe dicatur, reperiri vel in fabuloſo, quod memorat Tertullianus, Cyclopum & Sirenarum, vel in vero, quod nos ſcimus, Caribum & aliorum apud Americam ἀνθρωποφάγων genere. Hæc veteres de ἀνθρωποφαγίᾳ à Paganis accuſati evolverent, ſi Euchariſtiam quam comedebant, adoraſſent; Deumque & hominem θεάνθρωπον revera eſſe cum Latinis ſenſiſſent; hæc vt poſcebat candor, ſimpliciter ac ingenue expoſuiſſent, ac illam ſuam rei divinæ & adoratione ſumma dignæ & à ſe ipſis cultæ dictu miram & horrificam manducationem quæſitis & comportatis vndique rationibus, quod nunc Latinos ſtudioſiſſime facere videmus, apud infideles emollire conati eſſent; Demonſtraſſent eam, vtvt horrida & immanis dictu videatur, nihil tamen revera horrendum, nihil immane, vt à ſe fiebat, continere; ac vt hoc confirmarent, totam rei, vt ſic dicam ſcenam aperuiſſent, hominem illum Deum, non ſub hominis, ſed ſub panis vinique familiarium alimentorum ſpecie, à ſe ſumi, ſic vt hominis nullos artus, nullum cruorem in eo cibo vel oculi videant, vel manus contrectent, vel dentes denique ipſi ſentiant; ſuo illo Sacramenti eſu non Deum, non hominem lædi; non ejus carnes diſcerpi, quod dixit Averroës, non ſanguine ora aut fauces cruentari aut pollui; integrum & inviolatum numen in ſua præcordia deſcendere, hanc admirabilem viam machinatum, qua noſtris inteſtinis, totique corporis ſubſtantiæ per intimum ſuæ divinitatis contactum, immortalitatis ſemina affricet. Hæc, inquam, quæ nunc Latini apud ſuos magna pompa explicant vt ſuæ θεανθρωποφαγίας horrorem deleant, attuliſſent quoque & oratione expoliiſſent veteres Chriſtiani, ſi eadem de hoc myſterio cum Latinis ſentiſſent. Neque enim iis minor quam his erat, vel ad judicandum prudentia, vel ad inveniendum & excogitandum ſolertia, vel ad eloquendum & explicandum copia ac facundia. Ac eo quidem impenſius ſic egiſſent, quod hæc ita ab ipſis exponi & illuſtrari flagitabat non ſola vt nunc fere apud Latinos, ſuorum in ſuſcepto dogmate confirmatio, non ſola auditorum delectatio, aut ſuæ eloquentiæ, ac eruditionis oſtentatio; ſed ſumma quædam, quaque nulla major eſſe poterat, rerum, ipſarum neceſſitas. Cum enim Pagani ſparſum hunc de Chriſtianorum ἀνθρωποφαγίᾳ rumorem avide exciperent, eoque nomine noſtros (quod eſt in Lugdunenſium actis) *efferati* τεθηριωμένοι crudeliſſime vexarent, tormentiſque & cruciatibus & ſuppliciis immanibus necarent; quis non intelligit à noſtris Chriſtianam & in ſuos, & in alienos caritatem popoſciſſe, vt ad hanc adverſariorum & judicum rabiem aut ſedandam, aut certe nonnihil leniendam nervos omnes contenderent, neque quicquam in hac cauſa omitterent, quo ille Ethnicorum de noſtris ritibus error, vnde cætera mala plæraque omnia exiſtebant, ex eorum animis revelli poſſet? Iam vero ſi Euchariſtiam noſtri eo loco ac numero habebant, quo nunc habent Latini,

CAPVT XXVII.

CAPUT XXVII.

tini, clarum eſt nihil ad errorem illum diſcutiendum, nihil ad eum ſi non plane tollendum, certe minuendum & temperandum futurum fuiſſe efficacius, quam ſi omnis illa, quæ noſtrorum fuiſſe fingitur, de Euchariſtiæ divinitate, adoratione, ac manducatione ſententia, plane ac nude aperiretur. Ea enim ſemel percepta Ethnici primo omnes intellexiſſent nihil in noſtrorum ſacris eorum ſimile fieri, quæ ipſi antea falſis rumoribus decepti crediderant; Quoſdam fortaſſe ipſa novi & inauditi myſterij peregrinitas cepiſſet. Cæteri certe noſtros falli, errare, delirare, qui hæc docerent, putaſſent; noxios & vere alicujus in publicas leges criminis reos eſſe non putaſſent. Intellexiſſent enim hæc *ſi falſa & inepta ſint, nulli tamen* (quod in alio argumento dicit Tertullianus) *eſſe noxia. Multis alijs ſimilia eſſe, quibus nullas* ipſi *pœnas irrogarẽ, vanis & fabuloſis, inaccuſatis & impunitis, aut innoxiis; In ejuſmodi, ſi vtiq; irriſu, non* certe *gladiis, & ignibus, & crucibus, & beſtijs eſſe judicandum.* Intellexiſſent omnem illam tam auditu terribilem atque horrificam noſtrorum θεανθρωποφαγίαι nulli neque Deo, neque homini, ac ne vlli quidem animanti vitam eripere; & illas ex humanis, diviniſque carnibus epulas ſola exigui panis, & pauxilli vini pernicie, citra cujuſquam viventis cædem ad noxam tranſigi; vt nemo, quantumvis caſtus, religioſuſque Pythagoreus, eſſet, cui non liceret ſalvis magiſtri decretis illam noſtrorum anthropophagiam exercere. Quis dubitat, quin vt erat humana Romanorum & Græcorum gens, ſi non omnes, certe plæroſque hæc defenſio flexura, furoremque eorũm in noſtros miſeratione, iras riſu ſolutura fuerit, vt quos hactenus, veluti veros anthropophagos, oderant, eos deinceps vt deliros & imaginoſos, etiam miſerarentur, qui pane veſcentes Deum ſe & hominem comedere, & in cibo inanimato viventem conficere confidebant; errore ejus fere ſimili, quo ſuum Ajacem in ſcena ſæpe ſpectaverant Græcorum ſe proceres in pecudibus mactare gloriantem; vel quo ſuos Pythagoræos ſomniare audiebant in pavonibus & vervecibus, qui his veſcitur, cum homines, ſæpe avos & parentes ſuos, cœnare. Omnes ergo jam vident illam de anthropophagia accuſationem omnino à noſtiis (ſi eorum quidem de hoc Sacramento eadem fuit quæ eſt Latinorum ſententia) requiſiviſſe atque flagitaſſe, vt ſuam omnem de Euchariſtia doctrinam aperte apud Ethnicos expromerent. Eſt enim hæc de Chriſti in Sacramento eſu ſententia cum illa veteri Paganorum in noſtros cri ninatione ita conjuncta, vt hanc ex illa ortam fuiſſe non pauci (tametſi temere quidem illi & falſo) ſuſpicentur. Illud certe veriſſimum atque certiſſimum eſt veteres ſi id, quod edebant Sacramentum, adorabant, idque vere ac (vt loquuntur) *ſubſtantialiter* Deum & hominem eſſe credebant, quoties de anthropoj hagia conveniebantur, neceſſario debuiſſe ad hoc purgandum crimen, illa de Euchariſtia quæ nuper dixi, afferre ac diligenter explicare. Atqui nihil eos vnquam hujuſmodi feciſſe videmus. Hanc

Tertul. Apol. c.49. p.44. A

caußam

CAPVT XXVII.

cauſam plærique egerunt; Iuſtinus, Tatianus, Athenagoras, Minutius, Tertullianus, & in his quidam copioſe atque accurate; etiam Biblis* in ipſo martyrio crimen, cum obiiceretur, egregie quanquam paucis, refutavit; Origenes quoque, & ex proximis, qui Conſtantino imperante floruerunt, Euſebius. Sed nemo iſtorum eſt, qui de Euchariſtia vel vnum in tota hac cauſa verbum fecerit. Crimen illi, quod diximus, nude ac ſimpliciter inficianrur; perinde vt is, quem nuper exhibuimus, Tatianus. Argumenta colligunt, quibus calumniam refellant, ab incredibili, à ſuis ipſorum legibus, cædem omnem, ac crudelitatem, ſanguinis nominatim eſum vetantibus, ab eorum in ſe odio, qui hæc ſpargunt; Negant tale quid vnquam in ſuis cœtibus deprehenſum, vel vllum tanti ſceleris indicium, aut veſtigium in viris, aut mulieribus Chriſtianis viſum eſſe; Denique plane ita ſe purgant, vt ſe nunc purgarent noſtri (quas Calviniſtas Latini appellant) ſi ejuſdem criminis accuſarentur; modo vnum illud exceperis de interdicto ſanguinis eſu, quod veteres quia obſervabant, prudenter attulerunt; nos certe non afferremus, qui non obſervamus. Quod vero alicubi dicit Petronius Iuſtinum, vt calumniam de infanticidio purgaret, Euchariſtiæ myſterium expoſuiſſe; id merum iſtius figmentum eſt, vt Iuſtini apologeticum legenti patet. Is enim Scriptor meminit quidem calumniæ; ſed ita, vt veluti fabuloſam, à ſe ſuiſque repellere contentus, in ea operoſe confutanda minime immoretur; ſcribens *ſe neſcire an* hæretici, quos memoraverat, *infamia illa, & fabuloſis in vulgus ſparſa ſermonibus facinora in ſe admittant, lucernæ everſionem, & promiſcuos concubitus, & humanarum carnium viſcerationes*; εἰ δὲ καὶ τὰ δύσφημα ἐκεῖνα μυθολογούμενα ἔργα πράττουσι, λυχνίας μὲν ἀνατροπὴν, καὶ τὰς ἀνέδην μίξεις, καὶ ἀνθρωπείων σαρκῶν βορὰς οὐ γινώσκομεν. Veri autem nominis Chriſtianos ab his omnibus ſceleribus ita eſſe alienos oſtendit, vt infantes recens natos exponere, aut puellas ad ſtuprum alere vel vendere, quod apud Ethnicos licebat, ipſi grande nefas putent. Eo queritur Paganos, quæ ipſi palam atque impune faciant, ea falſo ac impudenter noſtris adſcribere; ſibi vero *calumniā, qui longe ab hujuſmodi ſceleribus admittendis abſint, nihil afferre detrimenti, ſed patratoribus ipſis & falſo teſtificantibus plurimum.* Huc quoque fortaſſe pertinet, quod paulò poſt conjugiorum apud nos honeſtatem, imo & virginitatis, & omnimodæ à venere abſtinentiæ ſtudium & aſceſin prædicat. Hæc ibi Iuſtinus contra infanticidij calumniam breviter. Poſtea nulla Euchariſtiæ facta mentione cum omnia alia diu egiſſet, ac Chriſtianiſmi veritatem multifariam ex Scripturæ oraculis demonſtraſſet, de Domino Ieſu plura fuſe explicaſſet, & paginas in his ſcribendis non pauciores quam viginti conſumpſiſſet, de baptiſmo, deque ea ratione qua noſtri neophytum initiarent, abunde præfatus, conſequenter exponit vt ſacro lavacro tinctus ad fratrum conventum duceretur; & ex ea occaſione, quæ eſſet illorum conventuum

Iuſtin. Apol. 2. p. 54. *Tatian orat. ad Gr* p. 177. D. *Athenag. leg. pro Chriſt.* p. 52. D. *Minut. in Oct.* p. 23. *Tertul. Apol.* c. 7. *Orig. contr. Celſ.* l. 6. p. 3?2. 311. *apud Euſeb. Hiſt.* l. 5. c. 1.

Iuſtin. Apol. 2 p. 54. lin. 36.

ibid. paſſ. l. 40.

ibid. p. 55. l. 10

ibid. l. 35.

ibid p. 76. l. 13.

ratio enarrans illum habet de Euchariſtia ſermonem, quem Perronius præter omnem veri ſpeciem hariolatur ad purgandam de infanticidio calumniam habitum eſſe. Atqui Iuſtinus neque de Euchariſtia quicquam dicit, vbi calumniæ illius meminit; neque de hac calumnia verbum vllum facit, vbi Euchariſtiæ ordinem exponit; & interjectæ ſunt inter vtrumque locum paginæ vna & viginti. Vide jam quam ſit probabile Perronianum commentum. Cum ergo neque hic Iuſtinus, neque Athenagoras & Tertullianus, qui multo quam cæteri diligentius, hoc crimen purgant, neque Minutius, aut Clemens, aut alij, qui vel obiter & paucis attigerunt, vel etiam fuſius & pluribus executi ſunt, vllam in hac ſua defenſione faciant Euchariſtiæ mentionem; nemo non intelligit non fuiſſe eam apud veteres illos adoratam, & pro Domino Chriſto habitam; quo loco ac numero ſi eam cenſuiſſent, ipſa profecto conſcientia coëgiſſet ἀνθρωποφαγίας accuſatos, explicare, quo modo, quaque ratione Chriſti veri hominis, ipſas illas carnes, quas in myſteriis adorarent, comederent, neque ideo tamen ejus criminis rei habendi eſſent, quod vulgo ἀνθρωποφαγίας nomine intelligimus.

CAPVT XXVIII.

Gentilium de anthropophagia, Thyeſteis dapibus, & Oedipodeis commixtionibus adverſus noſtros calumniam, non eſſe ex Euchariſtiæ occaſione, quod nonnulli hariolantur, exortam; ſed ex Carpocratianorum nefariis ſacris, & promiſcuis inter ſe libidinibus. Oecumenij diverſa ea de re, velut ex Irenæo traditio, refellitur.

HINC etiam illud, quod obiter paulò ante attigi, conſtare poteſt falli ſcilicet eos, qui ex occaſione creditæ à veteribus tranſſubſtantiationis putant ſparſam à Paganis fuiſſe in noſtros de Thyeſteis dapibus calumniam. Nam ſi eam illi credidiſſent, omnino erant, quod demonſtravi Euchariſtiam in hac ſua defenſione memoraturi; quanto magis ſi ex illa proprie occaſione orta eſſet & propagata criminatio? Atqui veteres nuſquam cum hanc agunt cauſam, de Euchariſtiæ ſacro verba faciunt. Huc accedit, quod ſi hæc Latinorum quę veteribus affingitur opinio, calumniæ anſam ſycophantis dediſſet; omnino qui eam ſparſerunt, non edi tantum à Chriſtianis infantem illum, ſed etiam *adorari* priuſquam ederetur, dixiſſent, ad augendam ſceleris invidiam. At dixiſſe occiſum, & membratim diſcerptum, & *avide voratum*. Minutius, & cæteri tradant; *Adoratum* dixiſſe, nemo. Sed & Chriſtum, ſi vere in agapis comedi vel audiviſſent vel putaſſent, cur *infantem* potius quam *virum* apud noſtrorum epulas mactari, & cœnari,

cœnari, ſpargerent? Certe Chriſtus in myſteriis non vt infans, ſed vt vir mortem in cruce paſſus celebratur. Poſtremo id vel maxime eam conjecturam refellit, quod veterum, qui de Thyeſtearum epularum calumnia omnes fere loquuntur, nemo ejus occaſionem noſtrorum Euchariſtiæ imputat; quidam etiam ex aliis ortam diſerte docent; quorum alterum temerariam, alterum inſuper falſam eſſe hanc ſuſpicionem arguit. Juſtinus [a], qui ter hujus calumniæ meminit Lugdunenſis apud Euſebium [b], Athenagoras Athenienſis [c], Theophylus Antiochenus [d], Minutius Fœlix [e], Tertullianus [f], qui rem eandem omnes memorant, quidam etiam vt Athenagoras, Minutius, & Tertullianus fuſe & ex profeſſo confutant; vnde nata ſit, & qua occaſionē in noſtros primum ſparſa tacent. Theophilus tantum ait *ab inſanis ſycophantis* eſſe profectam; Minutius non alium auctorem, quam diabolum, neque aliam cauſam, quam Chriſtianiſmi odiū edit. *His (*inquit*) & ejuſmodi fabulis, iidem dæmones ad execrationis horrorem imperitorum aures adverſus nos referſerunt.* Clemens vero Alexandrinus occaſionem calumniæ diſerte docuit; natam ſcribens, non ex fictitia orthodoxorum de cultu Euchariſtiæ opinione & praxi, ſed ex Carpocratis, & Epiphanis abominando dogmate; *ex his (* inquir)*contra nomen* (id eſt contra veram Chriſti profeſſionem)*maximum illud emanavit probrum.* ἐξ ὧν ἡ μεγίστη τῷ τ̃ ὀνόματος ἡμῶν βλασφημία. Neque mirum Paganos, qui quæ hæreticorum erant propria, ſive imprudentes per ignorantiam, ſive etiam ſcientes per deſtinatam animi improbitatem; omnibus, etiam veris & orthodoxis Chriſtianis tribuebant (vt ex Celſi exemplo Marcionis & Ophianorum deliria noſtris paſſim adſcribentis apud Origenem diſcimus nō eſt inquam, mirum Paganos, ſic affectos illa nefanda de noſtris credidiſſe & ſparſiſſe. Nam nocturnas Carpocratianorum agapas Clemens plane tales fuiſſe tradit, quales Chriſtianis a Paganis affingebantur; in quibus vna extincto & lucernarum lumine, & hominum pudore, viri mulieresque dapibus & vino accenſi in promiſcuam, venerem ruerent; ἐκποδὼν ποιησάμενοι φῶς τῇ τ̃ λύχνου περιτροπῇ μίγνυνται ὅπως ἐθέλοιεν αἷς βούλοιντο. Huc etiam nonnihil contuliſſe oſculi apud Chriſtianos ſolennis, tametſi per ſe caſtam & inſontem, conſuetudinem idem alibi ſignificat, ſcribens, *hoc moviſſe turpem ſuſpicionem & maledicentiam, quod impudenter oſculo vterentur (* quidam ſcilicet ex noſtris *) quod eſſe oportebat myſticum.* καὶ γὰρ δὴ καὶ τοῦτο ἐκπέπληχεν ὑπονοίας αἰσχρᾶς καὶ βλασφημίας, τὸ ἀναιδῶς χρῆσθαι τῷ φιλήματι, ὅπερ ἐχρῆν εἶναι μυστικόν. Irenæus Scriptor ejuſdem cum Clemente ſeculi, in Carpocratianos quoque non obſcure coniicit ejuſdem calumniæ cauſam; qui vbi de hac hæreſi agit, ait *ipſos ad detrectationem divini nominis & Eccleſiæ, quemadmodum & gentes, à Satana præmiſſos eſſe; vt (* inquit *) quæ ſunt illorum audientes homines, & putantes omnes nos tales eſſe, avertant aures ſuas à præconio veritatis, aut vt videntes quæ ſunt illorum, omnes nos blaſphement,*

CAPVT XXVIII.

a Iuſti. Apol. 2 p. 54 Apol. 1. p. 39. L. 15. cētr. Thryph. p. 172. l. 23.
b Euſeb. Hiſt. L. 5. c. 1. p 45. A. 46. A
c Athenag. leg. T. 1. Bibl. PP. Gr. La. p. 52. D. 76. l.
d Theoph. ad Autol. l. 3. Bibl. Patr Gr. Lat. T. 1. p. 143 C.
e Minu. in Oct. p. 23. 25.
f Tert. Apol. c. 7. 8.
Clem. Alex. Strom. l. 3. p. 428 B.
apud Orig. l. 6. contr. Celſ.
ibid. p. 430. D
Iren l. 1. c. 24. p. 122. A.

CAPUT XXVIII. *in nullo eis communicantes, neque in doctrina, neque in moribus, neque in quotidiana converſatione. Blaſphemias* in Chriſtianos intelligit, calumnias de illis Oedipodeis inceſtiſque poſt dapes Thyeſteas libidinibus in noſtros ſparſas. Et ſane horrenda ſunt, & Clementis teſtimonio conſentanea, quæ ſtatim de illorum Apoſtolorum dogmate ac flagitiis ſubiicit. Origenes Satanicas illas ſycophantias à Iudæis contra noſtrum genus jam inde ab initio ſparſas fuiſſe dicit, κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ χριστιανισμοῦ τῆς διδασκαλίας, *ab initio doctrinæ Chriſtianæ*; Occaſionem ſpargendi rumoris Iudæos ab hæreticorum quorumdam flagitiis atque impietatibus arripuiſſe, non dicit ille quidem diſerte, ſed eo tamen ſatis aperte ſignificat, quod in ipſo loco Iudæis iſtis Celſum comparet nobis Ophianorum blaſphemias ad inuidiam adſcribentem. Euſebius vero Irenæum & Clementem ſequens apertiſſime rem explanat. Recitatis enim ex illo Irenæi de Carpocrate loco non paucis, addit fama de flagitioſa Carpocratianorum vitæ ratione paſſim diſſipata turpem ignominiæ notam vniverſæ Chriſtianorum multitudini fuiſſe à Diabolo inuſtam. Inde *namque* (inquit) *accidit; vti nefaria quædam opinio de nobis excitata, eaque ab omni ratione alieniſſima, per infidelium animos longe lateque pervaderet, quod videlicet tum nefando concubitu matres & ſorores violare, tum etiam ſcelerato quodam alimenti genere vti non vereremur.* ταύτῃ δ' οὖν ἐπὶ πλεῖστον συνέβαινε τὴν περὶ ἡμῶν παρὰ τοῖς τότε ἀπίστοις ὑπόνοιαν δυσσεβῆ καὶ ἀτοπωτάτην διαδίδοσθαι, ὡς δὴ ἀθεμίτοις πρὸς μητέρας καὶ ἀδελφὰς μίξεσιν ἀνοσίαις τε τροφαῖς χρωμένων. Epiphanium, & ſi qui de ſequentibus ſæculis paria ſenſerunt, non deſcribo. Hæc ſatis ſunt ad refellendam omnem de Euchariſtia in hoc negotio ſuſpicionem. Baronius quidem certe ex hæreticorum flagitioſa & doctrina & vita profluxiſſe omnem illam calumniam non tantum aſſentitur, ſed etiam fuſe probat. Neque me, vt aliud ſentiam, movet Oecumenius, qui ad Ethnicorum de Chriſtiano circa Euchariſtiam dogmate παράκουσμα illam eorum in noſtros ſuſpicionem ac calumniam refert; & quidem hoc velut ab Irenæo acceptum tradit. *Cum Græci* (inquit, id eſt gentiles) *Chriſtianorum catechumenorum ſervos apprehendiſſent, & vim facerent vt arcanum aliquid de Chriſtianis ab his diſcerent; cumque hi ſervi nihil quidem haberent, quod ad cogentium voluptatem ac gratiam dicerent, audiviſſent vero ab heris ſuis divinam communionem eſſe ſanguinem & corpus Chriſti, ipſi putantes quod revera eſſet ſanguis & caro* * *hoc ipſum inquirentibus enunciarunt. Illi vero hoc ita accipientes, quaſi hoc vere, & in re ipſa* †, *à Chriſtianis perageretur, id apud alios quoque Græcos evulgabant; & Sanctum ac Blandinam, vt id ipſum confiterentur tormentis ſubigere conabantur; ad quos ſcite ac libere Blandina, Quomodo hæc* (inquit) *ferrent, qui ob aſceſin, ſive exercitationem ne conceſſis quidem carnibus fruuntur?* Hæc ille. Ego quidem Oecumenium inprimis laudo, quod hanc calumniam manaſſe tingit, non ab ipſo Chriſtianorum dogmate, quaſi ipſi ſenſerint Euchari-

Orig. contr. Celſ. l. 6. p. 302.

Euſeb. Hiſt. l. 4. c. 7. p. 35. A.

Epiph. hær. 22.

Bar. a. D. 120. § 22. & ſeqq. & a. 179. § 44.

* καὶ τῷ νομίζοντες τῷ ὄντι αἷμα καὶ σάρκα εἶναι.
† ὡς αὐτὸ πράγματι τοῦ ἐπιτελεῖσθαι χριστιανοῖς.

charistiam *vere & in reipſa*, τῷ ὄντι καὶ αὐτόχρημα, *carnem & ſanguinem* CAPVT
Chriſti eſſe; ſed à ſtulta, & perverſa tum ſervorũ, tum perſecutorũ in- XXVIII.
terpretatione, qui quod Chriſtiani, quem percipiebant in ſacra ſynaxi *panem & calicẽ*, eum *corpus & ſanguinem Domini* eſſe dicerent, id perperã accipientes, quod ipſi *corpus Chriſti* in typo, ſive *in Sacramẽto* eſſe intelligebant, id veluti τῷ ὄντι *revera* corpus Chriſti eſſe imaginabantur; & quod illi *corporis Dominici* mnemoſynon ſacrũ eſſe dignoſcebant, id Chriſti *corpus ipſum* αὐτόχρημα eſſe hariolabantur; mente odio excæcata nõ animadvertentes rerũ ſignis ac monumentis ipſa ſæpe earũ nomina in omni ſacro, profanoque ſermone tribui ſolere. Bene eſt, quod Oecumenius & ſuam & veterũ ea de re ſententiã, verã profecto ac toti Chriſtianiſmo conſentaneam, candide ſincereque expreſſit; nobiſque hoc ipſo luculentum argumentum præbuit ad id confirmandum, quod contendimus; non fuiſſe ſcilicet adoratam à veteribus latriæ cultu Euchariſtiam. Quis enim eos id adoraſſe dixerit, quod *panem vinumque* eſſe credebant? Eos vero crediſſe neceſſe eſt panem, vinumque Euchariſtiam vere eſſe, qui eam non credebant corpus ac ſanguinem Chriſti τῷ ὄντι καὶ αὐτόχρημα *vere & in re ipſa* eſſe. Pagani imaginabantur corpus Chriſti *ipſum* αὐτόχρημα ſumi, edique à Chriſtianis. Res autem ipſa aliud & erat, & intelligebatur à Chriſtianis, quam quod illi imaginabantur. Plane ergo neceſſe eſt quam hi edebant Euchariſtiam, aliud & fuiſſe & ab iis creditam ac intellectam eſſe quam ipſum corpus Chriſti, αὐτόχρημα, auctore Heſychio, idem eſt quod αὐτὸ τὸ πρᾶγμα *res ipſa*. Suidas in quodam apud Ariſtophanem loco accipit pro πάνυ ἀληθῶς *prorſus vere*. Ergo Euchariſtia apud illos fuit, quod ſane eſt, *corporis Chriſti* Sacramentum; non *corpus ipſum Chriſti*; χρήματος ſive πράγματος σύμβολον, οὐκ αὐτόχρημα, ἤ αὐτὸ τὸ πρᾶγμα, *rei ſymbolum*, non *res* ipſa; vel vt Suidas exponit hoc vocabulum, οὐκ ἦν πάνυ ἀληθῶς τὸ αὐτὸ Χριστοῦ σῶμα, *non erat vere prorſuſque ipſum Chriſti corpus*. Sed & illud fateor quod ſupponit Oecumenius, facile fieri potuiſſe, vt homines odio in noſtros excæcati, quæ hi probo & vero ſenſu de Sacramento ſic dicerent, ea prave ac ex animi ſui ſtudio arriperent, quaſi ſe Chriſti corpus & ſanguinem *vere &* αὐτόχρημα edere noſtri intelligerent; adeoque & hoc exinde conſequi facile potuiſſe, vt ex perverſa hac interpretatione ſpargerent illa de Thyeſteis dapibus contra noſtros vulgata. Vnde apparet, quam ſit futilis eorum hariolatio, qui ſi conceſſum fuerit ex Euchariſtia ortam eſſe Paganorum de anthropophagia calumniam, inde conſequens fore delirant, vt veteres Chriſtiani panem & vinum ſacrum in Chriſti corpus & ſanguinem vere (vt loquuntur) *tranſſubſtantiari*, eoque & adorandum crediderint; quaſi neceſſe ſit ſcilicet Ethnicos ira & odio in noſtros furentes recte ſincereque eorum omnes de ſua religione ſententias, eſſe interpretatos, neque iis quicquam præter verum affinxiſſe. Sed tametſi nihil plane adverſarij in rem ſuam hinc lucraturi ſint, ſiquis

Heſych. αὐτόχρημα, αὐτὸ τὸ πρᾶγμα.

Ariſt. Equit. p.195. Vid. Schol.

iis

CAPVT XXVIII. iis donet hinc natam fuiſſe illam Ethnicorum calumniam; tamen quod veteres aliud ipſi, vt oſtendimus, hac de re teſtentur, eorum ſententiam quorumvis recentiorum conjecturis atque divinationibus antehabendam arbitror. Itaque, qui Occumenio aſſentior facile potuiſſe accidere, vt Ethnicorum σύγκυτμα ſive παριφυλῶεια in noſtros calumniam pareret; eidem id revera ſic accidiſſe narranti aſſentiri non poſſum; Et iniquum ſane fuerit vetuſtiſſimorum ac laudatiſſimorum virorum Clementis, Irenæi, Origenis, Euſebij de rebus vel ſua memoria vel paulò ante eam geſtis teſtimoniũ, hominis annis poſt eos octingentis aut minimum ſeptingentis nati opinioni, vel vt verius dicam, hariolationi poſthabere. Quod enim iſta velut ex Irenæo Lugdunenſi Epiſcopo nobis recitat, fruſtra eſt. Bene eſt quod adhuc extat illud quod *Irenæi* ſcriptum vocat. Neque enim putandum eſt aliud eum hoc nomine intelligere, quam illa ipſa Martyrum Lugdunenſium laudatiſſima ac præclariſſima Acta, quæ apud Euſebium extant; quæ haud quaquam abſurde cenſuit Occumenius ab Irenæo Pothini, vnius ex ipſis martyribus in Lugdunenſi Epiſcopatu ſucceſſore, litteris eſſe mandata. Et ſi quis Irenæi fuiſſe alius eadem re commentarius, non dubito quin eũ fuiſſet Euſebius in hac parte diligentiſſimus, iſto loco memoraturus. Tum ſi quid aliud ſcripſit ea de re Irenæus, id profecto neque cum ipſo, neque cum Actis, quæ habemus, Lugdunenſium pugnavit. At hæc quæ velut ex Irenæo refert Occumenius, ea & cum ipſo & cum Actis illis recta fronte pugnant. Cum Irenæo, inquam: Is enim in vero & indubitato opere ex Carpocratianorum ſceleribus ortam eſſe (vt nuper oſtendimus) Eccleſiæ calumniandæ occaſionem tradit, quam hic fictitius Irenæus ex male intellecto ipſorum Catholicorum ſermone exortam narrat. Cum actis vero certis & indubitatis multo adhuc vehementius pugnat ille imaginarius Occumenij Irenæus. Primo enim hic dicit calumniam à captis noſtrorum ſervis excogitatam fuiſſe herorum ſuorum de Euchariſtia orationem male interpretantibus. Acta plane aliter docent his à militibus ſuggeſtam fuiſſe calumniam τῶν ϛρατιωτῶν ἐπὶ τοῦτο παρορμώντων αὐτοὺς κατεψεύσαντο ἡμῶν Θυέστεια δεῖπνα, *Militibus illos ad HOC incitantibus Thyeſteas cœnas contra nos mentiti ſunt.* Significant calumniam, non tum demum natam, ſed jam antea vulgatam fuiſſe (quod & Origenis teſtimonio, & cæterorum eam à Carpocratis temporibus repetentium ſententiæ congruit.) Milites ex vulgari rumore arreptam miſeris ſervis ſuggeſſiſſe, vt ea in dominos ſuos ſycophantia ſe à tormentis redimerent. Sed fac ſervos proprio marte calumniam commentos fuiſſe; cur rem tam memorabilem Acta hæc & accuratiſſime & prudentiſſime, ſingularique cum judicio ſcripta tacuiſſent? cur nihil de Euchariſtia, ſive, vt Occumenius vocat, μετάληψις, nihil de Chriſti ſanguine, aut carne dixiſſent? 3. Præterea nihil de Sancto & Blandina in ea re ſingulare habent Acta. Tantum in genere tra-

Occum. ibid. ἐκ τῶν Εἰρηναίου χα-φέρεται.

Euſ. Hiſt. l. 3. c. 1. p. 45. A.

ibid. p. cxir.

te tradunt conatum eſſe Satanam cruciatuum ac tormentorum acerbitate aliquid hujuſmodi ex ipſis quoque Martyribus extorquere, quos indifferenter nominat Sanctum, Maturum, Attalum, & Blandinam, nulla Sancti & Blandinæ prærogativa. 4. Sed & inſignis in eo eſt inter vera Acta & Oecumenianum Irenæum contradictio, quod hic *Blandinam* noſtros à calumnia purgantem inducit; Acta vero hanc defenſionem non Blandinæ, ſed *Biblidi* tribuunt. 5. Sed quod omnium certiſſimum eſt falſitatis argumentũ, Irenæus ille Oecumenianus Blandinam ſuam ea loqui facit, quæ neq; cum veris Actis congruunt, neque ſane ad rem quam agit, ſatis appoſita ſunt. *Quomodo hæc* (inquit) *ferrent, qui ob aſceſin ne conceſſis quidem carnibus fruuntur?* Hoc aſceras quidem purgat; Chriſtianos non purgat, qui (vt notum eſt) non modo non omnes, ſed ne multi quidem aſceræ erant. In Actis, Biblis multo ſapientius, & ſola profecto vere πῶς ἂν παιδία φάγοιεν οἱ τοιοῦτοι, οἷς μηδὲ ἀλόγων ζώων αἷμα φαγεῖν ἐξὸν: *Quomodo ejuſmodi viri infantes comederent, quibus ne licet quidem animalium ratione carentium ſanguinem comedere?* Recte; & ex Chriſtianorum illius memoriæ inſtitutis; & idem argumentum in eadem re vſurpat Tertullianus. Maneat ergo Actorum Lugdunenſium, quæ apud Euſebium habemus, certâ & indubitata auctoritas; omnia quæ præter eorum fidem addit Oecumenius, ejus ingenio imputentur; qui cum id, quod ait Petrus, Paganos *noſtris olim detraxiſſe*, illuſtrare vellet, & vero meminiſſet ejus rei luculentum exemplum extare in Lugdunenſium Actis, rem quidem ipſam, quatenus ad Petri mentem ſpectabat, vere ac ſincere attulit; cæterum rei occaſionem, & circumſtantias eas narravit, non quas Irenæi codex, id eſt ille Actorum Euſebianorum commentarius, exhibebat, ſed quas ipſe probabiles putabat. Itaque totam hanc ſervilem verborũ de Euchariſtia à fidelibus habitorum περιφερομένην Oecumenius non ex Irenæo (cujus narrationem memoriæ confiſus, dum hæc ſcripſit, ne inſpexit quidem) ſed ex ſuo ingenio deprompſit. Id vero nimium quam ſæpe, etiam auctoribus Oecumenio præſtantioribus accidit, vt res, quas à veteribus habent, interpolent, neque eos quæ apud auctores ſimplicitate deſcriptas invenerunt, poſteris repræſentent, ſed multis additamentis ac figmentis, ſive ex ſui ſæculi more, ſive ex ſuo ingenio petitis auctas exhibeant, quo exemplo docemur, quam caute recentioribus de veterum rebus ac ſententiis narrantibus fides habenda ſit. Sed hæc quidem de Oecumenio plus ſatis. Vnde illud, quod diximus, tenendum eſſe liquet; Paganorum ſcilicet antequam illam in noſtros de ἀνθρωποφαγίᾳ calumniam, à ſceleratis flagitioſiſque Carpocratianorum dogmatis ac ritibus ortam eſſe, non ab ipſorum orthodoxorum de hoc Sacramento vel ſententia, vel oratione. Quod quamvis nunc appareat eſſe veriſſimum, cum tamen illa calumnia magnam & evidentem habeat cum Latino de Euchariſtiæ tranſſubſtantiatione & adoratione dogmate affinitatem,

VV vete-

CAPVT XXVIII.

ibid. p. 45. *extr.*

ibid. p. 46. *A. init.*

Tertull. Apol. c. 7

1. *Petr.* 3. 16.

veteres qua erant verecundia, ingenuitate & prudentia, ſi idem cum Latinis de hoc negotio ſenſiſſent, ſuam hanc de Euchariſtia ſententiam quoties criminationem illam purgant ac refellunt, ingenue explicaſſent, nihilque cum objectis ſibi Thyeſteis dapibus commune habere demonſtrare eſſent conati; quod cum nunquam in hoc argumento verſantes fecerint, neque talibus locis Euchariſtici negotij vel leviter, meminerint; illud poſtremo quod inde concluſimus, clarum eſt eos hoc Sacramentũ neq; in Chriſti corpus vere ac ὄντως (vt loquitur Oecumenius) *tranſſubſtantiari* crediddiſſe, neque adeo adoraſſe vel adorandum cenſuiſſe.

CAPVT XXIX.

Argumentum XXVIII. Quod vetuſtiſſimi Scriptores Euchariſtiæ adorationem in ſuis adverſus Ebionæos, & Docetas, diſputationibus nunquam vrgent, in quos tamen erat vtilis & valida ad eorum errores confutandos.

HIS de veterum cum Ethnicis diſputationibus illud quoque hic poſtremo ex eorumdem adverſus hæreticos concertationibus addere libet, quod nunquam illi ad refellendum vel Ebionæorum, vel Docetarum de Chriſti corpore errorem Euchariſtiæ adorationem afferunt: quæ tamen ad vtrumque (ex Latinorum quidem hypotheſi) evertendum validiſſimum telum ſuppeditabat. Si namque Euchariſtia (quod Latini ſtatuunt) latriæ cultu ideo adoranda eſt, quod revera ſit ipſum Chriſti corpus; hinc certe ſequitur, corpus Dominicum neque phanthaſma, quod Docetæ, neque meri ac ψιλοῦ hominis (quod Ebionæi volebant) carnem eſſe; cum neque ſpectrum, neque nudum hominem rem eſſe latriæ cultu dignam apud omnes Chriſtianos ſemper in confeſſo fuerit. Veteres ergo hoc in Ebionæos & in Docetas argumento vſi eſſent, ſi Euchariſtiam, vt verum Chriſti corpus, adoraſſent; Nunquam ſunt vſi; ergo neque Euchariſtiam vel Chriſti verum corpus eſſe putarunt, vel eo nomine adorarunt. Irenæum vide contra Ebionæos *; Tertullianum † contra Docetas diſputantes. Neuter vſpiam vel his vel illis Euchariſtiæ adorationem obiicit. Plane alia ſunt & aliunde petita quæcumque in eos torquent tela. De cæteris primæ illius memoriæ hæreticis, ſi quis alteram ex his duabus hæreſibus oppugnavit, idem dictum eſto. Qui cæteras veterum adverſus hæreticos diſputationes diligenter inſpexerit, & cum Latino Euchariſtiæ cultu ſedulo comparaverit, non dubito quin is & alia in illis hujus noſtræ ſententiæ argumenta ſit animadverſurus. Illud vero nunc etiam longe omnium certiſſimum atque evidentiſſimum ejuſdem rei documentum mitto, inde ductum, quod ex omni veterum doctrina conſtat eos de Sacramenti hujus natura ita

* Iren. l. 5. c. 1. extr.

† Tertull. l. 3. contr. Marcion cap. 8 p. 483. B. C. D. & l. 4. c. 42. p. 571. A.

ita ſenſiſſe, vt quamvis id egregij ac efficaciſſimi in religione vſus eſſe putarent, vere tamen panem ac vinum eſſe, neque ipſam quam per ſe habeat, horum alimentorum ſubſtantiam exuere, neque in corpus ac ſanguinem Domini revera (quod fingunt Latini) mutari crederent. Id, inquam, in præſentia mitto, quia erit alibi de eo diſputandi in veterum dogmatis locus. Nunc quando ſatis ex ſuperioribus demonſtratum videtur Euchariſtiam non fuiſſe à vetuſtiſſimis trium primorum ſæculorum Chriſtianis adoratam, hanc diſputationis noſtræ partem concludamus, & alteram, quæ de Mariæ Virginis, Angelorum & Martyrum cæterorumque Sanctorum cultu religioſo eſt, cum bono Deo veniamus.

CAPVT XXIX.

LIBER III.

CONTINET ARGVMENTA CONTRA Latinam de cultu Divorum religioſo traditionem propria.

CAPVT I.

Falſo noſtros à Latinis de Sanctorum contemptu pulſari. Honorari etiam à noſtris Sanctos, ſed εὐφημίᾳ *duntaxat &* μιμήσει, *laude & imitatione, quod docet Scriptura & vetus Eccleſia; non etiam dulia & religione.*

apud. Orig. l. 4. contr. Celſ. p. 240.

CELSVS Philoſophus, Iudæos quod Solem, Lunam, & alia ſidera vna cum Ethnicis adorare nollent, graviſſimi crimiuis poſtulat, dicens eos, illuſtriſſimos Dei præcones, nuntioſque verè cœleſtes *contemnere ac pro nihilo ducere*; quaſi id quemque deſpicere ac pro nihilo habere neceſſe ſit, quod cultu religioſo dignum non putat. Par hodie eſt Latinorum in nos calumnia. Nam & illi à nobis B. Mariam Ieſu matrem, cæteroſque Sanctos cœlo apud Dominum receptos contemni ac nihili fieri invidioſiſſimè jactant, quod eos ſecum colere religioſè, invocare, *duliaque* (vt vocant) adorare abnuamus. Ac ad illam quidem Celſi ſycophantiam Origenes, cum eam intelligeret non ad ſolos Iudæos, ſed & ad Chriſtianos quoque pertinere, reſpondet eos Soli,

ibid. p. 243. 244. 245.

Lunæ, cæteriſque ſtellis preces & alios religionis cultus, non ideo negare, quod *tanta taliaque Dei opera ſpernerent, & honoris expertia ducerent*, ὡς ἀτιμάζοντες τὰ τηλικαῦτα Θεοῦ δημιουργήματα; ſed quod honores illos religioſos vni Deo Filioque ejus vnigenito deberi & ab incomparabili ipſius Numinis luce atque magnitudine, & à Scripturis cœleſtibus didicerint, quicquam aliud præter vnum verum Deum

ibid. p. 244.

colere ac adorare non ſemel, neque obſcure vetanribus. Noſtra vero eadem nunc eſt adverſus Latinos defenſio. Quod enim Angelos, cæteroſque beatos ſpiritus adorare, & precibus aliiſque religioſis bonori-

noribus colere refugimus, id non ab vllo in eos contemptu proficiſcitur (quod abſit) ſed ab vna noſtri in Deum Opt. Max. officij conſcientia; cui vni ſcilicet preces, & reliquos religionis cultus deferendos eſſe credimus. Salvo hoc Dei cultu, de cætero confitemur magnam eſſe divini in omnes cœleſtes Spiritus operis excellentiam; beatiſſimæ Mariæ, & Sanctorum Christi martyrum, fideliumque miniſtrorum eximiam ſapientiam, fidem, caritatem, ſanctitatem denique atque beatitudinem; adhæc egregia in pietatis negotio facta, dicta, certamina, & ſæpe, & libenter, quoties occurrit occaſio, celebramus, & nobis noſtriſque pro ſua cuique virili imitanda prædicamus; nomen poſtremo ac memoriam non niſi cum laude vſurpamus; quæ profecto omnia oſtendunt ſanctos Dei & Angelos & homines, à nobis haudquaquam contemni, vel pro nihilo reputari, ſed pro eo ac decet, honorari, magnique fieri. Hos, quos dixi, veros ac legitimos eſſe Sanctorum in Domino quieſcentium honores à primis certiſque Chriſti diſcipulis accepimus. Nam & ipſa imprimis benedicta Domini mater Maria hunc ſuum apud poſteros futurum honorem à Spiritu Sancto edocta, prædixit; *Ecce ex hoc* (inquit) *beatam me dicent omnes generationes.* Non dicit; *me adorabunt*, vel *mihi ſupplicabunt*, vel *me thure & incenſo, templis, feſtis, ſodalitiis, ſimulacris*, & aliis ejuſdem cenſus cærimoniis *colent*; ſed *μακαριοῦσί με, beatam me prædicabunt*; quod de creatura Sancta & glorioſa dici, & fas eſt, & certe decet. Ita & Dominus alteram quoque Sanctam mulierem, hanc ſuæ in ipſum pietatis mercedem habituram affirmat, non vt ei homines paſſim fana ac delubra & ſigna ſacra ſtatuant, religioſiſque precibus ac votis vnà cum thure & donariis ſupplicent; ſed & præclarum quoddam ejus factum vbicumque fuerit prædicatum Evangelium, ibi cum laude memoretur. Sed & Paulus quis Sanctis Christi ſervis & præclare in ejus opere defunctis ab iis, quibus vivi miniſtrarant, honos ſit rependendus, breviter quidem, ſed pleniſſime paucis his verbis exſequitur; *Mementote* (inquit) *præpoſitorum veſtrorum qui vobis locuti ſunt verbum Dei; quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem.* Poſcit à uobis, vt eorum nomen, memoriam, exitum, converſationem grata jucundaque recordatione proſequamur; fidem, & quæ ea continetur, pietatem, etiam imitemur ſedulo; de invocatione, cultuque religioſo, nihil dicit. Ac vt præcipit, ita & ipſe obſervavit, nobiſque exemplo ſuo præivit. Nam ſanctos apud Deum quieſcentes memorat quidem ille paſſim magna cum laude, ſidemque & pietatem eorum prædicat, atque ſuis imitandam proponit, vt cum in cæteris ſæpe locis, tum in ejuſdem, vnde illa deſcripſimus, epiſtolæ capite vndecimo videre eſt; invocaſſe vero eorum quemquam, nuſquam legitur. Hanc Christi & Apoſtoli traditionem ſecuti quoque ſunt proximi eorum diſcipuli. Ita Smyrnenſes Chriſtiani in Polycarpi, ſui *præpoſiti*, martyrio, planiſſime; *Chriſtum quidem* (inquiunt) *quippe qui*

CAPVT I.

Luc. 1.48.

*Matth.*26.13.

*Hebr.*13.7.

*Smyrn. Eccl. apud Euſeb. hiſt.l.*4.*c.*15.

CAPVT I.

pe qui Dei Filius eſt, adoramus; Martyres vero tanquam Domini diſcipulos, & imitatores, vt dignum eſt, ob ſummam in ſuum Regem ac magiſtrum benevolentiam; quorum vtinam ſimus ſocij ac condiſcipuli. Τοῦτον μὲν γὰρ υἱὸν ὄντα τοῦ Θεοῦ προσκυνοῦμεν. τοὺς δὲ μάρτυρας ὡς μαθητὰς καὶ μιμητὰς τοῦ Κυρίου ἀγαπῶμεν ἀξίως, ἕνεκα εὐνοίας ἀνυπερβλήτου τῆς εἰς τὸν ἴδιον βασιλέα καὶ διδάσκαλον. ὧν γένοιτο καὶ ἡμᾶς κοινωνούς τε καὶ συμμαθητὰς γενέσθαι. Hæc illi προσκυνήσιν; ſive, vt dixerant verbis præcedentibus, σέβασμιν, *adorationem, cultum,* vni Chriſto ſervant, ἀγάπην, *dilectionem*, martyribus tribuunt. Angelorum beatorum eadem quoque erat apud primos Chriſtianos ratio. Origenes; *Eos* (inquit) *prædicamus beatos,* εὐφημοῦμεν καὶ μακαρίζομεν, *quibus à Deo commiſſæ ſunt vtilitates hominũ, non tamen honorem Deo debitum his reddimus.* Itaq; in eodem libro & Soli (quem anima rationali Sancta, rectaque præditum eſſe ſtatuebat) eundem τῆς εὐφημίας honorem deferendum confitetur; *Bene* (inquit) *loquimur de Sole, vt præclara Dei creatura, ſervante leges ſibi praeſcriptas à Deo,* εὐφημοῦμεν ἥλιον, ὡς καλὸν Θεοῦ δημιούργημα καὶ τοὺς νόμους φυλάσσοντα Θεοῦ. Non ideo tamen adorandum concedit; imo ſtatim diſertiſſimè negat; *Ne Solem quidem ipſum* (inquit) *talem tantumque adorare nos fas eſt, etiamſi de eo præclare ſentiamur ac loquamur.* οὐδὲ τὸν τηλικοῦτον ἥλιον προσκυνεῖν ἡμῖν θέμις, κἂν εὐφημῶμεν αὐτόν. Sed & alibi Angelos nobis *quantum humana natura fert, imitandos* eſſe docet; vt ipſi Deum imitantur; hoc eſt vt ad eorum inſtar toto animi affectu ac inſtituto, Domino ſerviamus; idque ſatis fututum affirmat, vt beatiſſimi illi Spiritus nobis benè velint, & pro nobis in omnibus ſatagant. ἀρκεῖ δὲ πρὸς τὸ ἵλεως ἡμῖν τοὺς ἁγίους ἀγγέλους εἶναι τοῦ Θεοῦ καὶ πάντα πράττειν αὐτοὺς ὑπὲρ ἡμῶν ἡ πρὸς τὸν Θεὸν διάθεσις ἡμῶν, ὅση δύναμις ἀνθρωπίνῃ φύσει μιμουμένη τὴν ἐκείνων αὐτῶν προαίρεσιν μιμουμένων τὸν Θεόν. Honorem ergo quem & Angelis & Sanctis cœlo receptis deferri à nobis par eſt, ex divinorum & Eccleſiaſticorum auctorum ſententia, his duobus totum contineri nos quidem cenſemus; τῇ εὐφημίᾳ καὶ τῇ μιμήσει, quorum illud prius in eo ſitum eſt, vt bene præclareque de iis veluti de eximiis Dei miniſtris, ſentiamus ac loquamur; alterum vero hoc conſtat, vt eorum mores, & quod communi Domino ac Deo præſtiterunt obſequium, fideliter ac ſtudioſe imitemur. Hæc quæ teſte autoreque Origene *ſatisſunt*, ſi Latinis ſatis eſſent, nobis nihil eſſet cum illis hac de re controverſiæ. Sed longe illi majores, amplioreſque Angelis & Sanctis honores & tribuunt ipſi, & ab omnibus tribui debere decernunt. Videamus ergo qui qualeſque illi ſint, & an primæ memoriæ (in qua verſamur) Chriſtianis cogniti fuerint, & in vſu apud eos ſolenni. Quas enim verborum offucias hic offundunt, *duliam* & *hyperduliam* à *latria* ſubtiliter diſtinguentes, eas nos & in ſuperioribus jam abunde diſcuſſimus, cum oſtendimus veteribus planè ignota illa fuiſſe, quæ religioſi cultus ſtatuunt diſcrimina, & in præſentia nihil moramur; quod ille vocum & nominum luſus ſit merus; in

Orig. contr. Celſ. l. 8. p. 428.

Ibid. p. 434.

ibid. p. 435.

ibid. l. 5. p. 239. c. 14.

quibus

quibus calumniari & cavillari cuivis non plane rudi haud difficile; iſtis vero acutiſſimis ac ingenioſiſſimis, adhæc cauſæ ſuæ ſtudio incenſis, longe facillimum eſt. Miſſis ergo vocibus de rebus ipſis quæ conſtant, quæramus; & illos religionis honores ac cultus, quos iſtis placet novo *duliæ* nomine ſic donare, vt à *latria* alij eſſe intelligantur, videamus an veteres Chriſtiani perinde olim, vt nunc Latini, tradiderint, vſurparint, ac factitarint. Capvt I.

Capvt II.

Recitatur Latinæ Tridentinæ & Synodi & Catecheſeos de religioſo Divorum cultu traditio, & aſſertio, quâ temere falſoque affirmant ſuum illum cultum apud Chriſtianos jam inde à primis temporibus notum & factitatum fuiſſe.

PRimvm ergo in noviſſima, quæ Tridenti habita eſt, vniverſorum Latinorum Synodo, hoc fuit inter cætera fidei capita definitum, *bonum atque vtile eſſe ſuppliciter Sanctos invocare, & ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor & Salvator eſt, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere.* Concil. Trid. Seſſ. 25. decr. de Invocat. Sed & ibidem quoque aſſertum legimus *hunc eſſe Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ vſum à primævis Chriſtianæ religionis temporibus receptum*; de eodem & *ſanctos Patres conſentire*, & *ſacrorum Conciliorum decreta* facta eſſe. ibid. His vero ita conſtitutis eadem Synodus pronuntiat *impie illos ſentire qui negant Sanctos æterna fœlicitate in cœlo fruentes, invocandos eſſe, vel qui aſſerunt eorum, ut pro nobis etiam ſingulis orent, invocationem eſſe idololatriam, vel pugnare cum Verbo Dei, adverſarique honori vnius Mediatoris Dei & hominum Ieſu Chriſti, vel ſtultum eſſe in cœlo regnantibus vel voce vel mente ſupplicare.* ibid. Et poſt alia non pauca; *Si quis* (inquiunt) *his decretis contraria docuerit, aut ſenſerit, anathema ſit.* Hæc illi: quos ego miror rem tantam omnino præter illam ſuam in aliis multis capitibus ſolennem diligentiam, tam jejune, tamque ſupine perſtrinxiſſe. Nihil enim hic video, vel de cultu Divorum, qui & invocationis & totius circa Divos religionis fundus eſt, vel de *duliæ* & *hyperduliæ* ſubtilitatibus, vel de eximiis Divæ Virginis Matris honoribus; Angelos vero, qui (ſi quas creaturas à nobis adorari & invocari fas eſſet) ante omnes & adorandi & invocandi eſſent, Tridentini Patres adeo properabant, & ad finem anhelabant (fuit enim iſta vltima eorum ſeſſio) vt ne nominarint quidem. Sed Catechiſmus ad Parochos Tridentinus Patrum quadam quidem in parte negligentiam ſupplevit, *Angelos*, quos ni flagitioſe omiſerant, diſerte memorans, eorumque, perinde *ac beatarum*

anima-

CAPVT II.

Catech. Trident. in Decal. Precept. 1. p. 413.
Ibid. expoſ. orat. Domin. p. 544.
Concil. Trid. Seſſ. 13. c. 5.
Ibid. Seſſ. 25.

animarum, quæ cœleſti gloria perfruuntur, venerationem (id eſt cultum, de quo nihil Tridentini nominatim dixerant) *& invocationem* legitimam eſſe docens, neque *legi illi* divinæ *repugnare*, qua vetamur *Deos alienos coram Deo habere*. Idem quoque alibi ait *Sanctis, qui in cœlo ſunt, preces eſſe faciendas ita certum eſſe in Eccleſia Dei, ut piis nulla de eo dubitatio poſſit accidere*; plane eadem fide ac phraſi, qua Tridentinos ſupra audiebamus negantes *ullum dubitandi locum relinqui, quin omnes Chriſti fideles latriæ cultum* Euchariſtiæ *Sacramento* in *veneratione exhibeant*. Ejuſdem eſt verecundiæ quod hic iidem affirmant *hunc* Sanctos invocandi *morem Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ uſum eſſe à primævis Chriſtianæ religionis temporibus receptum Sanctorumq; Patrum* ea de re *conſenſionem* & *Sacrorum Conciliorum decreta* jactant. Quod quam ſit immane atque impudens iſtorum mendacium, & ex iis quæ jam ſupra in prima operis parte attulimus, patet, & ex hac ipſa in qua verſamur, diſputatione amplius, clariuſque patebit. Nunc ſatis eſt breviter, ut vanam ac thraſonicam eorum jactationem refutemus, vere ſancteque affirmare non modo *Eccleſiæ Apoſtolicæ primævis Chriſtianiſmi temporibus uſum* non fuiſſe Sanctos vita hac mortali functos *invocare*, ſed ne unum quidem ex omni trium primorum Chriſtianiſmi ſæculorum memoria fidelem Chriſtianum in veris certiſque illorum temporum monumentis reperiri, qui eos vel invocaverit ipſe, vel invocandos eſſe dixerit; & Patres illius ævi adeo hac de re non conſentire, ut eorum ne unus quidem, verus inquam, certuſque extet, qui ita ſenſiſſe deprehendatur, nedum ut ullum vel Apoſtolicæ, vel Eccleſiaſticæ alicujus intra annum Domini trecenteſimum Synodi de invocandis Sanctis decretum habeamus, quod quidem verum, ſincerumque & indubitatum ſit, non ficticium & adulterinum.

CAPVT

CAPUT III.

Argumentum contra Latinam de Divorum cultu traditionem primum; Quod quæ paſſim in Latinorum vita & libris reperiuntur vel dicata & conſtituta Divis templa, altaria, ſimulacra, feſta, ſodalitia, dona, thura, & incenſa, vel in eorum honorem facta ſacrificia, vel denique iiſdem & oblata donaria, & facta preces ac ſupplicationes; eorum omnium plane nihil apud vetuſtiſſimos intra annum Domini 300. *in veris certiſque illius ævi libris deprehendatur.*

SED verba mittamus; ac vt appareat, vtra verior ſit illorum ne affirmatio de veteris Eccleſiæ jam à *primævis Chriſtianiſmi temporibus* recepto vſu moreque invocandi, colendique hodierno Latinorum ritu Sanctos cœlo receptos, an noſtra eadem de re negatio; age Latinorum & vetuſtiſſimorum Chriſtianorum de hoc argumento ritus, ſermones, ac ſenſus, quatenus quidem ij ex vtrorumque libris perſpiciuntur, quoad à nobis fieri poterit accuratiſſimè inter ſe comparemus. Latinos quidem in ſuis actis, commentariis, annalibus, atque aliis libris videmus Divos ſuos, Divaſque templis, aris, ſimulacris, feſtivitatibus, ſodalitiis, oblationibus, ac donariis, etiam ſacrificiis, precibus, votis, litaniis, ac ſupplicationibus, gratiarumque actionibus, ſtudioſe, ac pœne jugiter colere. Ac merito ſane ſic eos inſtituere nemo negaverit, ſi ea quidem vera ſunt, quæ de Divorum, Divarumque *invocatione*, ac *invocationis* tum ſanctitate, tum vtilitate & à Tridentinis breviter conſtituuntur, & à cæteris Latinis multo fuſius atque vberius docentur. Si ergo illa, quæ nunc apud Latinos de colendis Divis traditio eſt, eadem olim quoque apud veteres fuit; hi iſta, quæ diximus, certe aliquam eorum partem, facere in ſuis itidem monumentis reperientur. Atqui veteres intra a. D. 300. in libris quotquot illius memoriæ veri ſincerique extant (extant autem plurimi) non dico hæc omnia, non dico dimidiam, aut tertiam, aut quartam eorum partem ſed horum plane nihil facere vſpiam deprehendimus. Otio fruſtra abuſus fuero, ſi ex Latinorum actis probavero eos Divis templa ponere ac conſecrare. Vix enim vllum conditum referunt, quod non alicui vel Divo, vel Divæ dicatum memorent. In hac quidem ampliſſima Pariſiorum civitate ex tam multis templis, quæ in omnibus vrbis regionibus & mole, & altitudine, & ornamentis eximiis ſuſpicienda conſurgunt, ſi vnum aut alterum *Trinitati*, vel *Spiritui Sancto* ſacra exceperis, nullum eſt quod non Divi, Divæque ſibi vindicaverint; Primariam quidem Diva parens Virgo; cætera Genovefa, Marcellus, Stephanus, Severinus, Andreas, Sulpitius, vterque

XX Germa-

CAPVT III.

Germanus, Pariſienſis inquam, & Altiſſiodorenſis, Euſtathius, Iacobus, Lupus & Ægidius, Nicolaus, Laurentius. Gervaſius, & Protaſius, Antoninus, Paulus, Ludovicus, & alij, plærique ſinguli, quidam & bini; quos & longũ eſt, & ſupervacaneum omnes ſigillatim dicere. Romæ, Mediolani, Venetiis, vbique (vt vno verbo dicam) qua Papæ imperium patet, conſimilis occurrit rerum facies. Nulla fere apud iſtos eſt ædes ſacra, ſive illa dives, ampla ac magnifica ſit, ſive pauper atque anguſta, quæ non alicui de Divis donata ſit atque inſcripta patrono. Raræ ſunt, &, ſi cum eis comparentur, tam paucæ, vt nullo cenſeri poſſint, quas Deo Opt. Max. propriè ac nominatim dicarunt. Iam quod ita paſſim factitant, id etiam recte & ratione fieri defendunt; vt ex Bellarmino diſcimus, qui ſacras ædes non ſolum Deo, ſed & Divis recte ædificari, atque dedicari contendit, etiam in quibus nullæ ſint eorum ſitæ reliquiæ. Quidni? Divis enim religioſe colendis ædem (id eſt religioſi cultus locum) tribui ac conſtitui nulla quod ſciam, vnquam apud religioſas gentes invidia fuit. Quod vero apud Iudæos vni Deo templum poſitum legimus, id nihil ad rem pertinet. Conſtat enim eam gentem vnum Deum religioſe coluiſſe; ſi Divos, vt Latini, habuiſſet, quos religioſo cultu dignos putaſſet, non videtur dubitandum, quin & iis templa ſua poſitura fuerit. Latini vero Divis non tantum ædes ex ſaxis, ligniſque ſtructas, ſed, quod multo majus eſt, etiam Eccleſiam ipſam ex hominibus Deo ſanctificatis conſtantem dedicant; qualiter Alphonſum Mendeſium Latinum Æthiopiæ Patriarchã legimus in Epiſtola ad Mutiũ Vitelleſchum a. D. 1626. data profitentem ſe *Eccleſiæ Æthiopiæ cum Latina unitæ ac reconciliatæ primitias animæ Ignatij Loyolæ dedicaſſe.* Neque de aris res obſcura eſt, Ieſuitæ ſacellum ſe quoddam egregio ornatu ad capiendos Sinarum animos Nanciani (ſi bene memini) concinnaſſe narrant, aras duas erexiſſe in ſingulis ſacellis ſingulas; alteram Chriſto Servatori; Deiparæ Virgini alteram. Sic in vrbe Ciamcine apud eoſdem Sinas in ſacello ſuo duas itidem aras fuiſſe memorant; earum alteram Divæ quoque Virgini ſacram fuiſſe; & alibi tradunt ſe privatam Deiparæ aram opportuno loco in Pequinenſi ſua ſuburbana æde ex voto poſuiſſe. Sed & in Æthiopicis narrant ſe, cum Agaos barbaros magno prælio à Zelacriſto victos, ac ſubactos baptizarent, aram matri Virgini ſub aulæo inprimis erexiſſe. Iam & imaginum matri Virgini, Angelis, Diviſque ſacrarum omnia apud Latinos plena eſſe, eaſque in rerum ſuarum narrationibus ab iis paſſim diligentiſſime memorari, & omnes ſciunt, & nos infra proprio ſeorſum titulo demonſtrabimus; ſuoque item loco de feſtis Divorum nomini inſcriptis dicemus; quibus ſua tempora ſic omnia oppleverunt, vt rara ſit anni totius dies, quam non aliquis apud eos Divos ſuo cultui mancipatam teneat. Sodalitia vero in Divorum nomen, atque honorem inſtituta quoties & quantâ cum laude commemorant? Namgazachi apud Iaponas duo fuiſſe

Bell. l. 3. de cultu SS. c. 4. § Quarta propoſitio.

Mendes. Annal. Æthiop. a. 1624. 1625. p. 97.

Trigaut. de Sin rer. l. 5. c. 15. p. 582.

Annal. Sin. a. 1621 p. 364.

Trig. Sin. l. 5. c. 20. p. 624.

Ann. Gea a 1621. p. 94.

fuiſſe ſodalitia ſacra, vnum Virginis, alterum Innocentium; additum tertium Ignatij Loyolæ, & quidem in media perſecutione, cum in eos Pagani a. D. 1622. crudeliſſime ſævirent. Iiſdem temporibus aliud Omuræ quoque ſub ejuſdem Loyolæ protectione inſtitutum, tanto plauſu, vt ei ſe ſubito plures, quam 1500. Sodales aggregarent, quorum hoc erat inprimis officium, vt ſacras Loyolæ imagines in privatis quibuſdam ſacellis ſumma diligentia, atque reverentia cuſtodirent. Iidem alibi ſodalitatem Michaëlis Archangeli à ſuis Nangazachi inſtitutam referunt. Iſtis vero præ cæteris Divæ Virginis ſodalitium plurimum, vt decet, in ore eſt. Vix dum prima poſuerant ſui Chriſtianiſmi apud Sinas fundamenta, & ecce ſtatim D. Virgini ſodalitium inſtituunt; & Andream vnum de ſodalibus martyrem ſuum laudantes totius collegij ferventiſſimum fuiſſe prædicant. Alibi Kicinciami, nobiliſſima Sinarum vrbe, ſodalitium his legibus conſtitutum eſſe, vt ſodales quotidie Virginis *roſarium* recitarent; omnibus Sabbatis jejunarent, ſinguliſque menſibus conſcientiam apud ſacerdotem *confeſſione* (vt vocant) *Sacramentali* expiarent. Et in Salſetanis apud Indos ſodalitiis hunc quoque morem eſſe ſcribunt, vt fratres omnes Divæ Virginis & officium recitent, ac bis ſingulis menſibus confiteantur; idemque ſolenne eſſe alibi teſtantur *Miſericordiæ* (vt vocant) Sodalibus Sacayi a. D. 1622. apud Iaponas inſtitutis. In hac vero genre præcipuum ſibi ad rem ſuam (id eſt, vt ipſi quidem volunt, Chriſtianam) promovendam atque amplificandam adjumentum fuiſſe Divæ Mariæ Virginis ſodalitatem primariis in locis inſtitutam teſtantur; & ejus nominatim bona, quæ Nangazachi florebat, haud parce celebrant; & alterius Arienſis in Arymæ vicinia poſitæ; Et a. D. 1603. hujus generis ſocietates ſub nomine *Annunciationis Divæ Virginis*, & in ipſa Arimæ vrbe, & alibi complures fuiſſe collocatas tradunt; cujus nominis vnam quoque Meaci, vrbe regia, a. D. 1619. conſecratam narrant, ſed ſub Franciſci Xaverij protectione; quod mihi mirabile viſum eſſe fateor. Cur enim ſodalitium, quod Deiparæ orbis Reginæ eſt, ſub Xaverij protectione eſſe voluerint, non equidem ſatis intelligo; quaſi iſtius novitioli de Loyolæ ſchola magiſtri ad ſuos tuendos opem Domini mater deſideret. Sed neque Omuranorum Partheniorum (ita Divæ Virginis matris ſodales vocant, bello ſane & recenti nomine) inſignem pietatem Ieſuitæ tacent, qui in quodam Domini ſui periculo quotidie vnum Diuæ Mariæ *roſarium* recitabant; ac inter Didaci Gonnoyæ ex Iaponica nobilitate primarij præclara cenſent, quod hanc ſuam Partheniorum ſodalitatem in pago, ſive caſtello quodam ſuo inſtituiſſet. Ab iiſdem alibi proditum eſt, Datium Maſſamunam Oxu apud Iaponas regulum, a. D. 1621. à Partheniis, qui trecenti in quodam ejus pago erant, perſequendis ſubito abſtinuiſſe, cum illos comperiſſet ſe ad perſeverantiam data inter ſe fidem conjuratos obſtrinxiſſe. Sed & qui apud Mogorem erant Ieſuitæ,

CAPVT III.

Solier de reb. Iap. l. 18. c. ... T. 2. c. ... ibid. c. 19. Id. ib. l. 17. c. 1. T 2. p. 491. Trig. de Sinic. exped. l. 2. c. 16. p. 189. 192. & Se edo ... hiſt. P. 2. c. 11. p. 342. Ann. Sin. a. 162[?]. p. 136. Maracci Relat. a. 1649. p. ... 12. Sol. l. 19. c. 28. T. 2. p. 770.

Froes Ann. Iap. a. 1595. p. 6.

ibid. p. 16. ibid. p. 23. Sol. l. 14. c. 6. T. 2. p. 270 & Ann. Iap. a. 1601. p. 25 & a. 1629. 1630. p. 122. Sol. l. 18. c. 7. T. 2. p. 606. & Ann. Iap. a. 1619. p. 113.

Froes Ann. Iap. a. 1596. p. 213.

Trig. Mart. Iap. l. 1. c. 7.

CAPVT III. ſuitæ, iſtic quoque Partheniorum ſodalitatem in Mirzæ principis ditione inſtitutam prædicant, eamque in dies lætius, vberiuſque efflo- reſcere; ipſum Principem inter Parthenios eſſe aſſiduum; ſodales ſingulis menſibus confeſſione in aurem ſacerdotis rite facta commu- nicari. Sed hæc quidem de Divorum ſodalitiis ſatis ſunt. Omnia enim congerere & immenſum & ſupervacaneum eſt. Dona vero Di- vis offerre adeo apud Latinos vulgare eſt, vt loca referre pigeat, in quibus res omnibus notiſſima traditur. Certe Andreæ Oviedo, Æthio- pum primo ex Latinis Patriarchæ, tametſi nondum Papæ ſententia in Divorum album relato, ſingulis anni totius dominicis, & cæteris feſtis Fremonæ ad tumulum, in quo erat ſitus, oblata fuiſſe à plebe thus, ceram, & alia ad locum honorifice tuendum neceſſaria, glorian- tur, eamque rem Deo gratam fuiſſe ex miraculis eo loco editis ſci- licet, argumentantur. Bellarminus quoque teſtatur ſe ſuoſque *munera & odores* in ipſa Eccleſia Divis offerre; & odores quidem non modo Divis, ſed etiam *imaginibus & reliquiis*; idque genus donaria apud Danielem vult intelligi, quo loco dicitur Nabuchodonoſor præ- cepiſſe, vt *hoſtias & incenſum* Danieli *ſacrificarent*; quam vere, ac pro- babiliter ipſe viderit. Sed & *ſacrificia* vere dicta (quod multo eſt mirabilius) *in Divorum honorem* ab iſtis immolari ſæpe reperimus; vt cum Fr. Xaverium ſuum magnum illum, ſi quid iis credimus, India- rum Apoſtolum, narrant Ieſuitæ, vt Malacenſis cujuſdam Vicarij ſa- lutem impetraret, Deo ſanctè promiſiſſe ſe ſi annuiſſet, in Trinitatis *Deiparaque Virginis, & Angelorum, & Sanctorum honorem*, & pro ani- mabus, quæ in purgatorio cruciantur, *plurimas miſſas* (id eſt, vt om- nes norunt, plurima ſacrificia vere ac proprie dicta) *facturum*. Eo- dem exemplo Meſquita quidam, ejuſdem & ipſe ſocietatis, cum apud Indias à Bagadibus barbaris captus magno eſſet in diſcrimine, vovit ſe, ſi evaderet, *in honorem Virginis* & ſacrificia neſcio quot facturum, & Sabbatis ſingulis per aliquot hebdomadas jejunaturum. Sic & Ie- ſuitici ordinis apud Indias Viſitator, cum Cugnalem, nobilem in ora Malabarum piratam, intellexiſſet ab Hurtado Mendozza a. D. 1600. victum captumque eſſe, ſolenne ſacrificium, Chaule, & in aliis ejuſ- dem tractus Eccleſiis in honorem Divę Virginis fieri juſſit*. Poſtea vero Goę totus Ieſuitarum ordo, anno hujus ſeculi viceſimo, cum Xa- verium ſuum in Beatorum cenſum Papali tandem decreto relatum in- tellexiſſent, & Pontificias ea de re litteras accepiſſent, *in ejus honorem ſolenne miſſæ ſuæ ſacrificium fecerunt*; & quidem vt ipſi monent, ex ipſius Pontificis ſententia, quam alibi ſervatam fuiſſe, idemque illud ſolenne ſacrificium ab omni ſocietate, quacumque patet, in Xaverij nondum quidem Divi, ſed tamen jam herois, honorem ſedulo factum eſſe, ne dubites. In aliis quoque Annalibus narrant Paulum quemdam *Le Ieune*, id eſt *Iuvenem*, ſui ſodalitij ſacerdotem, in magno quodam apud Canadenſes diſcrimine. Divo Ioſepho ſacrificia viginti in ejus hono-

Marginal notes:
Ann Goa. a. D. 1620. p. 201.
Annal. Æthiop. a. 1624. & Ann. Æth. a. 1621. p. 298.
Bell. l. 1 de Sanct. Beat. c. 13 §. Neque obſtat.
Dan. 2. 46.
Iarric. in Indic. l. 1. c. 21. T. 1. p. 240.
Id. ib. l. 2. c. 8. T. 1. p. 404.
**Iarric. Indic. l. 5. c. 1. T. 3. p. 9.*
Ann. Goa. a. D. 1620. p. 212. 215.
ann. Canad. a D. 1633. p. 80.

honorem voviſſe; vbi & *voti* Divo nuncupati exemplum habes. Bellarminus quidem *certiſſimum* eſſe ſcribit *poſſe aliquo modo ſanctis vota nuncupari*; idque fuſe defendit; & hæc eſt ſane apud iſtos communis & vbique obvia praxis. De precibus, litaniis, ſupplicationibus, & gratiarum actionibus, quibus Latini aſſidue Divos, Divaſque, etiam vt videtur, crebrius atque diligentius, quam ipſum Deum, colunt, quia mox ſigillatim dicemus, nihil hoc loco addere neceſſe eſt. Hæ ſunt religioſi Latinorum in Divos cultus partes maxime inſignes, quæ in eorum vita & libris vbique fulgent; vt alia non pauca mittam, quæ vel minutiora ſunt, vel vulgi inſaniæ & hominum vitio potius, quam publico ipſorum dogmati imputari fortaſſe poſſent. Sed hæc ipſa, quæ diximus, in veris vetuſtiſſimæ Eccleſiæ, quæ ſub decem primis perſecutionibus paulo vltra a. D. 300. floruit, monumentis fruſtra quæſieris. Nullum iſtic reperies vel templum, vel altare, vel ſimulacrum, vel feſtum, vel ſodalitium Divis ſacrum; nulla dona iis oblata, nulla thura incenſa; nulla ſacrificia in eorum honorem facta; nulla vota iis nuncupata; nullas litanias, nullas denique ſupplicationes, preces, vel gratiarum actiones iis ab illius memoriæ fidelibus factas. Non jam quæro qui templo, & ara, & ſacrificio; quæ latriæ ex Latinorum * dogmate propria ſunt, coli poſſint, quos ipſi Deos eſſe negant. Scio iſtorum tam eſſe acuta, tamque verſuta ingenia vt quæ cæteri mortales putant eſſe inter ſe ἀσύςατα, ea ipſi ſuæ Logices præſtigiis facile conciliare poſſint. Vnum hoc nunc quæro, cur iſta, quibus Divos Latini & colunt, & vero colendos eſſe decernunt, nulla Sanctis vetuſtiſſimis Chriſtiani decreverint? Pugnat Bellarminus fuiſſe apud eos veri nominis templa. Eſto. Sed cur nulla Divis ſacra? Si *Dominicum* (quod ille vult) templum apud Cyprianum eſt, certe templum fuit, non ab aliquo Divo, ſed à Domino dictum, adeoque non Divo, vel Domino ſacrum. Si (quod idem quoque ſtatuit) *domus* illa, de qua apud Aurelianum Auguſtum ab Antiochenis contra Paulum Epiſcopatu ob hæreſin abdicatum, litigatum eſt, templum fuit; *Eccleſiæ domum*, Euſebio dici; nullius Divi ædem dici lego. Quod ſi *Eccleſia*, in quam apud Paulum conveniebant Corinthij *templum* quoque ipſa fuit (quod Bellarmino ibidem placet) certe non Divi cujuſquam, ſed *Dei*; vt apud Paulum *Eccleſia*, ſic & templum fuit. Denique nullum Bellarminus, nullum quivis alius apud Chriſtianos in toto illo ad a. D. trecenteſimum, & quod excurrit, ſpatio, vel oſtendit, vel oſtendere poteſt ex veris quidem illius memoriæ monumentis (ficta enim & apocrypha nihil moror) templum, delubrum, ſacellum, vel B. Mariæ, vel Petro, aut Paulo, vel vlli omnino ſive de Angelorum, ſive de hominum ſanctorum numero erectum, dedicatum, ſacrum. Eccleſiæ vero alicujus Chriſtianæ *primitias* cujuſquam mortui hominis animæ ab alio, quam à Meneſio dedicatas vnquam fuiſſe, non equidem memini. Fuerit hoc Ieſuiticæ

CAPVT III.

Bellar. l. 3. de cultu SS. c. 9. §. Verum tamen.

** Bell, l. 1. de Sanct. Beat. c. 12. §. Tertia ſpecies.*

Id. l. 3. de Sanct. cultu. c. 4. §. Tertullian. Cyprian. de eleemoſ.

Euſeb. Hiſt. l. 7. cap. 30. τὸν τῆς ἐκκλησίας οἶκον.

1. Cor. 11. 18. 22.

CAPVT III.

elegantię (ex illa enim diſciplina emerſerat Meneſius) Chriſtianę quidem pietatis nondum quod ſciam, fuerat. Paulum memini Corinthiacę Eccleſię & primitias, & meſſem totam *viro*, ſed vni, ſed Chriſto, velut Virginem caſtam & deſpondere & exhibere. Sed & hunc memini, ſi qua illius Eccleſię particula in alterius, etiam *Apollo*, etiam *Pauli*, etiam ipſius *Cephæ* nomen coiret, exarſiſſe protinus indignantem, & ad vnum Chriſtum omnes revocantem exclamaſſe; *Diviſus eſt Chriſtus? Numquid Paulus crucifixus eſt prò vobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Neque poſtea apud Catholicos quidem, & orthodoxos Chriſtianos, quiſquam, quod ſciam, fuit, qui Meneſio Æthiopas ſuos Loyolæ animæ dedicanti, præiverit. Sed & hanc ipſam infauſtam ac inauſpicatam fuiſſe iſtius dedicationem eventus ſatis videtur docuiſſe. Nam neque hunc, neque ſocios ſive Latini, ſive Æthiopici ſanguinis, texit, neque ſuo nomini dedicatas, has tam in ſpeciem lætas Auſtralis meſſis primitias ad frugem maturitatemque exoptatam perduxit Loyolæ ſui anima. Ipſe Meneſias vix decimo poſtquam hoc dono ſuum Ignatium demulſerat, anno peracto, de finibus Æthiopię ejectus, ac Turco cuidam Satrapæ in ſervitutem traditus; Almeida ejus (vt vocant) *Coadjutor*, vnà cum ſex Ieſuitis, aliiſque Latini ritus Æthiopibus quadraginta ſupplicio affecti; Zelacriſtus ille Ignatianarum partium heros, in vincula & quidem arctiſſima, vnà cum aliis aliquot ejuſdem factionis conjectus; tota deniquè Meneſianæ meſſis ſpes ita fœde, miſereque vaſtata, & diſſipata eſt, vt Ignatianæ illæ ex Æthiopia laureæ, palmęque, & gloriæ, quibus iſti Europam noſtram aliquot annos obtuderant, nunc planè penituſque conticuiſſe videantur. Sed neque aras Latini vel Divę Virgini matri, vel vlli Divo poſitas, aut inſcriptas in ſinceris primi Chriſtianiſmi monumentis vllas demonſtrant; imo ne demonſtrare quidem conantur, Dei ſi forte aràs, Divorum nullas oſtentant. Chriſti *imagines* tribus illis ſæculis apud ejuſdem memoriæ Scriptores reperio quidem fateor, aliquas, ſed vel in Alexandri Severi, Pagani Principis, larario *, vel in hæreticorum lupanaribus ſacratas †, vel in curioſis privatorum ſi forte, bibliothecis ad memoriam repoſitas **, nullas in publicis Chriſtianorum Eccleſiis ad cultum proſtantes. Mariæ vero, & cæterorum Divorum, vt aram, ita neque imaginem vllam toto illo quod dixi tempore, apud noſtros deprehendo. Sed de *aris* poſtea, & de *imaginibus* deque *feſtis* ad ſingulos ſeorſum rerum ipſarum titulos dicendum erit. *Sodalitium* vero in alicujus Divi, vel Divę nomen inſtitutum, quales hodie ſunt Latinorum *fraternitates*, pervelim iſtorum nobis aliquis apud Apoſtolicam, & proximam Eccleſiam oſtendat; Illos præſertim promovendę rei Ieſuiticę tam commodos *Parthenios* requiro. Mirum, quod Paulus, quod Petrus, quod alij Apoſtoli, quos equidem ſapere nos putabamus, tam vtile ad convertendas gentes inſtrumentum non viderint. Nullos enim ab his *Parthenios* inſtitu-

tos,

2.Cor.11.2.

1.Cor.1.12. 13.

Maroco 1. Relat. 1649.

* *Æl. Lamprid. in Alex. Sev.*

† *Iren. adv. hæres. l. 1. c. 24.*

** *Euſeb. hiſt. l. 7. c. 18.*

ctos, vel in opere Domini adhibitos vſpiam apud Lucam totum legimus. Moroſi homines, & ad Ieſuitarum acumen plane rudes, ſuo illi *Chriſto* ita vni addicti fuerunt, vt dum nullam, niſi in eum, fraternitatem coaleſcere patiuntur, multas rei gerendæ & amplicandæ præclaras occaſiones perdiderint. Meminerunt & ipſi fateor, cujuſdam fraternitatis, quam diligi à nobis præcipiunt, cuique paſſionem in mundo fieri ſcribunt. Sed hæc ſane non videtur *Partheniorum* fuiſſe fraternitas, multis poſt ſæculis, obſtetricantibus, ni fallor, Ieſuitis, natorum. Meminerunt iidem & cujuſdam πατριᾶς, hoc eſt familiæ, ſive gentis, aut cognationis; ſed quæ & ipſa quoque à *Domino Ieſu Chriſto*, non à Diva Virgine, aut ab aliquo Divo, Loyolæ gemino, nominatur. Neque vero apud proximos eorum poſteros, vel *Parthenios*, vel *Michaëlios*, vel alios hujus cenſus ſodalis quæſieris. Plane nulli apud eos fuerunt. Ebulliiſſe, ſed quarto demum ſæculo, fateor non paucos, qui in ſodalitates coierint, ſed longe diverſi, ab hodiernis Partheniis & Michaëlis, &c. generis; ſæculi extorres, & in arenis, ac ſolitudinibus aviis procul publica hominum luce, vitæ communis exules, & *Dei*, non *Divi*, quod ſciam, vllius, religioſos, ac cultores: Certe non legi hactenus *monachos*, qui quarto Chriſtianiſmi ſæculo, Antonio primum, mox & Baſilio ducibus, exorti ſunt, eo inter cætera coiiſſe, vt vel Divæ Virginis *roſarium* quotidie recitarent, vel ſacras auctorum ſuorum imagines in ſacellis magna diligentia cuſtodirent, quod ſuorum Partheniorum & Loyolitarum ſodalium apud Iaponas officium inprimis fuiſſe nobis Ieſuitæ narrabant. Itaque fatendum eſt pulcherrimi hujus, & ad rem Chriſtianam longe vtiliſſimi inventi laudem non Apoſtolis, non ſequutis mox Patribus, ſed Latinis noviſſimorum temporum totam ex aſſe deberi; præſertim vero Ieſuitis; qui has ſodalitates ad commune Reipublicæ Catholicæ Romanæ bonum ita diligenter, ac ſolerter, & ingenioſe excoluerunt, vt iis nihil nunc quidem ad ſummum perfectionis apicem deeſſe videatur. Neque hos in hoc vno, Apoſtolicę diſciplinæ vel lacunas impleviſſe vel infantiam expoliviſſe putaveris. Alia multa numerari poſſunt (& nos aliqua ſuis locis fortaſſe indicabimus) quę ab Apoſtolis, Apoſtolicisque viris fœde ac turpiter neglecta, incurioſeque prætermiſſa noſtri illi vltimorum & ſæculorum & populorum Apoſtoli fœliciſſime, atque vtiliſſime ad Gentium & ſchiſmaticorum converſionem excogitata adhibuerunt; vt verbi gratia, ſigna, imagines, pictores, roſaria, grana benedicta, cruces ex omnis generis materia, aureas, argenteas, ligneas, lapideas, ſacella & delubra affabre picta, ornataque; tum terreni, cœleſtiſque orbis globos, ſphæras, trigona vitrea, horologia, Euclidem denique totum cum ſuo omni & mathematum, & automatorum, & mechanicorum apparatu; adhęc & lepidum venuſtumque illud ſcenę ingenium, & dramata, & choreas quoque, ac ſaltationes aulicarum æmulas. His enim maxime machinis ſapientiſſimi

CAPVT III.

1. Petr. 2.17. & 5.9.

Eph. 3.15.

CAPUT III.

tiſſimi Ieſuitę Iaponiſmum, & Siniſmum, & Æthiopiſmum noſtra & parentum memoria oppugnarunt; & res fortaſſe jam habuiſſet exitum, niſi barbaris neſcio vnde in mentem ſuſpicio quædam veniſſet aliud neſcio quid iſtos, quam *Ieſum* apud ſe quærere. Vtcunque ſit, his illi, pręclaris ſane (quis neget?) artibus ſuum illum Romanum, ac Loyoliticum Chriſtianiſmum vbique conſtituunt, atque ędificant; quas Apoſtolos, homines videlicet antiquæ ſimplicitatis, & ad aulę genium rudes, neſciviſſe certum eſt. Fortaſſe & ejuſdem ingenij fuit, quod ratio tandem reperta eſt, qua *ſacrificium*, res alioqui vnius ſummi Dei maxime propria, cum Virgine Matre, & aliis Divis ita communicaretur, vt in eorum quoque *honorem* fieret. Fruſtra Bellarminus huc Cyprianum trahit; *qui* (inquit) *petit annotari, & ad ſe ſcribi diem mortis Martyrum ſingulorum, vt poſſit nominatim in die anniverſario paſſionis eorum pro eis ſacrificium facere.* Locus, quem indicat, eſt in epiſtola ad presbyteros & diaconos Eccleſiæ Carthaginenſis à Cypriano ex ſeceſſu ſuo ſcripta; ſic autem habet; *Denique & dies eorum* (fratrum pro Chriſto vinctorum) *quibus excedunt annotate, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus.* Leve eſt, quod Bellarminus putavit eum de martyribus ipſis, id eſt de fidelibus ex magiſtratuum ſententia ac decreto occiſis atque animadverſis, loqui; cum revera de iis intelligat, qui in carcere, in quem erant ob fidem conjecti, vel ex infirmitate, vel ex tormentis, quę erant paſſi, ante latam de ſua cauſa à judicibus ſententiam, moriebantur, quos vnà cum martyribus conjungi vult, quod vna eademque eſſet vtrorumque ratio. Iam iſtorum *commemorationes*, & quidem *inter memorias martyrum celebrare* ſe velle dicit, quod homini cuivis, in pietate ac fide, maximè vero ob Chriſti nomen, mortuo tribui ac deferri fas eſt; *ſacrificia* ſe in eorum *honorem factarum*, qui honos vni Deo convenit, nullus dicit. Addit fateor & quidem ſtatim à ſe *celebrari oblationes & ſacrificia ob commemorationem eorum*; & antea ſed in alia epiſtola de Laurentino & Ignatio Martyribus; *Sacrificia* (inquit) *pro eis ſemper, vt meminiſtis, offerimus, quoties Martyrum paſſiones & dies anniverſaria commemoratione celebramus. Laudes* ſignificat, *quas Chriſtiani ſacris anniverſariis Deo dicebant, commemoratis eorum nominibus, qui martyrium obierant*, vt eruditiſſimi Rigaltij ipſiſſimis in eum locum verbis vtar. Illa ergo Cypriani *pro martyribus ſacrificia*, gratiarum erant ad Deum actiones pro eorum morte, fortitudine, ac ſalute; quę quod Deo offerrentur, *oblationes & ſacrificia* ex trita Scripturę & Eccleſię phraſi non propriè, ſed metaphoricè dicuntur. Vllum veri proprijque nominis externum *ſacrificium ad martyrum honorem factum* eſſe, neque hic Cyprianus, neque alius quiſquam ejuſdem ęvi Scriptor dicit. Soli Latini ita & loquuntur & factitant; abſurdiſſime ac pręter omnem rationem. Nam quicquid dicant, clarum eſt *ſacrificium*, proprie inquam dictum, *vnumquodque* in ejus

Cypr ep.57. p.56.

Ibid.

Cypr.ep.34.p. 53.init.

ipſi cui offertur, non autem illi [illegible] cui non offertur, [illegible] me- CAPVT
vero omnium ſacrificium ejus, pro quo offertur, *honorem fieri.* Ad hujus pro III.
quo offertur, vſum, commodum, atque ſalutem fit, ad Dei, cui offer-
tur, gloriam honorem. Ipſum Latinorum vulgus, ex communi ſcili-
cet ſimplicis, neque dum iſtorum ſubtilitatibus fucatæ naturę ſenſu
id judicat; ac pięque illa ſacrificia, quę *in honorem Divæ Virginis,*
aliorumve *Divorum* immolari dicuntur, bona fide putant non vni
Deo, ſed partim etiam illis ipſis Divis offerri. Siquidem, quorum no-
mine ſacrifici Latini *miſſas* hujuſmodi aliquando faciunt, & quorum
precibus conducti hęc ſacrificia immolant, ij inquam, non dubito, quin
totum [illegible] miſſarum, ſive ſacrificiorum opus ſive Virgini, ſive
alicui Divo, ad cujus honorem peragitur, animo ſuo offerant, deſti-
nent, ac conſecrent, ſeque ſe officij illi Divo proprii, proximeque
ac immediate exſolviſſe putent; Deo vero haud fere aliter, quam
quod eum Divorum honoribus gaudere, ac veluti ſibi ipſi oblatos re-
ſpicere gratoſque habere imaginantur. Vtcunque ſit, illud quidem
conſtat inauditum eſſe apud Apoſtolos, & proximos eorum ad a. D.
300. ſucceſſores illud cultus in Divos Latini genus, quo *ſacrificia in*
honorem Divæ Virginis & aliorum Divorum fieri dicuntur. Sed fac
hæc & cætera quæ recenſuimus ejuſdem generis Apoſtolorum & alio-
rum veterum captum atque ingenium ſuperaſſe, omninoque Loyolę,
& pullorum ejus acumen, & noviſſimorum Latinorum ſolertiam, &
Dialecticis ac Metaphyſicis, & Mathematicis diſciplinis excultas, ex-
politaſque mentes deſideraſſe, atque exſpectaſſe, illud certe opinor,
nō negabis homines ævi Apoſtolici Divos, ſi dulia religioſe colendos
cenſuiſſent, eos vel donariis & muneribus, thûre atque odoribus, preci-
bus item ac gratiarum actionibus donaturos ac mactaturos fuiſſe. Hoc
enim ex illo ita evidenter ſequitur, vt alterum ſine altero nemo ne in-
telligere quidem poſſit. Atqui donaria, preces, gratiarum actiones
Divis obtuliſſe, vel Apoſtolos, vel eorum ad a. D. 300. diſcipulos,
non magis reperimus, quam vel iis aras, templa, feſta, ſodalitia de-
dicaſſe, vel ſacrificia in eorumdem honorem feciſſe; vt ex veris quot-
quot extant, illius memoriæ libris clariſſimum eſt.

CAPUT IV

Argumentum II. inde petitum, quod ne ipſe quidem B. Virginis cultus religioſus, qui apud Latinos nunc longe frequentiſſimus, & pæne aſſiduus eſt, ullum apud Chriſtianos ante quartum ſeculum locum habuiſſe reperiatur, Idque inſtituto inter horum & Latinorum cultus parallelismo, & quatuor præterea argumentis demonſtratur.

QUOD antequam ſigillatim exſequi aggrediar, operæ pretium videtur iis, quæ de cultu Divorum Latino in genere diximus, ea quoque addere, quæ propria & eximia ſunt Divæ Virginis, cujus, quod Domini mater fuerit, ſingularis quædam eſt apud Latinos veneratio. Ac illud quidem ex ſuperioribus jam aliquatenus patet ipſum *Mariæ* nomen ita iis eſſe magnificum, ac ſacroſanctum, ut illud cum adorandis Dei ſummi rerum omnium parentis, & IESU Filii ejus unigeniti nominibus, quaſi ſui unius ejuſdemque cum iis ordinis, conjungere minime vereantur, illa vulgò notiſſima [illegible] frequentiſſime uſurpantes, *Laus Deo & Virgini Mariæ*; item *Ieſu Maria*, quoties ad aliquid ſubitum & inexpectatum exclamant. Has aliaſque ſimiles voces in ore omnibus pœne locis ac temporibus habent. Ieſuitæ ipſi narrant Firandenſem quendam piſcatorem, cujus pietatem valde commendant, domino ſuo, qui Paganus erat, in ſermone quodam familiari id eſſe teſtatum, affirmantem ſibi, & aliis, ejuſdem ſecum cenſus Chriſtianis ſolenne eſſe *Ieſu & Mariæ nomina paſſim, ubivis locorum, & ad omnem occaſionem invocare*. Itaque apud eos Iacobus Mimaſaca, nobilis Iapo, vir ad Latinum ritum religioſiſſimus, cum à neſcio quo forte ſibi obvio Ieſu & Mariæ nomina uſurpari audiret, magna lætitia geſtiſſe dicitur, veluti theſaurum inſperatum, nactus hominem ex hoc veluti certo Chriſtianiſmi ſui ſymbolo, vere Chriſtianum eſſe argumentans. Alibi tanquam illuſtre & indubitatum mirandæ Braſilienſium à ſe converſorum pietatis indicium notant, quod eorum ſylvæ atque agri *Ieſu & Maria* nominibus perſonarent, paſſimque audirentur barbari Angelicam Mariæ ſalutationem una cum oratione Dominica concinentes. His unum modo, ſed memorabile exemplum addam. Narrant mulierem quandam apud Iaponas fuiſſe Paganam, quæ Amidæ, Divi apud illos Ethnicos gentilitij, nomen centies quadragies millies ſingulis diebus immani quadam, planeque ſingulari ſuperſtitione pronuntiaret; Hanc poſtea ad Ieſuitarum fidem & ſacra traductam *Ieſu & Mariæ* nomina eadem veneratione coluiſſe, qua Amidæ nomen retro Pagana coluerat, eaque deinceps centies quadragies millies unoquoque die adorabundam pronuntiaſſe.

Sol. l. 16. c. 14. T. 2 p. 461.

Id. l. 15. c. 7.

Iarric. Indic. l. 3. c. 24. T. 2. p. 2. 1.

Sol. l. 19. c. 19. T. 2. p. 772.

Iam

Iam, vt cæteros Latinorum in Divam Virginem cultus attingamus, quidam ſacros, ſeptem quotannis dies feſtos præcipua pompa ac religione agunt: quibus Divæ, non modo, vt Chriſti nativitatem [a], & aſſumptionem [b], ſed etiam conceptionem [c], præſentationem [d], qua Deo a parentibus oblata eſt, annunciationem de Chriſti conceptione [e], purificationem [f], & viſitationem [g], qua Eliſabetham cognatam [illegible] celebrant. Præter ſeptem illos anniverſarios dies, qui ex præſcripto ab omnibus lege in commune obſervantur, plærique, ut paucos, qui quidem paulò ſunt religioſiores, etiam Sabbati diem ſingulis hebdomadis Virgini, vt Solis Chriſto, fere ſacrum habent. Iesuitæ quidem, qui de pictatis Latinæ zelo, haud facile aliquam conceſſerint, vbi Bungenſis in Iaponia Eccleſiæ ſtatus proſperè jactant, inter cætera hoc diſerte memorandum putarunt, [illegible] apud eam Sabbati diebus à duobus choris rite cantari illud in Virginem matrem ſolenne carmen, *Salve, Regina*; eoque ſacro narrant & ſuorum pietatem vehementer confirmatam, & exterorum, id eſt Paganorum, animos ad Chriſtianiſmi ſtudium non leviter fuiſſe incitatos. Alios eundem Saturni diem jejunio in Virginis cultum dicatum lego; vt Bungenſem illum Romanum, [illegible] Divæ addictum; vt Ioachimum [illegible] Martyrem; vt eius ſocium Thomam, de quibus eſt in Iaponicis Ieſuitarum Annalibus. Sed inter cæteros Divæ Virgini deferri a Latinis ſolitos cultus, nullus fere habetur crebrior, vulgatior, atque efficacior, quam orationis illius devota recitatio, quæ *Angelicæ ſalutationis* nomine apud eos circumfertur. Ea autem ſic habet; *Ave Maria, gratia plena. Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Ieſus. Sancta Maria, mater Domini, ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis noſtræ, Amen.* Hanc orationem vbique fere ac ſemper in ore habent. Primum in quotidianis ſuæ Eccleſiæ ſacris narrant Ieſuitæ inſtitutorum a ſe Iaponum hanc fuiſſe conſuetudinem, vt omnes peracta miſſa ter clara voce *Ave Maria* recitarent vnà cum precatione Dominica; vt iſti ſe ſuæ in numen religioni eo nondum ſatisfeciſſe putent, quod miſſæ ſacrificio interfuerint; quodque Deum oraverint, niſi & Divam Virginem hoc ter repetito carmine venerati ſint. Ac precum quidem vel ad Deum, vel ad Filium ejus Ieſum ab omnibus vbicunque deprehenſi ſint, eodem momento concipiendarum nullum apud Latinos ſignum publice dari vel vidi, vel audivi. Hujus vero orationis ad Divam Matrem fundendæ in omnibus eorum civitatibus, oppidis & pagis ſignum quotidie non ſemel dari omnes ſciunt; vnde & ille ipſe æris campani ſonitus, quo hujus religionis ſignum datur, *Ave Maria* vulgo apud Italos dicitur. Id inſtitutum tam vtile, tamque ſalutare eſſe creditur, vt Ieſuitas in Iaponia, cum vix pedem in ea poſuiſſent a. D. 1553. jam Arimæ inſtituiſſe legamus, vt quotidie veſpere, ipſo temporis quo ſol occidit, puncto campanæ ſonitu

[illegible] IV.
a d. 8 Sept.
b d. 15 Aug.
c d. 8 Dec.
d d. 21 Nov.
e d. 25 Mart.
f d. 2 Febr.
g d. 2 Iul.

Annal. Iap. a. 1615. [illegible] p. 60.

ibid.

Annal. Iap. a. 1614. p. [illegible]

Annal. Iap. a. 1582. p. 53.

CAPVT IV.

ſectu omnium [illegible] Divæ Virgini [illegible] ſalutatione admonendæ [illegible] in Europa [illegible] in Hiſpania & Italia [illegible], [illegible] omnium religione, [illegible] modo cantu [illegible] m[illegible], [illegible] coſ[illegible] per [illegible] ſu[illegible] ri, demiſſo [illegible] & ipſi, & tota [illegible] circumſtantis [illegible] in genua ſubito p[illegible], & [illegible] brevifſimo in Divam cultu tacito omnes murmure p[illegible] gant, cœptoſque ludos optima fide repetant [illegible] dum olim in Italia [illegible] non ſemel [illegible], & [illegible] ſpectaſſe & obſervaſſe meminimus. Ieſuitæ [illegible] nibus apud quoſcumque ad ſe vel ex Paganiſmo, vel [illegible] hunt, neophytos dilig[illegible] inſtituit, atque [illegible] Aloyſius Almeida eg[illegible] apud Iapones [illegible] tem deprædicans. *Pueri* inquit *ſin*[illegible] *tionis Angelicæ ad certum* [illegible] *in ea virginitate* [illegible] *nixi* [illegible] *totam horam in* [illegible] *pare* [illegible] *juſſu*. Alibi [illegible] primarium domi [illegible] opulentæ [illegible] tinnabulum, quo toties [illegible] ſingulis [illegible] lutatione Divæ Virginis [illegible]. Sic [illegible] Æthiopicum Zelacriſtum in [illegible] memorant, [illegible] campani ſono, quo [illegible] matutinæ, [illegible] Mariam de [illegible] brevi hac prece [illegible] orarent, [illegible] acto [illegible] mnibus geſt[illegible], quaſi [illegible] diſcurrerent, obvios quoſque rogantes, vt [illegible] & Angelicam ad Divam, & Dominicam ad Deum orationem [illegible] recitarent, quæ in purgatorio cruciantur. Quid jam memorem privatorum hominum propemodum infinitam in hac [illegible] ad Divam Virginem oratione diligentiam, ac devotionem? Mulierem [illegible] ex Paganiſmo ad ſuum ritum apud Iapones converſam narrant [illegible] cum mirabiliter ex gravi morbo convaluiſſet, quæ antea vix ſtare potuerit, templum poſtea quotidie adiiſſe, & Angelicam ſalutationem recitaſſe trecenties. Laudant [illegible] cujuſdam ex barbara Hutonum gente puellulæ pietatem, quod eandem illam orationem vnà cum prece Dominica quinquagies ſingulis diebus diceret. Nangazachenorum vero puerorum apud Iaponas congregationem ferventе perſecutione affirmant [illegible] illam ad Deum, inquam, & ad Divam orationem trecenties [illegible] recitaſſe. Sed hanc illi Matris Virginis invocationem ad Geor[illegible] inprimis converſionem valere eo docent, quod [illegible] ſepties quotidie Patris Riccij juſſu iterata viri Sinæ vxorem ad Chriſtianiſmũ adductam tradant; & ad rem eandem profuiſſe *Ave Maria* ſedecies millies à duabus virginibus in gratiam avunculi dictum non amplius vndecim ſpatio repetitum; votumque & bona fide

ab-

Epiſt Iapd. 3. *p.* 154. *B.*

Sol. l. 15. *c.* 8. *T.* 2. *p.* 336.

Annal. Æthiop. a. 162 *p.* 220.

Epiſt. Iap. l. 4. *p* 223. *B. a.* 1564.

Annal. Canad a. 1636. *de Hur. p* 13. *Ann. Iap a.* 1619. *p.* 2.

Trig. Mart. Iap. l. 3. *c.* 10. *p.* 284.

ab Iapone Medico exlo[illegible]tum Divæ Virgini certarum orationum in q[illegible] iennium pe[illegible]ſum tam [illegible]iſſe efficax, vt ejus vxor, cujus ſaluti totum [illegible] tam diuturnum precandi laborem deſtinabat, Chriſtianiſm[illegible] in ipſo [illegible] exitu voluerit. Ipſi apud iſtos concionatores publice interdum ab auditoribus poſtulant, vt orationem il[illegible]icam pro vario rerum ac temporum vſu aliquoties omnes & [illegible] tent. Ipſum Xaverium narrant Malacæ apud Indos vi[illegible] [illegible]mp[illegible], quam manibus geſtabat, ſignum dantem quotidie [illegible]aſſe omnibus clara voce purgatorio [illegible]ium hominum animas commendantem, exemploque præeuntem ipſum cum iis, qui ſequebantur, pu[illegible] *Ave Maria & Pater noſter* ante omnes publice pro iis [illegible]. N[illegible] ergo [illegible]andum hanc ad Divam orationem nobi[illegible] num a[illegible] neceſſ[illegible] cenſeri Ieſuitis religionis elemen[illegible] [illegible] diligenter catechumenos & neophytos, veluti vnam e præcipuis [illegible] catecheſeos partibus. Certe Bellarminus in ſuo Catechiſmo ſive Doctrinæ Chriſtianæ expoſitione Angelicam illam ad B. Virginem [illegible] precem non minus diligenter explicandam c[illegible], quam Dominicam ipſ[illegible], vbi neſcio qua vel fide [illegible] in primis docet illam orationem fuiſſe a D[illegible] compoſitam, quod [illegible] habeat, ipſe vi[illegible]. Neque [illegible] Petrus Canisius, [illegible] ſocietatis Theologus, [illegible] ſuis Catechi[illegible] omiſit, ſed [illegible] quæſtionibus accuratiſſime & [illegible], & explanavit. Sed hæc de ſalutatione, vt vocant, Angelica [illegible] ſunt. Eſt & inter ſolennes Latinorum ad Divam Virginem preces illa vulgatiſſima; *Salve Regina, mater miſericordiæ. Vita, dulcedo & ſpes noſtra ſalve; Ad te clamamus exules filii Evæ, Ad te ſuſpiramus gementes & flentes in hac lacrymarum valle. Eja ergo advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte; Et Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende; O clemens, o pia, ô dulcis Virgo Maria.* Hæc oratio, præterquam quod in ſolenni publicoque cultu ſuum crebro locum habet, etiam ſingulis Latini ritus fidelibus in ore frequens eſt; vt vel ex eo intelligere poſſumus, quod Xaverium narrant ſuos in Travancore apud Indos regno, neophytos eam diligentiſſime docuiſſe. Etiam martyres hanc vſurpaſſe [illegible] Matthæus Araquius; quem ad paſſionem exeuntem tradunt inprimis *Divam Virginem ſolenni cantico ſalutaſſe*, Salve Regina. Iam ſi alias Latinorum ad Divam Matrem Virginem preces conceptas, ſolenneſque, publicas & privatas commemorare omnes voluero, nullus erit dicendi finis. Nulla enim in parte magis, vt ſic dicam, luxuriat iſtorum religio. Soli librorum tituli, quos de hoc argumento ab his ducentis retro annis monachi ediderunt, juſtū pœne volumen conficere poſſint. Nec dum tamen finis eſt. Novi quotidie fiunt, ac prodeunt; neque iſtorum in Divam devotio expleri poteſt. Ego inſigniora tantum, quatenus inſtituti mei ratio id poſcit, breviter

Margin notes: CAPUT IV. — *Iarric. l. 1. c. 12. T. 1. p. 138.* — *Bell. Catech. c. 5.* — *Canis. Catechet. Tit. 2. de Spe. & orat. Dom. q. 15. 16. 17. 18. 19.* — *Breviar. ad Complet. p. 154. B.* — *Trig. Mart. Iap. l. 4. c. 9. p. 401.*

CAPVT IV.

attingam. Litaniæ inprimis Virginis [illegible] commendæ [illegible] Latinos ſupra in rerum ſuarum hiſtoria [illegible] ſemel commemora[illegible] dimus. Eæ autem, quod ipſa vox ſonat, preces ſunt, & quidem [illegible] ceptis verbis, certoque ordine diſpoſitæ, in quibus præter [illegible] ad Deum directa, reliqua omnia ad Virginem pertinent. In his [illegible] qua exempli cauſa adferam) Divam his verbis precantur, *Sancta Maria, quæ totum mundum illuminas ora pro nobis, &c. Virga Ieſſe Chriſtifera, Virgo ſalus & beatitudo, Arbor vitæ fructifera, ora pro* [illegible] &c. *Illuminatrix cordium, conſolatrix flentium, con[illegible]latio* [illegible] *ora pro nobis. Mater ſanctitatis, mater orphanorum,* [illegible] *lorum, janua regni cœlorum, Regina Angelorum, Regina Prophetarum, Regina Apoſtolorum & Evangeliſtarum* &c. *Regina* [illegible] *Sanctorum, ora pro nobis*, &c. *Sancta Maria, cui Angeli obediunt & obſequuntur*, &c. *ora pro nobis. Propitia eſto, parce nobis Domina. Ab omni malo libera nos Domina, Vt ſanctam Eccleſiam piiſſima Domina, conſervare digneris, Te rogamus, audi nos*, &c. *Mater Dei, Regina cœli, Domina mundi cum Filio tuo ſanctiſſimo miſerere nobis.* [illegible] niis adde officium Divæ Mariæ p[illegible], quod eſt in omnium manibus, & in Eccleſia omnibus totius anni Sabbatis, paucis exceptis, dicitur, ex variis proſis [illegible], hymnis, pſalmis, atque lectionibus in ejus honorem con[illegible]tum, in ſuas horas ſuaque tempora [illegible] to ordine digeſtum. Miſſis cæteris, quæ in Divæ laudem dicta [illegible] bello continentur, nonnullis [illegible]bus, & hymnis deſcribere placuit; Quale verbi gratia [illegible] eſt, quod Divæ Matri devotus ita precatur, *Dignare me laudare te, Virgo ſacrata Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.* Item [illegible], *Nos cum prole benedicat Virgo Maria;* Et illud, *Beata Dei genitrix Maria, Virgo perpetua, templum Domini, ſacrarium Spiritus Sancti, ſola ſine exemplo placuiſti Domino noſtro Ieſu Chriſto; Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu, Sentiant omnes tuum juvamen, Quicumque celebrant tuam ſanctam commemorationem.* In hymnis vero ſic ad Divam non uno in loco canunt, *Maria, mater gratiæ, Mater miſericordiæ Tu nos ab hoſte protege, Et hora mortis ſuſcipe.* Iſtic quoque ad veſperas ſequens hymnus legitur; *Ave maris ſtella, Dei mater alma, Atque ſemper Virgo, Fœlix cœli porta, Sumens illud ave Gabrielis ore, Funda nos in pace, Mutans Evæ nomen: Solve vincla reis, Profer lumen cæcis; Mala noſtra pelle, Bona cuncta poſce, Monſtra te eſſe matrem. Sumat per te preces, Qui pro nobis natus Tulit eſſe tuus. Virgo ſingularis Inter omnes mitis, Nos culpis ſolutos, Mites fac & caſtos, Vitam præſta puram, Iter para tutum, Vt videntes Ieſum Semper collætemur.* Sunt & aliæ plurimæ ad Divam Virginem orationes in ſolenni Latinorum uſu. Cæteras mitto; Vnam proſam non tacebo, cujus hoc eſt initium; *Mariæ præconio Serviat cum gaudio Fervens deſiderio Verus amor.* In ea hæc leguntur *Ave ſalus hominum, Virgo decus Virginum*; Item iſta;

In fine Miſſal. p. 81.

Ave

Ave manans ſatis Fons miſericordiæ, Vera mentis ſauciæ Medicina. Tu es Porta veniæ, Tu lucerna gratiæ, Tu ſuperna gloriæ Es Regina. Et paullò poſt; *O felix puerpera, Noſtra pians ſcelera, Iure matris impera Redemptori. Da fidei fœdera, Da ſalutis opera, Da in vita vera vere mori.* Calvinus noſter ad hanc proſam reſpiciens, indignatus erat S. Virginem ab ipſis rogari, vt Filium jubeat facere, quod petunt. Bellarminus, qui nemo vnquam ex ſuis quicquam hujuſmodi Divam Virginem rogaverit, inverecunde reſpondet, *At quis*(inquit) *hominum hoc dicit? Cur non probat vllo exemplo?* Ego vero miror, quid illi in mentem venerit, vt rem adeo notam ac vulgarem negarit. Qui enim Mariam rogat, vt jure matris imperet Redemptori, hiccine quæſo, non rogat, vt *Virgo*, quod ſcribit Calvinus, *jubeat Filium facere, quod ipſe petit?* De proſa vero, quæ deſcripta à nobis verba continet, dubitari non poteſt. Non etiam anno hujus ſæculi XXXIV. Lutetiæ cum ſuperiorum licentia Miſſale excuſſum eſt, in quo illa roſa, vt edidimus, habetur. Sed præter hoc, de quo diximus, publicum B. Virginis officium, cęteraſque orationes ac preces in vſu Latinorum ſolemnes, fuit qui cum videret ſacrum Pſalmorum opus ad Dei cultum in Eccleſia haberi, Pſalterium Divæ Virgini, Davidici æmulum, conſecraverit, ne quid ejus honoribus deeſſet. Divum Bonaventuram operis auctorem inſcribunt, qui in lingua Francica expreſſum illuſtriſſimæ, regiique & ſanguinis & nominis mulieri Ioannæ Borboniæ, ſanctæ crucis apud Pictavos, & Ioarrenſi ad Marronam Abbatiſſæ dicatum, cum Regis privilegio, & Doctorum Sorbonæ Regentium approbatione Lutetiæ a. D. 1607. publicarunt; vt ridiculus ſit Perronius, qui de auctore, deque libro, velut apud ſuos ignobili, nulliuſve auctoritatis dubitat, ſeque quaſi fingit numquam ſibi viſum, qui eſt in vulgi manibus, neque vllius unquam Inquiſitoris, aut Doctoris cenſura vel leviter perſtrictus fuit. In eo autem libro omnes Davidis hymni ad Divam Virginem craſſo quodam, pinguique artificio detorquentur; & quæcumque Hebræus vates de Deo cecinerat, in hanc ſtite transcribuntur neſcio quo prodigioſo & apud Chriſtianos veteres inaudito parodiæ genere. Verbi gratia. David Dominum Deum ita precatur; *Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.* Divę Virginis Pſaltes hinc verbis leviter immutatis iſta effinxit; *Miſerere mei* (inquit) *beatiſſima Domina, quæ Mater miſericordiæ vocaris, ac me pro innato miſericordiæ affectu ab omnibus meis iniquitatibus purga.* Sic alibi, David quidem, *Bonum eſt* (inquit) *confiteri Domino, & pſallere nomini tuo, Altiſſime*; Bonaventura vero; *Bonum eſt* (inquit) *confiteri Virgini Mariæ, & ejus nomini gloriam pſallendo dare ſpiritus eſt proſperitas.* David; *Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo ſalutari noſtro.* Bonaventura; *Venite, exultemus ergo Dominæ, jubilemus Virgini, quæ ſalus noſtra eſt.* David, *Venite, adoremus, & pro-*

Bell. l. 1. de Sanct. beat. c. 16. §. Quinto ibidem dicis.

Miſſal. Pariſ. edit. a. D. 1634. in libro extremo p. 81.

Perron. Repliq. l. 5. c. 7 p. 84.

Pſ. 51. (Lat. 50.) 1. 2.

Pſalter. Bonav. p. 40.

Pſ. 92. (Lat. 91.) 2.

Pſalt. Bon. p. 68.

Pſ. 94. 1. 6.

Pſalt. Bon. p. 69.

Pſ. 103. (Lat. 102.) 1. 3.

αὐτῶν; Certe enim præ cæteris omnibus pietatis ac fidei partibus à divinis viris quam accuratiſſime conſtitui decuit religioſum ipſum cultum, totius, vt liquet, religionis fundamentum, in quo nullus poteſt error contingere, qui non ſit idem cum maxima pernicie conjunctus. Atqui Scriptura de illo quem expoſuimus, Latinorum in Beatam Mariam cultu, non magis quam de Epiphanianorum Collyridianorum placentis ac ſacris quicquam vſpiam dicit. Actus Apoſtolorum fideliſſime ac diligentiſſime à Luca conſcriptos evolve; Pauli divinas illas quatuordecim epiſtolas perlege; Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ, quæcumque ſancto canone cenſentur, percurre, inſpice, expende. Nullum in his omnibus de Virginis Matris *hyperdulia* verbum reperies; Ne ejus quidem nomen (quod eſt multo mirabilius) in omnibus iſtis Scripturis vſpiam vel poſitum legitur, niſi ſemel apud Lucam; vbi de ea, ſed adhuc ſuperſtite, nec dum cœlite, hoc vnum dicit, Apoſtolos *omnes fuiſſe perſeverantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Ieſu & fratribus ejus.* Vſque adeone vel Mariæ matris Domini ſui gloriam, vel hominum religionem ac ſalutem neglexerunt, ac pro nihilo habuerunt viri omnium Chriſtianorum longe ſanctiſſimi atque ſapientiſſimi, vt ſi hunc à nobis ei cultum & deberi putaſſent, & deferri voluiſſent, de eo nihil in tam multis libris nos monituri fuerint, in iis, inquam, libris, quos totos à capite ad calcem de vna religione ſcripſerunt, deque iis quæ vel ad fidem de rebus divinis noſtram, vel ad religionis, pietatis & caritatis officia pertinent? Vt ergo Epiphanius Collyridianorum εἰδωλολατρικὸν, vt ipſe vocat *idololatricum* inſtitutum, eo ſe abunde ſubmoviſſe ac refutaſſe putat, quod nulla de eo Scriptura docuit, ita profecto & omnis ille Latinorum in Virginem cultus eo vanus & exitialis eſſe ſatis arguitur, quod de eo nihil in Scripturis præceptum legimus. Præter Scripturarum divinarum tam conſtans ſilentium, idem quoque inde invicte confirmatur, quod eorum Chriſtianorum, qui Apoſtolis proximi ab iis ad quarti ſæculi initia vixerunt, nemo reperitur quicquam Latinis ſimile de Mariæ cultu vel factitaſſe, vel docuiſſe. Inprimis, nuſpiam apud illius memoriæ Scriptores, qui tam multi ſunt, occurrit *Mariæ* nomen cum Dei aut Ieſu nominibus conjunctum, qua formula pleni ſunt omnes Latinorum & ſermones, & libri; Inauditum apud eos barbaricæ pietatis monſtrum à Ieſuitis narratum & approbatum, vt quis quotidie vtrumque Ieſu & Mariæ nomen centies quadragies mulies pronuntiet; Inauditum, vt vel centies, vel decies, imo vt vel quater vel etiam ſemel. Qui pietatem non in ſonis & ſyllabis, ſed in fide & in rebus conſtituebant, iis haud dubie tota hæc battologica religio peregrina, & ſuperſtitioſa & inanis viſa eſſet. Illi vero non modo Mariæ nomen non invocant *paſſim, vt vkivis locorum, & ad omnem occaſionem* (quod de ſuis Latinis profitebatur Firendenſis ille à Ieſuitis laudatus piſcator) ſed id etiam parciſſime vſurpant, ac

ZZ e raro

CAPVT IV.

raro de ipſa Virgine verba faciunt; & ſi quando faciunt, non *Dominam*, aut *noſtram Dominam*, vel *cœli* & *Angelorum Reginam*, vt Latini; ſed ſimpliciter *Mariam* vocant; vt apud auctores tum divinos, tum Eccleſiaſticos videre eſt. Lucas fateor, in loco nuper deſcripto *Ieſu matrem* dixit, ſed diſcriminis, non religionis cauſa; vt eam a Maria Ioannis matre, & aliis ſi forte piis mulieribus, diſtingueret, quibuſcum hoc cum B. Virgine nomen commune erat. Neque aliter vetuſtiſſimi Chriſtianiſmi Scriptores. Tertullianus; *Dominus* (inquit) *Ioannem loco ſuo filium Mariæ demandavit*. Ioannis honos, quem eo loco extruit, poſcebat, vt *Dominam*, vel *Divam* diceret. Et hic dixiſſet haud dubie, ſi Ieſuitarum diſcipulus fuiſſet. Idem alibi; *Deus ſciebat* (inquit) *illi* (homini) *ſexum Mariæ & deinceps Eccleſiæ profuturum*. Item; *Caro Chriſti ex vtero* (inquit) *Mariæ floruit*. Et paulo ante, *Chriſtum* (inquit) *intelligere debetis ex David deputatum carnali genere, ob Mariæ Virginis cenſum*. Hic *Virginis*; nuſquam *Domina* vel *Diva* elogium. Eadem Origenis ſimplicitas; *Ad Mariam* (inquit) *ab Angelo dicitur*; Spiritus Sanctus ſupervenies in te. Idem alibi cum quaedam ex apocryphis citaſſet; *Qui talia dicunt* (inquit) *dignitatem Mariæ in virginitate ad finem vſque ſervare volunt*. Et paucis interiectis, *Arbitror* (inquit) *rationi conſentaneum eſſe, virilis quidem puritatis in caſtitate primitias fuiſſe Ieſum; muliebris vero Mariam*. Idem alibi; *Anima Mariæ primum magnificat Dominum*, &, *In quam humilitatem Mariæ reſpexit Dominus*. Idem in eodem opere, *Audacter diceremus Mariam, quæ homo erat, purgatione indiguiſſe poſt partum*. Bis tantum repetio *Beatam Mariam* cum elogio dixiſſe; quod quidem meminerim. Ita hic, ita cæteri omnis illius memoriæ Scriptores, neque quemquam ex toto eorum numero invenio, qui Mariæ nomen, vel cum Ieſu aut Dei nomine conjunxerit, vel qui eam *Dominam ſuam*, aut *cœli Reginam* nuncupaverit. Iam & de Latinis illis ſeptem Mariæ feſtivitatibus anniverſariis altum apud eos ſilentium. Nullam earum Tertullianus, nullam Origenes memorat; quo loco vterque eos dies recenſet, qui in aliqua eſſent apud ſui temporis Eccleſiam obſervatione; ac ne fictitius quidem ille Conſtitutionum Apoſtolicarum auctor Clemens, qui quarto ſæculo & quidem adulto vixiſſe videtur, tametſi in quodam capite feſtorum celebrationem commendans ne ea quidem omittat, quæ jam tum erant Apoſtolorum & Martyrum memoriæ dicata; quod certiſſimo argumento eſſe debet in Chriſtianorũ religionem prius invectum fuiſſe Martyrum, quam Mariæ cultum. Sed & ex hiſtoria Eccleſiaſtica patet omnia illa Mariæ feſta poſt tertium Chriſtianiſmi ſæculum inſtituta fuiſſe. Conceptionis quidem & Viſitationis feſta in Eccleſia Latina nova ſunt, etiam fatente Bellarmino, illud à Sixto IV. hoc ab Vrbano VI. Pontificibus Romanis inſtitutum; quorum ille quidem a. D. 1471. iſte vero a. D. 1378. in Romanam ſedem evectus eſt. Feſtum Nativitatis longe antiquius eſſe pertendit;

Tertull. de Præſcrip. hæret. c. 22. p. 238 D.
ibid.
Id. contr. Marc. l. 2. c. 4. p. 456. A.
Ibid. l. 3. c. 20. p. 495. B.
ibid.
Origen l. 1. contr. Celſ. p. 675.
Id. in Matt. c. 13. p. 13. in.
Id. in Luc. hom. 8. p. 117.
Ibid hom. 14 init. p. 123.
Id. in Luc. hom 7. p. 116
Orig. in Matt. p. 217.

Tertull. l. de Ieiun. c. 14.
Orig. contr. Celſ. 8. p. 47.
Conſtit. Apoſt. l. 8. c. 33.

Bell. de cultu Sanct. l. 3. c. 16. §. Dico ſecundo
Bellarm.

tendit;

tendit, ſed nullos tamen de hoc auctores edit Petro Damiani. & Gregorio P.R. I. vetuſtiores; quorum ille ſæculo vndecimo, hic ſexto, ſed exeunte vixit. Feſtum Annunciationis etiam ſuperiore antiquius eſſe dicit, ſed ridiculo argumento, quod *extet* (inquit) *oratio S. Athanaſij de S. Deipara, vbi expreſſe meminit hujus feſti.* At idem ille Bellarminus alibi multis & quidem veris rationibus demonſtrat illam de Deipara orationem non Athanaſij (qui tamen infra tertium ſæculum ad a. D. 70. pœne pervenit) ſed alicujus eſſe poſterioris, qui poſt ſextam Synodum (id eſt poſt a. D. 680.) vixerit; idemque ante eum probaverat Baronius; qui & A. Agelij viri eruditiſſimi, eandem quoque de hoc opuſculo ſententiam fuiſſe teſtatus erat. Feſta denique Purificationis & Aſſumptionis B. Mariæ antiquiſſima eſſe affirmat; ſed non aliis teſtibus, quam Amphilochio, Gregorio Nyſſeno, Chryſoſtomo, Cyrillo Alexandrino, Andrea Cretenſi, & Gregorio Romano; quos omnes ſciunt poſt ſæculum tertium floruiſſe. Ego vero reperio apud Annales veteres anno demum 861. feſtum aſſumptionis Mariæ apud Morinos, quæ Galliæ Belgicæ civitas eſt, celebrari cœptum eſſe ob miraculum *camiſij*, id eſt veſtitus linei *; apud Anaſtaſium vero Bibliothecarium lego octavam ejuſdem feſti à Leone P. R IV. (cujus ipſe temporibus vivebat) circa annum 849. Romæ celebrari juſſam eſſe; quod vtrumque feſti hujus novitatem arguit. Cur enim feſti jam inde ab antiquiſſimis temporibus inſtituti, vel celebratione Morini, vel octava Romani nono adhuc ſæculo & quidem adulto caruiſſent? Feſtum vero Purificationis, quod *Hypapante* Græcis dicitur, idem Anaſtaſius in alio opere à Juſtiniani Auguſti X V. (id eſt circiter a. D. 546.) Conſtantinopoli celebrari die ſecunda Februarij cœpiſſe ſcribit. Ex his ſatis nunc liquet novitia eſſe Latina hæc Mariæ feſta, omniaque poſt tertium ſæculum inſtituta. Vllam vero fuiſſe apud veteres Sabbati obſervationem ad Divæ Virginis honorem ſive cantu, ſive jejunio conſtantem, res eſt in omni illa memoria inaudita; neque hic ritus diu ante hæc vltima ſæcula inſtitutus videtur. Neque orationis illius Angelicæ, qua tam aſſidue Divam Virginem Latini ſalutandam putant, vllius vſpiam non modo apud vetuſtiſſimos trium primorum ſeculorum, ſed ne apud quarti quidem auctores vſus deprehenditur; non in ſacris liturgiis, non in privatis ſingulorum fidelium cultibus, non denique in vlla vitæ Chriſtianæ parte. Extant in commentitio quidem, ſed veteri tamen & ante quarti ſæculi extrema vt videtur, edito Conſtitutionum Apoſtolicarum opere plurimæ preces & à miniſtris & à plebe pronuntiari tum ſolitæ, vel in publica Euchariſtiæ liturgia, vel alibi. Sed nullum iſtic *Ave Maria* occurrit; nemo qui ſacris Eccleſiaſticis auditis, ter hoc carmen, quod Iapones Ieſuitarum diſcipuli factitant, vnà cum oratione Dominica recitet. Signum vero illud, quod æris campani ſonitu ter quotidie Chriſtianos ad Virginem ea ſalutatione adorandam

Bell. de ſcript. Eccleſ. in Athan. Ibi. in T. 3.

Baron. a. D. 48 § 19. 20. 21. 22. 23. Bell. l. 3. de cul. ss. c. 16. § Feſtum purif.

**Ann Bertin. T. 3. Scrip. Franc. ad a. 861. B. C.*

Anaſtaſ. in Leone IV. p. 418. 2. B.

Anaſt in hiſt. Eccleſ. p. 63.

CAPVT IV.

vocat, fruſtra apud majores quæſieris. Nuſquam invenies. Licebat tūc apud noſtros ſine vlla hæreſeos ſuſpicione & orientem & occidentem, & in ſummo noſtri cœli vertice rutilantem ſpectare ſolem, etiamſi nullum *Ave Maria* dixiſſes; quod nunc non licet apud Italos; qui ſiquem videant tria illa diei primaria puncta inſalutata Diuâ tranſmittere *Lutheranum* illico hominem eſſe clamant. Sed neque Conſtantinum inter cætera, quæ ad imbuendum Chriſtiana pietate exercitum pro ſuo in eam zelo inſtituit, vel de ære ſingulis veſperis in caſtris pulſando, vel de pueris diſcurſantibus & omnes ad ferendum purgatorij inquilinis opem nolarum tinnitu excitantibus, ad Zelacriſti inſtar quicquam decreviſſe videmus; non magis, quam quod ſupra obſervavimus, de Euchariſtiæ adoratione. Ne domi quidem ſuæ id curaſſe maximum illum & laudatiſſimum Principem ſcimus, quod de Ieſu mandono ſuo tradunt Ieſuitæ, vti nimirum ter quotidie omnis ſua familia tintinnabuli ſono ad Virginem hoc carmine propitiandam excitetur. Tanti eſt ſcilicet Ieſuitarum eſſe diſcipulum! Hoc vnum Conſtantino defuit, & quia defuit, merito omnem ejus Chriſtianiſmum, omneſque laudes vincunt etiam Æthiopes, ac Iaponenſes, Canadenſeſque de vltima barbaria Chriſtiani. Ac vt ſcias vtra ſit diſciplina potior Ieſuitarum ne an veterum, cedo mihi vel vnum ex tota ſacra antiquitate, qui ſalutationem Angelicam vel trecenties, vel quinquies deſies quotidie, vel aliquot hebdomadarum ſpatio trecenties millies, vel diebus vndecim ſedecies millies recitaverit, vel qui divina nomina *Ieſus Maria* centies quadragies millies pronuntiarit? Hæc, quæ nunc ſunt Ieſuitarum puellulis, virginibus, vetulis etiam ex mediis Huronibus & Iaponibus; familiaria, qui ex veteribus Chriſtianis fecerit, didicerit, ſciverit ſi vel vnum dederis, viceris. Sed nullum vnquam dabis, ſat ſcio. Ergo vel in gratiis confitere Ieſuitas omnium Chriſtianorum abſque controverſia longe eſſe religioſiſſimos atque excellentiſſimos, qui ea de religioſo cultu commentati ſunt, & apud orbem vniverſum (ſi quā fata ſinant) propagaturi ſunt, de quibus etiam illi de prima antiquitate Chriſtiani ne fando quidem, imò nec ſomniando quicquam vnquam vel inaudiverant, vel cogitarant. Plane enim hæc illos neſciviſſe vel inde perſpicere certo poſſumus, quod ea ad infidelium converſionem, ad quam vtiliſſima eſſe ex Ieſuitarum exemplis patet, nunquam ab Apoſtolis & eorum ad a. D. 300. diſcipulis adhibita eſſe aut vſurpata legamus. Non enim vſpiam in illorum vel Actis, divinitus à Luca deſcriptis, vel cæteris libris Eccleſiaſticis, qui annis ad trecenteſimum ſequentibus vere editi ſuperſunt, invenimus quemquam à Paganiſmo ad Chriſtianiſmū traductum mirabili illa ſalutationis Angelicæ, vel ſepties (vt præcipiebat Pater Riccius) vel ſedecies millies (vt Ieſuitarum diſcipulæ vſurparunt) repetitæ machina; aut aliquem illius memoriæ Chriſtianum virum legimus ſuam vxorem ad fidei Evangelicæ communionem attraxiſſe voto,

aliquo,

aliquo precum ad Virginem penſo; quo vſum tradunt Ieſuitæ ſuum illum ex Iaponia medicum. Extant in Actis & cæteris illorum ſæculorum libris & Iudæorum, & Samaritanorum, & Gentilium, Græcorum ac barbarorum non paucæ ad Chriſtum converſiones; Iuſtinus, ſuam ipſe ſigillatim ſatis operoſe deſcribit; & alij alias. Nulla eſt, ad quam vſurpatum fuiſſe vllum *Ave Maria* memoretur. Longe aliis telis illæ Chriſti copiæ vſæ eſſe dicuntur ad ſubigendas gentes. At ſi *Ave Maria*, vel millies recitare ad hoc tantum opus vtile erat, digna res fuit, quam Apoſtoli & Apoſtolici viri vel factitarent ipſi, vel ſuos certe diſcipulos docerent. Neutrum fecerunt, nullum tam ſalutaris inventi vel exemplum, vel præceptum vſquam dederunt. Vel ergo confitendum eſt teneri eos manifeſti flagitij reos, qui tam vtilem diſciplinæ partem tam ſupine neglexerunt; vel concedendum (in quam ego ſententiam libentius pace Ieſuitarum iverim) nihil ad verum ſincerumque Chriſtianiſmum pertinere omnem illam ſalutationis Angelicæ tam anxiam, tamque moroſam recitationem. Sed eam Divæ Virginis adorationem non modo non fuiſſe ad convertendos infideles à veteribus adhibitam, ſed iis plane penituſque ignotum fuiſſe omnem in vlla pietatis parte hujus orationis vſum, ſatis, vt videtur, ex Origene intelligimus. Is enim ipſam illam Mariæ ab Angelo delatam ſalutationē, quæ apud Lucam extat, enarrans homilia in illud Evangelium ſexta, nihil plane dicit de hac mirabili, omniumque, vt Latini quidem volunt, fidelium ſolenni oratione, ex ipſiſſimis Gabrielis verbis contexta, *Ave Maria gratia plena; Dominus tecum; Benedicta tu in mulieribus*; vnde & eam vulgo *ſalutationem Angelicam vocant.* Iam vero plane eſt incredibile virum diligentiſſimum non fuiſſe tali loco hoc ipſum commemoraturum, auditoreſque ad hujus orationis commendationem admoniturum eam ex his Gabrielis verbis ductam eſſe, ſi ea vt hodie Latinæ eſt, ſic quoque tum fuiſſet Chriſtianæ Eccleſiæ ſolennis. Ille vero alia quædam in hunc locum obſervat, vt vocem κεχαριτωμένη nuſquam in Scripturis occurrere; & *ſoli Mariæ hanc ſalutationem ſervari.* Hic omnino erat adjecturus *ideo ab Eccleſia eadem quoque voce Mariam ſalutari in ſolenni ejus adoratione*; ſi Mariam tum adorari & quidem hac ipſa Gabrielis ad eam ſalutatione ſolenne fuiſſet. Nihil ſimile in tota loci expoſitione dixit; Ergo & hinc apparet in nullo tum Chriſtianorum vſu hanc Mariæ adorationem fuiſſe. Cætera ejuſdem rei argumenta inde petita, quod hanc, aut alias Latinorum ſimiles ad Divam preces aut gratiarum actiones, aut laudes, nullos in vlla cultus vetuſtiſſimorum Chriſtianorum religioſi parte reperiamus, nunc mittimus, infra dicturi, quod ea *duliæ* cum *hyperdulia* communia ſint omnemque religioſam creaturarum adorationem ſimul ac ſemel evertant. Vnum tantum & alterum, quæ Mariæ *hyperduliam* proprie petunt, his addemus. Primum ergo inde ſumimus, quod à Celſo cæteriſque Paganis ejus ævi nuſquam noſtris objecta

CAPUT IV.

Iuſtin. Dial. adv. Tryph.

Orig. in Luc. hom. 6. p. 215.
Luc. 1. 28.

CAPVT IV.

objecta fuerit Divæ Virginis illa latriæ, vt Latini ipſi decernunt, proxima hyperdulia. Celſus Chriſtianis, Chriſti quidem *hyperthreſciam* obiicere non omiſit; id eſt eximium & præcellentem ejus cultum; τὸν ἔναγχος φανέντα (inquit) τοῦτον ὙΠΕΡΘΡΗΣΚΕΎΟΥΣΙ, *Hunc recens exortum colunt cultu ſupra omnem cultum eximio.* Idem ergo & Mariæ *hyperduliam* noſtris, ſi qua tum apud eos fuiſſet, pariter erat objecturus; maxime quo loco Iudæum inducit beatiſſimæ Virgini maledicentem, ac Domino *Ieſu exprobrantem, quod è vico Iudaico ſit ortus, e muliere indigena, paupercula, victum parante operis manuariis, quam aut ejectam a marito fabro materiario, quaſi deprehenſam in adulterio*; deinde *narrat à viro ſic expulſam, & ignominioſe vagabundam edidiſſe Ieſum partu clanculario.* ὀνειδίζει δ᾽ αὐτῷ καὶ ὅτι τὸ ἐκ κώμης γεγονέναι Ἰουδαϊκῆς, καὶ ἀπὸ γυναικὸς ἐγχωρίου καὶ πενιχρᾶς, καὶ χερνήτιδος· φησὶ δ᾽ αὐτὴν καὶ ὑπὸ τοῦ γήμαντος, τέκτονος τὴν τέχνην ὄντος, ἐξεῶσθαι ἐλεγχθεῖσαν ὡς μεμοιχευμένην. εἶτα λέγει, ὡς ἐκβληθεῖσα ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς, καὶ πλανωμένη ἀτίμως σκότιον ἐγέννησε τὸν Ἰησοῦν. Sed & fictitij adulteri nomen & artem addebat, *militem* quemdam fuiſſe *nomine Pantheram*; Mariam peperiſſe ἀπό τινος στρατιώτου Πανθήρα τοὔνομα; quæ fabula ex infandis Iudæorum in Dominum mendaciis atque blaſphemiis profluxit. Hic enim Πανθήρας haud dubie eſt ille פנדירא *Panderas* Talmudicorum, cujus illi Ieſum dicunt eſſe Filium ישו בן פנדירא *Ieſus filius Panderæ.* Et eruditiſſimus Buxtorfius notat id nomen ſe reperiſſe in quodam Iudaïco volumine (cui titulus eſt *En Iſraël*) fol. 174 2. ſcriptum in medio per *Thau*, non per *Daleth* פנתירא; quod eſt ipſiſſimum Celſi Πανθήρας; qui hunc *militem* de ſuo fecit. Iudæi nihil tale, quod ſciam, produnt. Sed militis perſonam Celſus adultero congruere judicavit. Nam & Iudæos illum cujus Ieſum filium ferunt, Pantheram, ipſum quoque virum fuiſſe à Maria alienum, id eſt alium ab ejus marito ſatis innuunt, dum *Mariam illam plicatricem capillorum muliebrium* (ſic enim vocant, vt Celſus χερνήτιδα dixerat) *declinaviſſe* dicant *à marito ſuo*; ideoque & *ſtadam* eam ἀποστατικὰς nominant, סטדא (id enim probri hoc nomine ſignificatur.) Vnde Dominum ac Salvatorem noſtrum perfidi, Ben-ſtada בן סטדא *Stadæ filium* vocant. Hunc enim eorum libri eumdem eſſe cum Pantheræ filio docent. Videſis clariſſ. Buxtorfium hæc blaſphemi nominis nefanda myſteria ex inexhauſtis ſuę eruditionis theſauris mirabiliter evolventem, & doctiſſ. Vorſtij de iiſdem obſervationes. Ita Celſus Iudæum, quem in noſtros hic ſycophantam excitat, ex ſuæ gentis fabulis de ſanctiſſima Maria mentientem, & ſui generis perfidiæ conſentanea loquentem inducit. Scio Epiphanium, & Ioannem Damaſcenum de *Panthere* (his enim Πανθὴρ *Panther* eſt qui Celſo Πανθήρας *Pantheras*, & Thalmudicis *Panderas*) longe alia tradere; Epiphanium, quidem, fuiſſe hoc Iacobi ejus cognomentum, qui Ioſephum Mariæ conjugem genuit, Damaſcenum vero, Pantherem Mariæ ipſius proavum facere. Epiphanius de Io-

Apud Orig. contr. Celſ. l.8.p.397. in.

Apud Orig. contr. Celſ. c.1.p.22.

Ibid p 25.

Vide de his Buxtorf. in Lexico magno, voce Pandira.

In Sanhedr c.7.fol. 67.1.

Buxtorf. in magn. Lexi. in voce Stada.

Gul. Vorſt. in David. Ganz. p.263. & ſeqq.

de Ioſepho; *Fuit hic* (inquit) *Cleophæ frater, Jacobi filius cognomento* CAPVT
Pantheris. οὗτος μὲν γὰρ ὁ Ἰωσὴφ ἀδελφὸς γίνεται τοῦ Κλωπᾶ, ἦν δὲ υἱὸς τοῦ Ἰακὼβ, IV.
ἐπίκλην δὲ Πάνθηρ καλουμένου. Damaſcenus, *Ex ſerie Nathan* (inquit) *fily* *Epiph. hær. 78. §. 7. p. 1039. B.*
David, Levi genuit Melchi, & Panthera. Panter genuit Barpanthera (id eſt Pantheris filium) *ſic ab eodem denominatum. Hic Barpanther genuit Ioacim, Ioacim vero genuit ſanctam Deiparam.* Ἐκ τῆς σειρᾶς τοῦ *Damaſc. orthod. fid. l. 4. c. 15.*
Νάθαν, τοῦ υἱοῦ Δαβὶδ, Λευὶ ἐγέννησε τὸν Μελχὶ, καὶ τὸν Πάνθηρα. Ὁ Πάνθηρ ἐγέννησε τὸν Βαρπάνθηρα, οὕτως ἐπικληθέντα. οὗτος ὁ Βαρπάνθηρ ἐγέννησε τὸν Ἰωακείμ. ὁ Ἰωακεὶμ ἐγέννησε τὴν ἁγίαν θεοτόκον. Scio τὸν μακαρίτην Gerardum Ioannem Voſſium τὸν πάνυ has occaſiones nactum, ſparſam de Ieſu, Pantheræ filio, apud Iudæos famam ad meliora inflexiſſe, ſic, vt ipſum quoque Ioſephum, Mariæ virum, paterno cognomento Pantherem vulgo dictum fuiſſe ſtatuat, eoque qui primi *Ieſum Pantheris filium* vocitarunt, nihil eos aliud intellexiſſe interpretetur, niſi quod Ieſus eſſet *Ioſephi filius*; quod ſane apud Iudæos vulgo fuiſſe creditum ſcribit diſerte Lucas. Hanc viri magni conjecturam & ingenioſam eſſe & candidam, neque à veri ſpecie abhorrere confiteor. Cæterum vtcumque res ipſa ſe habeat, illud quidem certum eſt & Celſum primo, & poſt ejus ævum Talmudicos Rabbinos, *Pantheram* illum, cujus filium fuiſſe ajunt Dominum noſtrum Ieſum, non Ioſephum, non Ioſephi patrem, aut Mariæ proavum, ſed virum à Maria, natura quidem & lege plane alienum, ſignificatum voluiſſe, vt ex iis quæ paulò ante retulimus, Celſi & Iudæorum verbis planum eſt. Qui hæc ergo de ſanctiſſima Virgine credebat & ſpargebat Celſus non modo vilia & ſordida, ſed etiam turpia atque inhoneſtiſſima; an-non quæſo hujuſmodi mulieris ſingularem ac eximium cultum τὴν ὑπερδουλείαν noſtris erat exprobraturus? annon veluti rem indigniſſimam, & invidioſiſſimam exaggeraturus, & præ cæteris omnibus, quæ in Chriſtianiſmum coniicit, odioſiſſime vexaturus, ſi Maria apud eos adorata, honoribuſque iis mactata fuiſſet, quibus nunc eam Latini effuſiſſimè venerantur? Homo amens & impius paſſim noſtros acerbiſſimè inſectatur, quod *hominem vilem, & quidem in crucem actum*, ἄνθρωπον *Orig. contr. Celſ. l. 2. p. 82.*
ἀτιμότατον, ἀπαχθέντα καὶ ἀποτυμπανισθέντα, *ipſum Dei & Filium, & ſermonem eſſe dicerent,* τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ εἶναι αὐτολόγον, quod hunc *captum &* *ibid. l. 1. p. 135.*
mortuum religioſe colerent, τὸν ἁλόντα καὶ ἀποθανόντα θρησκεύοντες; quod vita infami, & morte miſerrima perfunctum Deum feciſſent τὸν δὲ *ibid. l. 7. p. 3-9.*
βίῳ μὲν ἐπιρρητοτάτῳ, θανάτῳ δὲ οἰκτίστῳ χρησάμενον, θεὸν τίθεσθε, inquit. Hunc à noſtris ſceleratus furcifer indignatur, non modo ſuo Herculi, & Æſculapio, ſed vel Orpheo, vel Anaxarcho, & Epicteto, vel Si- *ibid. p. 378. extr.*
byllæ, vel etiam Hebræorum Prophetis Ionæ & Danieli fuiſſe prælatum; objurgans, quod horum aliquem non potius quam Ieſum, colendum, & pro Dei Filio habendum elegiſſent. Obſecro te, qui talia Chriſtianis obiicit; quanto magis Mariæ cultum erat iis exprobraturus? Indignum putat *Dei Filium & αὐτολόγον* dici qui vilis fuerit;

coli,

CAPVT IV.

coli, qui captus ſit; Deum cenſeri, qui pauper vixit, & miſerabiliter mortuus ſit. Quanto ille indignius eſſe duxiſſet, eam, quam non modo mulierculam pauperculam, & egenam eſſe putabat & manibus ipſam ſuis ſibi victum paraſſe; ſed quam etiam turpiſſimi criminis ream, eoque nomine profugam fuiſſe exiſtimabat; *Reginam cœlorum*, *Divam*, omnium *Angelorum* atque *hominum Dominam*, dici? coli non *dulia* modo, ſed *hyperdulia*? & ſupra omnia denique terrena cœleſtiaque evectam in ſummo ſolio vnà cum nato locatam jugiter precibus ac votis adorari? Quanto ille magis noſtros hoc nomine objurgaſſet? monuiſſetque ſuæ potius Didoni, aut Lucretiæ, aut ex Ebræarum certe mulierum cenſu, Suſannæ aut Iudithæ aut Eſtheræ hos honores fuiſſe deferendos, quam Mariæ? Nemo certe negaverit *Sibyllam*, non cum Chriſto, (quod Celſus fecit) ſed cum *Maria* potius contendi, componique debuiſſe; ſi ea quidem jam tum apud noſtros eo loco ac numero cenſebatur, quo nunc cenſetur apud Latinos. Atqui Celſus non modo hæc, quæ cuivis etiam infantiſſimo, talibus locis in mentem veniſſent, non objicit; ſed ne vnum quidem tota in noſtros diſputatione verbum facit de vllo Mariæ cultu. Omnino ergo confitendum eſt nullam adhuc ejus temporibus Chriſtianorum fuiſſe in Divam Virginem hyperduliam. Huc quoque pertinet, quod Origenes, dum ad illam Celſi de Mariæ ſtatu objectionem reſpondet, infandam quidem de ſtupro calumniam vt decebat, refellit, & cæcæ adverſariorum improbitati imputat, qui quod Ieſum Virgo peperiſſe dicatur, inde occaſionem ſumpſerunt ejus ortum velut alieni ac non legitimi ſeminis opus, infamandi; quo ipſo imprudenter confitebantur, ὅτι τὰ ἀπὸ συνήθων ἀνθρώποις γάμων [illegible], *Ieſum non eſſe humano more natum ex conjugio.* Cæterum paupertatem & humilitatem Mariæ, alteram criminationis partem, intactam prætermittit; neque ea hyperdulia, iiſque honoribus mitigat ac conſolatur, quibus illa ſcilicet jam tum ab omnibus vbique Chriſtianis mactabatur; non quod ajebat Celſus, paupercula, & χερνῆτις, ſed orbis *Regina*, & omnium bonorum largitrix audiens, & aſſiduis omnium pœne gentium, ſupplicationibus, & religionibus cæteroque Divorum cœlitum cultu gaudens. Hæc ſi tum apud noſtros obtinuiſſent, vir eruditiſſimus ac religioſiſſimus hos Virginis honores hic erat allaturus; vt ejus gloriam ab impij ſycophantæ probris atque irriſionibus aſſereret. Non attulit. Ne ergo illum dubites hæc neſciviſſe; Neſciviſſe autem quæ apud ſuos in omni religione eſſent ſolennia, atque aſſidua, nemo niſi ſtultus dixerit. Tertiò iſtos Latinorum in D. Virginem cultus vetuſtiſſimis Chriſtianis incognitos fuiſſe, ex quibuſdam eorum in hæreticos diſputationibus licet argumentari. Irenæus & Tertullianus plurimis è Scriptura petitis teſtimoniis eorum inſaniã refellunt, qui Ieſum per Mariam quidem natum eſſe & per ejus vterum tranſiiſſe concedebant; ſed negabant eum quicquam e Virgine accepiſſe;

Orig. contr. Cel. l. 1. p. 25.

Iren. l. 3. c. 32. 33. Tertull. l. de carn. Christ. c. 19. 20. 21.

piſſe; carnem quam induit, non ex Mariæ ſubſtantia, ſed ex ſyderea, vel alia neſcio qua materia efformatam fuiſſe fabulantes. Acerrime iſtos duo illi Scriptores exagitant; ac præſertim Tertullianus, quo nemo fuit vehementior; Vndique argumenta conquirit, quibus Mariam Domini vere matrem fuiſſe firmet. At ſi Mariam tota jam tum Eccleſia recepto inde ab Apoſtolis more, *hyperdulia* adorabat, nihil eo cultu ad hanc cauſam clarius, aut validius afferri poterat. Cur enim eam tam ſingulari, tamque eximia ratione adorarent, quæ nihil præ cæteris in Domino haberet eximij? quæ ejus non mater, ſed veluti canalis fuerit, per quem momento tranſiens de cœlis in terras laberetur? Mariam Latini non alia de cauſa *hyperdulia* dignantur, quam quod Dominum de carne ſua genuerit, adeoque vere Deipara fuerit. Niſi hoc haberet præ cæteris omnibus Sanctis præcipui, communem eorum cultum (id eſt duliam) ipſi tribuere ſatis habuiſſent; nullam hyperduliam in ejus gratiam excogitaſſent. Cum ergo vnica hyperduliæ cauſa atque origo ſit Mariæ dignitas, quæ ſcilicet Ieſu Domini ac Dei noſtri eo vere proprieque loquendo mater eſt, quod non modo in ejus vtero, ſed etiam ex ipſius carne, Chriſti Ieſu caro formata ſit; apparet delatam Mariæ ab Eccleſia *hyperduliam*, invictum eſſe & dignitatis Virgineæ, & Dominicæ carnis argumentum; quod in hac cum hæreticis controverſia in primis erat vrgendum. Atqui neque Irenæus, neque Tertullianus vllum de Mariæ hyperdulia in tota hac cauſa verbum fecerunt. Illam ergo neuter ſcivit, quam homines inprimis eruditi atque diligentes ſi ſciviſſent, tali profecto in loco commemoraſſent.

CAPVT IV.

IV. Denique & illud ejuſdem eſt ordinis, quod Origenes quemdam confutans in tantam inſaniam progreſſum, *vt aſſereret negatam fuiſſe Mariam à Salvatore, eo quod poſt illius nativitatem juncta fuiſſet Ioſepho*; Divæ *hyperduliam* nullam illi obiicit; neque dicit tam excellentem cultum nunquam ei mulieri decreturos fuiſſe Apoſtolos, quam *à Salvatore negatam* ſcirent: Hæc enim omnem controverſiam plane decidebant, & erant neceſſario hoc loco afferenda, quo ſe ſimplices contra *hæreticorum objectiones* inſtruere velle profitetur (nihil enim his ad ſimplicium captum accommodatius dici poterat.) Ille vero alia omnia, illud modo Eliſabethæ contra hæreticum vrgens; quæ cum eſſet *Spiritu Sancto* plena, Mariam *benedictam inter mulieres* eſſe, apud Lucam dicit. De Divæ Virginis neque dulia, neque hyperdulia quicquam addit. Quare? Quia vtramque pariter ignorabat. Neque nos de beatiſſimæ Virginis hyperdulia plura dicere neceſſe eſt. Non enim puto quemquam tam eſſe antiqui Chriſtianiſmi expertem, qui hic à me flagitet, vt Divæ Virginis litanias, & orationes rhythmicas, & officium, & pſalterium, & ſymbolum, & alia ejuſdem farinę, quæ nuper memoravimus, probem non fuiſſe vetuſtiſſimis Chriſtianis cognita; quæ non hiſtoriæ modo Eccleſiaſticæ ſeries, ſed & ipſe

Orig. in Luc. hom. 7. p. 216.

CAPVT V.

ſermo, & barbarica metrorum ratio, tota in puerilibus, ineptiſque homocoteleutis ſita, clamant eſſe novitia, & poſt deletam Gothicis & Vandalicis & Hunnicis & Saracenicis bellis & irruptionibus omnē Latinarum litterarum eruditionem nata. Sed iſta qualiacumque de cætero ſint eo ipſo ſatis in ſequentibus confutabuntur, quod veteribus trium primorum ſæculorum Chriſtianis invſitatum fuiſſe probabimus, vt Divos Divaſque vllo omnino religioſo cultu, ſive *hyperdulia*, ſive etiam *dulia* ſimplicis adorarent.

CAPVT V.

Argumentum III. Quod Tridentini quidem & eorum Cathecheſes Epiſcopos & alios Eccleſiæ miniſtros jubent populum diligenter de Divorum cultu, atque invocatione docere; Paulus vero nihil hujuſmodi præcipit Epiſcopis, vbi de eorum officio & munere copioſe agit.

IAM ergo vt hoc præſtemus illa loca ac tempora, quibus Latini hunc Divis cultum vel exhibendum eſſe, vel exhibitum fuiſſe in libris ſuis memorant, obſervemus, & cum ſuperſtitibus vetuſtiſſimorum Chriſtianorum litteris ſigillatim comparemus; vt hinc quivis judicare poſſit, an idem vtrorumque in Divos cultus, ſenſuſque fuerit. Principio Latinos præſules, epiſcopos, ac monachos videmus Divorum, præſertim Virginis matris cultum ſuis paſſim præcipere; veluti juſtiſſimum atque vtiliſſimum pietatis Chriſtianæ officium. Tridentinæ Synodi Patres, *ſuos Epiſcopos, & cæteros docendi munus curamque ſuſtinentes* jubent *de Sanctorum interceſſione & invocatione fideles diligenter inſtruere*, eaque de hoc fidei capite *docere*, quæ ſunt à nobis in ipſo hujus diſputationis limine deſcripta. Ita & Synodi Catechiſmus vult à *Parochis* in expoſitione Decalogi accurate doceri multa illa quæ iſtic fuſe tractat de *veneratione & invocatione Sanctorũ*, tum Angelorũ, tũ hominum; iterumq; alibi populum fidelem in Dominicæ orationis *enarratione docendum eſſe* monet, *quid interſit inter vtramque invocandi rationem, quod non eodem modo Deum & Sanctos implorent.* Recte quidem illi, ac ſapienter ex ſuo dogmate, atque vſu; quo conſtituto nemo non videt hanc eſſe Paſtoralis officij partem neque minimam, neque ſane contemnendam, tum ob egregias vtilitates, quas ipſi hoc cultu contineri putant, tum ad cavendum piorum periculum, ne ſi iſta minus accurate didicerint, cultum vel eum qui Deo convenit, Divis, vel eum qui Divis, Deo attribuant; in quorum altero idololatria, in altero impietas nonnulla ineſſe videtur. Ergo ſi vetuſtiſſimorum Chriſtianiſmi magiſtrorum eadem fuerunt cum iſtis Latinis hac de re ſcita atque placita; non eſt dubitandum, quin plebium ſuarum præpoſitis

Concil. Trid. Seſſ. 25. in Decr. de Invoc.

Catech. Trident. Expoſ. Decal.

poſitis pro ſua ſapientia, proque ſuo zelo aliquid eorum ſimile præceperint, quæ à Tridentina & Synodo & Catecheſi Epiſcopis præcipi nunc videmus. Atqui nihil hujuſmodi vſpiam apud veteres occurrit. Synodum, fateor, primæ illius memoriæ nullam habemus, in qua aliquis fuerit iſtius præceptionis commodus, ac opportunus locus; quæque adeo congruè atque apposite cum Tridentino Latinorum Concilio comparari poſſit. Sed Apoſtolum Paulum habemus, omnibus poſteriorum Synodis abſque controverſia multo & prudentiorem & ab omni parte excellentiorem; non ſemel, neque perfunctorie, neque ſane paucis Evangelicos miniſtros in officio Paſtorali inſtituentem, ac quâ plebes ſuas docere debeant, diligenter explicantem. Illuſtris eſt inprimis locus in priore ad Timotheum epiſtola, vbi diſcipulum illum ſuum & in eo omnes Eccleſiarum præpoſitos, ad hoc munus inſtituens ac cingens, multa de precum Chriſtianorum vſu præcipit, de iis, & pro quibus, & à quibus fieri debeant, de puritate manuum, deque animi lenitate, ac tranquillitate, quam ad ea ab omnibus viris, mulieribuſque afferri decet. Ne locum quidem omittit, in quo concipiendæ ſunt; quemvis ad hoc officium idoneum eſſe diſerte monens. De hoc tam inſigni precum diſcrimine, quarum aliæ ſcilicet ad Deum ipſum, aliæ ad Divos, ac præſertim ad Mariam faciendæ ſint, nihil ipſe Timotheum docet, nihil plebes à Timotheo doceri jubet. Atqui id flagitabat locus ex Latinorum quidem dogmate; maxime cum in quadam illius ſermonis parte *Chriſti Mediatoris* apud Deum *noſtri*, & quidem *VNIVS Mediatoris* meminerit. Quis enim non videt, quam iſtic opportunum fuerit *Divos Mediatores* à *Chriſto Mediatore* diſtinguere, ex indeque (quod ſedulo jubet Catechiſmus Tridentinus) preces vtriſque debitas ex diverſa mediationis ipſius ratione diſcriminandas monere? nequis incautus ad illam ab Apoſtolo diſerte poſitam Mediatoris vnitatem offenderet, eoque putaret neque Divos Mediatores eſſe, neque iis legitime offerri vllas preces decere? Paulus vero ne hic quidem de iſtis verbum vllum fecit; quia ſcilicet novitium iſtum Latinorum cultum neſciebat. Nam vt vir divinus vel per oblivionem, vel per negligentiam officium ad religionem Chriſtianam ſi Tridentinis credimus, vſque adeo neceſſarium omiſerit, nemo, vt opinor, ſibi facile perſuadebit.

CAPVT V.

1. Tim. 2. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

CAPVT VI.

Argumentum IV. Quod ſuos catechumenos de Divorum, ac Mariæ inprimis cultu, Latini quidem vbique diligentiſsime; vetuſtiſsimi vero Chriſtiani nunquam vel vno verbo, docere aut commonefacere reperiantur.

SED quod Tridentini præpoſitos jubent de *Sanctorum invocatione fideles diligenter inſtruere*, id ipſos præpoſitos, & omnes *docendi munus, curamque ſuſtinentes* haud ſegnius apud Latinos præſtare cernimus. Primum enim, vt hinc incipiam, ipſos catechumenos quoties ad fidem, pietatemque ſuam inſtituunt, ſedulo de hoc Divorum cultu monent; vt videre eſt in Catechiſmo Tridentino ad Parochos, quo loco primum Decalogi præceptum, item vbi oratio Dominica exponitur, & in Catecheticis Caniſij, & in Bellarmini Catechiſmo, ſive Doctrinæ Chriſtianæ expoſitione, iiſdem locis, & in cæteris ejuſ-
Bell. Catech. c.5.p.97. dem argumenti libris. Apud Bellarminum quidem Magiſter diſerte profitetur ſe cupere, vt diſcipulus in *Virginem Mariam ſit valde pius*, vel, vt loquuntur, *devotus*. Sed idem etiam ex aliis eorum, hiſtoricis ſcilicet, litteris crebro diſcimus. Narrant pace à Luſitanis cum Za-
du Iarric. Ind. l. 2 c.15. T.1.p.469. morino Calecuti rege facta, ejus nepoti Chriſtianiſmi cognoſcendi cupido orationem ad Virginem (vt vulgo vocant) Angelicam fuiſſe à Ieſuitis traditam; quam ipſe avunculo manu ſua deſcriptam poſtea
Id. ibid. l. 2. ſ.215. oſtendit. Sic & Bungi in Iaponia Regem (qui ſuſcepto poſtea baptiſmo *Franciſcus* nominatus eſt) cum adhuc eſſet Paganus, & Ieſuitarum prædicationes audiret, iis inprimis & quidem vehementer fuiſſe captum affirmant, quæ ab iſtis magiſtris de B. Virginis roſario dici audiebat (id autem certum quoddam orationum ad Virginem penſum continere omnes ſciunt) Itaque id roſarium quotidie ipſum accurate recitare ſolitum adhuc catechumenum, diu antequam Latinis ſacris initiaretur; quod anno demum 1578. contigit. Itaque tradunt
Trig. Sinic. l. 5. c.18. p. 599. iidem Paulum quemdam, principem è Sinis virum, ſuorum fere in iſtis partibus diſcipulorum nobiliſſimum, tironi cuidam ſuo, quem Chriſtianiſmi myſteriis imbuebat, Divæ inprimis Virginis effigiem, & globulorum precatoriorum penſum dediſſe, quos ille de manibus nunquam dimittebat. Globulis autem illis notum eſt certum orationum ad Deum & Virginem alternis dicendarum numerum ſignificari.
Id. ibid. l.4. c.17.p.448. Sed & Riccium, nobiliſſimum Sinicæ expeditionis ducem, hac quoque methodo in vxore cujuſdam neophyti convertenda vſum eſſe memorant, vt in domeſtico ejus fano pro Choimæ Divæ Sinicæ ſimulacro ſubſtituta Divæ Virginis effigie eam juberet ſepties quotidie precem ad Virginem Angelicam vnà cum oratione Dominica recitare in memoriam ſeptem Divæ feſtivitatum. Iam ſupra de illo memorabili

Men-

Mendozæ Catecheta diximus, qui Cocincinenſem judicem vt ad ſuam CAPUT
religionem traduceret juſſit ante omnia in B. Virginem, & in Ieſum VI.
Chriſtum ejus Filium credere. De Angelica itidem Virginis oratio- *Mendoz. hiſt.*
ne ſupra diximus; eamque in Ieſuiticis catecheſibus inter primaria *Sin. l.3. c. 20.*
haberi Latinæ fidei elementa. Ita quidem judicavit Ieſuitarum ſa- *Part.2.* *Iarr. Ind. l.1.*
pientiſſimus, Divus Xaverius, Indorum Apoſtolus, ſed Latinus, quem *c.9.*
legimus in Travancorio regno, vbi primum barbarorum animos ad *Sol. Iap. l.1. c.*
Latinum cultum ſuis diſſertationibus inclinatos vidit, nihil habuiſſe *9 p.114.*
antiquius, quam vt eos poſt Apoſtolicum Symbolum, & orationem
Dominicam, ſtatim *Ave Maria*, & *Salve Regina* ſonare doceret.
Quin & tantam eſſe putant hujus orationis neceſſitatem, vt catechu- *Ann. Iapon.*
meno cuidam apud Iaponas ſuo, pauló tardioris ad diſcendas memo- *a.1613 p.26.*
riter preces ingenij, lucem divinitus miſſam noctu apparuiſſe fabu-
lentur, à qua ſalutationem Mariæ Angelicam mirabiliter doctus ſit.
Hæc Latini. Apoſtoli & ſucceſſores eorum proximi, ſi hanc de Di-
vorum cultu ſententiam tenuerunt, nulla ratio dici poteſt cur non ean-
dem quoque in catechumenis docendis methodum ſequuti ſint. Non
eſſe autem ſecutos, luculentiſſime ex ipſorum actis ac libris patet.
Lucas quo libro Apoſtolorum hiſtoriam contexuit, in eo nuſquam non
dico narrat, ſed ne leviter quidem innuit vel cæteros Apoſtolos, vel
Paulum, in cujus potiſſimum actis immoratur, quemquam ſuorum ca-
techumenorum vel juſſiſſe in Divam Mariam credere, vel Angelica
ſalutatione adorandam docuiſſe. Philippum dicit cum illuſtrem illum
Æthiopem catechumenum ſacris Chriſti initiare vellet, ita præfatum
eſſe, *Si credis ex toto corde, baptizari te licet*; Æthiopē reſpondiſſe; *Act.8.37.38.*
Credo Filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum; Philippum ſtatim hominem *39.*
baptizaviſſe. Ille vero perperam, ac præpropere, ex dogmate qui-
dem Latino, qui iſtum non juſſit & in Mariam ſuo quoque loco ac
modo credere; qui nihil de Angelica oratione, nil de cætero Divæ
cultu vel ipſum docuit, vel ad ſuos Æthiopas perferre præcepit. Eæ- *Act.10.30.*
dem ſunt in Petri ad Cornelium Centurionem catecheſi lacunæ; Ille *37.38. ad 44.*
quidem de Chriſto diſerte & copioſe; Male factum, quod de Diva
matre Virgine, vel de Divis ne vnum quidem verbum fecit. Quid, quod *Act.16.14.*
Paulum ne Thyatirenam quidem illam nobilem purpurariam, tametſi *15.*
vel ipſe mulieris ſexus admoneret, de Divæ Mariæ cultu quicquam
docuiſſe memorat Lucas? Certe res digna erat, quæ loco tam com-
modo & ad Pauli laudem, & ad exemplum noſtrum diceretur. Omiſ-
ſa, nos pæne cogit ſuſpicari toto hoc myſterio caruiſſe & Pauli præ-
dicationem, & Lydiæ, & ipſius Lucæ fidem. Idem Apoſtolus apud
Athenienſium Areopagum conſiſtens, dicere à Paganis juſſus, arrepta
ex quadā *ignoto Deo* ſacra ara occaſione mirabiliter in eorum corda
illabitur, eoque poſtremo devenit, vt *VIRUM* idololatris nuntiet, *Act 17.23. &*
de mortuis ſuſcitatum, & vniverſum olim orbem judicaturum. De *ſeqq.*
Virgine ejus matre plane tacuit, quam ſi Ieſuita fuiſſet, Minervæ, ipſi

CAPVT VI. quoque apud Athenienſes Virgini, Dei apud eos ſummi filiæ, opponere credo non omiſiſſet, qualiter eam Riccius dejectæ Divæ Choimæ apud Sinas ſapientiſſime ſubſtituit. Neque hæc eum Lucas monet quæ in concione tacuerat, privatim apud Dionyſium, vel certe apud Damatim in arcano docuiſſe. Sed neque cum res Epheſi à Paulo geſtas narrat, vllum de Diva Virgine factum ab eo verbum narrat; quam in ea vrbe potiſſimum prædicari decebat, quæ Virginem colere ſed vel impuram & fabuloſam vel certe lapideam, aut ligneam jam- *Act.* 19.23, 24. pridem ſueta facile vt videtur, ad alterius, ſed ſanctiſſimæ ac vere Deiparæ cultum traducta eſſet. Subit inprimis mirari Pauli imprudentiam, qui ad avertendam illam Demetrianæ ſeditionis, qua ipſe & ſocij pœne oppreſſi ſunt tempeſtatem, argentarios illos ædicularum argentearum apud Epheſum opifices ſui diſpendij metu concitatos, demulcere & mitigare non tentavit, oſtendens nihil eis lucri periturum, etiamſi vel tota Aſia, quod illi vehementer metuebant, ad Chriſtianiſmum converteretur; Eſſe enim Chriſtianis ſuam quoque Virginem; ad cujus ſimulacra, altaria, delubra, ædiculas, cæterumque cultum argentariorum ars atque induſtria vtilis ac neceſſaria non minus in poſterum futura ſit, quam ad Triviæ honores hactenus fuerit. Hæc vt videtur; oratio ſi in tempore eſſet adhibita, homines de vno quæſtu ſollicitos, vel placaſſet, vel certe leniiſſet. Cur ergo hac in parte ceſſatum eſt? An Pauli ſocordia? Abſit. Illo enim viro nemo fuit vel ad prævidenda pericula acutior, vel ad prævertenda diligentior. Quid ergo eſt? Nimirum nullas ille ſuorum in Virginem hujus generis religionis norat; eo nullas ad placandos argentarios adhibuit. Cætera ſigillatim exſequi nihil neceſſe eſt. Satis eſt ſemel dixiſſe, nullum toto Actuum Apoſtolicorum libro locum extare, qui catechumenos de invocandis, aut colendis Divis à quoquam illorum fidei Chriſtianæ vere magiſtrorum doctos eſſe, vel ſaltem admonitos ſignificet. Idem quoque de Chriſtianis Apoſtolicorum temporum proximis verum eſt. Iuſtinus narrat ſe à mirabili quodam ſene à philoſophiæ vanis ad Chriſtianæ veritatis ſtudium converſum fuiſſe poſt multos vltro citroque habitos ſermones, tandem ab eo ad propheticorum ſcriptorum lectionem fuiſſe dimiſſum, juſſumque *votis & pre-* *Iuſtin Dial. cum Tryph. p.*173.*l.*42. *cibus optare ſibi ante omnia lucis portas aperiri*; quod *iſta* negaret *ab aliquibus perſpici, atque intelligi, niſi cui Deus & Chriſtus ejus conceſſerint intelligentiam* εὔχου δέ σοι πρὸ πάντων (inquit) φωτὸς ἀνοιχθῆναι πύλας· οὐ γὰρ συνοπτὰ, οὐδὲ συννοητὰ πᾶσίν ἐστιν, εἰ μή τῳ θεὸς δῷ συνιέναι, καὶ ὁ χριστὸς αὐτοῦ. Preces, quas ſimpliciter dicit, ad Deum boni, quod ſitiebat, datorem haud dubie intelligit. Ad Virginem quidem, aut Divos nullas *Clem. Alex. Strom. l.* 6. *p.* 695. *D.* 596. *A.* ſibi vel traditas, vel commendatas memorat. Clemens longe doctiſſimus Alexandrinæ Eccleſiæ Catechetes, Græcos id eſt Gentiles, ex lege & Prophetis diſcere inprimis debere dicit *vnum Deum omnipotentem eſſe colendum*. Tum idolum nihil eſſe in mundo; quod in rebus creatis nullum

nullum eſſe poſſit Dei ἀπεικόνισμα ſimulacrum, nulla imago. Denique ſancta morum diſciplina eſſe imbuendos. Hæc eſt Gentilium apud Clementem quidem, catecheſis; neſcio quam Ieſuiticæ cætera ſimilis; ab ea quidem in hoc aliena quod iis plane nihil de B. Virginis Divorumque cultu præcipit. Ex his ſui ſæculi moribus alter, ſed falſo dictus Clemens ſui quoque (vt ſic dicam) catechumenatus preces effingit. Nam cum feciſſet ſe à Petro Apoſtolo de Chriſtianiſmo doceri, *Ad hæc* (inquit) *ego; Omnipotenti, inquam, Deo gratias ago, quia ut optavi & deſideravi inſtructus ſum.* Tum ei ſuccinens Petrus, *Gratias ago* (inquit) *Deo meo & pro ſalute tua, & pro requie mea.* Et hic preces vides; ſed ad vnum Dominum, nullas ad Divos. Idem in alia operis parte Petrum inducit longo ſermone Fauſtiniano, cujus ſe ſilium fuiſſe fingit Clemens, in converſionis initiis ea proponentem ac explicantem, quæ erant ad ſalutem animæ & ad baptiſmum ſuſcipiendum neceſſaria, & inprimis de precibus ita præcipientem, *Orare ſemper Deum ex corde* (inquit) *& ab ipſo petere quæ decet à Deo poſci, ipſi gratias agere, veram pœnitudinem gerere præteritorum geſtorum, aliquantulum etiamſi poſſibile eſt, per eleemoſynas pauperum juvare pœnitentiam.* Hactenus Clemens. Cur illas ex Riccij & cæterorum Latinorum diſciplina ad Mariam & ad Divos tam ad converſionem animæ vtiles, tam catechumenis omnibus neceſſarias orationes omiſit eruditiſſimus impoſtor: Quia ſcilicet nullæ adhuc ejus ævo, hoc eſt ſæculo à Domino nato tertio Chriſtianis in vſu erant, quas Petro ſuo cum aliqua veri ſpecie catechumenum inſtituenti affingeret. Sed & his libet addere Conſtantini Auguſti curas (tametſi is paulò pòſt a. D. trecenteſimum imperarit) de præparandis ad Chriſtianiſmum Paganorum militum animis, quos in exercitu habebat non paucos. Paulus quidem Sina Ieſuitarum diſcipulus ex ſuis ni fallor, familiaribus vni, quem ad fidem ſuam imbuebat, Divæ Virginis ſimulacrum vnà cum precatoriis ad Divos orandos globulis dedit. Contrarium vero militibus ſuis nihil hujus generis diſtribuiſſe narrat Euſebius; ſed juſſiſſe, vt qui nondum Chriſtiani eſſent, ij tamen *ſingulis Domini diebus in patentes ſuburbiorum campos ſecedant, atque ut ibi eadem precationis forma, dato ab vno aliquo ſigno, omnes ſimul ad Deum vtantur.* Ipſam precationis formulam non pigebit adſcribere, quæ ita habuit; *Te ſolum Deum agnoſcimus; te Regem profitemur; te adjutorem invocamus. Per te victorias conſecuti ſumus; per te hoſtes ſuperavimus. Ab te nos & præſentem fœlicitatem conſecutos fatemur, & futuram adepturos ſperamus. Tui omnes ſupplices ſumus. Abs te petimus, vt Conſtantinum Imperatorem noſtrum vnà cum piis ejus liberis quam diutiſſime nobis ſalvum & victorem conſerves.* Σὲ μόνον οἴδαμεν Θεὸν, σὲ βασιλέα γνωρίζομεν, σὲ βοηθὸν ἀνακαλούμεθα, παρὰ σοῦ τὰς νίκας ἠράμεθα, διὰ σοῦ κρείττους τῶν ἐχθρῶν κατέστημεν, σοὶ τὴν τῶν ὑπαρξάντων ἀγαθῶν χάριν γνωρίζομεν, σὲ καὶ τῶν μελλόντων ἐλπίζομεν, σοῦ πάντες ἱκέται γινόμεθα. Τὸν ἡμέτερον βασιλέα

CAPVT VI.

Clem Rom. Recogn. l. 1. fol. 4. B. C.

Clem. Recog. l. 10. fol. 53. K. L.

Euſeb. de vita Conſt. l. 4. c. 19. Lat. edit. G. p. 150. A.

p. 159. B.

CAPVT VII.

σιλέα Κωνςαντῖνον, παῖδάς τε αὐτοῦ θεοφιλεῖς ἐπὶ μήκιστον ἡμῖν βίου σῶον καὶ νικητὴν φυλάττεσθαι ἱκετεύομεθα. Has ille preces milites docendos, vt ad Chriſtianiſmum imbuerentur, curabat. De *Ave Maria*, & *Salve Regina* Latinorum, ne per ſomnium quidem cogitavit.

CAPVT VII.

Argumentum V. Quod neophytos ſuos, Mariæ ac Divorum cultum & invocationem Latini docent; vetuſtiſſimi nunquam docent. Argumentum VI. Idem vtrorumque in inſtituendis fidelibus afflictis, & pœnitentibus reconciliandis diſcrimen obſervatur.

NVNC ad neophytos venio, proximum catechumenorum ordinem. Illos vero de colendis & invocandis Divis Latini quidem & ſępe & diligenter; Vetutiſſimi vero Chriſtiani, nunquam docent vel admonent. Divus Xaverius, optimus Latinæ diſciplinæ magiſter, in hoc inprimis aſſiduo atque improbo labore incumbebat, vt Indi ſui, margaritarum piſcatores, Angelicam illam ſalutationem vnà cum oratione Dominica diſcerent, ac quotidie recitarent. Balthazar vero Gagus narrans quam apud Facatanos, neophytos in Iaponia ſuos, diſciplinam ipſe & Ioannes Ferdinandus inſtituiſſent; *Habebatur* (inquit) *quotidie concio; deinde ad litanias* (id eſt Dei & Divorum ſupplicationes) *tum conferebant inter ſe, quæ in concione audierant; deinceps doctrina Chriſtiana Iaponice; oratio vero Dominica, ANGELICA ſalutatio, & ſymbolum Apoſtolorum Latine recitabantur.* Quo & illud pertinet, quod Ieſuitæ de quadam anu vigeſimo antequam moreretur, die ad ſuam fidem converſa, veluti rem memoria dignam obſervant, eam ſcilicet tantulo temporis ſpatio *Ave Maria* didiciſſe. Hinc enim apparet, quam iſti ſollicite caveant, nequis apud ſe quantumvis recens neophytus hinc prius diſcedat, quam Divam Virginem illa Angelica prece adorare didicerit; quaſi vereantur ſcilicet, ne qui hoc neſcierit, cœlo excludatur. Veterum vero altum eſt de his apud neophytos ſilentium. Tertullianus eos in ipſo de ſalutari lavacro egreſſu precari docet; ſed præter vnum Deum, neminem. Sic enim Chriſti infantes in extremo de baptiſmo opere affatur. *Igitur* (inquit) *benedicti, quos gratia Dei exſpectat, cum de illo ſanctiſſimo lavacro novæ natalis aſcenditis, & primas manus apud matrem* (Eccleſiam ſcilicet) *cum fratribus aperitis, petite de Patre, petite de Domino peculia, gratias, diſtributiones chariſmatum, ſubiiciente, Petite & accipietis, inquit. Quæſiſtis enim & inveniſtis; pulſaſtis, & apertum eſt vobis. Tantum oro, vt cum petitis, etiam Tertulliani peccatoris memineritis.* Cur non & Virginem & cæteros Eccleſiæ Latinæ ac Ieſuiticæ

Sol. l. 1. p. 7. c. 91.

Epiſt. Iapon. lat. p. 141. A.

Annal. Iap. a. 1613. p. 151.

Tertull. l. de bapt. extr. c. 20. p. 265. B.

Ieſuiticæ Divos à Domini pueris in illo ſuo primo in Eccleſiam ingreſſu, cœleſti prece, quod decebat, ſalutari jubet? Cur non hominum quoque fauorem atque ſuffragia ad impetranda illa à Chriſto peculia charismataque, blanda ſupplicatione emendicari jubet? Nimirum nondum iſta magna myſteria rudes adhuc & ruſticuli Chriſtiani à Latinorum Pontifice, & flaminibus Ignatianis didicerant. Hunc Tertullianeum neophytorum Dominum, non alios, precantium, typum Pſeudo-Clemens quoque expreſſit, apud quem Petrus recens converſos ſic alloquitur; *Vos ergo* (inquit) *quia ad Dominum convertimini per pœnitentiam, curvate ei genua. Hæc cum dixiſſet, omnis multitudo genua flexit Deo. Et Petrus reſpiciens ad cœlum, cum lacrymis orabat, ſuper eos, vt Deus pro ſua bonitate ſuſcipere eos dignaretur, confugientes ad ſe.* Sed & ipſam ſolennem neophytorum orationem, alter item Pſeudo-Clemens in Conſtitutionibus exhibet, quæ ad Deum quoque emittitur; *Deus omnipotens, Pater Chriſti tui, vnigeniti Filij tui, da mihi corpus non inquinatum, cor mundum*; & quæ ſequuntur, ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ, ὁ πατὴρ τοῦ Χριστοῦ σου, τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ σου, δός μοι σῶμα ἄσπιλον, καρδίαν καθαράν, νοῦν ἐγρήγορον. Neque alij, quam Deo ſupplicantes ſacraſque preces offerentes neophytos in tota illa antiquitate reperias.

Cl. m. Recog. l.3. fol. 22 E.

Clem. Conſt. l.7.c 47.p. 9y6.

Sed nullis ex omnibus Chriſtianorum ordinibus Latini ſuas ad Divos litanias, & orationes impenſius commendant ac præcipiunt, quam vel iis qui in tentatione verſantur, aut tribulatione vel iis qui lapſi ex peccato per pœnitentiam emergunt. Illis quidem in ipſo Breviario ex ſuo Bernardo ſuadent, vt in talibus periculis cōſtituti ad Angelum cuſtodem confugiant; *Quoties* (inquiunt) *graviſſima cernitur vrgere tentatio & tribulatio vehemens imminere, invoca cuſtodem tuum, ductorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione; Inclama eum, & dic, Domine, ſalva nos, perimus.* Ita illi. Dominus Patrem adire, rogareque juſſerat; *ne nos inducat in tentationem, ſed liberet nos à malo.* Neq; Apoſtolorum, aut eorum qui proximi Apoſtolis ſucceſſerunt, quemquam reperire eſt, qui tentatos Angelum *cuſtodem invocare* docuerit. Suum quidem Petrum vetus Recognitionum ſcriptor longe aliter facit eos, qui ex gentibus credebant, inſtituere; *Ideo* (inquit) *neceſſarium vobis eſt, qui eſtis ex gentibus, confugere ad Deum, & obſervare vos ab omni immunditia, vt expulſis dæmonibus Dei habitatio fiat in vobis. Simul & orationibus commendate vos DEO, & interpellate eum adverſum impudentiam dæmonum.* Lapſos vero pœnitentes Latini & in genere ad ſupplicandum Divis ſuis cohortantur, & certas ad eos preces certo numero ad peccatorum expiationē pronuntiare. Equidem rarum eſſe apud eos pœnitentē arbitror, cui hanc non ſacerdos inter cætera ſatisfactionem imponat, vt Angelicam Divæ Virginis ſalutationem vnà cum oratione Dominica ter, quinquies, pluries pro criminis & pœnitentiæ modo ac ratione

Brev. in feſto Ang.cuſt. lec 6.ex Bern. in Pſ.90.p.150.

Matth. 6.13.

Clem. Recog. l.4.fol.26.I.

CAPVT VII.

in communi vita praxis.

reciret. Omnibus nota eſt hæc Latinor[illegible] [illegible]. Ita narrant in In- S[illegible]x in eorum actis & hiſtoriis ſæp[illegible]o[illegible]. [illegible]uitarum ſodalitio ſacerdotem dicis Annalibus quendam de Goa [illegible] præcepiſſe, vt apud Dominæ cuidam moribus corrupt[illegible] [illegible] ſatisfaciendum Deo recitaret. Virginis aram certas ad eam pr[illegible] pœnitentium diſciplina repe- Nihil vſpiam ſimile in omni ve[illegible] Simonem Magum, cum *a nequitia* ties. Petrus quidem Apoſt[illegible] non Angelorum, aut aliorum cœlitum *ſua pœnitentiam agere* [illegible] [illegible] ſuis demereri hortatur; ſed, *Roga* (inquit) quemquam a[illegible] & [illegible] *hæc cogitatio cordis tui.* Sic & Clemens, *Deum, ſi forte* [illegible] [illegible] Epiſcopatu ſucceſſiſſe ferunt, cum ex Corin- quem R[illegible], qu[illegible]m in grave ſchiſmatis crimen eſſent lapſi, thiis ad [illegible] [illegible]o[illegible]s precari Deum jubet, propoſito ad eam rem [illegible] *ut cum per jejunia & humilitatem ſuppliciter oraſ-* E[illegible] [illegible]*nditorem Dominum, Deum ſæculorum, ita populum* [illegible] *exitio liberavit; Oremus igitur & nos (inquit) pro* [illegible] *quo lapſu, vt eis detur moderatio & humilitas, quo ipſi* [illegible] *Dei voluntati cedant.* Καὶ ἡμεῖς ἐντύχωμεν [illegible] [illegible] χίν[illegible], ὅπως δοθῇ αὐτοῖς ἐπιείκεια καὶ ταπεινοφροσύνη, εἰς τὸ [illegible] ἡμῖν, ἀλλὰ τῷ θελήματι τοῦ Θεοῦ. De poſcendis Virginis [illegible]t Divorum ſuffragiis nullum in tota epiſtola verbum fecit. [illegible] de pœnitentium officiis ſermones ſunt aliquot aurei. Nuſ- [illegible]m ille tamen vllas vel Mariæ, vel ſanctorum litanias præcipit. [illegible] os pœnitentes ille quidem ad preces atque orationes diligentiſ- [illegible]e cohortatur. Sed quas? Audi. *Dominus* (inquit) *orandus eſt; Dominus noſtra ſatisfactione placandus eſt. Satisfactionem* humilem precem cum peccati ſui confeſſione ac deteſtatione conjunctam dicit. Idem alibi in eodem opere per rhetoricam communicationem ſe cum lapſis conjungens; *Convertamur* (inquit) *ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veri doloribus exprimentes, Dei miſericordiam deprecemur;* & hanc exomologeſeos partem, plane vt Tertullianus ſic deſcribit, *lamentari ex toto corde, jejuniis, fletibus, planctibus Dominum deprecari.* Tum lapſos pœnitentiam defugientes objurgans; *Satisfacere* (inquit) *& DOMINVM rogare detrectant, qui Dominum negaverunt.* Paulo poſt eoſdem dicit *opinari ſe ſtare, quando jacere & proſternere ſe Deo debent.* Se quoque pro pœnitentibus orare ſignificat; ſed Deum. *Rogamus vos* (inquit) *vt pro vobis Deum rogare poſſimus; preces ipſas prius ad vos vertimus, quibus DEVM pro vobis, vt miſereatur, oramus.* Ab iſtis nimirum pœnitentiam poſcebat, vt pro ipſis à Deo poſceret indulgentiam. Denique; *Orare* (inquit) *oportet impenſius & rogare;* & mox de Deo; *Pœnitenti,* (inquit) *operanti, roganti poteſt clementer ignoſcere, ſi ejus iram* (hoc enim aliis paucis interjectis mox ſubiicit) *ſi indignantis offenſam juſta deprecatione placaverit.* Alibi in epiſtola, qua ſuos clericos abſens inſtruit, omnes ad pœni-

Anna Ind. a. 1[illegible] p. 120.

Act. 8. 22.

Clem. ep. ad Cor. p. [illegible].

[illegible]

ibid.

ibid. p. 204. extr.

ibid. p. 205.

ibid.

ibid. p. 205. extr.

ibid. p. 206.

pœnitentiam cohortans, *precibus inſiſtendum* eſſe & *orandum* monet. CAPVT
Quibus? An ad Mariam & cæteros Divos? Ille vero omnia alia; VII.
Primò (inquit) *ipſum Dominum* (id eſt Chriſtum) *rogare*; *tum deinde* *Id. ep. 7. p. 17*
per ipſum Deo Patri ſatisfacere debemus; Tum; *Vnuſquiſque oret* *init.*
Deum (inquit) *non pro ſe tantum, ſed pro omnibus fratribus*. Deni- *Ib p. extr.*
que, *Nos tantum* (inquit) *ſine ceſſatione poſcendi, & cum fide accipien-* *ibid. p 18.*
di ſimplices & vnanimes Dominum deprecemur, cum gemitu pariter &
fletu deprecantes, ſicut deprecari oportet eos, qui ſint poſiti inter plan-
gentium ruinas; & quæ ſequuntur diſertiſſima juxta ac præclariſſima.
Hæc Cyprianus. Cur qui tam crebro, tamque ardenter pœnitentes
ad Deum orandum ac deprecandum vocat, de litaniis ad Virginem
& ad Divos recitandis vbique conſtanter tacet? Res clara eſt. Ni-
mirùm ille Divorum cultus nullo tum erat in vſu. Ad hunc illorum
temporum vſum ſua quoque effinxit Hermas, ſive Paſtor; apocry-
phus quidem, ipſo tamen Cypriano multo vetuſtior; qui ſuam pœni-
tentiam deſcribens orationes ſuas memorat, ſed omnes ad Deum;
nullas ad Divos, vel ad Matrem Virginem; *Genibus* (inquit) *poſitis* *Herm. l. 1. Vi-*
cœpi orare Dominum, & confiteri peccata mea. Tum ſanctam mulie- *ſione 1. Bibl.*
rem, quam tacitus concupiverat, ſibi in viſione hæc loquentem, in- *Patr. T. 5. p. 1.*
ducit; *Orā ad Dominum, & ſanabis peccata tua, totiuſque domus tuæ,* *A.* *ibid C.*
& omnium ſanctorum. Iterum in viſione tertia; *Ad me* (inquit) *re-* *Id. ibid. Vi-*
verſus, & memoratus gloriam Dei, & accepta audacia poſitis genibus *ſion. 3 p 4 D.*
confitebar Deo iterum peccata, quæ prius. Simul autem oraſſe Deum
verba ſtatim ſequentia docent; *audiebat me orantem, & confitentem*
Domino peccata mea. Sic etiam viſione quinta; *Cœpi* (inquit) *flere* *Id. ibid Viſ. 4*
& invocare Dominum, vt me liberaret ab illa (beſtia) Et mox Eccle- *p 9. D.*
ſiam ita ſe in viſione allocutam fingit; *Bene effugiſti* (inquit) *quoniam* *Ibid. p. 10. A.*
ſolitudinem & ſolicitudinem tuam ad Dominum projeciſti, & cor tuum
aperuiſti ad eum; *credens quod per nullum alium poteris ſalvus eſſe, niſi*
per magnum & honorificum nomen ejus. Denique libro ſecundo ap-
paret ei *Angelus pœnitentiæ nuntius*; & cum eo colloquens multa de
oratione ad Deum dicit; De Litaniis ad Divos, nihil toto libro dicit.
Ita videmus quantum ſit hac in parte vetuſtiſſimorum Chriſtianorum
à noſtris Latinis diſcrimen; quod religioſum Divorum, & præſertim
Matris Virginis cultum ſuis catechumenis, neophytis, & pœnitenti-
bus hi quidem crebro ac pæne ſemper, illi vero nunquam commen-
daſſe reperiuntur.

BBb 2 CAPVT

CAPVT VIII.

Argumentum VII. Quod de Divorum cultu inter cætera Chriſtianæ pietatis officia Eccleſiæ tum præpoſiti, tum Martyres fideles in ſuis ad eos exhortationibus docere ac præcipere apud Latinos quidem paſſim ſoleant; apud vetuſtiſſimos vero nunquam.

IDEM quoque obſervare eſt in vtrorumque exhortationibus, non vnius alicujus ordinis propriis, ſed omnium in genere Chriſtianorum communibus. Latinorum quidem Magiſtros videmus paſſim omnibus cujuſcumque ætatis, ſexus, conditionis Chriſtianis in homiliis & in ſermonibus ſive privatis ſive publicis hunc cultum præcipere. Solerius narrat Ieſuitas ſuis Bungenſibus in Iaponia Chriſtianis inter cætera pietatis capita enixe mandaſſe, vt in Deiparam eſſent, & in alios Sanctos devoti. (Sic enim ille loquitur) Quanti hoc fecerit Franciſcus Xaverius, tum ex perpetua ejus praxi liquet, qui vbicumq; pedem poſuiſſet, nihil fere habebat antiquius, quam preces ad Matrem Virginem docere, & commendare; tum etiam ex illis mandatis quæ Gaſpari Barzæo Goa in Iaponiam proficiſcens reliquit, ſummopere à Ieſuitis laudata, inter cætera præcipiens, *Omnes quotidie ſedulo veſpere moneret, vt Angelicam ad Divam Virginem orationem vna cum Dominica precatione* (hæ enim in iſtorum moribus ac commentariis pari fere ambæ paſſu ambulare ſolent) *pro purgatorij civibus recitarent.* Ne ipſos quidem Latinorum martyras piguit in ſupremo illo agone Sanctorum cultum ſuæ communionis hominibus commendare; vt illos exempli cauſa Iaponas quos narrant hoc in ſupremis mandatum piis quicumque Latini ritus aderant, dediſſe, vt Ignatio (famoſiſſimo Ieſuitarum auctori) nominatim eſſent devoti. Plura ex Latinorum homiliis & ſermonibus, epiſtolis & colloquiis loca afferre, vbique obvia nihil neceſſe eſt. Quis enim dubitet eos, quod Tridentini Patres juſſerunt, ſuos fideles diligenter docuiſſe de hoc cultu? Sed & ipſa rei ratio hoc ab illis exigebat. Cum enim hunc Divorum cultum religionis Chriſtianæ partem eſſe putent, ſua quemque præpoſitum conſcientia ſatis per ſe vrget ad eum memorandum atque commendandum, quoties de pietatis officiis dicunt. Ergo neque dubitandum eſt vetuſtiſſimos Chriſtianiſmi Magiſtros, ſi eadem cum Latinis noſtris de hoc Divorum cultu ſenſiſſent, ſuos ad eum homines diligenter fuiſſe cohortaturos, quoties de noſtræ religionis officiis diſſerunt; maxime vero vbi de oratione & precibus religioſis tractant; qui locus ſæpiſſime apud illius memoriæ ſcriptores occurrit. Atqui hunc illi cultum non modo nuſquam commendant, aut ad eum cohortan-

Sol. Iap. l. 3. c. 10. §. 116.

Iarric. Indic. l. 1. c. 20. p. 230.

Ann. Iap. a. 1628. p. 9.

hortantur; Sed ne ſemel quidem nominant aut memorant. Quod CAPV
ne falſo gratiſque affirmare videamur, loca afferenda ſunt in quibus VIII.
cum ea eſſet hujus Latini officij propria ſedes, nulla tamen ejus mentio facta reperitur. Apoſtoli, vt ab iis ordiar, quam ſæpe, & quam plene, quamque acriter ſuos diſcipulos de precandi officio, in epiſtolis quas ad eos ſcripſerunt, docent, atque inſtruunt? Monent *orationi inſtandum* *; *per omnem orationem & obſecrationem orandum omni* * Rom. 12. 12.
tempore in ſpiritu; & in hoc ipſo vigilandum in omni inſtantia & obſecratione pro omnibus ſanctis †, Iubent *ſine intermiſſione orare, & in* † Eph. 6.18.
omnibus gratias agere; hanc enim eſſe Dei in Chriſto Ieſu voluntatem Col. 4.2.
in omnibus nobis. Obſecrant *primum omnium fieri obſecrationes, oratio-* 1. Theſſ. 5.17. 18.
nes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus, & nominatim *pro* 1. Tim. 2. 1.2.
Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt; Hoc enim bonum eſſe ac 3.4.5.6.
acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri; Vnum enim eſſe Deum, vnum Mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. (Quo loco nemo non videt cum hæc Dei ſit in homines voluntas, hic Chriſti in eos amor, omnino illud quoque ex Latino dogmate addendum fuiſſe, decere nos non modo ipſos Deum pro iis precari, ſed etiam Divorum pro iiſdem cœlitum apud Dominum interceſſiones litaniis ad ipſos noſtris ambire atque conciliare.) Edicunt iidem Apoſtoli *viros* ibid. v.8.
orare in omni loco, levantes puras manus, ſine ira & diſceptatione, ſimiliter & mulieres in habitu ornato cum verecundia & ſobrietate. At vt nos ad id officium alacriter præſtandum commoveant, docent *oculos* 1. Petr. 3. 12.
Dei eſſe ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum; & *multum valere deprecationem juſti aſſiduam*; idque exemplo Eliæ è Scripturis vete- Iac. 5. 16.17.
ribus petito affirmant. Quin & tantam eſſe Dei bonitatem prædicant vt hanc nobis apud eum fiduciam præcipiant, *quia quodcumque petierimus ſecundam voluntatem ejus, audit nos; & ſcimus* (inquiunt) *quia* 1. Ioan. 5. 14. 15.
audiet nos quicquid petierimus, ſcimus quoniam habemus petitiones, quas poſtulamus ab EO. Quocirca nos jubent *petere pro fratre pec-* 1. Ioan. 5.16.
cante non ad mortem, & *ſapientiam poſtulare à Deo, qui dat omnibus* Iac. 1. 5. 6. &
affluenter, poſtulare autem in fide nihil dubitantes, & in rebus triſtibus, 4.13. & 5.16.
orare, neque pro nobis tantum, ſed *alios pro aliis orare, vt ſalvemur.* Hæc Apoſtolorum fere eſt de fidelium oratione & precibus per eorum epiſtolas variis locis ſparſa doctrina. Qui hæc tam ſedulo nos docent, quis eos dubitet ſi Divorum invocationem inſtituere voluiſſent, rem apud pios novam, & omni retro Eccleſiæ per quatuor annorum millia plane penituſque ignotam & inauditam, de ea quoque pari diligentia, imo etiam ſolicitius dicturos fuiſſe, quod in divinis prioris fœderis litteris, de ipſius quidem Dei oratione plurima & præcepta & exempla extare, de hoc vero recenti Divorum cultu nullum iſtic verbum legi ſciebant? Atqui conſtat ex ſuperioribus locis neque Paulum ſuos Romanos, Epheſios, aut Theſſalonicenſes, ac ne

CAPVT VIII. Timotheum quidem cariſſimum diſcipulum, neque Petrum ſuos Ponticos, neque Iacobum Iudaïcæ diſperſionis fideles, neque Ioannem denique eos ad quos ſcribit Chriſtianos (nam ex horum ad iſtos epiſtolis illa omnia excerpſimus) de Divorum invocatione vel vno iſtic verbo inſtruxiſſe. Idem eſt in ſimilibus locis & Apoſtolicorum virorum de hoc cultu ſilentium. Clementis Romani extat aurea ad Corinthios, Ioanne Apoſtolo adhuc ſuperſtite ſcripta, vt videtur epiſtola; qua totam illam Eccleſiam fœde ſciſſam in partes, graviſſimoque diſſidio laborantem, ad reſipiſcentiam cohortatur; Deum inprimis deprecandum, ejuſque implorandam miſericordiam; *Magnificæ* (in-
Clem. ep. ad Cor. p. 12. quit) *& glorioſæ Dei voluntati obſequamur, & ſupplices facti miſericordiæ & benignitatis ejus, advolvamur ei, & ad miſerationes ejus convertamur.* ὑπακούσωμεν τῇ μεγαλοπρεπεῖ καὶ ἐνδόξῳ βουλήσει αὐτοῦ, καὶ ἱκέται γενόμενοι τοῦ ἐλέους καὶ τῆς χρηστότητος αὐτοῦ προσπέσωμεν, καὶ ἐπιστρέψωμεν ἐπὶ τοὺς
ibid. p. 62. οἰκτιρμοὺς αὐτοῦ. Iterum poſtea; *Procidamus* (inquit) *ante Dominum, & flentes ſupplicemus ei, vt propitius factus nobis reconciliari velit.* Προσπέσωμεν τῷ δεσπότῃ καὶ κλαύσωμεν ἱκετεύοντες αὐτὸν, ὅπως ἵλεως γενόμενος
ibid. p. 61. ἐπικαταλλαγῇ ἡμῖν. Iubet quidem eos divinam beati Pauli ad ipſos epiſtolam in manus ſumere, & quæ ille de ſimili argumento ad ſe olim ſcripſiſſet, perpendere. Ipſum Paulum tum in cœlis verſantem precibus ſuis convenire, rogateque ſupplices, vt pro iis apud Deum intercedat, eique Eccleſiam ſua manu plantatam, ſuo ſudore ac ſanguine rigatam, commendet (quod vnicè, vt omnes vident, ex Latinorum hypotheſi poſtulabat hic locus) nequaquam jubet. Sed & propoſito Eſtheræ exemplo, quæ in ſummo Iſraëlis diſcrimine *omnipotentem re-*
ibid. p. 71. *rum omnium conditorem Dominum, ſæculorum Deum oraverat, Oremus igitur & nos* (inquit) *pro iis, qui in calamitatem aliquam inciderunt.* Καὶ ἡμεῖς οὖν ἐντύχωμεν περὶ τῶν ἔν τινι παραπτώματι ὑπαρχόντων. De Divis orandis, neque hic, neque vſpiam alibi quicquam dicit. In
Polyc. ep. ad Phil. p. 14. Polycarpi, glorioſiſſimi epiſcopi & Martyris epiſtola ad Philippenſes, eadem obſervare eſt. Nam *Deo ſervire* eos jubet, de Divis colendis, nihil dicit, Latinorum myſteriorum vſque adeo ignatus, vt *duliæ* vocabulum, quod apud hos eſt cultus in Divos religioſi proprium, ipſe Deo tribuat; δουλεύσατε τῷ Θεῷ (inquit) eamque apud Latinos intolerabilem catachreſin etiam iterum, infra vſurpet; *Sic ergo ſerviamus*
ibid. p. 19. *cum timore & omni reverentia.* οὕτως οὖν ΔΟΥΛΕΥΣΩΜΕΝ αὐτῷ μετὰ φόβου καὶ πάσης εὐλαβείας. Eſt etiam vbi inter alia pietatis Chriſtia-
ibid. p. 20. næ officia, precum religioſarum meminit; jubens *ſobrios eſſe*, ſive *vigilare ad preces*, νήφειν πρὸς τὰς εὐχὰς, ſed quas non *Divis*, verum *Deo* ipſi deferendas eſſe ſtatim ſignificat; *ſupplicationibus* (inquit) *petentes omnium perſpectorem Deum, ne nos inducat in tentationem*, δεήσεσιν αἰτούμενοι τὸν παντεπόπτην Θεὸν μὴ εἰσενεγκεῖν ἡμᾶς εἰς πειρασμόν. Iam &
Clem. Recog. l. 3. f. 24. C. Pſeudo-Clemens, vbi Petrum facit Cæſarienſes Chriſtianos, poſtquam iis Zachæum ordinaſſet epiſcopum, de Chriſtiana pietate ejuſque

officiis

officiis alloqui, cultus non alterius quam divini meminit; *Deum* (inquit) *colite, qui creavit cœlum & terram, Chriſto credite, invicem diligite.* Cur non finxit Apoſtolum Divorum quoque, licet diſparem, religioſum tamen cultum fidelibus præcepiſſe? Quia nimirum in iis, ex quibus ſua effinxit, Eccleſiæ moribus, ſæculo nimirum vel ſecundo exeunte, vel tertio ineunte florentis, planè nulla adhuc erat Divorum religio. Parco plura deſcribere; quorum plæraque infra commodius aliis locis reddentur. Illud unum ſuperioribus addendum eſt, Latinis uſque adeo neceſſarium viſum eſſe omnes de hoc Divis exhibendo cultu cómonefieri, ut ea de re à ſuis præpoſitis ipſos etiam Martyras interdum apud eos legamus admonitos fuiſſe; Qualiter Martinum Franciſcanum quemdam Commiſſarium ad martyrium euntem ſocios ſuos, ejuſdem laureæ candidatos cohortatum eſſe Iaponiciannales tradunt; *Toto* (inquit) *corde ad ſanctiſſimam Dei matrem peccatorum advocatam, ad glorioſum Franciſcum, ad Angelum cuſtodem, & ad omnes Sanctos in cœlo confugiamus, ut intercedant pro nobis.* Iidem quoque narrant Paulum Vchubiorium Ignatianæ ſodalitatis fratrem, qui ſecum vincti ad mortem pro Latina fide in thermis Vngeni montis ex decreto Iaponum magiſtratuum perpetiendam ducebantur, eos inter eundum diligenter eſſe adhortatum, ut ad Matrem Virginem in ſupremis cófugerent. Sunt & alia ejuſdem cenſus apud Latinos exempla; apud veteres Chriſtianiſmi martyres plane nulla ſunt; quod quia in generali diſputationis parte pleniſſime demonſtratum eſt, nunc non repeto. Ex his ſatis patet toto illo quo iſti vixerunt, tempore nullam adhuc Chriſtianæ pietatis partem fuiſſe hunc Divorum quem nunc Latini factitant, cultum; qui ſi in aliquo apud noſtros fuiſſet loco ac numero, numquam profecto ab Apoſtolis & ab aliis quos edidimus, tum alia Chriſtianiſmi officia, tum preces & cultum religioſum memorantibus, ita conſtanter prætermiſſus eſſet.

CAPUT VIII.

Relatio tripl. de reb. Iap. a. 1596. c. 10.

Ann. Iap. a. 1626. p. 418.

CAPUT IX.

Argumentum VIII: Quod in Decalogi præcepto primo explicando, & in oratione Dominica tractanda à precum ad Divos religioſarum (ut cultu Divorum ſuppoſito decet ac neceſſe eſt) Latini quidem ſedulo meminerunt; vetuſtiſſimi vero Theologi, nunquam. quod ex Tertulliani & Cypriani de oratione libellis demonſtratur. Perronij de relativa oratione effugium præcluditur, ac refellitur.

SED tametſi Latinorum præpoſiti ac doctores hanc in Divos religionem ubique paſſim quoties datur occaſio, commendent, atque inculcent, præcipue tamen eam memorant, ac diſerte docent, cum

CAPUT IX.

vel primum legis divinæ mandatum, vel orationem Dominicam exponunt; prudenter illi quidem, ac neceſſario. Cum enim in primo illo Decalogi capite Deus ſeveriſſime prohibeat, *ne quemquam præter ipſum pro Deo habeamus*, nemo eſt, qui hac audita lege, non id ipſum requirat, quod à magiſtro, in Bellarminiana catecheſi petit diſcipulus; ſibi nimirum explicari, *quî cum hoc mandato non pugnet is honos, quem Latini Divis, eorumque reliquiis & imaginibus exhibent, ea omnia, ut quidem videtur, adorantes, quæ poſitis ſcilicet genibus venerantur, & precantur, non aliter quam Deum precari ſolent.* Itaque Bellarminus ille doctrinæ Chriſtianæ magiſter diligenter in eo ſolvendo nodo laborat; & allata inprimis Eccleſiæ ſuæ, apud quam iſta fiunt, majeſtate, dubitationem omnem excludit, negans verendum eſſe, nequid ea vel faciat, vel doceat, quod divinis legibus adverſetur. Tum hæc ſane magnifice præfatus, cultum, quem Deo Decalogus vindicat ab iis honoribus diſtinguit ac diſcriminat, quos Divis ſua Eccleſia attribuit. Eadem eſt Tridentini catechiſmi ad hunc legis divinæ locum explanandum obſervatio; eadem Caniſij, & cæterorum ni fallor, ſi qui ex illis partibus Decalogum ſuis explicationibus, vel commentariis paulo accuratius illuſtrarunt. Cum hæc ergo hic fieri ipſa rerum in ſenſus incurrens ratio, ac quædam pæne neceſſitas poſtulet; omnino ſtatuendum eſt veteres quoque ſi Divos æque cum Latinis noſtris eſſent venerati, eadem via progreſſuros ac de hoc eorum cultu mentionem facturos, eumque pro ſua virili cum lege conciliaturos fuiſſe, quoties quidem Decalogum vel totum ex profeſſo, vel hanc primam ejus partem tangunt. Atqui nihil apud eos ſimile uſpiam occurrit. Habemus in hoc primum Decalogi caput integram Origenis homiliam, in qua fuſe more ſuo, de unius Dei cultu diſputat; & hanc legem ad nos quoque pertinere auditores monet, *Dicitur* (inquit) *& tibi qui per Ieſum Chriſtum exiiſti ex Ægypto, & de domo ſervitutis eductus es*, Non erunt tibi Dij alij præter me; Ac cæteras quidem gentes à Dei cognitione alienas, etiam eos qui natura Dij non ſunt, coluiſſe; Domino ita permittente; Iſraëli vero utrique, & ei, qui eſt ſecundum carnem, & ei qui eſt ſecundum Spiritum, (id eſt Chriſtianis) unum eſſe Deum, qui vere Deus Dominuſque eſt unus. Hunc unum toto corde diligendum, tota anima & tota virtute ei adhærendum. Cætera neque adoranda, neque colenda; Utrumque enim reſecare ſermonem divinum, denique præcepti hujus mandatum eſſe, ut *omnes cæteros Deos ac Dominos repudiemus, & præter unum Deum & Dominum, neminem vel Deum, vel Dominum.* Hæc ibi fere Origenes. De religioſo *Dominæ noſtræ*, Matris Virginis, *Dominorum*que ac *Patronorum noſtrorum* Divorum cultu, ejuſque à primi ac principis numinis religione differentia, (quam hic tradi omnino poſcebat Latinum dogma) nihil ille in tota homilia dixit, quod certiſſimo argumento eſt totam hanc Latinorum religio-

nem

Bellar. in catech. ſive doctr. Chriſt. ad 1. præc. Decal. p. 118.

Id. ibid.

Cat. Trid. ad Dec. mand. 1. Caniſ. catech. c. 3. de cæris. & rec.

Orig. in Exod. homil. 8. p. 65. Q. 1.

Ibid. p. 86.

nem Origeni ignotam fuiſſe; quam ſi vir longe eruditiſſimus notam habuiſſet, non magis quam Bellarminus & cæteri Latinæ Eccleſiæ ſophi, erat indictam tali loco prætermiſſurus. Iam & in oratione Dominica explicanda merito quoque Latini de Divorum cultu commentantur; quod hæc precatio noſtras, quarum norma, atque exemplar apud Chriſtianos cenſetur, ad vnum Deum eſſe dicendas eo præſtruere videtur, quod non ipſa alium quam Patrem cœleſtem compellat. Huc accedit, quod nullus ſit in doctrina Chriſtiana locus, ad quem commodius atque opportunius tradi poſſet orationum omnium Chriſtianarum ratio ac natura, quam ad hujus expoſitionem. Itaque Catechiſmus Tridentinus cum ad eam accederet, omnino ſapienter pro ſuo inſtituto de oratione in genere præfatur, ac de ejus objecto diſputans, poſtquam ſtatuit Deum orandum eſſe, ſtatim docet *ſecundo loco confugiendum eſſe ad auxilia Sanctorum, qui in cœlo ſunt, iiſque preces eſſe faciendas*. Ergo & vetuſtiſſimi Chriſtianorum Magiſtri, ſi eadem cum Tridentinis de Divorum cultu ſenſiſſent, preces itidem, quę ſunt ex hac hypotheſi ad eos faciendæ, in Dominicæ orationis expoſitione attigiſſent. Illi vero in hoc argumento verſantes nuſquam eas memoraſſe reperiuntur. Vt cætera eorum loca mittam, in quibus obiter & aliud agentes orationem Dominicam tangunt, extat ejus luculentiſſima atque pleniſſima non modo apud Tertullianum, ſed etiam apud Cyprianum expoſitio; in qua vterque id vnum ex profeſſo agit. Neuter in toto tractatu de Divis orandis vel vnum verbum facit. Ne ergo dubitaveris Divorum invocationem rem vtrique juxta fuiſſe in Chriſtianæ pietatis officiis inauditam & incognitam. Sed Perronius negat hos Patres, quæ in iſtis ſuis in orationem Dominicam commentariis actu non habentur, ideo omnia ex Eccleſiæ cultu excluſa voluiſſe. Quaſi vero hoc quiſquam affirmet. Tantum hoc contendimus eos totum illud hodiernum orationum ad Divos Latinarum genus neſciviſſe inde liquido probari, quod de orationibus fidelium religioſis ex profeſſo tractantes, nihil de iſtis, quæ ad Divos fiunt, vſquam toto libro dixerint. Quod ait ſecundo Tertullianum & Cyprianum in iſtis libellis *de ſola oratione abſoluta, & ſuprema, & objecti finalis, in quo ea terminatur* loqui, non autem *de relativa, & ea, qua quis alium precatur, vt pro ſe Deum precetur*: reſpondeo iſtum more ſuo lectoribus illudere, & in hoc ſonoro grandium vocabulorum ſtrepitu meras nugas profundere. Nam ſi has ampullas diſcuſſeris, reperies nihil iis aliud contineri, quam hoc quod nos obiicimus. Quid enim quæſo tandem ſibi volunt iſta Perronianæ eloquentiæ ſeſquipedalia verba? Profecto non aliud cum omnia expendi, ſignificare reperio, quam iſtos Scriptores in libris laudatis de oratione quidem ea quæ ad Deum fit, loqui; de ea quæ fit ad Divos, non loqui. Atqui hoc ipſum eſt, quod ego obiicio; & ex quo Divorum orationem quam ſcilicet talibus locis nulli memorant, ignotam iis fuiſſe

CAPVT IX.

Catech. Trid. de Orat. Dom. p. 544.

Tertull. de Orat. p. 149.

Cypr. de orat. Dom. 218.

CAPVT VII.

reciret. Omnibus nota eſt hæc Latinorum in commum vita praxis. S[illegible] in eorum actis & hiſtoriis ſæpe occurrit. Ita narrant in Indicis Annalibus quendam de Goano Ieſuitarum ſodalitio ſacerdotem cuidam moribus corruptiſſimis militi præcepiſſe, vt apud Dominæ Virginis aram certas ad eam preces ad ſatisfaciendum Deo recitaret. Nihil vſpiam ſimile in omni veterum pœnitentium diſciplina reperies. Petrus quidem Apoſtolus Simonem Magum, cum *a nequitia ſua pœnitentiam agere* juſſiſſet, non Angelorum, aut aliorum cœlitum quemquam adire & precibus ſuis demereri hortatur; ſed, *Roga* (inquit) *Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Sic & Clemens, quem Romæ Petro in Epiſcopatu ſucceſſiſſe ferunt, cum ex Corinthiis ad quos ſcribit, quidam in grave ſchiſmatis crimen eſſent lapſi, fideles cæteros pro iis precari Deum jubet, propoſito ad eam rem Eſtheræ exemplo, *quæ cum per jejunia & humilitatem ſuppliciter oraſſet rerum omnium conditorem Dominum, Deum ſæculorum, ita populum Iſraelis ab inſtanti exitio liberavit; Oremus igitur & nos* (inquit) *pro eis qui ſunt in aliquo lapſu, vt eis detur moderatio & humilitas, quo ipſi non nobis, ſed Dei voluntati cedant.* Καὶ ἡμεῖς ἐντύχωμεν περὶ τῶν ἔν τινι παραπτώματι ὑπάρχουσι, ὅπως δοθῇ αὐτοῖς ἐπιείκεια καὶ ταπεινοφροσύνη, εἰς τὸ εἶξαι αὐτοὺς μὴ ἡμῖν, ἀλλὰ τῷ θελήματι τοῦ Θεοῦ. De poſcendis Virginis Matris, aut Divorum ſuffragiis nullum in tota epiſtola verbum fecit. Cypriani de pœnitentium officiis ſermones ſunt aliquot aurei. Nuſquam ille tamen vllas vel Mariæ, vel ſanctorum litanias præcipit. Lapſos pœnitentes ille quidem ad preces atque orationes diligentiſſimè cohortatur. Sed quas? Audi. *Dominus* (inquit) *orandus eſt; Dominus noſtra ſatisfactione placandus eſt. Satisfactionem* humilem precem cum peccati ſui confeſſione ac deteſtatione conjunctam dicit. Idem alibi in eodem opere per rhetoricam communicationem ſe cum lapſis conjungens; *Convertamur* (inquit) *ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei miſericordiam deprecemur*; & hanc exomologeſeos partem, plane vt Tertullianus ſic deſcribit, *lamentari ex toto corde, jejuniis, fletibus, planctibus Dominum deprecari.* Tum lapſos pœnitentiam defugientes objurgans; *Satisfacere* (inquit) *& DOMINVM rogare detrectant, qui Dominum negaverunt.* Paulo poſt eoſdem dicit *opinari ſe ſtare, quando jacere & proſternere ſe Deo debent.* Se quoque pro pœnitentibus orare ſignificat; ſed Deum. *Rogamus vos* (inquit) *vt pro vobis Deum rogare poſſimus; preces ipſas prius ad vos vertimus, quibus DEVM pro vobis, vt miſereatur, oramus.* Ab iſtis nimirum pœnitentiam poſcebat, vt pro ipſis à Deo poſceret indulgentiam. Denique; *Orare* (inquit) *oportet impenſius & rogare*; & mox de Deo; *Pœnitenti,* (inquit) *operanti, roganti poteſt clementer ignoſcere, ſi eius iram* (hoc enim aliis paucis interjectis mox ſubiicit) *ſi indignantis offenſam juſta deprecatione placaverit.* Alibi in epiſtola, qua ſuos clericos abſens inſtruit, omnes ad

Anna. Ind. a. 162. p. 120. — *Act. 8. 22.* — *Clem. ep. ad Cor. p. 71.* — *Cypr. de Lapſis p. 199.* — *ibid. p. 203. extr.* — *ibid.* — *ibid. p. 204. extr.* — *ibid. p. 205.* — *ibid.* — *ibid. p. 205. extr.* — *ibid. p. 206.*

pœni-

pœnitentiam cohortans, *precibus inſiſtendum* eſſe & *orandum* monet. Quibus? An ad Mariam & cæteros Divos? Ille vero omnia alia; *Primò* (inquit) *ipſum Dominum* (id eſt Chriſtum) *rogare*; *tum deinde per ipſum Deo Patri ſatisfacere debemus*; Tum; *Vnuſquiſque oret Deum* (inquit) *non pro ſe tantum, ſed pro omnibus fratribus*. Denique, *Nos tantum* (inquit) *ſine ceſſatione poſcendi, & cum fide accipiendi ſimplices & vnanimes Dominum deprecemur, cum gemitu pariter & fletu deprecantes, ſicut deprecari oportet eos, qui ſint poſiti inter plangentium ruinas*; & quæ ſequuntur diſertiſſima juxta ac præclariſſima. Hæc Cyprianus. Cur qui tam crebro, tamque ardenter pœnitentes ad Deum orandum ac deprecandum vocat, de litaniis ad Virginem & ad Divos recitandis vbique conſtanter tacet? Res clara eſt. Nimirum ille Divorum cultus nullo tum erat in vſu. Ad hunc illorum temporum vſum ſua quoque effinxit Hermas, ſive Paſtor; apocryphus quidem, ipſo tamen Cypriano multo vetuſtior; qui ſuam pœnitentiam deſcribens orationes ſuas memorat, ſed omnes ad Deum; nullas ad Divos, vel ad Matrem Virginem; *Genibus* (inquit) *poſitis cæpi orare Dominum, & confiteri peccata mea*. Tum ſanctam mulierem, quam tacitus concupiverat, ſibi in viſione hæc loquentem, inducit; *Ora ad Dominum, & ſanabis peccata tua, totiuſque domus tua, & omnium ſanctorum*. Iterum in viſione tertia; *Ad me* (inquit) *reverſus, & memoratus gloriam Dei, & accepta audacia poſitis genibus confitebar Deo iterum peccata, quæ prius*. Simul autem oraſſe Deum verba ſtatim ſequentia docent; *audiebat me orantem, & confitentem Domino peccata mea*. Sic etiam viſione quinta; *Cæpi* (inquit) *flere, & invocare Dominum, vt me liberaret ab illa* (beſtia) Et mox Eccleſiam ita ſe in viſione allocutam fingit; *Bene effugiſti* (inquit) *quoniam ſolitudinem & ſolicitudinem tuam ad Dominum projeciſti, & cor tuum aperuiſti ad eum; credens quod per nullum alium poteris ſalvus eſſe, niſi per magnum & honorificum nomen ejus*. Denique libro ſecundo apparet ei *Angelus pœnitentiæ nuntius*; & cum eo colloquens multa de oratione ad Deum dicit; De Litaniis ad Divos, nihil toto libro dicit. Ita videmus quantum ſit hac in parte vetuſtiſſimorum Chriſtianorum à noſtris Latinis diſcrimen; quod religioſum Divorum, & præſertim Matris Virginis cultum ſuis catechumenis, neophytis, & pœnitentibus hi quidem crebro ac pæne ſemper, illi vero nunquam commendaſſe reperiuntur.

CAPUT VII. *Id cp. 7. p. 17 init.* *Ib p. extr.* *ibid. p. 18.* *Herm. l. 1. Viſione 1. Bibl. Patr. T. 5. p. 1. A.* *ibid C.* *Id. ibid. Viſion. 3 p. 4 D.* *Id. ibid Viſ. 4. p. 9. D.* *Ib. d. p. 10. A.*

CAPUT VIII.

Argumentum VII. Quod de Divorum cultu inter cætera Chriſtianæ pietatis officia Eccleſiæ tum præpoſiti, tum Martyres fideles in ſuis ad eos exhortationibus docere ac præcipere apud Latinos quidem paſſim ſoleant; apud vetuſtiſſimos vero nunquam.

IDEM quoque obſervare eſt in vtrorumque exhortationibus, non vnius alicujus ordinis propriis, ſed omnium in genere Chriſtianorum communibus. Latinorum quidem Magiſtros videmus paſſim omnibus cujuſcumque ætatis, ſexus, conditionis Chriſtianis in homiliis & in ſermonibus ſive privatis ſive publicis hunc cultum præcipere. Solerius narrat Ieſuitas ſuis Bungenſibus in Iaponia Chriſtianis inter cætera pietatis capita enixe mandaſſe, vt in Deiparam eſſent, & in alios Sanctos devoti. (Sic enim ille loquitur) Quanti hoc fecerit Franciſcus Xaverius, tum ex perpetua ejus praxi liquet, qui vbicumq; pedem poſuiſſet, nihil fere habebat antiquius, quam preces ad Matrem Virginem docere, & commendare; tum etiam ex illis mandatis quæ Gaſpari Barzęo Goa in Iaponiam proficiſcens reliquit, ſummopere à Ieſuitis laudata, inter cætera præcipiens, *Omnes quotidie ſedulo veſpere moneret, vt Angelicam ad Divam Virginem orationem una cum Dominica precatione* (hæ enim in iſtorum moribus ac commentariis pari fere ambæ paſſu ambulare ſolent) *pro purgatorij civibus recitarent.* Ne ipſos quidem Latinorum martyras piguit in ſupremo illo agone Sanctorum cultum ſuæ communionis hominibus commendare; vt illos exempli cauſa Iaponas quos narrant hoc in ſupremis mandatum piis quicumque Latini ritus aderant, dediſſe, vt Ignatio (famoſiſſimo Ieſuitarum auctori) nominatim eſſent devoti. Plura ex Latinorum homiliis & ſermonibus, epiſtolis & colloquiis loca afferre, vbique obvia nihil neceſſe eſt. Quis enim dubitet eos, quod Tridentini Patres juſſerunt, ſuos fideles diligenter docuiſſe de hoc cultu? Sed & ipſa rei ratio hoc ab illis exigebat. Cum enim hunc Divorum cultum religionis Chriſtianæ partem eſſe putent, ſua quemque præpoſitum conſcientia ſatis per ſe vrget ad eum memorandum atque commendandum, quoties de pietatis officiis dicunt. Ergo neque dubitandum eſt vetuſtiſſimos Chriſtianiſmi Magiſtros, ſi eadem cum Latinis noſtris de hoc Divorum cultu ſenſiſſent, ſuos ad eum homines diligenter fuiſſe cohortaturos, quoties de noſtræ religionis officiis diſſerunt; maxime vero vbi de oratione & precibus religioſis tractant; qui locus ſæpiſſime apud illius memoriæ ſcriptores occurrit. Atqui hunc illi cultum non modo nuſquam commendant, aut ad eum cohortan-

Sol Iap l. 5. c. 10. §. 116.

Iarric. Indic. l. 1. c. 20. p. 230.

Ann. Iap. a. 1628. p. 9?.

hortantur; Sed ne ſemel quidem nominant aut memorant. Quod CAPV
ne falſo gratiſque affirmare videamur, loca afferenda ſunt in quibus VIII.
cum ea eſſet hujus Latini officij propria ſedes, nulla tamen ejus mentio
facta reperitur. Apoſtoli, vt ab iis ordiar, quam ſæpe, & quam
plene, quamque acriter ſuos diſcipulos de precandi officio, in epiſtolis
quas ad eos ſcripſerunt, docent, atque inſtruunt? Monent *orationi
inſtandum* *; *per omnem orationem & obſecrationem orandum omni* *Rom.12.12.
*tempore in ſpiritu; & in hoc ipſo vigilandum in omni inſtantia & obſecratione
pro omnibus ſanctis* †, Iubent *ſine intermiſſione orare, & in* †Eph.6.18.
omnibus gratias agere; hanc enim eſſe Dei in Chriſto Ieſu voluntatem Col.4.2.
in omnibus nobis. Obſecrant *primum omnium fieri obſecrationes, orationes,* 1.Theſſ.5.17.18.
poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus, & nominatim *pro* 1.Tim.2.1.2.
Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt; Hoc enim bonum eſſe ac 3.4.5.6.
*acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri;
Vnum enim eſſe Deum, vnum Mediatorem Dei & hominum, hominem
Chriſtum Ieſum, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* (Quo
loco nemo non videt cum hæc Dei ſit in homines voluntas, hic Chriſti
in eos amor, omnino illud quoque ex Latino dogmate addendum
fuiſſe, decere nos non modo ipſos Deum pro iis precari, ſed etiam Divorum
pro iiſdem cœlirum apud Dominum interceſſiones litaniis ad
ipſos noſtris ambire atque conciliare.) Edicunt iidem Apoſtoli *viros* ibid. v.8.
*orare in omni loco, levantes puras manus, ſine ira & diſceptatione, ſimiliter
& mulieres in habitu ornato cum verecundia & ſobrietate.* At vt
nos ad id officium alacriter præſtandum commoveant, docent *oculos* 1.Petr.3.12.
Dei eſſe ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum; & *multum valere
deprecationem juſti aſſiduam;* idque exemplo Eliæ è Scripturis veteribus Iac.5.16.17.
petito affirmant. Quin & tantam eſſe Dei bonitatem prædicant
vt hanc nobis apud eum fiduciam præcipiant, *quia quodcumque petierimus
ſecundum voluntatem ejus, audit nos; & ſcimus* (inquiunt) *quia* 1.Ioan.5.14.15.
*audiet nos quicquid petierimus, ſcimus quoniam habemus petitiones,
quas poſtulamus ab EO.* Quocirca nos jubent *petere pro fratre peccante
non ad mortem,* & *ſapientiam poſtulare à Deo, qui dat omnibus* 1.Ioan.5.16.
affluenter, poſtulare autem in fide nihil dubitantes, & in rebus triſtibus, Iac.1.5.6.& 4.13.& 5.16.
orare, neque pro nobis tantum, ſed *alios pro aliis orare, vt ſalvemur.*
Hæc Apoſtolorum fere eſt de fidelium oratione & precibus per eorum
epiſtolas variis locis ſparſa doctrina. Qui hæc tam ſedulo nos
docent, quis eos dubitet ſi Divorum invocationem inſtituere voluiſſent,
rem apud pios novam, & omni retro Eccleſiæ per quatuor annorum
millia plane penituſque ignotam & inauditam, de ea quoque
pari diligentia, imo etiam ſolicitius dicturos fuiſſe, quod in divinis
prioris fœderis litteris, de ipſius quidem Dei oratione plurima &
præcepta & exempla extare, de hoc vero recenti Divorum cultu nullum
iſtic verbum legi ſciebant? Atqui conſtat ex ſuperioribus locis
neque Paulum ſuos Romanos, Epheſios, aut Theſſalonicenſes, ac ne

CAPVT VIII. Timotheum quidem cariſſimum diſcipulum, neque Petrum ſuos Ponticos, neque Iacobum Iudaicæ diſperſionis fideles, neque Ioannem deniquè eos ad quos ſcribit Chriſtianos (nam ex horum ad iſtos epiſtolis illa omnia excerpſimus) de Divorum invocatione vel vno iſtic verbo inſtruxiſſe. Idem eſt in ſimilibus locis & Apoſtolicorum virorum de hoc cultu ſilentium. Clementis Romani extat aurea ad Corinthios, Ioanne Apoſtolo adhuc ſuperſtite ſcripta, vt videtur epiſtola; qua totam illam Eccleſiam fœde ſciſſam in partes, graviſſimoque diſſidio laborantem, ad reſipiſcentiam cohortatur, Deum inprimis deprecandum, ejuſque implorandam miſericordiam; *Magnificæ* (inquit) *& glorioſæ Dei voluntati obſequamur, & ſupplices facti miſericordiæ & benignitatis ejus, advolvamur ei, & ad miſerationes ejus convertamur.* ὑπακούσωμεν τῇ μεγαλοπρεπεῖ καὶ ἐνδόξῳ βουλήσει αὐτοῦ, καὶ ἱκέται γενόμενοι τοῦ ἐλέους καὶ τῆς χρηστότητος αὐτοῦ προσπέσωμεν, καὶ ἐπιστρέψωμεν ἐπὶ τοὺς οἰκτιρμοὺς αὐτοῦ. Iterum poſtea; *Procidamus* (inquit) *ante Dominum, & flentes ſupplicemus ei, vt propitius factus nobis reconciliari velit.* Προσπέσωμεν τῷ δεσπότῃ καὶ κλαύσωμεν ἱκετεύοντες αὐτὸν, ὅπως ἵλεως γενόμενος ἐπικαταλλαγῇ ἡμῖν. Iubet quidem eos divinam beati Pauli ad ipſos epiſtolam in manus ſumere, & quæ ille de ſimili argumento ad ſe olim ſcripſiſſet, perpendere. Ipſum Paulum tam in cœlis verſantem precibus ſuis convenire, rogateque ſupplices, vt pro iis apud Deum intercedat, viique Eccleſiam ſua manu plantatam, ſuo ſudore ac ſanguine rigatam, commendet (quod vnicè, vt omnes vident, ex Latinorum hypotheſi poſtulabat hic locus) nequaquam jubet. Sed & propoſito Eſtheræ exemplo, quæ in ſummo Iſraëlis diſcrimine *omnipotentem rerum omnium conditorem Dominum, ſeculorum Deum oraverat, Oremus igitur & nos* (inquit) *pro iis, qui in calamitatem aliquam inciderint.* Καὶ ἡμεῖς οὖν ἐντύχωμεν περὶ τῶν ἔν τινι παραπτώματι ὑπαρχόντων. De Divis orandis, neque hic, neque vſpiam alibi quicquam dicit. In Polycarpi, glorioſiſſimi epiſcopi & Martyris epiſtola ad Philippenſes, eadem obſervare eſt. Nam *Deo ſervire* eos jubet, de Divis colendis, nihil dicit, Latinorum myſteriorum vſque adeo ignarus, vt *duliæ* vocabulum, quod apud hos eſt cultus in Divos religioſi proprium, ipſe Deo tribuat; δουλεύσατε τῷ Θεῷ (inquit) eamque apud Latinos intolerabilem catechreſim etiam iterum, infra vſurpet; *Sic ergo ſerviamus cum timore & omni reverentia.* οὕτως οὖν ΔΟΥΛΕΥΣΩΜΕΝ αὐτῷ μετὰ φόβου καὶ πάσης εὐλαβείας. Eſt etiam vbi inter alia pietatis Chriſtianæ officia, precum religioſarum meminit; jubens *ſobrios eſſe*, ſive *vigilare ad preces*, νήφειν πρὸς τὰς εὐχὰς. ſed quas non *Divis*, verum *Deo* ipſi deferendas eſſe ſtatim ſignificat, *ſupplicationibus* (inquit) *petentes omnium perſpectorem Deum, ne nos inducat in tentationem*, δεήσεσιν αἰτούμενοι τὸν παντεπόπτην Θεὸν μὴ εἰσενεγκεῖν ἡμᾶς εἰς πειρασμόν. Iam & Pſeudo-Clemens, vbi Petrum facit Cæſarienſes Chriſtianos, poſtquam iis Zachæum ordinaſſet epiſcopum, de Chriſtiana pietate ejuſque

officiis

Marginal notes: Clem. ep. ad Cor. p. 12. — ibid. p. 62. — ibid. p. 63. — ibid. p. 71. — Polyc. ep. ad Phil. p. 14. — ibid. p. 19. — ibid. p. 20. — Clem. Recog. l. 3. f. 24. C.

officiis alloqui, cultus non alterius quam divini meminit; *Deum* (inquit) *colite, qui creavit cœlum & terram; Chriſto credite, invicem diligite.* Cur non finxit Apoſtolum Divorum quoque, licet diſparem, religioſum tamen cultum fidelibus præcepiſſe? Quia nimirum in iis, ex quibus ſua effinxit, Eccleſiæ moribus, ſæculo nimirum vel ſecundo exeunte, vel tertio ineunte florentis, planè nulla adhuc erat Divorum religio. Parco plura deſcribere; quorum plæraque infra commodius aliis locis reddentur. Illud vnum ſuperioribus addendum eſt, Latinis vſque adeo neceſſarium viſum eſſe omnes de hoc Divis exhibendo cultu cōmonefieri, vt ea de re à ſuis præpoſitis ipſos etiam Martyras interdum apud eos legamus admonitos fuiſſe; Qualiter Martinum Franciſcanum quemdam Commiſſarium ad martyrium euntem ſocios ſuos, ejuſdem laureæ candidatos cohortatum eſſe Iaponici annales tradunt; *Toto* (inquit) *corde ad ſanctiſſimam Dei matrem peccatorum advocatam, ad glorioſum Franciſcum, ad Angelum cuſtodem, & ad omnes Sanctos in cœlo confugiamus, vt intercedant pro nobis.* Iidem quoque narrant Paulum Vchubiorium Ignatianæ ſodalitatis fratrem, qui ſecum vincti ad mortem pro Latina fide in thermis Vngeni montis ex decreto Iaponum magiſtratuum perpetiendam ducebantur, eos inter eundum diligenter eſſe adhortatum, vt ad Matrem Virginem in ſupremis cōfugerent. Sunt & alia ejuſdem cenſus apud Latinos exempla; apud veteres Chriſtianiſmi martyres plane nulla ſunt; quod quia in generali diſputationis parte pleniſſime demonſtratum eſt, nunc non repeto. Ex his ſatis patet toto illo quo iſti vixerunt, tempore nullam adhuc Chriſtianæ pietatis partem fuiſſe hunc Divorum quem nunc Latini factitant, cultum; qui ſi in aliquo apud noſtros fuiſſet loco ac numero, numquam profecto ab Apoſtolis & ab aliis quos edidimus, tum alia Chriſtianiſmi officia, tum preces & cultum religioſum memorantibus, ita conſtanter prætermiſſus eſſet.

CAPUT VIII.

Relatio tripl. de reb. Iap. a. 1596. c. 10.

Ann. Iap. a. 1626. p. 412.

CAPUT IX.

Argumentum VIII. Quod in Decalogi præcepto primo explicando, & in oratione Dominica tractanda à precum ad Divos religioſarum (vt cultu Divorum ſuppoſito decet ac neceſſe eſt) Latini quidem ſedulo meminerunt; vetuſtiſſimi vero Theologi, nunquam, quod ex Tertulliani & Cypriani de oratione libellis demonſtratur. Perronij de relativa oratione effugium præcluditur, ac refellitur.

SED tametſi Latinorum præpoſiti ac doctores hanc in Divos religionem vbique paſſim quoties datur occaſio, commendent, atque inculcent, præcipue tamen eam memorant, ac diſerte docent, cum

vel

CAPVT IX.

vel primum legis divinæ mandatum, vel orationem Dominicam exponunt; prudenter illi quidem, ac neceſſario. Cum enim in primo illo Decalogi capite Deus ſeveriſſime prohibeat, *ne quemquam præter ipſum pro Deo habeamus*, nemo eſt, qui hac audita lege, non id ipſum requirat, quod à magiſtro, in Bellarminiana catecheſi petit diſcipulus; ſibi nimirum explicari, *qui cum hoc mandato non pugnet is honos, quem Latini Divis, eorumque reliquiis & imaginibus exhibent, ea omnia, vt quidem videtur, adorantes, quæ poſitis ſcilicet genibus venerantur, & precantur, non aliter quam Deum precari ſolent.* Itaque Bellarminus ille doctrinæ Chriſtianæ magiſter diligenter in eo ſolvendo nodo laborat; & allata inprimis Eccleſiæ ſuæ, apud quam iſta fiunt, majeſtate, dubitationem omnem excludit, negans verendum eſſe, nequid ea vel faciat, vel doceat, quod divinis legibus adverſetur. Tum hæc ſane magnifice præfatus, cultum, quem Deo Decalogus vindicat ab iis honoribus diſtinguit ac diſcriminat, quos Divis ſua Eccleſia attribuit. Eadem eſt Tridentini catechiſmi ad hunc legis divinæ locum explanandum obſervatio; eadem Caniſij, & cæterorum ni fallor, ſi qui ex illis partibus Decalogum ſuis explicationibus, vel commentariis paulo accuratius illuſtrarunt. Cum hæc ergo hic fieri ipſa rerum in ſenſus incurrens ratio, ac quædam pæne neceſſitas poſtulet; omnino ſtatuendum eſt veteres quoque ſi Divos æque cum Latinis noſtris eſſent veneratí, eadem via progreſſuros ad hoc eorum cultu mentionem facturos, eumque pro ſua virili cum lege conciliaturos fuiſſe, quoties quidem Decalogum vel totum ex profeſſo, vel hanc primam ejus partem tangunt. Atqui nihil apud eos ſimile vſpiam occurrit. Habemus in hoc primum Decalogi caput integram Origenis homiliam, in qua fuſe more ſuo, de vnius Dei cultu diſputat; & hanc legem ad nos quoque pertinere auditores monet, *Dicitur* (inquit) *& tibi qui per Ieſum Chriſtum exiiſti ex Ægypto, & de domo ſervitutis eductus es*, Non erunt tibi Dij alij præter me; Ac cæteras quidem gentes à Dei cognitione alienas, etiam eos qui natura Dij non ſunt, coluiſſe; Domino ita permittente; Iſraëli vero vtrique, & ei, qui eſt ſecundum carnem, & ei qui eſt ſecundum Spiritum, (id eſt Chriſtianis) vnum eſſe Deum, qui vere Deus Dominuſque eſt vnus. Hunc vnum toto corde diligendum, tota anima & tota virtute ei adhærendum. Cætera neque adoranda, neque colenda; Vtrumque enim reſecare ſermonem divinum, denique præcepti hujus mandatum eſſe, vt *omnes cæteros Deos ac Dominos repudiemus, & præter vnum Deum & Dominum, neminem vel Deum, vel Dominum.* Hæc ibi fere Origenes. De religioſo *Dominæ noſtræ*, Matris Virginis, *Dominorum*que ac *Patronorum noſtrorum* Divorum cultu, ejuſque à primi ac principis numinis religione differentia, (quam hic tradi omnino poſcebat Latinum dogma) nihil ille in tota homilia dixit, quod certiſſimo argumento eſt totam hanc Latinorum religionem

Bellar. in catech. ſive doctr. Chriſt. ad 1. præc. Decal. p. 113.

Id. ibid.

Cat. Trid. ad Dec. mand. 1. Caniſ. catech. c. 3. de carit. & rec.

Orig. in Exod. homil. 8. p. 65. Q. 1.

Ibid. p. 86.

nem Origeni ignotam fuiſſe; quam ſi vir longe eruditiſſimus notam habuiſſet, non magis quam Bellarminus & cæteri Latinæ Eccleſiæ ſophi, erat indictam tali loco prætermiſſurus. Iam & in oratione Dominica explicanda merito quoque Latini de Divorum cultu commentantur; quod hæc precatio noſtras, quarum norma, atque exemplar apud Chriſtianos cenſetur, ad vnum Deum eſſe dicendas eo præſtruere videtur, quod non ipſa alium quam Patrem cœleſtem compellat. Huc accedit, quod nullus ſit in doctrina Chriſtiana locus, ad quem commodius atque opportunius tradi poſſet orationum omnium Chriſtianarum ratio ac natura, quam ad hujus expoſitionem. Itaque Catechiſmus Tridentinus cum ad eam accederet, omnino ſapienter pro ſuo inſtituto de oratione in genere præfatur, ac de ejus objecto diſputans, poſtquam ſtatuit Deum orandum eſſe, ſtatim docet *ſecundo loco confugiendum eſſe ad auxilia Sanctorum, qui in cœlo ſunt, iiſque preces eſſe faciendas.* Ergo & vetuſtiſſimi Chriſtianorum Magiſtri, ſi eadem cum Tridentinis de Divorum cultu ſenſiſſent, preces itidem, quę ſunt ex hac hypotheſi ad eos faciendæ, in Dominicæ orationis expoſitione attigiſſent. Illi vero in hoc argumento verſantes nuſquam eas memoraſſe reperiuntur. Vt cætera eorum loca mittam, in quibus obiter & aliud agentes orationem Dominicam tangunt, extat ejus luculentiſſima atque pleniſſima non modo apud Tertullianum, ſed etiam apud Cyprianum expoſitio; in qua vterque id vnum ex profeſſo agit. Neuter in toto tractatu de Divis orandis vel vnum verbum facit. Ne ergo dubitaveris Divorum invocationem rem vtrique juxta fuiſſe in Chriſtianæ pietatis officiis inauditam & incognitam. Sed Perronius negat hos Patres, quæ in iſtis ſuis in orationem Dominicam commentariis actu non habentur, ideo omnia ex Eccleſiæ cultu excluſa voluiſſe. Quaſi vero hoc quiſquam affirmet. Tantum hoc contendimus eos totum illud hodiernum orationum ad Divos Latinarum genus neſciviſſe inde liquido probari, quod de orationibus fidelium religioſis ex profeſſo tractantes, nihil de iſtis, quæ ad Divos fiunt, vſquam toto libro dixerint. Quod ait ſecundo Tertullianum & Cyprianum in iſtis libellis *de ſola oratione abſoluta, & ſuprema, & objecti finalis, in quo ea terminatur* loqui, non autem *de relativa, & ea, qua quis alium precatur, vt pro ſe Deum precetur*; reſpondeo iſtum more ſuo lectoribus illudere, & in hoc ſonoro grandium vocabulorum ſtrepitu meras nugas profundere. Nam ſi has ampullas diſcuſſeris, reperies nihil iis aliud contineri, quam hoc quod nos obiicimus. Quid enim quæſo tandem ſibi volunt iſta Perronianæ eloquentiæ ſeſquipedalia verba? Profecto non aliud cum omnia expendi, ſignificare reperio, quam iſtos Scriptores in libris laudatis de oratione quidem ea quæ ad Deum fit, loqui; de ea quæ fit ad Divos, non loqui. Atqui hoc ipſum eſt, quod ego obiicio; & ex quo Divorum orationem quam ſcilicet talibus locis nulli memorant, ignotam iis fuiſſe

CAPVT IX.

Catech. Trid. de Orat. Dom. p. 544.

Tertull. de Orat. p. 149. Cypr. de orat. Dom. 218.

CCc conclu-

CAPVT IX.

concludo. Noſter Chryſippus, vt argumentum ſolvat, nos monet iſtos de oratione ad Deum loqui; non loqui de oratione ad Divos. Hoc vero nugari eſt, non diſputare. Illi Patres ſi de Divis invocandis idem quod Latini decernunt, ſenſiſſent, quas ad eos rite ac legitime fieri putarent preces, eas inquam à precibus quæ ad Deum fiunt, diſcriminaſſent; vt fecit idem argumentum tractans Catechiſmus Tridentinus; eo ipſam illam inter *orationem abſolutam*, ac *relativam* Peronianam diſtinctionem, adhibuiſſent; quod fecit eadem Catecheſis. Nunc neque *Divorum invocationem vllam*, neque vllam *relativam orationem* memorant; neque de his myſterijs vllum in toto de oratione tractatu verbum faciunt. Ergo nihil illi iſtorum, quod ego contendebam, norant. Idq; tanto validius concludo, quod nullus ex alijs vel eorumdē vel coævorū ſcriptorum libris affertur, quo *relativam* aliquā ad eos qui in cœlo ſunt, *orationem* ab *oratione abſoluta*, quæ ad Deum fit, diſtinguant. Sunt hæc inventa poſteriorum hominum, qui vt ſua de Divis colendis placida fucarent, & à divinarum Scripturarum anathematis vel ſaltem apud imperitos defenderent, cultum religioſum qui vnus eſt, ſecare in partes coacti ſunt, præter omnem & Dei & vetuſtiſſimorum auctorum auctoritatem. Quæ vero Perronius ſubiicit, vt hæc ſua inſomnia à re quæ agitur, non eſſe plàne aliena inſinuaret, nullam quoque apud Cyprianum & Tertullianum fieri, ejus orationis mentionem obſervat quâ *Chriſtus precandus ſit, vt precetur pro nobis*; quod tamen nos *Chriſto ita deberi putemus, vt id ſanctis, ea de cauſa negemus, ne Domino injuriam faciamus*; iſta inquam omnia nihil plane contra allatam à nobis objectionem valent, quod vt oſtendam, primo illud obſervandum eſt Latinos à ſuis Divis non ſimpliciter petere, vt pro ſe Deum precentur, ſed ab iis fere omnia & præſentis & futuræ vitæ bona poſcere; vt ex ſupra allatis orationum apud eos ad Matrem Virginem ſolennium exemplis patet. Illa iſtorum eſt mera in verbis cavillatio, qua quæ Divos eodem plane modo iiſdemque vocibus, quibus Deum ipſum, poſcunt, alio tamen ſenſu à ſe poſci fingunt. 2. Sed eſto; nihil aliud illi Divos cœlites poſcant, niſi hoc vnum, vt Deum pro ſe precentur, ipſi gratiam ſibi nullam proprie conferant, aut donent, ſed à Deo tantum impetrent, vt hæ quas petunt, gratiæ iis à Domino conferantur; ac donentur; nego nos, nego veteres, nego pios vllos vere Chriſtianos Chriſtum vnquam ſic, vel hoc modo eſſe precatos, vt Patrem pro ſe precetur. Quid enim? An Chriſtum putat Perronius nihil aliud pro nobis agere, niſi vt inſtar vnius de ſuis Divis, proſtratus apud Deum pro nobis eum roget? Ille verò multum fallitur ſi hoc putat. Chriſtus beneficia, quæcumque petimus, ſuo ſanguine promeritus eſt, eorum dominus, ac diſpenſator eſt; vt æternitatis Pater. Ea ipſe nobis pro arbitrio confert ac dividit, ſummus & Eccleſiæ & orbis vniverſi rex ac monarcha optimus idem ac Maximus; & ad dexteram Patris in ſumma gloria conſtitutus.

Vide Bell. l. 1. de Sanct. beat. c. 17. §. Eſt tamen.

tus. Itaque eum qui veri ſunt ejus ſubditi, non pro nudo deprecatore habent, ſed pro ſuo Rege, Domino, ac Deo; & quæ petunt, ejus ſibi vi, auctoritate, ac nutu donari conferrique optant. Quod vero *Patrem pro nobis precari* dicitur, id non humiliter, ſed ſublimiter, & ad ſummam ejus Majeſtatem conſentanee intelligendum eſt; vt eum non ſtrato inſtar mortalium corpore, procumbentem, aut manus tendentem, voces ad Patrem pro nobis ſupplices fundere cogitemus, ſed divina quadã tantoq; rege digna ratione apud eũ ſic intercedere, vt oblatæ ſemel pro nobis victimę precio atq; odore ſemper apud Patrem præſenti, ejus in nos iram placare intelligatur, & efficere vt eo volente atq; conſentiente ipſe quæ poſcimus, munera & chariſmata nobis pro ſummo illo, quo pollet imperio, impertiatur. Hæ ſunt ſcilicet Chriſti pro nobis apud Deũ *preces*, quæ & divinæ perſonæ ipſius dignitati cõſentaneæ ſunt, & ab Apoſtolo non obſcure deſcribuntur, quo loco dicit *aſperſionem ſanguinis Ieſu melius loqui, quam Abel.* Si nos Perronius Ieſum precari vult, vt pro nobis Patrem hoc modo ac ſenſu precetur; equidem ei hoc concedam. Sed quod ille has noſtras ad Chriſtum preces dicit nuſquam in vtroque illo Tertulliani & Cypriani volumine memoratas reperiri, id negabo, niſi forte ille pertendat, nullas iſtic ad Deum noſtras preces memorari. Nam ſi quas iſti Scriptores iis locis ad Deum fieri & poſſe & debere à nobis preces vel dicant, vel præcipiant; certe & ad Chriſtum quoque fieri poſſe ac debere fateantur neceſſe eſt, quem apertiſſime & ſæpiſſime Deum eſſe confitentur; Vt illud nunc mittam alibi & apud ipſos & apud alios eorundem temporum Scriptores ſexcenties Chriſtum quidem Dominum & adorari & coli & invocari; Divorum vero Latinas orationes non vſquam alibi magis, quàm in his duobus libellis memorari. Poſtrema Perronij verba, quibus nos ideo refugere ait *Sanctos precari, vt pro nobis precentur, ne Chriſto faciamus injuriam*; id neque omnem eam cauſam continet, qua à Latino Divorum cultu deterremur, neque quicquam ad rem quam agimus, facit; qui nunc quærimus, non quæ noſtra ſit de illo cultu ſententia, vel quæ noſtræ ſententiæ ratio; ſed an is ab Apoſtolis traditus, & apud veteres ſolennis fuerit; Non fuiſſe autem illi duo Tertulliani & Cypriani libelli docent, qui cum de religioſa Chriſtianorum oratione fuſe & accurate diſputent, de ea quæ Divis defertur, tacere in tali argumento verſantes, ſi eam ſciviſſent, abſque flagitio non poterant; & tacuerunt tamen. Vnde quivis intelligit, quam merito nos ab hoc omni cultu refugiamus, quem neque à Domino Chriſto inſtitutum, neque ab Apoſtolis traditum, neque à vetuſtiſſimis trium priorum ſæculorum Chriſtianis cognitum aut factitatum fuiſſe reperimus. Denique quod de precibus pro mortuis contra noſtrum hoc argumentum inprimis attulit, id prorſus nullam vim habet. *Ille (inquit) preces neque in ipſis orationis Dominicæ* petitionibus, neque in Tertullianeo, vel Cyprianeo in eam commentario præciſe expreſſæ habentur, quas tamen ex aliis eorumdem Scripto-

CAPVT IX.

Hebr. 12.24.

CAPUT IX.

rum teſtimoniis conſtat jam tum fuiſſe in vſu illius Eccleſiæ. Ergo neque nullas ad Divos tum factas fuiſſe à Chriſtianis preces ex eo ſequitur, quod eæ non fuerint in iiſdem illis libellis memoratæ. Primò reſpondeo diverſiſſimam eſſe vtriuſque rei rationem. Quoſdam enim Chriſtianos precatos eſſe pro mortuis initio tertij ſæculi, idem ille Tertullianus auctor libelli de oratione, diſertiſſime alibi teſtatur. Quemquam vero fidelium B. Mariam & alios Divos tum eſſe precacatum neque ipſe, neque quiſquam alius ad Tertullianeum tempus verus ſincerusque ſcriptor vel vno verbo innuit; nedum vt diſerte teſtetur. 2. Sed etiam ſi nullus de precibus pro mortuis certus & indubitatus illius memoriæ teſtis extaret, non tamen ex Tertulliani de iis in libello *de oratione* ſilentio conſequens eſſet eas tum nulli Chriſtiano fuiſſe cognitas, aut vſurpatas. Non enim quiſquis de oratione vel in genere, vel Dominica nominatim ſcribit, eum ideo neceſſe eſt omnia illa hominum genera diſerte recenſere, pro quibus licet nobis precari, aut eas omnes cauſas diſerte commemorare, ob quas preces fieri poſſunt. Satis eſt edere quem precari, & quo jure, quaque fiducia & quo animo debeamus, & ſumma eorum capita perſtringere, de quibus, vel pro quibus preces faciendæ ſint, quæ & Tertullianus & Cyprianus in ſuo vterque tractatu egregie præſtiterunt. Precum ad Divos longe alia ratio eſt; quæ cum ad alium quam ad Deum deferantur, quem in oratione Dominica compellamus, quemque vnum omnis vetus Eccleſia per quatuor annorum millia invocaverat, omnino debebant in tractatu de oratione ob tam inſigne diſcrimen memorari. Nimirum hic erat aperiendum illud ingens Latinorum de *oratione relativa* myſterium; Ac nequis miraretur, quod Chriſtiani præter Dominici exemplaris auctoritatem alium invocarent, quam *Patrem cœleſtem*, illud ſuggerendum erat Perroniani acuminis inventum, nos Divos precari, vt Deum pro nobis precentur; Deum vero ipſum non precari, vt vel ſe vel aliquem alium Deum pro nobis precetur; Itaque orationem Dominicam earum quidem precum, quæ ad Deum ſunt, exemplar eſſe abſolutiſſimum; ſed harum, quæ ad Divos, tametſi & ipſæ quoque religioſæ ſint, alium alibi requirendum eſſe typum, non in Dei litteris, vbi fruſtra quæreretur, ſed in matris Eccleſiæ tabulis, vel certe ſi antiquiorem deſideres, in Paganorum religionibus, apud quas ad Divos & heroas preces fieri jam olim ſolitas accepimus, quo ſui & ſuorum eſſent apud Deum Opt. Maximum mediatores. Hæc omnino & Tertullianus & Cyprianus, ſi fuiſſent Perronij & Ieſuitarum conſecranei, dicere neceſſario debuerant in ſuis ad orationem Dominicam commentationibus; quorum cum nihil neque dixerint neque cogitarint, fatendum eſt iis ignotam fuiſſe omnem hanc Latinorum in Divos religionem. 3. Sed & aliud poſtremo eſt, quod funeſtam illam Perronij de buſtuariis precibus inſtantiam plane elidit. Eam enim occupavit ipſe Tertullianus; ac

CAPVT IX.

nequis ſe vel mortuorum negotia, vel aliquid quod non ſit totidem verbis in oratione Dominica expreſſum, omiſiſſe calumniaretur, abſoluta ejus expoſitione, diſertiſſime denuntiat, *jus eſſe* his petitionibus alias *ſuperſtruendi extrinſecus, cum memoria tamen præceptorum; ne quantum à præceptis, tantum ab auribus Dei longe ſimus.* Ergo ſi te mortuorum tuorum res curare Dei præcepta ſinunt, tibi quidem pro iis orare per Tertullianum licet; vt fruſtra hinc iis precibus metuas quas jam tum humanus error pro mortuis funditare cœperat; ſed à tuorum Latinorum (nequid iis hic ſeri vel meti putes) vana pro ſuis purgatorianis ſollicitudine plane diverſas. Ita quidem Tertullianus ſuis *pro mortuis* precibus abunde conſuluit; Tuæ vero *ad mortuos* orationi, dic amabo, vbinam conſuluerit? At ſi illi metuiſſet (metuiſſet autem, ſi eam apud ſui ſæculi Eccleſiam ſolennem noſſet) vt hic licere nos monuit alias Dominicis *petitiones ſuperſtruere*; ita & monuiſſet licere alios præter *cœleſtem* illum Dominum ac *patrem*, quem Dominica oratio convenit, orare ſaltem relative. Non monuit; Ergo neque alium quam iſtum orare fas eſſe vere putavit. Nam quod tu de Chriſto nuper *precando* obtrudebas, id ille adeo naſutus fuit, ipſum quoque jam ab initio præcavit. Nequis enim eum ab oratione noſtra ideo excludi putaret, quod hanc ad *Patrem cœleſtem* dirigamus, ecce in ipſo libri limine edicit ac denunciat in Patre *Filium invocari.* Ergo & *Filij invocatio* per Tertullianum ſalva eſt; non quidem fateor, tua illa *relativa,* quam tu cenſeo tuis Divis ſerves, ſed alia quædam diviniſſima, vna Filio in ſolio æternitatis ſedente digna, quæ paternæ *invocationis* nomine ac cenſu continetur? plane vt docuit ipſe Filius, quo loco profitetur *Patrem omne ſibi judicium dediſſe, vt omnes honorificent Filium*, non ſicut vel Pagani ſuos ſemideos, aut minorum gentium Deos, vel ſicut Latini ſuos Divos honorificant, ſed *ſicut* (inquit) *honorificant Patrem.* Iam vides vt Tertullianus tuæ ſubtilitati aditus omnes præcluſerit; vt & legitimæ Filij invocationi, & ſuis pro mortuorum refrigerio precibus, homo frugi, nequid detrimenti à ſophiſtis acciperent, proſpexerit. Solam illam tuam relativam *ad Divos* orationem nudam ac deſertam, omnique apud ſe loco ac præſidio deſtitutam reliquit. Si vt Filium in Patre, ita & Divos, ſaltem Virginem Matrem, in Filio invocari dixiſſet, haberes quod captares. Sed ille neque hoc (abſit) neque aliud quicquam ſimile dixit. Ergo firma ab omni parte contra Perronianam cavillationem conſiſtit noſtra ex his Tertulliani, Cyprianique libellis contra Divorum invocationem argumentatio. Ambos tamen vel in Perronij noſtratis gratiam percurramus; experturi ſiquid iſtic forte pelluceat *orationis relativæ.* Principio id ad *relativam* peſſime collineat, quod in ipſo ſtatim libri limine, & conſtanter in ſequentibus idem iſti *adorare* eſt, quod *orare.* *Docuerat* (inquit) *& Ioannes diſcipulos ſuos adorare.* Nemo non videt *adorare* poſitum pro *orare*, quod eſt in Evangelio προσεύχεσθαι. Et

Tertull. de orat. c. 9. & 113.

Ioan. 5. 23

Tertull. l. de orat. c. 1. p. 149. B.

Lu. 11. 2.

CAPVT IX. mox; *Ideo nec exſtarin quæ verba docuerit Ioannes adorare*; atque iterum pauculis interjectis, Domini memorat *preceptum ſecrete adorandi*, id eſt orandi, vt eſt apud Matthæum. Sic quoque infra; *Quid amplius referent iſti, qui clarius adorant, niſi quod proximis obſtrepunt?* Adorare dicit, quos orare ſignificat. Idem in alio opere; *Tunc adoraveris pro populo* * id eſt, vt liquet, oraveris. Hic ſermo *relativis oratoribus* non congruit; qui *orare* plane aliud eſſe decernunt, quam *adorare*; quique ſuos à ſe Divos *orari* palam & aperte confitentur; imo pæne gloriantur; *adorari*, niſi forte in Italia, aut Hiſpania, vix dicunt; hic quidem apud nos etiam indignantur, ſi quid nos hujuſmodi ab iis dici obſervemus. Tertullianus vero qui vtrumque habet indifferenter, eo ipſo liquido arguitur neminem in religione *oraſſe*, niſi quem *adoraverit*; *adoraſſe* porro eum quemquam præter vnum Deum omnes ejus libri negant. Neque hoc quod ſequitur, *relativorum* placitis ſatis congruit, vt *ei SOLI religionem* noſtram offeramus, *quem vbique audire & videre fidamus*; id eſt vt ex toto hoc ſermone patet, Deum omnipotentem. Divis qui eos precantur, *religionem* ſuam offerunt; Fatentur enim ipſi & hanc ad eos precem & reliquos eorum cultus eſſe religioſos. Fortaſſe & duplicem facient *religionem*, vnam *abſolutam*, alteram *relativam*; vt omnia jam apud eos duplicia ſint. Mihi vero ſatis eſt, quod omnis iſtius *duplicitatis* nullum in Tertulliano reperio veſtigium. Sed & orationem illam Latinorum ad Divos *relativam* hunc Scriptorem neſciviſſe, ſolam ad Deum ſciviſſe arguit, quod paulò poſt dicit *propria orationis officia* eſſe *venerationem Dei & hominis petitionem*. Si *relativam* ſciviſſet, dixiſſet *vel Dei vel Divi venerationem*. Nunc cum *Dei* ſimpliciter dicit, eam quæ *Divum*, id eſt rem à Deo aliam, *veneratur*, *officio* legitimæ orationis deeſſe, adeoque illegitimam eſſe decernit. Tum ſtatim, poſtquam Deum ex Chriſti præcepto vnum eſſe Patrem noſtrum argumentatus, nos *ſic adorantes*, (id eſt, vt Chriſtus docuit, *Pater noſter qui es in cælis*) *etiam præceptum* ejus *obire* concluſit; monere ſi id ſenſiſſet, debebat, nos tamen etiam alios ab illo Patre orare, ſed hoc *relative* illum vnum *abſolute*; Nihil tale dixit, quia ſcilicet ſolam ad illum Patrem orationem norat. Sed mox, cum addit, ne *Eccleſiam* quidem in primis orationis Dominicæ verbis *præteriri*, *matrem* enim *in Patre & Filio recognoſci*. Quæro cur vt *Filium in Patre invocari* dixerat, non itidem *matrem in Patre & Filio invocari* dixerit? Certe dici ſi fas erat, hic decebat. *Recognoſci* enim Eccleſiam matrem ad ejus *honorem* dixit, vt docet, quod hinc ſtatim infert, *Vno igitur genere, aut vocabulo Deum cum ſuis honoramus*; id eſt cum Filio, & Eccleſia. At honorari Eccleſiam multo impenſius liquet, ſi *invocari à nobis*, quam ſi *mater* tantum *recognoſci* dicatur. Cur ergo hoc quod erat ad inſtitutum melius, non dixit? quod erat deterius, dixit? Vtique quia Eccleſiam *matrem* à nobis agnoſci fas, *invocari* nefas putabat.

ibid. C. *ibi Matth. 6. 5.* *Tertul. de Orat. c. 13. p. 134. C.* *Tertull. l. de Pudic. c. 2. p. 717. A.* *Tertull. l. de orat. c. 1. p. 149. C.* *ibid. D.* *ibid. c. 2. p. 150. A.* *ibid.*

At ſi

At ſi *relativam* Latinorum *invocationem* norat, tam fas putaſſet Eccleſiam *invocari*, quam *matrem* dici, cujus ſcilicet potiſſimam ac maximam partem (eam ſcilicet quæ cœlo recepta eſt) tam à filiis *invocari*, quam *matrem* audire fas ac jus eſt. Non ergo videtur hic ſciviſſe ullam *relativam* Eccleſiæ triumphantis invocationem. Neque illud omiſerim, quod poſt pauca dicit nos *orare pro omnibus*. Vt eos pro quibus petimus, monet non nos tantum eſſe noſtroſque; ſed *omnes*; ita quoque & eum, *quo* petimus, monuiſſet non vnum eſſe Deum, ſed vnumquemque etiam *Divum*, (à Papa quidem canonizatum) ſi hæc Latinæ ſcholæ myſteria ſciviſſet. Ille vero nihil toto libro ea de re dixit. Alia minutiora mitto; Illam vnam, quam in hoc libello figit plane aurcam regulam recitabo *vanitatem ijs exprobrandam quæcumque ſine ullius aut Dominici, aut Apoſtolici præcepti auctoritate fiunt, hujuſmodi enim non religioni, ſed ſuperſtitioni deputari, affectata & coacta & curioſi potius quam rationalis officij*. Quamquam hoc prætorio, imò divino decreto ea pars Latinæ religionis quæ à nobis repudiata eſt, tota vno velut ictu demeſſa concidit; oratio tamen ad Divos *relativa* eo potiſſimum vulnere appetita atque afflicta fractaque eſt. Quo enim illa quæſo *Dominico*, aut *Apoſtolico* præcepto nititur? Vbi eam Dominus? vbi Apoſtoli præceperunt? Nullum de Divis colendis non dico *præceptum*, ſed vel verbum extat in omnibus Novi Teſtamenti litteris, nullum in omnibus primi ad annum trecenteſimũ Chriſtianiſmi veris monumentis. Ergo ex Tertulliani quidem mente ac ſcito omnis illa Divorũ *relativa* invocatio *vana* eſt, ergo *nõ religioni, ſed ſuperſtitioni deputanda* eſt, *curioſique potius quam rationalis officij* eſſe cenſenda eſt; *certe vel eo* (quod ille quoque de talibus adiicit) *coërcenda, quod gentilibus adæquet*. Hoc enim huic Divorum cultui maxime convenire omnes vident; quem Paganicæ in numina religionis cætera ſimillimum, ac geminum eſſe ſole clarius eſt; hoc vno diſtare, quod quæ Gentiles Divis ſuis aut inanibus, aut reprobis, ea Latini ſanctis quidem, ſed tamen, & hominibus, & mortuis deferunt. In eo deſinam, quod orantis etiam vocem ſummiſſam, *ſonoſque* (vt ipſe loquitur) *ſubjectos eſſe* præcipiens, hanc ejus rei rationem reddit, *Deus* (inquit) *non vocis, ſed cordis auditor eſt, ſicut conſpector*. Non puto Perronium hoc *relativis orationibus* vindicaturum quod majoribus arteriis, quam *abſolutæ* egeant; quaſi illæ, quod de his negavit Tertullianus, *pro ſono audiantur*. Eſto ergo hoc omnis omnino orationis, *relativæ* æque ac *abſolutæ* commune quod modeſtæ, & citra vocis elationem pronuntiari debet. Atqui Tertullianea ratio de *abſoluta* tantum oratione ſatisfacit, inde petita, quod *Deus cordis auditor eſt*. Ergo de *abſoluta* tantum oratione præceperat. Nam ſi de vtraque intellexiſſet, claudicaret ex altera parte ejus ratio; quæ vt recte ex vtraque procederet, dicendum erat non *Deum* modo, ſed & *Divos*, & quoſcumque religioſe oramus, *cordis* auditores eſſe. Atqui hoc

CAPVT IX.

ibid. c. 3. p. 150. C.

ibid. c. 12. p. 153.

Ibid. c. 154. C.

CAPVT IX. hoc non ita dixit Tertullianus. Non alium quam *Deum* hic dixit. Ergo non de aliis orationibus quam de iis quæ ad Deum fiunt, cogitaverat aut ſollicitus fuerat. Ergo neque alias norat. Si quas enim ad Divos ſciviſſet, tam his hac in parte cavere eum decebat, quam iis quæ ad Deum fiunt; quod non has magis quam illas (ſi ſint quidem illius generis aliquæ) ſummiſſa voce fieri oporteat. Ita Tertullianus nihil nobis toto libro exhibet, quod eum innuat cum duas *orationis* ſpecies noſſet ac probaret, unam ad Deum *abſolutam*, alteram ad Divos *relativam*; hanc quidem in præſens ſepoſuiſſe, illam ſolam nunc tractandam ſumpſiſſe (quod eſt Perronij de eo plane gratuitum ac futile figmentum) omnia virum oſtendunt ac clamant de vna ad Deum oratione ideo hic eſſe locutum, quod hanc vnam legitimã & Eccleſiaſticam orationẽ cenſeret; cæteras, quibus alius convenitur, quam Deus, omnes improbaſſe & repudiaſſe; quaſdam etiam fortaſſe neſciviſſe, vtpote nondum exortas; ſed quas tamen ſi ſciviſſet haud minus, quam cæteras, fuerat damnaturus, qui nullas niſi ad Deum probat. Nunc

Cypr. de orat. Dom. p. 218. de Cypriano videamus. Is ſtatim paucis de Dominicæ orationis præſtantia ſane veriſſime, atque diſertiſſime præfatus, colligit, *aliter orare quam* nos Filius hic *docuit, nõ ignorantiã ſolam eſſe, ſed & culpam* Arqui Dominus in hac ſua oratione docuit *Patrẽ qui eſt in cœlis* orandũ eſſe. Aliter orant quam Dominus docuit, qui Matrem Virginẽ, qui Divos & Angelos orant. Latinos ergo qui ſic orant eos Cyprianus nõ *ignorantia* modo, ſed & *culpa* damnat. Neque hic mihi tuam illam relativam orationem attuleris. Quid enim? An tu dixeris fas eſſe aliter quam *docuit* Chriſtus, nos orare *relative*? nefas eſſe aliter *abſolute*? Iſtæ vero pueriles ſunt nugæ; non alia mente ab inverecundis ſophiſtis excogitatæ, quam vt deprehenſis aliquod eſſet reliquũ effugiũ. Si Divos à Chriſtianis orari ſciviſſet Cyprianus, hoc ſuum dictum ne eo communis ſuorum in Divos religio pulſari videretur, temperaſſet aliqua vel diſtinctione, vel exceptione. Sed & quo loco, infra *continua*

ibid p. 222. nobis *oratione & prece opus eſſe* dicit, dixiſſet neque *noſtra tantum*, ſed & *Divorum oratione* opus eſſe, eoque & hujus à Divis expoſcendum eſſe monuiſſet præſidium. Dominicorum verborum expoſitionem exſe-

ibid p. 227. & ſeqq. cutus multa de oratione in genere præcipit; ſane præclara. Cur non hic ſaltem præteritam à Chriſto Divorum invocationem memoravit? Atqui ne hic quidem vbi ab orationis Dominicæ textu ſolutus liber

ibid p. 228. incedit, quicquam magis quam in ſuperioribus de Divis invocandis habet. Inter cætera præcipit noſtrũ inter orandum *pectus ſoli Deo patere* debere. Atqui & hoc Divis patere interdum neceſſe eſt, ſi & Divos oramus. Paſſim hic ac fere vbique illa occurrunt, *Dominum ora-*

ibid. *re, cum Dominum deprecaris, quando oras Deum, precibus ad Deum venire*, &c. De Divis aut Virgine, plane nihil vſpiam ſonat. Poſtea

ibid p. 229. & ſeq. p. 230. & de horis diſſerit, quibus potiſſimum orandum eſt. Mirum, quod in hoc argumento Matris Virginis *horas* non memorat; ac ne vnam

quidem

quidem ei horam aſſignat. Non ita hunc locum indicta & inſalutata Diva prætervectus eſſet, ſi res divinas apud Divi Loyolæ ſcholas didiciſſet. Ille vero apud Afros ſuos educatus, & ex ea diſciplina paulò ſcilicet ruſticior atque incultior de vnis Dei orationibus loquitur; *Hora (inquit) nulla à Chriſtianis excipitur, quominus frequenter ac ſemper Deus debeat adorari.* Adorari dicit pro orari ex Tertulliani ſui ſtilo. Neq; ergo Cyprianus magis quam Tertullianus, relativâ quæ ad Divos fiat, orationem vllam ſciviſſe ex his reperitur. Illum in vtroque mirabile eſt, quod explicata oratione Dominica de *ſalutatione Angelica* altera pietatis ac invocationis Latinæ columna nihil commentati ſunt; cum larga ſupereſſent ad hoc penſum ſpatia, quæ in alijs multo minus ex Latina quidem diſciplina neceſſarijs, tractandis vterque magno, vt videtur flagitio conſumpſerunt. Longe aliter Latinorum heroës inſtituunt, Bellarminus, Caniſius, alij; qui poſt Dominicam, hanc ſtatim ad Divam Virginem orationem non minus accurate, quam illam alteram, exponunt, illuſtrant, & commentantur; cujus iſtorum inſtituti exemplum in totis prioribus Chriſtianiſmi tribus ſæculis nullum adhuc reperire potui.

CAPUT X. | *Bell. catech. c. 5. de Ave Maria. p. 97. Can. in catechiſt. de Orat. Dom. q. 5. & ſeqq. p. 68.*

CAPUT X.

Argumentum IX. Quod vetuſtiſſimi Chriſtianorum Theologi Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes ne in cæteris quidem locis ad hanc rem appoſitis, de religioſa prece diſputantes, aut loquentes, ejus quæ ad Divos fiat, meminerint. imo interdum negent ſe alium, niſi Deum vnum precari, vel cum alio quam Deo precantes colloqui.

PRÆTER hæc duo maxime inſignia loca, ſunt etiam alia & in Scripturis & in ipſis illorum vetuſtiſſimorum Scriptorum diſputationibus, vbi quæ Divorum invocatio commode dici poterat, nuſquam reperitur. Pauca ad ſpecimen annotabo. Origenes obſervat capite duodecimo Paulinæ ad Romanos epiſtolæ quædam exemplaria habere, *memoriis ſanctorum communicantes*, pro eo quod plærique codices præferunt *vſibus* vel *neceſſitatibus ſanctorum*. Neque eam lectionem ſpernit; & interpretatur *Sanctorum meminiſſe, ſive in collectis* (inquit) *ſolennibus, ſive pro eo, vt ex recordatione eorum proficiamus.* Sanctorum quoque invocationem, vt eorum vel merita, vel ſuffragia nobiſcum communicentur, hoc loco non videtur fuiſſe prætermiſſurus ſi eam cognitam habuiſſet. Ad ejuſdem epiſtolæ caput 16. 30. ita colligit; *Quis eſt, qui hæc legens* (inquit) *quod Paulus deprecetur eos, qui Romæ ſunt fratres orare pro ſe, contemnat vel deſpiciat orationes Eccleſiæ poſtulare, etiamſi inferiores meritis eſſe videantur hi, à quibus*

Orig. in Rom. 12. 12. l. 9. p. 607.

Id ibid. in c. 16. vel. 30. p. 627. extr.

CAPVT X. *oratio poſtulatur? Ecce enim Paulus Apoſtolicis præditus meritis non ſolum Romanos orare pro ſe, ſed & Corinthios hortatur.* Cur non, quod Latinis nunc ſolenne eſt, hinc etiam argumentatur, multo magis poſcenda, eſſe ſanctorum cœlitum ſuffragia, omnibus piorum adhuc in terris verſantium precibus & votis longe potiora atque efficaciora? Sed & cum de religioſis precibus ſive ex profeſſo ſive obiter & in tráſcurſu tractant, mirum eſt, quod de illo *orationis* ad Divos *relativæ* (vt Latini vocant) genere, nihil vnquam vel obſervant, vel ſignificant. Quam multa habet Clemens Alexandrinus de hoc argumento! quam ſuavia! quam erudita! ſed omnia de oratione ad Deum; de ea quæ

Clem. Alex. Strom. l. 7 p. 722. A.B. ad Divos, nihil. Inprimis, quod jam alibi attigi, orationem in genere definit, *collationem & converſationem cum Deo*, ὁμιλία πρὸς τὸν θεὸν ἡ εὐχή. Abſurdè, & incrudite; ſi qua eſt religioſa, eademque legitima oratio, quæ cum Angelis, & cum animabus mortuorum colloquatur, non autem cum Deo. Et monet etiamſi ne labra quidem aperiamus tacite loquentes, *Deum* tamen *perpetuo audire omnem illam arcanam & inteſtinam collocutionem*, πᾶσαν τὴν ἐνδιάθετον ὁμιλίαν ὁ θεὸς ἀδιαλείπτως

ibid. p. 723. B. ἐπαΐει. Divos preces noſtras audituros, potius docendi fueramus; à quibus noſtra difficilius quam à Deo cognoſci confidimus. Prodici mox amentiam refellens, orandum eſſe negantis, ait inter cætera *orationem eſſe occaſionem quandam colloquendi cum Deo.* ἀφορμή τις (inquit) ὁμιλίας τῆς πρὸς τὸν θεὸν γίνεται ἡ εὐχή. Non omnis certe; ſi etiam ſanctiſſimi cujuſque plurimæ ſunt ad Divos. Et paulò ante Gnoſticum ſuum (ideſt virum emendatiſſimæ atque abſolutiſſimæ pietatis) dixerat *per totam vitam orare, ſtudentem eſſe cum Deo per orationem.*

ibid. p. 722. C. παρ' ὅλον δὲ χεῖται τὸν βίον, δι' εὐχῆς συνεῖναι σπεύδων θεῷ. Non erat ille Clementis Gnoſticus Latinorum noſtrorum conſectaneus; qui cum Divis non rarius ſunt quam cum Deo, ſi oratio quidem efficit, vt cum eo ſimus, quem oramus. Denique multa de orationis tempore, loco, &

ibid. p. 722. 723. 724. pronuntiatione, quædam de orantis ſtatu & habitu toto loco dicit; nihil de orandis Angelis aut Divis. Huc quoque pertinet quod in eodem libro ſcripſit conſummati ſui Gnoſtici hanc eſſe vim atque *opera-*

ibid. p. 706. B *tionem cum Deo per magnum Pontificem*, Chriſtum ſcilicet, *habere converſationem atque conſuetudinem.* αὕτη (inquit) ἐνέργεια τοῦ τελειωθέντος γνωστικοῦ προσομιλεῖν τῷ θεῷ διὰ τοῦ μεγάλου ἀρχιερέως. Cur non & *cum*

ibid. C. *Divis*, aut ſaltem *per Divos?* Eundem ſtatim addit *indivulſe cum Domino converſari, colloqui, vnà eſſe.* ἀδιαστάτως προσομιλῶν τε καὶ συνὼν τῷ κυρίῳ. Itaque infra totam ejus *vita*[m o]*rationem eſſe*, & quan-

Id. ibid p. 742. D. dam cum Deo collocutionem, ſive converſationem. εὐχὴ μὲν αὐτῷ ὁ βίος ἅπας καὶ ὁμιλία πρὸς θεόν. Cur non & aliqua ejus pars colloquium cum Divis? Quia ſcilicet omnis ejus oratio ad Deum eſt; nulla ad Divos. Id vero jam ab initio hunc de oratione ſermonem ingrediens

Id. ibid. p. 719. liquido erat teſtatus, ita ſcribens; *Cum ſit vnus bonus Deus, merito & nos & Angeli ab eo SOLO precamur bona, ea quidem dari, quibus*

care-

caremus, ea vero permanere, quæ jam habemus, εἰκότως ἑνὸς ὄντος τοῦ ἀγα- CAPVT
θοῦ θεοῦ, παρ' αὐτοῦ ΜΟΝΟΥ τὰ ἀγαθὰ τὰ ἡμῖν δοθῆναι, τὰ πρεπόμενα εὐχόμε- X.
θα ἡμεῖς τε καὶ οἱ ἄγγελοι. Vides vt *à SOLO Deo*, non *ab Angelis*, ſed vnà
cum Angelis, ſe bona omnia expoſcere profiteatur. Idem paulò ante
ſacris, quibus Pagani colendum numen putabant, preces opponit, *Nos* *ibi l. p. 317. A*
Deum oratione merito honoramus, ὡς ἐπιεικῶς ἡμεῖς δι' εὐχῆς τιμῶμεν τὸν
θεόν. Et hoc vocat *optimum atque ſanctiſſimum ſacrificium*, τὴν θυσίαν
ἀρίστην καὶ ἁγιωτάτην. quomodo ejus æqualis Tertullianus, *opimam &*
majorem hoſtiam dixerat, *quam* & *ſe Deo offerre* & *Deum ſibi mandaſſe* *Tert. Apol c. 30. A. B.*
ait, *orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu ſancto pro-*
fectam; eamque ſe alij, quam Deo offerre, clariſſime negat, cum paulò
ante ſcribit ſe quæ pro Imperatore optat *ab alio orare non poſſe quam*
à Deo. Sed & quod orationem vterque *ſacrificium* dicunt, eo ipſo
eam vnius Dei rem eſſe ſatis oſtendunt. Cur in his omnibus locis de
precibus ad Deum ſemper, de precibus ad Divos nuſquam vel clare lo-
quuntur vel ſaltem obſcure aliquid innuunt? Certe dixiſſent alicubi de
piorum colloquio cum Divis ſi Divos eſſent precati, præſertim vbi de
mirabili martyrum in paſſionibus ſolatio ſermo eſt, quo loco Latinos
audivimus * Symeonis ſui ex Iaponia Martyris ſuaviſſimas cum Vir- * *in I. Part. gen.*
gine collocutiones commemorantes. Iſtic vero veteres ſuorum cum
Domino colloquia interdum memorant, vt ſanctæ Blandinæ in ſupre- *Ann. Iap. a. 1630. c. 3.*
mo agone. τὴν πρὸς Χριστὸν ὁμιλίαν Lugdunenſes & Alexandrum, Phry- *Apud Euſeb.*
gem ortu, medicum, vltimos cruciatus ſtupenda conſtantia perfe- *hiſt. l. 5. c. 1.*
rentem, & *corde cum Deo colloquentem*, κατὰ καρδίαν ὁμιλοῦντα τῷ Θεῷ. Sic *fol. 47. B.*
etiam Smyrnenſes in Polycarpi Actis ab Vſſerio publicatis cum eorũ, *ibid. f. 47. A.*
qui ante illum paſſi erant, divinam fortitudinem prædicaſſent. *Nobis* *Ad Polyc. Vſſeriana p. 14.*
(inquiunt) *omnibus oſtendebant martyras illa hora qua cruciabantur, à*
carne ſua abfuiſſe, vel potius adfuiſſe Dominum & cum ijs præſentem allo-
cutum eſſe, ἐπιδεικνύμενος ἅπασιν ἡμῖν, ὅτι ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ βασανιζόμενοι τῆς σαρκὸς
ἀπεδήμουν οἱ μάρτυρες Χριστοῦ. μᾶλλον δὲ ὅτι παρεστὼς ὁ Κύριος ὡμίλει αὐτοῖς. Qui
cum B. Virgine vel aliis Divis collocutus eſſe dicatur, in veris & indu-
bitatis illius ævi monumentis, invenio neminem. Sed quid dico vete-
res illos nuſquam piorum cum Divis colloquia memorare? Multo gra-
vius eſt quod dicam. Negat diſerte Origenes hominibus licere Ange-
los alloqui, niſi quibus datum eſt Sancti Spiritus chariſma eximium,
quales Prophetæ fuerunt, & Apoſtoli; Ille enim allatis nonnullis προσ-
φωνήσεων ſive allocutionum Propheticarum ad Angelos è Scriptura
exemplis; *Invenies* (inquit) *in plurimis locis, & maxime in Pſalmis, &* *Orig. in Luc.*
ad Angelos ſermonem fieri, data homini poteſtate, ei tamen qui Spiritum *homil. 23. p. 234.*
Sanctum habet, vt & Angelos alloquatur. Apertiſſime negat homini,
qui *Spiritum Sanctum non habet*, poteſtatem eſſe *Angelos alloquendi*. *Spi-*
ritum autem *Sanctum habere* eos duntaxat intelligit, qui peculiari qu-
dam & extraordinario Spiritus divini dono præditi ſunt, prophetico
vero chariſmate carentibus, non putavit licere Angelos alloqui; multo

CAPVT X.

adeo minus carne exutos ſanctorum Spiritus. At Angelos & Divos qui precatur, is eos vt omnes intelligunt, alloquitur. Qui ergo nobis Angelos alloquendi poteſtatem eſſe negavit Origenes, is hoc ipſo noſtras ad eos, alioſque conſimiles ex hominibus ſanctos, preces atque orationes omnes apertiſſime ſuſtulit. Qui ſic ſentirent eos non miror nulla piorum cum Angelis Sanctiſque mortuis colloquia, nullas ad eos preces vel tradidiſſe, vel memoraſſe. Hoc autem argumento clarum eſt everti preces ad Sanctos non modo *abſolutas*, ſed etiam *relativas* illas, magnas Perronij delicias; quippe quæ & ipſæ Angelos Divóſque non minus alloquuntur, quam abſolutæ. Ne id quidem hoc loco omiſerim, quod veteres illi Scriptores, vbi docent, quis qualiſq; eſſe debeat orantium animus, interiorque ſtatus, Dei quidem ſemper, Divorum vero nuſquam meminerunt. Origenes hoc requiri ab vnoquoq; fideli ſcribit, *vt collectis & congregatis intra ſe ſenſibus oret Deum, non evagetur mente & cogitationibus evolet, ut ipſis Dei conſpectibus, atque ineffabili illi lumini ſe intelligat aſſiſtentem, ibique orationes & obſecrationes, poſtulationeſq; & gratiarum actiones ſuas profundat, nullius extrinſecus phantaſiæ ſollicitatus imagine*, Idem, ſed in alio opere, *Agon* (inquit) *magnus eſt orationis, vt obſiſtentibus inimicis, & orantis ſenſum in diverſa rapientibus, fixa ad DEVM ſemper mens ſtabili intentione contendat*. Cyprianus; *Quando* (inquit) *ſtamus ad orationem, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus*. Ideo & ſacerdotem ait ante orationem ſolenne illud præfari, *Surſum corda, vt dum* (inquit) *reſpondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud ſe, quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra adverſarium pectus, & Soli Deo pateat.* Tum de Diaboli inſidiis admonet, *qui ſubtiliter fallens preces noſtras à DEO avocat, vt aliud habeamus in corde, & aliud in voce, quando* (inquit) *intentione ſincera Dominum debeat, non vocis ſonus, ſed animus & ſenſus orare. Quæ autem ſegnitia eſt alienari & rapi ineptis cogitationibus & profanis, cum DOMINVM deprecaris? quaſi ſit aliud quod magis debeas cogitare, quam quod cum DEO loqueris? Quomodo te audiri à Deo poſtulas, cum te ipſe non audias? Vis eſſe DEVM memorem tui cum rogas, quando tu ipſe memor tui non ſis? Hoc eſt ab hoſte in totum non cavere; hoc eſt, quando oras DEVM majeſtatem Dei negligentia orationis offendere.* Hæc illi. Vides quam ſollicite præcipiant preces ad Dominum Deum attente vt dignum eſt, & in vnum Deum defixo animo fieri. Cur nihil ſimile de precibus ad Divos vſpiam monent? In promptu cauſa eſt. Non norant, quæ diu poſt eos exortæ ſunt; neque hanc religionis partem neglecturi, ſi qua apud ſe ſuoſque jam tum fuiſſet.

Origen. In Num. hom. 11. extr. p. 214.

Id. in Rom. l. 10. p. 628.

Cypr. l. de orat. Dom. ad fin. p. 228. med.

CAPVT

CAPVT XI.

Argumentum X. Quod Ave Maria, & orationes ad Divos alias ſuis de ſuggeſtu auditoribus mandare ac præcipere concionantes, Latini quidem paſſim ſoleant, vetuſtiſſimi Chriſtiani nunquam ſoleant. Hujus & ſuperiorum argumentorum ἀνακεφαλαίωσις.

SED nunc ad alia pergamus. Sæpe apud Latinos ſolent cōcionatores ex ſuggeſtu auditoribus præcipere, vt Angelicam illam ſuam ad Divam Virginem orationem ter aut ſepties ob aliquam præſentem cauſam recitent. Hic vſus apud eos eſt oppido familiaris, ac pæne quotidianus. Ego vnum, ſed inſigne exemplum ex Indicis Ieſuitarum annalibus edam. Gaſpar Barſæus, nobilis inprimis Ieſuita, & Divi Xaverij pæne geminus, ſuis exhortationibus, atque concionibus Ormuſiæ, emporij celeberrimi, corruptiſſimos cives ita immutaverat, vt omnes, non modo Chriſtianos, ſed etiam Paganos, ac Mahumedanos in ſe converterit, ac pæne dicto audientes haberet. Soli erant Luſitani milites ducenti, Goa nuper ad illius vrbis præſidium miſſi, qui ſancti viri monita ſuſque deque haberent, in ſceleribus & flagitiis obdurati. Quin & eo proceſſit impiorum nebulonum amentia, vt ſpretis omnibus ejus conſiliis ad expeditionem neſcioquam, nulla quod ille vehementer volebat, ac ſuadebat, confeſſione expiatis delictis proficiſcerentur. Optimus mitiſſimuſque Ieſuita tantæ contumeliæ indignitate, vt par erat, commotus, rem apud confertæ plebis coronam narravit, ambonem, ex quo declamitabat, circumſtantis; omnibuſque ac ſingulis indixit Angelicæ ſalutationis, & Dominicæ orationis ter repetendæ penſum, ad hoc vt ſuperbiſſimi illi ac procaciſſimi milites, hominis ſancti, ad hæc Ieſuitæ, contemptores inſigni aliqua cœlitus immiſſa clade plecterentur. Piis votis Deus incunctanter annuit. Quid enim Ieſus amantiſſimis, ac de ſe tam præclare meritis ſodalibus negaret? Tota illa impiorum cohors ab hoſte fuſa, ac fugata, & plurimis acceptis in prælio vulneribus, multaque ignominia perfuſa Ormuſiam paulò poſt ingloria, & inhonora rediit; quo exemplo patuit, quantum *Ave Maria*, præſertim irati Ieſuitæ juſſu recitatum, apud Deum valeat. Sed quanquam iſta, ſi vera ſunt, admiranda eſſe concedam; illud certe pugno ac omnibus modis contendo, nihil horum ſimile apud omnes illos primos Chriſtianiſmi profeſſores legi. Nulla eorum eſt hiſtoria, quæ concionantem preſbyterum aut epiſcopum audienti plebi præcepiſſe narret, non dico milites; aut alios mortales Dominica aut Angelica oratione defigere, ac devovere; ſed vel vnum *Ave Maria* ad cujuſquam vel injuriam vel beneficium recitare.

Iarric. Indic. l. 4. c. 4. p. 399.

CAPUT XII.

citare. Cypriani ſermones non paucos habemus; Origenis homilias etiam multo plures. Nullum in iis quantumvis leve extat hujus Latini moris veſtigium, ex quo veteres iſtos appareat ſuis aliquando auditoribus ſuggeſſiſſe, vt Matrem Virginem illa ſalutatione Angelica venerarentur. Atque ita oſtendimus vetuſtiſſimarum Eccleſiarum præpoſitos Latinum Divorum cultum neque apud catechumenos, neque apud neophytos, neque apud pœnitentes, aut apud martyras, vel denique apud quoſvis in genere Chriſtianos, ac ne in iis quidem locis memoraſſe, quo vel de primo legis divinæ præcepto, vel de oratione Dominica ex profeſſo tractant, neque poſtremo vllam ad Divos orationem auditoribus ex ſuggeſtu commendaſſe. Vnde videre eſt, ſi Concilij Tridentini leges vera juſtaque præcipiunt quam fœde, quamque turpiter ac flagitioſe peccaverint primi omnes Eccleſiarum intra annum trecenteſimum paſtores, qui non modo fideles, quod illa Synodus diſerte *mandat, de Sanctorum invocatione*, deque ejus cultus bonitate atque vtilitate non *inſtruxerunt*; ſed ne vno quidem verbo homines vel exteros, vel fidei domeſticos, de his docuerint, vel admonuerint. Nam ſi monuiſſent, in iis haud dubie locis monuiſſent, quæ nos modo ſcrutabamur, neque tamen in iis vllum deprehendimus hujus rei veſtigium. Veteres tamen nemo opinor, tam vel ſtultus vel impius eſt, qui vllius in ſuo adminiſtrando munere vel flagitij, vel negligentiæ damnandos putet. Ergo illud denique concludendum eſt, quod nos contendimus, nullum eos religioſum Divorum cultum ſciviſſe, nullum adeo flagitium, nullum peccatum commiſiſſe, quod de re ſibi incomperta, atque ignota tam conſtanter apud omnes hominum ordines tacuerint.

Seſſ. 25. Decr. de Invoc.

CAPUT XII.

Argumentum XI. Quod in Euchariſtiæ liturgia, ſive miſſa (vt vulgo loquuntur) Divos Latini quidem & indirecte, & directe etiam, affatim invocent; Vetuſtiſſimi vero Chriſtiani ad quartum ſeculum, imo & infra, nuſquam in toto illo ſacro Divos, vel Divorum aliquem, vel directe, vel etiam indirecte invocare repeperiuntur. Diſcriminis, quod inter diverſas Miſſæ Latinæ partes hac in re deprehenditur, vera ratio.

VERUM vt res tota adhuc clarius eluceſcat, quos modo audivimus docentes, eoſdem nunc, vnaque cum iis cæteros ipſorum curæ à Domino commiſſos, ejuſdemque ævi Chriſtianos, viventes, & eam quam illi docebant, hi diſcebant, pietatem colentes, ac factitantes ſpectemus, & cum Latinis ſuam quoque altera ex parte

exer-

exercentibus comparemus. Pietatem autem vtrique ſuam vel publice vna plures, vel privatim apud ſe ſinguli exercent. In priori genere ſunt publicæ ſolennesque in Eccleſiaſticis conventibus preces, cæterique ejuſdem cenſus cultus. Quo in ordine nihil eſt Euchariſtica liturgia nobilius; id eſt iis orationibus & lectionibus, quæ in Euchariſtici ſacri celebratione habentur. Hæc eſt, quam Latini MISSAM jampridem vocant, omnium apud eos ſacrorum quandam (vt ſic dicam) acropolin. In ea autem ſacerdos ſtatim initio ſe ad celebrandum comparans peccata ſua confitetur *Deo omnipotenti, B. Mariæ ſemper Virgini, B. Michaëli Archangelo, B. Ioanni Baptiſtæ, Sanctis Apoſtolis, Petro & Paulo, omnibus Sanctis & fratribus adſtantibus.* Apud eos quidem, quos tu præſentes vides, atque audis, item coram ſanctis Angelis, qui cœtibus noſtris intereſſe ex divinarum litterarum auctoritate creduntur, peccatorem te confiteri, nullus eſt cultus religioſi actus. At B. Mariæ, & Baptiſtæ, & Petro & Paulo & cæteris Sanctis è terra in cœlum translatis, & illic procul à nobis verſantibus, confiteri peccata tua, plane tuam in eos religionem, & quidem eximiam ſignificat; quos tu in ſacris longe omnium, ex tuo præſertim dogmate, diviniſſimis nunquam ſic eſſes conventurus, niſi certo ſtatueres iis, licet à te immani ac pæne immenſo ſpatio ſemotis, actus illos tuos eſſe, non aliter quam Deo, præſentiſſimos, atque cognitiſſimos; quod de iis credi non poteſt, quin iis aliqua divinitas, ſi non prima & ſumma, certe ſecundaria & communicata tribuatur. Sed ecce idem ſtatim ſacerdos profitetur ſe Divos illos, tametſi abſentes, & humanis oculis hic inaſpectabiles, *precari*, qui ejus cultus, quem *hyperduliæ & duliæ* vocant, actus eſt certus & indubitatus. Sua enim peccata cum magna pœnitentiæ ſignificatione confeſſus ſic pergit; *Ideo (inquit) precor B. Mariam ſemper Virginem, B. Michaëlem Archangelum, B. Ioannem Baptiſtam, Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, & vos fratres, orare pro me.* Bellarminus fatetur; *In Liturgia noſtra (inquit) nuſquam directe Sancti invocantur niſi bis, aut ter in aliquo verſiculo, & in confeſſione, quæ præmittitur ante Miſſæ introitum.* Tantum addit *omnes* ejus partis Miſſæ, quæ *Canon* dicitur, quaque ipſum Latinorum ſacrificium continetur, *orationes dirigi ad Deum, nullas ad Sanctos. Directam* autem *invocationem* vocat, cum oratio, qua Divorum opem ac præſidium expoſcimus, ad eos ipſos Divos nominatim dirigitur, vt iſta, *Precor B. Mariam ſemper Virginem* &c. *orare pro me.* Item; *Sancta Maria ora pro nobis. Indirectam* vero *invocationem* intelligit, cum oratio, qua Divorum auxilium optamus atque expetimus, ad Deum, non autem ad Divos ipſos dirigitur; vt hæc, quæ loco ex Miſſa citato ſtatim occurrit, *Oramus te Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic ſunt, & omnium Sanctorum, vt indulgere digneris omnia peccata mea.* Fatetur Bellarminus poſteriori hoc modo, hoc eſt *indirecte*, Divos in Miſſa vbique invocari;

In Miſſali ordi. Miſſ. p. 287.

ibid.

Bell. l. de Miſſa, l. 2. c. 8. §. Tertio ſacrificium.

Miſſal. p. 287. B.

CAPUT XII. vocari; priori, hoc eſt *directe*, extra Canonem, ſed parce & pauciſſimis locis invocari concedit; in ipſo Canone, uſpiam negat; Quæ nos admittimus quidem, & utriuſque generis exempla afferemus; illud quod rem elevans, negat Sanctos directe, *niſi bis, aut ter* in Miſſa extra Canonem invocari, non laudamus. Fortaſſe verum diceret, ſi nihil in ulla Latinorum miſſa præterea diceretur, quæ ſimpliciſſima illa Liturgiæ communis atque quotidianæ formula continentur. Sed hic vafre diſſimulavit Miſſas apud ſuos eſſe non paucas ſolennes atque anniverſarias, iſta ſimplici ac vulgari auctiores; in quibus Divi ſane directiſſime non *bis*, aut *ter* quod ille ait, ſed multo ſæpius invocantur.
Miſſ p 20. A. Ut in Miſſa quartæ Adventus Dominicæ, in *Offertorio* Virginem Angelica ſalutatione venerantur; *Ave Maria gratia plena*; *Dominus tecum*, &c. Eidem in Miſſa feſti, quod ejus conceptioni ſacrum eſt, hoc
ibid. p. 483. carmen dicunt; *Salve ſancta parens, enixa Puerpera Regem*, *Qui cœ-*
B 516. 617. *lum terramque regit*, &c. idque canitur in Miſſis, quæ feſtis ejuſdem
B. 668. A. Divæ *Viſitationi*, & *Nativitati*, & *Præſentationi* ſacris celebratur, ut in ea etiam, quam die *Dedicationis Sanctæ Mariæ ad nives* peragi ſolenne eſt. Illa vero ad Virginem invocatione, quæ fit in Miſſa pro mu-
ibid. p. 670. B. lieribus prægnantibus, quid poteſt ad eam directius dici? *Alma virgo virginum, ſancta Dei genitrix, pro devotis porrige ancillis tuis preces ob-*
ibid. p. 672. A *nixas ad filium*, *quæ parturientium benigna es auxiliatrix*. Tum alia ad eandem ſequitur oratio; *Ad tuum, ô Maria, confugiunt præſidium pauperes in partu laborantes*; *quas ſuis quæſo non deſpicias in neceſſitatibus, ſed à periculis eas cunctis libera*; *Virgo ſemper beata.* Et mox in Offertorio; *Ave Maria, parturientium conſolatrix, gratia plena, infantium ſublevatrix*; *quia Dominus eſt tecum, iſtorum eſto protectrix, ut præ mulieribus benedicta dicaris.* Denique in communione ejuſdem
ibid. B. Miſſæ; *In partu puerorum, ô Maria, Sol tuus reſplendeat miſericordiæ quo lucente cætera poſt Deum luminaria ſunt, quaſi non ſint.* Conſimi-
ibid. p. 674. A. les quoque ad B. Virginem preces in Miſſa roſarij eidem ſacri; *Salve radix ſancta, ſalve mundi gloria*; *ô Maria flos Virginum, tuum pro nobis deprecare Filium.* Ibidem; *Gaude Maria Virgo*; *cunctas hæreſes*
ibid. p. 675. A *ſola interemiſti*, & ſtatim, *Dei genitrix intercede pro nobis.* Et in Of-
ibid. p. 675. A. fertorio; *Ave Regina cœlorum*; *Mater Regis Angelorum*; *O Maria flos Virginum, velut roſa vel lilium, Funde preces ad Filium, Pro ſalute fidelium.* In Miſſis votivis de Sancta Maria à Purificatione uſque ad Paſcha, & à Pentecoſte uſque ad Adventum ſolennis ille verſiculus
Miſſ pag. LXVII. B. & p. LXVIII. B. dicitur; *Dei genitrix, intercede pro nobis.* Atque hæc quidem ad Matrem Virginem. Sed & Paulo Apoſtolo in Miſſa, quæ quotannis in memoriam converſionis ejus celebratur, ita ſupplicant; *Tu es vas*
ibid. p. 504 A B. *electionis Sancte Paule Apoſtole*; *vere digne es glorificandus*, *Prædicator veritatis*, *& doctor gentium in fide & veritate*; *Per te omnes gentes cognoverunt gratiam Dei*; *Intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit.* Neque aliter Michaëlem conveniunt, in Miſſa, quo die dedicati ejus nomi-

nomini in Gargano ſacelli memoriam celebrant; *Sancte Michael Archangele, defende nos in prælio, vt non pereamus in tremendo judicio.* Ita & Genovefam orant in Miſſa, quæ ad ejus honorem & gloriam die Ianuarij III. quotannis celebratur; *Genovefa virgo clemens te precantes reſpice. Tolle pondus culpæ; Premens hoſtes, clades abijce. Ægrum corpus, & cor gemens ſalubriter refice. Alleluja. Ora pro nobis miſeris, ſancta virgo Genovefa.* Eſt hæc quoque ad eandem in ejus Miſſæ cõmunione oratio; *Genovefa reſpice nos pietatis oculo, Conſors lucis Angelicæ, cœleſti clara titulo, Regis aſſiſtens vultui nos Regi concilia; Da nobis ſponſo perfrui, ſponſa ſponſique filia.* Aliam ibidem ad eandem Divam ſupplicationem; *Ad te confugimus Virgo flos Franciæ,* &c. prudens mitto, quod ſit paulo prolixior, quam vt hic tota deſcribatur. Ad Sebaſtianum in ejus miſſa, hæc habentur, *O Sancte Sebaſtiane, ortus magna proſapia, Tu fidei Chriſtianæ adhæſiſti mente pia,* &c. *Ora pro nobis Dominum.* Verſus. *Tu à peſte mortifera liberâs Longobardiam. Hæc regio tam miſera poſcit miſericordiam. Cerne tuam familiam, quæ orat flexis genibus. Serva à peſte patriam iſtam, & à malis omnibus. Alleluja.* Verſ. *Audi famulos rogantes, ô martyr Sebaſtiane; ſerva corpus, ſana mentes hujus plebis Chriſtianæ.* Mox in offertorio; *Martyr egregie, decus militiæ, athleta fidei, Ora natum Dei, vt avertat à nobis indignationem ſuam; Martyr, ſuffragia effunde pia.* Denique in communione; *Ave Martyr glorioſe,* &c. *Gementium memineris, vt ad æterna gaudia ſcandamus.* Paria Rochum in ejus quoque Miſſa poſcunt; *Rochum Chriſti confeſſorem exoratum ferimus, & preces ad patrem noſtrum dirigimus, vt ſua interceſſione à languoribus epidemiæ ac peſte ſalvemur, & aeris temperie potiamur.* Hæc illi; in quibus illud eſt obiter obſervandum, quod ſe *Sebaſtiani famulos*, Eccleſiam ſuam *illius familiam*, Rochum vero *ſuum patrem* fatentur; quę ſunt in omnibus primorum Chriſtianorum precibus inaudita; vbi non alius quam Deus vnus, vel *Dominus*, vel *Pater* compellatur; vel Eccleſia cujuſquam alterius, quam Dei *familia* agnoſcitur. Atque ita probatum eſt in Miſſa Divos, etiam directe invocari; & quidem multo frequentius, quam Bellarminus videri volebat. Indirectis vero invocationibus plena eſt omnis Latinorum Miſſa. Nam in ipſo Canone profeſſi ſe *communicare, & memoriam venerari in primis glorioſæ ſemper Virginis Mariæ, genitricis Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed & Beatorum Apoſtolorum ac Martyrum, Petri & Pauli, Andreæ, Iacobi, Ioannis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Thaddæi, Lini, Cleti, Clementis, Xyſti, Cornelij, Cypriani, Laurentij, Chryſogoni, Ioannis & Pauli; Coſmæ & Damiani, & omnium Sanctorum;* hæc inquam Deum orantes præfati, illa ſtatim ſubiiciunt, *quorum meritis precibuſque concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio.* In alia mox ad Deum oratione; *Intercedente Beata & glorioſa ſemper Virgine Dei genitrice Maria, cum B. Apoſtolis tuis Petro &*

Caput XII.
Miſſ. p. 43. A.
In poſter. part. Miſſ. p. 33. A.
ibid. p. 39. A.
ibid p. 38. A.
ibid p. 39 B.
ibid. B.
ibid. p. 40.
ibid.
ibid. p. 41. B.
Canon. Miſſ. Miſſal. p. 353. A.
ibid. p. 359.

CAPVT XII.

Iacobo atque Andrea, & omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus noſtris. Iam in cæteris paſſim Liturgiæ partibus tã crebra eſt hujuſmodi indirecta Divorum invocatio, vt earum orationum numerus vix iniri poſſit, quæ ita conceptæ in Miſſis ſive de tempore, ſive de Sanctis reperiuntur. Quædam ad ſpecimen exempla annotabo. Interdum Deum rogant, vt *intercedentibus*, vel *deprecantibus*, vel *intervenientibus* Sanctis quicquid id eſt, quod petunt, ab eo obtineant. Dominica prima poſt Pentecoſten; *Intercedente Beata & glorioſa ſemper Virgine Dei genitrice Maria, cum B. Apoſtolis tuis Petro & Paulo, atque Beato N. & omnibus Sanctis ſalutem nobis tribue benignus, & pacem* [a]. Hæc vero formula longe frequentiſſima eſt; vt videre eſt in Miſſis de Andrea [b]; de Saturnino [c], de Barbara Virgine [d], de Melchiade [e], de Euſebio [f], de Catharina [g], & de aliis; quæ omnia perſequi & longum & ſupervacaneum eſt. Hujus gemina eſt, ſed rarior, illa altera formula; *Benedictio tua Domine, large deſcendat, quæ munera noſtra, deprecantibus Sanctis Martyribus tuis, tibi reddat accepta* [h]. Hæc quæ ſequitur, frequentior eſt; In feſto Damaſi ad diem XI. Decembris. *Interveniente Beato Damaſo Confeſſore tuo atque Pontifice indulgentiam nobis tribue placatus & pacem* [i]. Et in feſto Matthiæ poſt communionem; *Præſta quæſumus, omnipotens Deus vt per hæc Sancta, quæ ſumpſimus, interveniente B. Matthia Apoſtolo tuo veniam conſequamur & pacem* [k]. Die VIII. Maij; *Hoſtias*, &c. *Angelico pro nobis interveniente ſuffragio placatus accipias* [l]. Die 21. Iunij, *B. Paulo Apoſtolo tuo interveniente deprecamur, vt quæ pro illius celebrata ſunt gloria, nobis proficiant ad medelam* [m]. Eodem quoque illa redeunt, vbi Divorum *interceſſione*, vel *interventione*, aliquid ſibi concedi poſtulant; cujus generis pæne infinita ſunt exempla; vt in octava Paſchæ; *Beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione ad perpetuam atque præſentem hæc oblatio nobis proficiat proſperitatem & pacem* [n]. Die Ianuarij XVI. de Marcello Epiſcopo; *Eius quæſumus, ſemper interventione nos refove* [o]. Ad eundem cenſum illa quoque pertinent, vbi Divos ſibi apud Deum *interceſſores* optant & poſcunt; vt die Decembris VII. de Ambroſio Epiſcopo; *Præſta quæſumus, vt quem doctorem vitæ habuimus in terris, interceſſorem habere mereamur in cælis* [p]. quod ipſum de Hilario [q] quoque, & de Bonaventura [r] vſurpant; & de Andrea Apoſtolo; *Sicut Eccleſiæ tuæ Andreas Apoſtolus extitit prædicator & rector; ita & apud te ſit pro nobis perpetuus interceſſor.* Huc & illa pertinent, in quibus à Divorum interceſſione *commendationem, opem, & protectionem* poſcunt; *Interceſſio nos quæſumus, Domine B. Sabbæ Abbatis commendet* [t]. *Martyrum tuorum Gordiani & Epimachi apud te interceſſionibus adjuvemur* [v]. *B. Melchiadis Martyris tui atque Pontificis interceſſio glorioſa nos protegat* [x]. Idem valet, quamquam paulo aliter efficta, de Sabba & multis aliis oratio; *Protegat nos Domine, &c. B. Sabbas pro nobis intercedendo* [y]. Idem quoque

eorum

a Miſſ. p. 114. B.
b ibid. 478. A.
c ibid.
d ibid. 4°0. B.
e ibid 486. A
f ibid. 488. A. B.
g ibid. p. 663. ver.
h Octav. omnium SS. Miſſ. p. 663.
i ib. p 486. A
k ibid p. 519. B.
l ibid. p. 547. B.
m ibid. 575. B
n ibid. p. 377. B.
o ibid. p. 494. A
p ibid. p. 4°3. A.
q ibid 4. Ian. p. 490 B.
r ibid. d 14. Iul. p. 585. A.
s ibid. d. 30. Nov. p. 478. B.
t ib d c. Dec. p 480. B.
u ibid. d. 10. Ma p. 548. A.
x ibid. d. 10. Dec p. 495. B
y ibid. p 4°0. B 495. A. de Mauro, &c.

CAPVT XII.

eorum cenſus eſt, quibus Divorum *preces, orationem, ſupplicationem, ſuffragia* expoſcunt, vt de Marco Evangeliſta; *Tribue quæſumus ejus nos ſemper & eruditione proficere & oratione defendi* [z]. De Agnete Virgine; *In cujus hac commemoratione percepimus, ejus muniamur & precibus* [a]. *B. Ambroſij Confeſſoris tui atque Pontificis nos vbique oratio adjuvet* [b]. *Da quæſumus Domine, fidelibus populis omnium Sanctorum ſemper veneratione lætari, & eorum perpetua ſupplicatione muniri* [c]. *Suffragiis B. Thomæ Apoſtoli in nobis tua munera tuearis* [d]. Huc etiam illa pertinent, quæ verbis licet concepta diverſis, eodem tamen ſenſu dicta eſſe planum eſt; *Quæſumus omnipotens Deus, vt B. Andreas Apoſtolus tuum pro nobis imploret auxilium* [e]. De Simone & Iuda Apoſtolis; *Ad tua beneficia promerenda majeſtatem tuam prò nobis ipſi præveniant* [f]. Illa vero quæ ſequuntur à Divis etiam aliquid precibus majus, exſpectare, atque expoſcere videntur; vt cum eorum non precibus tantum, ſed etiam meritis nituntur; quod ſane ſæpiſſime faciunt. *Deus, qui B. Nicolaum Pontificem innumeris decoraſti miraculis, tribue quæſumus, vt ejus meritis & precibus à gehennæ incendijs liberemur* [g]. De S. Ludovico Galliæ rege; *Ejus quæſumus meritis & interceſſione, Regis regum Ieſu Chriſti Filij tui facias nos eſſe conſortes* [h]. De Saturnino Martyre; *Ejus nos tribue meritis adjuvari* [i]; cujus commatis alia ſunt ſexcenta. Sed neque nudam Divorum deprecationem illa tinniunt, in quibus eorum *patrocinia, præſidia, defenſionem, auxilium, protectionem* à Deo petunt. Vt; *Da quæſumus B. Mariæ ſemper Virginis patrociniis nos vbique protegi* [k]. *Quæſumus Domine, vt B. Apollinaris nos foveant continuata præſidia* [l]. De Sanctiſſima Maria Virgine; *Da quæſumus, vt ſua defenſione munitos jucundos facias ſuæ intereſſe feſtivitati* [m]. De S. Ludovico Rege; *Eum quæſumus Eccleſiæ tuæ conſtitue defenſorem* [n]. De Bartholomæo Apoſtolo; *Vt ejus auxilio tua beneficia capiamus, pro quo tibi laudis hoſtias immolamus* [o]. De Euſebio Epiſcopo; *Concede propitius, vt cujus natalitia colimus, de ejuſdem etiam protectione gaudeamus* [p]. Hujus generis preces in omnibus fere Latinorum miſſis longe lateque ſparſæ ſunt; quæ, adeo ſunt multæ, quemvis etiam velociſſimum, maximeque otioſum ſcriptorem delaſſare valent. Sunt & in his alia loca non pauca in quibus paulo aliter de ſua quoque hac in Divos religione teſtantur; vt cum ſuam in iis ſpem atque fiduciam repoſitam eſſe narrant. De Sancta Barbara Virgine; *cujus nos* (inquiunt) *confidimus patrocinio liberari* [q]. Eadem quoque alibi de Ioanne Apoſtolo [r], & de Thecla [s], vſurpant. Sic etiam de Agapito; *Lætetur Eccleſia tua Deus, B. Agapiti Martyris confiſa ſuffragiis* [t]. Quo & illa pertinent, vbi ſe eorum pro ſe precibus niti teſtantur; *Beati Archangeli tui Michaëlis interceſſione ſuffulti, ſupplices te Domine deprecamur* [v], Sic alibi; *Protege Domine, populum tuum, & Apoſtolorum tuorum Petri & Pauli patrocinio confidentem perpetua defenſione conſerva* [x]. Itaque alibi non ſemel

z ib. d. 25. April. p. 33 A.
a ib. d. 21. Ian. p. 500. A.
b ib. d. 7. Dec. p. 483. B.
c ib. d. 1. Nov. p. 6[illegible] A.
d ibid. d. 31. Dec. p. 489 B.
e ibid. d. 29. Nov. p. 476. A.
f ib. d. 27. Oct. p. 654 B.
g ib. d. 6. Dec. p. 451. A.
h ibid. d. 25. Aug. p. 622. A.
i ibid. d. 29. Nov. p. 476. A.
k ibid. Oct. Paſch. p. 378. A.
l ib. d. 23. Iul. p. 592 B.
m ib. d. 14. Aug. p. 613. B
n ibid. d. 25. Aug. p. 622 B
o ibid. d. 24. Aug. p. 62 B
p ibid. d. 5. Dec. p. 438. A
q ibid. d. 4. Dec. p. 480. R.
r ibid. in feſto S. Thomæ p. 36. A.
s ibid. d. 23. Sept. p. 640. B
t ibid. d. 18. Aug. p. 618. A
u ibid. d. 8. May p. 547. B.
x ib. Oct. feſti Petr. & Paul. p. 381. A.

CAPUT XII.

profitentur ſe eorum meritis imputare, quæ divinitus conſecuti ſunt beneficia; ut in illa, die Damaſo ſacraſolenni oratione; *Accepta tibi ſit Domine, ſacratæ plebis oblatio, pro tuorum honore Sanctorum quorum ſe meritis percepiſſe de tribulatione cognoſcit auxilium* [y]. Similia dicuntur in feſto S. Luciæ Virginis, & Martyris [z], & in feſto S. Monicæ [a], & alibi non ſemel, Quin & tantum Divorum precibus meritiſque tribuunt, ut iis acceptiorem Deo fieri putent, quam in miſſis offerunt, hoſtiam. *Sacrificium noſtrum tibi Domine, quæſumus, B. Andreæ Apoſtoli precatio Sancta conciliet* [b]. Item; *Oblationes populi tui quæſumus, Domine, B. Iacobi Apoſtoli paſſio ſacra conciliet* [c]. Et; *Supplicationibus* (inquiunt) *B. Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ, quæſumus Domine Eccleſiæ tuæ commendetur oblatio* [d]. Eadē in aliis quoq; miſſis identidem occurrunt. Quaſi Filij unigeniti corpus & ſanguis (hanc enim eſſe miſſalem Eccleſiæ oblationem, hoc ſacrificium putant) ullius Sancti vel precibus vel meritis ad hoc indigeat, ut Patri concilietur aut commendetur. Hæ & aliæ ejuſdem generis directæ, indirectæq; Divorū invocationes ita Latinorum Euchariſticas Liturgias oppleverunt, ut ex tam multis miſſis, quæ ſingulis totius anni diebus apud eos fiunt, plane nulla ſit, quæ non aliquot hujuſmodi emblematis ſuum in Deum cultum ornatum ac variegatum gerat. Veteres vero trium piorum ſæculorum fideles nullas in ſacra Euchariſtiæ Liturgia vel ad D. Virginem, vel ad alios Divos, aut Angelos preces, vel directe, vel indirecte feciſſe, ſole meridiano clarius eſt. Principio Paulus Apoſtolus, certiſſimus Chriſtianiſmi auctor, hujuſmodi cultum nullū memorat quo loco Euchariſtię inſtitutionē & celebrationē accuratiſſime deſcribit. Neque Iuſtinus annis poſt Apoſtolum fere centum, quicquam hujus generis tradit, duobus illis locis, quibus hoc idem ſacrum & fuſe & diligenter exſequitur. Preces & ſupplicationes *communes fratrum congregatorum* pro ſe & pro neophytis, & pro aliis ubique gentium omnibus factas fuiſſe dicit. Tum Præpoſitum pane & poculo acceptis, *laudem & gloriam rerum univerſarum Patri per nomen Filij & Spiritus Sancti offerre,* αἶνον καὶ δόξαν τῷ πατρὶ τῶν ὅλων διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου ἀναπέμπει; *Populum qui adeſt, omnem acclamare Amen,* πᾶς ὁ παρὼν λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων Ἀμήν. Et paulò poſt cum fraternas quæ iſtic fiebant, ad egenos ſublevandos oblationes memoraſſet; *Et in omnibus* (inquit) *quas offerimus, oblationibus, benedicendo laudamus factorem omnium per Filium ejus Ieſum Chriſtum, & Spiritum Sanctum.* ἐπὶ πᾶσί τε οἷς προσφερόμεθα, εὐλογοῦμεν τὸν ποιητὴν τῶν πάντων διὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ διὰ πνεύματος τοῦ ἁγίου. Hinc conventus ſacros, qui die ſolis (id eſt Dominico) habebantur, plane eodem modo deſcribit; præmitti in iis ſolere lectionem Apoſtolicorum & Propheticorum commentariorum, qua peracta Præpoſitum orationem ad inſtruendam & cohortandam plebem habere; *deinde conſurgere omnes una, & orationes emittere.* Illo enim die in

Domi-

y ibid. d. 11. Dec. p. 486. B.

z ibid. d. 13. Dec. p. 488. A

a ibid. d. 4. May. p. 544. B.

b ibid. d. 30. Nov. p. 479. B.

c ibid. d. 25. Iul. p. 595. A.

d ibid. d. 21. Sept. p. 638. B.

1 Cor. 11. 23. ad fin.

Iuſt. Apol. p. 76. l. 25.

ibid. l. 34.

ibid. l. 39.

ibid. p. 77. l. 19.

ibid. l. 22.

Dominicæ reſurrectionis memoriam ſtantes orabant; Euchariſtiæ mox celebrationem ſucceſſiſſe, quam vt ſupra, deſcribit. De precibus ad Divos, plane nihil. Omnes orationes, benedictiones, gratiarum actiones *ad Deum, ad omnium creatorem per Filium & Spiritum Sanctum orant*. Plinius pariter de antelucanis eorumdem conventibus non aliud ſe, vel inaudiviſſe, vel extorſiſſe ad Trajanum refert, niſi quod *ibi carmen Chriſto, quaſi Deo dicerent*; vel (vt habet eadem recitans Tertullianus) *nihil aliud ſe de Sacramentis eorum comperiſſe, quam cœtus antelucanos ad canendum Chriſto, & Deo*. Et ipſe quoque *Chriſtianæ* (vt loquitur) *factionis negotia editurum* ſe præfatus, omnia plane vt Iuſtinus; niſi quod de Euchariſtiæ myſterio nihil ſcribit. Ita de conventibus ſacris; *Coimus* (inquit) *ad Deum* (non ad Divos, vel ad Virginem) *quaſi manu facta precationibus ambiamus. Hæc vis Deo grata eſt*. Ergo & precationes ad Deum erant. Tum *pro quibus* & *de quibus* orarent ediſſerit, ſane diverſiſſimis; *Quem* orarent, non alium edit, quam vnum Deum, Sed & *in agapis*, qui & ipſe ſacer fuit ad fraternum quoddam convivium conventus, Tertullianus orationes quidem crebro memorat; ſed nullas ad Divos indicat. *Non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum* (inquit) *peragatur*. Tum; *Ita ſaturantur* (inquit) *vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe. Ita fabulantur, vt qui ſciant Dominum audire*. Et ſtatim; *Poſt aquam* (inquit) *manualem, & lumina, vt quiſque de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere*. Apud iſtum Deo vt vides, plena omnia; *Divorum*, nihil apparet. *Oratio ad Deum, adorare Deum, canere Deo*, ſollicite vbique dicit; quaſi ſibi à Perroniis metuat ne ſi *orare, adorare, canere* ſimpliciter dixiſſet, illi in verbi ambiguo ludentes calumniarentur aliquid iſtius *orationis, adorationis, cantus*, Divorum fuiſſe, non totum Dei. Idem obſervare eſt apud Pſeudo-Hermam, Tertulliano, imo & Iuſtino ipſo paulò vetuſtiorem. Nam & hic Eccleſiaſticæ orationis meminit nō alius quam quæ ad Deum fit; *Cum venerit* (inquit) *homo, qui habet Spiritum Dei, in Eccleſiam iuſtorum habentium fidem Dei, & oratio fit ad DEVM, tunc nuncius ſanctus divinitatis implet hominem illum Spiritu ſancto*. Et paulò ſuperius juſtorum in turbam collectorum, id eſt in Eccleſiam congregatorum, *orationem ad Deum* eſſe dixerat. Hæc de cultu veterum publico & ſolenni certa ſunt, & ex veris ſumpta, quibus & illud in Cypriano (quod me jam alibi ſupra tetigiſſe memini) addere licet; *Sacerdos* (inquit) *ante orationem præfatione præmiſſa parat fratrum mentes dicendo*, Surſum corda *vt dum reſpondet plebs*, Habemus ad Dominum, *admoneatur nihil aliud ſe, quam Dominum cogitare debere*. Hæc plebis reſponſio docet illam orationem, in quam ſacerdos ita præfaretur, ipſam quoque ad Dominum fuiſſe, non ad Divam Virginem, vel alium de Divis aliquem. Hic publicus veterum illorum, fuit cultus, quatenus conſtare poteſt ex veris

Plin. ep. l. 10. ep. 97.

Tertull. Apol. c. 2. p. 3. A.

ibid c. 39.

Id. ibid. p. 36. A.

Herm. l. 2. mandato Bibl. Patr. T. 1. p. 18. E.

ibid. mand. 11. B.

Cypr. l. de orat. Dom. im p. 228.

CAPVT XII. primæ antiquitatis monumentis; in quo, vt omnes vident, nullum Latinæ cernitur in Divos religionis veſtigium. Id ipſum vero etiam clarius demonſtratur ex Pſeudapoſtolicorum Conſtitutionum libris. Scriptorem, & vtrarumque partium eruditi (ſi Turrianum & paucos ejuſdem furfuris capitones exceperis) omnes jamdudum conſentiunt, & nos antehac propria ſeorſum diſputatione vicimus, neque Apoſtolorum quemquam, neque Clementem eorum diſcipulum eſſe. Cæterum eum, quiſquis fuerit, ante finem quarti ſæculi opus hoc ſuum edidiſſe, & in eo Eccleſiaſtici cultus formam, quæ qualiſque illis temporibus fuit, adumbraſſe, perſpicuum eſt, neque quemquam antiquitatis quidem peritum repugnaturum arbitror. Ac multa quidem ſimpliciſſimo ſuperiorum Chriſtianorum cultui & à quarti illius ſæculi hominibus honeſto ornandi Chriſtianiſmi nomine fuiſſe adjecta, & apud hunc auctorem haberi, vltro ac libens confiteor. Sed de eo cultu, qui jam apud primos ante illam memoriam fideles in publico vſu fuerat, quicquam fuiſſe detractum, neque veriſimile eſt, neque ſane apparet. Itaque ſi quid in Conſtitutionibus illis legitur, non ideo conſequens eſſe fateor, vt id ipſum apud primi, ſecundique & tertij ſæculi Eccleſiam fuerit; At ſiquid è contra in ea operis parte, vbi cultus Eccleſiaſtici formæ exhibentur, nullum habere locum deprehenditur, id neque in ſuperioribus Chriſtianiſmi ſæculis apud noſtros cognitum, aut vſitatum fuiſſe, certo hinc atque indubitato argumento concludi nemo, vt opinor, cordatus negaverit. Videamus ergo an Conſtitutiones aliquem Latini ſimilem in Virginem, & Angelos & Divos cultum contineant. Illæ vero nullum, imo ne tenuiſſimam quidem ejus vmbram, vſpiam exhibent. Ac Euchariſtiæ quidem, & precum quæ in ea fierent, non ſemel meminerunt; vt in libro operis ſecundo, vbi dimiſſis catechumenis & pœnitentibus *omnes pariter con-*

Conſt. Ap. l.2.c.57.p.880.D.881.B *ſurgentes precari Deum* videmus, προσευξάσθωσαν τῷ Θεῷ, Epiſcopum inde pacem & benedictionem plebi precatum, ita orare; *Conſerva Domine populum tuum incolumem, & benedic hæreditati tuæ.* Σῶσον τὸν λαόν σου Κύριε, καὶ εὐλόγησον τὴν κληρονομίαν σου. Poſt hæc, ſacrum fit, *populo ſilentio precante* τοῦ λαοῦ προσευχομένου ἡσύχως; & poſtremo omnes ſuo ſinguli ordine communicant. Hęc ibi de liturgia Conſtitutionum ſcriptor. Ille vero ipſam Liturgiam totam alibi fuſe deſcriptam exhibet; in qua primo Diaconus poſt dimiſſos catechumenos & pœni-

Conſtit.l.8.c.9.p.1010.D. tentes, ita fideles monet; *Flectamus genua, Rogemus DEVM per CHRISTVM ejus; omnes intente Deum per Chriſtum invocemus;* Πάντες πιστοὶ, κλίνωμεν γόνυ, δεηθῶμεν τοῦ Θεοῦ διὰ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ πάντες, συντόνως τὸν Θεὸν διὰ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ παρακαλέσωμεν. Et poſtquam fuſe denuntiavit,

ibid. c.10.p.1012.C. quid & pro quibus ſit orandum, iterum ſic eos monet, *Surgamus intente orantes, noſque ipſi & alij alios Deo viventi per Chriſtum ejus com-*

ibid. c.11. ibid. p.1013.1014. *mendemus.* Tum Epiſcopus gregem ardentiſſima oratione per Chriſtum Domino Deo omnipotenti, vnico principi, accuratiſſime commendat.

mendat. Ordinato inde Diaconorum opera toto cœtu, & ad modeſtiam, dignamq; rebus ſacris reverentiã cõpoſito, Epiſcopus ſtatim Eccleſiã hac benedictione ſalutat; *Gratia omnipotentis Dei & charitas Domini noſtri Ieſu Chriſti & cõmunicatio Sãcti ſpiritus ſit cũ omnibus vobis.* Plebs reſpondet, *& cum Spiritu tuo.* Peccatorum apud D. Mariam, & cæteros Divos confeſſio, & ad eos, vt pro ſe orent precatio, & altera illa, qua ſibi peccata indulgeri per merita ſanctorum ſub altari ſitorum obſecrant. quæ hic in Miſſa Latinorum habetur, nulla apud hunc occurrit. Pergit Epiſcopus; ἄνω τὸν νοῦν; id vero eſt Latinorum, *Surſum corda*; Omnes reſpondent, ἔχομεν πρὸς τὸν κύριον, *habemus ad Dominum.* Tum Epiſcopus; *Gratias agamus Domino.* Reſpondent omnes; *Vere dignum & juſtum eſt.* Tum ille, *Vere* (inquit) *dignum & juſtum eſt laudare ante omnia te Deum verum; te qui ex æternitate ante conditum univerſum exiſtis*; & cætera, quibus longiſſima, ſed tota ad Deum oratio continetur; in qua poſt prolixam divinorum in nos beneficiorum enarrationem, cum totam Chriſti in terris œconomiam recenſuiſſet, hæc tandem addit; μεμνημένοι οὖν ὧν δι' ἡμᾶς ὑπέμεινεν, εὐχαριστοῦμέν σοι θεὲ παντοκράτορ. *Memores igitur eorum quæ cauſa noſtra ſuſtinuit, gratias agimus tibi Deus omnipotens, non quas debemus, ſed quas poſſumus.* Hic illa Latinorum, quæ in Miſſa eodem loco habentur, ex eorum ritu addenda fuerant, *Communicantes & memoriam venerantes inprimis glorioſæ, ſemperque Virginis Mariæ, &c. & omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibuſque rogamus, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio* ſed ea apud Conſtitutionum parentem nulla ſunt; cujus ſcilicet ævo nondum erat in publicum Eccleſiæ cultum invecta illa Divorum directa, indirectave invocatio. Apud hunc ergo Epiſcopus miſſis iſtis nunc Latinorum ſolennibus, ex Evangelijs ſimpliciter recitat ſacræ Euchariſtiæ inſtitutionem; ſeque ex hac Domini lege panem & calicem offerre præfatus, Deum præcatur, vt in hac *ſua munera benevole aſpiciat*; tum pro Eccleſia, omnibuſque ejus membris, imo & pro cæteris omnibus hominibus diligenter orat. Populus reſpondet, *Amen.* Hic Diaconus denuntiat fidelibus Deum deprecandum, *vt munus oblatum ſuſcipiat in cœleſte ſuum altare in odorem ſuavitatis per mediationem Chriſti ſui*, διὰ τῆς μεσιτείας τοῦ χριστοῦ αὐτοῦ. Iſtic certe illud Latinorum ſolenne, *intercedente Virgine, vel intervenientibus Divis*, adjeciſſet, ſi iſtorum conſecraneus fuiſſet? Non fecit; neque aliam quam Chriſti Domini interceſſionem vel hic vel alibi memoravit, quia ſcilicet illo tempore nullum præter Chriſtum, mortalium apud Deum Mediatorem publice invocabat Eccleſia. Diaconus inde pergit; *Memoremus Martyras ſanctos*, τῶν ἁγίων μαρτύρων μνημονεύσωμεν; Nihil de eorum invocatione, loco quantumvis opportuno, dixit. Nimirum eorum invocatio nondum noſtris in publico cultu erat nota. Mox Epiſcopus gregem ſuum, ſed *Deo*, non *Divis*, & per *Chriſtum*, non per *Divos*, commendat; ὁ θεὸς ὁ μέγας. *Magne Deus, &c.*

Capvt XII.

ibid. l. 8. c. 12. p. 1014. C.

ib. p. 1018. d.

p. 1020. 1021.

p. 1021. D.

ibid. c. 13. p. 1022. A.

βοηθὸς

CAPUT XII. βοηθὸς ἡμῖν γίνου, ἀντιλήπτωρ, ὑπερασπιστὴς διὰ τοῦ χριστοῦ σοῦ. *Sis adjutor noſter, opitulator, defenſor per Chriſtum tuum.* Sed neque Latinorum diſciplinæ congruit, quod deinceps exclamat Epiſcopus; *vnum eſſe SANCTUM, vnum Dominum, vnum Ieſum Chriſtum in gloriam Dei Patris benedictum in ſæcula.* Tum communicant primo clerici, poſtea laïci omnes, eodemque tempore canitur Pſalmus XXXIII. Hebræis XXXIV. ad vnum Deum, vt notum eſt, à Davide directus. Poſt communionem Epiſcopus longam emittit gratiarum actionem, ſed apud vnum Deum; nulla vel Virginis, vel Divorum neque directa, neque indirecta (quod eſt apud Latinos poſt communionem creberrimum ac pæne perpetuum) facta invocatione; *Domine Deus omnipotens, Pater Chriſti tui benedicti Filij, qui exaudis eos, qui te recto corde implorant, qui poſtulationes tacentium noſti, gratias agimus tibi, quod nos dignatus es participatione ſanctorum tuorum myſteriorum*; & quæ ſequuntur, ſane præclara. Idem, Diacono plebem monente, vt *Deo per Chriſtum inclinata benedictionem* accipiat, populo accurata prece benedicit, rogans, vt eos *ſervet, cuſtodiat, eripiat*; ne hic quidem Divorum opem, vel interceſſionem expoſcens. Omnes poſtremo Diaconus verbis illis ſolennibus dimittit, ἀπολύεσθε ἐν εἰρήνῃ, *Ite in pace.* Hæc omnino eſt Euchariſtiæ apud Pſeudo-Clementem Liturgia, totis ſeptem capitibus explicata, compluresque implens majoris chartæ paginas; in qua cum tam multæ habeantur & Diaconi ad plebem de invocatione allocutiones, & Epiſcopi ad Deum preces, nulla plane in omni hoc numero occurrit oratio, non dico quod ad Matrem Virginem, ad Angelos, vel ad aliquem de cæteris Divis dirigatur (quales ex Latinorum miſſis plurimos ſupra exhibuimus) ſed in qua vel vno ſaltem verbo Divorum *auxilium, præſidium, patrocinium, ſuffragium, preces, ſupplicatio, interceſſio, interventio*, vel denique aliud aliquid iſtorum, quibus nunc plenæ ſunt omnes Latinorum miſſales orationes, ſimile à Deo optimo maximo poſcatur. Vnde quivis intelligere nunc poteſt nullam adhuc quarto ſæculo, quo ſcriptor Conſtitutionum vixiſſe videtur, vſitatam fuiſſe apud Chriſtianos in Euchariſtiæ Liturgia, Divorum invocationem. Cur enim hic eam ſcriptor omiſſurus fuerit, ſi qua ſuo tempore ſolennis fuiſſet, cauſa nulla dici poteſt. Hinc porro evidentiſſime ſequitur, neque anterioribus ſæculis vſitatum, neque adeo à Domini Apoſtolis inſtitutum fuiſſe, vt Divi in hujus myſterij celebratione invocarentur. Quo ſemel conſtituto, neque illud quod nos contendimus, obſcurum deinceps eſſe poteſt; nimirum non eſſe traditum ab Apoſtolis illum, quem nunc Latini docent, religioſum Divorum cultum. Clara eſt conſecutionis ratio. Nam ſi quid valet illa Divorum invocatio (eam vero plurimum valere putant Latini) profecto ad Euchariſtiæ ſacrum, quo nullum ipſi eſſe prædicant auguſtius ac divinius, inprimis vel maxime adhibenda eſt; tanto ſcilicet impenſius, quanto res ipſa majoris momenti

Marginal notes: ibid. C.D. — ibid. p. 1023. A. — ibid. c. 15. D. — ibid. p. 1024. C.D. — ibid. p. 1025. A.

mento eſt, qua noſtra cum Domino Chriſto communio, peccatorum noſtrorum expiatio, noſtra denique vita ac ſalus continetur. Neque ſi hæc vera ſunt, negari poteſt, quin Latini ſapienter, ac plane quod decet, faciant, dum Divos in Miſſis ſuis invocant. Cum ergo Apoſtolos ſapientiſſimos fuiſſe, & ea quæ ad cultum religioſum pertinent, optime perſpexiſſe omnes pij confiteantur; illud quoque cum iiſdem pariter fuiſſe tradituros, vt Divi in Euchariſtiæ celebratione invocarentur. Atqui ex ſuperioribus clare liquidoque patet nihil vnquam hujuſmodi inſtituiſſe Apoſtolos; Ergo & illud quod diximus, confitendum eſt, illum Latinorum religioſum in Divos cultum neque approbaſſe, neque diſcipulis ſuis tradidiſſe Apoſtolos. Neque vero hic quiſquam ſuſpicetur veteres in Liturgia Euchariſtica Divos non adeo invocaſſe, quod eos invocari nefas eſſe ſimpliciter exiſtimarent; ſed etiam aliquam ob cauſam; verbi gratia ob eam, quam Bellarminus in ſimili argumento attulit; quod ſcilicet Euchariſtia *per ſe non ſit inſtituta ad cultum & invocationem Sanctorum*. Nihil enim valet illa ratio. Nam ſi quid valeret, efficeret ne Divi vel in vlla Miſſæ parte, vel vllo modo eſſent invocandi. At ne ipſe quidem Bellarminus eo vſque valere vult hanc rationem; qui quod ſupra diximus, confitetur Divos in ſuis Miſſis & *directe* aliquoties extra Canonem, & in ipſo Canone *indirecte* invocari. Itaque non ſimpliciter, ſed adhibita *directa* invocationis diſtinctione ſic loquitur; *Si Miſſa* (inquit) *eſſet inſtituta per ſe ad cultum & invocationem Sanctorum, certe Sancti directe invocarentur in ipſo Canone, vt invocantur in Litaniis*. Non ergo prohibet Bellarminiana ratio, quin Divi in Miſſa extra Canonem quidem directe, in ipſo vero Canone ſaltem indirecte invocari poſſint ac debeant. Ergo ſi idem ſenſiſſent, Apoſtoli, & proximi eorum diſcipuli, ipſi quoque Divos in aliis quidem Liturgiæ ſuæ partibus *directe indirecteque* nullo diſcrimine invocaſſent; in Canone vero, non quidem *directe*, ſed tamen indirecte invocaſſent. At nihil iſtorum vel Apoſtolos, vel eorum ad quartum ſæculum ſucceſſores feciſſe ex ſuperioribus conſtat. Nulla enim in veteris illius Liturgiæ vlla parte vel in Canone, vel extra Canonem occurrit, Divorum invocatio; non indirecta magis, quam directa; quod nuper in quibuſdam locis obſervavimus, vt poſtea etiam in aliis obſervabimus. Sane ſi rem ipſam penitius inſpiciamus, fruſtra & inaniter hoc loco affertur illa invocationis *directæ* ab *indirecta* diſtinctio. Nam ſi Divos *directe* (quod Latini ſtatuunt) invocare fas eſt; non video, cur non in Canone tam hoc modo invocari debeant, quam indirecte. *Miſſa* (inquit Bellarminus) *non eſt inſtituta ad cultum Sanctorum*. Quid tum? Eo-ne ergo à Miſſa excludi putas omnem directam Sanctorum invocationem? Atqui etiam in aliis Miſſæ extra Canonem partibus, eos directe invocas. Et ratio cur facias, manifeſta eſt; non vt ipſi per ſe ac proprie colantur; ſed vt tuum illum miſſalem cultum, qui per ſe Dei eſt, Deo

CAPUT XII.

Bell. de Miſſ. l. 2 c. 8 § Tertio ſacrificii.

FFf conjun-

CAPVT XII.

Bellar. l. de Beat. Sanct. c. 19. §. Itaq; Sanctos.

conjunctis tecum ſuis precibus, commendent; gratioremque & acceptiorem reddant. Hoc vnum eſſe ex Bellarmini dictatis memini, *Sanctos ad hoc ſolummodo invocari, vt faciant id quod nos facimus; quia melius & efficacius ipſi facere poſſunt, quam nos; melius illi & nos, quam nos ſoli.* Cum ergo quę facimus, maxime quæ ſunt magni in vita noſtra momenti, ea quam optime poſſumus, facere nos, non modo officij, ſed etiam vtilitatis noſtræ ratio jubeat ac flagitet; apparet non modo nos ex Bellarmino poſſe, ſed etiam debere Divorum opem ac interceſſionem adhibere in precibus Euchariſticis; nimirum quod & illi efficacius quam nos precantur, & nos conjunctis eorum cum noſtris precibus, melius id, quod poſcimus, impetramus. Quæ ſi vera ſunt, vt ſunt ex Latinorum dogmate veriſſima, non video quæ illos religio prohibeat Diuos, etiam in ſuo Miſſæ canone, tam directe, quam indirecte invocare. Imo cum nullus ſit in omni eorum cultu locus, qui ex ipſorum ſententia majorem in precando conatum requirat, quam canon, quo diviniſſimum ſacrum conficitur, nuſquam alibi potius, quam hic, videntur fuiſſe adhibendæ omnis generis ad Divos preces; & *directæ* quidem potiſſimum, quod earum vim aliquanto majorem eſſe putent, quam *indirectarum*. Nam ſi id non putant, cur ipſi alibi directe Divos invocant? Cur repetitis magna animi, magna ipſius linguæ contentione ſingulorum nominibus, ſupplices eos appellant ac conueniunt, omnibuſque modis vrgent, vt Deum pro ſe orent? ſi hoc vtiliter alias faciunt; cur non in Canone faciunt? Si hanc cujuſque propriam de nomine compellationem cenſens aliquid ad hoc momenti habere, vt Divûm ſuperorum mentes exſuſcitet, & animos promereatur ad offerendas Deo alacrius, ac ſtudioſius pro ſe, ſuiſque preces (quod omnis illorum extra hunc canonem ratio ſignificare videtur) vnde hic tantus Pontificum ac ſacerdotum torpor, vt quo tempore his Divorum pro ſe precibus maxime indigent, eo nullas adhibeant? Deum de Divis ſecuri, vnum rogent? nullum eorum directe, ac ne Dominam quidem Matrem inuocent atque precentur? Nemo non videt hoc à cætera iſtorum de Divis theologia & praxi abludere. Cur ergo (inquis) nullæ in eorum canone ad Divos preces, æque ac in cæteris Miſſæ partibus? Breviter reſpondeo, id ita contigiſſe, quia non omnes Miſſæ partes ejuſdem, eademque de rebus divinis ſentientis auctoris ſunt. Eſt enim illa hodierna Latinorum miſſa, non vnius viri, ſed multorum diverſiſſimorum opus; quod non vno eodemque tempore ſimul ac ſemel adornatum eſt, ſed variis in multorum ſæculorum decurſu factis ſubinde adjectionibus, ex ſimpliciſſima ac tenuiſſima initio forma in eam, quam nunc videmus, molem paulatim locupletatum evaſit ac excrevit, & Pontificibus, & aliis etiam Præpoſitis, vel ex innata magnis ingeniis vetera innovandi atque expoliendi prurigine, vel ex quodam ſui ſæculi placita conſecrandi ſtudio, ſuam ſingulis teſſeram eo conferentibus. Ita factum eſt, neque profecto fieri

aliter

aliter potuit, vt non ſint miſſæ partes omnes vnius, ejuſdemque ſpiritus ac ſententiæ. Singulæ enim non modo partes, ſed etiam particulæ, ac vt ſic dicam teſſerulæ, ex quibus tota machina coagmentata, ac conteſſellata eſt, ſui quæque autoris, ejuſque quo ille floruit, ſæculi, colorem, venam, atque ingenium fere retinent; adeoque ſunt inter ſe diverſiſſimæ; quod neque virorum, à quibus conditæ ſunt, neq; temporum, quibus conditæ ſunt, omnino eadem fuerit de rebus divinis ſententia, idemque mos ac ritus. Ergo illa Miſſæ pars in qua Divi invocantur, eo Sæculo facta eſt, quo ſic eos invocari publice receptum erat; & ab iis viris, qui hoc de Divorum cultu dogmate plane penituſque imbuti erant ex ſui ſæculi moribus. In Canone vero nulli directe Divi invocantur, quod is antiquior ſit, & eo Chriſtianiſmi tempore concinnatus, quo propter miracula quædam ad Martyrum memorias fieri credita, cœperat opinio de eorum apud Deum pro rebus humanis interceſſione & aliqua in nos providentia. Inde factum eſt, vt in orationibus, quæ ex veteri more omnes ad Deum dirigebantur, Divorum merita ac preces apud Deum commemorarentur. Sed eo ſemel gradu facto pronum ac proclive fuit ſecutis inde ſæculis eo delabi, vt Divi ipſi directe invocarentur, quod ipſum tamen, vt fere in talibus vſu venire ſolet, à paucis primo privatiſque vſurpatum ſetius paulatim in vniverſarum Eccleſiarum vſum venit. Fruſtra in iſtis variarum Miſſæ partium diverſitatibus myſteria quærunt Latinorum Theologi. Earum ratio non à rebus, ſed à temporibus petenda eſt. Diverſos precum auctores, alium, atque alium, ſui ſcilicet quemque ævi, ſenſum ac ritum ſecutos eſſe non eſt mirandum. Si vnus eſſet auctor, omnes eſſent vnius generis ac coloris. Nulla Divos directe invocaret, ſi qui canonem ſcripſit, is quoque cætera compoſuiſſet. Eſſent in Canone, quæ Divos directe invocarent, ſi, qui confeſſionem & introitum & cætera fecit, is canonem quoque feciſſet. Canonis porro aliqua, vt videtur, reverentia prohibuit, ne, quæ in eo habentur orationes, interpolarentur, & ad Divos à recentioribus dirigerentur. Sed hæc ἐκ περιουσίας dicta ſint. Cum enim nullæ in vetuſtiſſima Chriſtianorum Liturgia ad Divos orationes fuerint, neque directæ neque indirectæ; apparet totum hunc vtrumque Divos invocandi ritum, novum eſſe apud Chriſtianos, Apoſtolis & Apoſtolicæ Eccleſiæ per trecentos & amplius annos ignotum, ſecutis poſtea temporibus inventum, & inductum fuiſſe. Nunc cæteras Eccleſiaſtici Latinorum cultus partes cum veterum moribus atque vſu comparemus.

Caput XII.

CAPVT XIII.

Argumentum XII. Quod in homiliarum ad plebem ſacrarum limine, Eccleſiaſtæ quidem Latini Divam Virginem paſſim, ac fere ſemper invocent; primi vero ad quartum ſeculum Chriſtianiſmi Doctores Deum ſane, & Chriſtum, & Spiritum Sanctum, & in principio, & in medio, & in calce ſuorum apud populum tractatuum, crebro; Virginem, cum Divas nulla in parte invocaſſe, vel ſemel reperiantur, quod fuſe ex Origenis homiliis demonſtratur.

EST ſane & Evangelij prædicatio Liturgiæ quoque Chriſtianæ pars; vel Paulo teſte, qui ſe λειτουργὸν Ἰησοῦ χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη, *Liturgum* ſive *Miniſtrum Ieſu Chriſti in gentes*, eo eſſe profitetur, quod *Dei Evangelium ſacrificat* apud eas. (Rom. 15. 16.) In hac igitur etiam parte, æque ac in ſuperiori, Latinos videmus Matrem Virginem & cæteros interdum Divos diligenter invocare; & merito ſane ſic inſtituunt, ſi vera ſunt quæ docent, ſe Divorum invocatione ſcilicet promereri eorum apud Deum, multo noſtris vtiliores atque efficaciores preces. Cum enim nullum ſit opus ad homines, tum ab errore atque peccato abſterrendos, tum ad fidem, & ſanctitatem, ac ſalutem adducendos, divini verbi prædicatione vtilius atque potentius; nemo non videt Latinos ex ſuo illo dogmate non modo prudenter, ac vtiliter, ſed etiam pæne neceſſario nunquam id opus ingredi, quin & ipſi & auditores Matrem, omnes Virginem ſuppliciter invocent; Divam ſalutatione illa Angelica, qua nullam ei orationem gratiorem ac jucundiorem eſſe putant, ſtatim ab ipſo ſermonis limine adorantes. Nihil opus eſt rem omnibus notam exemplis, & teſtimoniis ex eorum libris atque annalibus petitis confirmare. Satis eſt ſemel monere, quod nemo neſcit, nullam apud eos haberi ſacram ad fideles concionem, quam non ab illo Divæ Virginis cultu exordiantur. Neque dubitandum eſt, quin vetuſtiſſimi illi Chriſtiani, de quorum nunc cultu diſputamus, idem quoque fecerint, ſi Latinorum quidem de hac religionis parte ſcita decretaque admittebant, ac norant. Atqui videmus in iis ad populum homiliis atque concionibus, quotquot illius ævi ſuperſunt, eos non modo in ſingulis & omnibus tractatibus, non ſemper (quod faciunt nunc Latini) ſed ne in vno quidem ſemel Beatam Virginem invocaſſe. Quæſo te; Si quis nunc ita apud Latinos concionaretur, non ſalutata, non invocata Diva; nonne is velut hæreſeos ſuſpectus, ad Inquiſitorum tribunalia raperetur? Atqui erant hujuſmodi omnes vetuſtiſſimorum Chriſtianorum præpoſitorum ad ſuas plebes conciones atque homilia. Nemo ex illius temporis Scriptoribus narrat *Ave Maria*

Maria vel à prædicatore, vel ab auditoribus in vlla ad plebem habita homilia dictũ eſſe; nemo juſſos ab aliquo Eccleſiaſte auditores vel hoc carmine Divam ſalutare, vel alios cœlites invocare, ad hoc vt vel ipſe Spiritus Sancti ad Evangelium bene ac perſpicue, & efficaciter promulgandum, lucem acciperet; vel alij ſeu fideles in ſalute confirmarentur, ſeu peccatores ad pœnitentiam revocarentur, immiſſo in eos aliquo divinitus flagello; quod à Barzæo ſanctiſſimo Loyolæ ſodali aliquando factum eſſe Ormuſiæ ſupra recitavimus. Extant & Cypriani & Origenis non pauci ad plebem fidelem tractatus, qui ſatis loquuntur alienam fuiſſe ab hoc more ſæculi illius, id eſt tertij, jam adulti Eccleſiam. Ac ne forte putes id vel auctorum, vel notariorum & librariorum oblivione, aut negligentia prætermiſſum fuiſſe, obſervandum eſt multas hujus generis pro intelligentia verbi divini cœlitus impetranda preces in illis ſermonibus, ſive homiliis reperiri; omnes ad Deum; plane nullas ad Vrginem, vel ad cæteros Divos. Neque nos ad rem illuſtrandam exempla congerere pigebit, Origenes in hanc rem plurima ſunt. Interdum ſe, ſimul ac auditores, ad hoc officium excitat; idque orationem aliquando concludens, alias vero exordiens. Homiliam concludens; vt in Geneſim, *Omnipotentis Dei miſericordiam deprecemur, qui nos non ſolum auditores verbi ſui faciat, ſed & factores.* In Exodum; *Poſcamus à Domino, vt quæ perfecta ſunt ipſe nobis revelare dignetur per Chriſtum Ieſum Dominũ noſtrum.* In Leviticũ *Meditantes in his, & hæc die ac nocte ad memoriã revocantes & orationi inſtantes ac vigilantes in ea, deprecemur Dominum, vt nobis ipſa horum, quæ legimus ſcientiam revelare dignetur.* In Numeros; *Oremus autem Dominum, vt nobis etiam ad cætera, quæ ab eo* (Balaamo) *prophetata ſunt, intelligenda lucidiores quoſq; & veritati proximos ſenſus aperire dignetur, vt in Spiritu Sancto conſiderantes, quæ per Spiritum ſcripta ſunt, & ſpiritalibus ſpiritalia comparantes, digne Deo & Sancto Spiritu, qui hæc inſpiravit, quæ ſcripta ſunt explicemus.* Iterum; *Hæc ſunt quidem quæ ſcripta ſunt; ſed orandus eſt nobis Deus, vt intellectum dare dignetur ſe dignum, quo hæc vt decet de Dei verbis intelligere poſſimus, & advertere.* In Ioſuam; *Ita ergo & nos fide plena opera perfecta, indeſinentes orationes, meditationem verbi divini, intelligentiam ſpiritalem colentes, & in his omnibus velut armis Dei muniti, ſtemus adverſus aſtutias diaboli, invocantes Deum adjutorem noſtrum in Chriſto Domino noſtro.* Item; *Sed deprecemur potius Dei omnipotentis miſericordiam, vt ſuo lumine, ſua veritate, ſuo ſplendore, omnes nos illuminare dignetur, & dare lucernam pedibus noſtris verbum ſuum, & lumen ſemitis noſtris ipſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eſt vera lux mundi.* Item; *Ipſum Dominum deprecemur, vt eyciens à nobis malas cogitationes, bonas inferat, dignas Hieruſalem civitate cœleſti.* In Iudices; *Pugnemus & nos in hymnis, & Pſalmis, & Canticis ſpiritalibus concinentes, & clamantes ad DEVM, vt ab ipſo victoriam conſequi*

CAPVT XIII.

Orig. in Gen. hom. 2. p. 17.
Id. in Exod. hom. 11. p. 95.
Id. hom. 6. in Lev p. 136.
Id. in Num. hom. 16. p. 236.
Id ibid. hom. 24. p. 264.
Id. in Ioſ. homil. 16 p. 321.
Ib. hom. 17. p. 322.
Ib. hom. 21. p. 329.
Id. in Iud. hom. 9 p. 35

CAPVT XIII.

mereamur in Chriſto Ieſu Domino noſtro. In Ezechielem; *Omni corde precemur Deum, vt det nobis vſque ad finem & animi & corporis niſu pro veritate contendere.* Item, *Attentius Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum cum Patre ſuo precemur.* In Lucam; *Magnus eſt, Dominus noſter Ieſus, & preſens & abſens, tribuitque conſortium fortitudinis ſuæ huic cœtui noſtro atque conventui, quod vt & ſinguli mereamur accipere, deprecemur Dominum DEVM.* Et in eodem opere; *Quapropter conſurgentes laudemus Dominum, & fiamus pro carnali Iſraël, ſpiritalis Iſraël. Benedicamus omnipotenti Deo opere, cogitane, ſermone in Chriſto Ieſu.* Iterum de Domino Chriſto; *Vt igitur & nos audiamus eum, & proponat nobis quæſtiones, quas ipſe diſſolvat, obſecremus illum, & cum labore nimio & dolore quæramus, & tunc poterimus invenire quem quærimus.* Mox concludens; *Quia igitur Salvator Creatoris eſt Filius, in commune Patrem Filiumque laudemus.* Item; *Et nos igitur obſecremus Deum, vt ſi quando fuimus lapides, vertamur in Filios Abrahæ.* Item; *Oremus igitur Dominum, vt ſimus ædificium, quod tempeſtas nulla ſubvertat, fundatum ſupra petram, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Item, *cui* (Domino Ieſu) *gaudeamus nos eſſe ſubjectos, & deprecemur Dominum, vt regnans peccatum in corpore noſtro mortificet, & regnet in nobis ſolus Chriſtus Ieſus.* Item; *ſurgamus, precemurque Deum, vt auferat à nobis regnum inimici, & poſſimus ſub regno eſſe omnipotentis.* Et in homilia ſequente; *Propterea Domini miſericordiam deprecemur, ne nobis tacentibus lapides clamitent, ſed loquamur & laudemus Deum in Patre & Filio & Spiritu Sancto.* Item, *Surgamus ergo diluculo, & obſecremus Dominum, vt ſaltem micas, quæ de menſa ejus cadunt, comedere poſſimus.* Et in homilia hujus in Lucam operis vltima; *Quapropter ſurgentes oremus Deum, vt digni ſimus offerre ei munera, quæ nobis reſtituat, & pro terrenis cœleſtia largiatur in Chriſto Ieſu.* Sed præ cæteris inſignis eſt & ſingulari attentione obſervanda homiliæ in Lucam decimæ quintæ clauſula, vbi Origenes enarrata Symeonis adoratione parvulo Ieſu à Matre in templum allato, & oblato exhibita, ejuſdemque gratulatione, ſic deſinit; *Vt igitur & nos ſtantes in templo, & tenentes Dei Filium, amplexanteſque eum, digni remiſſione, profectione ad meliora ſimus, oremus omnipotentem DEVM, oremus & ipſum parvulum IESVM, quem alloqui & tenere deſideramus in brachiis.* Hic ex Latinorum certe diſciplina, omnino addendum erat, *Oremus & Ieſu matrem, quæ parvulum Deo obtulit, vt ei nos offerat, ejuſque nobis gratiam ac favorem promereatur ac conciliet.* Horum, quæ Latini omnes in eo loco dicerent, nihil apud vetuſtiſſimum hunc ſcriptorem legitur, quia ſcilicet ejus ævo nullus adhuc mos erat Divam matrem orare. Atque ita quidem Origenes homilias ſuas claudit. Sed ne in earum quidem exordiis alium, quam Deum precatur. Septimam in Geneſin ſic orditur; *Moïſes nobis legitur in Eccleſia, Deprecemur Dominum, ne ſecundum verbum Apoſtoli, etiam*

Id. in Ezech hom. 10. p. 316.
Ib. hom. 12. p. 658.
Id. in Luc. hom. 6 p. 215.
Ibid. hom. 12. p. 221.
Ib. hom. 18. p. 229.
Ib. hom. 22. p. 233.
Ib. hom. 26. p. 237.
Ib. hom. 30. p. 240.
Ib. hom. 37. p. 248.
Ibid. hom. 38. p. 249.
Ibid. hom. 39. p. 250.
Id. in Luc. hom. 15. p. 225.
Orig. in Gen. hom. 7. p. 27.

apud

apud nos cum legitur Moïſes, velamen ſit poſitum ſuper cor noſtrum. Item CAPVT
alibi; *Per ſingulas quaſque lectiones cum legitur Moïſes, orandus eſt* XIII.
nobis Pater Verbi, vt impleat etiam in nobis illud quod in Pſalmo ſcri- Ib. hom. 12. p.
ptum eſt, Revela oculos meos, & conſiderabunt mirabilia de lege tua. 40.
Sic etiam in Leviticùm diſſerere incipiens; *Ipſe nobis Dominus, ipſe*
Sanctus ſpiritus deprecandus eſt, vt omnem nebulam, omnemque caligi- Id. in Lev. hom. 1. p. 106.
nem, quæ peccatorum ſordibus concreta, viſum noſtri cordis obſcurat,
auferre dignetur, vt poſſimus legis ejus intelligentiam ſpiritualem & mira-
bilem contueri. Et in alia ejuſdem operis parte; *Invocantes Deum,* Ibid. hom. 5.
qui fecit Scripturæ animam, & corpus, & Spiritum, &c. eam nunc quam p. 124.
diximus, legis animam requiramus. Et alibi iterum; *Verum quoniam* Ib. in Lev.
lex ſpiritalis eſt, petamus à DOMINO (ſi tamen converſi ſimus ad hom. 13. p.
Dominum.) auferri nobis velamen de lectione veteris teſtamenti. Sic etiam 167.
in Numeros; *Quinta hæc nobis* (inquit) *eademque vltima Balaam* Id. in Num.
viſio diſcutitur, de qua ſimiliter, vt in cæteris, Dominum deprecemur, hom. 19. p.
quo in fine non deſerat, vt poſſimus huius quoque viſionis ſenſum haud 244.
procul à veritate capere. Item; *Hoc potius facere debemus, vt oculos*
mentis noſtræ convertamus ad eum, qui hæc ſcribi juſſit, & ab ipſo horum Ib. hom. 27. p. 274.
intelligentiam poſtulare. Sed Origenes etiam in medio ſermone has &
ſimiles ad precandum exhortationes miſcet, ſemper eodem modo
Deum, non alium vllum orandum monens; at in Geneſin, cum ſe ad
hæreticorum quoddam dogma refellendum accingeret, *Nos ergo* Id. in Gen.
prius (inquit) *Dominum deprecantes & veſtris orationibus adjuti, ag-* hom 4 p 23.
grediamur contra eos prælium verbi; Et in Numeros, *Hiſtoria quidem* Id. in Num.
manifeſta eſt, ſed deprecemur Dominum, vt aliquid dignum poßimus in- hom. 12. p 219.
terioribus ejus ſenſibus invenire. Et in eodem opere; *Oremus autem* Ibid. hom. 26.
Dominum, vt auferatur velamen à cordibus noſtris de lectione veteris p. 271.
Teſtamenti, vt ea quæ abſcondita ſunt & occulta in Moïſis litteris videre
poſſimus. Et paucis verſiculis interjectis iterum; *Nos autem oremus* ibid.
ex corde Verbum Dei, qui eſt vnigenitus ejus, & qui revelat Patrem,
quibus vult, vt & nobis hæc revelare dignetur. Sic etiam in Iudices;
Propterea ergo fratres, deprecemur Dominum, confitentes ei infirmitatem Orig. in Iud. hom. 7. p. 351.
noſtram, ne nos tradat in manus Madian. Et alibi; *Experiamur* (in-
quit) *& nos hoc facere, deprecantes Deum, vt det nobis reſinam rationa-* Id. in Hier.
bilem. Item in Ezechielem; *Verum Domini deprecemur auxilium, vt* hom. 2 p. 579.
infirmos habeant conatus tanti adverſarij contra humanam animam di-
micantes. Mitto alia ejuſdem generis non pauca. Eſt vbi Origenes
vnus vel precatur, vel ſe ad precandum ipſe vrget; Eſt & vbi audi-
torum in precibus auxilium atque opem poſcit. Sunt hæc prioris ge-
neris; Cum in myſterij cujuſdam intelligentia laboraret, *Dominum* Id. in Lev.
meum Ieſum (inquit) *invocare me oportet, vt quærentem me faciat inve-* hom. 5. p. 128.
nire, & pulſanti aperiat. Cum ſibi ad fœnerandam pecuniam credi-
tam eſſe à Domino dixiſſet; *Ipſum* (inquit) *rogabo, vt verbum meum* Orig. in Exo. hom. 13. p.
ſuam pecuniam facere dignetur, vti non meam pecuniam, non meum au- 101.

rum

CAPUT XIII. *rum vobis; ſed ipſius fænerem.* Et ibidem poſt multa; *Domine Ieſu*
(inquit) *præſta mihi, vt aliquid monumenti habere merear in taberna-*
Ib. p. 142. *culo tuo.* Iterum alibi ad hoc exemplum; *Præſta mihi*(inquit) *Chriſte,*
Orig. in Ezech. hom. 3. p. 27. *vt diſrumpam cervicalia in animarum conſuta luxuriam.* Et in eodem
in Ezechielem opere; *Ne auferas nos Deus omnipotens de* medio po-
Ib. hom. 4. p. 6. puli tui; verum conſerva nos *in populo tuo.* Item; *Omnipotens Deus,*
& nobis tribue, vt digni efficiamur corona glorificationis, ſuper caput no-
Ib. hom. 6. p. 4. *ſtrum.* In ſequentibus preces auditorum poſcit; vt in Leviticum;
Id. in Levit. hom. 6. init. p. 132. *Nobis*(inquit) *ad hæc exponenda non humani ingenij viribus nitendum*
eſt, ſed orationibus & precibus ad DEUM fuſis. In quo etiam veſtri
adjutorio indigemus, vt Deus pater verbi det nobis verbum in adaper-
tionem oris noſtri, vt poſſimus conſiderare mirabilia de lege ejus. Iterum
Ib. hom. 9. p. 15. in eodem opere; *Sed videamus* (inquit) *primo quid ſibi velit litteræ*
ipſius continentia, aut orantibus vobis, ſi tamen ita DOMINO ſuppli-
cetis, vt exaudiri mereamini, poſſimus accipere gratiam ſpiritus. Item;
Ib. hom. 12. p. 164 *Hic* (inquit) *Scripturæ locus difficillimus eſt ad explanandum. Sed ſi*
orationibus veſtris Deum Patrem verbi deprecemini, vt nos illuminare
dignetur, ipſo donante poterit explanari. Denique in libro Regnum
Orig. in I. Reg. hom. un. p. 357. vel, vt Hebræi vocant, Samuelis; *Deprecor autem*(inquit) *vos om-*
nes, vt quoniam ſenſum tam difficilium rerum conamur aperire, & ea quæ
velamine obtecta ſunt, Eccleſiæ auribus pandere (in lectione enim vete-
ris teſtamenti, ſicut dicit Apoſtolus, velamen eſt poſitum) precibus
à Domino poſtuletis, vt dignetur nobis ad ſe converſis auferre velamen,
& de hac lectione quam habemus in manibus, & planius nobis reſerare,
quæ tecta ſunt. Præter hæc, quæ per ſe ſatis ſunt, illud etiam obſervo
hunc virum, dum *orationem* docet ad Scripturas intelligendas eſſe ne-
ceſſariam (quod non ſemel facit) nunquam orationis ad Matrem
Virginem meminiſſe (quod tamen erat alicubi monendum ſi de ea
idem cum noſtris Latinis ſenſiſſet) ſed vnius, vt alibi ſemper, ad Deum
orationis; exempli cauſa vbi in caput Geneſeos viceſimum quintum
Orig. in Gen. hom. 11. p. 40. diſſerens ſignificat ad Scripturam intelligendam *aſſidue in ea meditan-*
dum eſſe, inquirendum, diſcutiendum, tractandum, & certe quod maxi-
mum (inquit) *eſt, Deum orandum, & ab ipſo poſcendum intellectum, qui*
docet hominem ſcientiam. Et vbi multa de velamine Moſis in Exodum
philoſophatus, *Unde* (inquit) *oſtenditur non ſolum ſtudium nobis ad-*
Id. in Exod. hom. 13 p. 100. *hibendum eſſe ad diſcendas litteras ſacras; verum & ſupplicandum DO-*
MINO, & diebus & noctibus obſecrandum, vt veniat Agnus de tribu
Iuda, & ipſe accipiens librum ſignatum dignetur aperire. Sed hæc ſatis.
Cum ergo Origenes tam multis paſſim locis homiliarum ad plebem
ſuarum Deum, vel ipſe invocet, vel auditores invocare jubeat, eaque
loca notarij & librarij omnia deſcripſerint, dubitandum non eſt, ſi quo
ille in ſermone Divam Virginem invocaſſet, quin hoc quoque iidem
ſcripturi & ad nos propagaturi fuerint. At in tanto locorum nume-
ro, quibus in illius homiliis de precibus & orationibus fit mentio,
plane

planc nullus reperitur, in quo quicquam legatur de Matre Virgine vel invocata, vel invocanda. Non alias Origenes iniſtis omnibus locis preces vel fecit ipſe, vel ab auditoribus popoſcit, vel omnino memoravit, niſi ad *Deum*, ad *Dominum*, ad *Patrem verbi*, ad *Ieſum*, ad *Spiritum Sanctum*. Ergo & illud quoque verum eſt, quod nos diximus, nondum fuiſſe ejus ſæculo (id eſt Chriſtianiſmi tertio) hunc Eccleſiarum noſtrarum morem, vt Virginem in ſuis concionibus invocarent (quod nunc Latini nunquam omittunt.) Nemo enim opinor dixerit Origenem in tam multis, quas ad populum habuit, homiliis, conſtanter eum vſum fuiſſe prætermiſſurum, qui eſſet aliorum omnium Chriſtianorum doctorum ac concionatorum communis. Quod vero iſta Virginis & Divorum invocatio tali loco ac tempore omiſſa à vetuſtiſſimis illis Theologis fuerit, id invicto argumento eſt eam illis ſæculis fuiſſe noſtris ignotam & inauditam; quam ſcilicet ſi ſciviſſent, tam opportuno, tam neceſſario ad ædificationem Eccleſiæ loco non erant prætermiſſuri, vt & rei ipſius ratio, & Latinorum exemplum docent. CAPVT XIV.

CAPVT XIV.

Argumentum XII. Quod in publico Eccleſiæ, extra Euchariſtiam, cultu Divos precibus, hymniſque colere, Latinis quidem ſolenne, vetuſtiſſimis vero Chriſtianis inſuetum, & ignotum ſit, vni Soli Deo tum preces, tum hymnos dicere inſtitutis; quod ex vtrorumque interſe collatis tum Ritualibus, tum aliis libris, demonſtratur.

SED præter Miſſam & prædicationem, alia etiam ſunt apud Latinos Eccleſiaſtica religioſi cultus officia, quæ certis lectionibus, orationibus, Pſalmis atque hymnis continentur; eaque in omnibus illorum non modo Eccleſiis, ſed etiam religioſorum familiis vel omnia, vel certe aliquam eorum partem pro locorum & perſonarum ratione ſingulis totius anni diebus, non veſpertinis modo & matutinis temporibus, ſed etiam aliis diei ſtatis, ac vt loquuntur *canonicis* horis celebrari ſolenne eſt. Id officiorum vaſtum ſane ac longe lateque patens genus, qui *Breviarij* dicitur liber ſpiſſus & prægrandis exhibet. Iam & hic quoque cernere eſt, etiam multo, quam in Miſſis, vberius atque liberalius ſe explicantem & profundentem Latinorum in Divos Divaſque religionem. Nulla enim anni dies, nulla diei ſolennis hora labitur, qua non vel omnes, vel certe eorum aliquem vel prece, vel voto, vel hymno, vel aliquo denique *duliæ* aut *hyperduliæ* honore colant. Immenſum eſt omnia ſigillatim perſequi. Ego in genere præfatus moroſiſſimæ hujus diſciplinæ nullum in vetuſtiſſimis

GGg primo-

CAPVT XIV. primorum Chriſtianorum monumentis extare veſtigium, pauca ad ſpecimen libabo, ſi qua præſertim ſunt, quæ cum antiquiſſimorum fidelium moribus ac ritibus comparari poſſint. Principiò illud in hoc genere memorabile eſt, quod cum totam diem in certas horas huic ex ſequendo officio partiantur, *primam, tertiam, ſextam, nonam, veſperam, completorium, nocturnum, ac matutinum,* hanc in Breviarij limine de omnibus figunt regulam, *Oratio Dominica*, Pater noſter, *& ſalutatio Angelica,* Ave Maria *ſemper dicuntur ſecreto ante omnes horas; præterquam ad Completorium; in cujus fine ſtatim poſt orationem B. Mariæ dicitur* Pater noſter, Ave Maria, *&* Credo, *totum ſimiliter ſecreto.* Illud non repeto quod ſupra dixi, non modo clericos aut monachos, ſed omnes omnino fideles cujuſcumque ſexus, aut ſtatus, ter quotidie apud Latinos ad venerandam Angelica illa oratione Virginem excitari, ac compelli mane, meridie, veſpere; idque non ſine myſterio; Terna enim illa Virginis tribus diei horis adoratione tria nobis maxima Chriſtianiſmi myſteria in memoriam revocari; matutina quidem Chriſti Domini reſurrectionem, meridiana Paſſionem, Veſpertina Incarnationem; vt docent Bellarminus, Caniſius, & alij. Sed præter ſalutationem illam Angelicam, multæ aliæ toto anno fiunt in cultu Latinorum Eccleſiaſtico ad Divam Virginem preces. A veſperis Sabbati ante Dominicam primam adventus, vſque ad Purificationem incluſive, dicitur hæc Antiphona [a];

Breviar. in Rubric. gener. c. 32. §. 1.

Bell. Catech. expoſ. Av. Mar. p. 105.

a *Breviar. p. 135. B.*

Alma Redemptoris mater, quæ pervia cæli
Porta manes, & ſtella maris, ſuccurre cadenti.
Surgere qui curat, populo, Tu, quæ genuiſti
Natura mirante, tuum ſanctum genitorem,
Virgo prius, ac poſterius, Gabrielis ab ore
Sumens illud Ave, peccatorum miſerere.

POST Purificationem vſque ad Cœnam Domini excluſive, canitur; *Ave Regina cælorum, Ave Domina Angelorum, Salve radix, ſalve porta, Ex qua mundo lux eſt orta; Gaude Virgo glorioſa, Super omnes ſpecioſa, Vale ô valde decora, Et pro nobis Chriſtum exora* [b]. A completorio Sabbati ſancti vſque ad nonam Sabbati poſt Pentecoſten incluſive dicitur, *Regina cæli lætare, Quia quem meruiſti portare. Reſurrexit ſicut dixit; Ora pro nobis Deum* [c]? Denique à primis veſperis feſti Trinitatis vſque ad nonam Sabbati ante adventum, dicitur illa, quam alibi ſupra exhibuimus, Antiphona, *Salve Regina, mater miſericordiæ* [d], &c. Illam plurimis & diebus & horis ſolennem ad eandem precem mitto; *Dei genitrix intercede pro nobis* [e]; & illam Antiphonam, quæ die feſto S. Mariæ ad nives dicitur, *Sancta Maria ſuccurre miſeris, juva puſillanimes,* &c. [f] Sed & ſacros Divę Virgini in illis ſuis officiis hymnos ſæpe canunt; vt illum die Auguſti XV. celeberrimum, jam ſupra à nobis deſcriptum, *Ave Maris ſtella Dei mater alma atque ſemper Virgo,* &c [g]. Huc quoque pertinet illud ex hymno

b *ibid p. 134. A.*

c *ibid.*

d *ibid. p. 134. B.*

e *ibid. p. 129. B*

f *ibid. p. 989. B.*

g *ibid. p. 1017. A.*

hymno ad Chriſtum tetraſtichum, quod in officio parvo D. Mariæ ad Completorium canitur; *Maria mater gratiæ, Dulcis parens clementiæ, Tu nos ab hoſte protege, & mortis hora ſuſcipe*[h]. Item in eodem officio hic hymnus; *O glorioſa Virginum ſublimis inter ſydera. Qui te creavit parvulum Lactente nutris vbere, Quod Eva triſtis abſtulit. Tu reddis almo germine. Intrent vt aſtra flebiles Cœli recludis cardines, Tu Regis alti janua, Et aula lucis fulgida. Vitam datam per Virginem Gentes redempta plaudite*[i]. Similes ſunt in quotidiano Eccleſiæ Latinæ cultu ad Divos & preces, & hymni; Ad Angelos, vt d. Maij VIII. in ſecundis veſperis ad *Magnificat*; *Princeps glorioſiſſime Michael Archangele, eſto memor noſtri; Hic & vbique ſemper precare Filium Dei*[k]. Et in feſto Angeli cuſtodis. *Sancti Angeli cuſtodes noſtri, defendite nos in prælio*, [l]. & quæ ſupra ad Miſſam deſcripta ſunt. Hymnus ad eoſdem canitur; *Cuſtodes hominum pſallimus Angelos Naturæ fragili quos Pater addidit Cœleſtis comites, &c. Huc cuſtos igitur pervigil advola Advertens patria de tibi credita. Tam morbos animi, quam requieſcere, Quicquid non ſinit incolas*[m]. Sic etiam ad Sanctos preces; in communi Confeſſoris & Pontificis; *Sacerdos & Pontifex & virtutum opifex, Paſtor bone in populo, Ora pro nobis Dominum*[n]. Item; *Doctor optime, Eccleſiæ ſanctæ lumen, Beate N. divinæ legis amator deprecare pro nobis Filium Dei*[o]. Die XI. Novembris, *Sacerdos Dei Martine, Paſtor egregie, ora pro nobis Deum*[p]. Die XXVII. Ianuarij *O Doctor optime, Eccleſiæ ſanctæ lumen, beate Ioannes Chryſoſtome, divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei*[q]. Hymni; vt ad Petrum; *Beate Paſtor Petre, clemens accipe Voces precantum, criminumque vincula Verbo reſolve, Cui poteſtas tradita aperire terris cœlum, apertum claudere*[r]. Ad Paulum. *Egregie Doctor Paule mores inſtrue, Et noſtra tecum pectora in cœlum rape*[s]. Ad Martinam; *Martinæ celebri plaudite nomini Cives Romulei, &c. Te thuris redolens ara vaporibus. Quæ fumat, precibus jugiter invocat*[t]. Ad Hermenegildum hymno extremo; *Nunc nos è ſuperum protege ſedibus; Clemens, atque preces, dum canimus tua. Quæſitam nece palmam, Pronis auribus excipe*[v]. Ad Ioannem Baptiſtam; *Vt queant laxis reſonare fibris Mira geſtorum famuli tuorum, Solve polluti labij reatum, Sancte Ioannes*[x]. Ad Thereſiam; *O caritatis victima Tu corda noſtra concrema, Tibique gentes creditas Averni ab igne libera*[y]. Ad Apoſtolos; *Vos ſæculorum judices Et vera mundi lumina Votis precamur cordium Audite voces ſupplicum; Qui templa cœli clauditis Seraſque verbo ſolvitis Nos à reatu noxios Solvi IVBETE quæſumus. Præcepta quorum protinus Languor ſaluſque ſentiunt, Sanate mentes languidas, Augete nos virtutibus*[z]. Hactenus vel ad ſingulos Sanctos, vel ad vnum eorum ordinem. At die omnibus ſacro, omnes vnà & precantur, & hymnis celebrant. *Angeli, Archangeli, Throni & Dominationes, Principatus & poteſtates, Virtutes cœlo-*

h ibid. offic. parv. B. Mar. p. 119. B.
i ibid. 126. B.
k ibid. feſt. Maj. p. 905.
l ibid. p. XCIII. B.
m ibid. p. CLXXXVII.
n ibid. p. LI. A.
o ibid.
p ibid. feſt. Nov. p. 1113. A.
q ibid. feſt. Ian. p. 839. B.
r ibid d. 18. Ian. p. 816. B.
s ib p. 8, 4. B.
t ib p. 843 A.
u ibid. d. 13. Apr. p. 878. A.
x ibid d. 24. Iun p. 29. A
y ibid. 15. Oct. p. 1095.
z ib. Comm. Apoſt. p. y.

CAPVT XIV. *cœlorum, Cherubim atque Seraphim, Patriarchæ & Prophetæ, Sancti legis doctores, Apoſtoli, omnes Chriſti Martyres, Sancti Confeſſores, Virgines Domini, Anachoretæ, Sanctique omnes Intercedite pro nobis* [a]. Hymnus vero ſic habet, *Placare Chriſte, ſervulis, Quibus Patris clementiam Tuæ ad tribunal, gratiæ Patrona Virgo poſtulat. Et vos beata per novem Diſtincta gyros agmina, Antiqua cum præſentibus Futura damna pellite. Apoſtoli cum vatibus Apud ſeverum judicem. Veris reorum fletibus Expoſcite indulgentiam. Vos purpurati Martyres, Vos candidati præmio Confeſſionis, exules Vocate nos in patriam. Chorea caſta Virginum, Et quos eremus incolas Tranſmiſit aſtris, cœlitum Locate nos in ſedibus. Auferte gentem perfidam Credentium de finibus, vnus omnes vnicum Ovile nos Paſtor regat* [b]. Sequitur & alter eodem die hymnus, in quo & Ieſu & Mariæ & Divorum ſuorum laudes ita conjunctim canunt;

a ibid. d. 1. Nov. p. 1103 B.

b ib. p. 1103. A.

Salutis æternæ dator
Ieſu, redemptis ſubveni.
Virgo, parens clementiæ
Dona ſalutem ſervulis.
Vos Angelorum millia
Patrumque cœtus, agmina
Canora votum, vos reis
Precamini indulgentiam.
Baptiſta Chriſti prævius
Summique cœli claviger,
Cum cæteris Apoſtolis
Nexus reſolvant criminum.
Cohors triumphans Martyrum,
Almus ſacerdotum chorus,
Et virginalis caſtitas
Noſtros reatus abluant.
Quicumque in alta ſydeum
Regnatis aula Principes,
Favete votis ſupplicum
Qui dona cœli flagitant [c].

c ibid. p. 1113. A.

Sed hæc quidem de Eccleſiaſtico Divorum apud Latinos cultu vereor ne ſint plus ſatis. Orationes, quibus eorumdem auxilium non ab ipſis recta, ſed à Deo poſcunt, prudens mitto; quod earum exempla ex Miſſa abunde nuper attulerimus; quæ & in hoc Breviarij officio reperiuntur pæne innumerabilia. Hic illi & aliis ejuſdem generis ſexcentis per annum totum jugiter noctu diuque Divos Divaſque cœlites ſane accuratiſſime colunt. Hæc aſſidue legunt ac recitant; in his occupantur, ac conſeneſcunt. His omnium Eccleſiarum laquearia omnibus horis perſonant. Hæc clerici ac monachi pæne aſſidue aut muſſitant aut cantillant, tanta religione, vt vitam iſti non magis ſine Breviario quam cæteri mortales ſine ſale & pane tolerare poſſe videantur. Ex quibus vt hoc obiter obſervem, patet, quam vere quamque verecunde Bellarminus & Perronius ſupra dixerint, ille quidem ſanctos à Latinis *ad hoc ſolummodo invocari, vt faciant id, quod nos facimus*, id eſt vt Deum pro nobis precentur; hic vero Divorum invocationem orationem eſſe qua oramus, vt *Deum orent pro nobis.* Atqui eos in ipſo ſuæ publico ac ſolenni Eccleſiæ cultu audivimus, à Divis petentes, non ſimpliciter, vt *pro ſe Deum precentur*, ſed diſerte vt *ſibi vincla reis ſolvant*, vt *criminum ſuorum vincula verbo reſolvant*, vt *ſe culpis ſolvant*, vt *nexus criminum ſuorum reſolvant*,

Bellar. l. 1. de Bea. Sanct. c. 17 Perr.

vant, vt *ſuos reatus abluant*, vt *à nobis animi morbos avertant*, vt *mentes languidas ſanent*, vt *corda caritatis igne concrement, ſeque virtutibus augeant*; Vt *mores ſuos inſtruant*, *ſuaque corda in cœlum rapiant*; Vt *ſibi lumen proferant, iterque tutum parent, & vitam præſtent puram ſeque mites & caſtos faciant*; Vt *mala ſua, vt antiqua, vt præſentia, vt futura damna pellant*, vt *gentes perfidas de ſuis finibus tollant*; Vt *ſe de cœlis ab hoſte protegant, & ab Averni igne liberent*; Vt *ſibi horum ſervulis ſalutem donent*, *ſeque mortis hora ſuſcipiant*, *ſibi cœli cardines recludant*, *ſe denique in ſedibus cœlitum collocent*; Hæc quæſo, talia ac tanta, vt ne à Deo quidem Opt. Max. majora, aut meliora poſci queant, à Matre Virgine, à cæteris Divis poſcere, flagitare, vt ea nobis præſtent, donent, efficiant, nihil-ne aliud eſt quam petere, vt Deum pro nobis precentur? Illud vero, quod Apoſtolos rogant *IVBERE noxios à reatu ſolvi*; eſt-ne, amabo, *rogare, vt ſupplicent, ac deprecentur?* Cui & alterum illud ad D. Virginem ſupra ex Miſſali à nobis deſcriptum ſimile eſt; *Iure matris impera Redemptori*. Nova plane iſta eſt, ac inaudita ſermonis figura, vt *jubere* ſit *deprecari*; ; vt *imperare* ſit *ſupplicare*, Sed illi viderint; Neque enim hoc nunc quidem agimus. Illud vnum contendimus harum ad Divos invocationum, quibus nunc omnis iſtorum Eccleſiaſticus cultus ſcatet ac redundat, plane nihil fuiſſe apud vetuſtiſſimos primi Chriſtianiſmi homines. Si negant; age, excitent nobis aliquem ſed de veris illius antiquitatis monumentis presbyterum, epiſcopum, diaconum (monachos, quod nulli adhuc eſſent, mitto) qui B. Mariam, vel vt ipſi vocant, *gratiæ matrem, dulcemq; clementiæ parentem* in Eccleſię cœtu precetur, vt *ſalutem* fidelibus *ſuis ſervulis donet?* qui à Martyribus, à Confeſſoribus, ab Apoſtolis mortuis vnum eorum aliquid, quæ nunc iſti omnia ab illis petunt, ſibi præſtari ſupplicet? qui vel hoc, quod nunc Latini ſemper in ore habent à Divo, vel à Diva aliqua petat, vt *pro ſe ores?* qui, quod multò etiam eſt levius, vel hoc ſaltem à Deo ipſo petat, vt ſibi Divos apud ipſius Majeſtatem pro ſe adhuc in terra conſtitutis deprecatores ac interceſſores habere liceat ac contingat. Atqui moveant illi omnem lapidem, & quantumlibet contendant, nullum ex veris quidem trium priorum ſæculorum monumentis, proferent vnquam, qui ita precetur, nedum vt ſolennes fuiſſe apud Eccleſiam hujuſmodi preces demonſtrare poſſint. Ego vero non fuiſſe, facile demonſtrabo. Ac primo quidem ex ipſis illis Iuſtini, Tertulliani, & Paſtoris locis, quæ ſupra deſcripſi. Non enim ſacrum iſtic Euchariſticum ſimpliciter deſcribunt; ſed quæ eſſet Chriſtianorum in genere conventuum ratio explicant, tum eorum, qui die Solis, tum agaparum quæ noctu fiebant, Atqui non alias iſtic apud eos orationes quam ad vnum Deum ac Dominum reperimus. Ergo nullæ niſi hæ in Eccleſiaſticis collectis fiebant; nullæ à Deo ad Divos fiebant. Itaque neque Plinius aliud de antelucanis noſtrorum cœtibus comperérat,

CAPVT XIV.

CAPVT XIV.

niſi quod in iis *Chriſto & Deo canerent*; vt Tertulliani verbis vtar. Itaque Clemens, vbi tradit quo animo & vir & mulier ad ſacros Chriſtianorum conventus procedere debeant, non ad alias preces jubet eos eſſe paratos, quam ad illas, quæ Deo offeruntur. *In Eccleſiam* (inquit) *virum & mulierem venire oportet honeſte indutos, ſimplici ac minime fucato inceſſu, ſilentiũ ſervantes, caritate non ficta praditos, caſtos corpore, caſtos corde, ad Deum precandũ aptos.* ἀπιτέον δὲ τὴν ἐκκλησίαν ἀπιέναι τὴν γυναῖκα καὶ τὸν ἄνδρα· ἐσταλμένους κοσμίως, ἀπλάστῳ βαδίσματι, ἡσυχίαν ἀσπαζομένους, ἀγάπην ἀνυπόκριτον κεκτημένους, ἁγνοὺς τὰ σώματα, ἁγνοὺς τὰς καρδίας, ἐπιτηδείους προσεύξασθαι τῷ ΘΕῷ. Cyprianus ad plebem ſuam abſens ipſe & exul ſcribens, & ſuas & plebis ad quam ſcribit, preces quotidianas memorat, ſed ad Deum; nullas ad Divos; *Preces* (inquit) *nobiſcum diebus ac noctibus Deo funditis*; & paulò poſt proprie ſuas; *Pro vobis* (inquit) *quotidie continuas DOMINO preces fundimus.* II. Sed idem quoque inde manifeſtum eſt, quod cum & Tertullianus & Clemens Alexandrinus tres illas diei horas canonicas tertiam, ſextam, & nonam precibus jam ab antiquis temporibus ſub veteri teſtamento peculiariter dicatas memorent, neuter de vllis ad B. Mariam, alioſve Sanctos orationibus moneat. Eas Tertullianus *vt inſigniores in rebus humanis, qua diem* (inquit) *diſtribuunt, qua negotia diſtinguunt, qua publice reſonant, ita & ſolenniores fuiſſe* dicit *in orationibus*, ſed *divinis*, id eſt vt liquet ad Deum fuſis; *ſalva* tamen *indifferentia ſemper & vbique & omni tempore orandi.* Clemens vero ait etiamſi *nonnulli certas ac definitas horas precationi conſtituant*, vt verbi cauſa tertiam, ſextam, nonam, ſuum tamen *Gnoſticum* (id eſt quem ſub hoc nomine deſcribit, virum in Chriſtianiſmo perfectum) *per totam orare vitam.* Quem ille oret, an vnum Deum, an vnà etiam Divos Divaſque, ſi aves ſcire, ipſe his paucis docet quæ continenter ſubiicit; *per preces* (inquit) *ſuas cum Deo verſari ſtudet.* εἰ δὲ τινες καὶ ὥρας τακτὰς ἀπονέμουσιν εὐχῇ, ὡς τρίτην φέρε καὶ ἕκτην καὶ ἐννάτην, ἀλλ' οὖν γε ὁ γνωστικὸς παρ' ὅλον εὔχεται βίον, δι' εὐχῆς συνεῖναι σπεύδων Θεῷ. Ergo neque alias quam ad Deum preces dicit. Neque Cyprianus, quo loco tres iſtas horas ipſe quoque veluti veterum ſub Moſis diſciplina ad hunc cultum ſolennes memorat, nobiſque mane inſuper orandum eſſe monet, quicquam de Virginis Matris, aut aliorum Divorum invocatione, velut ſolenni piorum ad eas horas officio, dicit; quod tamen ſi obtinebat, omnino iſtic dici debebat, vbi diſciplinæ noſtræ ſupra veterem incrementa docet; *orandi nunc & ſpatia & Sacramenta creviſſe* affirmans, nam & mane nunc orandum eſſe, & ſole ac die ceſſante imo & nocte; non vt olim, horis tantum tertia, ſexta, & nona. Quis non ſentit virum diſertiſſimum hic illud præterea ſi Divorum tum cultus obtinuiſſet, adjecturum fuiſſe, *Nunc & B. Virginem & alios Sanctos eſſe invocandos, cum antiquitus ſub veteri fœdere non alius invocaretur quam Deus?* Atqui nihil ille hujuſmodi ſcribit, Deum invocandum dicit *nonnulla à Chriſtianis*

Tertul. Apol. c. 2.

Clem. Al. Pædag. l. 3. c. 11. p. 255. D.

Cypr. ep. 40. p. 59. extr.

ibid p. 60.

Tertull. de ieiun. c. 10. p. 708. A.

Clem. Al. Strom. l. 7. p. 722. C.

Cypr. de orat. Dom. p. 229. 230.

ſtianis (inquit) *excipitur*, *quo minus frequenter ac ſemper DEUS debeat adorari*, *vt qui in Chriſto, hoc eſt in Sole & in die vero ſumus*, *inſiſtamus per totum diem precibus & oremus.* De precibus ad Divos, vt nihil alibi, ſic neque hic dicit. Neque Pſeudo-Clemens in Conſtitutionibus, vbi horarum ad precandum canonicarum meminit, & tribus illis mane, veſperam, & galli cantum adiicit de præmittenda cujuſque horæ officio ſalutatione Angelica, aut de poſcendo vel directe vel indirecte Divorum apud Deum patrocinio quicquam dicit. Quin & alio quodam loco, in quo matutinæ, & veſpertinę orationis, & ejus quæ ad prandium dicebatur, formas exhibet, omnes (quod paulò poſt demonſtrabimus) ad Deum directas edit; nullam ad B. Virginem, vel ad Divos. Id etiam apud illum ſcriptorem haud perfunctorie obſervandum eſt, quod orationem quidem Dominicam diſerte ac nominatim fidelibus commendat, eaque recitata, *Ad hunc modum* (inquit) *precamini ter ſingulis diebus.* τρὶς τῆς ἡμέρας οὕτω προσεύχεσθε. De oratione ad Mariam Angelica plane nihil præcipit. Quidni vero præciperet, ſi in vſu fuiſſet? Cur non vt Breviarij Latini auctor, ita & hic ſingularum horarum officio præmittendam eſſe vtramque ediceret? At hic vnam memorat Dominicam. Nimirum illam alteram neſciebat. III. Iam & hoc ipſum quod contendimus, eo confirmatur, quod quibus locis vetuſtiſſimi illi Chriſtiani, Martyras ea die, qua paſſi pro noſtro Chriſto erant, à ſe commemorari, & cum laude ac commendatione nominari dicunt; iis eoſdem à ſe invocari, nunquam dicunt. Cyprianus de Confeſſoribus; *Dies eorum, quibus excedunt, adnotate, vt commemorationem eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus.* Et mox ait à ſe in eo ſeceſſu *celebrari oblationes & ſacrificia ob commemorationes eorum.* Et alibi de Laurentino & Ignatio martyribus: *Sacrificia pro eis* (inquit) *ſemper, vt meminiſtis, offerimus, quoties Martyrum paſſiones & dies anniverſaria commemoratione celebramus.* Nemo non videt, ſi tum apud fideles Latinorum hodiernus in Divos cultus obtinuiſſet, omnino adjecturum fuiſſe his locis Cyprianum aliquid de Martyrum invocatione; dicturumque ſe eorum, non ſimpliciter, quod dicit, *commemorationem celebrare*; ſed etiam *preces & ſuffragia expoſcere*; neque illud modo, quod ait *ſe pro iis ſacrificia offerre*, ſed etiam ſe iis preces ac ſupplicationes offerre. Hoc enim vt quivis intelligit, multo erat ad Martyrum honorem majus, atque magnificentius. Atqui id neque Cyprianus hoc loco dixit, neque vllus vel ejuſdem, vel ſuperioris temporis auctor vetus ſignificavit. Ergo concludendum eſt Sanctos primis illis ſæculis non in aliis publici & Eccleſiaſtici cultus partibus, magis quam in Euchariſtica Liturgia, fuiſſe vel directe; vel indirecte invocatos. Denique id nos clariſſime docet Conſtitutionum liber, pſeudepigraphus quidem ille, ſed tamen ad eam publicæ pietatis formam quam proxime effictus, quæ quarto ſæculo apud noſtros in vſu erat. Is autem ſcriptor non tantum

Caput XIV.

ibid. p. 230. med.

Clem. Conſt. Apoſt. l. 8. c. 34. p. 1034.

ibid. l. 7. c. 48. 49. 50.

ibid. l. 7. c. 25.

Cypr. ep. 37. p. 56.

Id. ep. 34. p. 53.

CAPUT XIV. tantum Liturgiā Euchariſticā, de qua diximus, ſed etiam alios cultus qui in noſtrorum conventibus in vſu erant, deſcribit. Primo in ſecunda operis parte jubet *ſingulos fideles Eccleſiam quotidie mane & veſpere frequentare*, vetans quemquam ea verbo-Dei anteponere, quæ ad hujus vitæ vſus pertinent. Chriſtianos autem dicit in ſuis illis matutinis ac veſpertinis cœtibus *Pſalmos cantaſſe, & preces feciſſe*; ac mane quidem cantatum fuiſſe Pſalmum LXII. (Hebræis LXIII.) veſpere verò CXL. (Hebræis CXLI.) Iubet autem vt potiſſimum die Sabbati & die Dominico ſtudioſius conveniant, *Deo laudem emittentes, qui fecit omnia per Chriſtum.* Iterum alibi die Dominico aſſidue conveniendum eſſe ſciſcit, *gratias* (inquit) *agentes Deo, & confitentes de beneficiis, quæ Deus per Chriſtum in nos contulit.* συνέρχεσθε ἀδιαλείπτως, εὐχαριστοῦντες τῷ Θεῷ, καὶ ἐξομολογούμενοι ἐφ' οἷς εὐηργέτησεν ἡμᾶς ὁ Θεὸς διὰ Χριστοῦ. Mox aliis quibuſdam interjectis, ſex orationes deſcribit, & quidem omnes ſatis prolixas in illis noſtrorum collectis, vt veriſimile videtur, recitandas, ſed omnes ad Deum, quarum prima eſt; *Æterne ſalvator noſter, Rex Deorum, qui ſolus es omnipotens*, &c. Αἰώνιε σωτὴρ ἡμῶν ὁ βασιλεὺς τῶν θεῶν, ὁ μόνος παντοκράτωρ, &c. Altera eſt, *Benedictus es Domine, Rex ſæculorum*, &c. Εὐλογητὸς εἶ κύριε βασιλεῦ τῶν αἰώνων, ὁ διὰ Χριστοῦ ποιήσας τὰ ὅλα, &c. Tertia eſt; *Magnus es, Domine omnipotens, & magna virtus tua*, &c. Μέγας εἶ κύριε παντοκράτωρ, καὶ μεγάλη ἡ ἰσχύς σου, &c. *Debet omnis homo ex intimo pectore TIBI per CHRISTUM laudem pro iis omnibus tribuere, cum propter te hæc omnia poſſideat.* Quarta eſt; *Domine omnipotens, tu mundum per Chriſtum fabricatus es*, &c. Κύριε παντοκράτωρ κόσμον κτίσας διὰ Χριστοῦ, &c. Hanc autem die Dominica dictam eſſe in cœtu fidelium illa verba ſtatim oſtendunt; *Quare feſtum reſurrectionis die Dominico celebrantes*, πανηγυρίζοντες, *in eo lætamur qui vicit mortem*, &c. Quinta eſt; *Qui promiſſa per Prophetas facta præſtitiſti*, &c. *tu Domine Deus; etiam nunc accipe preces labiorum populi tui ex gentibus*, &c. Ὁ τὰς ἐπαγγελίας τὰς διὰ τῶν προφητῶν πληρώσας, &c. αὐτὸς καὶ νῦν δέσποτα ὁ Θεὸς, πρόσδεξαι τὰς διὰ τῶν χειλέων δεήσεις τοῦ λαοῦ σου ἐξ ἐθνῶν, &c. Sexta denique eſt; *Agimus tibi gratias, Domine omnipotens, quod nunquam miſericordias tuas, tuaſque miſerationes adhibere nobis deſtitiſti*, &c. Εὐχαριστοῦμέν σοι περὶ πάντων δέσποτα παντοκράτορ, ὅτι οὐκ ἐγκατέλιπες τὰ ἐλέη σου καὶ τοὺς οἰκτιρμούς σου ἀφ' ἡμῶν, &c. Hæc ille, in quibus obſervandum eſt non modo harum orationum nullam ad aliquem Divum, vel ſaltem ad Divam Mariam eſſe directam; ſed iſtud etiam, quod nuſquam in his Latino ritu, vel præſidium, patrocinium, aut interceſſionem & ſuffragia ſanctorum à Deo depoſcunt, vel ei ob hos datos ſibi in cœlis patronos atque interceſſores gratias agunt. Atqui huic rei opportuniſſimus erat in poſtrema oratione locus, vbi inter divina beneficia pro quibus Domino gratias agunt, illud diſerte commemorant, quod *Angelos ſibi præfecerit*, ἀγγέλους ἐπιστήσας, inquiunt. Addidiſſet Pſeudo-Clemens, & *Ma-*

L. 2. Conſt. Ap. c. 59. p. 882. 883.

ib. l. 7. c. 31. p. 982. A.

ibid. c. 34. p. 983. D.

ibid. c. 35. p. 985. A.

ibid. c. 36. p. 986. C.

p. 987. B.

ibid. c. 37. p. 988. C.

ibid. D.

ibid. c. 38. p. 989. D.

ibid. c. 39. p. 990.

& Matrem Virginem, cæteroſque ſanctos ex hominibus cœlites patronos nobis apud te, & interceſſores conſtituiſti; ſi Latinorum de hoc Divorum cultu nova myſteria ſciviſſet. Sed illa ſcilicet nondum illo tempore nota noſtris hominibus erant. Idem ex iis orationibus patet, quas Conſtitutionum parens extra Euchariſtiam exhibet in ea, quæ Catechumenorum Miſſa dicitur; vbi Diaconus primo omnibus fidelibus denuntiat, *vt orent, pro iis dicentes, Domine miſerere. Pro catechumenis omnes Deum oremus, vt bonus & benignus Dominus, benevole eorum preces & obſecrationes exaudiat*; & quæ ſequuntur. Tum Epiſcopus alia oratione, ſed ad Deum quoque directa, benedicit; *Deus omnipotens, qui es ingenitus, inacceſſus, ſolus verus Deus, Deus & Pater Chriſti tui, vnigeniti Filij tui*, &c. ὁ θεὸς ὁ παντοκράτωρ, ὁ ἀγέννητος καὶ ἀπρόσιτος, ὁ μόνος ἀληθινὸς θεὸς, &c. Hinc dimiſſis catechumenis, Diaconus pro energumenis orandum edicit, *Intente omnes pro iis oremus, vt benignus Deus per Chriſtum increpet immundos & malos ſpiritus*, &c. Hic Epiſcopus pro iis ita Chriſtum precatur; *Qui fortem ligaſti, & omnia eius vaſa diripuiſti, &c. Vnigenite Deus, magni Patris Fili, increpa malos ſpiritus*, &c. ὁ τὸν ἰσχυρὸν δήσας καὶ πάντα τὰ σκεύη αὐτοῦ διαρπάσας, &c. μονογενὲς θεὲ μεγάλου πατρὸς υἱὲ, ἐπιτίμησον τοῖς πονηροῖς πνεύμασι, &c. Atque ſic dimiſſis energumenis, Diaconus tandem pro iis qui baptiſmum petunt, Deum orari ſic jubet; *Salvos fac & reſuſcita eos in gratia tua*; Σῶσον καὶ ἀνάστησον αὐτοὺς ἐν τῇ σῇ χάριτι. Hos deinde Epiſcopus brevi oratione Deo commendat; *Qui per ſanctos Prophetas prædixiſti iis, qui initiantur, Lavamini, mundi eſtote, & ſpiritualem regenerationem per Chriſtum inſtituiſti*. &c. ὁ προειπὼν διὰ τῶν ἁγίων σου προφητῶν τοῖς μυουμένοις. Λούσασθε, καθαροὶ γίνεσθε, καὶ διὰ τοῦ χριστοῦ νομοθετήσας τὴν πνευματικὴν ἀναγέννησιν, &c. His quoque pariter dimiſſis, Diaconus tandem pro pœnitentibus precandum omnes clara voce admonet, *vt benignus Deus cito eorum ſupplicationibus benigne exauditis, reſtituat eis lætitiam ſalutaris*, ἵνα ὁ φιλάνθρωπος θεὸς διὰ τάχος εὐμενῶς προσδεξάμενος αὐτῶν τὰς λιτὰς, ἀποκαταστήσῃ αὐτοῖς τὴν ἀγαλλίασιν τῆς σωτηρίας, &c. *Adhuc intente pro iis omnes dicamus Domine miſerere. Salva eos Deus & miſericordia tua ſuſcita*. ἔτι ἐκτενῶς πάντες ὑπὲρ αὐτῶν εἴπωμεν. Κύριε ἐλέησον. Σῶσον αὐτοὺς ὁ θεὸς καὶ ἀνάστησον ἐν τῷ ἐλέει σου. Quos Epiſcopus demum ſua ad Deum oratione & manus impoſitione ita Deo commendat; *Omnipotens Deus æterne Domine vniverſi, conditor & moderator omnium, &c. nunc accipe tuorum ſupplicum pœnitentiam*, &c. Παντοκράτωρ θεὲ αἰώνιε, δέσποτα τῶν ὅλων, κτίστα καὶ πρύτανι τῶν πάντων, &c. αὐτὸς καὶ νῦν πρόσδεξαι τὴν ἱκετείαν σου τὴν μετάγνωσιν. Hæc veteris Eccleſiæ extra Euchariſtiam ſacra Pſeudo-Clemens deſcribit; in quibus vt vides, plurimæ ſunt orationes; ſed plane omnes ad Deum; nulla ad Divos; ne ad Deum quidem vlla, in qua vel Virginis Matris, vel alicujus de cœlitum choro, *auxilium, præſidium, interceſſionem*, quod eſt Latinæ & actis & conſuetudinis, *indirecte*, à Deo ipſo petentes, invocent.

CAPUT XIV.

Conſt. l. 8. c. 6. p. 1006. C.

Ibid. p. 1007. B

ibid. D.

ibid. c. 7. p. 1008. B. C.

ibid. D.

ibid. c. 8. p. 1009. A.

ibid. D.

ibid. p. 1010. A.

ibid. c. 9. B. C

CAPVT XIV. Idem ſcriptor paulò poſt, veſpertinas, & matutinas Eccleſię preces exhibet; omnes ſimiliter ad Deum, nullas ad Divos. Diaconus in veſpertinis, ſive nocturnis jubet *ſurgẽtes implorare miſericordias Domini, & miſerationes ejus, Angelũ pacis, quæ honeſta & utilia ſunt*, &c. Tũ Epiſcopus; *Deus ſine origine & immortalis, auctor omniũ & procurator*, &c. Ὁ ἄναρχος θεὸς καὶ ἀτελεύτητος, ὁ τῶν ὅλων ποιητὴς διὰ Χριστοῦ καὶ κηδεμὼν, &c. Sic etiam in matutinis precibus, Diaconus denunciat, vt omnes Dominũ precentur, & ſuperiorũ ſimilia poſcant; &, *Nos ipſi* (inquit) *& alios mutuo Deo viventi per vnigenitum Filium ejus commendemus*; non per Matrem Virginem, aut Divos. Excipit Epiſcopus, &; *Deus* (inquit) *ſpirituum, & omnis carnis, cum quo nullus conferri poteſt, & qui nullius indiges*, &c. *nunc aſpice nos oculis benevolis*; Ὁ θεὸς ὁ τῶν πνευμάτων καὶ πάσης σαρκός· ὁ ἀσύγκριτος καὶ ἀπροσδεής. αὐτὸς καὶ νῦν ἔπιδε ἐφ' ἡμᾶς εὐμενέσιν ὀφθαλμοῖς, &c. Peracta oratione fideles vnà cum manus impoſitione Deo prece brevi commendat; *Deus fidelis & verax*, &c. *Reſpice populum hunc, hos qui tibi capita inclinarunt, & benedic eis benedictione ſpirituali. Cuſtodi eos, vt pupillam oculi; conſerva eos in pietate & juſtitia in Chriſto Filio tuo dilecto*, &c. De *Ave Maria*, vnde Latini & matutinas & veſpertinas preces ordiuntur, eam orationem vnà cum Dominica ante cæteras omnes præmittentes; non hoc magis loco, quam alibi quicquam habet vetuſtiſſimus Conſtitutionum parens. Hic omnino Eccleſiæ orat, ejus ſcriptoris temporibus, publicus in ſuis conventibus cultus; vnde omnes intelligunt ne tum quidem apud noſtros, ſolenne fuiſſe vel in liturgia Euchariſtica, vel extra etiam, Divos in ſuis collectis invocare, directe aut indirecte. Neutrius enim invocationis forma vlla reperitur apud hunc auctorem in tam multis, quas ſupra exhibuimus, Eccleſiaſticis orationibus. Cur autem ille vel hanc vel illam Divorum invocandorum ſpeciem omitteret, ſi erat ejus tempore apud noſtros ſolennis, cauſa nulla dici poteſt. Qui enim formam Eccleſiaſtici cultus ſe adeo accurate fuſeq; tradere præ ſe fert, quique tam multas ad Deum, & ad Chriſtum ejus orationes totas diligentiſſime deſcribit; cur ille, ne vno quidem verbo eas, quæ ad Divos vel *directe* vel *indirecte* fiunt, tangeret aut indicaret, ſi qua tum pars fuiſſent ejus cultus, qui à noſtris in ſolennibus Eccleſiæ collectis celebrabatur? Iam de hymnis ad Divos quid dicam, quos illi Latini diebus cujuſque memoriæ cultuique ſacris, tam multos canunt, vt ſupra ex eorum *Breviario* demonſtravimus? Hoc vero totum religioſi in Divos cultus genus vetuſtiſſimi Chriſtiani diſertiſſime teſtantur à ſuis moribus alienum fuiſſe, dum negant ſe hymnos alij, quam vni Deo canere. *Hymnos* (inquit Origenes) *in SOLVM Deum, vniverſorum Dominum canimus, & in Deum Verbum, ejus vnigenitum.* Ὕμνους εἰς ΜΟΝΟΝ τὸν ἐπὶ πᾶσι λέγομεν θεὸν, καὶ τὸν μονογενῆ αὐτοῦ θεὸν λόγον. Non ſunt ergo Latini, qui hymnos non in Deum SOLVM, ſed etiam in Divos, & in Matrem Virginem dicunt.

ibid. c. 36. p. 1035. B. *ibid. c. 37.* *ibid. p. 1036. B. C.* *ibid. c. 35. C.* *ibid. c. 39. p. 1037. B.* *Breviar. Rubr. gen. 15. 17.* *Orig. contr. Celſ. l. 8. p. 435. init.*

cœlorum, Angelorum, Sanctorum, orbis denique totius *Dominam*, vt illi loquuntur, ac *Reginam*; non ſunt inquam ij vetuſtiſſimæ illius Eccleſiæ conſecranei, cujus nomine hæc Origenes profitetur, cujuſque defenſionem adverſus Paganos toto hoc opere optimam atque eruditiſſimam ſcribit. Dictis facta, reſque ipſæ congruunt. Nam in illis Conſtitutionibus, quas modo evolvebamus, hymnos Deo quidem dictos à noſtris fuiſſe videmus; vt duos illos exempli cauſa Pſalmos, Græci Pſalterij LXII. & CXL. quorum priorem mane, poſteriorem veſpere in quotidianis noſtrorum ſacris cantari ſolitos audivimus; Divis vero dictum vllũ ab Eccleſia hymnum, nuſquam in toto opere docet, vel ſaltem innuit ejus auctor. Et Tertullianus ſupra narrabat in agapis *provocatos fuiſſe in medium Deo canere, vt quiſque de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio poterat*; Qui Divis canere, vel Divorum ſaltem Reginæ Virgini, *provocatus* ſit, equidem neminem neque apud hunc, neque apud vllum alium eorumdem temporum ſcriptorem reperio. Vnde & vero fuiſſe apparet, quæ de noſtrorum antelucanis cœtibus Plinius acceperat, eos *Chriſto & Deo ceciniſſe*; *Divis* quoque, præſertim Virgini Matri *ceciniſſe* eos, procul dubio auditurus, ſi & hoc verum fuiſſet. Neque vanum eſt, quod addit Tertullianus noſtros *de proprio* etiam interdum *ingenio*, non tantum de *Scripturis Sanctis Deo ceciniſſe*. Nam apud Euſebium Dionyſius Alexandrinus Nepotem, Epiſcopum Ægyptium; hoc etiam inter cætera nomine commendat, quod varios Pſalmos, ſive hymnos compoſuiſſet. Clementis Alexandrini hujus generis hymnus extat in calce Pædagogi, haud ſane Virgini Matri, vel alicui Divorum, ſed Chriſto Domino ſcriptus; Στόμιον πώλων ἀδαῶν, πτερὸν ὀρνίθων ἀπλανῶν, * Οἴαξ νηπίων ἀτρεκὴς, Ποιμὴν ἀρνῶν βασιλικῶν, Τοὺς σοὺς ἀφελεῖς Παῖδας ἄγειρον, Αἰνεῖν ἁγίως Ὑμνεῖν ἀδόλως· Ἀκάκοις στόμασιν Παίδων ἡγήτορα Χριστόν. Βασιλεῦ ἁγίων, λόγε πανδαμάτορ Πατρὸς ὑψίστου Σοφίας πρύτανι, & cætera & eruditiſſima & ſuaviſſima, quæ longe infra auctoris elegantiam ſic expreſſit interpres, *Frenum pullorum indocilium, Penna volucrum non errantium, Verus clavus infantium, Paſtor agnorum regalium, Tuos ſimplices Pueros congrega Ad ſancte laudandum, Sincere canendum, Ore innoxio Chriſtum puerorum ducem. Rex Sanctorum, Verbum qui domas omnia, Patris altiſſimi, Sapientiæ arbiter, Laborum ſuſtentaculum, Ævo gaudens Humani generis Servator Ieſu.* In fine hortatur omnes pios ad Chriũſt canendum, & ad pſallendũ *Deo pacis*. Ψαλλῶμεν ὁμοῦ θεὸν εἰρήνης. De Matre Virgine, de cæteris Divis nihil dicit. At Divos vel ab hoc viro, vel ab alio ejuſdem memoriæ, elucubratus hymnus nullus in omnibus trium priorum ſæculorum chartis invenitur. Et hoc ergo concluſum eſto Divos hymnis in veterum illorum collectis, non magis ſane quam precibus, Latino more cultos fuiſſe.

CAPVT XIV.

Conſt. Apol. l. 2 c. 59.

Tertul. Apol. c. 39.

Euſeb Hiſt. l. 7. c. 19 (Lat.) 24. (Gr.)

Clem. Alex. l. 3. Pædag. p. 266.

* *forte leg.* ἀπλανὲς *non errans.*

CAPVT XV.

Argumentum XIV. à Litaniis, ſive ſupplicationibus ad Divos; quæ in miniſtrorum Eccleſiaſticorum ordinationibus, in Regum coronationibus, in Eccleſiarum & altarium conſecrationibus, reliquiarum depoſitionibus, pœnitentiæ actibus, quadrageſima, in ſiccitatibus, mortalitate, bello, energumenorum curationibus, à Latinis quidem diligenter vſurpantur; vetuſtiſſimis vero Chriſtianis in hujuſmodi locis atque temporibus plane inuſitatæ, ac ignotæ fuerunt.

SED nunc alias perſequamur Eccleſiaſtici in Divos cultus partes apud Latinos ſolẽnnes, ſi forte earum aliquod apud vetuſtiſſimos Chriſtianos veſtigium deprehendi poſſit. Vix quicquam eſt *Litaniis* apud illos in hoc genere nobilius, aut ſanctius. *Litanias* autem vocant non vnam aliquam ad Divos vel ſingulos, vel vniverſos orationem; ſed longam & ſinuoſam ex plurimis tum ad Deum, tum ad Divos precibus, velut hamis, aut annulis inter ſe vna conſertis contextam (vt ſic dicam) catenam. Ejus vnum jam ſupra edidimus exemplum, Divæ ſcilicet Virginis litanias. Nunc & alteræ, quæ ſunt ad Divos, exhibendæ ſunt; vt res tota melius pernoſcatur. En eas ex Pontificali Romano & aliis Latinorum libris authenticis deſcriptas.

Pontif. Part. I. de ordine Subdiac. p. 22.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miſerere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix, Ora, &c.
Sancta Virgo Virginum, Ora.
Sancte Michael, Ora.
Sancta Gabriel, Ora.
Sancte Raphael, Ora.
Omnes Sancti Angeli, & Archangeli, Orate.
Omnes Sancti Beatorum Spirituum ordines, Orate.
Sancte Ioannes Baptiſta, Ora.
Omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ, Orate.
Sancte Petre, Ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Iacobe, ora.
Sancte Ioannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Iacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.

Sancte

Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.
Sancte Matthia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes Sancti Apoſtoli & Evangeliſtæ. Orate.
Omnes Sancti diſcipuli Domini, Orate.
Omnes Sancti Innocentes, Orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancti Fabiane & Sebaſtiane, orate.
Sancti Ioannes & Paule, Orate.
Sancti Coſma & Damiane, Orate.
Sancti Gervaſi & Protaſi, Orate.
Omnes Sancti Martyres, Orate.
Sancte Sylveſter, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambroſi, ora.
Sancte Auguſtine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Omnes Sancti Pontifices, & Confeſſores, Orate.
Omnes Sancti Doctores, Orate.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Franciſce, ora.
Omnes Sancti Sacerdotes & Levitæ, Orate.
Omnes Sancti Monachi & Eremitæ, Orate.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Anaſtaſia, ora.
Omnes Sanctæ Virgines & Viduæ, Orate.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercedite pro nobis.
Propitius eſto; parce nobis Domine.
Propitius eſto; exaudi nos, Domine.
Ab omni malo, Libera nos, Domine.

Cætera, quæ preces multas quidem, ſed omnes tamen ad Deum, continent, hic deſcribere, nihil opus eſt. Satis eſt, quod inſtituti noſtri fuit, quas ad Divos, de quorum cultu controverſia eſt, dicunt, eas hic bona fide repreſentaſſe. Vides quam multæ ſint, quam accuratæ, quam ſollicitæ, quanta arte inter ſe connexæ; Vt ab Angelis exorſi ad omnes Sanctorum ex hominibus cœlitum ordines decurrant; Vt nullum eorum genus, nullum ſexum, nullam ætatem, nullam artis aut muneris, aut diſciplinæ diverſitatem, prætermittant; Vt à ſummis per medios ad infimos gradatim deſcendant; Vt ad varietatem, credo, modo ſingulos, modo binos invocent; ac poſt ſingulos, binoſque ſtatim cujuſque ordinis vniuerſos ſimul & ſemel appellent, ne quis fortaſſe ſe contemptum, aut neglectum queri poſſet; Vides ne hac quidem cautione contentos vniverſa omnium genera vno nomine complectentes, illud poſtremo calidiſſimos homines addidiſſe, *Omnes Sancti & Sanctæ Dei intercedite pro nobis*; qua formula providerunt,

 ne

CAPVT XV.

ne cui fraus, vel injuria facta eſſe videretur; eadem plane ſolertia, qua
præter ſacros & ſingulis Divis aliquos totius anni dies, vnum inſuper
vniverſis dicarunt, qui Novembris primus eſt. Divorum enim nu-
merus in eam multitudinem & excrevit jam, & (adſit modo bonus
ac facilis, optimus ille Maximuſque Latinorum Pontifex, vnus omnis
hujus *divinitatis* arbiter ac diſpenſator) in poſterum quoque excre-
ſcet, vt omnes vel mente complecti difficile ſit; verendumque vi-
deatur ne eo tandem deveniatur, vt de Eccleſia Romana illud dici
poſſit, quod de civitate neſcio qua non invrbane à viro quodam Pa-
gano dictum olim fuiſſe audiri, *plures in ea Divos eſſe, quam homines.*
Harum autem Litaniarum vſus apud Latinos longe lateque patet in
cultu eorum Eccleſiaſtico. Eas enim adhiberi videmus in omnium
pæne Eccleſiæ Miniſtrorum ac præpoſitorum ordinationibus, ex Pon-
tificalis Romani præſcripto, vt in Hyppodiaconorum [a], Diacono-
rum [b], presbyterorum Epiſcoporum [c], Abbatum [d], Abbatiſſarum [e],
Virginum [f], ſive Monialium conſecrationibus. Ne ad primam qui-
dem *Tonſuram*, vel ad quatuor minores ordines (qui ſunt Oſtiario-
rum, Lectorum, Exorciſtarum, & Acolythorum) quiſquam abſque
Litaniis rite promovetur. Hos enim poſt benedictionem ita alloqui-
tur Epiſcopus; *Dicite ſemel ſeptem Pſalmos pœnitentiales cum Lita-
niis* [g]. Sed & in aliis multis vſurpantur; vt in coronatione Regis [h],
vel Reginæ [i]; in benedictione primarij lapidis Eccleſiæ [k], in conſe-
cratione altaris [l], in cœmeterii benedictione [m], in reconciliatione Ec-
cleſiæ [n], vel cœmeterij. Eaſdem quoque à Latinis cantari mos eſt,
quoties ad transferendas Sanctorum reliquias faculas ac cenſas geſtan-
tes procedunt, eos nominatim Divos, quorum reliquiæ transferun-
tur ſuo ordine invocantes *. Præcipue vero adhibentur, ac veluti in
ſua quadam maxime propria provincia regnant in omnibus pœniten-
tiæ actibus, qui quidem ſunt inſigniores. Die Cinerum initio Quadra-
geſimæ illa publicæ *pœnitentium* nobilis, velut Adæ extra paradiſum,
relegatio non peragitur ſine Litaniis [o], quæ canuntur in Eccleſia, dum
triſtis & toto ad ſeveritatem vultu compoſitus Pontifex miſeros exu-
les, manibus inter ſe conſertis flentes, quaſi lugubrem aliquam cho-
ream ducant, & candelas ad mœſtitię pompam geſtantes. Dextra prę-
ſultoris arrepta, æde ſacra eiicit; placare jubens, Eccleſiæque ingreſſu
ad quintam vſque Paſchalis hebdomadis feriam interdicens. At cum
illa tandem optatiſſima dies illuxit, miſerabilium exulum paci ac re-
ſtitutioni condicta, ne tunc quidem res tanta abſque Litaniis perfici-
tur, quas inprimis & ipſum Pontificē, & Clerum & populum vnà poſt
Pſalmos pœnitentiales dicere ſolenne eſt [p]. Hinc quoque eſt, quod
Litaniæ *omnibus* Quadrageſimæ ſextis feriis, præmiſſis ſeptem Pſal-
mis pœnitentialibus, dicuntur flexis genibus, quando officium fit de
feria [q]; quia ſcilicet quadrageſima ex Latinorum diſciplina commu-
nis quædam eſt omnium Chriſtianorum pœnitentia. Similiter quoque,
ſed

Pontif. Rom. P.1. de ordinat.

a p.22.A.
b p.29.B p.40.A.
c p.62.B.
d p.104.A
e p.121.A.
f p.136.B.
g p.74.A.
h p.164.B.
i p.181.A. 183.B.184.A.
k p.202.B.
l p.289.B.
m p.328.B.
n p.342.B. p.352.B.
* Ritua. Rom. p.454.
o Pontif. P.1. p.389.B.
p p.393.B.
q Breviar. Rom. in cōm. Sanct. p. 04.311.B.

CAPVT XV.

ſed abſque ſeptem Pſalmis, quotannis in ſolenni proceſſione, tum ea quæ Divo Marco ſacra eſt, tum in altera quæ fit per *Rogationum* dies, præeunte cruce, ſequente clero, ab omnibus vnà & ſacris & laïcis hominibus publicæ canuntur. Idem ſervatur ordo & ritus, quoties Latini ob cauſas, vt fit, extra ordinem incidentes, ſolemniter ac publice procedunt; vt in ſiccitatibus ad poſcendos imbres[s], vel in pluvijs ad impetrandam ſerenitatem[t], in tempeſtatibus ad avertenda fulmina, & ſedandam procellam[v], vel adverſus ſterilitatem & famem[x], peſtem & mortalitatem[y], bellum[z], & alia cujuſcumque generis adverſa[a]. Eodem pertinet, quod pro infirmis in vltimo vitæ agone verſantibus, quo maxime tempore vera pœnitentia affici homines decet Litanias breves à ſacerdotibus & circumſtantibus recitari ſolenne eſt[b]. Eadem cauſa eſt, cur ſacerdos ad energumenos purgandos Litanias quoque adhibeat, *eas flexis genibus, & aliis reſpondentibus* recitans[c]. Atque in his quidem Eccleſiaſtici cultus ſui locis Latini Litanias vſurpant; vnde quivis videt, quam late apud eos diffundatur Divorum cultus; quo & perſonas, vt clericos, Monachos, Reges, Reginaſque conſecrari; & res ipſas, vt Eccleſias, altaria, cœmeteria, & noua primum dedicari, & polluta poſtea reconciliari, & Sanctorum ipſorũ Reliquias in nouis locis reponi mos eſt, & pœnitentes redintegrari, & homines deniq; omnes, & viventes malis vel vrgentibus vel imminentibus curari, & morientes ex hac vita dimitti. Nũc videamus, an vetuſtiſſimorũ Chriſtianorum in paribus temporibus ac locis par quoque ritus, vſuſque fuerit. Hic vero non requiro, vt eos tu exhibeas in alicujus vel Regis Reginæve coronatione, vel Abbatis, Abbatiſſæve benedictione, vel in die Cinerum & in Quadrageſimæ ſextis ferii, vel in Marci feſto, vel in Rogationibus denique Litanias cantantes. Rem iniquam poſcerem, ſi iſta de primis ad a. D. 300. Chriſtianis poſcerem; apud quos non Abbates magis aut Abbatiſſæ, quem Reges aut Reginæ fuerunt; Neque, vt opinor, facile fuerit ſacros Cineres, aut quadrageſimam, aut Rogationes, aut Marci feſtum apud eoſdem reperire. Neque illud ſane flagito, vt hoc ipſum ſacrarum precum per ſuos ordines ſuaſque ſeries diſpoſitarum textum, quo Litaniæ Latinæ conſtant, tu mihi ex veteribus repræſentes. Hoc Latinorum elegantiæ concedamus, vt iis ſolis poſt multa demum ſæcula datum ſit Divorum ſupplicationes in eam formam contexere, quæ iis digna eſt, ſingulorumque nomina ordinate & in ſuas claſſes, vt decebat, digerere. Hoc vnum requiramus, an in iis officiis quæ horũ Latinorũ ſimilia apud veteres erant, Divos vel omnes, vel aliquos invocati mos fuerit; ſi nõ *directe*, quod iſti nunc fas & liberũ putant, ſaltẽ *indirecte*, quod aliquãto levius ac tolerabilius videri poſſit. Ac de ordinationibus primũ videamus. In ipſo Actuũ Apoſtolicorũ limine occurrit Matthiæ in locũ Iudæ proditoris ſuffectio. Dignus erat locus, quo invocandorum ad ordinationes Divorum diſciplina imbueretur. Nam res ageba-

s *ibid. & in Ritual. Rom. p.422 424.*
t *Ritual p. 417.*
t *ibid. p. 418*
u *ibid. p. 435.*
x *ibid. p. 441.*
y *ibid p. 442.*
z *ibid. p. 445.*
a *ibid. p. 446.*
b *ibid. p. 208. & in Brevia. Comm. Sãct. p. CLXV.*
c *ibid. p. 458.*

CAPVT agebatur omnium in eo genere maxima; viri non in vulgare munus,
XV. ſed in ipſum Apoſtolatum eligendi cauſa, ad quam certe ſuis ſuffragiis adjuvandam novem illos Angelorum ordines excitari, & veterum Prophetarum recens in cœlum receptos Spiritus invocari, tam ipſa operis magnitudo, tum noſtra inſtructio atque vtilitas flagitabat. Atqui non alium, quam Deum ad rem tantam oraſſe Apoſtolos refert Lucas; Neque eum piguit ipſam illam, qua Deum convenerunt, orationem
Act. 1. 24 poſteris ad memoriam tradere. *Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende, quem elegeris ex his duobus vnum.* (Duo enim hujus Miniſterij veluti candidati fratrum conſenſu conſtituti exſpectabant, vtrum Deus eſſet aſſumpturus.) Sed fortaſſe adhuc rudes, nondum recepto de cœlis ſpiritu, Apoſtolos minus mirandum eſt nondum illas divinas Pontificalis Romani regulas ſciviſſe. Crederem, ſi poſt hauſtum cœlitus illum veritatis doctorem Paracleti ignem aliquos Divorum vel informes Litanias hujuſmodi operi adhibuiſſe viderem. Sed ne conſecutis quidem hunc baptiſmum temporibus Divos reperimus ab iis invocatos. Apoſtoli ſeptem Diaconos in Eccleſia Hieroſolymitana ordinarunt. Quomodo? *Orantes?* (inquit Lucas) *impoſuerunt eis manus.* *Oraſſe* autem *Deum*, nemo dubitat. Nihil de Divis
Act. 6. 6. addit divinus Scriptor; quorum ſcilicet in talibus invocandorum diſciplina nondum erat condita. Barnabam, & Paulum, cum ad gentes
Act. 13. 3. dimitteret Antiochena Eccleſia *jejunaſſe* dicitur, & *oraſſe*, & *manus iis impoſuiſſe*; Litaniam ad Divos, ne vnam quidem cantaſſe dicitur. Et Paulus atque Barnabas *conſtituiſſe* leguntur *per ſingulas Eccleſias preſ-*
Act. 14. 22. *byteros, & oraſſe cum jejunationibus, & commendaviſſe eos Domino*; Litanias ad Divos eam ad rem habuiſſe non leguntur. Denique *manus im-*
1. *Tim.* 4. 14. *poſitio*, in hoc ordinationis negotio, & ad *Deum oratio* memoratur;
2. *Tim.* 1. 6. de Divi vllius invocatione nullum in omnibus Novi Teſtamenti libris verbum eſt. Neque proximis Apoſtolici ævi temporibus quicquam hujuſmodi adjectum apparet. Itaque apud Pſeudo-Clementem
Clem. Recognit. l. 3. f. 24. B. Petrus Zachæum Cæſareæ Epiſcopum non aliter ordinaſſe narratur, quam *manibus ei ſuperpoſitis, orans vt inculpabiliter epiſcopatus ſui ſervaret officium.* Sed alter hoc haud paulo recentior ὑποβολεὺς, qui de *Clementis* & ipſe nomine luſit, multo clarius atque diſtinctius omne veterum ordinationum negotium explicauit. Eas enim omnes, & quæ ſingularum ſuo tempore forma eſſet ac ratio, diligenter in Conſtitutionibus Apoſtolorum ſuis perſcripſit; Lectorem quidem ordinari præcipit *manus impoſitione* ἐπιθεὶς αὐτῷ τὴν χεῖρα, *& oratione ad Deum*, καὶ ἐπευξάμενος πρὸς τὸν Θεὸν, quæ ſic habet, *Deus æterne multus in*
Conſt. Apoſt. l. 8. c. 22 p. 1027. D. *miſericordia & miſerationibus*, &c. *Ipſe nunc reſpice hunc famulum tuum, cui Scripturæ tuæ ſanctæ ad legendum eas populo tuo committuntur. Da ei Spiritum S. Spiritum Propheticum.* Neque aliter de hy-
ibid. c. 21. B. podiaconis præcepit; *Cum hypodiaconum ordinas Epiſcope, imponas ei manus, & dicas, Domine Deus, effector cœli & terræ, &c. & ipſe nunc*

reſpice

reſpice hunc famulum tuum, qui ad miniſterium hypodiaconi electus eſt, & tribue ei Spiritum ſanctum, &c. Eadem occurrunt in ordinatione Diaconi, quæ & ipſa quoque epiſcopali manus impoſitione & oratione apud hunc peragitur; Oratio autem hæc eſt; *Deus omnipotens, qui verax es, &c. exaudi orationem noſtram, &c. oſtende faciem tuam ſuper hunc ſervum tuum electum tibi ad miniſterium, & imple eum Spiritu ſancto & virtute, ſicut implevisti Stephanum protomartyrem*; & quæ ſequuntur. Preſbyteri eadem eſt ratio; Manu ejus capiti impoſita Deo ab Epiſcopo longa oratione commendatur; *Domine Omnipotens Deus noſter*, &c. quæ apud auctorem videat, qui volet. Neque apud hunc aliter ipſius Epiſcopi conſecratio tranſigitur. Vbi enim ad hoc munus totius cleri ac populi ſuffragiis, ac conſenſu delectum, nominatum, & approbatum fuiſſe Epiſcopis, qui convocati adſunt, conſtitit; tum vnus ex iis cum duobus aliis, *dicit ad Deum; Here, Domine, Deus omnipotens*, &c. *ipſe etiam nunc interceſſione Chriſti tui*, μεσιτείᾳ τοῦ χριστοῦ σου, ſuper nos *effunde virtutem Spiritus tui*, &c. *Da in nomine tuo, cognitor cordis Deus, huic famulo tuo, quem ad Epiſcopatum elegiſti, vt paſcat gregem ſanctum tuum, & vt Pontificatu tibi fungatur ſancte, inculpate, miniſtrans die ac nocte*; & cætera quæ plura ſequuntur. *Abbatum* & *Abbatiſſarum* nulla eſt apud hunc Διατάξ, ια conſecratio; quod inventum monachorum recens nullas adhuc certas ſuæ conſecrationis in Eccleſia formas haberet. Virginem auctor diſerte negat *ordinari* παρθένος οὐ χειροτονεῖται, quod id certamen ſit voluntatis, aut propoſiti, non Dei mandatum. γνώμης γάρ ἐστι τὸ ἔπαθλον, οὐκ ἐπιταγὴν Κυρίου ἔχει. Ac ne eporciſtam quidem (id eſt exorciſtam) ordinari monet, quod *id divinæ per Chriſtum gratiæ donum ſit*, & per adventum Spiritus ſancti, multo, ſi quid judico, rectius ac ſapientius, quam Latini, qui *exorciſtas* ordinant. De *oſtiariis* quoque & *Acolythis* merito, vt mihi videtur, tacet. Sed Diaconiſſam viciſſim, de qua Latinorum Pontificale nihil dicit, hic noſter ordinari diſerte præcipit, epiſcopali quoque manus impoſitione, & oratione; *Deus æterne, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c. ipſe etiam nunc reſpice hanc ancillam electam ad miniſterium, & da ei Spiritum, & mundam effice ab omni inquinatione carnis & ſpiritus*, &c. Atque hæc quidem Pſeudo-Clemens de præpoſitorum & miniſtrorum ordinationibus; ex quorum cum iis, quæ de Latinis diximus, comparatione ſole meridiano clarius eſt illas ad Divos Divaſque Litanias, & preces, quæ in iſtiuſmodi Eccleſiaſticis actibus apud hos vbique & ſemper occurrunt, eas non modo tribus primis Chriſtianiſmi ſæculis ignotas, ſed ne quarto quidem jam adulto, quo Conſtitutionum conditor vixit, cognitas aut vſitatas fuiſſe. Ac vt intelligas ne *indirecte* quidem tũ fuiſſe invocatam Divorum opem, illum in oratione pro Epiſcopo paulo ante deſcriptum locum obſerves velim, vbi poſcit ordinator virtutem Spiritus divini in electum effundi τῇ μεσιτείᾳ τοῦ χριστοῦ *interceſſione* vel *mediatione Chriſti*,

CAPUT XV.

ibid. c. 17. p. 1022. B.

ibid. c. 16. p. 1025. B.

ibid c. 5. p. 1004. D. 1005. B.C.

ibid. c. 24. p. 1028. C.

ibid c. 19. p. 1026. D. 1027. A.

CAPVT XV.

quale & illud eſt quod Diaconus poſt Euchariſtiæ confectionem fideles jubet per Chriſtum deprecari, vt Deus qui bonus eſt, ſuſcipiat oblatum munus *per Mediatorem Chriſtum*, vel vt reddidit Bovius, *intercedente Chriſto*, *διὰ τῆς μεσιτείας τοῦ Χριστοῦ per Chriſti interceſſionem.* Hic enim certe, ſi Latini ritus & dogmatis eſſet, illud quoque iſtis ſolenne adderet, *& per preces, vel merita Sanctorum*; quod nuſquam apud eum reperitur. Iam vt ad ſequentia progrediar, non videmus Imperatores, etiam à quo tempore Chriſtiani facti ſunt, ab aliquo epiſcopo fuiſſe ex Pōtificalis Romani pręſcripto coronatos; vt illinc diſcere poſſimus, an aliquæ in hoc ritu adhibitæ fuerint Litaniæ. Illud tamen legimus, Conſtantinum non ſemel ab Epiſcopis popoſciſſe preces, ſed ad Deum; litanias ad Divos aut recitaſſe ipſum, aut à ſacris miniſtris recitari voluiſſe, non legimus. Quas ab Epiſcopis in ſui gratiam medio in bello fieri voluerit paulo poſt dicemus; Nunc vnum ſed illuſtre inprimis exemplū annotamus; cum peracta Nicęæ Synodo Epiſcopos, qui convenerant magno numero, poſt multa amoris ac benevolentiæ exhibita teſtimonia, dimitteret, *ad extremum etiam illud adjeciſſe* dicitur, *vt pro ipſo ad DEVM ſupplicationes obnixe funderent.* Τέλος δ' ἐπὶ τούτοις (inquit Euſebius) *τὰς ὑπὲρ αὐτοῦ πρὸς τὸν* ΘΕΟΝ *ἱκετηρίας ἀδιαλείπτως ποιεῖσθαι.* Hinc non abſurde, vt puto, conjeceris Epiſcopos in iſtius coronatione, ſi quam ab iis fieri expetiviſſet, nullas quidem ad Divos litanias, eas vero ad DEVM orationes & ſupplicationes, quas ipſe poſcit, fuiſſe adhibituros. Sed & fruſtra apud Chriſtianos qui intra a. D. 300. vixerunt, quæſieris, an Divos, quod nunc Latini accuratiſſime faciunt, vetus illa Eccleſia in altarium & templorum conſecrationibus invocaverit. Nulla enim illi veri nominis altaria, aut templa per ea tempora habuerunt; &, ſi habuiſſe contendas, illud quidem opinor, non negabis, ea non fuiſſe tum conſecrata. Quod ſi & hoc obſcurum eſſet, Litanias quidem certe, vel omnino aliquas ad Divos preces ad hanc ædium ſacrarum dedicationem adhibitas fuiſſe nemo probaverit. Aliud ex ſuperioribus multo eſt probabilius, qui ſacerdotes, qui diaconos, qui omnes rerum ſacrarum miniſtros ſolis ad Deum vnum ſupplicationibus abſque vlla ad Divos prece ordinarunt ac conſecrarunt, eos loca ipſa in quibus miniſtraturi erant eodem quoque more modoque dedicaſſe. Noſter ille ψευδοκλήμης Eccleſiarum quidem meminit; quaque forma & intus & foris eſſe debeant, ſatis anxie præcipit; ſed de earum conſecratione nullum verbum facit; quod argmento eſt etiam ejus ævo, id eſt quarto ſæculo, ædes ſolo fidelium conventu atque vſu; non autem ſacro aliquo ritu, quæ hodie Latinorum diſciplina eſt, dedicatas ac conſecratas fuiſſe. Euſebius Pſeudo-Clementis vt videtur æqualis, etiam fortaſſe aliquanto vetuſtior, templi à Paulino Epiſcopo apud Tyrum ædificati, laudes, opus ipſum ſingulaſque ejus partes, omniaque ornamenta, & quicquid ædi ſacræ venerationem conciliare poterat, fuſe deſcribit in

Conſt. l. 8. c. 13. init.

Euſeb. de Conſt. V. l. 3. f. 140. A.

ibid. c. 57. p. 179.

in oratione panegyrica, quam ſatis prolixam de hoc vno argumento edidit; & hiſtoriarum libro decimo inſeruit. Ritus, quibus ædificium conſecratum erat, ſi qui fuiſſent, quis dubitat quin fuerit tali in loco narraturus? Alphabeta vtriuſque linguæ Græcæ & Latinæ in lineis diagonalibus ex cinere deſcripta, luſtrationes ędis & interioris & exterioris ex aqua benedicta, cruces ex oleo, ex chriſmate, ex thuris granis, & ex cereis poſtremo brevibus ſuper altari concinnatas, & cætera Latinæ diſciplinæ moroſiſſima myſteria, ac inprimis litanias atque ſupplicationes ab omni clero, ſuccinente plebe recitatas? Ille vero de iſtis omnibus plane nihil dixit. Nihil ergo iſtorum, quod diceret, fuit. Idem in opere de vita Conſtantini pulcherrimam in Chriſti ſepulcro ædem ab illo Principe excitatam, tum duo egregia templa ab Helena ejus matre Servatori dedicata, alterum Bethlehemi, alterum in monte reſurrectionis poſita deprædicat, & exornat miris laudibus. Conſtitutam vero à Principe apud ipſum Chriſti monumentum ædem pleniſſima Synodus Hieroſolymam evocata ipſis Conſtantini XXX. alibus magna pompa dedicavit. Refert Euſebius Epiſcopos in lætiſſima illa panegyri alios litterarum divinarum lectiones eſſe interpretatos, alios incruentis ſacrificiis, myſticiſque *hierurgiis Deum placaſſe, ſupplices preces DEO pro communi pace, pro Eccleſia Dei, pro Imperatore, proque Deo caris ejus liberis offerentes*, ἱκετηρίας εὐχὰς τῷ θεῷ προσαναφέροντας. Sed in tam multis hac de re ſermonibus ne vnum quidem verbum de Latinorum litaniis, aut vllis omnino ad Divos precibus fecit. Ergo neque hac in parte quicquam adhuc erat in noſtrorum moribus earum Litaniarum ſimile, quibus hodie perſtrepunt omnia Latinarum ædium encænia. Et agebatur tamen annus ſupra trecenteſimum à Chriſto nato ſextus & triceſimus. Quod vero Latini cum Divorum reliquias ex vna ſede in aliam transferũt, ſolent etiã illas ſuas Litanias publice cantare; neque hoc ſane vllum habet in veris trium primorum ſæculorum monumentis exemplum. Neque enim ex vllo certo auctore conſtat tranſlatas fuiſſe ante Conſtantium; vel vt alij, ſed perperam, tradunt, Conſtantinum aliquas Divorum reliquias; qua de re quia infra dicendum erit, nihil hoc loco addemus. Supereſt vltimus Latinarum litaniarum vſus, ad pœnitentiam, & alia quæcumque eo referuntur. Etſi autem & Rogationum, & Divi Marci dies, & ipſa Quadrageſima, & *proceſſiones*, vt vocant, poſteriorum temporum inventa ſint; conſtat tamen pœnitentiam publicam jam ab ipſis Apoſtolis cœptam, apud veteres ante a. D. 300. in vſu Eccleſiæ fuiſſe; imo quæ preſbyterorum miniſterio ad reconciliationem indigeret, non aliam fuiſſe quam publicam. Sed & illud quoque apparet, ad pacem & cõmunionem publice pœnitentibus reſtituendam non ipſos ſolos, ſed etiam & præpoſitos, & cæteros fideles, totamque adeo Eccleſiam preces feciſſe. Videamus ergo quæ, qualeſque fuerint illæ apud vetuſtiſſimos Chriſtianos & pœnitentium,

CAPVT XV.

Euſeb. Hiſt. l. 10. c. 3.

Id. de vita Conſt. l. 3. c. 27. ad 43.

Ibid. l. 4. ſ. 153. B.

CAPUT XV.

& cæterorum pro iis fidelium preces, num aliquæ fuerint Latinarum Litaniarum ſimiles, hoc eſt an ad unum Deum omnes, an etiam aliquæ ad Matrem Virginem, ad Angelos, & ad cæteros Divos vel directe, vel ſaltem indirecte eorum opem & ſuffragia poſcentes. Iam ſupra oſtendimus Eccleſiæ præpoſitos non alias pœnitentibus quam ad vnum Deum preces injunxiſſe aut præcepiſſe. Ipſos nunc pœnitentes, & fideles cæteros pro iis collaborantes ſpectemus; an apud vnum Deum, an & apud Divos precibus ſuis ſategerint. Tertullianus totam pœnitentium, vt vocabant, *exomologeſin*, id eſt actus, quibus lapſi ſuum de admiſſis peccatis dolorem, ſuumque veniæ & pacis deſiderium profitebantur, & explicabant, graphice nobis depingit, ſingulaſque illius diſciplinæ partes accuratiſſime exhibet in proprio de Pœnitentia opere; & hanc præ cæteris *mugire dies, nocteſque, ad Dominum ſuum*; quibus verbis aſſiduas, vt omnes intelligunt, acreſque ac vehementes preces ac ſupplicationes ſignificat, ex imo pectore cum planctu, cum gemitibus, cum ſuſpiriis ac clamoribus præ nimio dolore erumpentes. Sed ad quem? *Ad Dominum*, inquit. Quid? Nullas-ne ad Virginem Matrem? nullas ad alios Divos? Certe ſi quas ejuſmodi ſciret, eas ſcriptor vehementiſſimus idem atque diligentiſſimus hoc loco, vbi totum pœnitentiæ ingenium, actus, laboreſque omnes curioſiſſime exſequitur, minime prætermitteret; diceret ſi hominem novi, pœnitentes illos ſuos mugire dies nocteſque, non quod dixit ſimpliciter, *ad Dominum ſuum*, ſed inſuper & *ad Dominam Matrem Virginem, ad omnes Divos*, vel certe vt loqui amat Ieſuitarum elegantia, & *ad omnes ſuperos*, vel *cœlites*, Ille vero nihil aliud dixit, quam ad Dominum mugire. Ergo pœnitentiæ nullos niſi ad vnum Deum *mugitus*, nullas adeo ad Mariam & cæteros Divos litanias norat; quas ſi quæ fuiſſent in illius temporis Eccleſia, neſcire nō poterat. Nūc quidem iſtæ vel Divorum omnium, vel ſaltem Divæ Virginis Litaniæ pœnitentiæ ſi non vtramque paginam, alteram certe faciunt; quæ nullæ ſunt in Tertullianea veteris exhomologeſeos pictura, tam accurata, vt pœnitentem nobis exhibeat etiam *presbyteris advolutum*, etiam *caris Dei adgeniculatum, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungentem*. Quanto magis hic ſi quas ſciviſſet, editurus erat eas *deprecationis legationes*, quæ non *fratribus*, ſed *Dominis ac Patronis Divis*, nunc Romano ritu, & quidem multo & diligentius, & vt creditur vtilius, & efficacius, *injunguntur?* vel vt civilius loquar, quæ humillima ſupplicatione depoſcuntur, atque exambiuntur? Hic locus vel vnus, vincit nullas tum fuiſſe pœnitentium ad Divos preces, quas Tertullianus ſcilicet, ſi quæ apud Eccleſiam in vſu fuiſſent, hic abſque flagitio prætermittere non poterat. Illud non moror, quod nemini, vt opinor, niſi ſtulto aut inerudito in mentem venerit, Tertullianū, *caros Dei*, quibus *pœnitentes adgeniculantur*, Divos cœlites dicere. Non ita eſt, neque hoc vel ipſe Pamelius neſcivit; tametſi præ cauſæ

Tertull. de Pœnit. c. 9. p. 146. D.

Pamel. annot. in hunc loc.

cauſæ Latinæ ſtudio alias fere cæcuriens; in eotantum hic peccans, quod *caros Dei* ſolos ſacerdotes accipere videtur; qui Tertulliano vere ſunt omnes *fideles*, ſive juſti, id eſt Chriſtiani ſtantes, qui baptiſmi decus integrum, neque ullo Eccleſiaſtica pœnitentia digno crimine minutum aut contaminatum ſervant. His *adgeniculari* eſt eorum pedibus advolutum genua prehendere ſupplicantem, orantemque ut Deum pro tuorum peccatorum remiſſione deprecentur. Hoc enim pœnitentes feciſſe conſtat. Docet ſtatim ipſe Tertullianus, pœnitentem ita compellans; *Ergo cum te ad fratrum genua protendis, Chriſtum contrectas; Chriſtum exoras. Æque illi, cum ſuper te lacrymas agunt, Chriſtus patitur; Chriſtus Patrem deprecatur.* Ergo illi *cari Dei*, quos dixerat, fratres ſunt, non Divi; & quod prius poſuerat, *caris Dei adgeniculari*, eſt quod nunc dicit, *ad fratrum genua ſe protendere.* Ita alibi de mœchia pœnitentem deſcribit in media Catholicorum Eccleſia *proſtratum ante viduas, ante presbyteros, omnium lacinias invadentem, omnium veſtigia lambentem, omnium genua detinentem*; id eſt prehendentem. Id plane eſt, quod hic dixerat *caris Dei adgeniculari*, pro quo olim inſcitiſſime ſcripſerant, *aris Dei*; Pamelius, ut ipſe demonſtrat, recte emendavit, caris Dei; idemque repræſentavit in ſua Tertulliani editione clariſſ. Rigaltius. Cyprianus eadem obiter confirmat; quo loco & ſe & univerſam Eccleſiæ Carthaginenſis plebem *preces*, quas ad placandum Deum, & ad commiſſi delicti crimen abluendum faciebant, *diebus ac noctibus DEO fudiſſe* (pro lapſis ſcilicet pœnitentibus) proprie ac nominatim ſcribit. Sed libet ipſas Eccleſiæ pro pœnitentibus preces etiam edere ex Conſtitutionum ſcriptore, quem clarum eſt diu poſt Tertullianum vixiſſe. Is ergo hoc primo teſtatur *omnem Eccleſiam* pro lapſo pœnitente *rogaſſe*; *Hunc* (inquit Epiſcopum alloquens) *cum ingemuerit*, aut *luxerit recipe, cuncta Eccleſia pro eo rogante*, vel *deprecante.* προσκλαύσαντα εἰσδέχου πάσης τῆς ἐκκλησίας ὑπὲρ αὐτοῦ δεομένης. Sic etiam infra in eodem libro de pœnitente; *Hunc* (inquit) *per manus impoſitionem veluti per pœnitentiam purgatum, in antiqua paſcua reſtitue omnibus pro eo* DEPRECANTIBUS. τοῦτον χειροθετήσας, ὡς ἂν μετανοίᾳ κεκαθαρμένον, πάντων ὑπὲρ αὐτοῦ προσευχομένων ἀποκατάστησον εἰς τὴν ἀρχαίαν αὐτοῦ νομήν. Si quæris, quæ Eccleſiæ fuerit pro eo deprecatio, tota ne ad Deum, an etiam partim ad Virginem Matrem & Divos; idem auctor eam ſuo loco poſtea exhibet, in ea quæ dicitur miſſa Catechumenorum; ubi poſt hos dimiſſos, ita toti Eccleſiæ denuntiat Diaconus; *Omnes pro fratribus, qui in pœnitentia ſunt, rogemus, ut miſericors Deus oſtendat iis viam pœnitentiæ*; & poſt multa, *Ut benignus Deus eorum ſupplicationibus benigne quam primum exaudītis, reſtituat iis lætitiam ſalutaris*; ac denique, *Etiam intente pro iis dicamus, Domine miſerere, Salva eos Deus, & miſericordia tua ſuſcita.* ἔτι ἐκτενῶς ὑπὲρ αὐτῶν πάντες εἴπωμεν, Κύριε ἐλέησον. σῶσον αὐτοὺς ὁ θεὸς, καὶ ἀνάστησον τῷ ἐλέει σου. Hic illud quidem *Kyrie eleiſon*

CAPUT XV.

Tertull. de Pœn. c. 10. p. 147. B.

Id. l. de Pudi. c. 3. p. 329. A.

Cypr. ep. 40. p. 59. extr.

Conſt. Apoſt. l. 2. c. 18. p. 840. C.

Ibid. c. 41. p. 865. D.

Id. l. 8. c. 8. p. 1009. B.

ib. p. 1010. A.

CAPVT X V. *eleiſon* vides, à quo Latinorum pro pœnitentibus Litania incipit; Cæterorum verò, quæ in ea ſequuntur, *Sancta Maria ora pro nobis*, &c. *Omnes Sancti & Sancta Dei intercedite pro nobis*, iſtorum, inquam, omnium nihil hic vides. Cur qui Diaconum ſcribit plebem omnem admonuiſſe, vt dicat pro pœnitentibus, *Kyrie eleiſon*, non monuit idem & hoc dicere, *Sancta Maria, ora pro nobis?* aut *S. Matthæe, ora pro nobis?* Ratio clara eſt. Nimirum veteris in qua hîc ſcriptor vixit, Eccleſiæ mos erat, in publicis collectis pro pœnitentibus orare Deum; Divos pro iiſdem ſupplicare nondum erat inventum. Itaque & ipſa illa oratio, quam hic ſtatim Eccleſia Epiſcopi verba præeuntis ore, pro pœnitentibus emittit, ad Deum quoque tota eſt; *Omnipotens*
ibid.c.9 p. 1010.B.C. *Deus æterne, Domine univerſi, conditor & moderator omnium, qui hominem mundi ornamentum per Chriſtum feciſti*, &c. *qui item dediſti, vt poſt peccatum commiſſum bonitas tua pœnitentiam ei ſuggereret; Reſpice eos, qui tibi cervicem animæ & corporis inclinarunt*; & poſt alia ſatis multa; *Reſtitue illos Eccleſiæ tuæ in priorem dignitatem & honorem per Chriſtum Deum & Salvatorem noſtrum, per quem tibi gloria & adoratio in Spiritu ſancto, in ſæcula, Amen.* Hæc veteris Eccleſiæ pro pœnitentibus erant preces; omnes ad Deum; nullæ (quæ novitia eſt Latinorum diſciplina) ad Divam Virginem Matrem, vel ad alios Divos.
Id.l. 2. c. 21. p.8. Eo quoque ſpectat, quod alibi idem ſcriptor ab Epiſcopis obſervari, & lapſis proponi vult Manaſſis pœnitentis exemplum. Manaſſis au-
ibid. 48. tem oratio quidem extat pœnitentialis ad Deum, quam totam Conſtitutionum parens eo loco recitat; Ejus vero ad Divos Litaniæ nullæ (quod equidem ſciam) vel apud hunc vel apud alios leguntur. Idem ille ſcriptor meminit quadrageſimæ (quod certo argumento eſt eum non modo Apoſtolorum temporibus non vixiſſe, ſed etiam Tertulliano fuiſſe recentiorem, cui ſcilicet ignotam fuiſſe quadrageſimam
de ieiund.4. claris probationibus alibi demonſtravimus.) Sed de hoc quadraginta dierum jejunio paucis verbis defungitur; nihil aliud monens, niſi
ibid.l. 5. c. 12. p.925. *id eſſe obſervandum*; *quo* ſcilicet ait, *contineri memoriam vitæ Chriſti, & legis latæ.* ὑμῖν φυλακτέα ἡ νηςεία τῆς τεσσαρακοςῆς. μίμησιν περιέχουσα τῆς τοῦ Κυρίου πολιτείας τε καὶ νομοθεσίας. Verum ex iis quæ alibi de jejunii precibus in genere dicit ſatis apparet, ne hujus quidem ſcriptoris ævo dictas fuiſſe Sanctorum in Eccleſia litanias quadrageſimæ magis tempore, quam aliis anni tempeſtatibus. Sic enim ille de quovis jejunio
ibid. c.20. exmr.p.936.D. præcipit, *Vos per jejunium ſupplicationes veſtras Deo offerre.* Ὑμεῖς νηςεύοντες αἰτεῖσθε περὶ τοῦ Θεοῦ τὰ αἰτήματα ὑμῶν. Quadrageſima, quæ jejunio maxime cenſetur, hac regula proculdubio continetur. Ergo & in quadrageſima Deum, vt in aliis jejuniis, rogari vult, nō Divos. Cur enim eos hoc loco prætermitteret, ſi & ipſos quoque diebus eſurialibus rogandos eſſe putaſſet? Idem etiam inde perſpicitur quod de
ibid.c.18.19. p.932. magna ſive ſancta Paſchæ hebdomade verba faciens, cujus eximiam ac plane ſingularem eſſe notum eſt inter omnes jejuniis ſacratos dies

ratio-

rationem ac devotionem, nihil de Litaniis, vel vllis ad B. Virginem & ad cæteros Divos precibus dicit; quas eo maxime tempore eſſe apud Latinos ſolennes, quintaque feria, & in multis locis, ipſo Sabbato dici ſupra notavimus. Ille de jejunij ipſius ratione accuratiſſime præcipit; Item de pervigilio Paſchali; quo noctem, quæ Sabbatum inter & diem reſurrectionis intercedit, jubet fideles totam in Eccleſia omnes vnà in precibus & ſupplicationibus agere. Sed quibus? Ipſum id docentem audi. Γρηγορεῖτε (inquit) προσευχόμενοι καὶ δεόμενοι τοῦ θεοῦ, ἐν τῇ διαγρυπνήσει ὑμῶν ἀναγινώσκοντες τὸν νόμον, τοὺς προφήτας, τοὺς ψαλμοὺς μέχρις ἀλεκτρυόνων κραυγῆς. *Vigilate orantes ac rogantes DEVM; legentes in veſtra pernoctatione legem, Prophetas, Pſalmos, vſque ad galli cantum.* Ac denique vbi de jejunio ſub ejus diei diluculum ſolvendo monet; *Deponite* (inquit) *luctum, & deprecamini DEVM, vt convertur Iſrael*, παύσασθε τοῦ πένθους, ὑμῶν· καὶ λιτανεύετε τῷ θεῷ ἐπιστραφῆναι τὸν ἰσραήλ. Ex his planum eſt nullas apud veteres diebus jejunio ſacris dictas fuiſſe ad Divos Litanias, vel preces cujuſcumque generis, ac ne indirecte quidem eos tum fuiſſe invocatos. Aliorum temporum, ſi qua triſtia & adverſa incidebant, eandem quoque apud primos Chriſtianos rationem fuiſſe, quo in generali diſputationis parte demonſtratum eſt, hic non repetam. Illic enim oſtendimus veteres ad imbrē in publica ſiti *impetrandum, & ad ſiccitates depellendas*, nō quod Latini nunc faciunt, longas ad Divos omnes Litanias dixiſſe, ſed *orationes ad Deum feciſſe*. Sed neque adverſus mortalitatem adhibitas fuiſſe à temporum vetuſtiſſimorum Chriſtianis Divorum Latino more Litanias, ſatis clamant ſupra à nobis, ſed in alio argumento, laudati Dionyſius Alexandrinus, Cyprianus Carthaginenſis, & Pontianus hujus Diaconus; qui in ſuis de ea peſte, quæ tum per orbem Romanūm graſſata eſt, narrationibus nullum de Divorum ope à noſtris adverſus diram illam luem ſupplicationibus efflagitata verbum faciunt. In bellis vero, vbi & ſuas Litanias Latini vſurpant, Divos à primis olim Chriſtianis invocatos fuiſſe non ſit veriſimile. Noſtri per illa tempora rari bellabant. Memoratur tamen aliqua ex iis Legio in Marci Auguſti exercitu *Fulminat vt* Κεραυνοβόλος; Sed ejus non alias quam *ad Deum factas* orationes legimus; quibus eam tam adverſum hoſtem, quam adverſum ſitim & ſiccitatem eſſe vſam, quis dubitet? Neque noſtros, etiam domi, etiam à bellis maxime alienos, abnuo pro Principibus ſuis tametſi Paganis, tametſi diſciplinæ Chriſtianæ infeſtis, etiam bellantibus, oraſſe; ſed Deum vnum pro iis oraſſe memini; Divos, non equidem memini. De Divis, nemo illius memoriæ teſtatur. De Deo diſertiſſimum, & ſane idoneum teſtem habemus Tertullianum. *Oramus* (inquit) *pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, EXERCITVS FORTES, Senatum fidelem, populum probum, orbem QVIETVM, & quæcumque hominis & Cæſaris vota ſunt. Hæc ab alio orare non poſſum,*

CAPVT XV.

ibid. c. 19. p. 936. A.

ibid.

Tertull. ad Scap. c. 4. Euſeb. hiſt. l. 5. c. 5.

Dion. apud Euſeb. l. 7. c. 22.

Cypr. de Mortal.

Pontius in vita Cypriani.

Tertull. Apolog. c. 30. p. 30. B.

CAPVT XV. *ſum, quam à quo ſcio me conſecuturum, quoniam & ipſe eſt, qui ſolus præſtat, & ego ſum cui impetrare debetur, famulus ejus, qui eum ſolus obſervo.* Nemo dubitat quia Deum dicat. Sed & Principem Chriſtianum Conſtantinũ toto & aliquanto amplius poſt Tertulliani tempora ſæculo, in bello periculoſiſſimo, quod cum Licinio geſſit, non alium quam Deum invocaſſe apud Euſebium legimus.

Euſeb. de vita C. N. l. 2. p. 128. A. (Lat. c. 4.)

Intelligens (inquit) *precibus, ſi vnquam alias, nunc ſibi opus eſſe, Dei ſacerdotes vrgebat, vt ſecum adeſſent.* Mox cum hoſte congreſſurus, *Deum omnium Servatorem invocavit*, Θεὸν Σωτῆρα τὸν ἐπὶ πάντων ἐπικαλέσατο *.

* *ibid. 6. Lat. c. 6.*

Fuſo & fuga elapſo Licinio †, cum bellum iterum gerendum eſſe intelligeret Conſtantinus, tabernaculum extra caſtra fixit, ibique & ipſe *Deo preces ſuas reddebat*, τὰς τῷ θεῷ τὰς προσευχὰς ἀποδιδούς, & quos ob fidei & pietatis ſtudium ſpectatos habuit, vnà cum eo in idem quoque incumbebant; & in his ita ſe ſolitum gerere, quoties in bello cum hoſte confligendum eſſet, hic obſervat Euſebius.

† *ibid. Lat. 12.*

Ergo & in altero adverſus Licinium prælio *Deo ſuo preces attente adhibuiſſe* dicitur, τῷ αὐτοῦ θεῷ ἱκετηρίας ποιεῖσθαι *. Et paulò poſt, *Ante initum* (inquit) *prælium, in tabernaculo ſeparato, tempus precibus ad DEVM fundendis liberum addixit*; ἐν ἑαυτῷ πρὸ τῆς μάχης σκηνῇ ἀπονεμόμενος ταῖς πρὸς τὸν θεὸν εὐχαῖς τὴν σχολὴν ἀνετίθει †. Precibus jejunium quoque & corporis macerationem adjeciſſe refert; *hac ratione DEVM ſupplicationibus & rogationibus placans.* ταύτῃ τε τὸν θεὸν ἱκετηρίαις καὶ λιταῖς ἱλεούμενος. In belli diſcrimine Conſtantini & aliorum qui cum eo erant Chriſtianorum preces ad DEVM multas vides; ad DIVOS litanias nullas vides.

* *ibid. p. 129. A. exit.*

† *Ibid. B. Lat. c. 14.*

Eadem illis temporibus & Epiſcoporum ſententia erat, qui expeditionem in Perſas parantem ſequuturos & comitaturos ſe pollicebantur, & *vnà cum ipſo ſuis ad DEVM ſupplicationibus militaturos atque certaturos dicebant*, συστρατεύσειν δ' αὐτῷ καὶ συναγωνίζεσθαι ταῖς πρὸς τὸν ΘΕΟΝ ἱκετηρίαις ἔλεγον. Litanias ad Sanctos nullas promittunt.

ibid. l. 4. f. 155. A.

Sed neque pro energumenis vt nunc fit apud Latinos, recitatas fuiſſe primis illis ſæculis, Litanias, neque ad vllos Divos, ſive de Angelorum, ſive de hominum cenſu, dictas fuiſſe preces, nos ſatis, vt videtur in ſuperioribus præſtruximus, vbi ex illius ævi monumentis vicimus nullum noſtros contra dæmonum vexationes, niſi à Chriſti nomine quæſiviſſe, aut vſurpaſſe præſidium; neque *invocationibus Angelicis*, in talibus vſos eſſe ſed *orationes direxiſſe ad Dominum, qui omnia fecit, & nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti invocaſſe*; vt Irenæi iſtic quoque recitata verba vſurpemus.

Iren. l. 2. c. 57.

Idem verò ex Eccleſiaſtica pro energumenis oratione patet, quæ extat apud Conſtitutionum Pſeudo-Apoſtolicarum conditorem. Illic enim dimiſſis de Eccleſia catechumenis Diaconus de more & energumenos ipſos, & omnes pro iis fideles orare jubet, *vt benignus Deus per Chriſtum increpet immundos, & nequam Spiritus*; & poſt pauca, *Deprecamur* (inquit) *adhuc intente pro ipſis; Libera & ſuſcita eos Deus tua potentia.* σῶσον καὶ ἀνάστησον αὐτοὺς ὁ θεὸς ἐν τῇ δυνάμει σου. Tum ener-

Conſt. l. 8. c. 8. p. 1008. A.

energumenis capita ad ſuſcipiendam benedictionem inclinantibus, Epiſcopus, & vnà cum eo tota Eccleſia ita pro iis Dominum Chriſtum precantur; *Qui fortem ligaſti, & omnia vaſa ejus diripuiſti*, &c. *Vnigenite Deus, magni Patris Fili, increpa malos Spiritus, & eripe opera manuum tuarum ex actu alieni Spiritus; Quoniam tibi gloria, honor & veneratio, & per te Patri tuo in Spiritu Sancto, Amen.* μονογενὲς θεὲ, μεγάλου πατρὸς υἱὲ, ἐπιτίμησον τοῖς πονηροῖς πνεύμασι· καὶ ῥῦσαι τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σου ἐκ τῆς τοῦ ἀλλοτρίου πνεύματος ἐνεργείας, &c. De invocatis vel *directe*, vel *indirecte* Sanctis nullum verbum additur. Iſtis nimirum ad expugnandam omnem dæmoniorum vim ſatis erat Sanctus Sanctorum Chriſtus, neque dum nōrant iſtas Latinorum artes, alios huc ſuperos modo *directis*, modo *indirectis* ſupplicationibus ad hoc opus de cœlo evocantium. De Litaniis quas à Latinis pro fidelibus ad ſupprema anhelantibus, vel etiam animam agentibus, dici poſtremo monuimus, nihil addere neceſſe eſt. Morientes enim primi Chriſtianiſmi ſæculi Deo & ſuis & aliorum precibus, nullis autem ad Divos litaniis fuiſſe commendatos, ſatis ſuperque in prima hujus diſputationis parte docuimus, vbi Martyras illius memoriæ quamplurimos edidimus Dominum & gratiarum actionibus, & orationibus ardentiſſimis in vltimo illo agone venerantes; neminem reperimus, qui vel Mariæ nomen in morte vſurparit, (quod Latinis nunc familiare eſt) nedum vt vel eam, vel cœlitum aliquem quiſquam eorum invocaſſe legatur. Atque ita perſpicue ni fallor, demonſtratum eſt illas ad Divos vel litanias, vel preces eorum opem ac ſuffragia ſeu *directe* ſeu *indirecte* poſcentes, quæ Eccleſiaſticum Latinorum cultum omnem nunc repleat, in omnibuſque ejus partibus, in Miſſa, in Matutinis, ac Veſpertinis, diurnis nocturniſque ſacris, in omnibus fere & perſonarum & rerum conſecrationibus, & ad omnes publicæ pœnitentiæ ſignificationes occurrunt, nullas in antiquiſſima primorum Chriſtianorum liturgia, nullas in alijs communibus ad religionem pertinentibus officijs fuiſſe. Vnde illud quod nos contendimus, clariſſime conſequitur, nondum fuiſſe illius memoriæ Chriſtianis vel cognitum, vel pro legitimo habitum, religioſum Divorum cultum; quem ſi sciviſſent, vtrique pro ſua ſapientia atque pietate ad eas res & cauſſas, non minus quam nunc Latini, adhibituri erant.

CAPVT XV.
ibid. c. 7. B. C

CAPVT XVI.

Argumentum XV. Quod in privato religionis cultu, vt horis diei prima, ſexta & veſpere, Divos Latini quidem paſſim ac fere ſemper, vetuſtiſſimi vero Chriſtiani numquam invocare reperiuntur. De domeſtica fidelium pietate ejuſque exercitiis inſignis Tertulliani locus, è quo idem confirmatur.

HOc quidem de publicis & Eccleſiaſticis, quæ in communi à fidelibus congregatis peraguntur, vitæ Chriſtianæ officiis. Nũc ſingulos privatim apud ſi viventes ſpectemus; ſi forte in ea parte aliquid religioſi in Divos cultus apud veteres reperiri poſſit. Fateor enim accidiſſe interdum, vt quorum vel dogmatum, vel rituum nihil adhuc erat in publico & Eccleſiaſtico cultu, eorum aliquid fuerit in quorumdam privato; quod in iis omnibus locum habuit, quæ non ab Apoſtolis initio tradita, poſtea in Chriſtianiſmum invecta ſunt. Horum enim nihil ſimul & inventum, & publice ſtatim in communem omnium cultum receptum eſt; ſed quæcumque ſunt hujus generis, ea à privatis primo & paucis ſuſcepta & probata, ſenſim inde in plures auctorum exemplo, propter eorum vel dignitatem, vel eruditionem. vel etiam ſanctimoniam, aut certe ſanctimoniæ opinionem manantia, poſtremo in omnes ſeſe diffundunt, publiceque in Eccleſiaſticam vel fidem, vel obſervationem ſuſcipiuntur; alia citius, alia ſerius, pro vario vel inventorum, & imitatorum merito, vel ſæculi in quo exoriuntur ingenio, vel etiam pro diverſo rerum ipſarum colore, ac ſpecie. Idque in hoc ipſo, de quo diſputamus, religioſo Divorum cultu. ita contigiſſe facile intelligemus, ſi quarti ſæculi præcipitis, & ſequentium (quibus temporibus ea labes Chriſtianiſmum inficere cœpit) res & hiſtoriam paulò diligentius atque attentius cõſideremus, Occurrent enim iſtic primo duo treſve qui eloquentię artibus confiſi, & vento (vt ſic dicam) rhetorico ſubvecti Sanctos alloqui, cum his ſermonem, quanquam mortuis, conſerere, & ſua apud eos vota exponere, veluti apud præſentes, audebunt; Mox plures his paucis quidem, ſed magnis exemplis adducti, in eadem ibunt, quibus ob magnam famam nemo facile in os reſiſtere auſit, & ſiquis faciat, nullo negotio ingenti adverſariorum nomine, & vulgi in eos favore obreretur. Ita à paucis primo exortum errorem, mox prono ſecundoque plurium aſſenſu exceptum, in omnes tandem exundare reperiemus, ſed ne ſic quidem adhuc invaleſcere, vt in communem vniverſorum vel fidem, vel praxin admittatur; quod certæ ſint ſcilicet & definitæ communis fidei & cultus formæ, in quas ob auctorum & vſus ipſius reverentiam multo, quam in ſingulorũ animos difficilius eſt quicquam novi.

novi inducere. Eo factum eſt, vt publicæ illæ Eccleſiaſtici vel dogmatis vel cultus formæ, etiam poſt corruptos ſingulorum vel omnium, vel certe longe plurimorum, animos, ſanæ tamen & integræ aliquandiu manſerint; vt ex libris apparet, qui falſo Dionyſij Areopagitæ nomine circumferuntur. In his enim nullum cultus in Divos religioſi veſtigium extat, tametſi auctorem quinto, & quidem valde provecto, Chriſtianiſmi ſæculo vixiſſe fides propemodum certa ſit, quo tempore is error apud plæroſque paſſim invaluerat. Sed hic ſcriptor, quod publici tantum cultus formas exhibeat, in quas nondum Divorum religio invadere potuerat; eo videtur nullam ejus mentionem feciſſe. Trium vero primorum à Chriſto nato ſæculorum conditio, vt religionis noſtræ originibus propior, ita & multo fœlicior fuit. Non enim in publico & communi tantum (quod modo oſtendimus) illius Eccleſiæ cultu, ſed ne in privatis quidem ſingulorum moribus (quod nunc demonſtrandum eſt) vllus apparet Latinæ iſtius in Divos religionis vſus. Ergo vt hinc incipiam, cum nunc apud Latinos morem eſſe videmus, vt qui pij quidem apud eos eſſe exiſtimantur, ter quotidie mane, meridie, & veſpere Divam Virginem Matrem oratione Angelica ſinguli venerentur; quam ad rem ne hoc illis officium aliqua oblivio animo excuteret, ter ſingulis illis diei punctis repetito campanæ ſonitu, quod ſupra docuimus, de eo admonentur. Sed & eorum hiſtoriæ non raro commemorant (adeo ſuam hanc religionem excellentem ac neceſſariam eſſe putant) illo in Divam cultu diligenter eſſe defunctos, quos ipſi ob pietatem laudant. Pueros duos, Regis Arimæ apud Iaponas filios, à fratre ſuo Michaële, Chriſtianiſmi deſertore, per ſummam immanitatem interemptos, Ieſuitæ dum lugent, ſic eos ad pietatem fuiſſe tradunt in illa ætatula formatos ac inſtitutos (erant enim adhuc impuberes) vt quotidie ante ſacras imagines veſpere precarentur, & Angelicam ad Divam Virginem ſalutationem non ſemel recitarent. Quinetiam minorem natu Franciſcum ipſa illa nocte, qua fratris apoſtatæ juſſu ac ſcelere in lectulo dormiens trucidatus eſt, antequam ſe ad quietem, quæ ei ſuprema in terris fuit, componeret, poſtquam ſæpius conceptas ſolenneſque ad Virginem preces dixiſſet, poſtremo, veluti animo quod imminebat fatum, præſagientem, vltimum vitæ diem hac oratione conſignaſſe; *Tu quæſo, ſanctiſſima Maria, Te per Filij tui cruciatus, atque tormenta humillime rogo & obſecro, vt mei, ſi me hac nocte mori contigerit, memineris. Ego enim tibi & hanc animam & hoc corpuſculum meum, veluti Dominæ ac parenti optimæ, in manus trado.* Georgium vero Iaſiudonum, nobilem ex eadem gente virum, magnis laudibus ferentes, narrant non brevem tantum illam ad Virginem orationem, ſed etiam Sanctorum omnium Litanias quotidie poſt cœnam, antequam iret dormitum, cum omni familia recitare ſolitum fuiſſe. Alij prædicant Luſitanos arcis Diu præſidiarios tanta omnes eſſe in B. Virginem devotione, vt ex

Trig. Marty. Iapon. l. 2. c. 4. Annal. Iap. a. 1615. p. 57. 58.

Solier. in Iapon. l. 12 c. 16. T. 2. p. 166. Ann Goani. a. 1618. 1619. p. 107.

CAPVT XVI.

iis nemo ſit, qui non ejus (vt vocant) *roſarium* quotidie recitet. Sed in re omnibus notiſſima nihil eſt pluribus exemplis opus. Quid vetuſtiſſimi Chriſtiani? Ego vero apud eos non in privatis magis, quam in publicis religionis officiis vel Divæ Mariæ *Roſaria*, vel Sanctorum Litanias, vel Angelicam denique Matris Virginis ſalutationem, aut vllius alterius Divi invocationem repetio. Clemens Alexandrinus hominis ad Chriſtianam normam abſolutiſſimi ideam nobis deſcribens, nullius iſtorum meminit, ſed hos tantum ei quotidiani cultus actus, has exercitationes tribuit;

Clem. Al Strom. l. 7. p. 728.

Vniverſa (inquit) *ejus vita, ſancta quædam panegyris eſt, id eſt feſta ac ſacraſolennitas. Atque ei quidem ſacrificia ſunt preces & laudes, & ante cibum, Scripturarum lectiones; & dum cibus ſumitur & antequam lectulum adeat Pſalmi hymnique; ſed & noctu rurſum orationes;* ἅπας δὲ ὁ βίος αὐτοῦ, πανήγυρις ἁγία. αὐτίκα θυσίαι μὲν αὐτῷ εὐχαί τε καὶ αἶνοι, καὶ αἱ πρὸ τῆς ἑστιάσεως ἐντεύξεις τῶν γραφῶν ψαλμοί τε καὶ ὕμνοι παρὰ τὴν ἑστίασιν πρό τε τῆς κοίτης ἀλλὰ καὶ νύκτωρ εὐχαὶ πάλιν. Ac nequid dubites, ad quem illæ veſpertinæ nocturnæque quas dicit, *preces* directæ fuerint, (tametſi *preces* ſic abſolute dictas ne ipſi quidem opinor, Latini alias, quam ad Deum intellexerint) audi eum rem alibi clarius explicantem.

Id. ibid p. 742.D.

Omnis inquit) *ei vita oratio eſt, & colloquium cum DEO.* εὐχὴ αὐτῷ ὁ βίος ἅπας καὶ ὁμιλία πρὸς θεόν. Sed eas ſigillatim orationes ad Deum fuiſſe in alio opere

Id. Pædag. l. 2 c. 4. p. 165. 5.

diſerte demonſtrat; *Nos* (inquit) *vt antequam cibum ſumamus par eſt vniverſorum conditorem laudare; ſic in ipſo convivio decet ei ipſi, cujus creaturis fruimur, pſallere.* Et mox; *Poſtremo* (inquit) *antequam ſomnum capiamus, Deo gratias agere, verum ſanctumque eſt; cujus ſcilicet gratia ac benignitate vſi fruitique ſumus;* Iterum in ſequentibus,

ib c. 8. p. 184. B.

vbi *finita cœna Deo benedicendum eſſe* præcipit, *quod & iis, quibus opus erat, frui, & diem totum agere nobis conceſſerit,* μετὰ τὴν εὐωχίαν εὐλογήσαντας τὸν θεὸν, ἐπὶ τῇ μεταδόσει τῶν ἀπολαύσεων, καὶ τῇ διεξαγωγῇ τῆς ἡμέρας. Et

ib p. 18?. D.

poſt alia non pauca, admonet, *ſæpe etiam noctu evigilandum, & è lecto ſurgendum, DEVMQVE laudandum.* Quo & illa ſpectant, quæ alibi de conjugibus quidem propriè ac nominatim à Clemente dicta, omnibus tamen, etiam cœlibibus, Chriſtianis cõveniunt; *vt & à ſomno*

Id. Strom. l. 2 p. 424 B.

cum Domino expergiſcantur, & ad ſomnum cum gratiarum actione & oratione eant; tota vita, & cum ſomno indulgent, & cum lux fulſerit alma, Dominum teſtantes. ἀνεγειρομένους μὲν ἐκ τῶν ὕπνων μετὰ κυρίου. ἐπιέναι δὲ εἰς ὕπνον μετ' εὐχαριστίας καὶ εὐχῆς,

Ἠμὲν ὅτ' εὐνάζῃ καὶ ὅταν φάος ἱερὸν ἔλθῃ,

μαρτυρομένους τὸν κύριον παρ' ὅλον αὐτῶν τὸν βίον. Hæc ille, apud quem & matutinas, cum è lecto prodimus, & veſpertinas, cum dormitum imus, & nocturnas cum vigilamus, & ante & poſt cibum diurnas preces videmus; ſed omnes vt liquet, ad Deum omnium conditorem, ac Dominum noſtrum, plane nullas ad Divam Virginem, vel ad alios Divos; quas cur his quinque locis omitteret, quibus de hoc ad illas

horas

horas Chriſtianorum officio loquitur, nulla profecto ratio erat, ſi jam tum in vſu religioſo apud noſtros erant. Non fuiſſe, vel hinc diſcet quiſquis à ſtudio partium liber eſt. Itaque & ille vetus Ἀναγνωρισμῶν ſcriptor Pſeudo Clemens ſuum Petrum ſæpe inducit & veſperante quietem, & mane poſt ſomnum orantem; ſed nunquam Divæ Virgini vel ſalutationem illam Angelicam, vel aliam aut ſupplicationem, aut gratiarum actionem deferentem. Interdum quidem eum *oraſſe* ſimpliciter dicit; ſed alibi quem oraret diſerte aſcripſit. *Poſt cibum* (inquit) *laudem dixit Deo, & gratias egit.* Et alibi; *His dictis, cum benedixiſſet, cibum ſumpſit, Et poſt hæc cum gratias egiſſet DEO, ingreſſus quievit, ſimiliter autem & nos omnes, erat enim jam nox.* Item alibi; *Sumpto cibo, cum gratias egiſſemus DEO, quievimus.* Iterum alibi; *Cibo ſumpto, Hebræorum ritu gratias egit DEO.* Deniq; in fine libri noni; *Ex more cibo ſumpto, redditiſque laudibus Deo, ſuis ſinguli requievimus locis.* Ex his de *precibus ad Deum* interpretanda ſunt, quæ ſcribit idem alibi de oratione Petri matutina; *Vbi autem refecti* (inquit) *ſomno exſurreximus, invenimus eum ORATIONE facta, intra cubiculum operientem nos.* Si hjus ſcriptoris ævo, id eſt ſæculo (vt videtur) tertio, noſtris ſolenne fuiſſet B. Virginem mane & veſpere aliqua prece venerari, ille Petrum proculdubio pro ſua eruditione feciſſet alicubi diem ita vel auſpicari, vel obſignare. Non fecit; Vnum Deum vbique conſtanter orare, & laudare; vni *benedicere*, & *gratias agere* fecit. Tum ergo Deum vnum precari, non Virginem, non Divos, noſtrorum mos fuit; ad quem ille fabuloſus quidem, ſed tamen doctus, & ingenioſus auctor, perſonarum, quas in hoc ſuum drama induxit, mores & actus effinxit. Alter vero, ipſe quoque (ſed hoc recentior) Pſeudo-Clemens, auctor Διατάξεων, etiam clarius id demonſtrat. Edit enim ipſas orationes, quæ & mane & veſpere faciendæ ſunt & eam quoque adiicit, quæ *ad prandium* ἐπ' ἀρίστῳ (circiter meridiem) fiebat. Matutina ſic habet, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntas. Laudamus te; hymnis te celebramus, te benedicimus, glorificamus te, adoramus te per magnum Pontificem, te Deum ingenitum vnum, inacceſſum, ſolum, propter magnam gloriam tuam, Domine Rex cœleſtis, Deus Pater Omnipotens, Domine Deus Pater Chriſti agni immaculati, qui tollis peccatum mundi; ſuſcipe deprecationem noſtram, qui ſedes ſuper Cherubim, quoniam tu ſolus Sanctus, tu ſolus Dominus Ieſus Chriſtus Dei omnis naturæ creatæ, Regis noſtri, per quem tibi gloria, honor, & veneratio.* Veſpertina vero eſt; *Laudate pueri Dominum; laudate nomen Domini. Laudamus te, celebramus te, benedicimus te propter magnam gloriam tuam, Domine Rex Pater Chriſti, Agni immaculati, qui tollit peccatum mundi, Te decet laus, te decet hymnus, te decet gloria Deum Patrem per Filium in Spiritu Sancto, in ſecula ſeculorum, Amen.* His ex Lucæ capite ſecundo Simeonis canticum additur; *Nunc dimittis ſervum tuum*, &c.

CAPVT XVI.

Clem. Recog. l.1. fol.4.D. ib.l.2.extr. ibid.l.3.f.20.F. ibid l.5.extr. ibid.init.l.5.

Conſtit. Apoſt.l.7.c.48. ibid.c.49.

CAPUT XVI.

ibid. c. 50.

Ad prandium denique ſic orant, *Benedictus es Domine, qui paſcis me ab adoleſcentia mea, & das eſcam omni carni. Imple gaudio & lætitia corda noſtra, vt ſemper omnem ſufficientiam habentes abundemus in omne opus bonum in Chriſto Ieſu Domino noſtro, per quem tibi gloria, honor, & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.* Hæc ad tres illas horas Pſeudo-Clemens. Miraris quod nullum Latinorum *Ave Maria* vſpiam exhibuerit? Merito facceres, ſi hujus ſcriptoris ævo iſtorum de Divorum cultu diſciplina apud Chriſtianos obtinuiſſet. Qui enim horum cultum & religionem, omneſque ejus formas deſcribere inſtituit, cum *Ave Maria*, quod omnibus Latinæ pietatis locis & horis occurrit, conſtanter vbique indictum prætermittere, flagitiũ fuerit in nullo ſcriptore ferendum. Sed qui ita ſcribit Pſeudo-Clemens, iis ſcilicet temporibus vivebat, quibus nondum erat exorta Latini cultus diſciplina. Nullum ergo flagitium fecit, qui inter ſolennes Chriſtianorum ſuorum orationes iis ignotum *Ave Maria* nuſpiam poſuit.

Euſ. de Vita Conſt. l. 4. init. fol. 150. A.

Euſebius quoque Conſtantinum præfatus, cum intelligeret precum religioſarum magnum ad omnes res humanas eſſe momentum, non ſolum ipſum eas adhibuiſſe, *ſe Deo ſupplicem adiicientem*, αὐτὸν δ' ἱκέτην γιγνόμενον τοῦ Θεοῦ, *Sed etiam mandaviſſe, vt pro ſe ab Eccleſia præſidibus ſupplicaretur*; hæc, inquam, & alia non pauca præfatus, domeſticum, ac quotidianum ejus in religione cultum ſic deſcribit, vt Deum quidem oraſſe & aſſidue, & ardenter doceat, Virginem Matrem, aut Divorum quempiam precatum eſſe, nullus dicat. *Intra ſecretas* (inquit) *ſe regiæ partes concludens ſtatis quotidie temporibus* (mane, & veſpere proculdubio, ac fortaſſe etiam meridie) *ſolus cum SOLO loquebatur DEO ſuo, & ſupplici voce in genua projectus, humili vultu, & dejectis oculis à DEO petebat, vt quibus egeret rebus, eas conſequeretur.* ὃς ἀπορρήτοις εἴσω τῶν αὐτοῦ βασιλικοῖς ταμείοις, καιροῖς ἑκάστης ἡμέρας τακτοῖς ἑαυτὸν ἐγκλείων, μόνος ΜΟΝΩ, τῷ αὐτοῦ προσωμίλει ΘΕΩ, ἱκετηρίαις τε δεήσεσι γονυπετὴς κατεδυσώπει, ὧν ἰδεῖτο τυχεῖν. Supra audivimus pro eodem, proque ejus liberis, & milites & Epiſcopos, & quidem ipſius aut juſſu, aut rogatu *ſupplices Deo preces obtuliſſe.* Sed & cujuſvis parentis pro ſuis liberis preces Cyprianus ad Deum quidem fuiſſe indicet; aliquas ad Divos, neque ipſe, neque quiſquam ejuſdem ævi docet;

ibid. l. 4. c. 19. p. 150. A. & l. 4. p. 153. B.

Cypr. l. de op. & eleem. p. 260. extre.

Ille enim parentem liberorum multitudinem, quominus eleemoſynas egenis largiretur, excuſantem, ita convenit; *Atque in hoc ipſo* (inquit) *operari amplius debes, quo multorum pignorum pater es. Plures ſunt, pro quibus DOMINUM depreceris.* Huc quoque pertinet auctoris, ſed iſtis vetuſtioris, Tertulliani inſignis locus, in quo matrimonij à muliere Chriſtiana cum viro Gentili contracti incommoda enarrans, omnia conjugum officia religioſa, ſacraque vt ſic dicam, domeſtica, recenſet. Sic enim ille de Chriſtiana Ethnici viri vxore; *Quid maritus ſuus illi, vel marito quid illa cantabit? Audiat ſane, audiat aliquid de ſcena, de taberna, de ganea. Quæ Dei mentio?*

Tertull. ad Vxor. l. 2. p. 6. p. 190. B.

Quæ

Quæ CHRISTI invocatio? Vbi fomenta fidei de Scripturarum interje-ctione? Vbi Spiritus? ubi refrigerium? ubi divina benedictio? omnia ex-tranea, omnia inimica, omnia damnata, adterenda ſaluti à Malo immiſſa. Mox è contrario conjugij vtrimque Chriſtiani, fœlicitatem & officia deprædicat, *Quale* (inquit) *jugum fidelium duorum, vnius ſpei, vnius voti, vnius diſciplina, ejuſdem ſervitutis? Ambo fratres, ambo conſervi, nulla ſpiritus carniſve diſcretio.* Tum; *Simul orant, ſimul volutantur, & ſimul jejunia tranſigunt, alterutro docentes, alterutro hortantes, alterutro ſuſtinentes*; & quæ ſequuntur ſane pulcherrima. Et ſtatim; *Neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri gravis eſt* (vt fit ſcili-cet in diſparium conjugio) *Libere æger viſitatur, indigens ſuſtentatur. Eleemoſyna ſine tormento, ſacrificia ſine ſcrupulo, quotidiana diligentia ſine impedimento. Non furtiva ſignatio, non trepida gratulatio, non muta benedictio. Sonant inter duos Pſalmi & hymni, & mutuo provocant, quis melius DEO ſuo cantet.* Hæc ille; in quibus vides omnia pioruũ, quæ do-mi fiũt, religioſa officia, *cantus ſacros, DEI mentionẽ, CHRISTI invo-cationem, Scripturarum ad fidem fovendam interjectionem* (id eſt vt opinor, ſubinde precibus interjectam divinarum litterarum lectio-nem) tum *jejunia*, & *mutuas inſtructiones, atque cohortationes, ægrorum viſitationes, eleemoſynas, ſacrificia, ſignationem, gratulationem, benedi-ctionem, pſalmos, hymnos, cantare Deo.* Ego in iſtis Tertulliani quædam video, quæ nunc in Latinorum conjugiis deſidero, vt illam *Scripturarũ interjectionem*; quæ in eorum familiis vbi quidem valent & vigent Pij Pontificis regulæ, inuſitata eſt; & hæreticorum potius, quam Catho-licorum propria cenſetur. Sed in Tertulliano viciſſim deſiderari non-nulla cerno, quæ nunc apud Latinos abundant. Cætera mitto; Illud v-num devoveo, quod veſpertinas illas Iaſindoni, & pęne omnium Latino cultui paulo Sanctius addictorum familiares, ac quotidianas *Litanias* inter tam multa, quæ hic recenſentur, pietatis domeſticæ officia, nul-las invenio; quod ne ipſum quidem illud quintum vt ſic dicam, Latini Chriſtianiſmi elementum, *Ave Maria*, quod iſtorum devori quinqua-gies de die ſonant, hic vel ſemel poſitum, aut ſignificatum offendo. *In-vocationem* memorat Tertullianus, ſed *Dni.* 1. *Benedictionem* dicit, ſed *divinam. Pſalmos & hymnos* non tacet inter virum & conjugem *ſo-nantes* (quod ipſum quoque ni fallor, apud noſtrorum Latinorum pa-treſfamilias rarum eſt) ſed hos *Deo*, non *Divis* dictos fuiſſe, ipſe, veluti cavere vellet ne tu eos aliorſum traheres, ſtatim diſerte docet; ad-dens *mutuo provocare* conjuges, *quis melius*, non Mariæ aut Divis, ſed *DEO ſuo cantet.* D. Mariæ ternam quotidie *ſalutationem*, Divorum domeſticorum *invocationem*, hymnos *in cælitum laudem*, ſi ſciviſſet, Tertullianus, tam hoc loco dixiſſet, quam eleemoſynas, & *ſignationem*, & Chriſti invocationem, & ſacra ad Deum *cantica*, & cætera, quæ more ſuo, diligenter dixit. Ne ergo dubites, quin illa nunc Latino-rum ſolennis Divæ Mariæ ter quotidie & cæterorum Divorum cre-bro,

CAPVT XVI.
Ibid. c. 8. p. 191. C.
D.

CAPVT XVII. bro invocandorum diſciplina, & Tertulliano, qui eam loco tam neceſſario tacuit, & Eccleſiæ ejus ævi plane penituſque ignota fuerit.

CAPVT XVII.

Argumentum XVI. Quod in triſtibus ſuis temporibus ad Divos confugere, eoſque invocare Latini quidem ſemper; vetuſtiſſimi vero Chriſtiani ad Deũ Solũ, non etiã ad Divos, reperiantur. Argumentum XVII. quod vetuſtiſſimi Chriſtiani in lætis proſperiſque Deo vni gratias laudeſque reddere, non etiam, vt Latini, Divis ſoleant, & quod iidem ſolum Deum, non etiam Divos, vt Latini, pro infidelium converſione precentur, & invocent.

SED præter illa tria quotidiani cultus tempora, pios Latini ritus homines videmus in omni vitæ parte Matris Virginis, & aliorum tum Angelorum, tum Divorum ex mortalibus cœlitum auxilia, præſidia, atque, vt loquuntur, ſuffragia, id eſt interceſſionem pro ſe apud Deum poſcere atque ſupplicationibus ad eos directis advocare & implorare. In adverſis quidem ac difficilibus rebus ad hunc eos cultum format ipſa ſuæ Eccleſiæ publica, ſolenniſque diſciplina, Litanias ad Divos jejuniorum, bellorum, mortalitatis, ſicciratum, aliarumque calamitatum temporibus vſurpantis. Itaque hoc ejus documentum ſequentes ſinguli paſſim in talibus vltro ad B. Mariam, & Divos confugimus. Res eſt apud omnes nota, & obvia; & nos ſupra non paucorum exempla in generali diſputatione exhibuimus in caſibus hujuſmodi, puta in peſte, ſiccitate, incendio, naufragio, jactura, perſecutione, &c. Divos Divaſque ſtrenue invocantium, & iis vota etiam nuncupantium; quæ nunc repetere nihil neceſſe eſt. Vetuſtiſſimos vero Chriſtianos in hujuſmodi rerum articulis Deum quidem invocaſſe ex veris eorum monumentis ſcimus; ad Divos vnquam preces detuliſſe nullas reperimus. Et quædam hujus rei argumenta jam in ſuperioribus attulimus; de Marci militibus, qui imbrem ſuis, ſed ad vnum Deum, orationibus impetrarunt; de Chriſtianis in genere, qui ſuis ſupplicationibus, & jejunationibus, ſed nullis ad Divos directis, ſiccitates ſæpe depulerunt, de Petro, pro quo in vincula ab Herode conjecto tota Eccleſia Hieroſolymitana, nullas quidem ad Divos Litanias recitaſſe, ſed orationem ad Deum ſine intermiſſione feciſſe dicitur; de Paulo, qui in naufragio Angelum, quamquam ei divinitus apparentem, invocaſſe nuſquam legitur, de Dionyſio & Cypriano, & eorum Eccleſiis, à quibus nullas mortalitate graſſante vel Litanias vel ſimplices ad Divos preces vel recitatas vel imperatas fuiſſe legimus.

Ex Tertull. ad ſcap. c. 4.
D Act. 12. 5.
Act. 27. 23.

mus. In perſecutione, Latinos ſupra didicimus Divorum Divarumque auxilium tanto animorum ſtudio ac fervore depoſcere vt Ieſuitas audiremus narrantes ſuos diſcipulos Nangazachenos ſæviente apud Iaponas huius generis tempeſtate *Angelicam* ad Virginem Matrem ſupplicationem trecenties millies recitaſſe. Nihil apud veteres ſimile. In Africa ſæviente graviſſima perſecutione Cyprianus Presbyteros & Diaconos Eccleſiæ ſuæ, ad quos aliquot epiſtolas de eo argumento ſcribit, & diligenter officij ſui admonet; Narrat exprobratum fuiſſe divinitus fidelibus oblato cuidam ex iis cœleſti viſo, quod *dormitarent in precibus*. Nullum ſuis ad mitigandam Dei iram *Ave Maria*, nullas Sanctorum aut D. Mariæ Litanias ex hoc novo Latinorum ritu præcipit, ſed *Dominum* (id eſt Chriſtum) *rogandum, & per ipſum Deo Patri ſatisfaciendum* eſſe docet. Et mox vrget, & *vnumquemque* fidelium *orare Deum*, non pro ſe tantum, ſed pro omnibus fratribus, & omnes ſimplices & vnanimes Dominum deprecari cum fide accipiendi. Epiſtola vero XI. quæ idem argumentum tangit, plebem ſimiliter monet, *in ſatisfactione Dei & deprecatione vigilandum*. De Litaniis, & Divorum ſupplicationibus, vel de Ave Maria non laïcos magis, quam clericos monet. Idem alibi Rogatianum & alios Confeſſores in carcere conſtitutos, adeoque in ſupremo agone verſantes ſcribens confirmat ſe *aſſiduis orationibus* (non certe Divos, ſed) *Dominum deprecari, vt initiis ad ſumma pergentibus, quos confiteri fecit, faciat & coronari*. Sed de his quoque exemplis, multa in prima hujus operis parte diximus, vbi fidelium & confeſſorum certamina ad agonem ſe accingentium expoſuimus. Satis ſit nunc ſimul ſemelque dixiſſe, in illis decem perſecutionibus; quæ vetuſtiſſimam Chriſti Eccleſiam crudeliſſime oppugnarunt, ne ſemel quidem vllum fidelium legi vel Litanias aliquas ad Divos dixiſſe, vel *Ave Maria* recitaſſe. Huc quoque pertinet quod vbi aliquid ſuſcipitur difficile & ancipitis eventus, Latini quidem Divos dextros & faventes precari ſolent; veteres rem non alij quam vni Deo commendare reperiuntur. Sic tota Antiochena Eccleſia Paulum & Barnabam & alios ad opus Evangelij apud Gentes finitimas prædicandi *jejunantes. & orantes, imponenteſque eis manus dimiſerunt*. Oraſſe autem non Divos, ſed Deum, docet capite ſequenti Lucas, vbi res ab illis in hac expeditione geſtas exſequutus, ait eos *navigaſſe Antiochiam, vnde erant traditi*, id eſt commendati, *gratiæ DEI, in opus quod compleverunt*. Ad hoc exemplum Pſeudo-Clemens finxit, & Iacobum vnà cum cæteris Apoſtolis, indicta in diem ſequentem noſtrorum Hieroſolymis cum Iudæis diſputatione, quod ea res graviſſimi erat in vtramque partem momenti, *Deo omnipotenti per totam noctem ſupplicaſſe*, vt futura diſputatio bene verteret; & Petrum poſtea Cæſareæ cum Simone congreſſurum, *oraſſe* & ipſum & qui cum eo erant, vt *Deus per Chriſtum ſuum pro ineffabili miſericor-*

[Margin notes: CAPVT XVII. — *Ann. Iap. a.* 1619.10. — *Cypr. ep.* 4 ſ. 7. — *ep.* 7. *p.* 17. — *Ibid.* — *Id. ep.* 11. *p.* 25. — *Id. ep.* 81 *p.* 152. — *Act.* 13.3. — *Act.* 14.25. — *Clem. Recog. L.* 1. *ſ.* 9. *C.*]

CAPVT *ricordia ſua ſe adjuvaret exeuntem pro ſalute hominum, qui ab ipſo*
XVII. *creati ſunt.* De *Litaniis,* quibus ex Latina diſciplina, nihil erat in
Id ibid.l.2.f vtroque loco opportunius, non aliter tacet, quam ſi hominum *Lu-*
12. G. *theranorum* (vt noſtros Latini vocare ſolent) res & preces deſcribe-
Act Thar. & A tr. apud Bar. A.D. 290 §. 31. ret. Chriſtiani Cilices cum Andronici & Tharaci beſtiis ob fidei confeſſionem objectorum corpora à Paganis objecta inveſtigarent, & invenire ad ſepulturæ honorem percuperent, non Mariam, non Divos, non ipſos horum Martyrum ſpiritus, non denique Angelum aliquem obſecrarunt, vt eſſet ſibi per tenebras viæ, & inquiſitionis illius dux (quod erat ex Latinorum diſciplina conſentaneum) ſed *Dominum rogarunt, vt ipſis nota fierent corpora Martyrum. Fiximus* (inquiunt) *genua, & oravimus Dominum & Chriſtum ejus, vt deſiderium noſtrorum impleret.*

Sed in temporibus, ac difficilibus & adverſis, ſic quoque lætis ac ſecundis appellari, orari & laudari à Latinis Divos ſupra variis exemplis docuimus, hominum ſuam ſalutem, reſque bene ac feliciter geſtas, & ſua familiæque proſpera aut Virgini aut alicui de cœlitum numero imputantium. Vetuſtiſſimi Chriſtiani omnium ſive terrenorum, ſive ſpiritualium bonorum laudem, ac gloriam vni DEO tribuere reperiuntur. Ad hoc exemplo ſuo præiverant Apoſtoli, qui in ſuis Epiſtolis ſæpiſſime leguntur gratias Deo & Chriſto de ſuis aliorumque proſperis agere; alicui de Divis, nunquam. Præeuntes, diſcipuli, & ſucceſſores ad vnum omnes ſecuti ſunt. Ita Leonidas pro dato ſibi Origene filio, adhuc puero, in cujus illa ætatula mira-
Euſeb. Hiſt. l.6.c.3.p.58. B biles jam effulgebant ad pietatem & eruditionem igniculi, *τὴν μεγίστην ὁμολογεῖν τῷ θεῷ χάριν, maximas DEO agebat gratias,* quod fuiſſet pro ſua clementia & bonitate dignatus eum talis Filij patrem efficere. *Deo* dicit Euſebius; non Divæ Virgini, vlli alij de cœlitibus Divis. Ipſe vero Euſebius, decimum librum, in quo Eccleſiæ decem graviſſimis perſecutionibus defunctæ pacem inde & res lætas dicturus ſic
Id. hiſt. l. 10. c. 1. init. orditur; *Sed Deo* (inquit) *Patri omnipotenti & rerum vniverſarum Regi, ac gubernatori ſit maxima in omnibus gratia; nec minor etiam Filio Servatori, ac Redemptori animarum noſtrarum Ieſu Chriſto tribuatur, per quem precamur, vti pace firma, & ſtabili perpetuo fruamur.*
Id. ibid l. 10. Sic etiam in Oratione Panegyrica pro pace Eccleſiis reddita exultans
c.4 p.108. B. Deo Patri, & Chriſto Filiō laudes & gratias rependit & alios ſecum fideles rependere hortatur ac præcipit. Apud eundem & Conſtan-
Id. de vita Conſt. l 1. p. 121. B. (*Lat. c.15.*) tius, quod Conſtantinus filius ſibi in vita ſupremis conſtituto ex inſpirato veniens adeſſet, *exiliens è cubili preces cum gratiarum actione DEO obnixe fundit, εὐχαριστήριον ἀνέπεμπε τῷ θεῷ τὴν εὐχήν;* & Conſtantinus imperij Decennalia celebrans; *preces, quibus gratias agebat, DEO omnium Regi dicebat, tanquam ſacrificia quædam ignis & nidoris*
ibid p.124. B (*Lat.*) *c.41.* *expertia, τῷ πάντων βασιλεῖ θεῷ εὐχαριστηρίους εὐχάς, ὥσπερ τινὰς ἀπύρους καὶ ἀκάπνους θυσίας ἀνεπέμπετο.* In tanta celebritate, nihil de votis Divæ

Virgini,

Virgini, vel alij de Divorum cenſu redditis, nihil de actis iiſdem more Latino gratiis. Ita Conſtantinus; ita cæteri ad illam diem Chriſtiani læta proſperaque ſua omnes Deo vni accepta ferebant, ſuaſque pro iis Euchariſticas preces & laudes illi vni conſecrabant. Neque aliud diverſum vel vnum edi poteſt ex tota illa antiquitate exemplum.

Neque illud hoc loco omiſerim, quod pro converſione Gentilium ad fidem Chriſtianam Veteres quidem vnum Deum, Latini vero etiam Virginem matrem, & cæteros Divos orare deprehenduntur. De Latinis jam aliquot ſupra exempla dedimus Riccij Divam Virginem ſepties quotidie invocari vtiliter præcipientis, ad mulierem Sinenſem ad Latinam fidem traducendam*, duarum Virginum Sinenſium *Ave Maria* ad avunculi ſui, qui Ethnicus erat, converſionem ſedecies millies paucis diebus recitantium; Medici Iaponis ad vxorem Ethniciſmi morbo liberandam orationes ad Divam Mariam toto quinquennio fœliciter adhibentis †. De veteribus nihil vſquam ſimile proditum; quos Deum ad hanc rem oraſſe teſtantur ipſæ eorum preces, quæ apud Pſeudo-Clementem in Conſtitutionibus aliquæ ad Deum, nullæ ad Divos extant; *Etiam oramus te* (inquiunt fideles Deum precantes) *pro iis qui nos odio habent & perſequuntur nos propter nomen tuum, pro iis qui extra ſunt, & verſantur in errore, vt reduceas eos in bonum, & furorem eorum mitiges.* Et Cyprianus diſerte profitetur in libro ad Demetrianum hominem Paganum, vbi præfatus ſe *pro arcendis* imperij Romani *hoſtibus, & imbribus impetrandis, & vel auferendis, vel temperãdis adverſis rogare ſemper & preces fundere*, hæc continenter addit; *Et pro pace* (inquit) *ac ſalute veſtra propitiantes ac placantes Deum, diebus ac noctibus jugiter atque inſtanter oramus.* Neque in illius memoriæ actis & libris vſpiam reperio quemquam à Paganiſmo ad veram fidem fuiſſe converſum fuſis pro eo ad Divam Virginem precibus.

* *Trig. Sinic. l. 4. c. 17. p. 448.*

† *Solier. Iapo. l. 19. c. 6 p. 674.*

Conſt. l. 8. c. 12. p. 1021. D.

Cypr. ad Demetr. p. 238. verſus finem libri.

CAPVT XVIII.

Argumentum XVIII.° Quod vetuſtiſsimi ante quartum ſaculum Chriſtiani Scriptores, tum in iis, quæ de Martyrum vita encomiaſtica ediderunt, tum in aliis ſuis operibus, Deum quidem ſæpe invocant ad opus conficiendum, vel ei pro confecto gratias agunt; Divos neutro vnquam in loco, quod nunc Eccleſiaſtici Latinorum Scriptores pæne omnes faciunt, appellaſſe reperiuntur.

SED inter cæteros Latinorum hominum ordines, eos videmus, qui litteras & eruditionem profitentur, ſuam fere ſolere in Divos religionem teſtari in ſui ingenij monumentis, maxime iis (ſi qua hujuſ generis edant) quæ ad res ſacras, divinas, & Eccleſiaſticas pertinent. Nam & in epiſtolis ſæpe, iis, vel ad quos, vel de quibus ſcribunt, Divos ſuos faventes, ac propitios benevoloſque precantur; vt exempli cauſa Nicolaus Lombardus Ieſuita in epiſtola, quam ex Sinarum terris ad Claudium Aquavivam ſuæ ſocietatis Præfectum Generalem a. D. 1598. dedit, ea exſecutus, quæ ſui homines in illo imperio & jam cœperant, & in poſterum moliebantur, implorat poſtremo totius aulæ cœleſtis opem, ac præſertim Divæ Virginis, Divorum Petri ac Pauli & Angelorum Sinicæ terræ cuſtodum, ac tutelarium præſidum, vt lætum fœlicemque ſuorum conſiliorum ac conatuum progreſſum, exitumque à Sanctiſſima Trinitate impetrent. Atqui neque Paulum in tam multis, quas ad recens conſtitutus Eccleſias de rebus ſacris epiſtolas ſcripſit, neque quemquam alium ex vetuſtiſſimis ad a.D.300. ſcriptoribus, videmus in ſimili argumento verſantes aliquid ſimile feciſſe. Paulus quidē Romanis & Corinthiis & Theſſalonicenſibus & aliis, apud quos tū primū coaleſcebant Chriſti nomini ac diſciplinæ cōſecrati cœtus, & ſępe alias, & in epiſtolarū cōcluſione ſemper, aut *gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti*, aut *charitatem Dei, & Sancti Spiritus communicationem* precatus; Virginem Matrem, aut Divos nuſquam pro iis orat. Ne ad Timotheum quidem & Titum ſcribens, quorum alterum Epheſi, alterum in Creta conſtituendæ in iis locis Eccleſiæ gratia reliquerat, vel Epheſios vel Cretenſes Divis vllis commendat, aut vtriuſque terræ cuſtodes ac tutores Angelos precatur, vt ſuorum diſcipulorum in iſtis regionibus labores, ac cœpta, conſiliaque ſecundent, ſuiſve præſidiis atque interceſſionibus adjuvent. Vtrique exordiens *gratiam*, more ſuo, *miſericordiam, & pacem, à Deo Patre, & Chriſto Ieſu Domino noſtro*, non ab vllis aliis precatur. Neque aliter vel Petrus cum Ponticis, vel Clemens cum Corinthiis agunt, quos Latini ſuos eſſe auctores jactant. Petri pro prioti-

Rom. 16. 24. 1. Cor. 16. 23. Gal. 6. 18. 1 & 2. Theſſ. eſ. r.

1. Tim. 1. 2. Tit. 1. 4.

prioribus votum eſt, *Deum omnis gratiæ eos in Chriſto perfecturum, confirmaturum, & ſolidaturum*; ad Virginem & Angelos nullum votum eſt. Clemens vero, quem Corinthiorum & nomen, & præſens cauſſa, Pauli Apoſtoli in tam periculoſo diſcrimine opem & præſidium implorare ex diſciplina quidem Latina admonebat (laborabant enim etiam tum ſchiſmate, ejus gemino, quod Paulus illius Eccleſiæ fundator, olim ſuis cohortationibus ac monitis ſedare ac curare ſategerat) Clemens inquam, de iis rebus ſcribens Pauli quidem epiſtolam * de hoc argumento ad ipſos datam Corinthios commendat, præſidium & auxilium, nuſquam implorat; ſed præceptorum inſtituta & mores ſequens vnum Deum, in extrema epiſtola *omnium inſpectorem, & Dominum Spirituum & omnis carnis*, παντεπόπτην, καὶ δεσπότην τῶν πνευμάτων καὶ κύριον πάσης σαρκὸς rogat, vt *det omni animæ, quæ ſanctum & glorioſum nomen ejus invocaverit, fidem, timorem, pacem, patientiam, lenitatem, continentiam, & ſapientiam, vt nomini ejus recte placeat, per ſummum* (inquit) *ſacerdotem & præſidem noſtrum Dominum Ieſum Chriſtum, per quem illi ſit gloria, majeſtas, poteſtas, honor & nunc & in ſæcula ſæculorum, Amen.* διὰ τοῦ ἀρχιερέως καὶ προστάτου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, δι' οὗ αὐτῷ δόξα, &c. Hic certe locus erat ex Latino quidem ritu ſaltem illi vt vocant, indirectæ Pauli, aut Divæ Virginis, aut tutelarium Angelorum invocationi; vt poſt Chriſtum principem *ſacerdotem & præſidem noſtrum*, adderet, *& per merita atque interceſſionem B. Virginis, & Pauli, qui veſtram Eccleſiam condidit, ac conſtituit*, Nemo nunc Latinorum noſtrorum hanc tali in loco precem omitteret. Clemens eorum auctor ſcilicet, plane penituſque omiſit; Tantum illud Pauli ſui ſolenne in calce epiſtolæ adſcripſit, Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ μεθ' ὑμῶν, *Gratia Domini Ieſu Chriſti ſit vobiſcum*, &c. Eadem obſervare eſt in Polycarpi beatiſſimi Martyris ad Philippenſes, ipſos quoque Pauli diſcipulos, epiſtola; quibus, cum ex Latino more & Virginis Matris & cæterorum Divorum, & Pauli præſertim præceptoris atque inſtitutoris auxilium, atque præſidium vel directa, vel certe indirecta precе optandum, atque ambiendum eſſet; ſanctiſſimus Ioannis alumnus nihil quidem habet hujuſmodi; neque alium pro iis quam Deum Patrem & Chriſtum Dominum hoc modo precatur in extrema epiſtola; *Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ipſe ſempiternus Pontifex Dei Filius Ieſus Chriſtus, ædificet vos in fide & veritate & in omni manſuetudine*; & quæ ſequuntur ejuſdem generis plura. Neque ab his diverſum exemplum in omni illa prima antiquitate reperire eſt. Sed hic operæ pretium eſt illud nominatim obſervare in omni Latinorum ſcriptorum cenſu nullos eſſe, qui orationes ad Divos ſuis operibus diligentius aut crebrius inſerant, quam eos, qui Sanctorum & Martyrum vitas, aut laudes, vel etiam ſolas eorum paſſiones litteris mandarunt. His enim familiare eſt, ipſos illos, quos celebrant, invocare, & eorum opem atque

CAPUT XVIII.

1. Petr. 5. 10.

*Clem. p. 61.

Clem. ep. ad Cor. p. 75.

ibid. p. 76.

Polyc. ep. ad Phil. p. 23.

CAPUT XVIII.

præſidium in operum ſuorum vel limine vel calce depoſcere. Exempla recentiorum, paſſim vbique, etiam in ipſo Breviario, obvia piget deſcribere. Illud potius notandum non eſſe hunc nuperum morem, neque Latinorum noſtrorum proprium, aut ſingularem. Ita fere vſurparunt quicumque in Sanctos jam inde ab initio vel paulo obſervantiores quam decuit, fuerunt; neque eum longe à vero oberraturum puto, qui dixerit hunc fuiſſe apud Chriſtianos primum ad ſanctos invocandos gradum, cum calefacti atque inardeſcentes rerum præclare ab iis geſtarum meditatione, prædicatione, atque exaggeratione animi ad eos denique invocandos prorumperent. Certe quæ de quarto ſæculo prima hujus invocationis afferuntur exempla, ea fere ſunt hujus generis; ex encomiaſticis quorumdam diſertiſſimorum, & eruditione ſæculari florentiſſimorum hominum in Sanctos orationibus deſumpta; Gregorij Nazianzeni in Cyprianum, in Athanaſium, in Baſilium; Gregorij Nyſſeni in Theodorum, qui ambo quarto, ſed jam præcipiti ſæculo celebres habebantur. Eos & Ambroſius & Hieronymus & Paulinus Nolanus iiſdem temporibus imitati ſunt, ſecutis Theodoretus, ſive quis alius Religioſæ Hiſtoriæ ſcriptor, & alij. Nihil neceſſe eſt hæc iſtorum loca recitare, à Bellarmino, Perronio, Caniſio, & aliis Latinis diligentiſſime vel deſcripta, vel ſaltem annotata, & primo fere in ordine ſuorum argumentorum recenſita. Nihil ergo dubitandum eſt, quin eorum de tribus ſuperioribus Chriſtianiſmi ſæculis anteceſſores idem quoque paribus in ſcriptis factari fuerint, ſi ſanctos invocare fas putaſſent. Extat elegantiſſimus Pontij Diaconi in Cyprianum magiſtrum ac Epiſcopum ſuum liber; qui totus clamat quantopere Martyrem hic ſcriptor non modo amarit, ſed etiam admiratus & veneratus ſit. Quo ille animi ardore ejus laudes, virtuteſque, ac ſtupendam pietatem celebrat? Quanto viri deſiderio flagrat? quam flebiliter luget, quod ejus comes in morte non fuerit? vt etiam in hoc ipſum deſinat, *ſe quidem multum ac nimis multum de gloria Martyris exſultare; plus tamen dolere, quod remanſerit?* Hunc tu ſi Martyras tum invocare mos erat, ſic animo affectum, non putas fuiſſe hoc loco ſermonem ad Martyrem converſurum? non ei ſupplicaturum, vt ſe conſolaretur abſentem? vt ſuum deſiderium ſua luce, ſuiſque præſidiis leniret? vt ſuam apud has terras moram contraheret? vt ad palmam ſuæ ſimilem anhelantem juvaret, & brevi promoveret? Ego vero nihil dubito, quin Cyprianum ſuum, æque ac poſtea fecit in ſimili loco Gregorius, hic quoque invocaturus fuerit; & quidem tanto quam ille impenſius atque ardentius, quanto eum veriſimile eſt teneriori ac effuſiori in præceptorem atque Epiſcopum ſuum affectu fuiſſe, quam fuit, multis poſt annis natus Gregorius. Atqui nihil in toto libello hujuſmodi feciſſe eum videmus. Par erat vtrique cauſa; etiam Pontio gravior atque efficacior. Cur ergo Martyrem Gregorius tanto poſt intervallo

Bell. de Sanct. beat. c. 19. Perr. Repl. l. 5. Cani. in Catech.

Pont. de vita Cypr.

vallo

vallo invocavit; Pontius multo propior, idem officium, cujus ei rationes & plures & graviores erant, optimo magiſtro minime exſolvit? Tardus eſt, vt ego quidem judico, qui non videt vtriuſque conſilij in tam pari cauſa diſparitatem hinc eſſe profectam; quod Martyras invocari ſolenne Gregorij quidem ævo primulum eſſe cœperat; Pontij ævo nondum cœperat. Ita ſui vtrique, quamquam diverſi, conſilij ratio conſtabat. Polycarpum ſui Smyrnenſes quam tenere & vivum dilexerint, & mortuum ſuſpexerint, omniaque ejus facta, dicta, magna, minima in oculis geſſerint, & ipſi in Actis paſſionis ejus ſimpliciſſime quidem, ſed tamen effuſiſſime teſtantur, & nos ſupra aliquoties animadvertimus, & Iudæorum calumnia demonſtrat, qui eos Chriſto relicto hunc adoraturos ſparſerunt. Hunc tamen tale ac tantum virum nuſquam, illi in tota illa ſua epiſtola invocant; qua nullum eſt in rebus Chriſtianis monumentum poſt Apoſtolicas litteras præclarius; Quidni? Nimirum quia illis temporibus martyras ſuos, quod hi teſtantur, Chriſtiani quidem *diligebant*, ἐφίλουν, vnum vero Chriſtum *colebant*, ἐσέβοντο. Neque Lugdunenſium noſtrorum in ſuos illos cœleſtes athletas Pothinum, Attalum, Blandinum, Sanctum, alios, minor apparet vel dilectio vel admiratio. Neminem tamen eorum invocaſſe reperiuntur in Actis quę ab ipſis conſignata extant. Denique, vt vno verbo abſolvam, nullius Martyris ante quidem a. D. 300. vero certoque ſcriptam paſſionem habemus, in qua is ab auctore invocetur. Sed non in hujus duntaxat generis libris Divos ſuos invocare Latinis nunc ſolenne eſt. In cæteris id quoque illi paſſim vſurpant; Divis vel preces pro iis perficiendis quæ meditantur, vel certe pro perfectis gratiarum actiones offerentes. Baronius famoſos illos ſuos Annales ordiens, in primis precatur, *vt ſibi ad immenſum pelagus ſuperandum vela pandenti, ipſa Dei genitrix, divini Numinis conciliatrix ſemper aſſiſtat*; & primam operis partem concludens *gratias immenſas agit, eaſdem jugiter repetit, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, nec non & Sanctiſſimæ Dei genitrici Mariæ, vt conciliatrici divini Numinis. Ipſi namque* (inquit) *ſicut hæc omnia noſtra accepta fecimus, ita pariter & offerimus, vt ipſa eadem qualiacumque ſint, dilecto Filio ſuo porrigat; vt impartita benedictione ſanctificet, illamque pro munere gratiam poſcat, vt ipſe ſit nobis portio in terra viventium.* Tum ſecundum operis Tomum aggrediens, *Vt nos* (inquit) *immeriti tot tantaque conſequi valeamus, Dei genitrix ſanctiſſima Virgo Maria, per quam veritas æterna è cœlo delapſa latiſſime ſe in terras effudit, ſumma gratia atque potentia à Deo nobis precibus impetret, largiterque condonet.* Tum, *innumeris donis per eam acceptis ingentem ſibi conceptam fiduciam roborari* ait, *ſecuramque reddi, quod ſuſceptum ſemel eadem auſpice illuſtrandæ veritatis officium optatum exitum conſequatur. Ea ergo ſignum jam dante, atque fauſtis vocibus acclamante, velut carceribus orationem latam proſilire, hilarem ad curſum habe-*

nas

Caput XVIII.

Acta Polyc. apud Euſeb. Hiſt. l. 4. c. 15.

Acta Lugd. apud. Euſeb. Hiſt. l. 5. c. 1.

Baron. Apparat. §. 131. extr.

Idem a. D. 100. T. 1. extr.

ibid. initio Tomi 2.

CAPVT XVIII. *nas laxare.* Hæc ille; quæ ob mirificum inuſitatæ tum ſapientiæ, tum eloquentiæ genus placuit adſcribere. Sed & eumdem tomum *Id. Tom. 2. extr.* claudens ſimilibus elegantiis & Divæ Virgini, & ſibi ipſi blandirur; *orationem ſuam* jubens *gratiam ex more allturam ad ſanctiſsima Dei genitricis pedes pronam ſe ſternere, vt cui accepta fert omnia, offerat quicquid à Deo ſe ejus precibus intelligit conſecutam, & duos iſtos Amalium* (ſane vægrandes) *Tomos in ipſam* (Divam ſcilicet) *velut in Sacroſanctum vivumque gazophylacium; velut duo vidua minuta inferat.* Sperat *Virginem arcam ſibi tutiſſimam fore, in qua ſua lucubrationes incorrupta ſerventur; archivum, in quo repoſita nulla temporis varietate, vel diuturnitate labefactentur, nulla vetuſtate* deleantur, perpetua in terris memoria victuræ, æternaque præmia à Domino Christo aſſecuturæ. *Id. init. Tom. 3.* Optat in tertio, *vt eadem Diva ſe per Annales progredientem antecedat, ducat, ac doceat, velut Iſraëlem olim in deſerto columna illa ignea*; & peractum opus eidem offert votis ſupplicibus, per quam *ibid. Tom. extr.* ſcilicet in ſe à Deo fluxerunt vberrima gratiarum fluenta. Quartum exordiens vovet, vt ſicut Sol & Luna quartum divini operis in mundi *Id. Tom. 4. init.* creatione diem primum illuminarunt; ita & hanc operis ſui quartam partem Diva illa, pulcra vt Sol, electa vt Luna, gemina luce totam *ibid. in calce Tomi.* illuſtret, ac perfundat. Abſoluto & hoc Tomo, veluti voti reus; *Iam* (inquit) *quartum tuo beneficio, Dei genitrix Maria Virgo, penſum reddimus, perſolvimuſque illud tibi, à qua profitemur acceptum.* Sed ne eandem cantilenam lectori occinentes moleſti ſimus, hoc vnum addemus, nullum eſſe laciniosæ ac pœne immenſæ farraginis Tomum (ſunt autem omnes XII.) cujus iſte & caput & calcem non hujuſmodi corollis ornaverit; Divam, adjunctis etiam ei interdum Martyribus, in ſingulis operis partibus & ad inchoandum penſum invocans, & pro abſoluto religioſiſſima gratiarum actione venerans. Bellarminus ſimplicius; ſed tamen & ipſe ſingulis diſputationum ſuarum Tomis ſolenne apud iſtos carmen ſubſcripſit; *Laus Deo Virginiq́; Matri Mariæ.* Sic & Franciſcus Solerius, Ieſuita, illos de rebus ſuorum Iaponicis, libros viginti, qui ſunt à nobis ſæpius in hac lucubratione ad dicendum teſtimonium citati, ſe ipſe in calce operis profitetur ad Reginæ Virginum, Divique Ignatij, & Divi Xaverij laudem ſcripſiſſe. Hieronymus Majorica, homo ejuſdem quoque ſocietatis, epiſtolam de rebus a. D. 1610. à ſui ordinis ſodalibus in India geſtis *Ann. Indic. a. 1610. p. 216.* Goæ ſcriptam concludens; *Ac de his quidem* (inquit) *omnibus gloria & laus ſit Deo, & Sancto Indiarum Apoſtolo B. Xaverio.* Pleni ſunt ſimilibus floſculis pæne omnes Latinorum libri. Nunc ex altera parte veteres primæ memoriæ Chriſtianos Scriptores ſpectemus. Hi quidem neque ipſi ea ex ſuis, quæ nunc extant opuſculis, plæraque vel abſque precibus exordiuntur, vel abſque votis & gratiarum actionibus abſolvunt. Sed cum illi vel in capite vel in calce librorum ſuorum ſæpe precentur, & gratias agant, plane nullæ in vtroque loco

loco orationes ad Divos, vel ad Virginem directæ occurrunt omnes ad vnum Deum conſtanter, & abſque vlla exceptione deferuntur. Iuſtinus Parænericum ad Gentes inchoans; *Cohortationem* (inquit) *apud vos, viri Græci, inſtituens, DEVM oro*, εὔχομαι τῷ θεῷ, *vt & mihi ea dicendi, quæ opus eſt, ſuppeditet facultas, & vobis priſtino contentionis ſtudio relicto, majorumque errore abjecto, quæ vtilia ſunt in præſentia eligendi poteſtas.* Theophilus Antiochenus mundi tempora, rem valde perplexam & obſcuram, traditurus; *Ego* (inquit) *gratiam peto à SOLO DEO*, ἐγὼ δὲ αἰτοῦμαι χάριν παρὰ τοῦ ΜΟΝΟΥ ΘΕΟΥ, *vt ſecundum voluntatem ejus exactè rerum veritatem explanem.* Irenæus hæreticorum contra verum Chriſti Patrem blaſphemias confutans; *Ego igitur* (inquit) *invoco te, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, qui eſt & Iſraël, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Deus qui per multitudinem miſericordiæ tuæ bene ſenſiſti in nobis, vt te cognoſcamus, qui feciſti cœlum & terram, qui dominaris omnium, qui es ſolus & verus Deus, ſuper quem alius Deus non eſt; per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, dominatione quoque dominans Spiritus Sancti; da omni legenti hanc ſcripturam cognoſcere te, quia ſolus Deus es, & confirmari in te, & abſiſtere ab omni hæretica, & quæ eſt ſine Deo & impia ſententia.* Clemens Alexandrinus cum ex Scripturis docuiſſet Chriſtum eſſe Paſtorem & Pædagogum noſtrum; *Paſce nos* (inquit) *infantes, ſicut oves, Etiam Domine, imple tuis juſtitiæ paſcuis; Etiam Pædagoge, paſce nos ad Sanctum tuum montem, ad Eccleſiam*, βόσκησον ἡμᾶς τὰ νήπια ὡς πρόβατα. Ναὶ δέσποτα, τῆς σῆς πλήρωσον νομῆς τῆς δικαιοσύνης. Ναὶ παιδαγωγὲ, ποίμανον ἡμᾶς εἰς τὸ ἅγιόν σου ὄρος πρὸς τὴν Ἐκκλησίαν. Totum Pædagogi opus hac demum ad Dominum oratione concludit; *Propitius, placatuſque eſto tuis Pædagoge pueris*, ἵλαθι τοῖς σοῖς παιδαγωγὲ παιδίοις, *Pater, auriga Iſraël, Fili & Pater, vnum ambo, Domine; Da nobis, qui tua ſequimur præcepta, vt impleamus ſimilitudinem imaginis, & pro viribus ſentiamus bonum Deum, & judicem non acerbum*; Et alia quædam precatus, *vt laudemus* (inquit) *vnum Patrem & Filium; Filium inquam & Patrem pædagogum & Filium magiſtrum, vnà cum Sancto Spiritu, qui vnus eſt omnia.* αἰνοῦντας εὐχαριστεῖν τῷ μόνῳ Πατρὶ καὶ Υἱῷ, υἱῷ καὶ πατρὶ παιδαγωγῷ, καὶ διδασκάλῳ υἱῷ, σὺν καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, πάντα τῷ ἑνί. His hymnum illum poſtremo ad Dominum Chriſtum ſubiicit pulcherrimum, cujus nos ſupra initium exhibuimus. Sic quoque Tertullianus ſuum de velandis Virginibus opuſculum hoc voto conſignat; *Hæc cum bona pace legentibus, veritatem conſuetudini præponentibus, pax & gratia à Domino noſtro Ieſu redundet, cum Septimio Tertulliano, cujus hoc opuſculum eſt.* Origenes ad quartum eximij contra Celſum operis librum ſeſe accingens. *Deum per Chriſtum precatur*; qui *vtinam* (inquit) *nobis ſuggerat verba, de quibus in Hieremia ſcriptum eſt ex perſona Domini Prophetam ipſum alloquentis*; Ecce dedi verba in ore tuo ignem. Et

CAPVT XVIII.

Iuſtin. Paræneſ. init.

Theoph. l. 3. ad Autol. B. b. Patr. Gr. Lat. T. 1. p. 154. E

Iren. l. 3. c. 6. p. 247. B.

Clem. Alex. Pæd. l. 1. c. 9. p. 125 C.

Id. Pædag. l. 3. c. 12. p. 266. A.

Tertull. l. de Virg. vel. c. 17. ex. r. p. 104. C.

Origen. l. 4 contr. Celſ. init. p. 160.

CAPUT XVIII.

mox cum ſuſceptæ adverſus impium Celſum diſputationis difficultatem & neceſſitatem oſtendiſſet; *Quapropter* (inquit) *nobis eſt orandus Dominus dator ſupra ſcriptorum apud Hieremiam munerum, ut nobis dignetur concedere ſermones, quibus valeamus & ædificare quæ Chriſti ſunt, & plantare ſpiritualem legem.* Ipſum autem illum librum hoc voto concludit; *Det vero Deus per ſuum Filium,* Θεὸς δὲ δῴη διὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, *qui ipſius eſt ſermo, ſapientia, veritas, juſtitia, & quicquid ei ſacræ Scripturæ de Deo loquentes tribuunt, ut quintum quoque volumen aggrediamur ad lectoris utilitatem, idque abſolvamus ipſius favore animo noſtro aſpirante.* Et quintum rurſus exordiens; *Donet* (inquit) *Deus, ne mens noſtra ejus adſpirationis vacua diſputationem hanc tractet.* Rogat, *ut percepto Chriſti Spiritu demoliatur omnem altitudinem attollentem ſe contra Dei notitiam.* Septimum deinde volumen à precatione illa Prophetica orditur, *Deus in veritate tua diſperde eos; nimirum ſermones veritati adverſarios*; profeſſus ſe ſuperiorem omnem diſputationem confeciſſe, *invocato Deo per ipſum illum Chriſtum, quem Celſus accuſabat,* θεὸν ἐπικαλεσάμενοι διʼ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ κατηγορουμένου ὑπὸ Κέλσου. Octavum denique librum, qui totius operis poſtremus eſt, aggreſſurus; *Precor* (inquit) *Deum & Verbum ejus unigenitum, ut adſit mihi fortiter confutaturo Celſi mendacia*; & paucis interjectis, *Oro igitur iterum atque iterum, ut Deus det mihi verbum illud ſuum generoſum & verum Dominum in bello, quod contra vitium geritur, fortem & potentem.* δοίη ἡμῖν τὸν γενναῖον καὶ ἀληθῆ λόγον, τὸν Κύριον τὸν κραταιὸν καὶ δυνατὸν ἐν πολέμῳ τῷ κατὰ τῆς κακίας. Idem viri in Commentariis quoque mos eſt. Ita inchoatum diu antea in Ioannem opus, & poſtea cogente caſuum quorumdam acerbitate, intermiſſum repetens, *Deum* inprimis *magiſtrum in animæ penetrali adyto inſonantem adeſſe precatur, ut finem accipiat ſtructura enarrationis Evangelij ſecundum Ioannem.* Idem alibi in eadem opere; *Poſtulantes* (inquit) *ab eo, qui dat omni petenti, & omni conanti acute quærere, itemque eum pulſantes, ut nobis aperiatur, ſcientiæ clavibus occulta Scripturæ juxta vires nobis ſuppeditatas exponemus.* Et vigeſimum operis librum, ſive ut vocat, *tomum* exordiens *precatur è plenitudine Filij Dei accipere ſenſus plenos, & ſolidos, nihilque vacui habentes.* Sic initio tomi XXXII. *Utinam* (inquit) *eum nunc veluti ſecundam & trigeſimam ſtationem in his, quæ dicentur, ingredi conemur, nobis adſit columna illa lucida nubis Ieſu, quæ nos præcedat cum opus erit, rurſuſque ſtet cum oportebit.* Columnam ſibi quoque iſte præire perinde ac Baronius, optat. In eo diſcrimen eſt, quod noſter *Ieſum*, Baronius *Mariam*, columnam illam ſuæ viæ ducem, intelligunt. Ibidem poſt multa; *Gratias* (inquit) *Deo agamus pro his, quæ expoſuimus.* Idem Paulinæ ad Romanos epiſtolæ expoſitionem non prius aggreditur, *quam deprecatus fuerit Deum, qui docet hominem ſcientiam, & qui dat per Spiritum verbum ſapientiæ, quique illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

ibid.

ibid. l. 4. extr. p. 236.

ibid. l. 5. p. 237.

ibid. l. 7. init. p. 346.

ibid. l. 8. init. p. 391.

Id. in Ioan. init. T. 6. p. 288.

id. in Ioan. Tom. 11. p. 320.

ibid. T. 20. p. 358.

ibid. Tom. 32. init. p. 404.

ibid. p. 423. init.

Id. in Rom. l. 1. init. p. 457.

dum, vt dignum ſe facere dignetur intelligere parabolas & obſcuros ſermones, dictaque ſapientum & anigmata. Et in eadem operis parte ſe *Deum invocare* dicit, *vt ipſe ſibi per Spiritum ſanctum ſuam offenſionem & ſcandalum lectionis Apoſtolicæ, per quem dubiæ mentes offendi videntur, aperiat.* Ita vetuſtiſſimi noſtrorum Euſebius quarti ſæculi vir, eadem tamen ſequitur, ſuam Eccleſiæ hiſtoriam, non, vt Baronius annales ſuos, à Divæ Mariæ, ſed à Dei Optimi Maximi veneratione & adoratione exordiens, *Deum Verbi Patrem, ipſumque Ieſum Chriſtum, cœleſtem Dei ſermonem, Servatorem vt Dominum noſtrum precibus invocans, vt in veritate explananda adjumento ſibi ac ſubſidio eſſe velit,* τὸν τοῦ λόγου πατέρα καὶ τὸν δηλούμενον αὐτὸν Ἰησοῦν χριστὸν, τὸν σωτῆρα καὶ Κύριον ἡμῶν, τὸν οὐράνιον τοῦ θεοῦ λόγον, βοηθὸν ἡμῖν καὶ συνεργὸν τῆς κατὰ τὴν διήγησιν ἀληθείας ἐπικαλεσάμενοι. Neque aliter aliud ſuum de Conſtantini vita opus exorſus eſt; *Dei Patris* (inquit) *imploremus auxilium, & Filij ejus cœleſtis Verbi opem, vt nobis in hoc negotio Divino ejus afflatu ſubveniat.* κλήσει τῷ δὲ θεῷ βοηθῷ, ἐπίπνοιά τε συνεργὸς ἡμῖν ἡ μετὰ τοῦ λόγου. Conſtantinus denique Auguſtus in oratione ad *Sanctorum cœtum*, non alium quam Deum invocat. *Benigniſſimus* (inquit) *Dei Patris & Filij ejus afflatus mihi adſit ea dicenti, quæ præſcripſerit ipſe, mentique injecerit.* Et iterum infra; Πάρεσθι χριστὲ ὁ σωτὴρ ἁπάντων καὶ τὸν περὶ τῆς σῆς ἀρετῆς κατακόσμει λόγον. *Ades jam Chriſte, Servator omnium, ſermonem de tua virtute ſuſceptum exorna.* Et poſtea ſuas quoque gratiarum actiones ad Chriſtum dirigit; *Hanc tibi gratiarum actionem pro virili offerimus, Chriſte Deus & Servator, ſummi Patris ſumma providentia, qui & è malis nos eximis, & doctrina inſtruis longe ſanctiſſima*; ταύτην σοι τὴν εὐχαριστίαν κατὰ τὸ δυνατὸν ἀποδίδομεν, χριστὸς ὁ θεὸς καὶ σωτὴρ, μεγάλου πατρὸς μεγίστη πρόνοια, σώζοντι τε ἐκ τῶν κακῶν, καὶ τὴν μακαριωτάτην διδασκαλίαν διδάσκοντι. Hæc illi hactenus. Denique, vt vno verbo abſolvam, nego vllum eſſe illius memoriæ, de qua nunc quærimus, Scriptorem verum, qui Virginem Matrem, qui Martyras, qui cæterorum Divorum aliquem in ſuis libris invocet, quod nunc paſſim facit omnis Latinorum natio, qui alium, quam vnum verum Deum oret, vel alij religioſas gratiarum actiones, quam illi vni, deferat.

CAPVT XVIII.

ibid. p. 468. init.

Euſeb. Hiſt. l. 1. c. 5. f. 5. A

Id. de vita Conſt. l. 1. fol. 119. B. (Lat. c. 7.

Conſt Or. ad Sanct. in Euſ. f. 158. a (Lat. c. 2.

ib. f. 161. a. (Lat c. 10.

ibid f. 162. (Lat. c. 12.

CAPVT XIX.

Argumentum XIX. inde petitum, quod Divos in ſupremis invocare, Latinis quidem ſolenne eſt, vetuſtiſſimis vero Chriſtianis inſuetum & ignotum, indicatur & ad primum, vbi tractatum eſt, operis librum reycitur Superiorum argumentorum ἀνακεφαλαίωσις, & collectio.

IAM hic poſtremo comparandæ quoque inter ſe eſſent veterum Chriſtianorum, & Latinorum noſtrorum mores, & ſolennes vtrorumque ad hunc vitæ terminum apparatus. Sed hunc locum occupavit prima diſputationis pars, quæ generalis fuit. Illis enim clariſſime demonſtravimus primos illos ac vetuſtiſſimos noſtros ad a. D. 300. majores, vt viventes, ita quoque morientes & ad vltimum illum agonem ſeſe accingentes, vnum Deum invocaſſe ac veneratos eſſe, non, quod omnes Latini ritus homines nunc ſervant, vel Virginam Matrem, vel Angelos, vel cæteros Divos. Quæ dicta ſunt, non repetam, tantum lectorem rogabo, vt eorum quæ illic diſputata ſunt, hic meminerit; ſi non meminit, locum quem indicavimus, adire & conſulere ne gravetur. Ita omnem ni fallor, veterum, qui L. 1. c. intra annum à Dominico natali trecenteſimum vixerunt, religionem excuſſimus; omnes ejus cultus, publicos, privatos, omnes & fidelium & catechumenorum *liturgias*, omnes in præpoſitorum ordinationibus, in Eccleſiarum conſecrationibus, in quavis temporum diverſitate, noctu & interdiu, mane, meridie, veſpere, in rebus vel adverſis vel proſperis, vel à loquentibus pronunciari, vel litteris à ſcribentibus mandari ſolitas preces, & quas poſtremo vel à viuentibus dici, vel à morientibus effundi mos erat, omnes quoad à nobis quidem fieri potuit, inveſtigavimus, eruimus, edidimus. Qui omnibus iſtis locis, atque temporibus apud Latinos non modo apparet, ſed etiam eminet, neque ſolum toleratur aut celebratur, ſed etiam inculcatur, ac oſtentatur, Divorum, ac inprimis Virginis Matris, cultus, eum nos apud iſtos veteres plane nuſpiam deprehendimus; non dico à tota Eccleſia, non ab ejus aliqua vel inſigni, vel ſaltem exigua parte, ſed ne ab vno quidem homine Chriſtiano factitatum; non dico, omnibus annis, omnibus menſibus, omnibus hebdomadibus, omnibus diebus atque horis (vt fit apud Latinos) frequentatum; non dico ſæpe, non crebro, aut plerumque, ſed ne ſemel quidem vel ab vno aliquo homine vſurpatum, in tota illa prima, ſane florentiſſima, ſpectatiſſima, ac probatiſſima Eccleſiæ ætate adverſus decem crudeliſſimas perſecutiones annorum fere trecentorum, ſpatio fortiſſime ac fæliciſſime depugnantis. Quis ita nunc eſt vel hebes &

mente

mente ſenſibuſque captus, vel cauſæ Latinæ ſtudio excæcatus, qui hinc illud quod nos contendimus, non intelligat, apud veteres iſtos nondum fuiſſe cognitam illam Latinorum de Divorum *dulia & hyperdulia* theologiam? quæ ſcilicet vbicumque nota eſt, eo ſtatim ac neceſſario invehit eorum, quos religioſe colendos decernit, Divorum invocationem? vt vel ipſa Latinorum praxis oſtendit? CAPVT XX.

CAPVT XX.

Argumentum XX. Quod quorum ſive virorum, ſive mulierum pietatem laudant, eorum Divos, ac præſertim in Mariam, religionem ac cultum Latini quidem memorant ac prædicant, vetuſtiſſimi vero Chriſtiani nihil ſimile vſpiam feciſſe repeniuntur, quos laudant, eos à pietate, non in aliam, quam in Deum, neque ab aliis quam Dei cultu, commendantes.

HOc ipſum inde quoque validiſſime confirmatur, quod in cōmendanda vel Eccleſiarum, vel hominum pietate hunc & in Divos cæteros & in Virginem præſertim Matrem, *duliæ hyperduliæ*que, vt vocant, cultum, Latini quidem fere ſemper, vetuſtiſſimi vero Chriſtiani nunquam commemorare reperiuntur. Eſt prope Goam apud Indos in agro ſubvrbano Salſettana quædam Eccleſia, in *paræcias* (vt loquuntur) xxv. diviſa, quam ſoli Ieſuitæ regunt, non parochorum modo, ſed etiam Archiepiſcopi, & Inquiſitoris jure, vicario, ſibi à loci Metropolita & Inquiſitore delegato. Hanc illi Eccleſiam, ſuum peculium, *vineam* (ſic enim vocant) *Domini electam* longeque *dilectiſſimam*, magnis præ cæteris omnibus laudibus efferunt; Hujus fœlicitatem, & lætiſſimos in omni Latinæ pietatis genere proventus deprędicant; quo cæteris vt opinor, rectoribus invidiam faciant, noſque doceant quam beatus futurus ſit orbis, ſi eum benedicti Ieſu ſodales, omni alia ſublata auctoritate, gubernent, ac ex ſui Loyolæ abſolutiſſimis legibus adminiſtrent. Cæterum non alia magis abs re horum Salſetanorum excellentiam commendant, quam quod *Divæ Virginis officium & Roſarium* aſſidue recitant. Quin & miraculorum gloriam ex eo maxime tempore apud illos eſfloreſcere cœpiſſe narrant, quo *Majoris* Eccleſia Divæ Deiparæ, in Deorum matris locum (quæ iſtic à Paginis antea colebatur) ſuffectæ nomine & patrocinio gaudet; idemque eſſe alterius apud eoſdem Eccleſiæ decus, quæ vulgo *Noſtre Domine de Roſario* dicitur. Iidem, quod jam ſupra attigimus, Braſilienſem, ſuæ in diverſa orbis parte prædicationis fœturam, hoc quoque argumento inprimis celebrant, quod nunc omnes illius barbariæ agri ac ſylvæ ſanctiſſimis Ieſu & Mariæ nominibus, & iis quæ paſſim vtrique canuntur, laudibus atque orationibus

I. Maracci Relatio. an. D. 1649. p. 32. 33. 35.

MMm 3 per-

CAPVT XX.

Ann. Goa. a. 1618. p. 107.

perſonent. Sic etiam alibi præſidiariam quandam Luſitanorum militum cohortem, ejuſque pietatem per omnes longe lateque Indias (quod ipſi aiunt) inclytam laudantes, vix aliud rei ſpecimen oſtentant præter communem omnium in Virginem Matrem devotionem, eamque tantam, vt illorum nemo ſit, qui Divæ roſarium quotidie non recitet, nemo qui non ſibi perſuaſerit nefas eſſe per ejus nomen jurare neque vnquam impune, id ſceleris admitti, omninoque vel vitæ, vel certe rerum ſuarum exitum infœlicem ſortitutum quiſque eo ſe piaculo polluerit. Neque ſingulorum hominum aliter quam Eccleſiarum pietatem commendant. Auctorem ſuum Loyolam, quem Papa in cœlitum cenſum Divi Ignatij nomine conſecratum retulit, tanta fuiſſe in Virginem Matrem pietate tradunt, vt magna illa, quæ poſtea geſſit, jam pæne meditans, in ipſo tanti operis molimine, ad ejus fidem, atque clementiam potiſſimum confugerit.

Maffei. de vita Loyol. l. c. 3.
Orlandin. Hiſt. Societ. L. 1. §. 16

Ac vt intelligas quam fervido in Divæ honorem zelo arſerit, narrant eum adhuc tironem, hominem Maurum, in quem forte in itinere quodam inciderat, familiari, vt fit, conſerto inter eos colloquio de B. Mariæ poſt partum virginitate, cum huc ſermo incidiſſet, dubitantem, ferre non potuiſſe, ſicque totum ira & indignatione ſancta fuiſſe inflammatu, vt de homine, eo pugione, quem adhuc geſtabat, ſtatim confodiendo cogitarit. Et feciſſet, niſi illum, *generoſi* (vt Ieſuitæ volunt) *pectoris impetum*, beſtia, qua vehebatur, vt olim, ita nunc quoque ſuo *Propheta* ſapientior, cohibuiſſet. Cum enim ille tacito conſcientiæ, nonnihil ſuo zelo reclamantis, ſtimulo admonitus, dubitare cœpiſſet, an Deo & Divæ ipſi grata acceptaque futura eſſet ea vltio, quam animo apud ſe deſignaverat; vir ſapientiſſimus mulæ ſuæ totam deliberationem permiſit, laxatis ei in bivio, ad quod forte pervenerat, habenis, hac lege, vt Maurum, ſi beſtia, qua ille via præceſſerat, eadem ipſa ſequeretur, incunctanter occideret; ſin aliter eſſet, cæde abſtineret, & hominem impune abire ſineret. Aliter fuit, & quidem divinitus, cum & latior, & planior, & commodior eſſet via, quę præiverat Maurus; arctior & difficilior, ea quam jumentum maluit. Ita ſtultus quidem & improvidus, ſed tamen fœlix mulæ error Ignatij furias correxit; & hominem ad divinitatis faſtigium aſcenſurum percommode liberavit homicidij infamia; quem, ſi mula ſuo in Virginem zelo obſequi paſſa eſſet, Divum ex ſicario facere, difficilius, vt opinor, Papæ futurum erat. Hæc iſti de ſuo Ignatio.

Ann. Æth. a. 1621. p. 299.

Laurentium Romanum, ſuæ ſocietatis hominem, in Æthiopia poſt magnos ſuſceptos & exantlatos labores mortuum, de more laudantes, commemorant inprimis in Mariam Virginem fuiſſe devotiſſimum, Divæque propius intuendæ ſummo in ſupremis deſiderio flagrantem exarſiſſe.

Ann. Braſil. a. 1621. p. 154.

Pari in loco Paulum Caravallium, ipſum quoque Ieſuitam, in excolenda Braſiliæ vinea mortuum, referunt juſta viro exſolventes, eandem illam Divam *dilexiſſe, vt Matrem; coluiſſe, vt miſericordiarum*

Caput XX.

Reginam, ſeque totum ejus ſervitio devoviſſe, atque tradidiſſe. Eodem fere elogio Ludovicum Conſalvuum, in Goano ſuo ſeminario mortuum, cohoneſtant, adoleſcentem ſiquid iis credimus, eximiæ virtutis, indoliſq; ad res divinas plane ſingularis. Nunc mitis in cœlum laudibus vehentes aiunt hominem Matris Virginis fuiſſe devotiſſimū, præſentemque Divæ opem non ſemel eſſe expertum. Petrum Gomeſium, ſuum apud Iaponas (vt loquuntur) Vice-provincialem, Nangazachi a. D 1599. ex apoplexia mortuum, collaudantes, ſcribunt itidem fuiſſe in Divam Virginem devotiſſimum [a], eademque de Michaële Caravallio [b], qui a. D. 1624. martyrium in eadem vrbe fecit, & de Leone quodam neophyto [c], & de Paulo Vetrubirorio, ipſo quoque Martyre, prædicant; & hunc addunt fideles cæteros ad litanias recitandas convocare, & in vnum cogere olim, dum viveret, ſolitum eſſe [d]. Andream illum, qui Sinarum ſuorum terram primus ſacro martyrij cruore imbuit, non alia re magis commendant, quam quod eſſet in eandem Divam devotiſſimus, quodque ei domi ſuæ ſacellum poſuiſſet, atque exornaſſet, vbi cæteros Latini ſecum ritus conſecraneos colligere ad religionem ſoleret, ſi quando Ieſuitæ ipſi adeſſent. Hoc quoque vni de ſuis neophytis itidem *Sinæ*, multa ob Latinam fidem paſſo, inter præcipua laudum decora deputant, quod Divæ Virgini, in quam erat multo zelo, multaque pietate præditus, omnem ceræ ex domeſticis alveariis proventum quotannis dono offerret. Symeonem vero Suyetuquium Iaponem, qui in noviſſima perſecutione martyrium fecit, effuſiſſime celebrantes, memorant eum ſingularis quadam in Divæ Virginis Matris, & Filij ejus cultum devotione jam inde à parvulo flagraſſe, ſacrum Crucifixi ſimulacrum manu ipſum ſua finxiſſe, ante quod mane, meridie & veſpere tanta animi attentione quotidie precabatur, vt nulla orantem amicorum aut aliorum intervenientium præſentia, nulli ſermones poſſent à Sancta cogitatione deterrere; haud aliter quam ſi iſtic defixus fuiſſet. Ne hoc quidem de Anna quadam ex eadem gente neophyta, tacendum putarunt; mulierem ex ea devotione, quam in ſanctiſſimam Virginem paulatim habere cœperat, ejus nomen Mariam filiolæ ſuæ impoſuiſſe. Alexander vero Rhodius Franciſcum quemdam militem neophytum pulcra ac præclara quæcumque ſunt virtutum officia, exercere ac excolere præfatus hoc fere vnum de eo memorandum putavit, quod pulcherrimam *Noſtra Domina de roſario* imaginem, quam olim cum eſſet Paganus, emptam jam tum venerari erat ſolitus, nunc in domeſtico ſacello collocatam diu noctuque accuratiſſime ac religioſiſſime colat. Simile eſt cujuſdam adoleſcentulæ ex Iaponia, cujus pietas ad cœlum evehitur, apud Soletium elogium quod *noſtræ* (vt illi loquuntur) Dominæ eſſet devotiſſima, ejuſque Divæ *roſarium* quotidie recitaret. Sed nullus erit finis, ſi omnia de hoc genere afferre voluero. Rarus enim eſt ob pietatem quidem ab iſtis laudatus,

Ann. Goan. 1620. p. 222.

a *Sol. Iapon.* l. [illegible] 14. p. 154. 155.

b *Sol. Iap.* 20. c. 5. p. 1613.

c *Ann. Iap. a.* 1618 p. 310.

d *Ann. Iap.* 1626. p. 388.

Senedo Sinic. Part. 2. c. 11. p. 342.

Ann. Sin. a. 1618. p. 270.

Ann. Iap. a. 1629. c. 3. p. 116.

Relat. Iap. a. 1596. p. 172.

Alex. Rhod. Iter. comm. Part. [illegible] c. 2[illegible]. p. 178.

Sol. Iap. l. 17. c. 5. p. 497.

cum

CAPUT XX.

cujus non celebretur vel ipſe in Divam zelus, vel aliquod ejus argumentum. Cæterorum vero Divorum cultum, Latini, etſi quam Virginis Matris parcius, ſæpe tamen & ipſum quoque talibus in locis memorant. Petrus à Valle, vir præter natalium ſplendorem & Romanæ nobilitatis decus, cæteris quoque animi atque ingenij ornamentis clariſſimus, epicedion vxori ſuæ dilectiſſimæ *Sitti Maani Gioeridæ* Aſſyriæ, nobiliſſimæ, generoſiſſimæ, ac lectiſſimæ matronæ, ipſe in vrbe ad ejus tumulum dixit. In ea oratione cætera, ſane ſtupenda, tum corporis, tum animi & ingenij bona executus, quæ in illa longiori ævo digna, Heroide certatim florebant, cum ad virtutes venit & morales, & religioſas, quibus erat ipſa quoque inſtructiſſima, hæc de ejus in Divos cultu ſcribit; *Quam vero eſſes* (inquit; tota enim oratio ad ipſam illam eximiam mulierem dirigitur) *in cultus divini obſervatione aſſidua ac diligens; quam Beatiſſimæ Virgini, quam omnibus Divis, Angeliſque cæleſtibus devota, us præſertim, quos tu tibi ipſa Patronos proprios ac peculiares delegeras; quam denique ad ea vel credenda vel gerenda docilis & facilis quæcumque ſacra noſtra lege docentur, ſciunt, & libenter confirmabunt Perſarum & Turcarum, & Arabum gentes.* Sic Ieſuitæ illuſtrem ex Iaponum, etiam remotiore gente, fœminam, Ariæ Dominam, Hieronymam, eo maxime commendant, quod Hieronymo, Divo cognomini templum excitaſſet, & annuo vectigali dotaſſet. Duos item Arimæ Dominos eo celebrant, quod ambo eſſent Divo Xaverio devotiſſimi. Ex his (neque enim plura congerere neceſſe eſt) apparet, quam diligenter Latini ſuorum hominum in Divos, ac præſertim in Deiparam Virginem, religionem ac zelum commemorent, quoties de eorum pietate verba faciũt. Atque illi quidem jure meritoque ex ſui dogmatis hypotheſi ſic inſtituunt. Si enim (quod illi ſciſcunt) Divorum ac præſertim B. Mariæ cultus Chriſtianæ religionis pars eſt, & quidem haud quaquam contemnenda; Si (quod decernunt Tridentini) impie ſentiunt, qui aliter judicant, parce profecto ac maligne ejus pietas laudatur, qui Deum coluiſſe ſic dicitur, vt nulla ejus cultus fiat mentio, quem Divis exhibuit. Mutila eſt ea pietatis imago, quæ vnam tantum ejus partem continet, alteram, quæ per totam hominum vitam latiſſime diffunditur, non magis exhibet, quam ſi plane nulla fuiſſet. Itaque ſi ea fidelium olim tribus Chriſtianiſmi primis ſæculis in Divos religio; ſi ea *dulia* ea *hyperdulia*, atque obſervantia fuit, quæ nunc Latinorum eſt; omnino hujus mentio occurret in veteribus libris, vbi ſcriptores, illius memoriæ, ſuorum hominum pietatem laudant. Atqui nulla vſquam in hujuſmodi locis occurrit. Non poſtulo, vt, de priſcis illis monumentis aliquem repræſentes, qui corpus & animam ſuam B. Mariæ Virgini devoviſſe ac tradidiſſe in manus dicatur, qui ejus propius intuendæ deſiderio arſiſſe; qui de ejus Virginitate dubitantes occidere voluiſſe tradantur. Hæc magna Ieſuitico zelo, velut pro-

Pietr della Valle nel Funerale di Sitti Maani &c. p. 142.

Annal. Iap. a. 1595 p. 24. Ann. Iapon. 1605. p. 177.

pria

pria atque eximia concedamus; quæ illa ſcilicet tempora, nondum terris oſtenſo Divo Loyola, vix ac ne vix quidem capere poterant. Iſta tantum ttalatitia, & nunc apud omnes obvia requiro, vt tu mihi aliquem de veris vetuſtiſſimorum actis exhibeas, ſuos vel vivos vel mortuos inde laudantem, quod Divos, quod ſaltem Divorum omniũ Reginam D. Mariam coluerint, aut precati, & allocuti, vel cum devotione denique venerati ſint. Sed apud veteres non hæc magis, quam illa reperire eſt. Paulus Theſſalonicenſium, ad quam ſcribit, Eccleſiam laudat: Eorum vivam & efficacem fidem, laborem, caritatem, ſuſtinentiam ſpei Domini Ieſu ante Deum Patrem, imitationem ſui, patientiam & gaudium Spiritus in media tribulatione, ſinceram à ſimulacris ad Deum verum converſionem, & expectationem Filij ejus de cœlis, diſerte commendat. Iiſdem in altera epiſtola gratulatur fidei & caritatis & patientiæ incrementa. Alios Chriſti greges & hic, & cæteri ſcriptores divini non raro laudant. Ipſe Dominus Chriſtus Eccleſiarum Aſianarum cenſuram agens; Epheſinam à labore, & patientia, & ſeveritate in malos; Pergamenſem & Philadelphienſem à perſeverantia in ſuo nomine, ſuaque fide; Thyatirenam ab operibus, à fide, à caritate, à miniſterio, & conſtantia & progreſſu in bonis, commendat. Sed neque Dominus, neque ejus Apoſtoli vllam Eccleſiam à Divorum, aut Martyrum, vel etiam Virginis Mariæ cultu, vel à zelo & conſtantia in iis venerandis & invocandis laudaſſe vſpiam deprehenduntur. Clemens Apoſtolorum diſcipulus, Eccleſiam Corinthiam, qualis erat antequam in ſchiſma laberetur, magnis multiſq; laudibus exornat; Fuiſſe eã ante hac omni virtute plenam ac firma fide conſiſtentem; vt omnibus apud eam verſantibus eſſet admirationi, & vniverſorum ſana in Chriſtum pietas, magnifica in exteros hoſpitalitas, perfecta rerum divinarum cognitio, & ſingulorum egregij mores, in præpoſitos obſequium, in ſeniores reverentia, ſeniorũ in junioribus ad modeſtiã erudiendis, & in mulieribus ad caſtitatem & conjugũm amorem & familiæ diſciplinã inſtituendis cura & ſtudium. Adhæc eorum humilitatem, liberalitatem, animi æquitatem, verbi divini amorem, Dominicarum paſſionum meditationem, pacem, & inexplebile quoddam benefaciendi ſtudium, deprædicat. Eo *plena* (inquit) *ſuper omnes Spiritus Sancti effuſio fiebat, ſanctaque voluntate pleni, bonaque animi promptitudine cum pia ac devota fiducia manus veſtras ad DEVM omnipotentem extendebatis, ſupplíciter eum rogantes, vt placatus eſſet, ſi quid præter voluntatem peccaſſetis,* ἐν ἀγαθῇ προθυμίᾳ μετ' εὐσεβοῦς πεποιθήσεως ἐξετείνατε τὰς χεῖρας ὑμῶν πρὸς τὸν παντοκράτορα θεὸν, ἱκετεύοντες αὐτὸν ἵλεων γενέσθαι, εἴ τι ἄκοντες ἡμάρτετε. In tam effuſa, in tam plena Corinthiæ Eccleſiæ laudatione, illud Salſetani gregis ad Matrem Virginem *officium*, & *roſarium* nullum videmus; nullas Divæ dicatas ædes; nulla ad eas miracula. Non ad alium quam *ad Deum manus extendiſſe*, non

Margin notes:
CAPUT XX.
1. Theſſ. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.
2. Theſſ. 1. 3. 4.
Apoc. 2. 2. 13. 19. & 3. 2. 8.
Clem. ep. ad Cor. p. 2.
ibid. p. 3.
ibid. p. 4.

NNn alij

CAPVT XX. alij *quam omnipotenti ſupplicaſſe*, dicit; & quidem *cum pia fiducia*, quæ ipſa fortaſſe effecit, ne de aliis rogandis laborarent. Sed hæc piorum olim laus, hodie Latinis eſt hæreſis qui noſtros damnant, quod vno Deo freti, contenti ac beati, Divos colere & invocare ſupervacaneum putant. Sed neque ſingulos vetuſtiſſimi Chriſtiani fideles, magis quam Eccleſias totas à cultu & pietate in Divos commendant. Iacobum cognomento Iuſtum, Hieroſolymorum Epiſcopum, Chriſti Martyrem ſanctiſſimum laudat apud Euſebium Hegeſippus, & inter cæteros viri actus religioſos commemorat admirabilem in precando diligentiam, tantam vt ejus genua inde occalluerint, quod iis aſſidue niteretur orans. Illas vero preces ad Deum omnes fuiſſe ſignificat; nullius, quæ fuerit ad Divos, meminit, ἀπεσκληκέναι τὰ γόνατα αὐτοῦ δίκην καμήλου, διὰ τὸ ἀεὶ κάμπτειν ἐπὶ γόνυ προσκυνοῦντα τῷ Θεῷ. *genua ejus occalluiſſe inſtar cameli, quod ſemper in genu procumberet DEVM adorans.* Vetium Epagathum Lugdunenſium & Viennenſium Eccleſia Vetus, in qua glorioſiſſimo martyrio conſummatus erat, ſummis vt par erat, laudibus ferens, ejus pleniſſimam in Deum & in proximum caritatem, zelum Dei, fervorem ſpiritus, in omnibus Domini præceptis integritatem, ad omne in proximos officiũ ſedulo exſequendum propenſionem ac diligentiam diſerte deprędicat. De altera illa pietatis, ſed Latinæ, parte, cultu ſcilicet & religione in Divos, plane nihil dicit. Iidem & hunc & cæteros martyras, vnà cum eo paſſos, omnes ſimul ſemelque etiam effuſius commendant à ſumma modeſtia, atque ad Chriſti exemplum efficta humilitate, à Dei reverentia, à caritate in omnes, à precibus ad inſtar Stephani, pro perſecutoribus fuſis, ab æquitate & commiſeratione in fratres lapſos, & multis calidiſque pro iis apud Deum Patrem lacrymis; De precibus ad Divos, de aliqua in eos pietate ac religione, hic quoque vt ſupra, conſtanter tacent. Cyprianum Pontius ejus Diaconus, in proprio, quo vitam Martyris complexus eſt, volumine, accuratiſſime laudavit; quicquid in eo egregium fuit vel catechumeno, vel neophyto, vel epiſcopo, vel etiam nondum converſo, explicat; Vt ſtatim initia fidei *ad indigentiam pauperum ſuſtentandam, res ſuas diſtraxerit, totaque prædia pretio diſpenſarit*; Vt quæ quiſque virorum à Deo probatorum geſſiſſe, & quibus Dei laudationem conſecutus eſſe in Scripturis dicitur, ea ipſe omnia vnus imitanda ſibi propoſuerit; Vt Cæcilium ſenem, Eccleſiæ presbyterum, & ſuum in Domino parentem, *toto honore atque omni obſervantia dilexerit, obſequentique veneratione* ſuſpexerit, ſuiſque obſequiis ita demulſerit, vt ei ille de ſæculo diſcedens conjugem ac liberos commendaret. Longum eſt omnia repetere. Vix enim quicquam omiſit Pontius, quod perfectum Dei cultorem, quod Epiſcopum ſingularem, quod egregium Martyrem deceat. Quis crediderit virum epiſcopi ſui vſque adeo ſtudioſum, nihil de ejus in Angelos, in Divos,

Hegeſipp. Hiponim l. 5. apud Euſ. Hiſt. l. 2. c. 23. fol. 19. A.

Act. Mart. Lugd. apud Euſeb. Hiſt. T. 5. c. 1. fol. 45. A.

ibid. c. 2. f. 48. A.

Pont. de vita Cypr. E. Z.

c. 11. A.

Divos, in Divorum Reginam Virginem pietate ac cultu fuiſſe dictu- CAPVT
rum, ſi hæ ab illius ævi Chriſtianis aliquę veræ pietatis partes habitę XX.
eſſent? Origenem Euſebius celebrat; & inter cæteras laudes, quas *Euſeb Hiſt.*
in virum toto fere libro ſexto paſſim effundit, ardentiſſimam ejus jam *Eccleſ. l. 6. c.*
in ipſa pueritia, atque adoleſcentia pietatem prædicat, religioſaſque *3 f. 59. A. B.*
aſceſes deſcribit, ſummum ejus in Deum zelum, in ſpargendo Evan-
gelio ſtudium acre & indefeſſum, vitam prædicationi congruam, aſ-
ſiduam Scripturarum divinarum meditationem, victus vilitatem, je-
junia, vigilias, humicubationem, nuditatis, frigoris, aliorum incom-
modorum tolerantiam, vini abſtinentiam, & cætera ejuſdem generis.
Illud vero inſigne eſt, quod ferventiſſimum ejus in omnes ſanctos
martyras, notos & ignotos, amorem, ſtudium officium commemo-
rans narrat quidem, vt eos in vinculis viſitarit, ipſis non ad vltimum
modo judicium, ſed etiam cum ad mortem abducerentur, adfuerit,
neque vllis periculis, ac ne ipſa quidem lapidatioue, deterreri potue-
rit, quin Chriſti athletas proſequens & alloquio, & oſculo confir-
marer. Quæ vero (ſi tum fiebant, vt nunc à Latinis fiunt) huc ma-
xime pertinebant, plane penituſque tacet, quod ſcilicet eos cœlo re-
ceptos religioſe coluerit, ac invocarit, eorumve reliquias legerit,
adorarit, ſibi ſervarit, amicis diſtribuerit. Ne Leonidæ quidem pa-
tri, fortiſſimo Domini martyri, quicquam cum hujuſmodi cultus im-
pendiſſe refert, tametſi hoc ad illa tempora de eo egregium minime
prætermiſerit, cum Leonidas eſſet pro fide in ea vincula conjectus, ex
quibus martyrium fecit, Origenem filium adhuc puerum cum ad
martyrij lauream miſſa epiſtola, quod à matre ne ipſe iret, teneba-
tur, vehementer eſſe exhortatum, & hæc ipſa præclara ſane verba,
ſcripſiſſe, ἐπεχε μὴ δι' ἡμᾶς ἄλλο τι φρονήσῃς. *Vide, nequid noſtri cauſa* *ibid fol. 58. B.*
ſecius cogitaris, aut feceris. Pamphilum quoque ſuum Euſebius, tam-
etſi proprio opere tribus voluminibus dictum, quæ interciderunt, ne *Id. Hiſt. l. 8.*
in hiſtoria quidem illaudatum dimiſit. Illuſtrem ejus in omni vi- *fol 97. A.*
tæ parte virtutem extollit, rerum humanarum contemptum, bona
in egentium ſubſidium divendita, aſceſes, acerrimum divinarum litte-
rarum ſtudium, effuſam in proximorum vſus voluntatem; De Ieſui-
tico illo in Divam Virginem amore, de ejus, de aliorum cœlitum cul-
tu non in hujus magis, quam in Origenis laudibus quicquam tradit.
Conſtantinum vero libris quatuor exhibuit, qui cum illius Auguſti
perpetuam quandam à pietate & à rebus ad Chriſti gloriam geſtis
laudationem contineant, ne vnum quidem vſquam verbum habent de
ejus in B. Virginem, & in cæteros Divos cœlites religione, devotio-
ne, cultu, precibus; ne iis quidem locis, quibus exſequitur religioſas **vt l. 1. fol.*
viri ſummi preces*; quæ quoniam ſupra ſunt à nobis deſcripta, ni- *129. B. l. 2. f.*
hil hic repetere neceſſe eſt. Idem obſervare eſt in Helenæ, quæ Con- *150. A. B.*
ſtantini mater fuit, aſperſis in eodem opere laudibus. Narrat quot *Id. de vita Conſt. l. 3 fol.*
quantaque in Palæſtina ediderit ſuæ tum in Deum pietatis, tum in ho- *143. A. B.*

CAPVT XX. mines caritatis ſpecimina. Refert duo templa inſignia apud Bethlehemum vnum, alterum apud Hieroſolyma Deo ſuo Servatori poſuiſſe, magniſque ſumptibus perfeciſſe, alicui de Divis poſuiſſe (quod Ieſuitæ Hieronymam Ariæ Dominam celebrantes feciſſe memorabát) noſter hic nullus memorat. Inde recenſet ejuſdem ſplendida in Eccleſias donaria, largas in egenos eleemoſynas, omnigena in afflictos miſericordiæ opera, aſſiduam in ſacris ac religioſis conventibus præſentiam, & alia, quibus *ſuam in Deum reverentiam ac religionem*, τὴν εἰς τὸ θεῖον εὐλάβειαν, *per pios actus* oſtendebat, mortem poſtremo in Domino placidam ac beatam. De ſingulari in Divam Virginem devotione, quæ nunc muliebris apud Latinos pietatis pars eſt neceſſaria; de inſigni *Divorum*, & *Angelorum cœleſtium amore ac cultu* (quem de ſua Maani prædicabat Petrus à Valle) nihil in Helenæ elogiis Euſebius. Ex his patet primos Chriſtiani nominis ſcriptores nullius neque Eccleſiæ, neque viri, neque mulieris pietatem à religioſo in Virginem, aut in Divos cultu, quod nunc Latinis familiare eſt, laudaſſe vel commendaſſe vnquam, (neque enim aliud diſſimile exemplum ex veris illorum certiſque libris afferri poteſt.) Vnde & hoc quod diximus, evidentiſſime conſequitur ignotam omni illo tempore noſtris fuiſſe hodiernam Latinorum in Divos *duliæ* atque *hyperduliæ* religionem.

CAPVT XXI.

Argumentum XXI. Quod Divorum conſecratio, ac (vt vocant) canonizatio, res ad invocationem Divorum neceſſaria, eaque nunc apud Latinos ſolennis vetuſtiſſimis Chriſtianis plane inuſitata, inaudita, & incognita fuerit.

ID ipſum inde quoque, vt mihi videtur, facile intelligi poteſt, quod ejuſdem memoriæ Chriſtiani neſcierint omnem eam, quæ nunc apud Latinos ſolennis eſt, *Sanctos* (vt loquuntur) *canonizandi* rationem atque conſuetudinem. Eſt autem *canonizatio* (vt & Bellarminus definit, & omnes nunc ſciunt) publicum Eccleſiæ teſtimonium de vera ſanctitate & gloria alicujus hominis defuncti, & judicium atque ſententia, qua decernuntur *ei honores illi, qui debentur iis, qui cum Deo fœliciter regnant.* Hanc autem ſententiam, vt Sancti religioſe coli poſſint, inprimis eſſe neceſſariam, & multis probat Bellarminus, & res ipſa per ſe clariſſime loquitur. Non enim ex Latinorum ſcitis quivis homo mortuus religioſe colendus eſt (abſit) neque is ſimpliciter, quem in externa Chriſtianiſmi profeſſione mortuum eſſe conſtat (multi enim in ea moriuntur, quos vel palam profano & ſceleratos, vel certe hypocritas, & ſub ovis pelle vulpes, aut lupos fuiſſe certum eſt) neque is denique qui licet ab hypocriſi

Bell. de Sāct. Beat. c. 7. §. Sed.

alienus

alienus, aliquas tamen cum fide & ſpe peccati reliquias ſecum hinc diſcedens abſtulit, igni purgatorio exurenda (quem longe maximum eſſe putant apud ſe morientium numerum) ſed eum demum & religioſe coli, & à piis ſuperſtitibus rite ac tuto invocari poſſe arbitrantur, quem norint & in vera Chriſtianiſmi fide mortuum, & omni peccati labe purgatum, & in cœlum deniq; admiſſum Dei *viſione* frui, & in illo ſanctuario vnà cum Chriſto Domino regnare. Qui is ſit, eum vero *Sanctum*, vel ante *Beatum* merito dici, & illo ſuæ *duliæ* cultu dignum eſſe exiſtimant. Qui nondum ad illum apicem conſcenderit, ſed adhuc in ſalebris purgatorianis hæret, vt vt juſtus, vt vt fide ac ſanctimonia præſtanti ſit, eum nondum *Sanctum*, vel *Beatum*, nondum adeo *Divum* audire patiuntur, aut ijs gaudere honoribus, qui hæc apud ipſos nomina conſequuntur. Vt ergo peccat qui *latriam* ei, qui vere Deus non eſt, exhibet, ſic & ex Latinorum rationibus is quoque peccare cenſendus, qui *hyperduliam*, aut *duliam* ei homini defert, qui nondum eſt Divus; qui fortaſſe nunquam erit. Ac vt qui *latria* eum colit, qui Deus non eſt, *idololatra*, & eſt & dicitur, ita ſiquem quis *dulia*, aut *hyperdulia* proſequitur, qui *Divus* non eſt, eum (ſi per Grammaticos ita loqui fas ſit) *idolohyperdulum*, & *idolodulum* dici verum eſt. Ac idololatriam quidem ob violatam Dei majeſtatem, quæ ſumma & immenſa eſt, confiteor ſcelus eſſe longe omnium in religione graviſſimum; ſic tamen, vt *idoloduliam* & *idolohyperduliam* gravia & ipſa eſſe crimina ex iſtorum legibus contendam, ob læſam ſcilicet Divorum dignitatem, quæ licet à Divina longiſſime abſit eſt tamen poſt eam ſecunda, eique adeo proxima. Itaque niſi certo conſtet, qui Divi vere ſint; apparet eos omnes, qui Latinum de Divis religioſe colendis dogma ſequuntur, in maximo periculo verſari, ne, dum pro Divis eos colunt atque invocant, qui Divi vere non ſunt, in illud novi quidem quidem nominis, graviſſimi tamen reatus crimen incidant, quod nos Grammaticorum veniam præfati *idoloduliam* diximus; cui crimini quæ ſit conſtituta pœna, nondum quidem apud Dei tabulas reperi, ſed eam tamen ejuſdem cum illa generis futuram eſſe probabile eſt, quam fuiſſe in idololatras decretam ſcimus; quod vtrique, ſcilicet & *idololatra*, & *idoloduli* religionem, rem ſanctiſſimam, temerare atque inceſtare, tametſi non eodem ordine ac gradu, comperiantur, eam in alienum vel Deum, vel Divum tranſcribentes. Ac de hyperdulia quidem confiteor nihil eſſe, quod multum metuamus, quam ſcilicet vni Virgini Matri deberi decernunt; de cujus ſanctitate atque beatitudine nemo vnquam vere Chriſtianus dubitavit. Sed de *dulia*, quæ non vni, aut alteri, ſed omnibus qui Sancti ſunt, legitime deferri poteſt, apparet nos non abs re vereri ne ea per errorem illis forte tribuatur, qui Divi non ſunt; idque etiam Bellarminus inter cæteros canonizationis neceſſarias cauſſas merito attulit; *Niſi* (inquit) *judicio Eccleſiæ certi Sancti proponerentur colendi, facile fieri* CAPVT XXI. *Bell. vbi ſupra. § Quinto.*

CAPVT XXI.

poſſet, vt populus ſæpe erraret, & damnatos pro beatis coleret. Idque aliquando accidiſſe docet ex Sulpitio Severo; qui ſcribit *quod cum populus quidam coleret neſcio quem hominem mortuum pro Martyre, & B. Martino ſuſpecta eſſet illa religio, quod nihil certi à majoribus de illo Sancto accepiſſet, tandem oranti Martino apparuit anima ejus, qui ibi colebatur, & confeſſa eſt ſe animam damnatam eſſe latronis cujuſdam, qui pro ſuis ſceleribus extremi ſupplicij pœnas luerat.* Addit & aliud ex Alexandro P. R. III. exemplum, qui ſe audiviſſe ſcribit, *quoſdam Diabolica fraude deceptos hominem quemdam in potatione & ebrietate occiſum quaſi Sanctum venerari.* Sed & alia hujus generis non pauca afferre poterat, ſi ei libuiſſet, ex quibus fortaſſe quis non abs re ſuſpicari poſſet non eſſe plane falſum id, quod Auguſtini nomine jactatum negat Bellarminus ſe apud Auguſtinum reperiſſe, *multorum corpora honorari in terris, quorum animæ torquentur in gehenna.* Vtcumque ſit, ex his patet, vt vel dematur, vel certe minuatur error, apud quos Divi religioſe coluntur, eos eſſe plane neceſſarium publico vel Eccleſiæ, vel alicujus idonei & locupletis auctoris teſtimonio de eorum ſanctitate certiores reddi, qui colendi ſunt. Id ni fiat, præter commemoratum *idolodulia* periculum, duo alia graviſſima incommoda conſequentur, quæ & à Bellarmino tametſi aliam ad rem allata, hîc explicare non pigebit. Si enim contingat (quod niſi ſit aliqua Divorum canonizatio, certe continget) vt aliqui non Sancti *dulia* colantur, neceſſe erit iſtos, qui falſo & immerito coluntur, vel Tartari, vel certe Purgatorij cives eſſe. Si fuerint in priori cenſu, nemo non videt quam tætrum & horrificum ſit atque præpoſterum damnatos pro beatis invocari, & in diaboli conſortes honorem eum, cultumque tranſcribi, qui cœlitum & Chriſti Domini fratrum proprius eſt. Huc accedit, quòd talibus hic cultus, ſi non damnoſe, certe invtiliter ac fruſtra tribuitur; ex quo ſcilicet nullus ad colentem redire fructus poteſt. Quis enim damnatos homines pro quoquam apud Deum putet interceſſuros? At grave eſſe cenſet Bellarminus (& merito quidem ex ſui dogmatis hypotheſi) viventes Divorum interceſſionibus fraudari. Denique ſic fieret, vt qui hujuſmodi homines ita colerent, ſibi maledictionem pro benedictione peterent; Deum ſcilicet orantes, vt ſicut illos glorificavit in cœlis; ſic ſibi gratiam largiatur in terris; quæ oratio non modo falſa & impia, ſed etiam abſurda ac ridicula erit. Sin iſti, qui *dulia* coluntur, neque tamen Sancti ſunt, non gehennam, ſed Purgatorium incolunt; etiamſi levior futurus ſit in iis colendis error? non tamen omni carebit incommodo. Sic enim fiet, vt iſti, dum falſo honore mactantur, vero ac legitimo adjumento fraudulentur, id eſt ſuperſtitũ pro mitigandis eorum pœnis, & acceleranda liberatione ſuffragiis; quæ vlli Sancto ex Latinorum legibus deferre nefas eſt, juxta vulgatum Auguſtini verbũ, *injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Humaniſſimo autem

C. *Audivimus. Extra. de reliq. & Sanct. Vener.*

Bellar. l. de Sanct. Beat. c.9. §. *Sed obijciunt.*

Aug. de verb. Apoſt. Serm. 17.

viro Roberto Bellarmino durum, & immite facinus merito videtur quemquam ex illis miſeris Purgatorij inquilinis noſtro ſive crimine, ſive errore, eo refrigerio ac levamine fraudari, quo in illis fornacibus æſtuantes tantopere indigent. Itaque Latini, homines (quod omnes norunt) longe ſapientiſſimi, ut hæc & alia ejuſdem generis incommoda caverentur providerunt, uni ſuo Papæ delata tota hac fideles mortuos *canonizandi* poteſtate; ſic, ut abſque ejus auctoritate, ne eos quidem cuiquam venerari pro Divis liceat, ad quorum reliquias fiunt, miracula; quod in eorum jure ac Alexandro P. R. III. diſertiſſime decretum legimus. Quin & hoc defendunt ſui Papæ hac de re judicium certæ & indubitatæ eſſe veritatis; quippe qui pro ſolenni ſua fide atque integritate procul ab omni humano ſtudio poſitus, verum ſollicite, adhibitis etiam jejuniis & precibus publicis, inquirit; neque niſi ex miraculis magnis diligenter examinatis, judicat; à quibus omnis fraudis, doli, aut fictionis ſuſpicio longiſſime abeſt ſcilicet. Unde conſequens eſt, ut qui rato Dei munere jam ſuopte ingenio eſt *ἀναμάρτητος*, hac in re, quæ ab eo tanta cum gravitate ac maturitate geritur, multo minus quam in ulla alia, errare poſſit. Non jam diſquiro an iſta Latini recte, & ex vera ratione ita conſtituant; neque id nunc ſollicito, quod Bellarminus negat ullam uſquam errorem in hujuſmodi Papæ judiciis deprehenſum fuiſſe; Hoc tantum dico; Si veterum de tribus primis ſæculis Chriſtianorum eadem de colendis Divis ſententia ac traditio fuit, quæ nunc Latinorum eſt, decuiſſe, imo neceſſe fuiſſe ad hunc cultum rite ac legitime exercendum eos pro ſingulari, qua pollebant, prudentia aliquem conſtituere, qui toti Eccleſiæ præiret, & qui vere Divi eſſent hoc honore digni publice pronuntiaret; id eſt qui eos (ut Latini nunc, ſane ex ſuo hypotheſi ſapienter, faciunt) *canonizaret*. Atqui conſtat nullam Eccleſiam, nullum Eccleſiæ Epiſcopum toto illo tempore fuiſſe, cui hoc ſit delatum munus. Ipſum *canonizandi* vocabulum (eo quo hic ſumitur ſenſu) recens, ac nuper repertum eſt; in veteri omni Eccleſia inauditum. Et Bellarminus ipſe confitetur nullum ſibi ex Papis ſuis occurrere, qui ſolenniter Sanctum aliquem *canonizaverit* ante Leonem III. quem conſtat Romæ in Pontificiam ſedem a. D. 795. evectum, a. 816. ibidem eſſe mortuum; Hunc Verdæ poſt alias ſolennnitates Suibertum catalogo Sanctorum Confeſſorum adſcripſiſſe legi; Nihil ſe de ullo ſuperiorum temporum Papa ſimile uſpiam inveniſſe proditum; Poſt hunc, ſed longiſſimo intervallo occurrere Innocentium P. R. II. a. D. 1130. in illam Sedem evectum, qui Hugonem Gratianopolitanum Epiſcopum canonizavit; Inde Alexandrum III. (qui ſedem Romanam ab a. D. 1159. ad 1181. tenuit) Bernardum Clarævallenſem retuliſſe in Divos; Rem deinceps ad noſtram memoriam celebriorem ac frequentiorem factam. Ergo primis temporibus, quibus nullum extat hujus inſtituti veſtigium, ne ulla quidem fuit Sancto-

rum

CAPUT XXI.

L. 3. Decretal. Gen. tit 45. c. Audivimus extr.

Bell. ub sup. c. 9.

Ib §. Ultimo.

Ib. c. 4. Dicetis.

CAPVT XXI.

ctorum ſolennis ac legitima invocatio. Quod enim ait Bellarminus, Sanctos cœpiſſe coli in Eccleſia vniverſali *non tam lege aliqua, quam conſuetudine*, id hoc ipſum, quod nos defendimus adſtruit. Nimirum ſi qua fuiſſet lex de iis colendis, qui Divi eſſent, ab Apoſtolis tradita, non fuiſſet profecto Sanctorum deligendorum ratio ſingulorum hominum, aut cœtuum arbitrio, & vſui atque conſuetudini permiſſa, ſed vel Papæ Romano, vel alteri alicui Epiſcopo credita; ac commiſſa, vt is publicæ Chriſtianorum religioni conſuleret, & qui *duliæ* eſſent honoribus digni omnibus ediceret, ne temere ac fortuito & ex privato potius cujuſque ſtudio, quam ex æquo & vero cultus iſte ſuis hominibus contingeret. Qualiter apud Paganos in re plane conſimili fieri videbant; qui neminem niſi ex Senatus judicio publice conſecrabant, aut divinis in ſua religione honoribus afficiebant. Cum ergo nihil hujuſmodi apud vetuſtiſſimos Chriſtianos obtinuiſſe vel hinc conſtet, quod Tertullianus illum ipſum Paganorum morem, nunc apud Latinos in canonizandis Divis ſuis ſolennem, apertiſſime & quidem ſalſiſſime irriſerit, *Status* (inquit) *cujuſque Dei in Senatus æſtimatione pendebat. Deus non erat, quem homo conſultus noluiſſet*; concludendum eſt illorum temporum Chriſtianis incognitum & inuſitatum fuiſſe ipſum Divorum, quem nunc Latini factitant, cultum. Sed & Chriſtianorum veterum de *Sanctis* judicium plane aliud fuiſſe conſtat, quam nunc Latinorum eſt. Hi enim non alios habent pro *Sanctis*, quam eos, qui carne exuti, & peccati omnis puri Deum in cœlis recepti vident, & cum Chriſto Domino regnant. Veteres vero Chriſtiani *Sanctos* cenſebant quicumque baptiſmum rite ſuſceptum integrum ſervaverant; ad Euchariſtiam ſemel admiſſi, nec ab ejus participandæ jure vllo poſtea Eccleſiæ judicio excluſi; vt ex eorum libris patet, & ab ipſis adverſariis, inprimis ab Albaſpineo, diligentiſſimo antiquitatis ſcrutatore, non vno in loco eſt obſervatum. Ergo ſi judicare aliquem eſſe *Sanctum*, idem eſt quod eum *dulia* colendum, invocandumque decernere (quod volunt nunc Latini) veteres Chriſtiani, quotquot fideles in communione Eccleſiæ jure participandæ Euchariſtiæ integro moriebantur, iis omnibus cultum duliæ & invocationis honorem decernere debebant; quos ſcilicet pro *Sanctis* habebant, Atqui hoc vel apud recentes Latinos longe eſt abſurdiſſimum. Notum enim eſt ex eorum ſententia, non omnibus, qui Euchariſtiæ participandæ jure præditi moriuntur, duliæ honorem tribui. Itaque ſi veterum idem quoque ſenſus fuit, apparet apud eos non fuiſſe ſatis, vt quis *Sanctus* judicaretur, ad hoc vt ei honores duliæ haberentur; ſed neceſſarium præterea fuiſſe aliud Eccleſiæ judicium, quo ſcilicet qui fidelis in Eccleſiæ communione mortuus erat, non modo in Sanctos referretur (hoc enim nomine & numero cenſebantur omnes in Eccleſiæ pace & communione mortui) ſed etiam *dulia*, & invocatione dignus eſſe pronuntiaretur. Atqui intra annum Domini trecen-

Ib. § Reſpondeo.

Tertul Apol. c. 13.

Albaſp. in obſervat. & ad Concil. Eliberit. paſſim.

trecenteſimum nullum vſpiam hujuſmodi apparet in Eccleſia Chriſtiana de quoquam judicium, nullus cernitur vel Prælatus, vel confeſſus, cui talis ſententiæ de fidelibus mortuis ferendę poteſtas fuerit. Ergo neq; tum quemquam mortuum fidelem apud Chriſtianos invocatum fuiſſe credibile eſt; illud vero etiam certum eſt non fuiſſe hunc homines aliquos mortuos invocandi ritum ab Apoſtolis traditum; quod quemquam abſque hoc prævio judicio publice invocari, etiam Latinis fatentibus, eſt abſurdiſſimum; Vt vero quicquam ab Apoſtolis abſurdum traditum fuerit, abſit vt verus vllus Chriſtianus admittat. Quod vero ex Cypriano Bellarminus poſt Valdenſem obſervat vnumquemque olim Epiſcopum eos, qui in ſua civitate martyrium facerent, diligenter annotari & ad ſe perſcribi curaſſe, id eo pertinebat, non vt illos *duliæ* cultu & invocationis honore dignos eſſe decernerent (cujus rei nullum neque apud Cyprianum, neque apud alium quemquam illius memoriæ ſcriptorem veſtigium extat) ſed vt homines pro Chriſti Domini nomine ac diſciplina paſſi apud omnes pios pro iis, qui re vera erant, haberentur, id eſt pro Dei martyribus ac Confeſſoribus. Iam longe aliud eſt *martyrem* eſſe, aliud Divum eſſe duliæ cultu, religioſaque invocatione, non privatim modò apud quoſdam, ſed publice in Eccleſia dignum. Quot Latinos vidit à triginta annis martyras Iaponia? quot Sinarum & Cocinſinarum regio? quam multos ipſa quoque Æthiopia? Nullum tamen iſtorum (quod ſciam) Papa Divum fecit. Vnus Xaverius, tam multis martyribus ipſe non martyr, Latinæ hujus divinitatis palmam in Eoo illo Indiarum campo præripuit. Martyrum nomini etiam olim apud noſtros ſuum pretium, ſuumque decus fuiſſe cönfiteor. Quidni eſſet? Eſt & apud nos, quos neminem niſi vnum Deum colere notum eſt. Sed is Martyrum apud vetuſtiſſimos ſolęnnis honos, eo valebat, eorum vt memoria cum laude ab Eccleſiæ hominibus vſurparetur; vt certamina & victoriæ apud plebes noſtras dicerentur, & ad imitandum proponerentur; vt gratiæ pro iis Deo quotannis anniverſario dormitionis eorum die agerentur; quæ vt omnes vident, nihil cum *duliâ* cultu, nihil cum ſummo illo ac vere divino religioſæ invocationis honore commune habent.

CAPVT XXI.

Bell. vb. ſupr. c. 8. § Primo modo.

OOO CAPVT

CAPVT XXII.

Argumentum XXII. Quod plurimi ex vetuſtiſſimis Chriſtianis piorum ſanctorumque omnium animas extra cælum vſque ad carnis reſurrectionem degere putarunt. Id vero dogma cum Sanctorum cultu, & invocatione conſiſtere non poſſit, vt vel ex hodierna Latinorum doctrina conſtat.

PRÆTER ea quæ diximus, vetuſtiſſimorum quoque Chriſtianorum de animarum piarum poſt mortem ſtatu dogma, vel vt verius dicam, error, certiſſime oſtendit non fuiſſe iis cognitam Latinam Sanctorum ex hominibus *duliam*, & invocationem. Omnis enim hic Latinorum cultus, ejuſque illa palmaria maxime pars, quæ invocatione continetur, hoc fundamento nititur, quod illorum, qui invocantur, animæ in cœlo ſunt cum Domino, & ipſa Dei viſione (qui ſummus eſt beatitudinis mere ſpiritualis apex) clare liquidoque fruuntur. Hinc itaque Bellarminus rationem petit, cur Sancti ſub veteri Teſtamento non invocarentur directe, vt à Latinis nunc invocantur; *Notandum eſt* (inquit) *quia ante Chriſti adventum Sancti qui moriebantur, non intrabant in cælum, nec Deum videbant, nec cognoſcere poterant ordinarie preces ſupplicantium; ideo non fuiſſe conſuetum in Teſtamento veteri, vt diceretur, Sancte Abraham, ora pro me.* Hæc ille; ex quibus apparet, ne Latinos quidem preces hujuſmodi Divis eſſe delaturos, ſi parem hactenus eſſe crederent piorum ſub novo Teſtamento conditionem, id eſt vt neque ipſorum animæ in cœlum intrent. Hinc etiam multi arceſſunt rationem, qua ſancti preces hominum in terris conſtitutorum cognoſcunt; docentes eos in Deo, quem cœlum & ſumma adepti intuentur, videre omnia, quæ ad ipſos aliquo modo pertinent. Eo etiam fit, vt pios non alios invocandos putent, quam eos, qui plene ac perfecte ſunt omnibus peccatis purgati; quibus ſcilicet ſolis cœlum patere exiſtimant; eos vero quos adhuc in Purgatorio detineri imaginantur, negent invocandos; quod ſpiritibus extra cœlum degentibus hic honos ſcilicet non convenit; quippe qui nondum Deum vident, neque adeo in eo preces noſtras. Nam niſi hoc obſtaret, certe ex eorum hypotheſi tam purgatorij inquilinis, quam fidelibus adhuc in terra conſtitutis preces noſtras delegare liceret. Ergo & in ipſis, quas ad Divos faciunt, precibus ſæpe hoc diſerte ponunt, eos quos precantur eſſe in cœlis. Beatam Virginem, quoties non modo in *cælis* verſari, ſed etiam *cælorum Reginam* eſſe dicunt? Sic ad omnes Divos; *Quicumque in alta ſyderum Regnatis aula Principes Favete votis ſupplicum.* Ita de Eremitis; *Et quos eremus incolas Tranſmiſit aſtris.* Et paſſim alibi de aliis eadem memo-

Bell. de Sanct. Beat l. 1. c. 19. §. Item Exodi.

Apud Bell. ibi l. c. 20 §. Aliq dicunt Sanctos.

Brev. in feſto omn. Sanct. p. 1119. A. ibi p. 1103 B.

memorant. Igitur ſi eadem erat Chriſtianorum vetuſtiſſimorum de colendis & invocandis ſanctis diſciplina; patet ita claram ac publice notam apud eos quoque fuiſſe de cœleſti piarum animarum manſione & gloria ſententiam, vt nemo de illa dubitare poſſet; Vt nunc apud Latinos illam Sanctorum *duliam* & invocationem tradentes, atque factitantes, nemo reperitur, qui de hac animarum, quæ invocantur, conditione dubitet. Quod ſi qui olim de aliorum fidelium, etiam purgatorum, poſt obitum ſtatu apud ipſos Latinos vel dubitarunt, vel etiam plane aliter ſenſerunt; hi ipſi Sanctorum certe, quos invocare fas eſſe putabant, animas ab hac communi piorum mortuorum ſorte eximebant, & cœlo jam receptas eſſe confitebantur; Neque hi modo, qui recentiſſimi ſunt, ſed alij etiam multo vetuſtiores, cum primum in Chriſtianiſmum invecta eſt Sanctorũ invocatio, eos jam tum à communi cæterorum fidelium numero (quos ipſi aliquo extra cœlum loco ad diem vltimum contineri putabant) mature excipere cœperant; adeo ſtultum & abſurdum iis eſſe viſum eſt, vt quem tu religioſe invocas, eum alibi, quam in cœlo apud Deum verſari putes; quo & ipſi oculi in cœlos, dum oramus, intenti, nos ducunt, ibique eſſe eos quos oramus, planiſſime ſignificant. Itaque ſi primi Chriſtiani, quorum hunc fuiſſe morem conſtat *cœlum reſpicerent*, Sanctos rite, publice, ſolenniterque omnes invocabant, eos in cœlo eſſe omnes quoque pariter credebant; neque ea de re quemquam communis omnium in eos religio dubitare ſinebat; vt ſi ĩs Divorum invocandorum mos à noſtris (quod Latini volunt) jam inde ab initio ab ipſis Apoſtolis acceptus eſſet, doctis & eruditis illorum temporum Theologis, imo ne plebeiis quidem hominibus venire potuerit in mentem de ſtatu piarum animarum ambigere, quin eæ ex hoc corpore dimiſſæ cœlo recipiantur; vel ſi de cæteris dubitaſſent, Sanctos certe, quos & ipſi invocarent, & ab Eccleſia paſſim vbique invocari viderent, de communi aliorum ordine exemptos Deo frui in cœlis affirmaſſent. Atqui certum compertumq; eſt, non vnum, aut alterũ, ſed multos, ſed pæne omnes illius memoriæ ſcriptores, non indoctos & idiotas, ſed eruditiſſimos, & præſtantiſſimos, non modò ea de re dubitaſſe, ſed liquido ac diſertè adversã Latinæ ſententiã nõ ſemel poſuiſſe, præſcripſiſſeque omnium fidelium, etiam ſanctiſſimorum, animas certis extra cœlum locis, ad ſupremam judicij diem contineri, neque ante receptum ex reſurrectione corpus in patriam illam cœleſtem admitti. Primus, quod quidem appareat, illius erroris auctor & ſator fuit ſibyllinorum carminum parens, quod opus ſub Hadriano Auguſto circa a. D. 138. effictum atque editum fuiſſe doctiſſimus Blondellus noſter proprio de Sibyllinis opere demonſtravit. Is vero homo, quiſquis de cætero fuit, certe Chriſtianus, *omnes viros, in terra degentes, in inferna ire* morientes definit, pios nominatim *ſomno oppreſſos decedere, & in Acheruntias inferni domos* [abire,]

CAPVT XXII.

D. Blond. l. des Sibylles. Sibyll. ⁊ l. 1. Bibl. Patr. T. 1. p. 7. B.

CAPUT XXII.

*ibid.p.11. D

*abire, ibique honorem habere**. Iam quod verſuum Sibyllinorum opus vetuſtiſſimi noſtrorum verum & ſincerum eſſe putantes magni facerent, ac pæne divinum cenſerent, vt ex Iuſtino, Tertulliano, Theophilo, Athenagora, Clemente Alexandrino, Origene, Lactantio, & multis aliis patet; ex ea de hoc ſcriptore opinione, ille de ſtatu animæ poſt mortem error primo hauſtus videtur ad plures longe lateque dimanaſſe, atque ita propagatus ac confirmatus eſſe, vt no inferioribus quidem ſæculis ex plurimorum, etiam præſtantiſſimorum, virorum mentibus revelli potuerit; etiam eorum, qui poſt natum & ſuſceptum alterum de Sanctorum invocatione, tametſi contrarium, errorem,* vixerunt; Indeque exortæ ſunt in emunctiorum animis multæ illæ dubitationes de ratione, qua preces mortalium ad Divos pervenirent; vt apud Auguſtinum & alios etiam eo multo recentiores videre eſt. Sed vtrumque ſe res ſequentium temporum habuerint (neque enim id nunc agitur) illud quidem certum eſt illam de animarum piarum apud inferos, certe extra cœlum, ad carnis reſurrectionem, mota atque manſione opinionem plæriſque primorum ſæculorum ſcriptoribus arriſiſſe. Eo enim pertinere videntur Pij Epi-

Pius I. T. 1. Conc. p. 84. col. 2. 8.

ſcopi Romani primi illa ad Iuſtum Viennenſem verba; *Presbyteri illi, qui ab Apoſtolis educati vſque ad nos pervenerunt, cum quibus ſimul verba fidei partiti ſimus, à Domino vocati in CUBILIBUS ÆTERNIS CLAUSI tenentur.* Iuſtinum in eodem quoque errore fuiſſe Sixtus Senenſis ſcribit, ſed male probat, ex verbis auctoris libri

Sixt. Bibl. Annot. 45. *Quæſt. 76. Iuſt. adv. Tryph. p. 172. lin. 16.

Quæſtionum à gentibus poſitarum; qui ita quidem ſentit*, ſed à Iuſtino alius eſt. Sed ipſum tamen Iuſtinum paria ſenſiſſe docent vera ejus opera. Nam ait cum Tryphone colloquens, *animas pias in loco quodam meliore manere, injuſtas vero & pravas in deteriore, judicij tempus exſpectantes*, τὰς μὲν τῶν εὐσεβῶν ἐν κρείττονί ποι χώρῳ μένειν, τὰς δὲ ἀδίκους καὶ πονηρὰς ἐν χείρονι τὸν τῆς κρίσεως ἐκδεχομένας χρόνον. Et in eodem opere cum dixiſſet Samuelis animam à Pythoniſſa vere fuiſſe evocatam, & addidiſſet apparere ad eundem modum omnes animas virorum juſtorum & Prophetarum ſub poteſtatem ejuſmodi δυνάμεων *virtutum* cecidiſſe, qualis in illa Ventriloqua fuit; hæc inquam præfatus, ſimilem nunc quoque eſſe piarum animarum per ſe ſortem eo

ibid. p. 260. l. 34.

ſignificat, quod ſubjungit nos à Deo per Filium doceti *vt migraturi ex hac vita oremus, ne animæ noſtræ ſub talem aliquam virtutem cadant.* πρὸς τῇ ἐξόδῳ αἰτεῖν μὴ ὑπὸ τοιαύτην δύναμιν ὑποπεσεῖν τὰς ψυχὰς ἡμῶν. Vt illud mittam, quod propria hæreticorum dogmata, quibus ab orthodoxis dirimebantur, referens, hoc iis velut à ſua ſuorumque ſententia alienum, diſerte tribuit, quod dicant ſuas *ſimul atque moriun-*

ibid. p. 239. l. 35.

tur, animas in cœlum recipi, ἅμα τῷ ἀποθνήσκειν, τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἀναλαμβάνεσθαι εἰς τὸν οὐρανόν. Irenæus vero multo etiam clarius teſtatur ſe

Iren. l. 5. c. 31. (al. 25)

in eo errore hæſiſſe. Quid enim his, quæ apud eum leguntur, diſertius dici poteſt? *Cum Dominus* (inquit) *in medio umbræ mortis abierit,*

ubi

CAPVT XXII.

Tertull. l de An. c. 55. p. 353. C.
ibid. D
Id. contr. Marr. l 4. c. 34.
** Id. l. de An. c. 34.*
Id. Apolog. c. 47.
Theoph. ad Autol. l. 2. in Bibl. Patr. Gr. Lat. T. 1. p. 130.
Iren. l. 5. c. 5. init.
2. Cor. 11. 4.
Du Perr. Repl. l. 5. ch. 18. p. 859.
Tertull l de An. c. 55. p. 353. D.

vbi animæ mortuorum erant, poſt deinde corporaliter reſurrexit, & poſt reſurrectionem aſſumptus eſt; manifeſtum eſt, quia & diſcipulorum ejus, propter quos & hæc operatus eſt Dominus, animæ abibunt in inviſibilem locum, definitum eis à Deo, & ibi ad reſurrectionem commorabuntur, ſuſtinentes reſurrectionem. Tertullianus eadem apertiſſime ſequitur; *Nulli patet cœlum terra adhuc ſalva; ne dixerim clauſa. Cum tranſactione enim mundi reſerabuntur regna cœlorum.* Se ipſe profitetur in libro de Paradiſo (qui intercidit) *conſtituiſſe omnem animam apud inferos ſequeſtrari in diem judicij. Sinum Abrahæ* de illo loco intelligit; *regionem* (inquit) *etſi non cœleſtem, ſublimiorem tamen inferis, interim refrigerium præbituram animabus juſtorum, donec conſummatio rerum reſurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat.* Martyribus fateor, paradiſum aperit *, ſed quem & ipſum *ſubcæleſtem* eſſe putavit, *maceria quadam ignea zona à notitia orbis communis ſegregatum. Paradiſum* enim accipit eum ipſum Edenis hortum, in quo Adam à Deo locatus erat; quem *æternum eſſe, & media inter cœlum ac terram amœnitate ac pulcritudine,* affirmat Theophilus Tertulliano paulo, vt creditur, vetuſtior, ὁ παράδεισος, ὡς πρὸς καλλονὴν, μέσος τοῦ κόσμου καὶ οὐρανοῦ γεγένηται, ἔχων ἀϊδιότητα. In eum autem ipſum locum transferri juſtorum morientium animas docet pariter cum Tertulliano Irenæus; Præfatus enim Deum paradiſum in Eden plantaſſe contra Orientem, & poſuiſſe ibi hominem quem plaſmaverat, & qui tranſlati ſunt (vt Enoch & Elias) eos illuc translatos eſſe *ex Presbyterorum, qui Apoſtolorum diſcipuli fuerunt,* traditione, ſic deinceps eorumdem presbyterorum ſententiam exponens pergit; *Iuſtis enim* (inquit) *hominibus, & Spiritum habentibus preparatus eſt paradiſus, (in quem & Paulus Apoſtolus aſportatus audivit ſermones inenarrabiles, quantum ad nos in præſenti) & ibi manere eos, qui tranſlati ſunt vſque ad conſummationem, coauſpicantes incorruptelam.* Hæc ille; ex quibus patet, quam ſit futilis Perronij ratiocinatio, ex eo quod Tertullianus martyras in paradiſum admittit argumentantis, & ipsũ & alios cũ eo ſentiẽtes veteres Theologos, exiſtimaſſe martyrũ animas ſumma, quę in animas humanas cadere poteſt, gloria jã ante reſurrectionẽ frui. Ille vero multum fallitur; Cum enim paradiſus ille, in quo Martyras locat Terrullianus, locus ſit ſubcœleſtis; nemini in eo conſtituto obtingere poteſt illa gloria, quæ non alibi datur quam in cœlo illo ſupremo, quo Chriſtus Dominus ſubvectus eſt. Itaque nequicquam ſibi blanditur Perronius, quod apud Tertullianum *paradiſi regio, quæ ſubiicitur altari, Ioanni in ſpiritu revelata, nullas alias animas apud ſe præter martyrum oſtendit*; & quod apud eundem ſequitur, quod *Perpetua ſub die paſſionis in revelatione paradiſi ſolos illic commartyres ſuos viderit.* Paradiſus enim iſte, quem ſolis Martyribus aperit Septimius, non cœlum eſt, ſed ſubcœleſtis regio, ſinu quidem Abrahæ lætior & amœnior, non tamen cœleſtis gloriæ capax. Neque Perronij cauſam juvat,

CAPVT XXII. impune. Tantum enim abeſt, vt eorum quiſquam hoc nomine damnatus, notatus, aut reprehenſus fuerit, vel à ſui vel à ſecuti temporis Eccleſia; vt plane contrà plurimi reperiantur eundem poſtea errorem aperte amplexi, & in his Auguſtinus ipſe, & alij viri celeberrimi, quod nos alibi contra Bellarminum demonſtravimus. Iam vero ſi fuiſſet hic Latinus Divorum invocandorum ritus ab Apoſtolis traditus, & inde apud omnes illius ævi Chriſtianos propagatus; plane eſt incredibile quemquam tam hebetem futurum, qui quos religioſe coleret, quorum ſuffragia & interceſſionem apud Deum & Dominum Chriſtum in cœlis ſedentem poſceret & flagitaret, eos ipſos vel apud inferos in gehennæ confinio, vel in paradiſo vltra zonam torridam ſito habitare putaret, vel in terræ, aut aëris ſcholis atque auditoriis proficere; diſcendis hujus mundi mirabilibus operam dantes. Cum ergo viri non modo non plebeij, ſed illius antiquitatis præſtantiſſimi ac facile principes Iuſtinus, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Victorinus, Lactantius, alij de Sanctorum omnium mortuorum ad reſurrectionem vſque conditione ac ſede ita ſenſerint ac loquuti fuerint, concludendum eſt neque ipſos Sanctis duliæ & invocationis Latinæ honores detuliſſe, neque vllam Apoſtolorum ea de re traditionem apud Eccleſiam vniverſalem ævo ſuo receptam & factitatam comperiſſe. Quod argumentum cum omnem Sanctorum quorumvis duliam, tum præſertim Beatiſſimæ Mariæ *hyperduliam* tollit; quam ſi tota illius temporis Eccleſia pro *cœlorum regina* cum recentioribus Latinis agnoviſſet, ſummi illi viri haud dubie ex illo gregalium Sanctorum apud inferos, vel prope zonam torridam extra cœlum ex ſua ſententia verſantium numero erant eam exceptari, & in cœleſte ſolium evecturi. Atqui illi cum martyribus aliquid præ cæteris eximij diſerte vindicent, ſic tamen vt neque eos cœlis inferant, de Beata Virgine nihil vſpiam propriè caviſſe aut excepiſſe reperiuntur. Id autem etiam oſtendit traditionem de Sanctorum cultu non fuiſſe ab initio. Nam ſi jam inde à Chriſtianæ religionis exordiis ab Apoſtolis eſſet accepta, nihil in hoc genere apud veteres prius aut potius aut crebrius occurreret ac emineret, quam ſanctiſſimæ Virginis Domini matris cultus. Atqui contra accidiſſe videmus, vt martyrum honos, & prærogativa præceſſerit; propter commemorationem eorum ſcilicet in Eccleſia ſolennem; inde ortus ſit reliquiarum & memoriarum cultus, qui tandem omnibus ſanctitatis opinione præcellentibus, non ſolis martyribus, attributus; quod abſurdum videretur (vt eſt ſane) eos præteriri, qui quod martyrij faciendi non animus, ſed occaſio iis defuiſſet, mortem incruentam quidem, ſed tamen ſanctiſſimam atque beatiſſimam obiiſſent.

CAPVT

CAPVT XXIII.

Argumentum XXIII. ex inſigni quadam Origenis dubitatione, inter obſcura, & arcana Dei relinquentis, an Sanctorum Spiritus aliquid pro nobis agant, quæ dubitatio cum Sanctorum invocatione conſiſtere non poteſt. Refellitur Bellarmini ad locum Origenis cavillatio; & alia tria ejuſdem ſcriptoris loca à Bellarm. objecta ſic explicantur, vt cum ejus de Sanctorum animabus dubitatione minime pugnent. In eorum primo vocabulum animæ *quid ſit. Duo reliqua interpolata videri, adjectis à Ruffino, quæ in iis leguntur, Sanctorum Vet. Teſtam. precibus pro nobis. Eas enim ab Origene illuſtri quodam Hom. 5. in Ioſuam loco penitus tolli.*

SED ad hunc quoque de animarum poſt mortem ſtatu locum pertinet inſigne Origenis in epiſtolam ad Romanos teſtimonium. *Si etiam* (inquit) *extra corpus poſiti, vel Sancti, qui cum Chriſto ſunt, agunt aliquid & laborant pro nobis ad ſimilitudinem Angelorum, qui ſalutis noſtræ miniſteria procurant; vel rurſum peccatores etiam ipſi extra corpus poſiti agunt aliquid ſecundum propoſitum mentis ſuæ, angelorũ nihilominus ad ſimilitudinẽ ſiniſtrorũ, cum quibus & in æternũ ignẽ mittendi dicuntur à Chriſto; habeatur hoc quoque inter occulta Dei, nec chartulæ committenda myſteria.* Hæc ille, aperte vt vides, dubitans, & *inter occulta Dei myſteria* relinquens, an Sancti corpore ſoluti *pro nobis laborent ad ſimilitudinem Angelorum.* Quod ille profecto nunquam ita dixiſſet, ſi Sanctos vel invocaſſet ipſe, vel ab omni Eccleſia invocari ſciviſſet. Nemo enim eſt Divos invocantium, qui non ſibi perſuadeat eos pro ſe ac ſingulis à quibus coluntur, ſatagere, ſollicitos eſſe, & ad Angelorum ſimilitudinem laborare. Imo hæc perſuaſio potiſſimum eſt religioſi, qui iis impenditur, cultus fundamentum, quo labefactato ipſam illorum invocationem ſubverti ac corruere neceſſe eſt. Neque quicquam contra hæc valet Bellarmini & Perronij, & aliorum Latinorum argutia cavillantium Origenem *ibi agere de naturali converſatione ac notitia*, id eſt (vt ipſe ſtatim Bellarminus hoc explicat) *quærere ſolum, vtrum ſancti hominum ſpiritus nobiſcum aſſidue verſentur, vt Angeli & dæmones, qui vere nobis ſemper adſunt, illi vt ad bonum, iſti vt ad malum nos pertrahant.* Si enim hoc ſolum quæreret Origenes, ſuam hanc *quæſtionem* nihil neceſſe habuiſſet Deo commendare, & *inter occulta ejus myſteria chartulæ* minime *committenda* relinquere. Ex Scripturis quidem ſcimus & Angelos *adminiſtratorios eſſe ſpiritus in miniſterium miſſos propter eos qui hære-*

Orig. in Rom. l. 2. p. 472. ex:r.

Bell. de Sãct. Beat. l. 1. c. 2. § Adlo-cum Orig.

Hebr. 1. 14. Pſ. 33. (Hebr. 34) 8.

CAPVT XXIII. *ditatem capient ſalutis, caſtrametantes in circuitu timentium Deum*, & dæmonas *tanquã leones rugientes fideliũ gregem circumire quærentes quẽ devorent, terramq;* ad hoc *perambulantes* adeo vt clarũ ſit ac liquidũ vtroſq; *nobis ſemper*, vt ait Bellarminus, *adeſſe*, & hic in terra ad cõtrarios illos fines verſari. De hominũ vero animabus corpore ſolutis plane nihil ſimile in divinis litteris legimus; quinimo multa his adverſantia ex iis diſcimus; ſcilicet animas piorum quidem ad quietẽ & fœlicitatem, impiorum vero ad pœnas & cruciatus dimitti atque abduci; quod vel vna epulonis & Lazari parabola, vt alia mittam non pauca clariſſime nos docet. Et ratio ipſa rerum oſtendit animos hominum non ad hoc creatos effictoſque eſſe vt ſeorſum à corporibus per ſe ſubſiſtant; ſed vt pro iis, quæ in hac mortali vita geſſerunt, judicentur, & in ſua quique ſorte conſtituantur. Quod autem ij nunc ſeorſum ad reſurrectionis tempus aliquandiu ſubſiſtunt, id fieri per quandam Dei ſapientiſſime omnia gubernantis œconomiam; propterea quod ei judicium omnium ad diem mundi ſupremum differre placuit. Itaque neque Scriptura neque ratio prohibebat quominus Origenes libere atque aperte definiret, nõ eſſe eam ſpirituum extra corpus poſitorum rationem; vt *aſſidue nobiſcum*, ſicut Angeli & dæmones verſentur in his terris. Neque vt opinor, vel Bellarminus, vel quiſquam ex Latinis, vel ex aliis ſive priſcis ſive recentioribus Theologis, ſi ea de re eſſet interrogatus, dubitaret quæſtionem ſolvere, vel eam inter arcana Dei inſcrutabilia reponeret. Cum ergo Origenes id quod hic quærit inter myſteria Dei occulta, neque *chartæ committenda* amandet, clarum certumq; eſt aliud eſſe ejus quæſitum quam quod fingit Bellarminus. Sed & Origenis verba à Bellarminiano commento non minus quam res ipſæ abludunt. Ille enim ſic ſuum illud quæſitum effert, *ſi Sanctorum ſpiritus agunt aliquid & laborant pro nobis:* *Agere* autem *aliquid & laborare pro nobis* non eſt (vt opinor) *aſſidue nobiſcum in terris verſari*, Quod addit *ad ſimilitudinem Angelorum*, id non ad loci in quo *pro nobis laborant*, ſed ad rei & actionis ipſius ſimilitudinem refertur. Nimirum quærit, an vt Angeli, ſic etiam piorum ex hac vita dimiſſi *ſpiritus*, pro nobis ſingulis ſolliciti aliquid rerum noſtrarum procurent, & ad hoc laborent & ſatagant, vt Petrus verbi gratia ex vinculis quibus tenetur, liberetur, vt Paulus certus ſit neque ſe neque quemquam eorum, qui ſimul cum ipſo navigant, periturum, & alia hujuſmodi ſexcenta; an ad iſta nobis ſigillatim curanda aliquis ſit Sanctorum vita functorum *labor*, aut *aliqua actio*. Hoc, quod omnes nunc Sanctorum cultores atque invocatores, affirmatiſſime docent ac conſtituunt, Origenes neſcit; imo & neſciendum eſſe atque inter Dei arcana occulta relinquendum decernit. Ergo neque ipſe Sanctos vita functos invocavit, neque eos à ſui temporis Eccleſia invocatos fuiſſe, vel quicquam ab Apoſtolis ea de re traditum fuiſſe ſcivit, Congruit noſtra Origenis expoſitio ejus non modo verbis, ſed etiam ſententiæ de animarum ſtatu extra cor-

1.Petr. 5. 8.
Iob.1.7.& 2. 2.

pus nuper à nobis explicatæ; quas ſtatuit in terræ, & aëris, & cœlorum regionibus certo ordine, veluti in totidem gymnaſiis & ſcholis verſari, ibique ad diſcendas rerum ſingularum naturas diu detineri, vt mirandum non ſit, quod tam perplexo tamque difficili negotio occupatas ægre admiſerit, nobis interea, rebuſque noſtris ac votis attendere, atque operam laboremque ſuum commodare. Neque aliud ſuadent tria illa Origenis indicata à Bellarmino loca. Primus locus ex opere contra Celſum habet *ſpiritus ſentire, qui ſint digni favore cœleſtis numinis, & vnà nobiſcum precari.* Sed Origenes ſe hic de Angelis, non de piorum hominum animabus extra corpus degentibus, loqui ſatis eo docet, quod ſtatim ſubjungit; *vt quotquot Deum colimus, audeamus dicere; hominibus bonæ voluntatis precantibus vltro & non vocatos adjungere innumera ſanctorum ANGELORVM millia.* Bellarminum volentem decepit quod pauſò ante præceſſerat. *Cum aliquis Deum habet propitium, ſequitur vt amicos habeat omnes ejus Angelos, animas & ſpiritus.* Sed totus locus arguit non de aliis, quam de Angelis agere Origenem. Et *animas* de Angelis etiam dici, non autem de humanis tantum mentibus, vincit optimorum Scriptorum vſus, vt Philonis, qui hoc nomen non ſemel eo ſenſu vſurpavit. In libro de Gigantibus, *Quos* (inquit) *alii philoſophi* dæmonas *vocant, eos ſolet Moſes* Angelos *nominare: Sunt autem animæ per aërem volantes.* ψυχαὶ δ᾽ εἰσὶ κατὰ τὸν ἀέρα πετόμεναι. Et mox; *Nam ſi animarum ſpeciem viſus imaginari nequit, ideo nullas eſſe ſequitur in aëre animas*, ὁ παρ᾽ ὅσον ἀδυνατεῖ ἡ ὄψις ψυχῶν φαντασιωθῆναι τύπους, διὰ τοῦτ᾽ οὐκ εἰσὶν ὅλως ψυχαί. Tum *animas alias ad corpora deſcendiſſe* dicit; *alias nulli certæ parti dignatas vnquam eſſe ad motum adjungi*; Has eſſe, quarum Deus miniſterio vti ſolet. Angelos vt liquet, intelligit. Denique definit, *animas, dæmonas, & Angelos nomina quidē eſſe diverſa; rem nominibus ſubjectam vnam & eandem eſſe.* ψυχὰς, δαίμονας καὶ ἀγγέλους ὀνόματα μὲν διαφέροντα, ἓν δὲ καὶ ταὐτὸν ὑποκείμενον. Ipſe itaque his nominibus indifferenter paſſim vtitur; vt cum de Angelis loquens ait in eodem opuſculo, *animas carnis & corporis expertes in hoc vniverſi theatro* divina voluntate & auditione frui. Neque aliter de his philoſophatus in libro de ſomniis; vbi de aëre: *Hoc* (inquit) *eſt domicilium ANIMARVM incorporearum*; ὅπερ δ᾽ ἐστὶ ψυχῶν ἀσωμάτων οἶκος. Tum paucis interjectis, *aërem ait cives quoque ſuos habere incorruptiles & immutabiles, ANIMAS ſideribus numero æquales.* Harum *animarum* varios ordines recenſet; quaſdam corporibus mortalibus illigari, alias liberatas ſurſum tendere; nonnullas eodem revolvi; alias ad æthera evehi; optimas & puriſſimas eſſe Dei veluti Magni Regis oculos & aures, eaſque iterum hic dicit dæmonas à philoſophis; Angelos à divinis Scripturis dici. Quos infra vocat *incorporeas & miniſtratrices Dei animas*, ἀσωμάτους καὶ θεραπευτρίδας αὐτοῦ (θεοῦ) ψυχάς. Nihil ergo mirandum eſt, quod Origenes qui Philonem

CAPVT XXIII.

Bell. vb. ſupr.

Orig. l. contr. Celſ. 4, 8. 433.

Philo de Gig. p. 192.

ibid.

ibid.

ibid. p. extr.

ibid. p. 194.

Id. περὶ ὀνείρ. p. 398.

Id. p. 407.

CAPVT XXIII.

in multis ſequitur, *animas* hic eodem ſenſu quo *ſpiritus*, dixerit. Si obiicias, qui *Angelos* dixiſſet, *animas* eo ſenſu adiicere nihil neceſſe fuiſſe; reſpondeo eadem ratione, neque *ſpiritus* addere debuiſſe. Et tamen addidit; ἀγγέλους (inquit) καὶ ψυχὰς, καὶ πνεύματα. Nimirum cum Angelorum multi ſint ordines, multaque nomina, omnia complecti voluit Origenes; nequid quiſpiam putaret propitiato ſemel per pietatem & virtutem Deo, nobis adverſum aut inimicum fore. Ideo communiſſima ac latiſſime patentia nomina tria ſimul poſuit, ANGELOS, ANIMAS, SPIRITVS. Sed & ſiquis hanc interpretationem reſpuat, facile eſt etiam aliter Origenem ſecum conciliare. Is enim Solem, & cæteras ſtellas fixas, atque errantes anima rationali præditas eſſe putavit; Deumque & precibus & aliis pietatis actibus colere, vt infra oſtendemus. Itaque quas dicit animas medio inter *Angelos, & ſpiritus* loco, eas ego de his ſiderum, quam de hominum animabus ſumere malim; quod in tota hac diſputatione multus, imo pæne perpetuus ei eſt de Angelis, ac de ſideribus ſermo; de ſolutis hominum animabus nullus eſt. Duo alia loca ex homiliis in Numeros, & in Ioſuam primo nihil habent, quod pugnet cum dubitatione propoſita. Vterque enim locus hoc tantum dicit ſanctos, qui ſub veteri Teſtamento mortui ſunt *orationibus juvare*; At qui *nos orationibus ſuis juvat*, non ideo ille *pro nobis laborat ad ſimilitudinem Angelorum*. Angeli enim res ſingulorum noſtras vident, pericula ſingulorum intuentur, quid quiſque fidelium metuat, quid quiſque optet & requirat intelligunt; qui adſunt ſcilicet, & hic in terra rebus noſtris interſunt. Itaque pro ſua & in Deum pietate & in nos caritate, ſingulis laborantibus ipſi vnà collaborant, & certantibus συναγωνίζονται, ſimul *nobiſcum certant*, vt de iis alibi loquitur Origenes. Dubitat ad Romanos, an idem ſit Sanctorum virorum extra corpus poſitorum pro nobis labor, ſimileque certamen; & merito profecto dubitat, quod nihil ea de re ſit à Domino revelatum. Cum hac vero dubitatione nihil pugnat, quod in Numeros & in Ioſuam affirmat nos veterum *Sanctorum orationibus juvari*. Non enim ſiquis alicujus oratione aut facto *juvatur*, eo ſtatim conſequens eſt, vt is, à quo juvatur, de ipſo vel *laboraverit*, vel etiam proprie cogitarit, Origenes certe illo ipſo in loco qui obiicitur, Sanctorum veterum non ſolis *orationibus*, ſed etiam rerum ab iis geſtarum *exemplis*, & *voluminibus* ab iiſdem conſcriptis, nos juvari dicit; Vnde nemo niſi ſtultus, concluſerit eos, dum res illas præclaras geſſerunt, quarum *exemplis confirmamur*, & *volumina illa* conſcripſerunt, quibus *inſtruimur ad dimicandum adverſum inimicas poteſtates*, de vnoquoque noſtrum ſigillatim ſollicitos fuiſſe, & laboraſſe, imo vel cogitaſſe. Ergo neque ſi eorum *orationibus juvemur*, ideo ſequitur eos dum orant, pro nobis ſingulis laborare, aut ſollicitos eſſe, vel etiam cogitare. Cum enim omnes conſentiant ſanctas illas animas ad corporis ſui reſurrectio-

Origen. in Num. homil. 26. p. 272. & in Ioſ. hom. 16. p. 310.

Id. l. 8. contr. Celſ. p. 433.

rectionem & aſſumptionem, velnti ad ſummum fœlicitatis ſuæ culmen adſpirare) fratrum omnium conſummationem, creaturæ vniverſæ liberationem, poteſtatum Chriſti regno adverſantium depreſſionem, Chriſti ipſius clariſſimam revelationem, divinæque gloriæ vltimam patefactionem, ardentiſſime expectare; dubitandum non eſt, quin hæc omnia, quibus noſtra vt liquet ſalus, continetur, jugiter exoptent, votiſque, & precibus ſuis à Domino expetant. Eo fit, vt licet neque ſingulos fidelium noſcant, neque res eorum particulatim intelligant, neque adeo de iis ſingulis laborent aut cogitent, vniverſos tamen juvent, dum ea, quæ ſunt ſingulis vtilia ac ſalutaria, vniverſim (vt ſic dicam) à Deo exoptant, atque expoſcunt. Secundo reſpondeo mihi valde ſuſpectum eſſe, quod in illis duobus locis legitur nos *veterum Sanctorum orationibus juvari.* Si hæc Origenis opera Græce exſtarent, certius judicari poſſet an hæc ipſius vere ſint. Nunc cum Latinam tantum Ruffini interpretationem habeamus, difficile eſt ſtatuere, hæccine auctor ipſe, ita ſcripſerit, an ea interpres de ſuo addiderit, qualia multa paſſim eum adjeciſſe, & totum opus mirifice interpolaſſe, ex quorumdam apud eum locorum cum Græcis Origenis, quæ extant, verbis comparatione certo deprehendimus. Cur ita ſuſpicer, non eo tantum compellor, quod iſtarum *orationum* quibus hic à Sanctis veteribus *adjuvari* dicimur, nullam alibi apud Origenem mentionem fieri meminerim; ſed eo præſertim, quod in loco quodam illuſtriſſimo & horum plane gemino, vbi itidem exponit, quomodo pii vetere ſub lege mortui *fratres ſuos adjuvent in præliis* ſpiritualibus ſcilicet, has eorum *orationes* non modo inter auxilia, quæ ab illis conſequimur, nullas recenſet, ſed apertiſſime potius ex iis expungit. *Vide mihi.*(inquit) *hodie laboranti in agone vitæ hujus & habenti certamen adverſus inimicos, id eſt contrarias poteſtates, quomodo in auxilium veniunt illi, qui ante adventum Ieſu Chriſti Domini mei in lege juſtificati ſunt. Vide quomodo Eſaias mihi præſtat auxilium, cum me ſermonibus ſuæ lectionis illuminat. Vide accinctum & expeditum venientem Hieremiam, & voluminis ſui jaculis hoſtes acerrimos, & cordis mei tenebras effugantem.* Tum Danielis de Chriſto prophetias, & Ezechielis viſiones, & Ozeæ vnà cum aliis minoribus vndecim Prophetis libros ad eandem rem memorat, *vt eorum*(inquit) *voluminibus inſtructi diabolicas non ignoremus aſtutias.* Hæc ille nobis à Sanctis illis veteribus *auxilia* præſtari dicit; de eorum pro nobis *ſuffragiis*, & *orationibus* nihil dicit; quas non magis hoc loco, quam in aliis duobus, prætermiſiſſet, ſi ſciviſſet. Verum eas non prætermittit tantum; ſed etiam, quod dixi, ex hoc auxiliorum cenſu expungit. Diſerte enim ita ſcribit; *Quid me adjuvare potuit ille, qui nihil locutus eſt? cujus nihil invenio quod legam?* Et mox iterum; *Ad auxilium meum non venit, qui docere me non poteſt, vt cujus nihil invenio, quod imitari debeam, aut tenere.* Apertiſſime negat alio ſe à Sanctis mor-

CAPVT XXIII.

Orig. in Ioſ. hom.3.p.250.

Ibid.

CAPVT XXIII.

mortuis juvari; quam vel exemplo rerũ, quas geſſerunt, vel documento litterarum, quas ſcripſerunt, dum hic olim eſſent in vivis; negat adeo ſe vllis ipſorum orationibus juvari, quas quidem nunc in cœlo pro ipſis fundant. Nam quas olim fuderunt, ſi quarum extet memoria, iis nunc juvari nos concedo; dum his exemplis & ad Deum orandum provocamur, & quid & quomodo ab eo ſit poſcendum diſcimus. Atque eo ſenſu vtrumque hunc Origenis objectum à Latinis locum, ante annos ducentos interpretatus eſt Ioannes Lukavvits, vir doctiſſimus in ſua Taboritarum contra Rokenzanum Confeſſione; reſpondens ſanctos veteris Teſtamenti nos *juvari ſuis orationibus* ab Origene intelligi, non quà nunc in cœlis pro nobis Deo offerunt, ſed *quas illi* (inquit) *nobis ad orandum Deum in exemplo reliquerunt*; accuratiſſime profecto. Sed ſi cui argutior videatur ſolutio, non poteſt tamen ſic conſtituere horum locorum ſenſum, vt non pugnent cum tertio hoc loco, quem ex homilia in Ioſuam tertia nuper deſcriptum exhibuimus. Nam ſi cum Latinis hodiernis crediſſet Origenes orationes pro ſe & aliis ſigillatim fidelibus à Sanctis, in eo ſtatu quo ſunt extra corpus poſiti, ad Dominum quotidie pro rerum neceſſitatibus fieri, ſtulte (vt omnes vident) & contra ſuam ipſius mentem, negaret ſe non ab aliis Sanctis adjuvari poſſe, quam iis, qui vel ea *locuti ſunt*, quibus *doceatur*, vel ea geſſerunt, *quæ imitari debeat*. Quam multi enim ſunt Sancti quorum neque vllos libros habemus, neque res geſtas legimus; à quibus ſe Latini nihilo ſecius juvari credunt, per eas ſcilicet orationes, quas nunc Deo in cœlis pro ſe offerunt? Quæ cum ita ſe habeant, vel ad illam Ioannis Taboritæ ſolutionem tranſeundum, vel (quod ego verius puto) concedendum eſt illa de Sanctorum *orationibus*, quibus *adjuvari* ſcilicet dicimur in vtroque objecto loco, Ruffinum Origenis verbis de ſuo inſulſiſſe, vt ea ad guſtum & ſenſum ſui ſæculi accommodaret, quo jam cœperat illa de Sanctorum mortuorum pro nobis precibus opinio apud noſtros invaleſcere. Certe homilia illa in Numeros, vbi Sanctorum & orationibus & exemplis, & libris nos adjuvari præfatus, eadem ſtatim colligit, Sanctorum orationes plane penituſque tacet; eorum tantum exempla & libros ſic memorat; *Pugnant ergo pro nobis* (inquit) *& ipſi* (ſancti veteris Teſtamenti.) *Incedunt primi ante nos armati. Ipſos enim nos habentes ad EXEMPLVM, & videntes eorum per ſpiritum fortia facta, armamur ad prælium ſpiritale, & adverſus ſpiritalia nequitia in cœleſtibus militamus.* Nihil hic de Sanctorum orationibus vides; Ergo neque de iis quicquam in ſuperioribus vidiſſemus, niſi eas Ruffinus Origeni de ſuo iſtic commodaſſet, locum fraudi opportunum eſſe ratus. Neque eſt quod quis hoc in nos retorquens dicat parem quoque futuram ſuſpicionem de locis ex tertia in Ioſuam homilia, & ex ſecundo in epiſtolam ad Romanos libro; quod neque hæc niſi ex

I. Luk. Confeſſ. Tabor. c. 41. p. 129.

Origen. in Num. hom. 26. p. 273.

Ruffini

Ruffini interpretatione habeamus, & cavillaturum hac ratione aliquem, hæc potius, quam illa duo objecta à Bellarmino loca, ab interprete eſſe interpolata. Longe diverſa eſt vtrorumque ratio. Nam illa quidem quæ ſecundo in epiſtolam ad Romanos libro, & homilia in Ioſuam tertia, cur Origeni Ruffinus affingeret, à ſui ſæculi ſenſu & dogmate aliena, nulla ratio erat; hæc vero quibus Sanctorum pro nobis orationes commendantur, cur Origenis verbis de ſuo aſſueret, ratio illi eadem erat, quæ alibi fuit, multa in veris ſincerisque hujus viri operibus mutandi, detrahendi, addendi; nimirum ardens, tametſi inane & iniquum ſtudium omnia veterum ad ſui ævi morem modumque inflectendi. Sed de his, deque veterum ſententia circa animarum corpore ſolutarum ſtatum, non eſt hic quidem dicendi locus. Quod obiter attigi ſatis eſt vt videtur, ad vindicandum ejus teſtimonij quod ex Origene adduximus, verum & geminum ſenſum; hunc nimirum, occultum eſſe & vni Deo cognitum an Sanctorum animæ extra corpus poſitæ aliquid pro nobis ſingulis hic interra degentibus agant, vel laborent, quomodo pro nobis ſatagere & laborare Angelos ex Scripturis diſcimus. Iam cum hoc decreto evertatur omnis Sanctorum mortuorum dulia atque invocatio; nemo non intelligit Origenem qui illud ſciſcit, Sanctos neque invocaſſe ipſum, neque ab aliis veris Chriſtianis ex Apoſtolorum traditione ſcilicet invocari ſciviſſe. CAPVT XXIV.

CAPVT XXIV.

Argumentum XXIV. inde ductum, quod vetuſtiſſimi de tertio etiam fortaſſe ſecundo, ſed extremo, ſæculo Chriſtiani Deum pro Sanctis & martyribus, & Apoſtolis, pro ipſa denique matre Virgine, oraverint; quem vero quis invocat religioſe, pro eo vt apud Deum ipſe oret, ſtultum & abſurdum videatur. Oratio pro Divo Leone P. R. vetus, è libris recentiorum eam ob cauſam eraſa.

IAM ex illo vetuſtiſſimorum Theologorum errore, de piarum ac Sanctarum animarum extra corpus ſtatu, alter mox profluxit; vt ſolent vno ſemel dato ac conſtituto abſurdo alia multa contingere. Qui enim putabant fideles mortuos, non in cœlum hinc dimiſſos recipi, ſed vel apud inferos, vel in paradiſo ſubcœleſti ad reſurrectionis tempus detineri, vel in terræ, aëriſque, & cœleſtium inde ſphærarum ſcholis erudiri, multis interim adverſarum poteſtatum illuſionibus obnoxios (vt Iuſtinus ſuſpicatur) certe incrementorum & vlterioris ad meliora ac lætiora profectus capaces (quæ plerorumque fuit opinio) qui inquam, de piis ſanctiſve ita ſentiebant facile eo prolapſi;

CAPVT XXII.

quod ait Tertullianum *alibi de gloria* poſt mortem *ſuſpenſione*, ſive dilatione *loquentem, addere*; excepta martyrij prærogativa. Sic enim ille locum Gallice expreſſit, neque ex quo libro deſcripſerit, annotavit. Locus autem ille extat in libro de reſurrectione carnis; atque ita habet; *Nemo* (inquit) *peregrinatus à corpore, ſtatim immoratur penes Dominum, niſi ex martyrij prærogativa, paradiſo ſcilicet, non inferis deverſurus.* Hæc vltimâ verba martyrum præ cæteris fidelibus prærogativam definiunt; nimirum, quod illi non apud *inferos*, vt alij, ſed apud *paradiſum deverſuri ſunt.* Hæc ergo martyras *prærogativa* ne *cælo* quidem, ſed *paradiſo*, id eſt vt diximus, ſubcœleſti loco aſſignat. Martyris *diverſa* ab aliis, ſortis ſunt, quod non apud inferos, vbi cæteri ſunt; *communis*, quod vtrique extra cœlum; neutri adeo cœleſtis gloriæ ad vltimam diem ex Tertulliano compotes. Ait autem eos *penes Dominum immorari*; quod habitent, non quidem in ipſo cœlo, ſed tamen in loco à notitia hominum communi ſegregato, & à dæmonum incurſatione, vitiiſque & malis noſtris libero, Dominicæ providentiæ peculiari defenſione munito, Spiritus Sancti luce illuſtrato, Angelorum conſuetudine gaudenti; in quo etiam Domini ipſius aſpectu eos frui, *, non quidem *ἐννοηματικῇ αἰσθήσει, notionis ſenſu*, quo præſentia cernuntur, ſed tamen *κατ' ὀπτασίαν per viſionem*, qua etiam abſentia repræſentantur, ſtatuit vetus auctor Reſponſionum ad Orthodoxos. Sed cæteros nunc audiamus. Novatianus presbyter primo Romanus, & inde ſchiſmatis contra Cornelium auctor & princeps, *Neque* (inquit) *quæ infra terram jacent, neque ipſa ſunt digeſtis & ordinatis poteſtatibus vacua. Locus enim eſt, quo piorum animæ impiorumque ducuntur, futuri judicij præjudicia ſentientes.* Ipſe quoque Origenes cum iſtis ſentire in pleriſque hactenus eſſe invenitur, quod *Sanctorum animas de quatuor terræ partibus venientium ab Angelis affirmat portari in ſinum Abrahæ*; quem locum veteres pæne omnes extra cœlum ſtatuunt. Alibi *Sanctos hinc diſcedentes* negat *integra meritorum ſuorum præmia conſequi; ſed adhuc nos exſpectare*, ſcilicet donec conſumatus fuerit ſalvandorum numerus. Sed & docet vt hominum in hac vita, ita & poſt eam animarum ad cœlos aſcendentium eſſe ſuos in pietatem varios profectus; vt anima *non ſubito nec importune ad ſumma conſcendat, ſed per multas deducatur manſiones, in quibus illuminata per ſingulas, & augmento ſemper ſplendoris accepto in vnaquaque manſione illuſtrata ſapientiæ lumine vſque ad ipſum perveniat luminum Patrem.* Quid autem hoc ſit, clarius in alio opere explanat; *Puto* (inquit) *quod Sancti quique diſcedentes de hac vita, permaneant in aliquo loco in terra poſito, quem paradiſum dicit ſcriptura divina, velutin quodam eruditionis loco, & (vt ita dixerim) auditorio vel ſchola animarum; in quo de omnibus his, quæ in terra viderant, doceantur, judicia quoque quædam accipiant de conſequentibus & futuris, ſicut in hac quoque vita poſiti judicia quædam futurorum*

Tertull. de reſurr. carn. c. 43 p. 431. C.

* *l. Quæſt. in reſp. ad Orth. Q. 75. & 76. inter opera Juſtini.*

Novat. l. de Trinit. c. 2. inter opera Tertull.

Orig. in Gen. hom. 11. T. 1. p. 39.

Id in Levit. hom. 7. p. 138.

Id. in Num. hom 27. p. 275.

Idem l. 2. περὶ ἀρχῶν c. 2. extr. p. 10.

turorum

turorum, licet per ſpeculum in ænigmate tamen ex aliqua parte conceperant, quæ manifeſtius & lucidius ſanctis in ſuis locis & temporibus revelantur. Si quis ſane mundus corde & purior mente & exercitatior ſenſu fuerit, cito ad aeris locum aſcendet, & ad cœlorum regna perveniet, per locorum ſingulorum manſiones, quas Græci ſphæras appellaverunt, Scriptura vero divina cælos nominat. In quibus ſingulis primo quidem perſpiciet ea, quæ ibi geruntur; ſecundo vero rationem quare geruntur, agnoſcet; & ita per ordinem aggreditur ſingula. Vult autem, vt paulo antea expoſuerat, animam in aëre tamdiu permanere, donec omnium quæ iſtic fiunt, diſpenſationem didicerit; & in ſingulis cœlorum ſphæris ſimiliter. Eo quoque pertinent, quæ idem de diverſis in cœlis converſationibus alibi philoſophatur, per quas piorum animas traduci vult antequam ad Dominum Ieſum Filium Dei, magnum Deum Verbum perveniant. Ita quidem Origenes. Alij ſimplicius in Irenæi & Tertulliani placita eunt. Vt Victorinus Martyr ſub Diocletiano paſſus, cum duas aras *auream* & *aream* diſtinxiſſet; *Ara area (* inquit*) terra intelligitur, ſub qua eſt infernus, ſemota pœnis & ignibus regio, & requies Sanctorum, in qua quidem ab impiis videntur & audiuntur juſti, & neque illuc tranſmeare poſſunt.* Lactantius denique; *Nec quiſquam* (inquit) *putet animas poſt mortem protinus judicari. Nam omnes in vna communique cuſtodia detinentur, donec tempus adveniat quo maximus judex meritorum faciat examen. Tum quorum, fuerit probata juſtitia, hi præmium immortalitatis accipient, Quorum autem peccata & ſcelera detecta fuerint, non reſurgent, ſed cum impiis recondentur in eaſdem tenebras ad certa ſupplicia deſtinati.* Atque hæc quidem iſti. Scio Bellarminũ de Tertulliano, de Victorino, & Lactantio ſolis concedere; de aliis repugnare negantem eos ſenſiſſe Sanctorum animas extra cœlum ad reſurrectionem vſque verſari. Sed fruſtra illum repugnare, & alij ex Latinis, vt Sixtus [a], & Stapletonus [b], & verba ſcriptorum diſertiſſima oſtendunt, & nos alibi demonſtravimus, fuſeque omnia, quibus ille contra nequicquam nititur eliſimus [c]. Ex his autem abſit vt ego vel exiſtimem vel contendam hanc communem fuiſſe totius Chriſtianæ Eccleſiæ ſententiam. Perronio [d] fuiſſe neganti libens aſſentior; & facile ſi hic eſſet locus, ex Clementis in Epiſtola ad Corinthios & Lugdunenſium in Actis ſuorum Martyrum, & Cypriani in libro de Mortalitate & aliorum teſtimoniis probare poſſem non omnes orthodoxos putaſſe piorum corpore ſolutos animos extra cœlum abſque Dei viſione vſque ad reſurrectionem detineri, ſed quoſdam, imo fortaſſe multos veriora præeuntibus ſcripturis ſequentes credidiſſe cœlo ſtatim recipi quotquot in Domino moriuntur. Illud quod idem Perronius concedit, ſatis mihi eſt priorem illam ſcilicet opinionem liberam apud noſtros fuiſſe, vt vel ex eo patet, quod magni illi viri, quorum & nomina & teſtimonia edidimus, eam aperte probaverint, ac defenderint, idque impu-

CAPVT XXII.

Id. in Matth. tract. 30. p. 150. tota.

Victorin. in Apoc. Bibl. Patr. T. 1. p. 576. B.

Lact. Inſt. l. 7 c. 21.

a *Sixt Sen. Bibl l. 6. Ann 345.*

b *Staplet. defenſ Eccl. Auct. c. 2.*

c *De pœn & ſatiſf. l. 5. c. 3. 4. 5 & 6.*

d *Du Perr. Repliq. l. 5. c. 18. p. 852.*

e *ibid.*

CAPUT XXII.

impune. Tantum enim abeſt, vt eorum quiſquam hoc nomine damnatus, notatus, aut reprehenſus fuerit, vel à ſui vel à ſecuti temporis Eccleſia; vt plane contrà plurimi reperiantur eundem poſtea errorem aperte amplexi, & in his Auguſtinus ipſe, & alij viri celeberrimi, quod nos alibi contra Bellarminum demonſtravimus. Iam vero ſi fuiſſet hic Latinus Divorum invocandorum ritus ab Apoſtolis traditus, & inde apud omnes illius ævi Chriſtianos propagatus; plane eſt incredibile quemquam tam hebetem futurum, qui quos religioſe coleret, quorum ſuffragia & interceſſionem apud Deum & Dominum Chriſtum in cœlis ſedentem poſceret & flagitaret, eos ipſos vel apud inferos in gehennæ confinio, vel in paradiſo vltra zonam torridam ſito habitare putaret, vel in terræ, aut aëris ſcholis atque auditoriis proficere; diſcendis hujus mundi mirabilibus operam dantes. Cum ergo viri non modo non plebeij, ſed illius antiquitatis præſtantiſſimi ac facile principes Iuſtinus, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Victorinus, Lactantius, alij de Sanctorum omnium mortuorum ad reſurrectionem vſque conditione ac ſede ita ſenſerint ac loquuti fuerint, concludendum eſt neque ipſos Sanctis duliæ & invocationis Latinæ honores detuliſſe, neque vllam Apoſtolorum ea de re traditionem apud Eccleſiam vniverſalem ævo ſuo receptam & factitatam comperiſſe. Quod argumentum cum omnem Sanctorum quorumvis duliam, tum præſertim Beatiſſimæ Mariæ *hyperduliam* tollit; quam ſi tota illius temporis Eccleſia pro *cœlorum regina* cum recentioribus Latinis agnoviſſet, ſummi illi viri haud dubie ex illo gregalium Sanctorum apud inferos, vel prope zonam torridam extra cœlum ex ſua ſententia verſantium numero erant eam excepturi, & in cœleſte ſolium evecturi. Atqui illi cum martyribus aliquid præ cæteris eximij diſerte vindicent, ſic tamen vt neque eos cœlis inferant, de Beata Virgine nihil vſpiam propriè caviſſe aut excepiſſe reperiuntur. Id autem etiam oſtendit traditionem de Sanctorum cultu non fuiſſe ab initio. Nam ſi jam inde à Chriſtianæ religionis exordiis ab Apoſtolis eſſet accepta, nihil in hoc genere apud veteres prius aut potius aut crebrius occurreret ac emineret, quam ſanctiſſimæ Virginis Domini matris cultus. Atqui contra accidiſſe videmus, vt martyrum honos, & prærogativa præceſſerit; propter commemorationem eorum ſcilicet in Eccleſia ſolennem; inde ortus ſit reliquiarum & memoriarum cultus, qui tandem omnibus ſanctitatis opinione præcellentibus, non ſolis martyribus, attributus; quod abſurdum videretur (vt eſt ſane) eos præteriri, qui quod martyrij faciendi non animus, ſed occaſio iis defuiſſet, mortem incruentam quidem, ſed tamen ſanctiſſimam atque beatiſſimam obiiſſent.

CAPUT

CAPVT XXIII.

Argumentum XXIII. ex inſigni quadam Origenis dubitatione, inter obſcura, & arcana Dei relinquentis, an Sanctorum Spiritus aliquid pro nobis agant, quæ dubitatio cum Sanctorum invocatione conſiſtere non poteſt. Refellitur Bellarmini ad locum Origenis cavillatio; & alia tria ejuſdem ſcriptoris loca à Bellarm. objecta ſic explicantur, vt cum ejus de Sanctorum animabus dubitatione minime pugnent. In eorum primo vocabulum animæ *quid ſit. Duo reliqua interpolata videri; adjectis à Ruffino, quæ in iis leguntur, Sanctorum Vet. Teſtam. precibus pro nobis. Eas enim ab Origene illuſtri quodam Hom. 5. in Ioſuam loco penitus tolli.*

SED adhunc quoque de animarum poſt mortem ſtatu locum pertinet inſigne Origenis in epiſtolam ad Romanos teſtimonium. *Si etiam* (inquit) *extra corpus poſiti, vel Sancti, qui cum Chriſto ſunt, agunt aliquid & laborant pro nobis ad ſimilitudinem Angelorum, qui ſalutis noſtræ miniſteria procurant; vel rurſum peccatores etiam ipſi extra corpus poſiti agunt aliquid ſecundum propoſitum mentis ſuæ, angelorũ nihilominus ad ſimilitudinẽ ſiniſtrorũ, cum quibus & in æternũ ignẽ mittendi dicuntur à Chriſto; habeatur hoc quoque inter occulta Dei, nec chartulæ committenda myſteria.* Hæc ille, aperte vt vides, dubitans, & *inter occulta Dei myſteria* relinquens, an Sancti corpore ſoluti *pro nobis laborent ad ſimilitudinem Angelorum.* Quod ille profecto nunquam ita dixiſſet, ſi Sanctos vel invocaſſet ipſe, vel ab omni Eccleſia invocari ſciviſſet. Nemo enim eſt Divos invocantium, qui non ſibi perſuadeat eos pro ſe ac ſingulis à quibus coluntur, ſatagere, ſollicitos eſſe, & ad Angelorum ſimilitudinem laborare. Imo hęc perſuaſio potiſſimum eſt religioſi, qui iis impenditur, cultus fundamentum, quo labefactato ipſam illorum invocationem ſubverti ac corruere neceſſe eſt. Neque quicquam contra hæc valet Bellarmini & Perronij, & aliorum Latinorum argutia cavillantium Origenem *ibi agere de naturali converſatione ac notitia*, id eſt (vt ipſe ſtatim Bellarminus hoc explicat) *quærere ſolum, vtrum ſancti hominum ſpiritus nobiſcum aſſidue verſentur, vt Angeli & dæmones, qui vere nobis ſemper adſunt, illi vt ad bonum, iſti vt ad malum nos pertrahant.* Si enim hoc *ſolum quæreret* Origenes, ſuam hanc *quæſtionem* nihil neceſſe habuiſſet Deo commendare, & *inter occulta ejus myſteria chartulæ* minime *committenda* relinquere. Ex Scripturis quidem ſcimus & Angelos *adminiſtratorios* eſſe *ſpiritus in miniſterium miſſos propter eos qui hære-*

Orig. in Rom. l. 2. p. 472. ex:r.

Bell de Sãct. Beat l. 1. c. 2 § Ad locum Orig.

Hebr. 1. 14. Pſ. 33. (Hebr. 34) 8.

CAPVT XXIII. *ditatem capient ſalutis, caſtrametantes in circuitu timentium Deum*; & dæmonas *tanquã leones rugientes fideliũ gregem circumire quærentes quē devorent, terramq;* ad hoc *perambulantes* adeo vt clarũ ſit ac liquidũ vtroſq; *nobis ſemper*, vt ait Bellarminus, *adeſſe*, & hic in terra ad cõtrarios illos fines verſari. De hominũ vero animabus corpore ſolutis plane nihil ſimile in divinis litteris legimus; quinimo multa his adverſantia ex iis diſcimus; ſcilicet animas piorum quidem ad quietē & fœlicitatem, impiorum vero ad pœnas & cruciatus dimitti atque abduci; quod vel vna epulonis & Lazari parabola, vt alia mittam non pauca clariſſime nos docet. Et ratio ipſa rerum oſtendit animos hominum non ad hoc creatos effictoſque eſſe vt ſeorſum à corporibus per ſe ſubſiſtant; ſed vt pro iis, quæ in hac mortali vita geſſerunt, judicentur, & in ſua quique ſorte conſtituantur. Quod autem ij nunc ſeorſum ad reſurrectionis tempus aliquandiu ſubſiſtunt, id fieri per quandam Dei ſapientiſſime omnia gubernantis œconomiam; propterea quod ei judicium omnium ad diem mundi ſupremum differre placuit.

1.Petr. 5. 8. Iob.1.7.& 2. 2.

Itaque neque Scriptura neque ratio prohibebat quominus Origenes libere atque aperte definiret, nõ eſſe eam ſpirituum extra corpus poſitorum rationem; vt *aſſidue nobiſcum*, ſicut Angeli & dæmones verſentur in his terris. Neque vt opinor, vel Bellarminus, vel quiſquam ex Latinis, vel ex aliis ſive priſcis ſive recentioribus Theologis, ſi ea de re eſſet interrogatus, dubitaret quæſtionem ſolvere, vel eam inter arcana Dei inſcrutabilia reponeret. Cum ergo Origenes idquod hic quærit inter myſteria Dei occulta, neque *charta committenda* amandet, clarum certumq; eſt aliud eſſe ejus quæſitum quam quod fingit Bellarminus. Sed & Origenis verba à Bellarminiano commento non minus quam res ipſæ abludunt. Ille enim ſic ſuum illud quæſitum effert, *ſi Sanctorum ſpiritus agunt aliquid & laborant pro nobis. Agere* autem *aliquid & laborare pro nobis* non eſt (vt opinor) *aſſidue nobiſcum in terris verſari.* Quod addit *ad ſimilitudinem Angelorum*, id non ad loci in quo *pro nobis laborant*, ſed ad rei & actionis ipſius ſimilitudinem refertur. Nimirum quærit, an vt Angeli, ſic etiam piorum ex hac vita dimiſſi *ſpiritus*, pro nobis ſingulis ſolliciti aliquid rerum noſtrarum procurent, & ad hoc laborent & ſatagant, vt Petrus verbi gratia ex vinculis quibus tenetur, liberetur, vt Paulus certus ſit neque ſe neque quemquam eorum, qui ſimul cum ipſo navigant, periturum, & alia hujuſmodi ſexcenta; an ad iſta nobis ſigillatim curanda aliquis ſit Sanctorum vita functorum *labor*, aut *aliqua actio.* Hoc, quod omnes nunc Sanctorum cultores atque invocatores, affirmatiſſime docent ac conſtituunt, Origenes neſcit; imo & neſciendum eſſe atque inter Dei arcana occulta relinquendum decernit. Ergo neque ipſe Sanctos vita functos invocavit, neque eos à ſui temporis Eccleſia invocatos fuiſſe, vel quicquam ab Apoſtolis ea de re traditum fuiſſe ſcivit, Congruit noſtra Origenis expoſitio ejus non modo verbis, ſed etiam ſententiæ de animarum ſtatu extra cor-

pus nuper à nobis explicatæ; quas ſtatuit in terræ, & aëris, & cœlorum regionibus certo ordine, veluti in totidem gymnaſiis & ſcholis verſari, ibique ad diſcendas rerum ſingularum naturas diu deſtineri, vt mirandum non ſit, quod tam perplexo tamque difficili negotio occupatas ægre admiſerit, nobis interea, rebuſque noſtris ac votis attendere, atque operam laboremque ſuum commodare. Neque aliud ſuadent tria illa Origenis indicata à Bellarmino loca. Primus locus ex opere contra Celſum habet *ſpiritus ſentire, qui ſint digni favore cœleſtis numinis, & vnà nobiſcum precari.* Sed Origenes ſe hic de Angelis, non de piorum hominum animabus extra corpus degentibus, loqui ſatis eo docet, quod ſtatim ſubjungit; *vt quotquot Deum colimus, audeamus dicere; hominibus bona voluntatis precantibus vltro & non vocatos adjungere innumera ſanctorum ANGELORVM millia.* Bellarminum volentem decepit quod paulò ante præceſſerat. *Cum aliquis Deum habet propitium, ſequitur vt amicos habeat omnes ejus Angelos, animas & ſpiritus.* Sed totus locus arguit non de aliis, quam de Angelis agere Origenem. Et *animas* de Angelis etiam dici, non autem de humanis tantum mentibus, vincit optimorum Scriptorum vſus, vt Philonis, qui hoc nomen non ſemel eo ſenſu vſurpavit. In libro de Gigantibus, *Quos (inquit) alii philoſophi dæmonas vocant, eos ſolet Moſes* Angelos *nominare: Sunt autem animæ per aërem volantes.* ψυχαὶ δ' εἰσι κατὰ τ' ἀέρα πετόμεναι. Et mox; *Nam ſi animarum ſpeciem viſus imaginari nequit, ideo nullas eſſe ſequitur in aëre animas,* οὐ γὰρ ὅτι οὐ δύναται ἡ ὄψις ψυχῶν φαντασιωθῆναι τύπους, διὰ τοῦτ' οὐκ εἰσὶν ἐν ἀέρι ψυχαί. Tum *animas alias ad corpora deſcendiſſe* dicit; *alias nulli certæ parti dignatas vnquam eſſe ad motum adjungi*; Has eſſe, quarum Deus miniſterio vti ſolet. Angelos vt liquet, intelligit. Deinque definit; *animas, dæmonas, & Angelos nomina quidē eſſe diverſa; rem nominibus ſubjectam vnam & eandem eſſe.* ψυχὰς, δαίμονας, καὶ ἀγγέλους ὀνόματα μὲν διαφέροντα, ἓν δὲ καὶ ταὐτὸν ὑποκείμενον. Ipſe itaque his nominibus indifferenter paſſim vtitur; vt cum de Angelis loquens ait in eodem opuſculo, *animas carnis & corporis expertes in hoc univerſi theatro* divina voluntate & auditione frui. Neque aliter de his philoſophatus in libro de ſomniis; vbi de aëre: *Hoc (inquit) eſt domicilium ANIMARVM incorporearum*; οὗτος δ' ἐστὶ ψυχῶν ἀσωμάτων οἶκος. Tum paucis interjectis, *aërem ait cives quoque ſuos habere incorruptiles & immutabiles, ANIMAS ſideribus numero æquales.* Harum *animarum* varios ordines recenſet; quaſdam corporibus mortalibus illigari, alias liberatas ſurſum tendere; nonnullas eodem revolvi; alias ad æthera evehi; optimas & puriſſimas eſſe Dei veluti Magni Regis oculos & aures, eaſque iterum hic dicit dæmonas à philoſophis, Angelos à divinis Scripturis dici. Quos infra vocat *incorporeas & miniſtratrices Dei animas,* ἀσωμάτους καὶ θεραπευτρίδας αὐτοῦ (θεοῦ) ψυχάς. Nihil ergo mirandum eſt, quod Origenes qui Philonem

CAPVT XXIII.

Bell. vb. ſupr.

Orig. l. contr. Celſ. 4, p. 433.

Philo de Gig. p. 192.

ibid.

ibid.

ibid. p. extr.

ibid. p. 194.

Id. περὶ ὀνείρ. p. 398.

il. p. 407.

CAPVT XXIII. in multis ſequitur, *animas* hic eodem ſenſu quo *ſpiritus*, dixerit. Si obiicias, qui *Angelos* dixiſſet, *animas* eo ſenſu adiicere nihil neceſſe fuiſſe; reſpondeo eadem ratione, neque *ſpiritus* addere debuiſſe. Et tamen addidit; ἀγγέλους (inquit) καὶ ψυχὰς, καὶ πνεύματα. Nimirum cum Angelorum multi ſint ordines, multaque nomina, omnia complecti voluit Origenes; nequid quiſpiam putaret propitiato ſemel per pietatem & virtutem Deo, nobis adverſum aut inimicum fore. Ideo communiſſima ac latiſſime patentia nomina tria ſimul poſuit, ANGELOS, ANIMAS, SPIRITVS. Sed & ſiquis hanc interpretationem reſpuat, facile eſt etiam aliter Origenem ſecum conciliare. Is enim Solem, & cæteras ſtellas fixas, atque errantes anima rationali præditas eſſe putavit; Deumque & precibus & aliis pietatis actibus colere, vt infra oſtendemus. Itaque quas dicit animas medio inter *Angelos, & ſpiritus* loco, eas ego de his ſiderum, quam de hominum animabus ſumere malim; quod in tota hac diſputatione multus, imo pæne perpetuus ei eſt de Angelis, ac de ſideribus ſermo; de ſolutis hominum animabus nullus eſt. Duo alia loca ex homiliis in

Origen. in Num. homil. 26. p. 172. & in Ioſ. hom. 16. p. 320. Numeros, & in Ioſuam primo nihil habent, quod pugnet cum dubitatione propoſita. Vterque enim locus hoc tantum dicit ſanctos, qui ſub veteri Teſtamento mortui ſunt *orationibus juvare*; At qui *nos orationibus ſuis juvat*, non ideo ille *pro nobis laborat ad ſimilitudinem Angelorum*. Angeli enim res ſingulorum noſtras vident, pericula ſingulorum intuentur, quid quiſque fidelium metuat, quid quiſque optet & requirat intelligunt; qui adſunt ſcilicet, & hic in terra rebus noſtris interſunt. Itaque pro ſua & in Deum pietate & in nos caritate, ſingulis laborantibus ipſi vnà collaborant, & certantibus

Id. l. 8. contr. Celſ. p. 433. συναγωνίζονται, ſimul *nobiſcum certant*, vt de iis alibi loquitur Origenes. Dubitat ad Romanos, an idem ſit Sanctorum virorum extra corpus poſitorum pro nobis labor, ſimileque certamen; & merito profecto dubitat, quod nihil ea de re ſit à Domino revelatum. Cum hac vero dubitatione nihil pugnat, quod in Numeros & in Ioſuam affirmat nos veterum *Sanctorum orationibus juvari*. Non enim ſiquis alicujus oratione aut facto *juvatur*, eo ſtatim conſequens eſt, vt is, à quo juvatur, de ipſo vel *laboraverit*, vel etiam proprie cogitarit. Origenes certe illo ipſo in loco qui obiicitur, Sanctorum veterum non ſolis *orationibus*, ſed etiam rerum ab iis geſtarum *exemplis*, & *voluminibus* ab iiſdem conſcriptis, nos juvari dicit; Vnde nemo niſi ſtultus, concluſerit eos, dum res illas præclaras geſſerunt, quarum *exemplis confirmamur*, & *volumina illa* conſcripſerunt, quibus *inſtruimur ad dimicandum adverſum inimicas poteſtates*, de vnoquoque noſtrum ſigillatim ſollicitos fuiſſe, & laboraſſe, imo vel cogitaſſe. Ergo neque ſi eorum *orationibus juvemur*, ideo ſequitur eos dum orant, pro nobis ſingulis laborare, aut ſollicitos eſſe, vel etiam cogitare. Cum enim omnes conſentiant ſanctas illas animas ad corporis ſui reſur-

rectio-

rectionem & aſſumptionem, veluti ad ſummum fœlicitatis ſuæ culmen adſpirare) fratrum omnium conſummationem, creaturæ vniverſæ liberationem, poteſtatum Chriſti regno adverſantium depreſſionem, Chriſti ipſius clariſſimam revelationem, divinæque gloriæ vltimam patefactionem, ardentiſſime expectare; dubitandum non eſt, quin hæc omnia, quibus noſtra vt liquet ſalus, continetur, jugiter exoptent, votiſque, & precibus ſuis à Domino expetant. Eo fit, vt licet neque ſingulos fidelium noſcant, neque res eorum particulatim intelligant, neque adeo de iis ſingulis laborent aut cogitent, vniverſos tamen juvent, dum ea, quæ ſunt ſingulis vtilia ac ſalutaria, vniverſim (vt ſic dicam) à Deo exoptant, atque expoſcunt. Secundo reſpondeo mihi valde ſuſpectum eſſe, quod in illis duobus locis legitur nos *veterum Sanctorum orationibus juvari*. Si hæc Origenis opera Græce exſtarent, certius judicari poſſet an hæc ipſius vere ſint. Nunc cum Latinam tantum Ruffini interpretationem habeamus, difficile eſt ſtatuere, hæccine auctor ipſe, ita ſcripſerit, an ea interpres de ſuo addiderit, qualia multa paſſim eum adjeciſſe, & totum opus mirifice interpolaſſe, ex quorumdam apud eum locorum cum Græcis Origenis, quæ extant, verbis comparatione certo deprehendimus. Cur ita ſuſpicer, non eo tantum compellor, quod iſtarum *orationum* quibus hic à Sanctis veteribus *adjuvari* dicimur, nullam alibi apud Origenem mentionem fieri meminerim; ſed eo præſertim, quod in loco quodam illuſtriſſimo & horum plane gemino, vbi itidem exponit, quomodo pii verere ſub lege mortui *fratres ſuos adjuvent in præliis* ſpiritualibus ſcilicet, has eorum *orationes* non modo inter auxilia, quæ ab illis conſequimur, nullas recenſet, ſed apertiſſime potius ex iis expungit. *Vide mihi.* (inquit) *hodie laboranti in agone vitæ hujus & habenti certamen adverſus inimicos, id eſt contrarias poteſtates, quomodo in auxilium veniunt illi, qui ante adventum Ieſu Chriſti Domini mei in lege juſtificati ſunt. Vide quomodo Eſaias mihi præſtat auxilium, cum me ſermonibus ſuæ lectionis illuminat. Vide accinctum & expeditum venientem Hieremiam, & voluminis ſui jaculis hoſtes acerrimos, & cordis mei tenebras effugantem.* Tum Danielis de Chriſto prophetias, & Ezechielis viſiones, & Ozeæ vna cum aliis minoribus vndecim Prophetis libros ad eandem rem memorat, *vt eorum* (inquit) *voluminibus inſtructi diabolicas non ignoremus aſtutias.* Hæc ille nobis à Sanctis illis veteribus *auxilia* præſtari dicit; de eorum pro nobis *ſuffragiis*, & *orationibus* nihil dicit; quas non magis hoc loco, quam in aliis duobus, prætermiſiſſet, ſi ſciviſſet. Verum eas non prætermittit tantum; ſed etiam, quod dixi, ex hoc auxiliorum cenſu expungit. Diſerte enim ita ſcribit; *Quid me adjuvare potuit ille, qui nihil locutus eſt? cujus nihil invenio quod legam?* Et mox iterum; *Ad auxilium meum non venit, qui docere me non poteſt, vt cujus nihil invenio, quod imitari debeam, aut tenere.* Apertiſſime negat alio ſe à Sanctis

CAPVT XXIII.

Orig. in Ieſ. hom. 3. p. 250.

Ibid.

CAPUT XXIII.

mortuis juvari; quam vel exemplo rerū, quas geſſerunt, vel documento litterarum, quas ſcripſerunt, dum hic olim eſſent in vivis; negat adeo ſe vllis ipſorum orationibus juvari, quas quidem nunc in cœlo pro ipſis fundant. Nam quas olim fuderunt, ſi quarum extet memoria, iis nunc juvari nos concedo; dum his exemplis & ad Deum orandum provocamur, & quid & quomodo ab eo ſit poſcendum diſcimus. Atque eo ſenſu vtrumque hunc Origenis objectum à Latinis locum, ante annos ducentos interpretatus eſt Ioannes Lukavvits, vir doctiſſimus in ſua Taboritarum contra Rokenzanum Confeſſione; reſpondens ſanctos veteris Teſtamenti nos *juvari ſuis orationibus* ab Origene intelligi, non quà nunc in cœlis pro nobis Deo offerunt, ſed *quà illi (inquit) nobis ad orandum Deum in exemplo reliquerunt*; accuratiſſime profectò. Sed ſi cui argutior videatur ſolutio, non poteſt tamen ſic conſtituere horum locorum ſenſum, vt non pugnent cum tertio hoc loco, quem ex homilia in Ioſuam tertia nuper deſcriptum exhibuimus. Nam ſi cum Latinis hodiernis crediuiſſet Origenes orationes pro ſe & aliis ſigillatim fidelibus à Sanctis, in eo ſtatu quo ſunt extra corpus poſiti, ad Dominum quotidie pro rerum neceſſitatibus fieri, ſtulte (vt omnes vident) & contra ſuam ipſius mentem, negaret ſe non ab aliis Sanctis adjuvari poſſe, quam iis, qui vel ea *locuti ſunt*, quibus *doceatur*, vel ea geſſerunt, *quæ imitari debeat*. Quam multi enim ſunt Sancti quorum neque vllos libros habemus, neque res geſtas legimus; à quibus ſe Latini nihilo ſecius juvari credunt, per eas ſcilicet orationes, quas nunc Deo in cœlis pro ſe offerunt? Quæ cum ita ſe habeant, vel ad illam Ioannis Taboritæ ſolutionem tranſeundum, vel (quod ego verius puto) concedendum eſt illa de Sanctorum *orationibus*, quibus *adjuvari* ſcilicet dicimur in vtroque objecto loco, Ruffinum Origenis verbis de ſuo infulſiſſe, vt ea ad guſtum & ſenſum ſui ſæculi accommodaret, quo jam cœperat illa de Sanctorum mortuorum pro nobis precibus opinio apud noſtros invaleſcere. Certe homilia illa in Numeros, vbi Sanctorum & orationibus & exemplis, & libris nos adjuvari præfatus, eadem ſtatim colligit, Sanctorum orationes plane penituſque tacet; eorum tantum exempla & libros ſic memorat; *Pugnant ergo pro nobis* (inquit) *& ipſi* (ſancti veteris Teſtamenti.) *Incedunt primi ante nos armati. Ipſos enim nos habentes ad* EXEMPLUM, *& videntes eorum per ſpiritum fortia facta, armamur ad prælium ſpiritale, & adverſus ſpiritalia nequitia in cœleſtibus militamus.* Nihil hic de Sanctorum orationibus vides; Ergo neque de iis quicquam in ſuperioribus vidiſſemus, niſi eas Ruffinus Origeni de ſuo iſtic commodaſſet, locum fraudi opportunum eſſe ratus. Neque eſt quod quis hoc in nos retorquens dicat parem quoque futuram ſuſpicionem de locis ex tertia in Ioſuam homilia, & ex ſecundo in epiſtolam ad Romanos libro, quod neque hæc niſi ex

I. Luk. Confeſſ. Tabor. c. 41. p. 209.

Origen. in Num. hom. 26. p. 273.

Ruffini

Ruffini interpretatione habeamus, & cavillaturum hac ratione aliquem, hæc potius, quam illa duo objecta à Bellarmino loca, ab interprete eſſe interpolata. Longe diverſa eſt vtrorumque ratio. Nam illa quidem quæ ſecundo in epiſtolam ad Romanos libro, & homilia in Ioſuam tertia, cur Origeni Ruffinus affingeret, à ſui ſæculi ſenſu & dogmate aliena, nulla ratio erat; hæc vero quibus Sanctorum pro nobis orationes commendantur, cur Origenis verbis de ſuo aſſueret, ratio illi eadem erat, quæ alibi fuit, multa in veris ſinceriſque hujus viri operibus mutandi, detrahendi, addendi; nimirum ardens, tametſi inane & iniquum ſtudium omnia veterum ad ſui ævi morem modumque inflectendi. Sed de his, deque veterum ſententia circa animarum corpore ſolutarum ſtatum, non eſt hic quidem dicendi locus. Quod obiter attigi ſatis eſt vt videtur, ad vindicandum ejus teſtimonij quod ex Origene adduximus, verum & geminum ſenſum; hunc nimirum, occultum eſſe & vni Deo cognitum an Sanctorum animæ extra corpus poſitæ aliquid pro nobis ſingulis hic in terra degentibus agant, vel laborent, quomodo pro nobis ſatagere & laborare Angelos ex Scripturis diſcimus. Iam cum hoc decreto evertatur omnis Sanctorum mortuorum dulia atque invocatio; nemo non intelligit Origenem qui illud ſciſcit, Sanctos neque invocaſſe ipſum, neque ab aliis veris Chriſtianis ex Apoſtolorum traditione ſcilicet invocari ſciviſſe.

CAPUT XXIV.

Caput XXIV.

Argumentum XXIV. inde ductum, quod vetuſtiſſimi de tertio etiam fortaſſe ſecundo, ſed extremo, ſeculo Chriſtiani Deum pro Sanctis & martyribus, & Apoſtolis, pro ipſa denique matre Virgine, oraverint; quem vero quis invocat religioſe, pro eo vt apud Deum ipſe oret, ſtultum & abſurdum videatur. Oratio pro Divo Leone P. R. vetus, è libris recentiorum eam ob cauſam eraſa.

IAM ex illo vetuſtiſſimorum Theologorum errore, de piarum ac Sanctarum animarum extra corpus ſtatu, alter mox profluxit; vt ſolent vno ſemel dato ac conſtituto abſurdo alia multa contingere. Qui enim putabant fideles mortuos, non in cœlum hinc dimiſſos recipi, ſed vel apud inferos, vel in paradiſo ſubcœleſti ad reſurrectionis tempus detineri, vel in terræ, aëriſque, & cœleſtium inde ſphærarum ſcholis erudiri, multis interim adverſarum poteſtatum illuſionibus obnoxios (vt Iuſtinus ſuſpicatur) certe incrementorum & vlterioris ad meliora ac lætiora profectus capaces (quæ plerorumque fuit opinio) qui inquam, de piis ſanctiſve ita ſentiebant facile eo prolapſi;

CAPUT XXIV. lapſi ſunt, vt pro iis orandum ac ſupplicandum exiſtimarent. Itaque vt error de animarum corpore ſolutarum ſtatu, ita & pravus pro iis precandi ritus vterque mature apud veteres Chriſtianos irrepſit. Ac error quidem jam anno Chriſtianiſmi. CXL. & CL. apud Sibyllinorū parentem, apud Pium, & Iuſtinum, (quod ſuper oſtendimus) apparet; Preces pro mortuis errorem conſecutæ neque ipſæ diu poſt hoc tempus apud Tertullianum, Severo imperante, altero à Domini natalibus ſæculo exeunte & ineunte tertio, reperiuntur. In vetuſtiorum ſcriptorum, vt Apoſtolorum, & Clementis Romani, & aliorum (ſi qui ſint) veris litteris, nulla vel illius erroris, vel hujus ritus mentio vſpiam (quod ego meminerim) occurrit. Nos, qui non alia, quam quæ ab Apoſtolis tradita eſſe certo liquidoque cōnſtat in religionem Chriſtianam admitti fas credimus, neutrum quidem (id eſt neque errorem, neque ritum ex errore exortum) probamus; ſed ex vtroque tamen hoc lucri facimus, quod hinc intelligimus ignotam illis vetuſtiſſimis fuiſſe Sanctorum duliam & invocationem religioſam; ita vt, etiam noſter in illis malis, *aliquis* (quod ait Poëta) *ſit vſus*. Quod ergo illo errore argui, oſtendimus; idem ex precum pro mortuis vetuſtiſſimarum more conſequens eſſe, nunc paucis oſtendamus. Inprimis ergo hoc obſervandum venit vetuſtiſſimos illos Chriſtianos pro omnibus omnino mortuis, etiam pro ſanctiſſimis, pro martyribus, pro Apoſtolis, etiam pro Deipara ipſa Virgine preces ac ſupplicationes Deo obtuliſſe. Res clara eſt ex priſcis publicíſque Ecclesiarum Liturgiis; ex ea, quæ Iacobi dicitur, *Memento Domine Deus Spirituum, & vniverſæ carnis, quorum memoriam egimus, & non egimus, orthodoxorum ab Abel juſto ad hodiernum diem. Fac eos requieſcere in regione viventium, in regno tuo, in deliciis paradiſi, in ſinu Abrahæ, Iſaaci, & Iacobi.* Sic Liturgia Marci; *Animas Patrum, & fratrum noſtrorum, qui antea in Chriſti fide obdormierunt, fac requieſcere.* Et cum Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, &c. nominaſſet, paucis interjectis; *Et horum* (inquit) *omnium animas fac requieſcere, Dominator Domine Deus noſter in Sanctorū tuorum tabernaculis, in regno tuo largiens ipſis promiſſionum tuarum bona.* Item Liturgia Syrorum; *Memento etiam Domine* (inquiunt) *eorum qui communicarunt in ædificium hujus templi, & in erectione manſionis hujus, atque omnium qui nobiſcum ſive parum, ſive multum conſociationis habent. Deus præſta eis requiem, bonamque memoriam; potiſſimum ſanctiſſimæ Deiparæ Mariæ.* Similia habet & quæ dicitur Chryſoſtomi liturgia; *Præterea offerimus tibi rationalem hunc cultum pro requieſcentibus in fide majoribus, Patribus, Patriarchis, Prophetis, & Apoſtolis, præconibus, Evangeliſtis, Martyribus, Confeſſoribus, &c. præcipue pro Sanctiſſima immaculata Maria, &c. Memento omnium, qui dormierunt in ſpe reſurrectionis vitæ æternæ, requieſcere eos facito vbi præſidet lumen vultus tui.* Aliæ Liturgiæ ſimilia habent. Scio Bellarminum & alios Lati-

Lit. Iac. Bibl. Patr. Gr. Lat. T. 2. p. 17. A.

ibid. p. 34. A.

ibid. p. 35. A.

Lit. Syr. Bibl. Patr. T. 6. p. 36. A.

Lit. Chryſ. in op. Chryſ. T. 4. p. 539. B.

CAPVT XXIV.

Latinos, & ex Græcis recentioribus Nicolaum Cabaſilam ad hæc Liturgiatū, & quorundam de quarto, ac quinto ſæculo ſcriptorum ſimilia loca cavillari, reſponſantes iſtas veterum pro Sanctis orationes, non *deprecationes*, aut *ſupplicationes* ἱκεσίας, ſed *gratiarum actiones* eſſe. Sed quantopere illi à vero aberrent, ſuæ in Divos religionis ſtudio abrepti, ipſa Liturgiarum verba per ſe oſtendunt; quibus Deum fideles ſuperſtites diſerte rogant, vt eos pro quibus orant (id eſt etiam mortuorum ſanctiſſimos) *requieſcere faciat in regione viventium, & largiatur iis promiſſionum ſuarum bona, & præſtet requiem, bonamque memoriam*. Nihil nos neceſſe eſt plura in eam rem addere, quam fuſe alibi * demonſtravimus, Bellarminique & Nicolai Strophas atque ſuſpiciones abunde confutavimus. Neque eſt quod quis nobis Liturgiarum novitatem, vel incertam fidem objectet. Has ego confiteor ſæculis labentibus varie, ac multipliciter fuiſſe intertetpolatas & immutatas; non ſic tamen, vt plane nihil ex veteribus formis reliquum in ijs ſuperſit. Iam has pro Sanctis preces, quæ iſtic leguntur, non fuiſſe à recentioribus vel Græcis, vel Latinis effictas, & veteri Liturgiarum vt ſic dicam, corpori adjectas, inde patet quod vtrique pro Sanctis preces faciendas negant, à quo ſcilicet eos invocare cœperunt; vt ex Græcis Cabaſilas, ex Latinis Bellarminus & cęteri defendunt. Itaque pro certo ſtatuendum eſt illas pro Sanctis preces cum jam inde ab ipſa Liturgiarum prima editione conditæ eſſent, in ijs ad hæc tempora aliqua antiquitatis reverentia ſervatas, ac retentas hæſiſſe; Idque profecto admiratione noſtra eo dignius eſt, quod ſciamus non aliam ob cauſam immutatam fuiſſe à Latinis in Romano Miſſali orationem quandam die ſancti Leonis P. R. I. dici ſolitam; quam Hincmarus ſuo, id eſt nouo jam adulto, ſæculo, in hæc verba conceptam olim fuiſſe teſtatur; *Annue nobis Domine, vt animæ famuli tui Leonis hæc proſit oblatio, quam immolando totius mundi tribuiſti relaxari delicta*. Hæc nunc in Miſſalibus Romanis fruſtra quæras. Nulla iſtic inveniuntur. Innocentius P. R. docet pro illis antiquis hæc verba eſſe ſubſtituta; *Annue nobis, quæſumus Domine, vt interceſſione B. Leonis hæc nobis proſit oblatio*; quia nimirum Sancti, vt iſtic ait Innocentius, *orationibus noſtris non indigent, pro eo quod cum ſint perfecte beati, omnia eis ad vota ſuccedunt ſed nos potius orationibus eorum indigemus*. Ad quem locum hæc habet de Leone gloſſa; *Quia* (inquit) *olim orabatur pro ipſo, hodie ipſe orat pro nobis; & ita mutatum eſt*. Sic etiam eadem de cauſa immutata ſunt illa in Miſſa Romana Gregorij Dialogi verba, *Memento etiam Domine, famulorum tuorum CVNCTORVM atque CVNCTARVM* ... ΠΑΝΤΩΝ καὶ ΠΑΣΩΝ, *qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis. Ipſis Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus, locum refrigerij, & lucis, & pacis, vt indulgeas, deprecamur per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum*. Sic enim iſta leguntur in editione hujus Liturgiæ

Bell. l. 5. de Purg. c. 9. extr.

Cabaſ. Expoſ Lit. c. 5. & 49. Bi. l. Patr. Gr. Lat. T. 2 p. 263. D. 265. C.

**D. ...æn & ſatiſf. l. 5. c. 8.*

Hinc l. 1. de Præd c. 32. p. 297.

Innoc. 3. c. Cum Martha. Decret. Greg. l. 3. De celebr. Miſſ. tit. 41.

Liturg. Gregor. Bibl. Patr. Gr. Lat. T 2 p. 129. C.

CAPUT XXIV.

quæ Romana olim erat, Græco-latina. In Miſſali vero hodierno, expunctis ſignis univerſalibus, *CUNCTORUM atque CUNCTARUM* locus, ita ut ſequitur reformatus, legitur; *Memento etiam, Domine, famulorum, famularumque tuarum N. & N. qui nos præceſſeſerunt*, &c. Nimirum nolunt ſe videri pro cunctis in fide Chriſti mortuis precari; quamquam ſane nimis curta fuerit hæc eorum emendatio; qui ſtatim, in iis quæ integra reliquerunt verbis *locum refrigerii, & lucis, & pacis*, adpoſtulant, non ſolis ſuis purgatorianis civibus, ſed *omnibus in Chriſto quieſcentibus. In Chriſto* autem *quieſcere* omnes omnino fideles ſalutis vere compotes, præſertim vero Apoſtolos & Martyras, & Sanctos & quorumcumque eximia fuit in Deum pietas, nemo ni fallor, negaverit. Utcumque ſit, cum Innocentius P. R. III. decernat *Sanctos orationibus noſtris minime indigere*, cum idem pro ſumma ſua poteſtate ſacram Scripturam dicentem inducat, *quod injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre* (hoc enim, quod Auguſtini * dictum eſſe, etiam pueri, ſciunt, ter maximus ille archiflamen, quæ admirabilis eſt ejus in rebus divinis ſapientia ſacræ Scripturæ tribuit) cum ipſa omnium Sanctos invocantium hodie ſententia ſit, abſurdū eſſe, & ineptum te pro eo ipſo orare, quem oras; cum poſtremo cōmunis omnium hominum ſenſus atque ratio clamet omnino ſtultum atque præpoſterum eſſe, ut ad quorum opem, interceſſionem atque ſuffragia humillimis precibus confugimus, eos nos illi ipſi Deo, apud quem gratia plurimum valent, quemque pro nobis rogant, precibus tamen noſtris commendemus, veluti opis noſtræ indigentes; cum hæc inquam, omnia ita ſe habeant, plane confitendum eſt vetuſtiſſimos illos Theologos, Sanctos, pro quibus ipſi preces ad Deum faciebant, minime gentium invocaſſe, aut invocandos putaviſſe. Quod vero etiam pro iis, quos Martyras eſſe agnoſcebant, Deum tamen orabant, eo fateor, ſi ad Auguſtinianum tribunal res revocetur, præpoſtere ſe geſſerunt. Sed eorum hac de re facilis eſt ad Auguſtinum purgatio, qui ante hanc latam ab eo legem vivebant ſcilicet; neque abſurdum putabant, Deo precibus noſtris quemquam eorum commendari qui nondum eſſent cœlum & ſumma adepti, quo loco ac numero Martyras ipſos cenſebant; nondum illa miraculorum ad Martyrum reliquias factorum, & exinde conſecutæ ipſorum invocationis luce donatos, qua affulgente didicit poſtea Auguſtinus ſuum illud myſterium, *Injuriam eſſe pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* Itaque viris optimis fraudi eſſe non debet, quod omnem illam de Sanctorum pro nobis apud Deum interceſſione, & noſtris ad eos ſupplicationibus doctrinam neſcientes (quam ab Apoſtolis prætermiſſam, à Gregorio Nazianzeno, Paulino, Hieronymo, Auguſtino & aliis demum inchoatam, Latini tandem omnibus ſuis numeris perfecerunt) paulò familiarius cum Divis egerunt; pro iis veluti pro fratribus ſuis communem Patrem rogantes. Neque nunc

In Miſſ. Rom. p. 355.

Innoc. ub. ſupr. Cum Sacra Scriptura dicat auctoritas quod injuriam facit, &c.

** Aug. de verb. Apoſt. ſerm. 17.*

diſpu-

diſputo vtri rectius inſtituant, Vtroſque errare puto; & veteres, qui preces ad Deum ſuas nihil indigentibus commodant, & recentiores qui ſanctiſſimis quidem creaturis, ſed tamen creaturis, deferant vni Deo debitum religionis & invocationis cultum. Hoc vnum nunc contendo, vetuſtiſſimis illis Chriſtianis, à quibus exortus eſt ille mos pro mortuis fidelibus, etiam Sanctis, precandi, invſitatum atq; ignotum fuiſſe Latinorum hodiernum Sanctos invocandi ritum. CAPVT XXV.

CAPVT XXV.

Argumentum XXV. Quod Paganis vnum quidem ſummum Deum, cæteros velut ejus miniſtros, ſecundo poſt eum loco, colere ſe profitentibus, deberi autem honorem & cultū religioſum objectantibus non modo Principi, ſed etiam ejus miniſtris; vetuſtiſſimi Chriſtiani præfractè negaverint alium colendum niſi Deum vnum ſummum; cultum Dei à cultu miniſtrorum nunquam diſtinxerint, vel colendos miniſtros, modo bonos & Sanctos, conceſſerint; denique nihil eorum, quæ poſcebat Latinorum hypotheſis, in hac cauſſa vſurpaverint.

SED nunc veterum Theologorum cum Ethnicis diſputationes videamus; ſi quid in iis reperiri poſſit, quod ad religioſam Latinorum hominum ſuos in Divos *duliam* collineet. Atque hic inprimis obſervandum venit Ethnicorum de ſuis Divis Theologiam fuiſſe Latinorum de Sanctorum cultu hypotheſi in multis valde ſimilem. Id vero (vt Ethnicorum ipſorum libros mittam, qui plurimi ſuperſunt) vel ex iis patet, quæ de Paganorum religione noſtri antiquiſſimæ memoriæ Scriptores tradunt. Tertullianus; *Sic* (inquit) *pleríque diſponunt divinitatem, vt imperium ſummæ dominationis eſſe penes vnum, officia ejus penes multos velint; vt Plato Iovem magnum in cœlo comitatum exercitu deſcribit Deorum, & dæmonum. Itaque oportere & procurantes, & Præfectos, & Præſides pariter ſuſpici.* Et quod continenter ſubiicit de Cæſare, oſtendit Paganos ſuam hanc diſpoſitionem ei aulæ Cæſareæ ordini comparaſſe, in qua vnus omnis poteſtatis ac dignitatis fons & apex eminet, ipſe Auguſtus; ei longo ordine ſubſunt miniſtri & officiales, ſua quique procuratione ſuaque dignitate inſignes; ſuo exinde honore ac cultu digni. *Et tamen* (inquit) *quod facinus admittit, qui magis ad Cæſarem promerendum, & opem ſuam transfert?* Pagani apud veterem Recognitionum Scriptorem eodem quoque modo de divinitate philoſophantur, *Vnum eſſe & nos dicimus Deum* (inquiunt) *qui eſt omnium Dominus. Sed &* *iſti*

Tertul. Apol. c.24. p. 26. B.

Clem. Recogn. l.5. f. 30. E

CAPVT XXV.

illi (alii ſcilicet, quos colebant) *Dij ſunt. Sicut enim vnus eſt Cæſar, & habet ſub ſe multos judices, verbi gratia Præfectos, Conſules, Tribunos, & cæteras poteſtates; ſimili arbitramur modo, cum vnus ſit omnium Deus, etiam iſtos ad ſimilitudinem earum, quas diximus, poteſtatum, ordinatos eſſe in hoc mundo Deos, illi quidem majori ſubjectos, nos tamen & quæ in hoc mundo ſunt, diſpenſantes.* Sic etiam duobus poſt iſtos

Oroſ. Hiſtor. l.6. init. p. 465.

ſæculis, Oroſius refert Paganos, cum à noſtris diſcuterentur, *fateri* ſolitos *non ſe plures Deos ſequi, ſed ſub vno Deo magno plures miniſtros venerari.* Hæc autem Paganis minime affingi à noſtris, ex Celſo illorum patrono, apparet; qui eadem in hac cauſa jampridem & ipſe vſurpaverat; ſummum quidem Deum, Perſarum, aut Romanorum

Celſ. apud Orig. contr. Celſ. l.8. p. 412.

Monarchæ; cæteros vero minores Deos, Satrapis, Præſidibus, Ducibus, Procuratoribus, aut etiam inferiorem magiſtratum gerentibus comparans; hoſque ideo appellans *aerios & terreſtres Satrapas ac miniſtros,* ἀερίους τε καὶ ἐπιγείους σατράπας, vt videre eſt apud Origenem ipſiſſima Celſi verba recitantem. Sic & Celſo multo recentior, Hierocles Pythagoreus eadem quoque docet, *Deos ita agnoſcendos & colendos, vt ſunt ab auctore ſuo & parente diſtincti, non autem eorum di-*

Hie. in carm. Pythag. p.10.

gnitatem ſupra modum eſſe attollendam; denique cultum eſſe referendum ad eorum opificem vnicum, quem Deum Deorum tanquam ſummum & optimum, proprie nominare queas. Itaque Pagani interdum teſtantur ſe noſtros reprehendere, non ſimpliciter quod Deum colant, ſed quod minores ejus miniſtros non colant; *Melius facimus nos* (inquiunt)

Clem. Recogn. l.5. ſ.31.C

*qui & ipſi (*Deo ſcilicet*) & omnibus cum ipſo gratias agimus.* Sic etiam Arnobio demonſtranti Chriſtum nos docuiſſe Deo Principi ſupplicare; *Sed* (inquiunt Pagani) *minoribus ſupplicare Diis homines vetuit.* Ita &

Arnob. l.2. p.55.

Æmilianus Præfectus non prohibet Dionyſium, eum Deum quem confitetur, ideſt verum & ſummum, cólere; tantum indignatur eum, non & alios colere, quos Pagani adorabant; *Quis vero vos (*inquit*) vetet & hunc, ſiquidem eſt Deus, cum Dijs naturalibus adorare?* μετὰ

Apud Euſeb. l.7. c.11. fol. 74. A.

τῶν κατὰ φύσιν θεῶν προσκυνεῖν; Iam omnes vident non eſſe ovum ovo ſimilius, quam eſt Latinorum de ſuis Divis Theologiæ Paganica divinitatis (vt cum Tertulliano loquar) *diſpoſitio.* Latini enim, vt notum eſt, vnum quidem Deum eſſe ſummum rerum omnium Dominum confitentur; ſed ita tamen, vt ab eo & ſub eo Divorum magnam multitudinem, præeſſe rebus ſuis velint, eas data à Deo poteſtate *procurantes, Præfectos,* & *Præſides, Patronos, Mediatores,* atque *Præpoſitos, Principes in alta ſiderum aula regnantes, Dominos, ac Patres ſuos,* hiſque omnibus proxime poſt Deum impoſitam magnam Dei matrem Virginem, cœlorum, terrarum, Divorum, Divarumque, Angelorum & Archangelorum omnium Reginam; *Oportere* & hos quoque *ſuſpici,* pro ſua quemque dignitate; Divam matrem *hyperdulia,* cæteros *dulia*; ſervata vni Deo *latria* ſua. Negant Latini Divorum cultu ſummam Dei majeſtatem offendi; imo gaudere eum pertin-

pertendunt à ſe auctos & ornatos coli. Sic Celſus apud Origenem negat heroum & Divorum cultu lædi Deum; ait *plurium Divorum cultorem eo quod aliquid magni Dei colit, rem ei gratam & amicam hoc ipſo facere, quod honorari neminem fas ſit, niſi cui hoc à Deo datum fuerit; Itaque eos, qui ſunt ejus, omnes ſi quis honorat & colit, hunc Deo, cujus omnes ſunt, nequaquam diſplicere;* τὸν θεραπεύοντα θεοὺς πλείονας τῷ ἕν τι τῶν τοῦ μεγάλου θεραπεύειν, φίλον καὶ ἐν τούτῳ ἐκείνῳ ποιεῖν. ὅτι οὐδ' ἔξεστι τιμᾶσθαί τινι, ᾧ μὴ ἐξ ἐκείνου τοῦτο δέδοται. διότι τιμῶν τις καὶ σέβων τοὺς ἐκείνου πάντας, οὐ λυπεῖ θεὸν, οὗ πάντες εἰσίν. Hæc quidem Pagani. Iam ſi de his eadem cum Latinis noſtris vetuſtiſſimi Chriſtiani ſentiebant, certe ipſa rei ratio flagitabat vt hanc Ethnicam divinitatis diſpoſitionem in genere laudarent, & approbarent; quæ vero in ſpecie peccabant Ethnici, pro *Præfectis, & præſidibus, & Dei procuratoribus*, ejus hoſtes dæmonas ſcilicet & damnatos homines colentes, ea corrigerent; & pro illis idolis veros Dei amicos, veros Divos colendos eſſe docerent. Ita omnino erat noſtris cum Ethnicis agendum, ſi paria cum Latinis de Divorum cultu ſentiebant. Id poſcebat primum ipſe Chriſtianus candor, cujus eſt, ſiquid etiam in adverſario veri ſit, ac probi, id non modo non diſſimulare, aut detetere, ſed etiam amplecti ac laudare. Tum & caritas idem à noſtris exigebat, ut veritatem Ethnicis omnem bona fide panderent, quos inſtituere & ad veriora convertere cupiebant. Prudentia denique hoc quoque ſuadebat, vt facilius Chriſtianiſmum commendarent Paganis, quo plura eſſe demonſtrarent, de quibus conſentirent cum Ethnicorum ſapientibus, eorumque hac ratione in res noſtras odia & horrorem minuerent; oſtendendo parem eſſe in theſi ſuam cum illis religionis rationem; tantum in hypotheſi diſcrepare, quod nos quidem verum Deum, veroſque Divos ſuis vtroſque honoribus coleremus; illi & falſo Deo & falſis Divis eos honores per errorem à majoribus traditum, tribuerent, qui vni vero Deo, ſoliſque veris Divis debeantur. Ieſuitas ſane nunc videmus, homines, vt notum eſt, prudentiſſimos, hanc cauſſam ita omnino tractare, quoties de paribus hodiernorum Paganorum placitis agunt. Trigautius tradit *veteres Sinarum ſapientes jam inde ab initio ſupremum & vnum numen adoraſſe, quod ipſi* cœli Regem *appellabant, ſed & infra hunc religioſe coluiſſe varios ſpiritus, ejus miniſtros, montium, fluminum, & quatuor mundi partium tutelares.* Ille vero hanc cultus religioſi diſtinctionem adeo non repudiat, vt etiam *ex ea merito ſperari poſſe* ſcribat de immenſa Dei bonitate *non paucos è veteribus apud Sinas in lege naturæ ſalutem inveniſſe.* Quid hoc viri judicio ad promerendos & conciliandos Sinarum animos aptius vel accommodatius dici potuit? Ex eodem ordine Chriſtophorus Borrus, cum narraſſet ſuos Cocinſinenſes non alium fere, quam vnum Deum adorare, idola vero Mediatorum vel Interceſſorum loco habere; adhæc templa, ſacrificia, proceſſiones in religione

CAPVT XXV.

Orig. contr. Celſ. l. 8. p. 391. extr 392.

Trig. Sinic. l. 1. c. 10. p. 104.

Borr. Relat. de Cocinſ. Part. 1 Conclus. p. 221.

CAPVT XXV. vſurpare; eo ſe ſperare ſcribit gentem nullo negotio inſtrui, & ad ſuũ Chriſtianiſmum traduci poſſe; ſola, vt ille loquitur, *religionis objecta immutando.* Bene profectò ac ſapienter. Nam quæ Latini colunt alia ſunt ab iis, quæ à Cocinſinenſibus coluntur, cultus ſpecies & ratio, apud vtroſque eadem eſt. Divi Mediatores longe alij atque alij; neque plane idem vtrimque Deus ſummus. Cæterum cultus apud vtroſque, & in *ſummum ac ſubalternum* diſtinguitur, & iiſdem rebus conſtat templis, aris, ſacris, precibus, proceſſionibus, piaculis, & cæteris ejuſdem cenſus. Merito ergo Borras de tanta religionum vtrimque germanitate ſibi gratulatur, & facile ſecum poſſe coaleſcere tam bonos idololatras ſperat, mutatis ſacrorum objectis, id eſt Latinorum Divis in Cocinſinenſium idolorum locum ſubſtitutis. Veteres ergo Chriſtiani ſi cum Ieſuitis de Divorum *dulia* ſenſiſſent, parem hodierno Sinarum Cocinſinenſiũ errori Paganicã ſuorum Græcorum & Romanorum Theologiam itidem excepiſſent, vt nunc Ieſuitæ iſtarum Gentium religionem habent, eodemque modo egiſſent. Atqui nunquam eos ſic, imo ſemper aliter ac plane contra agere videmus; id eſt ſic, vt quæ Latini nunc docent, illa ea talibus locis non concedant, aut ſtatuant, ſed etiam repudient. Tertullianus quidem illam Paganicam divinitatis à ſe memoratam diſpoſitionem non excutit eo loco curioſius. Tantum ſumit, quod illa ſtatuebat, ſummum eſſe vnum Deum; inde colligens ne ſic quidem reos eſſe Chriſtianos, qui vnum illum colant, & quam Pagani in multos dividebant pietatem, totam ad hunc transferant, (vt ſiquis in rebus humanis Cæſari promerendo ſtudeat) Deique appellationem vni Principi Deo vindicent, (vt vni Cæſari Imperatoris nomen donant leges.) Aliquem præter Deum illum principem à Chriſtianis, *vt procurantem, vt præfectum, vt præſidem, ſuſpici,* aut coli, non hoc magis loco quam alio memorat Tertullianus. Arnobius hunc locum plane vt Tertullianus, tametſi paulò plenius tractat. Quærentibus enim Paganis, cur *ſecum neque colerent, neque adorarent alios Deos,* præter illum ſcilicet primum ac principem, reſpondet inprimis, etiam ſuppoſita illa, quam Pagani ſtatuebant, Deorum multitudine, ne ſic quidem damnandos

Arnob. cont. gent. l. 3. init. p. 127. eſſe Chriſtianos, qui Principem Deum, vnum & ſolum colant. *Poſſumus* (inquit) *interim dicere; ad cultum divinitatis obeundum ſatis eſt nobis Deus primus, pater rerum ac Dominus, conſtitutor, moderatorque cunctorum. In hoc, omne quod colendum eſt, colimus, quod adorari convenit, adoramus, quod obſequium venerationis expoſcit, venerationibus promeremur. Cum enim divinitatis ipſius teneamus caput, à quo ipſa divinitas divinorum omnium, quæcumque ſunt, ducitur, ſupervacuum putamus perſonas ire per ſingulas, cum & ipſi qui ſint, & quæ habeant nomina, neſciamus, & cujus ſint præterea numeri, neque liquidum neque comprehenſum, neque exploratum habere poſſimus.* Rem inde illuſtrat illa ipſa à Principum aulis allata ſimilitudine quam hac in re

pagani vſurpabant; *Atque* (inquit) *vt in terreſtribus regnis neceſſitate nulla compellimur, regalibus in familiis conſtitutos nominatim cum Principibus adorare, ſed in Regum ipſorum cultu quicquid illis annexum eſt tacita vi ſe ſentit honorificentia comprehendi; non alia ratione quicumque hi Dij ſunt, quos eſſe nobis proponitis, ſi ſunt progenies regia, & principali oriuntur è capite, etiamſi nullos accipiant à nobis nominatimcultus, intelligunt ſe tamen honorari communiter cum ſuo Rege, atque in illius venerationibus contineri.* Hæc & Tertullianus & Arnobius; in quibus clarum eſt vtrumque primo hoc conſtituere, nullum fuiſſe Chriſtianorum niſi in vnum primum illum ac principem Deum, quem Cæſari aut ſummo Principi comparant, cultum religioſum. Si quis enim in alios, puta Angelos Divoſque cæteros fuiſſet, falſo ac inepte dicerent ad cultum divinitatis ſatis ſibi *eſſe Deum primum*; & in hoc à ſe omne quod colendum eſt coli, fruſtra falſoque negarent *ſe perſonas ire per ſingulas*, vel in regali *familia*, *conſtitutos nominatim adorare cum Principe*. Secundo & illud, vterque liquido ſtatuit, etiamſi quod volebant Pagani, præter vnum illum Deum primum ac principem alij eſſent aliqui religioſis honoribus digni, non ideo tamen neceſſe fore iſtos, quiqui ſint, *nominatim* ac proprie adorare, aut colere, aut venerari; etiam hoc ſuppoſito, ſatis futurum eſſe Deum illum principem vnum adorare; in quo, quicquid *colendum, venerandum, adorandum* eſt, colimus, adoramus, veneramur. Vnde intelligitur, etiamſi Latinorum Divi eſſent ea *dulia* quam ipſi fingunt, *colendi, adorandi, venerandi*, (quod nos validiſſime negamus) non ideo tamen, quod eos *nominatim* non *colamus*, vllius nos impietatis reos ex illorum Patrum ſententia futuros, qui ſcilicet *divinitatis ipſius caput tenentes*, Denique ſummum adorantes, in ipſo *quicquid ei annexum eſt, tacita vi* honoramus. Sed nunc cæteros videamus. Ille vetus Recognitionum auctor ad illam divinitatis diſtinctionem, id accipit, veluti veriſſimum, quod Pagani dabant, vnum eſſe ſummum ac principem, vni in imperio Cæſari ſimilem, Deum; indeque recte contra eos ipſos concludit, Dei ergo nomen nulli alij tribuendum, quam ſummo illi Deo; vt Cæſar in Republica nemo niſi Princeps dicitur. Recte quidem ille, ac vere; ſed ſi cum Latinis ſentiebat, non ſatis plene. Eo horum enim dogmate illud etiam, quod Pagani ſecundo ſtatuebant, pro vero erat accipiendum, ſub hoc ſummo ac principe Deo quaſdam eſſe *poteſtates, vos, & quæ in hoc mundo ſunt, diſpenſantes*; ſuo quoque gradu ac modo à nobis in religione colendas; tametſi longe ab illis falſo dictis Paganorum Diis diverſas. Sed hac de re altiſſimum eſt apud ſcriptorem illum ſilentium, non minus quam apud Tertullianum & Arnobium. Origenes vero duobus quos nuper exhibuimus locis, de illa duplici, vna in Deũ ſummum, altera in ejus miniſtros religione à Celſo pulſatus, ne ſemel quidem ſuam in Divos *duliam* reponit. At ſi Latinorum confe-

CAPVT XXV.

Clem. PP. Recogn. fol. 30. F

CAPVT XXV. craneus eſſet, inprimis hanc adverſario theſin gratularetur, *Qui eorum qui Dei ſunt, aliquem honorat & colit, eum non offendere Deum, cujus omnes ſunt.* Addidiſſet ſe ſuoſque aſſentiri; putare enim Deum non offendi, ſed gaudere eo cultu, quem ipſi quotidie Virgini Matri, Divis tum Angelis tum hominibus religioſiſſime deferunt; quod hi ſcilicet Dei vere ſint ſervi; in hoc graviter errare Celſum & Paganos, quod qui Dei vere ſunt hoſtes, dæmones & alij, eos *Dei* eſſe miniſtros & amicos cenſeant. Hæc vt omnes vident brevis & facilis erat ad illa Celſi ex Latinorum dogmate reſponſio. Quid Origenes? Ille vero diligenter ac fuſe omnem hanc Celſi ſententiam expendens, operoſeque refellens, iſtorum quidem plane nihil attulit; ea autem attulit, quæ dogmati noſtro quidem conſentanea, Latino vero adverſa ſunt. Cum enim conceſſiſſet & probaſſet ex Scripturis multos & dici & eſſe Deos & Dominos (Angelos autem, vt liquet, intelligit) ex Paulo conſtituit nobis Chriſtianis vnum eſſe Deum Patrem; vnum Dominum Ieſum Chriſtum. *Is enim* (inquit) *aſcendit ad ſummum ſupra omnia Deum, qui eum inſeparabiliter & indiviſibiliter colit,* ἀχωρίστως, καὶ ἀδιαιρέτως, καὶ ἀμερίστως αὐτὸν σέβων, *per Ieſum Dei Filium.* His ſtatim addit *ſe nihil non facere, vt non ſolum aſcendant ſuper omne quicquid in terra pro Dijs colitur à gentibus, verum etiam ſuper eos, quos Scriptura Deos nominat*; id eſt (vt liquet) ſuper omnes Angelos. Tum obiter enarrans quomodo in hos affectus ſit quiſquis vere pius eſt, ait eum *creaturam revelationem filiorum Dei expectantem laudare, beneque ei precari; cæterum non diſtrahi ipſum à Deo, vt alind colat ſimul cum eo, nec ſuſtinere ſervire duobus dominis, intelligentem quod tota creatura liberabitur à ſervitute corruptionis.* Hanc autem *creaturam* de Angelis, qui in Scriptura dicuntur Dii, Origenem intelligere, tota orationis ſeries clamat. Vides, vt doceat Angelos à Chriſtianis, non *coli* (quod nunc volunt Latini) ſed εὐφημεῖσθαι, *laudari.* Vt eoſdem non Angelis & aliis Sanctis (quòd etiam Latinis placet) ſed Soli *Deo duliam* præſtare doceat, εὐφημεῖ τὸν ἥλιον. ὁ δὲ ἀπαιτεῖ πρὸς τοῦ θεοῦ καὶ ἄλλῳ τινὶ ΔΟΥΛΕΥΕΙΝ μετ᾽ αὐτόν. Mox & illud ſubiicit, quod jam ſupra attigimus; *Cavemus ne cui alij, niſi Deo ſerviamus* (Græce eſt δουλεύειν, *duliam* exhibere) *per ejus verbum & veritatem, ne nos lædamur, ſeparantes nos à portione Dei, qui juxta ſuam beatitudinem viventes familiares ſibi per ſpiritum adoptionis reddidit.* Significat indignum eſſe, vt qui à Deo in filios adoptati portio ejus ſunt, aliis ejuſdem familiæ membris puta Angelis ſerviant. Itaq; Lacedæmoniorum legatos laudans, qui Lycurgi legem, vnam ſuam dominam reveriti, Perſarum regem adorare tametſi ad id ſummopere vrgerentur, conſtantiſſime recuſarunt; Chriſtianos iis comparat, qui & ipſi multo diviniore, Chriſti ſcilicet, legatione fungentes, ne legem omnium ſanctiſſimam violent, nulla vi vel hominum vel dæmonum cogi poſſunt ad vllius gentis ſeu Perſæ illi ſint, ſeu Græci, ſeu Ægyptij, *Præfectum*

Orig. l. 8. cōtr. Celſ. p. 392.

p. 393.

ibid.

ibid.

ibid. p. 394.

ibid.

feſtum adorandum. ὅτι τῷ Περσῶν ἄρχοντι, ὅτι τῷ Ἑλλήνων, ὅτι τῷ Αἰγυ- CAPVT
πτίων, ὅτι τῷ ὅτιν ζωῇ ἔθνους προσκυνήσαιμεν ἄν. Illius autem *Perſarum*, &c. XXV.
ἄρχοντος ſive *Præfecti* nomine Angelos ex Daniele intelligit vnicuique Dan. 10. 13
harum gentium à Deo præpoſitos. Sed & aliis quibuſdam interjectis 20.
illam theſin defendit, quam Celſus convellere tentaverat de *ſervitute*
dulia Soli vniverſorum Deo per Filium nos ad eum *adducentem pra-* Orig. l. 8 p. 395.
ſtanda. τὸν λόγον περὶ τοῦ * τὸ ζῆν τῷ ὅλῳ δουλείας μόνον διὰ τοῦ προσάγοντος
τῷ θεῷ υἱοῦ αὐτοῦ. Et addit *ſe Dei cultu juvari, incolumeſque & ab omni* * Hic leg.
damno atque moleſtia intactos eo ſervari, quod Deo ſummo ſerviant per ὀφὲς πτ.
vnigenitum ejus verbum. Nimirum in hoc Dei ſolius cultu ſatis ſibi ſuperque præſidij eſſe vult, vt eum colentes nihil damni ob neglectas aliorum quorumvis religiones metuere debeant. Denique ad id quod Celſus poſuerat, *nullum ex Dei miniſtris honorari, niſi cui hoc ipſum à Deo datum ſit*; præclare negat poſſe demonſtrari *cuiquam eorum, qui ab Ethnicis, vt Dij, vel dæmones, vel vt heroes honorabantur, hunc à Deo honorem datum fuiſſe*; Contendit autem *datum eſſe ab ignorantia & imperitia hominum errantium, & ab eo qui proprie honoratur, deficientium.* περὶ τῷ τιμᾶσθαι ὡς θεῶν, ἢ δαιμόνων, ἢ καὶ ἡρώων, πόθεν ἀπόδειξιν ἔχειν; ὅτι ἀπὸ τοῦ θεοῦ τετύχηκέ τινα τὸ τιμᾶσθαι, καὶ ἔχει αὐτὸ ἀγνοίας,
καὶ ἀμαθίας ἀνθρωπίνης πλανωμένων καὶ ἀποπιπτόντων τοῦ κυρίως τιμωμένου. Ac ibid p. 396. exir.
de Christo quidē Ieſu, quod obiici ſimiliter poterat, vnde eſſet eos honores nactus, quos noſtri ei deferebant, Origenes ſtatim ſedulo occupat, oſtendēs hos honores ac cultus ei à Deo Patre datos eſſe; De Divis, (quorū cultui nūc apud Latinos ſolēri idē ſed multo fortius ac verius obiici poteſt) nihil plane occupat; de his ſecurus, quorū nullus ſcil. tum apud noſtros erat cultus religioſus, Dei Chriſtique vnius totus
adhuc illo ævo proprius. Sed neque in altero loco, Celſo noſtros ter- ibid p. 412
ritanti, & ſummi Dei miniſtros haudquaquam impune negligi, aut *contumelia affici* (id eſt non coli) minitanti, id Origenes, quod ex Latino dogmate promptum erat & obvium, minime tamen reſpondet; ſcilicet ſe veros quidem Dei miniſtros, Angelos, & Divos, haudquaquā *negligere*, ſed congruis ac legitimis religionibus colere; ſolos vero Dei hoſtes dæmones contemnere & repudiare, à quibus nihil ſibi eſſe metuendum & Angelorum cultu & præſidio freto; Horum, inquam, quæ ex Latinorum ſententia & decretis erant; vt quivis videt, ad il-
lud Celſi reponendā; nihil dicit Origenes. Tantum dicit primo ibid. p. 413.
iſtos quos colebat Celſus, ſatis eo ipſo, quod ſui contemptum ac neglectum ita vlciſcerentur, prodere, ſe nihil minus eſſe, quam *veros Dei ſatrapas, & præfectos & duces & miniſtros, Dei Angelos*; *ab horum enim moribus alienum eſſe, vt homines etiam in ſe contumelioſos lædant*; tum negat verum Chriſtianum (id eſt *eum, qui ſe ipſum SOLI Deo, & ejus Verbo ſubycit*, τὸν ὑποτάξαντα ἑαυτὸν ΜΟΝΩ. τῷ θεῷ καὶ τῷ λόγῳ αὐτοῦ) illis Celſi dæmonibus eſſe obnoxium; Ait ipſum illis eſſe præſtantiorem; adhæc caſtrametantis circa ſe Angeli excubiis adverſus omnem adverſantium vim muniri; Angelum enim *ſemper preces*

CAPVT XXV.

ejus offerre ſummo Deo per vnicum Pontificem, & ipſum quoque pro fideli ſibi commiſſo precari. Preces fidelium ad Angelos hic certe, ſi quas ſciviſſet, dixiſſet. Quas enim illorum preces Deo ab Angelis per Chriſtum offerri ait, dubitandum non eſt eos ab Origene intelligi, quæ non ad Angelum, ſed ad Deum ipſum erant ab homine Chriſtiano directæ, neque enim alias in toto hoc opere memorat; & ipſe pauciſſimis poſt hæc verſibus hæc ita intelligenda præſcribit, cum ait
ibid. p. 414. init. *Chriſtianos ſoli Deo per Ieſum preces offerre.* Χριστιανοῖς (inquit) τοῖς μόνοις τῷ Θεῷ διὰ τοῦ Ἰησοῦ εὐχομένοις Sic enim legendum eſſe hunc locum, μόνῳ τῷ Θεῷ, non autem, vt excuſum eſt, μόνοις, & optime vidit interpres, & tota quæ ſequitur oratio clariſſime vincit. Arnobius Pa-
Arnob. cõtr. Gent. l. 2. p. 55. gano conquerenti quod Chriſtus noſter *minoribus ſupplicare dijs homines vetuerit*; ex Latino dogmate ſatisfacere nullo negotio poterat; imo & veris Dei ſummi ac principis miniſtris ſuos cultus, ſuaſque *ſupplicationes* ac religiones aſſeruiſſe; ſolis erronibus, & falſa rerum ſpecie, ſe numinis miniſtros mentitis honores detraxiſſe, ſed indebitos, adeoque impios. Sed & hi & cæteri longe aliter; præfracte vbique negant plures eſſe colendos, in hoc vno pedem figunt, & ex eo Gentiles, qui plures colerent, ſummæ & intolerandæ impietatis arceſſunt, quæ diſputandi adverſus hominẽ Ethnicũ ratio mihi quidẽ convenit, quicquid eſt religioſi cultus, id Deo vni totũ ex aſſe vindicanti; in homine Latino, qui religioſi cultus, partẽ Deo tribuit, partẽ etiã ejus miniſtris concedit, vel inepta pueriliſq; eſt, vel ſane veteratoria & ſophiſtica. Quis enim non intelligit Latini eſſe, ſi ſapit & probus eſt, ſtatim in hac cauſa confiteri plures religioſe colendos, & diſtinguere cultus; ſummum, vni ſummo Domino, *ſubalternum* (vt nominat Perronius) etiam ejus miniſtris deberi; ſed veris, veros autem non eſſe, quos colebant Ethnici. Ita omnino agenda hæc noſtrorum adverſus Paganos cauſa fuit, ſi noſtri Divos cum Latinis colebant. Cum ergo neque hi quos dixi, neque vlli alij ejuſdem memoriæ ſcriptores ſic agant; cum nulli talibus locis Divos à ſe, ſed veros, ſed legitimis honoribus coli doceant ex illa religionis diſtinctione in eã, quæ ſummi Dei, & alteram quæ miniſtrorum ejus eſt; profecto omnes cordati ſatis ex eo intelligunt, nullum revera tum fuiſſe Divorum apud noſtros religioſum cultum; quem ſiquis fuiſſet, non poterant ſine flagitio in hoc diſputationis cum Ethnicis ſuæ articulo prætermittere, viri, quod omnes fatentur, doctiſſimi atque ſapientiſſimi.

CAPVT

CAPVT XXVI.

Argumentum XXVI. Quod Pagani & olim & nunc objectum ſibi & exprobratum cultum plurium religioſum, in Latinos quidem & vetuſtiores Divorum cultores retorſerint, Divos ſcilicet apud illos eodẽ loco haberi, cauſſantes quo apud ſe habebantur numina; primis vero ante quartum Chriſtianiſmi ſæculum temporibus, in eadem cauſſa, noſtris Chriſti quidem aliquando, Divorum nunquam cultum objectaſſe reperiantur.

ID ipſum vero ex Ethnicorũ ea de re ſilentio non minus valide colligitur. Hi enim cum à noſtris & ſæpiſſime ac pæne aſſidue, & vehementiſſime de plurium cultu ac religione accuſarentur, & vero in hac cauſæ parte graviſſime laborarent, quod & ipſa rerum ratio ſuadeat & ipſi eorum ſapientes non pauci confiteantur, & vnum eſſe Deum, & veram religionem vnius eſſe Dei; ſiquid à noſtris fieri vel audiviſſent, vel vidiſſent ejus ſimile, de quo inſimulabantur, id haud dubie, quo erant & ingenio & ſtudio, noſtris obiicere, etiam cum probro repercutere non omiſiſſent; quod ea in aliorum cultum coniicere non erubeſcerent, quorum ſibi ipſi eſſent conſcij. Ac ſi matrem Virginem, ſi Angelos, ſi Divos Divaſque ad eum modum coli à noſtris vidiſſent, quo nunc à Latinis coluntur; non aliud potuiſſent de Chriſtianis ſuſpicari, niſi Sanctos apud eos eodem loco ac numero haberi, quo apud ipſos habebantur illi ſecundi ordinis Dij; id eſt coli veluti ſummi principiſque numinis Miniſtros, Præfectos, ac Præſides. Pagani enim, vt ex multis eorum monumentis conſtat, inter religioſos, *divinoſ*que (vt vocabant) honores, & eos qui humani ſunt, hoc diſcrimen ſtatuebant, vt in priori genere, non ſacrificia modo & libationes, ſed etiam templorum, & altarium, & imaginum, & fanorum conſecrationes, cenſerent; adhæc hymnos, & ipſam adorationem, id eſt ſupplicationem corpore, vel plane humi fuſo ac proſtrato, vel certe in genua curvato ac nitente conceptam; vt apud Arrianum Calliſthenes diſerte docet. Qui ita ſentiebant ſi Matrem Virginem, & Angelos, & Divos cæteros templis, aris, imaginibus ſacris, hymnis, ſupplicationibus, apud noſtros, vt nunc fit apud Latinos, jam tum γεραίρεσθαι (quod ait Calliſthenes) *honorari*, ac *coli* ſciviſſent; illi noſtros ſe criminantes, quod plures vno Deos his honoribus colerent, non tuliſſent profecto; & in os ſtatim illis objeciſſent Divorum Chriſtianorum *duliam*, ac religiones. Feciſſent haud dubie, quod in eadem nuper cauſa feciſſe Cocinſinenſes in vltimo oriente Ethnicos, Ieſuitæ nobis narrant; quos ſibi aliquando iſtic verſantibus, ac Deũm vnum eſſe, non plures vario argumentorum

Arrian. de Alex. reb. l. 4.

Chriſt. Borrus Relat. de Cocinſ. Part. 2. c. 8. p. 108.

CAPVT XXVI. genere diſputantibus, ita reſpondiſſe tradunt, vt profiterentur quidem ſe iſtis libenter aſſentiri; cæterum cogitare eos debere illos Divos, quos in ſimulacris apud ſe coli videbant, homines fuiſſe eximiæ quondam ſanctitatis, quos pij pro eorum merito venerentur; non aliter (inquiebant) quam vos Divis, Apoſtolis, Martyribus, ac Confeſſoribus veſtris pro ratione ejus dignitatis, qua eos ob virtutem, atque pietatem excelluiſſe putatis, diverſos honoris & religionis gradus exhibetis. Ac vt hunc ſuum eſſe de divinitate ſenſum rebus ipſis confirmarent, Ieſuitas obſervare jubebant partem altaris quandam in ſuis delubris eſſe ſimulacris vacuam, & in obſcuro ac tenebroſo loco reconditam; Eam ſummi Dei, cœli ac terræ conditoris, propriam haberi ſedem, qui nulla ſcilicet effigie ac forma repræſentari poteſt; quæ vero eum locum circumſtant ſimulacra, eas eſſe totidem ſuorum Intercesſorum imagines, qui ſuis ſupplicibus, & humili prece gratiam, qua ipſi apud ſummum Deum pollent, invocantibus multa dona ac munera ab eo impetrant, quem vnum, vt orbis vniverſi auctorem, cauſſamque rerum omnium principem ac ſupremum, tum efficientem, tum intelligentem agnoſcant. Hæc quidem ipſi Ieſuitæ narrant. Neque vero ex idololatris ſoli ſapiunt novitij iſti Cocinſinenſes. Idem olim Chriſtianis Græcos veteres, etiam tum objeciſſe, cum minor eſſet illorum, quam nunc Latinorum eſt, in Divos religio, apparet ex Theodoreto, apud quem illi noſtris de plurium cultu ipſos pulſantibus ita ſatisfaciunt, *Atqui etiam vos inviſibiles quaſdam poteſtates eſſe dicitis, quas & Angelos & Archangelos nominatis & appellatis, & Principatus, & Poteſtates & Dominationes & Thronos, aliaſque inſuper Hebraïcis nominibus Cherubim ac Seraphim vocari didiciſtis. Cur itaque adverſum nos indignamini, ſi poſt Deum illum, qui ſemper eſt, quique eodem modo ſemper ſe habet, ſecundarios quoſdam Deos, eoque multo inferiores, opinamur eſſe; & veneratione proſequimur?* Καὶ ὑμεῖς ἀοράτους τινὰς δυνάμεις φατὲ, οὓς καὶ Ἀγγέλους καὶ Ἀρχαγγέλους ὀνομάζετέ τε καὶ προσαγορεύετε. καὶ ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας, καὶ κυριότητας καὶ θρόνους. καὶ ἄλλας αὖ πάλιν, κατὰ τὴν Ἑβραίων γλῶτταν, Χερουβεὶμ καὶ Σεραφεὶμ ἴστε προσαγορευομένας. εἰ θ' ὅτι τοίνυν ἡμῖν νεμεσᾶτε, μετὰ τὸν ἀεὶ ὄντα καὶ ὡσαύτως καὶ κατὰ τὰ αὐτὰ ἔχοντα, δευτέρους τινὰς θεοὺς, καὶ πολύ γε ἐκείνου ἀποδέοντας νομίζομέν τε καὶ γεραίρομεν; Sed & Iulianum Auguſtum, impium Chriſti deſertorem, & ad Græcorum Deos transfugam, eadem noſtris in hac cauſſa exprobraſſe ſcimus, annis ante Theodoretum pæne centum, cum iſta Divorum religio primulum apud Chriſtianos erumperet. Ille enim apud Cyrillum Chriſtianos non obſcure accuſat quod præter Iudæorum legem *pro multis*, qui à Paganis ſcilicet adorabantur, *Dijs*, non *vnum modo hominem*, id eſt Ieſum, ſed *multos potius infœlices homines colerent*; μᾶλλον δὲ οὐχ ἕνα, ἀλλὰ πολλοὺς ἀνθρώπους δυστυχεῖς. Martyras autem, vt liquet, intelligit. Celſus ergo, qui neque Cocinſinenſibus barbaris, aut græcis illis Theodoretanis, aut ipſo Iuliano obtuſior,

Theod. Serm. 3. de Ang. T. 4. p. 521. A.

Iulian. apud Cyrill. l. 6. contr. Iul. T. 6. p. 201. E.

obtuſior fuit (quantum ex ejus quæ ſuperſunt, conjicere licet) quique vnum ſummum & principem Deum, cæteros ejus miniſtros eſſe vna cum iſtis ipſe quoque concedebat; eadem profectò Chriſtianis ſuos Paganos de plurium cultu criminantibus repoſuiſſet, ſi jam tum apud noſtros aliqua fuiſſet in Divos veneratio, ejus ſimilis, vel quæ nunc apud Ieſuitas pleniſſime floret, vel ejus quæ aut Theodoreti ævo germinare, vel etiam ſub Iuliano primulum emicare cœperat. Ille vero, quo nullus ſcriptor petulantius eſt in Chriſtianum nomen bacchatus, in tam multis quæ noſtris objicit, atque exprobrat, quæque in octo Origenis adverſus eum libris huc illuc ſparſa leguntur, nullum de hoc Divorum cultu verbum in noſtros feciſſe, vſpiam deprehenditur, ne in inſigni quidem illa diſputationis ſua parte, quam paulo ante libavimus, vbi contendit plurium Deorum cultum cum ratione, aut pietate, aut Dei principis voluntate adeo non pugnare; vt etiam his congruat, & ſummo numini gratus atque acceptus ſit. Quis virū vt liquet, eruditiſſimum, tali in loco atque tempore illud prætermiſſurum fuiſſe putet, quod etiam rudibus & illiteratis de vltima barbariæ ſapientibus in mentem venit, illum ſcilicet plurium cultum etiam ab iis ipſis exerceri, à quibus oppugnabatur? Haberi enim & coli apud ipſos Chriſtianos innumerabiles Divos, Divaſque, & quidem honoribus eorū geminis, quos Pagani ſuis Deis exhibebant? Atqui is hoc ipſo in loco etiam in noſtros plurium cultum repercutit; ſed ne hic quidem Divos ab illis cultos objicit; qui vnicus, vt patet, & à recentioribus Paganis ſemper adhibitus objectionis hujus nervus eſt? Quid ergo ad hoc objicit? Ille vero Domini Chriſti cultum, ſed vnius, objicit; eo contendens ne noſtros quidem, ſummum illum Deum, de quo Paganis faciebant invidiam, vnum colere, qui & ipſū Chriſtum quoque præter illum colerent. Cum enim alia quædam contra hanc vnius Dei, quam noſtri vrgebant pietatem ac culturam diſputaſſet, tandem etiam hæc contra eos ita concluſit; *Atque iſtis quidem* (inquit) *conſtaret fortaſſe ſua adverſus alios ratio; ſi nullum alium* (præter vnum ſcilicet Deum) *colerent. Nunc vero & hunc recens exortum honoribus omnem modum ſupergreſſis colunt, & tamen putant iidem nihil eo ſe in Deum peccare, quod etiam ejus miniſter colatur.* εἰ μὲν δὴ μηδένα ἄλλον ἐθεράπευον οὗτοι, πλὴν ἕνα θεὸν, ἦν ἄν τις αὐτοῖς ἴσως πρὸς τοὺς ἄλλους ἀτενὴς λόγος, νυνὶ δὲ τὸν ἔναγχος φανέντα, τοῦτον ὑπερθρησκεύουσι. καὶ ὅμως οὐδὲν πλημμελεῖν νομίζουσι περὶ τὸν θεὸν, εἰ καὶ ὑπηρέτης αὐτοῦ θεραπευθήσεται. Idem poſtea in eadem re argumentum vſurpaſſe, Maximum Paganum Præſidem legimus, qui Tharaco martyri dicenti ſe magis ac magis confidere, in nomine Dei, & Chriſti ejus; *Injuſte & maledicte* (inquit) *quomodo duobus Dijs ſervis? Ecce nunc confiteris DEOS, & eos negas quos colimus? Tharacus dixit; Ego confiteor eum, qui eſt manifeſtus Dominus. Præſes dixit; Nonne confiteris Chriſtum & Dominum?* Ita quidem & Celſus & Maximus plurium cultum

Caput XXVI.

Celſ. apud Orig. l. 8 init. p 391. 392.

Apud Orig. ibid p. 397. extr.

Act. Thar. & Soc. apud Bar. a D. 290. § 6.

noſtris impingere conantur; ſtulte vterque, nullaque ratione; cum illum Chriſtum, cujus ſervitium & θρησκείαν norant, à noſtris Dei illius ſummi, quem vnum colendum defendebant, nomine & cenſu comprehendi, vtpote verum & in ſæcula benedictum Deum, ne ipſi quidem fortaſſe neſciebant. Quanto illi probabilius, quanto validius ac verius cum Iuliano, & aliis ſuis ſucceſſoribus Divorum cultum eam ad rem in medium attuliſſent, quos Chriſtiani meros homines eſſe & tum confitebantur, & ſemper confeſſi ſunt? Cæcus eſt qui ex tam diſpari priorum & poſteriorum Paganorum facto nó videt Chriſtianorum aliquem quidem in Sanctos & Theodoreti, & ipſius etiam Iuliani temporibus cultum; Celſi vero ſæculo nullum adhuc fuiſſe; Eo factum eſſe ſcilicet, vt in vna eademque de [illegible]ius, an plurium cultu diſputatione, Chriſtianorum in Divos venerationem & Celſus prætermiſerit, & Iulianus vna cum Theodoretanis, & Cocinſinenſibus Ethnicis memoraverit. Nulla tantæ in eadem cauſa diſſimilitudinis ratio alia idonea afferri poteſt.

CAPVT XXVII.

Argumentum XXVII. Quod Chriſti quidem, hominis, nati, etiam crucifixi, mortui denique cultum noſtris Pagani primis tribus ſæculis objecerint; Divorum, & hominum & mortuorum cultum adeo non objecerint, vt etiam eos à noſtris minime cultos fuiſſe ipſi ſatis ſignificaverint, iidem inſecutis poſt tertium ſæculum temporibus Divorum cultum Chriſtianis & ſæpe & acriter exprobraverint.

IDEM quoque ex iis intelligitur, quæ primæ illius memoriæ Pagani de hominis & quidem crucifixi cultu non ſemel objeciſſe Chriſtianis reperiuntur, ſive ob ipſam rei in ſpeciem abſurditatem, ſive etiam, vt Deorum ſuorum dignitatem à noſtrorum ſannis tuerentur, eos homines fuiſſe & quoſdam quidem, etiam miſeros exprobrantium. Ita impius canis Lucianus latrat noſtros, vbi ſemel Gen-
Lucian. in Proteo p. [illegible] tilium Deos abnegaverint, *illum ſuum crucifixum ſophiſtam adorare*, τὸν ἀνεσκολοπισμένον ἐκεῖνον σοφιστὴν αὐτὸν προσκυνῶσιν. Apud Iuſtinum Eth-
Iuſt. Apolog. p. 47. lin. 23. nici nos *inſania* accuſant, quod *poſt incommutabilem ac ſempiternum Deum & parentem omnium ſecundas homini crucifixo deferamus*, δευτέραν χώραν μετὰ τὸν ἄτρεπτον καὶ ἀεὶ ὄντα θεὸν καὶ γεννήτορα τῶν ἁπάντων ἀνθρώπῳ σταυρωθέντι διδόναι ἡμᾶς λέγοντες. Et Cæcilius apud Minutium vulga-
Minut. in Octav. p. 22. tum inter cætera apud ſuos Paganos eſſe *Chriſtianos venerari hominem*
Apud Orig. l. 3. in Celſ. p. 135. *crucifixum*. Celſus, impiorum ſignifer, Getis Zamotxin, & Cilicibus Mopſum, & Acarnanibus Amphilochum & Thebanis Amphiaraum, & Lebadiis Trophonium adorantibus noſtros comparat *hominem ca-*

pium

ptum & mortuum religioſe colentes, τὸν ἁλόντα καὶ ἀποθανόντα θρησκεύοντας. CAPVT XXVII.
Item infra in eodem libro *Celſus* (inquit Origenes) *de nobis dicit quod eos irridemus Iovem adorantes, cujus ſepulcrum in Creta oſtenditur, & nihilominus ipſi eum colimus, qui è ſepulcro eſt*, λέγει περὶ ἡμῶν ὅτι καταγελῶμεν τῶν προσκυνούντων τὸν Δία, ἐπεὶ τάφος αὐτοῦ ἐν Κρήτῃ δείκνυται· καὶ οὐδὲν ἧττον σέβομεν τὸν ἀπὸ τοῦ τάφου. Ieſum, vt omnes vident, dicit. Sic & alibi noſtros *plane ridiculos fore ait, qui Deos viſibiles, veluti idola, blaſphemantes, Ieſum ipſi interim, vt mortuum, colant*, τοὺς δεικνυμένους θεοὺς, ὡς εἴδωλα βλασφημοῦντες, τὸν δὲ ὡς νεκρὸν σέβοντες. Deniq; eadē quoque de cauſa noſtros ſcribit *manifeſte revinci, quod non Deū, ac ne dæmones quidem*, (vt Pagani ſcilicet) *ſed mortuū colunt* ὅτι διελέγχονται σαφῶς οὐ θεὸν, ἀλλ' οὐδὲ δαίμονας, ἀλλὰ νεκρὸν σέβοντες. Sic quoque Maximus Præſes Andronico Marryri; *Inique* (inquit) *non ſcis quem invocas hominem quemdam factum, ſub cuſtodia Pontij Pilati punitum, cujus extant Acta paſſionis?* Et mox iterum; *Quod lucrum facis immaniſſime, fidei & ſpei hujus hominis, quem dicis Chriſtum?* Quod vnum Chriſtum & Martyr invocat, & Præſes hominem fuiſſe norat, vtrumque arguit nondum apud noſtros morem tum fuiſſe Sanctos invocandi; qui ſi fuiſſet vnum Chriſtum neque ille invocaret, neque hic humanæ infirmitatis argueret; Sanctos vna cum Chriſto & Martyr coleret, & Præſes ſugillaret. Apud Arnobium denique Gentiles quidem noſtris objectant, *quod hominem natum, & (quod perſonis infamis eſt vilibus) crucis ſupplicio interemptum, & Deum fuiſſe contendant, & quotidianis ſupplicationibus adorent*; & paulò poſt, quod *eum colant*; Et quod ipſe ſtatim reſpondens ait; *Natum hominem colimus*, id, inquam, oſtendit Paganos ita objectantes illud præcipue denotari ac intelligi voluiſſe, quod quem noſtri colerent, idem *natus homo* eſſet. Atque hæc quidem ita veteres illi noſtrorum adverſarij, exprobrantes ab iis coli *hominem, crucifixum*, eum qui *captus & mortuus* ſit, *hominem factum, hominem natum*. ac vt Celſum paulo ante loquentem audivimus, τὸν ἔναγχος φανέντα, *hunc recens exortum*; perpetuo *ſingulariter*, de vno Chriſto dicunt; nunquam *pluraliter, homines*, aut *mortuos*, aut *interemptos* & *punitos* ab iiſdem coli dicunt; quod interdum ita dicturos fuiſſe, ſi Sanctos noſtri coluiſſent, quis dubitet? Certe, qui poſtea Chriſtianos lacerarunt Pagani, cum aliquis Sanctorum cultus jam eſſet apud eos inductus, aliter, quam iſti veteres adverſarij ſe in hac accuſatione geſſerunt. Illi enim Sanctorum honores intactos non ſiverunt, ſed eos vel vna cum Chriſti adoratione ſimul ſemelque denotarunt, vel ſeorſum objectarunt; vt ex Iuliani Auguſti, & Eunapij Sardiani dictis patet. Ille, vt nuper ex Cyrillo recitavimus, cum Chriſti adoratione Marryrum cultum aperte conjungit, quo loco noſtros ait ſi Hebræorum ſermonibus adhæſiſſent, tolerabiliori loco futuros, quam quo ſunt; *Deum enim vnum* (inquit) *pro multis colentes, non hominem, non multos, quod potius dixerim, infælices homines.*

Id ibid. p. 14. init.

Id ibid. p. 366. med

Id. ibid. p. 387. extr.

In Act. Andr apud Bar. a. D. 190. §. 26.

Arnob. cōtr. Gent. l. 1. p. 25. init.

ibid. p. 26.

ime

CAPVT XXVII.

Cyrill. l. 6. adverſ. Iulian. l. 6. p. 201. E.

ἵνα γὰρ ἀντὶ πολλῶν θεῶν ἕνα σέβοισθε ἂν οὐκ ἄνθρωπον, μᾶλλον δὲ πολλοὺς ἀνθρώπους δυστυχεῖς. Vult noſtros, ſi Iudaïcam diſciplinam eſſent ſecuti, vnum ſolum Deum fuiſſe culturos; quem nunc colunt hominem Ieſum, quos & cum hoc etiam multos alios colunt (martyras ſcilicet) iis non fuiſſe religioſum vllum honorem exhibituros. Eum eſſe Iuliani in his verbis ſenſum tota Cyrilli ad hunc ejus locum reſponſio clamat. Eodem ſpectat, quod alibi dicit in eodem opere noſtros *ad priſcum illum mortuum* (id eſt ad Ieſum) *novos adjeciſſe mortuos*; id eſt martyras) πολλοὺς ἐπεισάγοντες τῷ πάλαι νεκρῷ τοὺς προσφάτους νεκρούς. Significat noſtris non ſatis fuiſſe Ieſu olim mortui adorationem ac divinitatem à Ioanne (vt ille blaſphemat) inventam & traditam initio ſui Evangelij; eos ad hanc de ſuo inſuper adjeciſſe martyrum ſecutis temporibus pro fide interemptorum, cultum. Ita Iulianus. Eunapius vero de ſolis ſeorſum Martyribus exſerte eoſdem pulſat, ſcribens *ab iis in Deos, & numina conſecratos fuiſſe, quos civilis magiſtratus ſupplicio affecerat.* Θεοὺς (inquit) ἀπεδείκνυσαν, οὓς τὸ πολιτικὸν ἐκόλασε δικαστήριον. Addit iſtos *Martyras & miniſtros & precum ad Deos legatos vocatos fuiſſe.* μάρτυρες γοῦν ἐκαλοῦντο καὶ διάκονοί τινες καὶ πρέσβεις τῶν αἰτήσεων παρὰ τῶν θεῶν. Haec illi. Vterque autem ſæculo Chriſtianiſmi quarto jam adulto vixerunt (Iulianus quidem a. D. 363. mortuus eſt, Eunapius vero ad Gratiani imperium, id eſt vltra a. D. 376. pervenit), quibus temporibus jam apud noſtros gliſcebat illa in Divos ſæculis labentibus à poſteris in immenſum aucta ſuperſtitio. Nunc quæro, cur nil noſtris ſimile à vetuſtioribus Chriſtianiſmi adverſariis objectum fuiſſe legatur? Cur Lucianus Chriſtianos ſuum quidem illum crucifixum magiſtrum *adorare* ſcripſerit? cur non potius, *imo multos infelices colere*, per epanorthoſin illi Iulianeæ ſimilem addiderit? Cur neque Cæcilius *homines* potius quam *hominem* hujus generis *veneratos* eſſe noſtros majores dixerit? Et de Paganis Chriſtianos apud Iuſtinum *amentiæ* damnantibus, quæri itidem poteſt, cur non vt Chriſto *poſt Deum ſecundas*, ita & Virgini parenti *tertias*, & Martyribus *quartas* à noſtris deferri dicerent? Celſum vero, qui hanc de Ieſu adoratione objectionem & creberrime, & invidioſiſſime pro ſuo in nos odio inculcat, variiſque modis exaggerat; nonne monſtri ſimile eſſet de martyrum (id eſt perſonarum ſæpe in mundo viliſſimarum) cultibus atque honoribus (ſi jam tum apud noſtros erant aliqui) nihil vnquam dixiſſe, vel etiam innuiſſe? De cæteris eadem quæri poſſunt. Atqui neque eorum, quorum de Ieſu à nobis adorato exprobrationes recitavimus, neque aliorum, ſiqui idem argumentum ad Origenis vſque tempora tractaſſe feruntur, quiſquam eſt, cujus aliquam contra noſtros de Sanctorum cultu vocem auditam, vel acceptam fuiſſe legamus. Quin & Celſi nonnulla extant, quæ ſatis clare ſignificant eum neſciviſſe Sanctos à noſtris coli; quo loco homo amens, & impietate ebrius non modo plurimos de ſuis aut heroïbus, aut philoſophis, ſed etiam

ibid. l. 10. p. 335. B.

Eunap. in Ædeſio. p. 65.

etiam quoſdam de priſcis Iudæorum Prophetis Domino Ieſu præfert; ac nominatim de Daniele dicit, *ſatius fuiſſe eum, qui è lacu leonum aſcendit incolumis, à nobis coli, quam Ieſum,* ὅτι ἐθέλει μᾶλλον τὸν Δανιὴλ, ἀναβάντα ἀπὸ τῶν λεόντων προσκυνεῖσθαι ὑφ' ἡμῶν, ἢ περὶ τὸν Ἰησοῦν. Si Danielem, ſi quem alium præter vnum Chriſtum à noſtris *coli* aut ſciviſſet, aut putaſſet, profecto non ſic eſſet locutus. Nam qui dicit *ſatius fuiſſe Danielem, quam Ieſum coli*; is Danielem *non coli* tam aperte ſignificat, quam Ieſum *coli*. Danielem vero à noſtris *coli* Celſus nunquam negaſſet, ſi Sancti jam tum apud eos eo loco ac numero fuiſſent, quo nunc ſunt apud Latinos. Non vnum Ieſum coli, ſed multos, ſed innumerabiles *Deos* à noſtris & *fieri* & coli, cum Eunapio ſcripſiſſet.

CAPVT XXVIII. *Apud Orig. contr Celſ. l.7. p.381*

CAPVT XXVIII.

Refellitur Bellarmini ad proximas objectiones exceptio, contendentis Chriſtianos idololatriæ ab Ethnicis, Iudæis, & hæreticis ob Sanctorum cultum ſemper fuiſſe accuſatos, demonſtraturque neminem ante quartum ſæculum eam calumniam Chriſtianis impegiſſe; non Iudæos Smyrnenſes, non Paganos Lugdunenſes, non Manichæos, non Diocletianum, aut Porphyrium. Eam calumniam quarto demum ſæculo ineunte exortam cum honores Martyribus præter majorum morem deferri cœpiſſent Paganicorum in Deos æmuli.

SED vt noſtræ huic demonſtrationi ſua vis conſtet, occurrendum eſt Bellarmino, qui ex hoc ipſo loco, vnde nos Latinū Divorū cultū apud vetuſtiſſimos Chriſtianos nullum fuiſſe oſtendimus, ſe ſperat plane, contra oſtenſurum eum in omni jam inde à principio Eccleſia ſemper viguiſſe, vſitatumque ac ſolennem fuiſſe. Pro hac enim theſi pugnans, & argumenta ad eam conſtituendam quædam ediſſerens; *Argumentum* (inquit) *ſextum ex eo ſumitur, quod ſemper Ethnici, Iudæi, hæretici accuſaverunt Chriſtianos idololatriæ propter cultum ſanctorum; quod certe non feciſſent, niſi vidiſſent à Chriſtianis Sanctos paſſim religioſe coli. De Ethnicis teſtatur Euſebius, l. 8. c. 6. Hiſt. De Iudæis idem Euſeb. l. 4. c. 13. De Iuliano Apoſtata Cyrillus lib. 6. & 10. in Iulianum. De Manichæis Auguſtinus l. 20. c. 21. contra Fauſtum. De Porphyrio, Vigilantio, & Eunomio Hieronymus l. contra Vigilantium.* Hæc ille, & falſa quædā ponens, & ex iis ipſis quæ ponit, male colligēs, quæ duo maxima ſunt in argumentando vitia. Nam vt à ſecundo ordiar, quale quæſo iſtud eſt, quod ex Ethnicorū in noſtros accuſationibus, quæ vere fuerit eorum diſciplina argumentatur? Quid? Nihil- *Bell. de Sanct. Beat. l. 1. c. 13. extr.*

SSſ neac-

CAPVT XXVIII.

ne accuſatores vnquam ſuis adverſariis ſine aliqua ſpecie, & abſque aliquo (vt loquimur) calumniæ *fundamento* objectant? nihil-ne iis de ſuo affingũt præter omnem veri & rerum fidẽ? Peſſime cum innocentia agetur, ſi apud homines valeat hæc Bellarmini ratiocinatio, vt nemo plane inſons putetur, niſi quẽ inimicus nullius criminis poſtulet. In nos quidem dirius, aut funeſtius nihil ſtatui poteſt, qui periimus funditus, ſi Ieſuitis & aliis de Latinorum gente nonnihil fidei de nobis narrantibus haberi neceſſario debet, in quos iſti omnia turpia pro mera ſua libidine conficta coniiciunt. Sed ſi ſtet Bellarminiana lex, ne Ieſuitæ quidem ipſi plane erunt diſcriminis hujus expertes. Nam & iſtos, quantumvis beatulos, & vbique gentium Sacroſanctos Patres, conſtanter tamen accuſatos audio à ſchiſmaticis quidem Æthiopibus, quod *fidem novam*, & ab *Apoſtolica alienam* doceant, & Chriſtos duos faciãt [a], & quod ex leporis vel certe cameli cerebro, aut medulla ſuas ad Euchariſtiã hoſtias conficiant [b], ab Ethnicis vero Mogoribus, Sinis, & Iaponibus, quod carne humana veſcantur [c], & quod, Gentilium liberos ex paternis ædibus infami plagio abactos ſuis Luſitanis venditent [d], & quod rebus novandis, populis commovendis, & turbis excitandis quocumque penetrarunt, ſtudeant [e]. Si quis ergo Ieſuitas inde argumentetur novatores eſſe, & ſeditioſos, & plagiarios, & anthropophagos, & ex leporino cerebro, vel ex cameli medullis ſacra ſua facere, quod Æthiopes, & Mogores, aut Sinę & Iapones eos horum omnium ſemper accuſaverint; *quod certe non feciſſent* (vt Bellarmini dia ſententia ſtatuit) *niſi vidiſſent à Ieſuitis aliquid horum ſimile fieri*; non puto quemquam eſſe, ac ne ipſum quidem, ſi viveret, Bellarminum, qui Ieſuitarum, optimorum (vt omnes ſciunt, quibus aliquid cum iis negotij fuit) & civium & ſacerdotum, & Theologorum, & virorum famam atque innocentiam ſcelerato epicheremate ſubverti paſſurus ſit. Ne ipſorum quidem veterum Chriſtianorum, de quibus diſputamus, nomen his legibus plane ſtabit illæſum; quos iidem illi Ethnici Thyeſtearum dapum, & infanticidij, & inceſti coitus conſtanter totis primis duobus tribusve ſæculis accuſarunt; *quod illi certe* (ſi bono Bellarmino credimus) *non feciſſent*, niſi aliquid horum ſimile fieri vidiſſent. Ergo etiamſi id verum eſſet, quod ſumit Bellarminus Chriſtianos ſemper fuiſſe ab hoſtibus ſuis Ethnicis, hæreticis, Iudæis *idololatriæ propter cultum Sanctorum accuſatos*; non ideo conſequens eſſet, vt, quod ille inde concludit, *Chriſtiani Sanctos paſſim religioſe coluerint*. Videamus tamen an quod ille ſumit, verum ſit. Equidem fateor à quo tempore exortæ ſunt apud Chriſtianos de Sanctorum in res noſtras providentia, deque quadam ſecundaria, ac vt ſic dicam, miniſteriali corũ *divinitate* opiniones, indeque natæ in eos ſuperſtitiones, ac religiones; hæc, quod ait Bellarminus, ſemper fuiſſe denotata, vel ab Ethnicis, vel à Iudæis, vel ab hæreticis (id eſt ab iis, quos Sanctorum cultores

hoc

a *Ann. Æth. a.* 1626. *p.* 28.
b *Ann Æth. a.* 618. *p* 16. 32. & *a.* 1626. *p.* 78.
c *Iarric. l.* 5. *c.* 3. *c.* 9 *c.* 14. *T.* 3. *p.* 43. & 56. & 89 *Sol. l.* 5. *c.* 5. §. 33.
d *Iarr. l.* 5. *c.* 14. *T.* 3 *p.* 89.
e *Ann. Iap. a* 1577 *p.* 24. 26.

hoc elogio donant) quin & ab iis interdum etiam (quod non dicit Bellarminus) qui pro Catholicis apud Latinos ipſos habentur; idque nos fuſe in generali diſputatiónis hujus parte demonſtravimus. Idem in Chriſtianorum, qui primis tribus ſæculis vixerunt, moribus ac religione fuiſſe ab vllis iſtorum animadverſum ac reprehenſum, id vero quam ſit falſum ex iis quo partim iſtic, partim in ſuperioribus proximis capitibus diſſeruimus, quivis facile poteſt intelligere. Hæreticos quidem nullos Sanctorum cultum noſtris toto illo ad a. D. 300. tempore objeciſſe, jam abunde probatum eſt. Neque hic alios Bellarminus hæreticos edit, niſi Manichæos ſub Aureliano Principe circa a. D. 274. exortos, & in hoc ipſo lectoribus imponit, quod *in genere* hanc contra Catholicos calumniam imputat; quaſi videlicet Manichæi ab ipſo ſuæ hæreſeos ortu omnes hoc in Eccleſiæ moribus repræhenderint, quod Sanctos coleret, proptereaque ab ejus communione diſceſſerint. Nihil enim tale vſpiam à veteribus de eorum hæreſi commemoratum legimus. Illorum & dogma, & diſceſſionis ab Eccléſia cauſæ plane aliæ referuntur; neque de Sanctorum cultu in hiſtoria Manetis & diſcipulorum ejus vlla ſit mentio. Quod ipſum argumento eſt, nullum adhuc, quo tempore Manes emerſit, cultum Sanctorum fuiſſe religioſum. Nam ſiquis tum fuiſſet, eum Eccleſiæ tam objeciſſet ipſe à principio Manes, quam poſtea objecit Fauſtus, vnus ex ejus ſectariis. Ille vero Fauſtus Auguſtini æqualis fuit, à quo etiam ejus ea de re in Catholicos calumniam habemus, à nobis ſupra recitatam; & Bellarminus, ſi veraciter & candide, vt decebat, egiſſet, dixiſſet Auguſtinum hæc teſtari, non de *Manichæis* (quod dolo & malo animo ſcripſiſſe videtur) ſed de Fauſto Manichæorum circa finem quarti ſæculo ſignifero. Vtcumque ſit, cum ille Fauſtus vno ſæculo toto poſt tertium vixerit, conſtat nihil eum ad res Chriſtianorũ ante a. D. 300. pertinere. Vnde id quod nos in generali diſputatione præſtruximus, nullos ante illud tempus hæreticos Eccleſiam de Sanctorum cultu pulſaſſe, nunc ipſius Bellarmini teſtimonio firmatur, qui quod Fauſtum ex hæreticis, qui Catholicos ea de re reprehenderunt, primum edit, eo liquido fatetur, qui hoc prius fecerit, neminem ſe ex toto veterum hæreticorum cenſu noſſe. Falſiſſimum ergo eſt in primis, quod ille nimis profecto confidenter pronunciare auſus eſt, *ſemper hæreticos accuſaviſſe Chriſtianos idololatriæ propter cultum Sanctorum.* Sæcula ſunt pœne ſeptemdecim à quo nomen Chriſtianum in terris noſcitur. Nemo hæreticus totis tribus primis ſæculis (quæ totius, quæ hactenus fuit, durationis pars eſt paulo minus, quam quinta) Catholicos de Sanctorum cultu laceſſivit. Non ergo *ſemper*, quod volebat Bellarminus, Chriſtianis ab hæreticis ille ritus eſt exprobratus. De *Vigilantio*, *& Eunomio*, qui & ipſi longe infra tertium ſæculum, quinti initia pœne attigerunt, ſupra quod ſatis eſt, diximus. Itaque concluſum eſto ante decimam Chriſtianiſmi perſecu-

CAPUT XXVIII.

Aug. contr. Fauſt. l. 20. c. 21.

CAPVT XXVIII.

tionem peractam, hoc eſt ante a. D. 314. nullum noſtris hæreticum de Sanctorum cultu crimen intendiſſe; aut Sanctos à Catholicis coli, vel vno verbo ſignificaſſe. Sed qui hæreticos illius memoriæ non memini quicquam hujuſmodi Catholicis dixiſſe, probe memini Tertullianum de hæreticis quibuſdam prodidiſſe, quod *Angelis ſervirent*, idque eorum inſtitutum *inter idololatrias deputaſſe*; de aliis item hæreticis Irenæum aperte quodam loco ſignificaſſe eos, ad edenda quæ facerent, mira, *Angelos invocaſſe*. Memini &, quod de nullis illorum temporum Catholicis à quoquam ſive hæretico, ſive alio, dictum reperitur, id ne ab Apollonio vetuſtiſſimo ſub Commodi, & Severi principatu auctore, de hæreticis Cataphrygibus ſcriptum legiſſe, quod illi quemdam ſuum *Alexandrum Martyrem multi adorarent* (ὑ προσκυνούμενοι (inquit de Alexandro loquens) ὑπὸ πολλῶν. Ita ſcilicet hæretici *Chriſtianos idololatriæ propter cultum Sanctorum* primis illis Eccleſiæ ſæculis *accuſabant*. Neque Bellarmino de Iudæis res melius ſucceſſit. Suæ firmandæ ſententiæ teſtem adſciſcit ex Euſebio antiquiſſimam Eccleſiam Smyrnenſem, quæ narrat, poſtquam Polycarpus martyrium feciſſet, Nicetem quemdam Herodis patrem, Dalces vero, vel (vt alij * legunt) Alces fratrem, à Satana ſummiſſum, adiiſſe Proconſulem, & rogaſſe ne Chriſtianis corpus Martyris *ad ſepulturam* † *daretur* (ſic enim habent acta à clariſſ. viro Vſſerio publicata) *ne* (inquit) *dimiſſo crucifixo hunc colere incipiant*, μὴ φησὶ, ἀφέντες τὸν ἐσταυρωμένον, τοῦτον ἄρξωνται σέβειν. Addunt Smyrnenſes, *hæc eum dixiſſe ſuggerentibus & inſtantibus Iudæis*, ὑποβαλλόντων καὶ ἐνισχυόντων Ἰουδαίων. Hic vero vbinam legit Bellarminus *Chriſtianos idololatriæ à Iudæis propter cultum Sanctorum accuſatos?* Video hic Chriſtum (quem Iudæi per contemptum τὸν ἐσταυρωμένον *crucifixum illum* vocant, vt ſupra Lucianus τὸν ἀνεσκολοπισμένον, ac vt Rabbini ſolent תלוי, id eſt *ſuſpenſum illum* vocare) à Chriſtianis cultum fuiſſe (quod eſt indubitatum.) Video Iudæos ſimulantes ſe vereri, ne Chriſtiani, ſi Polycarpi corpus habeant in poteſtate, hunc Chriſto dimiſſo & valere juſſo, colere incipiant; quod ſcilicet optimi ac ſanctiſſimi ſenis & vita, & mors adeo vtraque admirabilis fuiſſet, vt eum recutiti cum ipſo Chriſto conferri, imo & Chriſto præferri poſſe putarent; quo fit, vt ſuggerant verendum eſſe ne crucifixo dimiſſo hunc Chriſtiani novum ſuæ religionis ducem ſectari ex vno errore in alium ruentes excipiant. Itaque hæc non modo id, quod vult Bellarminus non probant, Iudæorum ſcilicet calumniam hanc fuiſſe, quod Chriſtiani idololatriam in Sanctos exercerent, eoſque paſſim colerent; ſed contra liquido confirmant ipſis Iudæis perſuaſum fuiſſe, noſtros præter Deum Chriſti Patrem, neminem alium, niſi vnum ipſum Chriſtum crucifixum σέβειν *colere*. Nam ſi vna cum Chriſto alios quoque, puta Apoſtolos ac Martyras religioſe à Chriſtianis vulgo coli ſciviſſent, aut ſuſpicati eſſent, profecto illi hoc loco ſimpliciter:

Tertull. de Præſcrip. c. 33. p. 2. 44 B. Iren. l. 2. c. 57. extr.

Apoll. apud Euſ. Hiſt. l. 5. c. 1 fol. 53. B. init.

Euſeb Hiſt. l. 4 c. 15. p. 39.

* Act. Vſſeriana roiye. p. 27.

† ibid.

citer dicerent, *verendum eſſe ne ij & hunc Polycarpum vna cum Chriſto, & cæteris ſuis Divis colant*; Iam cum non ita dicant, ſed diſerte addant *verendum, ne Chriſtiani crucifixum dimittant, & hunc colere incipiant*, eo clare ſignificant ſe nullum alium hominem à Chriſtianis religioſe cultum ſciviſſe, præter vnum Chriſtum, diſciplinæ ſcilicet ducem atque auctorem, ſeque Chriſtianos exiſtimaſſe à plurium in religione (præter vnum ejus ducem) cultu adeo alienos, vt Polycarpum non aliter culturi ſint, niſi eum, dimiſſo Chriſto, quem hactenus venerari erant, in hujus locum ſubſtituerent, & pro novo ſuæ religionis magiſtro ac duce agnoſcerent. Quod cum ipſi noſtros ob viri meritum & claritatem facturos eſſe vereri ſe ſimularent, petunt vt hæc novo errori occaſio præcidatur, ne martyris corpus Chriſtianis reddatur. Hic color fuit: quo rabidi canes inhumani ac crudelis animi feritatem prætexebant; cruenta optimi ac ſanctiſſimi viri, & quidem nonagenario majoris, morte nondum ſatiati, niſi & in mortui corpus aliquo ignominiæ ac ſupplicij genere ſæviretur; niſi id totum in cineres & favillas ita abſumptum ac dilapſum viderent, vt nihil ejus in rerum natura ſupereſſet. Vnde liquet hanc omnino Iudæorum fuiſſe in noſtros calumniam; nimirum eos in poſterum, relicto Chriſti primi ſui auctoris cultu, in Polycarpi nomen fortaſſe tranſituros, & eos ipſi honores delaturos, quos Chriſto retro detulerant. Cum autem Iudæi à majoribus ſuis decepti credant Chriſti diſcipulos interempti magiſtri corpus noctu furatos, è medio ſuſtuliſſe, & abſtuliſſe, atque ita impune famam de eo reſuſcitato & in cœlos evecto confinxiſſe; hi Smyrnenſes, ne quid ejus, quod in Chriſto olim factum fuiſſe imaginabantur, ſimile nunc in Polycarpo à noſtris fieret, eo videntur cavere in primis voluiſſe ne viri corpus in eorum manus ac poteſtatem veniret. Ita enim omnem iis rationem præreptum iri recentem huc magiſtrum in Chriſti locum evehendi. Hæc omnino Iudæorum mens in illis verbis fuiſſe videtur; quæ quam longe abſit à Bellarmini ſomnio de Sanctorum jam tum apud noſtros ſolenni ſcilicet cultu, omnes vident. Iam Smyrnenſium fidelium quæ in eodem loco ſequitur, contra hanc immanem perfidorum Iudæorum ſycophantiam defenſio, clariſſime & noſtram confirmat, & Bellarminianam refellit expoſitionem. Illi enim poſtquam verbis ſupra deſcriptis narrarunt, quid Iudæi Ethnicis de ſe ſuggeſſerint, ita pergunt; *Ignorant* (inquiunt) *quod neque Chriſtum vnquam, qui pro ſalute omnium, qui in toto mundo ſalvantur, paſſus eſt relinquere, neque quemquam alium colere poterimus. Hunc enim qui Dei Filius eſt, adoramus; Martyras vero, vt Domini diſcipulos, atque imitatores, quod dignum eſt, diligimus ob ſummam in ſuum Regem ac magiſtrum benevolentiam, quorum vtinam ſimus ſocij ac condiſcipuli!* Hæc illi; quibus præclara ſane ac luculenta & pœne divina continetur eorum contra vtrorumque & Iudæorũ, & Bellarmini calumniam purgatio. Primo enim quod illi perfidi ſug-

Caput XXVIII.

Matth. 28. 13.14.15.

CAPVT XXVIII. geſſerant, verendum eſſe ne Chriſtiani *Chriſtum crucifixum dimitterent*, id procul à ſe amoliuntur, neganter *fieri poſſe, vt Dominum vnquam relinquant pro omnium* (id eſt non pro aliorum tantum hominum, ſed & pro ipſorum etiam martyrum) *quicumque in toto mundo ſervantur, ſalute paſſum.* Alterum vero, quod iidem Iudæi ſuggeſſerant, ne hunc (Polycarpum ſcilicet) *colere incipiant*, id inquam, ſtrenue quoque depellunt, cum pariter negant fieri poſſe, vt quemquam *alium præter Chriſtum colant.* Bellarmini vero calumniam, Martyras ab iis *religioſe coli*, inde argumentantis, quod Iudæi hæc in ipſos ſuggeſſerant, pleniſſime confutant, primo dum negant ſe quemquam aliũ præter Chriſtum *colere* poſſe; ſecundo, dum ſe addunt *Chriſtum quidem*, vt Dei Filium adorare; Martyras vero, vt Chriſti diſcipulos, & imitatores, diligere. Poterant-ne clarius, fortius, ac diſertius negare, quod iis falſo ac temere imponit Bellarminus, à ſe nimirum *Sanctos religioſe coli?* Clamant ſe alium quam Chriſtum, non modo non colere σέβειν, ſed ne colere quidem poſſe; Clamant ſe Chriſtum vnum, vtpote Dei Filium *adorare*; Clamant denique Martyras à ſe non coli, *dulia* ſcilicet, aut aliqua cultus aut religionis ſecundaria ſpecie (quod eſt Latinorum dogma) ſed *diligi.* Certe ne nos quidem liquidius ac melius noſtram hac de re ſententiam poſſimus, ſi velimus, efferre ac exprimere. Sed de his Smyrnenſium verbis, cedro atque auro dignis, iterum infra fuſius dicendum erit. Nunc ea tantum obiter attulimus, vt pateret quanta ſit Bellarmini temeritas atque inverecundia, qui quo probaret Martyras religioſe in veteri illa Eccleſia coli paſſim ſolitos, eum locum attulit, in quo Iudæorum calumnia (qua ille nititur) ita à noſtris purgatur, vt etiamſi is ejus eſſet ſenſus, quem Bellarminus fingit, non id ideo tamen aliter poſſet quod cupit, efficere, niſi prius poſuerit recutitis impoſtoribus de Chriſtianorum cultu mentientibus plus eſſe habendum fidei, quam piis Smyrnenſibus, optimis atque ſanctiſſimis viris, ad eorum ſycophantiam reſpondentibus. Hi enim, vt patet, negant, quod illi ajunt. Si *Sanctos à Chriſtianis coli*, Iudæi (quod vult Bellarminus) ajebant; fideles ergo Smyrnenſes id ipſum negant. Videat nunc vtris potius credendum ſit, Iudæis-ne, an noſtris; Chriſti hoſtibus, an diſcipulis, ſycophantis, an bonis viris. Cæterum illud quod attuli, verum eſt; ne hos quidem ipſos, quos nobis Bellarminus obtrudit, ſycophantas, ſciviſſe aut ſignificaſſe ſua hac calumnia Sanctos vulgo à Chriſtianis coli religioſe. Id vnum quod diximus, ſignificant ſe ſcire & Chriſtum à noſtris coli religioſiſſime, & Polycarpi magnam eſſe apud eos famam, magnam de ejus virtute ac meritis exiſtimationem; Eo verendum, ne hunc illo relicto, colant. Sanctos vero paſſim à noſtris religioſe coli neſciviſſe Iudæos, vel hinc intelligi poteſt; quod cum illius generis homines idololatriæ (qua nullum crimen eſſe putant execrabilius) Chriſtianos ſemper accuſaverint; iidemque *cultum Sanctorum religio-*

ſum

gioſum, non ignobilem idololatriæ partem eſſe cenſeant (quod ego vtrumque ponenti Bellarmino libens aſſentior) incredibile eſt eos, qui primis tribus ſæculis vixerũt, Iudæos in diſputationibus cõtra noſtros ſuis, vbi nos idololatiæ reos eſſe cõtendunt, non fuiſſe cultũ Sanctorũ talibus locis objecturos, ſi quam hujuſmodi religionem tunc temporis apud Chriſtianos vidiſſent, aut ſciviſſent. At conſtat, idque jam à nobis in generali hujus diſputationis parte demonſtratum eſt, neque Tryphonem Iudæum cum Iuſtino diſputantem, noſque idololatriæ inſimulantem, de illo Sanctorum cultu quicquam dixiſſe, ſed crimen eo tantum argumento probare conatum eſſe, quod *in Chriſtum hominem ſpes noſtras reponamus*; & quod eum agnoſcamus & colamus, vt Deum ab æterno exiſtentem*; neque alios ex eadem gente, quibuſcum Tertullianus toto libro adverſus eos ſcripto congreditur, aliquid ſimile contra nos attuliſſe; neque denique Iudæum vllum totis illis tribus ſæculis reperiri noſtros ex Divorum cultu idololatriæ arguentem. Ergo confitendum eſt Iudæos, quod in hujusmodi locis minime objecerunt, id plane neſciviſſe; à noſtris ſcilicet Sanctos religioſe cultos fuiſſe. Neſciviſſe autem eos quod à noſtris *paſſim* fieret, & Bellarminus ipſe abſurdũ abſurdiſſimũ judicavit et revera atque incredibile eſt. Ergo verũ eſt id à noſtris minime factũ per illa tempora fuiſſe. Superſunt ex illa calumniarorũ à Bellarmino objecta triga ſoli Ethnici; quos nos nuper evidẽtiſſime demõſtravimus, neq; ſecũdo ſæculo, quo & Celſum, Adriano imperante ex Origene, & Iuſtinũ paulò poſt ex ipſo vixiſſe ſcimus, neque etiam ſecutis ad a. D. 300. temporibus, noſtros vſquam de cultu Sanctorum pulſaſſe. Neque Bellarminus quicquam contra affert. Quod enim obiicit ex Hiſtoriæ Euſebianæ libro VIII. exemplum, id ad a. D. 302. pertinet; quo Petrum, Dorotheum, & Gorgonium Diocletiani & Maximiani juſſu martyriũ Nicomediæ feciſſe, & ex ipſo Euſebio apparet, & à Baronio ad illum annum obſervatum eſt. Sed verba Euſebij ipſa recitemus; Poſtquam tres illos viros, qui Imperarorũ famuli fuerant, martyrio facto, decoro & celebri funere terræ mandatos fuiſſe narravit; *Eos* (inquit) *Imperatores rurſus de integro effodiendos, inque mare præcipitandos ſententiis decreverunt; ne qui eos in monumentis conditos adorarent: Deos eſſe ut ipſi quidem arbitrabantur, reputantes*; αὖθις ἐξ ὑπαρχῆς ἀνορύξαντες ἐν θαλάττῃ ῥῖψαι καὶ αὐτοὶ ᾤοντο δεῖν οἱ νομιζόμενοι δεσπόται. ὡς ἂν μὴ ἐν μνήμασιν ἀποκειμένους προσκυνοῖέν τινες, θεοὺς δῆθεν, ὡς γε ᾤοντο, λογιζόμενοι. Hactenus Euſebius. Hic ego illud mitto, quod tamen ſæpe alias magnopere conſiderandum eſſe animadverti, iſta nos non ab ipſo Diocletiano habere, vt quæ Celſi, & Iuliani & Eunapij ſupra recitavimus, ab ipſis auctoribus habemus; ſed, ab Euſebio, qui ad quadrageſimum annum pervenit quarti illius ſæculi, in quod hujus in religione mutationis initia inciderunt; fieri adeo potuiſſe, vt ille hæc verba Diocletiano non tam ex vero commodarit, quam ex ſui affinxerit.

Iuſt. adv: Tryph. p. 175. lin 33. & p. 1·4. l. 23

*ibid. p. 209. init. & p. 212.

Bar. a. D. 302 §. 28. 29. 30.

Euſ. Hiſt. l. 8. c. 6.

CAPVT XXVIII.

rit temporis moribus, quo jam pluſculum cœperant homines ſibi in Martyrum veneratione indulgere; ſic, vt Pagani iſta videntes, & de noſtris ex ſuæ ſuperſtitionis ingenio judicantes facile ſibi perſuadere poſſent eos, quos ſic venerarentur, vere habere pro Diis. Neque illud nunc monebo non eſſe tanti vnius tyranni, & quidem crudelitatis & impietatis facibus inflammati voces, in medio iræ furore exceptas, vt ex iis, quid à noſtris fieret, judicandum ſit. Quo & illud accedit, quod cum homines jam tumulo illatos, ac compoſitos, & quidem qui ſui olim in palatio miniſtri familiareſque fuerant, refodi, & inſepultos profundo mergi juberet, intelligebat ſumma inhumanitatis infamia flagraturum hoc ſuum facinus; maxime cum ipſe, quod eſt à Baronio * obſervatum, Gaudentio reſcripſiſſet *ſe etiam criminum obnoxios, digno ſupplicio ſubjectos ſepulturæ tradi minime vetare*†. Hic fortaſſe ſtimulatus putavit aliquid novi eſſe comminiſcendum, quo hæc invſitata, neque ab humano tantum, ſed etiam à ſuo jure aliena crudelitas fucari poſſet. Itaque fieri poteſt, vt homo amens, nulla alia, niſi ſceleris ſui excuſandi cauſa, præter omnem veri ſpeciem fingeret ſe metuere, nequos adeo inhumane habebat, à Chriſtianis pro Diis colerentur; ea gratia ſcilicet martyrum cadavera contra jus, faſque, contra ſua ipſius reſcripta, ex tumulis impie revelli, & in mare proiici voluiſſe. Hæc inquam, & alia quæ ſatis probabiliter de ſtultiſſimo illo Diocletiani metu diſputari poſſent, nunc equidem mitto. Concedamus Bellarmino hæc vt refert Euſebius, dixiſſe Diocletianum, Concedamus etiam ei, quod vehementer cupit, fuiſſe aliquid in Chriſtianorum erga Martyras honoribus, quod non cauſam quidem, ſed tamen occaſionem præbuerit Diocletiano ita de iis ſuſpicandi, atque calumniandi, quaſi ij ſuos Martyras & Deos eſſe putarent, & veluti Deos colerent. *Ergo* (inquit) viderat ille *Sanctos à noſtris religioſe paſſim coli.* Non denoto, quod iſte à Martyribus, de quibus ſolis loquitur Diocletianus, ad quoſvis in genere Sanctos tranſilit. Sed quæ iſta eſt quæſo, ratio, vt ſi tyrannus levem aliquem hujus ſuſpicionis colorem habuerit, neceſſe ſit eum vidiſſe *Sanctos à noſtris religioſe* coli? Viderat ille Martyras à Chriſtianis præcipuo quodam amore diligi; Viderat, cum quodam triumpho vt victores, & rebus humanis majores, efferri, magnaque in ſepulcrum pompa ac lætitia inferri; Viderat eos præ omnibus apud nos mortuis, etiam diu poſt mortem, etiam anniverſariis diebus celebrari, cum laude memorari, imitandos ante noſtrorū veluti ora, proponi ac prædicari; denique in ſingulari quodam, ſed tamen humano, honore apud ſuperſtites haberi, neque fere vnquam vel ipſa eorum nomina ſine *Sancti*, aut *beati* aut *glorioſi* elogio vſurpari. An hæc ſatis non erant, vt homo Paganus, quos oderat immaniter, quos crudeliter trucidaverat, quos plane penituſque de rebus, ac mentibus humanis ſublatos atque extinctos cupiebat, ſi videret his quos diximus, honoribus affici, eos putaret

*Bar. a D. 302. § 31.
† l. Obnoxios. C. de relig. & ſumpt. fun.

putaret in cœlum ſe invito evehi? ac metueret ne in Deorum cenſum à ſuis referrentur, & numinum inſtar colerentur? Nullam ergo vim habet Bellarminiana argumentatio, Sanctos à noſtris *religioſe paſſim cultos*, atque invocatos fuiſſe concludens, ex hac Diocletiani oratione quam meram calumniam fuiſſe & Euſebius indicat, dum iſta obiter monens ex ejus & Maximiani *opinione*, ὥς γε ᾤοντο, *vt ipſi quidem putabant*, dicta fuiſſe, eo ipſo negat *ex vero* dicta eſſe; neq; Bellarminus repugnare poteſt, quin calumnia fuerit, niſi & id, quod abominatur, concedat Sanctos à ſuis pro totidem Deis haberi & adorari. Sed etſi hæc ſolvendo Bellarmini ſophiſmati ſatis ſint, non pigebit tamen rem vt clarius eluceſcat, paulo diligentius conſiderare. Illud ergo in primis obſervo, quod omnium retro Paganorum aut aliorum Chriſtianiſmi hoſtium nemo reperitur id de illa martyrum apotheoſi ſuſpicatus, quod hic vereri ſe dicit Diocletianus a. D. demum 302. Supra excuſſimus quæ Celſus, Cæcilius, Maximus, cæteri vel Pagani, vel Iudæi noſtris de cultu religioſo objecerunt; neque quicquam hujuſmodi vſpiam reperimus. Nuper audiebamus Iudæos verentes ne Chriſtiani Chriſtũ dimitterent, & ejus loco Polycarpũ colerent. In vetuſtiſſimis Lugdunenſiũ Actis legimus Martyrũ reliquias, poſtquam ſex totos dies ſub dio omnium ludibriis expoſitæ, inſepultæ jacuiſſent, tandem ab impiis carnificibus exuſtas, inque cineres redactas in profluentem Rhodanum ſparſas eſſe, vt nihil eorum ſupereſſet; idque eo conſilio quod ſe illis hac ratione regenerationem corporum prorſus eripere poſſe arbitrarentur, *vt ne vlla quidem* (inquiebant) *ſpes reſurrectionis illis reliqua fiat, qua freti non ſolum peregrinam quamdam & novam nobis induxerunt religionem, verum etiam tormenta penitus neglexerunt, & prompto atque alacri animo ad mortem properarunt*, ἵνα μὴ ἔτι ἐκεῖνοι μηδὲ ἐλπίδα χῶσιν ἀναστάσεως, ἐφ' ἣν πεποιθότες ξένην τινὰ καὶ καινὴν εἰσάγουσιν ἡμῖν θρησκείαν, καὶ καταφρονοῦσι τῶν δεινῶν, ἕτοιμοι καὶ μετὰ χαρᾶς ἥκοντες ἐπὶ τὸν θάνατον. *Nunc videamus, num ſint reſurrecturi.* Hæc quidem illi non minus, fateor, ſtulta atque abſurda, quam ea quæ Diocletianus cogitabat, ſed ab iis tamen plane aliena. In re ſimili Tharaco Martyri aliud etiam obiicit Maximus Præſes; *Putas* (inquit) *quia mulierculæ aliqua corpus tuum habent aromatibus, vel vnguentis condire, iniquiſſime? Nam de hoc eſt cogitatio, vt reliquias tuas perdam.* Et mox iterum. *Nonne ſic te perdam, & ſicut antea prædixi, & reliquias tuas? ne mulierculæ in linteamine corpus tuum involvant, & vnguentis & odoribus adornent? Sed ſceleſte, jubebo te comburi, & cineres tuos in ventum diſpergam.* Hic noſtris ſpem obiicit honorificæ quidem ſepulturæ; honoris vero divini non obiicit; quidni æque ac Diocletianus, ſi Martyras paſſim apud noſtros religioſe coli videbat? Denique nullum ex omni anteriorum temporum memoria exemplum Diocletianeo iſti ſimile afferri poteſt. Cedo, Bellarmine, rationem? Mitiores & noſtris æquiores fuiſſe ve-

Caput XXVIII.

Apud Euſ. Hiſt. l. 5. c. 1. exir.

fol. 47. B. exir.

Apud Baron. a. 10. 290 § 21. ibid. § 23.

TTt ſtuſtio-

CAPVT XXVIII.

tuſtiores non dices; qui omni calumniarum, ac crudeliſſimo tum cruciatuum genere in eos ſævierunt; non minus quam Diocletianus; vt vel ex eorum facto pater, qui Lugdunenſes, & Maximi, qui Thatacum, dire & immaniter excarnificatos necarunt. Quid ergo eſt? An nostrorum Diocletianeis, quam ſuperioribus temporibus major fuit in Martyras veneratio? Tu vero & hoc negas, qui parem omnium Chriſtianorum jam inde ab initio fuiſſe vis; neque ſane ego aliud facile dixerim, qui ne Diocleriani quidem temporibus invocatos fuiſſe adhuc à noſtris Martyras ſupra etiam non paucis argumentis demonſtravi. Hic igitur aqua Bellarmino hæreat neceſſe eſt. Nam ſi, quod Diocletianus martyras à noſtris *Deos cenſeri & adorari* dixit, ex eo ſequitur, martyras à noſtris ejus tempore fuiſſe paſſim cultos religioſe; profecto ex eo quod eorum, qui ante Diocletianum fuerant, ſycophantarum & perſecutorum Chriſtiani nominis perditiſſimorum, nemo idem de noſtris dixit, multo validius ac clarius conſequitur martyras non fuiſſe religioſe cultos ab illius memoriæ fidelibus. Nam fieri quidem poteſt, imo & ſæpe accidit, vt inimicus, vel odio excæcatus, vel judicio parū valens, ea nobis ex mera animi ſui libidine imponat atq; imputet, quorū nulla in nobis, ne leviſſima quidē, vmbra reſidet. Vt vero acer & acutus & vigilans & acerbiſſimus idē atq; infenſiſſimus adverſarius ea, quæ & nobis vere inſunt, & ad calumniā facile à quovis, etiā ab homine neq; inimico, neq; acuto, rapi poſſunt, ea tamen indicta prætereat, neque vſpiam vel leviter atringat, vt alij ejuſdem ingenij adverſarij in eadem cauſa per annos fere 300. verſantes, id ipſum omnes pariter prætermittant, neque vſpiam nobis obiiciant; id vero nemo vel ſenſu communi præditus, incredibile atque impoſſibile eſſe negabit. Cum ergo ex perpetuo conſtantique horum ſilentio conſtet non fuiſſe à noſtris religioſe cultos martyras ante ſuprema Diocletiani tempora, id eſt ante hunc a. D. 302. neceſſe eſt, ſi nihil in noſtrorum erga Martyras honoribus, auctum aut immutatum erat, hanc tyranni vocem, velut hominis ebrij, aut furentis, temere, nullo judicio, nullaque ratione effuſam ſpernere, ac pro nihilo habere; non ex ea, quod Bellarminus facit, argumentari. Hæc equidem non dubito, quin modeſtis ingeniis ſatis futura ſint. Sed quia cum adverſariis pervicacibus res eſt, ne quid quod vitiligent ſuperſit, age & hoc ſecundo loco obſervandum ſuperioribus adiiciamus, etiamſi ne Diocletiani quidem ſupremis temporibus, imo neq; poſt eum annis ſatis multis, apud Chriſtianos, quod dixi, introducta fuerit Sanctorum invocatio, aut proprie mutata majorum de iis ſententia; Negari tamen non poſſe, quin paulò ante Diocletianum à noſtrorum nonnullis aliquid eſſet ex Paganorum vſu iis honoribus adjectum, qui Martyribus antea habebantur. Gregorius enim Nyſſenus auctor eſt Gregorium, Neoceſareæ in Ponto celeberrimum Epiſcopum *addıtamentum & quaſi corollarium ſtudij erga Deum apud*

Greg. Nyſſ. orat. de vita Greg. Thaumat. T. 3. p. 574. A.

omnes

omnes vbique populos ſanciviſſe, inſtituentem, vt dies conventuſque feſti celebrarentur in eorum gratiam, qui pro fide decertaverant, id eſt martyrum; προσθήκην (inquit) ἐποιεῖτο τοῖς ἀνατεθεῖσι λαοῖς τῆς περὶ τὸ θεῖον σπουδῆς, τὰς ὑπὲρ τῶν ἐναθληκότων τῇ πίστει πανηγύρεις νομοθετήσας. Quæ autem eſſet iſtius inſtitutionis ratio, ſtatim pergens ſic explicat; *Cum (* inquit *) animadverteret, quod propter corporales oblectationes ſimplex & imperitum vulgus in idolorum errore permaneret; quo maxime id, quod præcipuum eſt, interim apud eos corrigeretur, nempe vt pro vanis cultibus, & ſuperſtitionibus, ad Deum reſpicerent, permiſit eis, vt ad memorias Sanctorum Martyrum ſeſe exhilararent, & oblectarent, atque in lætitiam effunderentur.* Ex his non eſt obſcurum virum illum, vt Paganorum vulgus ad ſe traduceret ac retineret, ita inſtituiſſe, vt quæ in Ethnicorum feſtis ad populi oblectamenta fiebant, vt verbi gratia convivia & ludi, eadem quoque diebus ad Martyrum memoriam celebrandam ſolennibus, apud noſtros fierent; & quod in Baroniano ad ſecundum Tomum indice habetur, *ludos Diis exhiberi ſolitos convertiſſe in honorem Martyrum.* Iam qui hæc ita præter veterem morem vltimis vt videtur, vitæ ſuæ temporibus innovavit, Gregorius Neocæſarienſis, vltra a. D. 27. vixit (Antiochenæ enim Synodo, quæ contra Paulum Samoſatenum ipſo illo anno habita eſt, interfuit) Diocletianus vero annis poſt illam Synodum quatuordecim imperare cœpit, & annum imperij decimum octavum agebat, cum Petrus, Dorotheus, & Gorgonius paſſi ſunt. Itaque anni illi circiter triginta, qui à nova Gregorij lege ad horum martyrium interceſſerunt, plane ſatis fuerunt ad hanc inſtitutionem cæteris Chriſtianis, præſertim apud finitimas Ponti provincias, commendandam, & apud eos propagandam. Bithyniam autem, in cuius metropoli Nicomedia Diocletianus verſabatur, & vbi illos ipſos martyras occidit, non longe à Ponto diſtabat. Vnde jam nemo mirari debet, quod homo profanus & Ethnicus, cum noſtros in illis partibus vel vidiſſet, vel audiviſſet ſuos martyras certis anni diebus ſolere iiſdem ludis, atque oblectationibus celebrare, quibus apud Paganos Deorum feſta concelebrari mos erat, in eam opinionem venerit, vt temere quidem ille ac falſo, ſed tamen non omnino abſque aliqua ſpecie, cenſeret, martyras apud noſtros eodem eſſe loco ac numero, quo ſuos Pagani Deos habebant. Satis ſuperque fuit viro noſtris infeſto, ille tametſi falſus & inanis color, vt hoc ſibi de iis perſuaderet. *Falſum* autem fuiſſe dico illum colorem, quia licet ea in re Gregorius ad captandos vulgi animos, præter majorem morem hactenus indulſerit, non apparet tamen vel eum, vel etiam ejus ad quartum ſæculum jam adultum poſteros, à vereri de vno Deo religioſe colendo ſententia diſceſſiſſe, vel Sanctos invocaſſe; imo multa ſunt in contrariam partem argumenta, quorum aliqua obiter ſupra ex illorum temporum auctoribus delibavimus, & multa iis alia; ſi nunc ea res ageretur, addere poſſemus.

CAPUT XXVIII.

ibid. B. C.

Ind. T. 2. Bar. nom. Greg. Thaumat.

CAPVT XXVIII.

Greg. Nyſſ. de vita Greg. Neocaſ. p. 574. C.

Quin & diſerte ſcribit Nyſſenus ſperaſſe Neocæſarienſem *ſucceſſu temporis aliquando futurum eſſe,* vt homines ſua ſponte ad *honeſtiorem & exactiorem vitæ rationem tranſirent,* ὡς χρόνῳ ποτὲ τῷ [illegible] ἐπὶ τὸ σεμνότερόν τε καὶ ἀκριβέστερον μετατεθῆναι δεῖν τὸν βίον. Liquido ab *honeſto & exacto* ſe diſceſſiſſe fatetur, qui ſua inſtituta ad *honeſtiorem & exactiorem rationem* aliquando tranſitura ſperat. Sed & ille quidem, ſua hac ſpe largiter falſus eſt. Ab iis enim initiis progreſſa hominum ſuperſtitio, pace paulò poſt Diocletianum Eccleſiæ à Conſtantino reddita, tam multa ad illos Martyrum ex Paganiſmo deſumptos honores quotidie adjecit, vt circa a. D. 362. Iulianus illa quæ ſupra deſcripſimus exprobraret pro *multis Ethnicorum Diis* noſtros *non vnum tantum,* ſed *etiam multos homines colere.* Nunc ergo omnia tandem clara, ſoluraque ſunt; Diocletianus a. D. 302. putavit a Chriſtianis martyras pro Diis haberi & coli, quia nimirum multos de noſtris in Ponto, & vicinis ſi forte Provinciis inaudiverat martyras ex illa nova ac nupera Gregorij lege honoribus eorum geminis celebrare, qui ad Deorum cultum à Gentilibus fiebant. Idem probrum in noſtros etiam poſtea validius, ac crebrius intorſerunt Iulianus, Eunapius, & alij; quod Paganici illi ritus apud eos non modo non imminuti, ſed etiam multis aliis ſimilibus aucti erant ac locupletati. Atque ita purgato à Bellarmini offuciis & nebulis omni hoc loco, nunc clariſſime ac velut pleno meridie lucet demonſtrationis noſtræ vis, qua nullum fuiſſe apud vetuſtiſſimos Chriſtianos Sanctorum religioſum cultum inde probavimus, quod ad a. D. 302. nulli hunc vel Ethnici, vel Iudæi, vel hæretici noſtris objectaſſe reperiuntur. Quod vero eum objecit a. D. 302. Diocletianus, id inde factum eſſe, non quod Sancti jam tum invocarentur, ſed quod recens de feſtis in honorem Martyrum Paganico more agitandis à Gregorio circa a. D. 271. præter veterum ſimplicitatem in Ponto inſtitutus, ex indeque vt eſt credibile, ad plures diffuſus ritus, occaſionem calumniæ dedit, & nomen Chriſtianum blaſphemari apud adverſarios fecit; quaſi apud nos quoque, vt apud Gentes, præter ſummum verumque numen aliqui eſſent, ſaltem miniſtri & ſecundi ordinis Dij. Idem de Porphyrio, quem Bellarminus quoque attulit, dicerem, ſi ipſa ejus verba, Sanctorum adorationem noſtris objectantia ederet. Porphyrius enim, vt notum eſt Gregorio, etiam junior fuit, & ad a. D. 323. ſi Baronio credimus, certe (quod ego verius puto) ad aliquot annos vltra 303. pervenit. Conſtat enim eum anno Galieni decimo (id eſt Chriſti 264.) annum ætatis ſuæ trigeſimum compleviſſe, & annos poſtea quadraginta, imo etiam aliquanto fortaſſe plures vixiſſe; vt neceſſe ſit eum a. D. 304. minimum attigiſſe; qua de re conſuli poteſt Lucæ Holſtenij erudita de illius viri vita & ſcriptis diſſertatio. Sed Porphyrij Bellarminus non verba, quæ de hoc argumento nulla habemus; verum Hieronymi teſtimonium citat, cujus irati quæ ſit in auctoribus laudandis fides,

Holſt. diſſert. de Porph. c. 2.

Hier adv. Vigil. T. 3. fol. 45. C.

nos.

nos ſupra docuit Tertulliani ab eo contra Vigilantij vt vocat, hære- CAPVT XXVIII.
ſin allata Scorpiaceri in qua nullum legitur contra Vigilantij ſententiam verbum; nedum vt contra eam, quod dicit Hieronymus, ſcripta ab auctore fuerit. Huc accedit, quod ne Hieronymus quidem in loco adverſus Vigilantium à Bellarmino indicato id, quod hic pertendit, ſcripſiſſe reperitur, nempe Porphyrium idololatriæ Chriſtianos accuſaſſe propter religioſum Sanctorum cultum. Hæc ibi ſunt Hieronymi verba, Vigilantium de more impotenter increpantis; *Niſi forte in morem Gentilium, impiorumque Porphyrij & Eunomij has præſtigias dæmonum eſſe confingas, & non vere clamare dæmones, ſed ſua ſimulare tormenta.* Ex his autem vt liquet, nil aliud vtrumque ea tractes, extundere potes, niſi hoc vnum, Porphyrium vel exiſtimaſſe, vel etiam dixiſſe, dæmonum ab admotis Sanctorum reliquiis torqueri ſe confitentium voces illas & credita à Chriſtiánis tormenta, fuiſſe eorum præſtigias. Vnde illud quidem concluſeris jam Porphyrij temporibus cœpiſſe à noſtris Sanctorum reliquias ad eiiciendos ex humanis corporibus dæmonas adhiberi & vſurpari (quod ipſum, ſi factum eſt, præter omnem vetuſtiorum vſum factum fuiſſe ex iis, quæ ſupra diſputavimus, apertiſſimum eſt) non tamen inde elicueris Porphyrium noſtris exprobraſſe, quod *Sanctos adoraverint*. Aliud enim eſſe, *Sanctum* aliquem *adorare*, aliud credere admotis ejus reliquiis dæmonas torqueri, & per ſe manifeſtum eſt, & ipſe Hieronymus ibidem docet, qui cum illud ardentiſſime defendat, hoc tamen acerrime à ſe & à cæteris ſui ſæculi Chriſtianis depellit; atque reiicit, ad ſuum illum Vigilantium pro conſueta ſua lenitate atque modeſtia, ita exclamans; *Quis enim ô inſanum caput, aliquando martyras adoravit?* *Ibid. f. 44. G.*
De Iuliano (cui Eunapium quoque adjungere poterat) & de Vigilantio, ac Eunomio quod non paucis annis poſt decimam perſecutionem vixerint, nihil neceſſe eſt hic reſpondere. Illorum vero contra Martyrum cultum voces non modo id, quod nos defendimus, non refellunt, aut pulſant, non fuiſſe ſcilicet Sanctos ante a. D. 300. religioſe à noſtris cultos, ſed etiam me ad id confirmandum non parum juvant. Cum enim quarto ſæculo adulto, quo cœpiſſe hujus in Sanctos ſuperſtitionis initia, poſitaque quædam ejus vt ſic dicam, rudimenta, confiteor, Bellarminus agnoſcat qui eam arguerent, & noſtris exprobrarent, non defuiſſe, ex Paganis quidem Iulianos, & Eunapios; ex hæreticis vero Eunonios, Fauſtos, & (vt ipſe quidem cenſet) Vigilantios; profecto illud quoque confiteri debet eadem Chriſtianis trium ſuperiorum ſæculorum exprobraturus fuiſſe Paganos & hæreticos; ſi jam tum obtinuiſſet; non dico illa effrænis & immodica in Divos religio, quæ nunc apud Latinos palam regnat, ſed vel tenue illud, & exile ejus rudimentum, quod ab anno quarti ſæculi circiter quinquageſimo cœpiſſe & exinde paulatim ſuccreviſſe apud noſtros non nego. Atqui ex iis, quæ nos & nunc contra Bel-

CAPVT XXIX. larminum, & paulo ante ex Celſi, & aliorum veterum Paganorum adverſus noſtros objectionibus diſputavimus, clarum liquidumque eſt nullos qui hunc cultum iis exprobrarint, ante a. D. 300. fuiſſe vel Paganos, vel Iudæos, vel denique hæreticos. Ergo & illud, quod nos contendimus, neceſſario confitendum eſt nullum adhuc apud Chriſtianos cultum fuiſſe Sanctorum ante illud tempus religioſum.

CAPVT XXIX.

Argumentum XXVIII. Quod vetuſtiſſimi Chriſtiani Paganis ea objecerint, quæ in Divorum cultores apertiſſime militant, vt religioſum eorũ cultũ, Primò, qui homines natura eſſent, Secundò, qui mortui eſſent, Tertiò, quibus hunc datum à Deo ſummo fuiſſe honorem non conſtet, Quartò, qui hominis decreto conſecrati, & canonizati eſſent; Quinto, eorum quos non colebant, contemptum, Sextò, curarum, & cultuum diverſitatem, Septimò, quod minorum cultus à ſummi Dei cultu deflecteret & everteret hominum animos; quæ omnia æque in Divorum ac in Deorum cultores, cultuſque conveniunt.

ID vero ea, quæ Paganis noſtri per illa tempora obiiciebant, non minus confirmant, quam quæ noſtris Pagani non obiiciebant. Nos vt res plane eluceſcat, nunc quædam illius generis in medium afferemus. Quale illud eſt in primis, quod trium illorum ſæculorum Theologi in Ethnicorum religione nonſemel denotant ac reprehendunt eorum cultum, qui meri homines natura ſua erant. Octavius, cum Chriſtum, cujus ſibi cultus erat ab adverſario objectus, Deum vere eſſe, non terrenum hominem, neque merum hominem eſſe, reſpondiſſet, *miſerabilem* illum eſſe profeſſus *cujus in homine mortali ſpes omnis innititur*; hanc in Paganos ipſos criminationem ita repercutit; *Ægyptiſane hominem ſibi, quem colant, eligunt, illum vnum propitiant, illum de omnibus conſulunt, illi victimas cædunt.* Tum obiicit quod *Principibus, & Regibus, non vt viris, ſicut fas eſt, ſed vt Deis turpiter blandiantur; eorum numen vocantes, ad imagines ſupplicantes, genium, id eſt dæmonem ejus implorantes.* Reprehendit eos ſcilicet, quod homines, non humano, quod licet, ſed religioſo cultu proſequantur. Neque iſtis, quos à Gentilibus coli indignatur, viventibus id delatum eſſe objectes. Damnat enim proprie non quod viventes (nam & Deus vetus vivit) ſed quod homines religioſe colerentur. Tertullianus Chriſtianos cum accuſarentur, quod Deos Gentilium non colerent, eo defendit, quod quos colere abnuebant, ij homines fuiſſent. *Appellamus* (inquit) *& provocamus à vobis ad conſcien-*

Minut. in Octav. p. 88. 89

Tertul. Apol. c. 10. p. 11 D.

conſcientiam veſtram. Illa nos judicet, illa nos damnet; ſi poterit negare omnes iſtos Deos veſtros homines fuiſſe. Si & ipſa inficias ierit, de ſuis antiquitatum inſtrumentis revincetur, de quibus eas didicit; teſtimonium perhibentibus ad hodiernum, & civitatibus in quibus nati ſunt, & regionibus in quibus aliquid operati veſtigia reliquerunt. Caput XXIX. Aperciſſime negat religioſe colendos, qui homines fuerunt. Neque tu hic mihi illam Latinorum ſolennem cantilenam occinas, negari pro Diis; non negari pro Divis colendos, qui homines fuerunt. Tertullianus jam præſtruxerat, neminem niſi qui natura idem Deus ſit, religioſe colendum. *Hoc igitur* (inquit) *exigere debetis, uti probemus non eſſe illos Deos, & idcirco non colendos, quia tunc demum coli debuiſſent, ſi Dij fuiſſent.* Potuit-ne apertius decernere, & qui Deus ſit, eum neceſſario colendum, & qui non ſit, neque eum colendum, neminemque ante colendum, quam vbi demum eum eſſe Deum conſtiterit? Falſo omnia, & ſane impudenter; ſi ipſe, vt nunc Latini factitant, *Divos colebat*, quos & *Deos* conſtat non eſſe, & quos antiquitatum inſtrumenta *homines* fuiſſe non minus revincunt, quam eos qui à Gentibus Dij dicebantur. Idem de eodem argumento; *Quantum igitur de Diis veſtris* (inquit) *nomina ſolummodo video veterum mortuorum, & fabulas audio, & ſacra de fabulis recognoſco.* ibid. c. 12. p. 14. A. Nonne & hæc in Latinorum Divos plæraque congruunt; Nam & omnia nomina ſunt *mortuorum* & veterum & quorumdam etiam recentiorum; *& fabulas* de pleriſque jactari, & ad eas ſacra cærimoniaque congruere notum eſt. Arnobius plane, vt Tertullianus; Ethnicis, quod hominē natum. Chriſtum ſcilicet, colamus exprobrantibus; *Vos* (inquit) *hominem nullum colitis natum? Non unum & alium, non innumeros alios? quinimo non omnes, quos jam templis habetis veſtris, mortalium ſuſtuliſtis ex numero, & cœlo ſideribuſque donaſtis?* Arnob. adv. Gent. l. 1. c. 26. Quaſi vero non tu quoque ô bone (ſi Latinorum quidem conſecraneus eras) innumeros *templis haberes* Divos *mortalium* itidem *ex numero ſublatos?* Tum id ex Paganorum antiquis monumentis fuſe probat, homines natos fuiſſe, quos Ethnici pro Diis habebant. Hoc vero de Latinorum Divis ne probare quidem neceſſe eſt, quos ipſi homines meros & fuiſſe & eſſe etiamnum profitentur. Sed & noſtri haud parcius queruntur mortuos ab Ethnicis coli. Clémens Alexandrinus; *Veteres* (inquit) *mortui longo erroris tempore commendati à poſteris Dij eſſe exiſtimantur.* οἱ παλαιοὶ νεκροὶ τῷ πολλῷ τῆς πλάνης χρόνῳ σεμνυνόμενοι τοῖς ἔπειτα νομίζονται θεοί. Clem. Al. Protrept. p. 37. A. Tertullianus idem argumentum tractans, veluti rem abſurdam irridet, quod *mortui vivos tueantur*; non id eſſe Diis gentium poteſtatis inde probans, quod ſuas ſtatuas & imagines, & ædes non ipſi, ſed Cæſariani cuſtodes tueantur. *Si mortui* (inquit) *vivos tuentur, jam utique ſuas primo ſtatuas, & imagines, & ædes tuerentur, quæ vt opinor, Cæſarum milites excubiis ſuis ſalva præſtant.* Tertul. Apol. c. 29. p. 29. D. Quid iſto diſputatore inverecundius, ſi cum Latinis Divos coluit?

coſque:

CAPVT XXIX.

eoſque is tametſi mortuos, res & perſonas viventium tueri putavit, neque ſuas quidem ædes aut ſtatuas magis ſalvas præſtare quam ſuas olim Paganica numina præſtabant? Vetus Recognitionum auctor & *mortuos timere ſummæ ſtultitiæ eſſe* Gentilibus exprobrans dicit, & alibi cum eorum Deos ex ſingulorum ſepulcris mortuos olim fuiſſe docuiſſet; *Singuli* (inquit) *vt Deos colunt & adorant, quos homines mortuos fuiſſe non dubitant*; id eſt iis, quod paulò poſt dicit, *honorem conferunt divinum.* Eadem fuſe exſequitur Arnobius; ex ſepulturis demonſtrans mortuos eſſe, quos Ethnici adorabant; ac vt rem abſurdiſſimam obiiciens *pro Diis immortalibus mortuos ab hominibus coli.* Nonne ſi Latinam in Sanctos pietatem approbabant, vereri debuit, ne adverſarius reſponſaret, ne hoc quidem ſatis conſentaneum videri vt mortui pro Divis à Chriſtianis colantur? Cyprianus hanc fuiſſe idololatriæ originem Gentilibus obiicit (*Reges* (inquit) *olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud ſuos poſtmodum etiam in morte cœperunt, Inde illis inſtituta templa; inde ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expreſſa ſimulacra, quibus & immolabant hoſtias, & dies feſtos dando honores celebrabāt. Inde poſteris facta ſunt ſacra, quæ primis fuerant aſſumpta ſolatia.* Quidni vero Cypriane, iſta ſuis Regibus tribuant, quorum tu gemina, vno excepto ſi forte ſacrificio, omnia tuis & ipſe mortuis exhibes, ſi Latinorum quidem, quod ipſi volunt, dogma & ritus ſectabaris? Ille vero ſe hęc ſectatum eo ſatis negat, quod paria in Paganis damnat. 3. Et hoc Paganorum Divis atque heroibus obiiciunt vetuſtiſſimi Chriſtiani fruſtra illos & perperam coli, quibus datum à ſummo, & Principe Deo hunc honorem non conſter. *Celſum* (inquit) *rogemus, de iis qui coluntur pro Diis, aut dæmonibus, aut heroibus, Vnde vero demonſtrare potes ô bone, quod iis à Deo datum ſit vt ita honorentur, ac non potius id ab ignorantia & imperitia hominum errantium, & ab eo quod honorari verum eſt, deficientium?* Et cum de quodam dixiſſet recens in Deos ab Imperatore relato; *Idem* (inquit) *licet de aliis quoque quærere, qui ſcire poſſimus talem eis honorem à Deo conceſſum eſſe?* Hæc ille; quæ & à Latinorum Theologis de Divis quos colunt itidem quæri poſſunt. Neque enim illi demonſtrare poſſunt, Dei, Optim. Maximi voluntate atque auctoritate Divæ quidem Virgini datum eſſe hyperduliæ honorem, aliis vero duliæ, aut omnibus Divis in commune conceſſum eſſe, vt à nobis ſingulis in terra verſantibus invocari, votiſque ac precibus, templis, feſtis, ſacris, altaribus, ſimulacris, proceſſionibus & cæteris ſexcentis colantur, quæ ad eos honorandos fiunt. Multo vero vt videtur proclivius eſſe has docere illis religiones inſtitutas & attributas eſſe per ignorantiam & imperitiam hominum (vt ille ait) errantium, & ab eo qui verus religionis honoribus vere dignus eſt, deficientium. Neſcivit ergo Origenes iſta Latinorum de Divorum honoribus myſteria; qui doctior ſcilicet ac ſapientior fuit, quam

Clem. Recogn. l. 5. f. 30. A & l. 10. f. 51. L. M.

ibid. fol. 52. A.

Arnob. l. 6. adv. Gent. p. 242.

Cypr. de Idol. vanit. init. op. p. 241.

Orig. contr. Celſ. l. 8. p. 395.

vt ea

vt ea in adverſarium conijceret, quæ mox eſſent in ſe recaſura. 4. Sed neque capio, qua fronte Tertullianus Paganicam Deorum ſecundi ordinis apotheoſin ſecurus irriſerit, ſi Divi & Divorum cultus apud ſuos eſſent, qui qualeſque nunc ſunt apud Latinos. *Apud vos* (inquit Paganos appellans) *de humano arbitratu divinitas penſitatur. Niſi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo jam Deo propitius eſſe debebit.* Atqui ne apud Latinos quidem aliter fit. Neque apud hos Divus eſt, niſi qui homini placuerit; niſi cui homo propitius fuerit; niſi forte iſti hominem eſſe Papam negent; de cujus *arbitratu* omnis illa Divorum divinitas penſitatur. Ita nuper de Loyolæ, de Xaverij, de Borromæi divinitate diu in Romano Senatu deliberatum ſcimus. Tandem Papæ placuit Divos fieri. Divi facti ſunt. Ac olim quidem apud Romanos *vetus erat*, eodem auctore Tertulliano *decretum, nequis Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi à Senatu probatus.* Nunc paulo quidem aliter, *ne qui Divus à Senatu* purpurato *conſecretur, niſi ab Imperatore* id eſt Papa *probatus*; ſed eodem tamen res recidit. Imo nunc cum ab vnius ſententia pendeat, melius atque appoſitius de noſtris Latinis dixeris, quam de Romanis ſuis dixit Tertullianus, apud illos Divum *niſi homini placuerit, non futurum Divum.* Neque rem Tertullianeis temporibus, ante conditam Papæ majeſtatem, non ab vnius auctoritate, ſed à plurium conſenſu pependiſſe dixeris. Quicquid fuerit, ſiquid hujuſmodi fuit, tantumdem erit. Quibuſcumque enim hujus tuæ divinitatis arbitrium detuleris, ij profecto non alij eſſe potuerunt, quam homines. Hic ergo Tertulliani in Paganos ſuos jocus, nullos tum apud noſtros fuiſſe *Divos*, nullam de humano arbitratu pendentem *divinitatem*, nullas adeo in Sanctos religiones valide aſtruit. Neque enim is fuit hujus viri naſus, qui ſe ſuoſque, quod ſtultorum eſt, jactis in exteros jocis figeret. Atqui hic ei jocus adeo placuit, vt in eodem opere iterum de Paganis ſic luſerit; *Status Dei cujuſque* (inquit) *in Senatus æſtimatione pendebat. Deus non erat, quem homo conſultus noluiſſet, & nolendo damnaſſet.* 5. Ejuſdem quoque cenſus eſt, quod idem Paganis objectat; *Cum alij* (inquit) *alios Deos colitis, eos quos non colitis, vtique contemnitis. Prælatio alterius contumelia eſſe non poteſt, nec vlla electio non reprobatione componitur*; idque ipſum in Apologetico, vltimæ cenſuræ opere, vt liquet, retinuit. *Cum alij* (inquit) *alios colitis, vtique quos non colitis offenditis. Prælatio alterius ſine alterius contumelia non poteſt procedere. quia nec electio ſine reprobatione.* At notum eſt neque à Latinis omnibus plane eoſdem Divos coli. Et hi quoque alij alios colunt. Suos vulgo ſingula municipia habent, ſingulæque civitates; aliis fere ignotos. Ergone eos, qui non colunt, imò qui ne noſcunt quidem, *contemnunt* vel *offendunt*? Ait quidem Tertullianus; plane aliter ſenſurus, ſi Latinum hac in parte jecur habuiſſet. Ergo non habuiſſe clarum eſt. 6. Hoc quoque Latinorum Divorum commune eſt, quod in Ethnicorum

CAPUT XXIX.

Tertull. Apol. c. 6. B.

ibid.

Idem ibid. c. 13. p. 14. D.

Id. l. 1. ad Nat. c 10. p. 55. A

Id. Ap. c. 13. p. 14. D.

CAPVT XXIX.

corum Diis irridet Arnobius; *De matrimoniis ille conſulitur, hic medelas incommoditatibus præſtat*;& quod ibidem de cultuum & officiorum in diverſos varietate tangit; *Hic atram, ille albam deſiderat pellem*; *huic capite velato, illi ſacrificandum eſt nudo.* Omnibus enim, etiam quod ajunt, lippis & tonſoribus notum eſt varias eſſe Divorum Latinorum curas, diverſaque munera; alios morbis mederi, vt Coſmum & Damianum; alios rebus perditis recuperandis & domino reſtituendis invigilare, vt Antonium Vlyſſiponenſem; hos puerperas curare, vt Margaretam, eique hac in parte nuper ſuccenturiatum D. Lojolam; illos alias res agere. Neque in cultus ratione minor eſt diverſitas. Alios enim pompa & conviviis ac pœne luxu; alios inedia & jejuniis gaudere ferunt. Plærique ſummiſſiſſimis ſupplicationibus, humillimiſque ac verecundis votis capiuntur. Sunt quos juvat minis, & contumeliis, ac pœne conviciis coli; quod de Antonio Paduano Luſitanorum vulgus credit, quem anno ſquallente, pedes fune vinctũ præcipitem in puteos mittunt, nec niſi multoties mergitatum retrahunt; hac contumelia gaudere Divum, multaque ſic eum colentibus annuiſſe; largis ſæpe imbribus aëris ac terræ ſiccitates diluiſſe; amiſſas cœnobij cujuſdam apud Indias claves è puteo extractum de collo ſuo pendentes cunctis mirantibus repræſentaſſe, & alia non pauca ſtupenda feciſſe. Ad hujus cultus rationem illud quoque pertinet, quod devota quædam anus, cum filiolum ſuum domo forte egreſſum deſideraret, dolore incenſa, Ieſum infantem ex Matris Virginis vlnis rapuit, minata ſe cariſſimum pignus Divæ non ante reddituram, quam ipſa ſuum ſibi reddidiſſet; Divam vrbaniſſima contumelia, vt apparuit, delectatam anus filium paucis inde diebus domum reduxiſſe, ſalvumque matri atque incolumem reddidiſſe. Quis ergo crediderit Arnobium hanc officiorum & cultuum diverſitatẽ in Paganis, ſi eadem apud ſuos quoque erat, denotaturum ac irriſurum fuiſſe? 7. Denique neq; hoc mihi ſatis cum Latina Divorum *dulia* congruere videtur, quod Origenes Paganicæ ſuperſtitionis auctores *eorum, qui ipſis adhæſerant, animam* ſcribit, *plurium Deorum honorem prætexentes, ab vnius, & ſolius manifeſti & veri Dei cultu diſcidiſſe.* χίζοντας τὴν τῶν προσεχόντων αὐτοῖς ψυχὴν προφάσει τιμῆς πλειόνων θεῶν, ἀπὸ τοῦ ἑνὸς καὶ μόνου ἐναργοῦς καὶ ἀληθινοῦ θεοῦ. Atqui & plurium quoque Divorum religioſus honos ab vnius Dei cultu homines abducit. Non ergo hoc Paganis Origenes ſi Divos plures coleret, obiiceret. Obiicit, vt apparet. Non ergo plures Divos coluit.

Arnob. adv. Gent. l. 3. p. 157.

ibid.

La Boulaye en ſon voyage. Part. 2. ch. 25.

Id. ibid.

Orig. contr. Celſ. l. p. 239. init.

CAPVT

Caput XXX.

Argumentum XXIX. à diverſo Latinorum, & antiquiſſimorum Chriſtianorum de Sanctis ſermone ductum; quos illi quidem Divos vulgo, ac ſæpiſſime, hi vero nunquam vocant 2 quod illi quidem Mariam Virginem vel Angelorum, vel terræ cælique Reginam paſſim, hi vero nunquam appellant. 3. quod Superum aut Cælitum opem, ſuffragia, patrocinia poſcere, promereri, cælitibus vota facere gratiaſque agere & phraſes ſint Latinis quidem familiares, veteribus autem ignotæ.

SED præter res ipſas, quas hactenus obſervavimus, etiam Latinorum ſolennis vulgariſq; de Sanctis ſermo, aliud eos, quam vetuſtiſſimos Chriſtianos hac in parte ſentire, ſatis, ſuperque oſtendit. Primo enim ipſum *Divorum* nomen, quod Sanctis hominibus illi quidem paſſim, hi vero nuſquam tribuere noſcuntur, honoris quo vtrique Sanctos dignos putant, diverſitatem arguit. Ac Latinos quidem Divorum, Divarumque nomen in hoc negotio ſæpiſſime vſurpare, publici eorum libri apertiſſime reſtantur, maxime ſiqui ſcriptores fuerint eruditi, vt Lipſius, cujus notæ ſunt Divæ Hallenſis & Aſpricollis. Thomam quidem Aquinatem, de recentiſſimis illorum Sanctis vnum, vix aliter quam Divum appellari videmus. De vetuſtiſſimorum vero Chriſtianorum diverſo vſu Bellarminum habemus diſertiſſime confitentem. Negat enim ille ſe has voces *Divus* ac *Diva apud Latinos veteres Patres invenire.* Cur recentes tam à veteribus diverſe loquuntur? Ratio in promptu eſt. Vtrique ſuo ſenſui ac cultui conſentanea loquuntur. *Divorum* nomen Sanctis merito & Latini quos religioſe colunt ſcilicet, tribuunt, & Patres negant, qui cultum eorum religioſum neſciebant. Scio Bellarminum hunc ſuorum vſum non obſcure reprehendere, famoſamque illam Controverſiarum à ſe editarum Recognitionem hinc ordiri, illud primo ſtatim retractantem, quod *Divi* nomen *Paulo* pro Beati elogio in quadam de Verbo Dei diſputatione ſua præſcriptum eſſet. *Ego enim* (inquit) *nunquam probavi vocem* Divus *vel* Diva, *cum de Sanctis agitur, tum quod eam vocem apud Latinos veteres Patres non inveniam, tum quod apud Ethnicos Divi nomen Diis tantum tribui ſoleat*, quod vtrumque ſane vere eſt obſervatum. *Divi* enim nomen apud veteres linguæ Latinæ auctores *Deum* ſignificare & notum eſt, & nuper à Coſtare Francici ſermonis diſerto pariter atque erudito ſcriptore multis exemplis demonſtratum. Sed & veriſimillimum eſt, quod idē acute ac ſolerter monuit *Dei* nomē apud Ethnicos fortaſſe de eo proprie ac vt ille loquitur regulariter vſurpatum fuiſſe, cujus numen æter-

Bell. Recogn. libror. ſuor. initio.

Id. ibid

Coſt. T. 1. Rſes Lett. Letr. 71. p. 171. & ſuyv.

CAPUT XXX.

æternum, initij æque ac finis expers eſſet; Divos dictos eſſe, qui *ex hominibus immortalitatem eſſent meriti.* Hi quidem in Gentilium libris & *Divi, & Dij* nullo diſcrimine audiunt. Summum vero illum, quem perhibebant *Divum atque hominum Regem*, Deum ſemper; Divum, quod equidem meminerim, nunquam vocant. Obſervationem firmant Gloſſæ veteres Latino-Græcæ, in quibus hoc vtrumque legimus. *Divos.* Θείους, ἡμιθέους, id eſt divinos, ſemideos. Sic quoque Onomaſticon vetus. *Divus* θεῖος, id eſt divinus, non autem Θεός, *Deus.* Sed eædem illæ Gloſſæ mox aliter, vbi vſum vt arbitror vulgarem, ac minus accuratum, neque ſatis, quod ait Coſtar, *regularem* exponunt: *Divi.* Θεοὶ id eſt Dij. Gloſſæ Græco-Latinæ conſentiunt. Θεῖος, ὁ ἐκ θεοῦ. *Divus* & paulò poſt. Θεὸς *Deus.* Sed apud Græcos vnum θεοῦ nomen vtrumque Latinum *Deus & Divus*, implet. neque Θεῖος vſpiam aliter, quam adjective pro divino à Græcis ſcriptoribus vſurpatum memini. Huc accedunt & Iſidori quæ dicuntur Gloſſæ. *Divus. Imperator qui poſt mortem, Dei nomen accepit.* Plane ad Coſtaris mentem, ex his apparet, quid de Bellarmini recognitione ſit ſentiendum. Equidem virum laudarem, ſi rem ipſam vna cum nomine retractaret, hoc eſt ſi Paulo & cæteris Sanctis vt *Divorum* nomen, ita & cultum religioſum negandum eſſe recognoſceret. Nunc *Divorum* iis nomen refugere ac vereri tribuere, quibus religioſos duliæ atque hyperduliæ cultus decernis, atque vindicas, & ipſe profuſiſſime defers, ea vero ſtulta eſt ac præpoſtera religio. At (inquis) ne ipſi quidem Ethnici *Divi* nomen aliis, quam *Dijs* tribuendum putarunt. Quibus rogo de, *Dijs*? An iis tantum, qui ſummi eſſent, & æterni, & omnis principij expertes? At illi, quod nuper demonſtravimus, vnum hujus ordinis Deum, æque ac tu Bellarmine, non plures eſſe confitebantur. Sed annon iidem *Divos* nulla invidia aut religione vocabant, quos tametſi non ejuſdem cum ſummo ordinis ac naturæ, religioſe tamen colendos putabant, Deoſque adeo hactenus cenſebant? vt *Imperatorem, qui poſt mortem*, quod ait Iſidorus, *Dei nomen accepiſſet?* vt cæteros, *qui*, quod ait tuus Coſtar, *ex hominibus eſſent immortalitatem, divinoſque honores conſecuti?* Atqui his potiſſimum, imo ſolis *Divorum* nomen deferebant. Cum ergo tu religioſos *duliæ* & *hyperduliæ* cultus Sanctis, cum preces, aras, templa, thura, & cætera ejuſdem cenſus cum tuis omnibus tribuas, & ſiqui aliter ſentiant, eos acerrime, veluti hæreſeos non ferendæ reos confutes atque exagites; quæ nunc tibi quæſo, religio eſt, quibus rem ipſam donas, iis rei nomen largiri? Certe ſi propius & rem & nomen excutimus, reperiemus nullum aliud eſſe vocabulum, quo *Sanctos*, de quibus ita ſentis potius à te ornari fas ſit. *Divorum* enim ex ipſo Ethnicorum dogmate atque vſu, nomen erat, non ſummi Dei, ſed eorum proprie, vt oſtendimus, qui ex mortalibus immortales facti, non jam humanos, ſed humanis majores, id eſt religioſos honores, cultuſ-

CAPVT XXX.

cultuſque meriti exiſtimabantur. Iam hunc eſſe Sanctorum apud vos ſtatum, hanc ſortem, dignitatem atque naturam; & ſciunt omnes, & tu ſcriptis ea de re libris pervicaciſſime, diſputaſti. Divorum ergo nomenclaturam, quin eorum propria ſit, negare non potes. Ac Ethnici quidem eos qui à vero Deo plane erant alieni auguſtiſſimo hoc *Divorum* nomine per ſummum mentis errorem, ac præter omnem rationem donabant; adeoque graviſſime peccabant. Vos, qui veri Dei amicis hos religionis honores deberi contenditis, *Divorum* nomen Sanctis (ſi verum eſt veſtrum dogma) tribuere jus faſque eſt. Nomina enim iis rebus perſoniſque, quarum proprie ſunt, tribuere, adeo nulla injuria eſt, vt aliter inſtituere, liquido injuria ſit. Sed & ipſum Deorum nomen latius pro *Divis* acceptum, quod Ethnici ſuis *Divis* ſtulte ac impie tribuebant, quos ſcilicet neque Sanctos, neque ſummi Dei amicos fuiſſe conſtat, id Latini quin iis, quos religioſe colunt, *Sanctis* deferre poſſent, (ſi verum eſſet eorum de iſtis dogma) nulla ſane dubitandi ratio occurit. Itaque hoc ipſum Deorum elogium Sanctis, non pauci Latinorum detulerunt; vt Paulus Iovius qui eos *Deos tutelares*, Bembus, & Lipſius, qui Mariam Virginē *Deam* vocant. Cæteros mitto; quos referre longum eſt. Neque id nunc agitur. Satis eſt, quod ea his quæ diximus, nunc vt videtur conſtat à Bellarmino perperam atque immerito de hac *Divorum* Sanctis delara nomenclatura ſugillatos fuiſſe ſuos conſecraneos, qui ſcilicet dum ita loquuti ſunt, nihil à communi Romanæ Eccleſiæ de Sanctis ſententia alienum; nihil non cum ea conſentaneum dixerunt. Sed neque obſcurum eſt Bellarmini, qui Sanctis, de quibus paria cum ſuis conſecraneis ſentit, *Divorum* tamen vocabulum tribuere refugit, plane falſam eſſe modeſtiam, ineptamque ac ridiculam ſapientiam. Ille vero & in aliam abſurditatem incidit, cum hunc ſolennem ſuorum vſum nulla ratione devitat. Iubet enim lectorem *vbicumque in ſuis libris Divum reperiet*, pro hoc aliud, *Beatum* ſcilicet reſcribere, ac ita ſtatuere, *vel ſibi Divi nomen imprudenti excidiſſe*, *vel ſe quidem B.* (id eſt Beatum) ſcripſiſſe, *Typographum* vero B. per errorem & incogitantiam in D. permutato, *Divum ex Beato effeciſſe.* Ille vero dum ſic inſtituit, ſermonis apud ſapientiſſimos ſuos Latinos ſolennes leges pulſat ac evertit, & Sanctos injuria non levi afficit. Nam Latini, vt notum eſt, non cujuſvis, ſed infimi ordinis cœlites *Beatorum* nomine proprie intelligunt. Qui vel ſuperioris, vel etiam ſupremi. Deoque proximi ſunt, eos non *Beatos* ſimpliciter, ſed *Divos*, vel certe *Sanctos* dicere ſolent. Cur Bellarminus, dum conſueta apud ſuos vocabula ex cæca quadam animi ſuperſtitione refugit, illos tum prudenter à ſuis conſtituros cœleſtis Reipublicæ gradus, ac ordines, conturbat? Cur confuſionem invenit? Injuriam vero Cœlitibus ea nominum perturbatione gravem fieri nemo non videt. Qui enim ex Romanis legibus *Divus* eſt, vel *Sanctus*, vt Paulus verbi gratia Apoſtolus,

P. Iov. Hiſt. l.24.

Bemb. Epiſt. Leonis X. l. 8. ep.17. 81.

Lipſ. in Virg. Hall. c. 9. Aſpri. c. 3. c.46.

Bell. Recogn. init.

CAPVT XXXI. *ac Cœleſtium opem ſuffragia, patrocinia demereri, poſcere, implorare*, de Sanctis vel ſemel dixerit; qui denique ad orandum invocandumve religionis Chriſtianæ objectum in numero *plurium* ſic, vt iſti ſolent, extulerit. Neminem, vt vt omnes accurate excuſſeris, qui ſic loquatur, reperies Cæcus eſt, qui non videt tanti inter vtrorumque ſermonem diſcriminis hanc vnam eſſe cauſſam, quod qui nunc Latinis ſolennis eſt Divorum; ac Divarum cultus religioſus, is vetuſtiſſimis illis Chriſtianis plane penituſque ignotus fuerit.

CAPVT XXXI.

Argumentum XXX. à diſerta Pauli lege Angelos religioſe coli vetantis, Coloſſ. 2.18. Ineptiſſima Perronij in has Apoſtoli voces θρησκεία ἀγγέλων, gloſſa refellitur. Bellarmini, Baronij, Petavij ſolutiones refutantur.

SED quid ego tamdiu argumentis, veluti res obſcura ſit, ago? Veteres Chriſtiani, quid hac de quæſtione ſenſerunt, & an Divos ſive Angelos, ſive ex hominibus ſanctos, adoraverint, coluerint, invocarint ipſi clare, diſerteque eloquantur. Atque hic primum, vt dignum eſt, prodeat ſententiam dicturus ſanctiſſimus Chriſti Apoſtolus Paulus. Primis enim temporibus ſub annum Domini (putant eruditi) 56. cum impoſtores jam neſcio quid religioſi in Angelos cultus apud Chriſtianos inducere molirentur, eaque peſte Coloſſenſium Eccleſia eſſet afflata, res ad Paulum delata eſt. Certe ſi hæc ejus, ſi cæterorum Apoſtolorum traditio fuit beatos illos Spiritus à nobis invocandos, & religioſo aliquo honore proſequendos eſſe; debuit tali in loco Apoſtolus legitimum inprimis & Eccleſiaſticum Apoſtolorum cultum à nimiis & immodicis honoribus diſtinguere, quos illi quiqui eſſent, novatores inſtituebant, ne totum rei genus ſimpliciter repudiando frumentum (quod eſt in parabola Evangelica) vna cum zizaniis evelleret. Et ſi qua nunc apud Latinos ſecta exoriatur, quæ Angelis nimium tribuat (quanquam equidem vix intelligam, quid illis, qui hæc tanta quæ videmus, Angelis tribuunt, nimium in hoc genere videri poſſit) ſiqua tamen emergat ſecta, quæ id doceat hac de re, quod Latinis diſpliceat; quis eorum Theologos dubitet in hac cauſa ſic verſaturos, vt errorem nulla ejus, quod ipſi verum putant, fraude refellant? atque ita diſputationem temperaturos, vt ſuus Angelis honos ac cultus integer atque illibatus apud homines maneat? Siccine ergo in ſimili cauſa Paulus? Ille vero de Angelorum cultu nihil excepit, nihil diſtinxit; Simpliciter & abſolute *Angelorum culturam* τὴν τῶν ἀγγέλων θρησκείαν damnavit ac repudiavit. *Nemo vos*
Col. 2.18. (inquit) *ſeducat volens in humilitate, & religione*, ſive *cultura Angelorum*

lorum

lorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, Quã interpres dicit, *Angelorum religionem*, cam Paulus θρησκείαν τῶν ἀγγέλων ſcripſit. Θρησκεία autem Græcis *religio* eſt, & cultus, ſive ritus religioſus. Lexicon Græco-Latinum vetus; θρησκεία, *ſuperſtitium, religio, ritus.* Vnde θρησκεύω *colo*, vt idem interpretatur; & θρησκὸς ὁ *religioſus*. Aliud Lexicon Latino græcum; *Religio*, θρησκεία. Suidas; θρησκεία, ἡ λατρεία, θρησκεύειν, θεοσεβεῖν, ὑμνεῖν τοὺς θεούς. Heſychius; θρησκεῖαι, σεβάσματα. Eſt autem σέβασμα, cultus, à σέβω *colo*; vt eſt in iiſdem Græco-Latinis gloſſis. Et Latinus, qui apud Paulum θρησκείαν τῶν ἀγγέλων *religionem Angelorum* interpretatur, idem, quod in libro Sapientiæ ſimiliter dictum occurrit, ἡ τῶν εἰδώλων θρησκεία, vertit *idolorum culturam*. Eſt ergo & Paulo θρησκεία τῶν ἀγγέλων *Angelorum cultura*, σέβασμα, cultus religioſus. Tum autem cultum Paulus *ſeductoribus* tribuit, à vero religionis ſcopo falſa humilitatis ſpecie homines abducentibus, poſitoque pietati præmio fraudantibus. Eundem temeritati deputat, incognita & ſe altiora ex tumore & ſuperbia invadenti. Potuit-ne religioſos Angelorum cultores vel fortius explodere, vel damnare diſertius? Ergo Pauli & vetuſtiſſimæ, quæ Paulum audivit Eccleſiæ non modo nulla traditio fuit, vt Angeli colantur, ſed etiam exſerta traditio fuit, *ne colantur*. Adverſarij, vt hoc telum excutiant, ſeſe mirifice in omnes partes contorquent, neque hilum proficiunt. Vnus ex noviſſimis Petronius, cum ei cæterorum ſtrophæ minus, credo, ſatisfacerent, dignam ſuo cerebro, quo nullum fuit chimærarum feracius, dignam ſuis artibus gloſſam commentus eſt. *Paulus* (inquit) *in hac phraſi* religione Angelorum *genitivum* Angelorum, *non objective, ſed originaliter accipit; ita vt eo vocabulo religionem, non quæ Angelis exhibetur, ſed quæ ab Angelis tradita, acceptaque eſt intelligat; non quæ Angelis defertur, ſed quæ ab Angelis ad homines delata eſt; religionem nempe Iudaïcam, quam ipſe alibi Paulus ſcribit* ordinatam per Angelos in manu Mediatoris, *quã & alio in loco vocat* ſermonem per Angelos dictum. In hac interpretatione Petronius ſibi valde placet; *& hanc ſibi litteralem ac veram Paulinorum verborum expoſitionem videri ait.* Neque mirum. Homini enim ſua ſomnia impenſiſſime amanti hæc ex ſuo vnius cerebro nata Pallas non potuit non bella videri. Narrat *hoc ſe in Scripturarum agro poſt cæterorum omnium meſſem ſpicilegium feciſſe.* Nempe ſi iſti credimus, verum Paulini ejus loci ſenſum neſcivit omnis retro antiquitas; Omnis & Patrum & nepotum chorus ab eo aberraverat. Petronium veritas totos mille & quingentos annos, & quod excurrit, expectavit, qui eam alienis & peregrinis interpretationibus pœne enectam liberaret. Noſter hic heros ſolus, quid vellet Paulus, vidit. Origenes quidem nihil viderat, qui ex Pauli loco non eſſe colendos Angelos, plane vt nos nunc inſtituimus, adverſus Celſum diſputans colligit. Ridicule, ſi Petronium audimus; ex quo hic locus

XXx id dun-

CAPVT XXXI.

Sap. 14. 27.

Du Perr. Repliq. l. 5. c. 6. p. 909.

Gal. 3. 19. Hebr. 2. 2.

Perr. ibid.

ibid.

Orig. contr. Celſ. l. 5. p. 242.

CAPVT XXXI. id duntaxat ſtatuit nobis eſſe à Iudaïcæ ſcilicet religionis interpolatoribus cavendum. Nemo aliorum, etiam Origene recentiorum, Paulum cepit; non Hilarius ille, qui falſo Ambroſij nomine circumfertur; non Chryſoſtomus, non Pelagius ſub Hieronymi nomine latens, non Theodoretus; non Græcorum noviſſimi Theophylactus & Oecumenius. Eſt ſane quod Perronio (ſi hæc quidem vera canit, neque, vt ſolent qui amant, ipſe ſibi ſomnia fingit) eſt inquam, quod ei, eſt quod nobis, noſtroque ſæculo tantam fœlicitatem gratulemur. Sed vide quæſo, quo deſierint omnes hujus gloriæ ac triumphi. Nemo, quod ſciam, ne in Latinorum quidem partibus repertus eſt, qui hunc ingenij Perroniani fœtum ſuſceperit. Repertus eſt, & quidem nobilis antiquarius, Dionyſius Petavius, qui tanto labore à purpurato Antiſtite repertum, tanta cum pompa oſtentatum ſpicilegium ipſe pullus ex pulla Ieſuitarum gente ſacerdos plane ac liquido deſpueret. Hunc audi de loco Paulino diſputantem; *Non* (inquit) *aſſentior viro*
Petav. Theolog. Dogm. T. 3. l. 2. c. 9. §. 16 *magno, qui θρησκείαν τῶν ἀγγέλων à Paulo nominari putat, non illam ſacrilegam venerationem Angelorum, ſed religionem Moſaïcam ab illis & eorum interventu ac diſpoſitione traditam.* Et merito quidem Perronium Petavius cum ſua gloſſa rejecit, hominis purpuram hactenus reveritus, vt nomini parceret, errorem refutaret. *Nam ſi* (inquit) *hoc* (quod Perronius ſcilicet ſomniavit) *dicere voluiſſet Paulus, νόμον potius quam θρησκείαν appellaſſet, hoc eſt legem, uti paſsim in epiſtola ad Galatas, & vbicunque adverſus eos diſputat, qui Chriſtianis ritibus Iudaïcas ceremonias admiſcere volebant. Et Act. 7.* Qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum. Atque hæc quidem Petavius, quæ modeſto, & veri amico homini ad refellendam Perronianam gloſſam ſatis eſſe poſſunt. Quæſo enim cur Paulus, ſi *legem* intellexit, *legem* vt ſolet, non dixit? cur ſcriptor ſapientiſſimus, & ab omni ineptia & περιεργίᾳ vt qui maxime alienus inſolentem, & obſcuram, & inuſitatam, neque ſibi vnquam, neque vlli alij vſurpatam nomenclaturam propriæ, perſpicuæ, & apud ſe & apud alios paſſim tritæ hoc loco prætuliſſet? Sed vt vel procaces revincam; quæro inprimis quo auctore, quo teſte nitatur Perronius? Nullum edere poteſt. Fuit enim hactenus in omni hominum genere inauditum hoc ejus gloſſema. Tum exemplum requiro, in quo genitivus, qui à nomine θρησκεία *religio* regatur, *originaliter* (vt loquitur Perronius) ſumptus fuerit? *Idola* ſimili cum θρησκεία regimine conſtruxit ſcriptor Sapientiæ, ἡ τῶν ἀνωνύμων εἰδώλων θρησκεία. *Infandorum idolorum cultura*, ſive *religio*,
Sap. 14. 27. *omnis mali cauſa & initium & finis.* Certe genitivus *idolorum* hoc loco *objective* (vt cum Perronio loquar) non *originaliter* ſumitur; & ſignificat culturam, non quæ eſt ab idolis tradita, ſed quæ idolis defertur. Scripſit & Iacobus; *Siquis non refrænet linguam ſuam, hujus*
Iacob. 1. 26. *vanam eſſe religionem*, τὴν θρησκείαν. Et Paulus dixit *ſua* (id eſt Iudæo-
Act. 26. 5. rum) *religionis θρησκείας certiſſimam fuiſſe Phariſæorum ſectam.* Genitivus

tivus neutro in loco *originaliter* capiendus, ſed *poſſeßive* (vt Grammaticorum ſcholæ loquuntur) id eſt ita, vt eo ſignificetur cujus fuerit religio, à quo culta & obſervata, non autem à quo tradita & inſtituta. Quis enim non videt *hujus viri religionem* Iacobo eam eſſe non quæ ab hoc viro exorta & tradita eſt, ſed quæ ab eo colitur & exercetur? & Paulo itidem *religionem noſtram* id eſt Iudæorum eam eſſe, non quam Iudæi aliis tradiderunt, ſed quam ipſi exercent? cujus non auctores, ſed ſectatores ſunt? Neque plura ſunt in ſcripturis (quod equidem ſciam) hujus phraſeos exempla, in quibus cum *objective* (vt loquitur Perronius) vel certe *poſſeſſive*, nuſquam vero *originaliter* ſumatur genitivus à nomine θρησκεία rectus; ſi Paulina oratio ex eorum ſcriptorum vſu, qui eodem cum ipſo Græciſmi idiomate loquuti ſunt, potius (quod certe decet) quam ex Perronij libidine, interpretanda eſt, confitendum eſt in ea, quam hoc loco dicit, Angelorum religionē, genitivum *Angelorum* non *originaliter* (quod hic abſque vllo exemplo commentus eſt) ſed omnino vel *objective*, vel *poſſeſſive* ſumendum eſſe. *Poſſeßive* autem hic ſumi pro ea religione, quæ Angelis ipſis ineſt, vel pro cultura, quam ij alicui alij deferant, neque poſſe, neque debere certum & confeſſum eſt. Ergo relinquitur, vt *objective* vel fingente Perronio, accipiatur pro ea ſcilicet religione, ſive cultura, quæ Angelis ab aliis defertur & exhibetur. 3. Sed & hoc à Perronio, & quidem jure poſtulo vt mihi vel ſacri, vel Eccleſiaſtici, vel etiam profani ſcriptoris exemplum proferat, qui *religionem*, ſive *cultum*, aut *culturam Angelorum* ſimpliciter, vt hic, Paulus dixerit, ad ſignificandam Iudaïcam legem, ſive diſciplinam. Non enim ſiquid nobis haud abſurde dici aliquo ſenſu poſſe videatur, ſtatim conſequens eſt, vt id apud Scripturam ita dictum eſſe ſtatuamus. Exigendi ſunt & verborum ſingulorum, & phraſeon integrarum ſenſus ad communem ſcribentium vſum; qui vnus optimus eſt & certiſſimus vt loquendi, ita & interpretandi canon. Iam vero diſciplinam illam veterem, & *Dei* & *Moſis* & *Iudæorum legem* dici apud omnes auctores in omni hominum ſermone video; qui eandem vt ſignificaret, *Angelorum* vel *religionem*, vel *culturam* dixerit, reperio neminem, Hebræum, Græcum, Latinum Iudæum, Chriſtianum, Paganum, ſcriptorem. Perronius vnus ex omni generis humani memoria inventus eſt, qui v[illegible]n Paulum vno hoc in loco præter cæterorum omnem mortalium, ſuamque etiam ipſius conſuetudinem locutum eſſe perſuaſurum ſe nobis nullo exemplo, nulla ratione, ſola cauſæ ſuæ deſperatione coactus putavit. Quam enim ipſe edit rationem, illa profecto nulla eſt. Cur vetus illa diſciplina & *Dei*, & *Moſis*, & *Iudæorum* lex ab omnibus dicatur, ratio eſt in promptu. Nam & *Dei*, qui eius auctor eſt, & *Moſis*, cujus velut mediatoris & internuntij manu ac miniſterio tradita eſt, & *Iudæorum*, quibus tradita eſt, & à quibus ſuſcepta, legem dici conſentaneum eſt. Vt vero

CAPVT XXXI.

CAPVT XXXI. eadem *Angelorum religio* nuncupetur, qui ejus neque auctores, neque apud Iſraëlem internuntij fuerunt, neque vero eam ſervandam colendamque ſuſceperunt; id omnino eſt à vero & æquo alienum. Paulus ait eam διαταγεῖσαν δι' ἀγγέλων, *diſpoſitam* ſive *ordinatam eſſe per Angelos*, id eſt diſpoſito & inſtructo ab Angelis illo Sinai (vt ſic dicam) theatro, in quo edita eſt, latam ac promulgatam a Deo. Ait idem *ſermonem*, quo Lex continetur, per Angelos δι' ἀγγέλων dictum eſſe; ſonos ſignificans in voces articulatas, quas Deus elocutus eſt, Angelorum miniſterio effictos & efformatos coaluiſſe; Legem ab Angelis traditam aut latam non dicit; nemo ab iis quidem pronuntiatam dicit, ſed *per eos*, id eſt fictis formatiſque eorum opera vocibus *dictam*, à Deo ſcilicet. Omnis Scriptura Deum, vnum legis auctorem prædicat; legem ab eo datam, atque traditam, & partim etiã ipſius ore apud Iſraëlem promulgatam atque pronuntiatam narrat. Itaque bene ac merito, certoque & ſapienti conſilio factum eſt, quod eam omnes *Dei, Moſis, & Iudæorum* legem dixerunt; non *Angelorum*; quorum *religio* ob præſtitum in vocibus, quibus ea continetur, in aëre efformandis miniſterium, non magis dici aut poteſt, aut debet, quam eadem *Roberti Stephani*, aut *Bombergi*, aut *Plantini religio* ideo vocatur, aut vocari poteſt, quod eam nobiliſſimi illi artifices elegantiſſimis typis Hebraïcis ſumma induſtria excuſam ediderunt; vel Odyſſea & Ilias Henrici *Stephani poeſis* dici, quod is ſcilicet eximium illud Homeri vtrumque opus egregiis & ipſe nitidiſſimiſque characteribus Græce deſcriptum publicaverit. Sed etiamſi (quod abſurdiſſimum eſt, & abſque vllo probati ſcriptoris exemplo *Angelorum religio* dici lex Iudaïca ob operam in ea promulganda ab Angelis præſtitam poſſet; ne ſic quidem Perronius id, quod cupit, obtinebit. Nam cum in legis tantum moralis promulgatione aliquod Angelorum miniſterium interveniſſe conſtet, ei ſoli ex commento Perroniano, hæc *Angelicæ religionis* nomenclatura conveniet; Legi autem cærimoniali non conveniet, in qua danda nullum fuiſſe vel eſſe potuiſſe legimus Angelorum miniſterium. Atqui de hac ipſa, non autem de morali, diſputare ac loqui hic Paulum vult Perronius, hæc verba in eos dicta intelligens qui cærimonias Moſaïcas in Chriſtianiſmum invehebant. Cum in hanc ergo Moſaïcæ diſciplinæ partem *Angelicæ religionis* nomenclatura nequaquam cadat; clarum eſt eam apud Apoſtolum pro lege Iudaïca accipi non poſſe. Sed fac poſtremo non repugnare ipſam verborum vim, atque rationem, quominus tota lex Moſaïca, & vnaquæque ejus pars *Angelorum religio*, vel *cultura* dici poſſit; multa tamen ſunt apud Apoſtolum, quæ obſtant quo minus eo ſenſu illæ voces hic accipiantur. Illud primo, quod Coloſſenſibus ſuis Paulus à Iudaïzantium fraude jam abunde proximis duobus ſuperioribus verſiculis caverat; *Nemo ergo* (inquit) *vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomenia, aut ſabbatorum; quæ ſunt:*

Margin notes: Gal. 3. 19. — Hebr. 2. 2. — Col. 2. 16. 17.

CAPVT XXXI.

ſunt umbra futurorum; corpus autem Chriſti, Quid attinebat luculentiſſime his verbis exploſas legis cærimonias ſequenti verſiculo denuo confodere, fideleſque jam admonitos ſtatim iterum admonere, nequis eos ſeducat in lege Moſaïca? Battologia ineptiſſima vitari non aliter poteſt, niſi hujus verſiculi argumentum aliud à præcedentium argumento eſſe ſtatuatur. Erit autem plane idem, vt liquet, ſi ex gloſſa Perroniana, *religionem Angelorum* pro lege Maſaïca accepimus. Quo & illud accedit, quod iſtos *Angelicæ religionis* introductores denotat Paulus *ambulare in ijs, quæ non viderunt*, id eſt ea ingredi, quæ non norunt, & audere de incognitis garrire; quod in Angelorum quidem religioſos optime quadrat, quibus ſolenne eſt de eorum natura, ordinibus, atque muneribus multo ad libitum incomperta philoſophari; quæ neque in ipſa rerum natura, neque in Dei revelatione vnquam *viderunt*; in Moſaïcæ vero legi addictos, qui dici poſſit non capio; quorum omnis illa, vt liquet, diſciplina, & in ſacris voluminibus fuſe accurateque explicata, & omnibus, qui noſcere vellent, obvia erat atque expoſita. Cætera mitto, quæ dici poſſent. Hæc ipſa vereor ne ſint plus ſatis; cum Perronianum commentum nullo auctore, nulla ratione, nullo exemplo, nullo denique vel colore commendetur, & ab ipſis (vt oſtendimus) Ieſuitis deſeratur. Aliorum vero adverſariorum ſolutiones quam ſint futiles, vel ipſa earum diverſitas monſtrat. Tot enim fere ſunt, quot apud eos capita. Bellarminus vult hic ab Apoſtolo damnari hæreſin Simonis Magi, quem ait *Platonicos ſecutum docuiſſe quoſdam Angelos adorandos, quaſi minores Deos, qui & mundum fabricaſſent, & per Prophetas locuti eſſent; nec poſſe vllum placare ſummum Deum, niſi per hos Angelos.* Baronius dicit, *locum eſſe haud facilem captu, ſed perdifficilem quidem, qui & abſque exacta peritia rerum geſtarum illorum temporum ſuperari non poſſit*; Refert ex Hieronymo, *Paulum ſugillare voluiſſe eos, qui erant ex circumciſione colentes aſtra cœli ſimul & Angelos*; Quærit quænam eſſet in Chriſtianiſmo hæreſis hujus criminis rea. Negat fuiſſe Simonianam (quod tamen volebat Bellarminus) Addit Cherinthianam * potius videri poſſe, mox tamen & hanc videtur hinc dimittere, nuſquam invenire ſe affirmans quod *Cherinthus Angelos ſuaſerit adorandos* †. Mox ſtili mucronem in Theodoretum ſtringit, cumque ex vno errore in alium graviorem impegiſſe dicit; ipſe quid verum ſit, non docet; ſed poſtquam ita ſatis fluctuavit, ſuum tamen illud mordicus tenet, *Angelos venerari non hæreticorum, ſed Catholicæ Eccleſiæ morem fuiſſe; hanc Michaëlis præſertim, quem patronum novit, & protectorem, ob inſignia ejus ope accepta merita, memorias erigere, illumque precari, ſic* * *& cæteros, vt apud Deum intercederent conſueviſſe.* Perronius præter illam ſuam, quam confutavimus, gloſſam duas alias expoſitiones affert, quas neque ipſe reprobat. Prior vt ille quidem ait, eſt Hieronymi Angelos, quorum cultum damnat

Bell. de Beat. Sanct. l. 1. c. 20. §. Ad tertium.

Bar. a. D. 60. §. 15.

Id. ibid. § 17.

* *id. ibid. § 18.*

† *id. ibid. § 20.*

* leg. forte *ſicut*

Perron. Repl p. 908. 909.

CAPVT XXXI. Paulus, de malis Angelis accipit; quod eſt abſurdiſſimum; quia nunquam *Angelos* ita vt hoc loco, ſimpliciter & abſolute nominat Paulus, niſi vbi vel omnes in genere, cujuſcumque ordinis ſint, in natura bonis maliſque communi præciſe conſideratos, vel certe bonos καθ' ἐξοχὴν intelligit; Poſterior Theodoreti ex eodem Perronio, Angelos bonos quidem intelligit, verum perperam, non vt Chriſti miniſtros, ſed vt religionis Iudaïcæ protectores à Iudæis cultos. Petavius denique multa & ipſe inania effutiens, huc tandem devenit, vt ab Apoſtolo *damnari putet philoſophos & eorum aſſeclas hæreticos infamem & ſuperſtitioſum cultum Angelis deſerentes*; quem ille in hoc, vt videtur, ſitum fuiſſe vult, quod Angelos vel Deos, vel mediatores vnicos aut primarios eſſe dicerent, quod vtrumque procul eſſe ait à ſuæ Eccleſiæ decretis. Hanc enim Angelos non aliter colere, niſi quod eorum primo *præſidium & patrocinium precibus & votis ambit; quod nihil* (inquit) *eſt aliud, quam eos mediatores ad Deum allegare*; tum *quod ſecundo oratoria & baſilicas in illorum honorem excitat, ac feſtos dies & hilares eorum dicat cultui.* Sed & Theodoretum peſſime, vt diximus, à Baronio acceptum hic conſolatur & purgat. Hæc illi, quæ nihil neceſſe eſt omnia ſigillatim conſiderare, vel ſuapte imbecillitate titubantia, vel jam ab ipſis eorum, qui illa proferunt, ſociis confutata. Hoc vnum omnium commune eſt, quod locum Apoſtoli, qui objiciebatur, in medio relinquentes hiſtorias de vetuſtiſſimorum hæreticorum deliriis, & quidem plæraſque parum ſinceras, ſuaviter nobis narrant; quaſi vero id nunc agatur. Legem tibi Apoſtoli & Apoſtolicæ Eccleſiæ diſertam & claram recito, *Angelorum* θρησκείαν, id eſt *religionem & culturam* ſimpliciſſime ac ſeveriſſime vetantem. Tu mihi neſcio quas de Simone & Cherintho & Iudæis & philoſophis fabulas vel fingis ipſe, vel certe interpolas. Quid hoc ad rem? Fuerint iſti quos nominas omnes, in ea ipſa, quam tu iis tribuis, ſententia. Fatebor eos, quod tu vis, in hanc Pauli legem incurriſſe. Sed quod illi incurrerint, id te nihil juvat; qui ne eorum quidem damnatione deterritus es, quominus in eandem legem incurreris; planeque ita facere ac inſtituere videris, ac ſiquis violatæ ejus legis poſtulatus, qua adulterium prohibetur, cauſſaretur illa lege *infame* adulterium vetari, quo viro ſua eripitur vxor, & alii ejus thoro palam atque aperte in alienum abducitur; non vetari ſimpliciter omnem cum altera vxore luſum, dum ea in viri ædibus ac poteſtate relinquatur, & adultero ita morigeretur; vt à viro tamen nequaquam divertat; vel vt exemplum rei noſtræ propius afferam, proinde facis ac ſi Iſraëlitæ violatæ legis divinæ eo olim nomine accuſati, quod *ſerpenti æneo incenſum adolerent*, vel quod vitulis à Ieroboamo in Bethele poſitis ſacra facerent, ad crimen purgandum reſpondiſſent, illa Dei lege vetari quidem *infamem ac ſuperſtitioſum* ſimulacrorum cultum, qui à Paganis ſic exercebatur, vt ea *pro Dijs, vel* certe *pro vnicis, ac prima-*

Petav. T. 3. Theol. dogm. l. 2. c. 9. §. 13. 14. p. 151.
ibid. §. 14.
ib. §. 15.
ib. §. 11. 12.
4 Reg. (Heb. 2) 18. 4.

rijs mediatoribus haberent; non vetari omnem ſimulacrorum cultum. CAPVT
Tua hic omnino par eſt ratio atque cauſſa. Paulus vetat, *nequis nos ſeducat in Angelorum cultu*. Tu *cultum* vetari confiteris, ſed *infamem & ſuperſtitioſum*; Tu hæreticorum veterum cultum damnari concedis; tuum damnari negas. Atqui inquam, Apoſtolus neque de *infamia*, neq; de *hæreticis* quicquam dicit. Simpliciter vetat nos cuiquam Angelos *religioſe colenti* θρησκεύοντι credere, aut adhærere. *Nemo* (inquit) *vos ſeducat*. Non dicit; *Ne vos Iudæus, ne Simon, ne Cherinthus, ne philoſophus, aut philoſophorum diſcipulus*; ſed *NEMO vos ſeducat*. Ergo quis ſit iſte, qui ſeducit, nihil neque mea, neque Apoſtoli intereſt. Quæcumque viro ſit origo, domus, ſecta, ætas, ars, vita, vitetur (inquit) & caveatur, ſi Angelorum religionem, id eſt cultum inducit. Nihil ergo ad rem illæ tuæ tam longe repetitæ de Simone, & aliis, ſive hiſtoriæ, ſive fabulæ. Quæritur, quid fieri nolit Apoſtolus; non quis, quod ille vetat, fecerit. Iam quin tua iſta traditio, quam nunc impugnamus, *Angelorũ θρησκεία, cultum religioſum* conſtituat ac commendet, nemo dubitat; & tu ipſe vltro hic quoque fateris, dum eos precibus, votis, oratoriis, baſilicis, feſtiſque à tuis coli narras, quos *Eccleſiam* de more vocas. Quid enim quæſo θρησκεία eſt, ſi hoc non eſt? & Angelos ita colere quid aliud eſt, quam eos θρησκεύειν? Ergo quin tu in Apoſtolum, Angelorum θρησκείαν prohibentem, plane liquidoque incurras, nullæ te hiſtoriæ, nullæ *infamis* ab honeſto, *ſuperſtitioſi* à religioſo diſtinctiones purgare, aut expedire poſſunt. Sed te nunc quidem mittamus. Eccleſiam vero Apoſtolicam plane aliud hac de re ſenſiſſe, quam te, ex Paulo liquet. Cedo enim mihi tuorum aliquem, qui à quo vos Angelos colere cœpiſtis, veſtros ita docuerit, ac monuerit; *Nemo vos ſeducat in humilitate*; *Nemo vobis hoc nomine perſuadeat, ut Angelos religioſe colatis*? Siquis apud vos ita loqui audeat, nonne is ab omnibus hæreticus, & paternæ traditionis deſertor haberetur? Paulum vero ita hic loqui videmus ac legimus. Ergo neceſſario confitendum eſt non fuiſſe vel ab eo vel ab ejus ævi Eccleſia traditum religioſum Angelorum cultum; imo & à Paulo & ab illa Eccleſia traditum fuiſſe planum eſt, ne Angeli religioſe colantur.

XXXI.

CAPVT XXX. ſtolus, cum *Beatum* ſimpliciter dicere, id nihil aliud eſt, quam ipſum aliqua, & quidem (ſi Latinis credimus) non contemnenda honoris quo dignus eſt, parte fraudare. Vt ſi quem tu, qui in tua civitate *Ducis* dignitate ac nomine gaudet. non *Ducem*, ſed *Baronem*, aut *Marchionem* dixeris; nemo dubitabit, quin ei hac nominis commutatione injuriam feceris. Itaque vix capere poſſum, quid Bellarmino, viro Sanctorum ſuorum religioſiſſimo, in mentem venerit, vt eos omnes ad infimam illam *Beatorum* claſſem promiſcue ablegandos putaret, dum *Divorum* iis nomen negat. Neque vero eum juvat, quod ſe cum vetuſtiſſimis Patribus loqui cauſſatur. Horum enim ſi ſermonem laudat, ſententiam vna cum ſermone retinere debuerat. At primæ antiquitatis aliam de his fuiſſe, quam Bellarmini eſt, ſententiam, & alia quæ jam attulimus, ſatis multa, & hoc ipſum, quod nunc tractamus, apertiſſime oſtendunt. Illi enim Sanctos, ſi religioſe, quod nunc faciunt Latini, coluiſſent, Divos profecto æque ac nunc Latini, ipſi quoque interdum appellaſſent, quod vnquam ab illis factum negat ipſe etiam Bellarminus. Me ſane, qui vna cum antiquiſſimis Chriſtianis, Sanctos ſic coli non aliter poſſe defendo, quin aliqua in eos divinitas, magna ſummi Numinis injuria transſcribatur; me inquam ita ſentientem, *Divorum* (quod inde ſequitur) nomen iis quoq; vna cum vetuſtiſſimis fidelibus, negare, idque vocabulum veluti profanum ac impium, Ethnicæque ſuperſtitionis & inſaniæ plenum, refugere atque averſari decet; Et hunc ſane meum eſſe de iſtis ſenſum vere & ex animo profiteor. Si quando vero in hac diſputatione *Divorum Divarum*que nomina vſurpavi (& vſurpavi ſane ſæpiſſime) id me teſtor, non ex mea fide atq; ſententia feciſſe, ſed ex adverſariorum, quibuſcum mihi res eſt, opinione atque ſententia, nequid omitterem quod ad peſſimæ cauſæ invidiam pertineret.

Sed & hoc quoque quod diximus, vetuſtiſſimæ Eccleſiæ à Latina diſcrimen arguunt nomina quædam apud illam quidem ignota, apud hanc vero familiaria. Verbi gratia illa matris Virginis in omni Latinorum ſermone obvia nomina. *Cœli ac terræ Regina*, item *Angelorum Regina*, ne ſemel quidem ab antiquiſſimis ad a. D. 300. ſcriptoribus vſurpata reperies. Latinis quidem ita placent illa elogia, vt his ſanctiſſimam Virginem pœne quam ſuo nomine frequentius ſignificent. Orlandinus, vnus ex Ieſuitici generis diſertiſſimis, de Cocinenſis ſcholæ pueris verba faciens, *Statis* (inquit) *horis atque diebus Litaniarum vſitata carmina cantitabant, aut cœli terræque Reginam ex concepta formula ſalutabant.* Idem de Piratiningenſibus in Braſilia Ieſuitarum alumnis; *Eorum* (inquit) *ea erat vitæ ratio, atque deſcriptio, vt mane miſſis ſcholis, priuſquam accumberent, Cœlitum in æde ſuffragia non ſine cantu veſperi Cœli, Terræque Reginam, miſericordiæ Matrem, præſcriptis è formulis implorarent.* Alibi vero Ignatium ſuum laudibus in cœlum vehens, inter cætera decora hunc ei morem

Orlād. Hiſt. Soc. l. 11. §. 9.

id. ibid. l. 14 §. 119.

fuiſſe

fuiſſe tradit, *vt ſingulos* excuteret corporis ſenſus, in eorum vſu imitandum ſibi Chriſtum Dominum, vel Reginam Cœli proponens. Ioannem idem Nunnium, de Ieſuitiſmi profeſſione deliberantem narrat *ad certum explorandum Dei voluntatem, ad Angelorum confugiſſe Reginam*; & Xaverij, Ignatiani quoque ſodalis, in vltimo naufragij diſcrimine fidem atque conſtantiam deſcribens, *Ad ea* (inquit) *quæ terrent cæteros, impavidus, intrepiduſque cunctos Cæleſtes ex ordine, præcipue Cœli Terræque Reginam, divinas vt averterent & mitigarent iras deprecabatur.* Sic etiam Solerius de duabus à neſcio quo Ieſuita ad liberandam energumenam recitatis orationibus loquens, *Earum* (inquit) *altera ad honorē Reginæ Cœlorū erat inſtituta*; idemq; paulò poſt ſcriptam à ſuo quodam Confeſſore orationem poſt ejus mortem repertam fuiſſe narrat, in qua iſte à *Cœli Regina* petebat, *vt ſibi vires ad martyrium, atque conſtantiam concederet.*

CAPVT XXX.

ibid. l. 16. §. 106. ibid. l. 4. §. 139. ibid. l. 8. §. 108

Sol. Iap. l. 16. c 3. p 417. & c. 4. p 418.

Sed & hæ Latinis ſunt perquam familiares de *Divorum* ſuorum cultu phraſes, *opem Superum demereri, Cœlitum opem implorare, Cœleſtibus gratulari*; & aliæ conſimiles, quibus ſuam vel in Deum & Divos ſimul, vel certe in Divos ſolos ac ſeorſum à Deo conſtitutos religionem ſignificant. Orlandinus de Fabro ſuo; *Sciebat* (inquit) *quantæ eſſent in paupertate Evangelica vires ad opem ſuperum demerendam.* Idem alibi vt ſignificaret plane impium fuiſſe quemdam Centurionem, eum dicit *in Deum ſuperoſque fuiſſe blaſphemum.* Sed & alio in loco G. Berzæum narrat eblanditum eſſe à Magiſtro navis qua in Indias vehebatur, *vt ad Dei opem & Cœlitum implorandam Litanias publice recitari permitteret.* Ejuſdem locum paulò ante edidimus, in quo pueros barbaros, *Cœlitum ſuffragia imploraſſe.* Quo pertinet, quod eodem, ſed alibi, ſe poſuit *Cœlitum patrocinia poſcere.* Item; *Deo ac Cœleſtibus vota facere.* Et Nicolaum Nunnium Ieſuitam tradit Molaccenſibus magna ſiccitate laborantibus ſuaſiſſe, *vt in vnum omnes coacti locum cœlum prece tunderent, Cœlites fatigarēt, miſericordiam extorquerent.* Sic & Fabrum Colonienſibus præcepiſſe teſtatur, vt *tutelares præcipue Cœlites implorare condiſcerent, eos præſertim, quorum corpora Coloniæ ſolum, terramque cohoneſtarent.* His illud quoque addendum, quod poſtquam Ignatium Generalem Societatis Præfectum, Sodalium ſuffragiis conſtitutum fuiſſe narravit, *Pro tam fœlici* (inquit) *rei exitu pie Cœlitibus gratulati ſunt.* Ita enim iſte, neſcio an ſatis Latine, *gratulari* pro εὐχαριστεῖν *gratias agere*, non ſemel vſurpavit. Cætera de *Superorum*, vel *Cœlitum* cultu, invocatione, voluntate, ac in res humanas prouidentia ad hunc modum dicta, quibus omnis Latinorum ſermo ſcatet, mitto. Illud requiro, vt vel vnum hujuſmo ſi aliquid è certis, ſinceriſque vetuſtiſſimorum, qui intra CCC. à Chriſto nato annum vixerunt, Scriptorum libris proferant, vel vnum illius memoriæ auctorem edant, qui vel *Angelorum, Cœlorumque ac Terræ Reginam*, de Virgine, vel *Superum, Cœlitum*, ac-

Orl. Hiſt. l. 3. §. 13 ibid. l. 9. §. 145.

ib. l. 8. §. 101.

ib. l. 15. §. 125.

ib. l. 16. §. 84.

ib. l 4 §. 108.

ibid. c. 3. §. 11.

CAPVT XXXI.

ac Cæleſtium opem ſuffragia, patrocinia demereri, poſcere, implorare, de Sanctis vel ſemel dixerit; qui denique ad orandum invocandumve religionis Chriſtianæ objectum in numero *plurium* ſic, vt iſti ſolent, extulerit. Neminem, vt vt omnes accurate excuſſeris, qui ſic loquatur, reperies Cæcus eſt, qui non videt tanti inter vtrorumque ſermonem diſcriminis hanc vnam eſſe cauſſam, quod qui nunc Latinis ſolennis eſt Divorum; ac Divarum cultus religioſus, is vetuſtiſſimis illis Chriſtianis plane penituſqùe ignotus fuerit.

CAPVT XXXI.

Argumentum XXX. à diſerta Pauli lege Angelos religioſe coli vetantis, Coloſſ. 2.18. Ineptiſſima Perronÿ in has Apoſtoli voces θρησκεία ἀγγέλων, gloſſa refellitur. Bellarmini, Baronÿ, Petavÿ ſolutiones refutantur.

SED quid ego tamdiu argumentis, veluti res obſcura ſit, ago? Veteres Chriſtiani, quid hac de quæſtione ſenſerunt, & an Divos ſive Angelos, ſive ex hominibus ſanctos, adoraverint, coluerint, invocarint ipſi clare, diſerteque eloquantur. Atque hic primum, vt dignum eſt, prodeat ſententiam dicturus ſanctiſſimus Chriſti Apoſtolus Paulus. Primis enim temporibus ſub annum Domini (putant eruditi) 56. cum impoſtores jam neſcio quid religioſi in Angelos cultus apud Chriſtianos inducere molirentur, eaque peſte Coloſſenſium Eccleſia eſſet afflata, res ad Paulum delata eſt. Certe ſi hæc ejus ſi cæterorum Apoſtolorum traditio fuit beatos illos Spiritus à nobis invocandos, & religioſo aliquo honore proſequendos eſſe; debuit tali in loco Apoſtolus legitimum inprimis & Eccleſiaſticum Apoſtolorum cultum à nimiis & immodicis honoribus diſtinguere, quos illi quiqui eſſent, novatores inſtituebant, ne totum rei genus ſimpliciter repudiando frumentum (quod eſt in parabola Evangelica) vna cum zizaniis evelleret. Et ſi qua nunc apud Latinos ſecta exoriatur, quæ Angelis nimium tribuat (quanquam equidem vix intelligam, quid illis, qui hæc tanta quæ videmus, Angelis tribuunt, nimium in hoc genere videri poſſit) ſiqua tamen emergat ſecta, quæ id doceat hac de re, quod Latinis diſpliceat; quis eorum Theologos dubitet in hac cauſa ſic verſaturos, vt errorem nulla ejus, quod ipſi verum putant, fraude refellant? atque ita diſputationem temperaturos, vt ſuus Angelis honos ac cultus integer atque illibatus apud homines maneat? Siccine ergo in ſimili cauſa Paulus? Ille vero de Angelorum cultu nihil excepit, nihil diſtinxit; Simpliciter & abſolute *Angelorum culturam* τὴν τῶν ἀγγέλων θρησκείαν damnavit ac repudiavit. *Nemo vos*
Col. 2.18. (inquit) *ſeducat volens in humilitate, & religione, ſive cultura Angelorum*

lorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, Quã interpretes dicit, *Angelorum religionem*, eam Paulus θρησκείαν τῶν ἀγγέλων ſcripſit. Θρησκεία autem Græcis *religio* eſt, & cultus, ſive ritus religioſus. Lexicon Græco-Latinum vetus; θρήσκεια, *ſuperſtitium, religio, ritus.* Vnde θρησκεύω *colo*, vt idem interpretatur; & θρησκὸς ὁ *religioſus*. Aliud Lexicon Latino græcum; *Religio*, θρησκεία. Suidas; θρησκεία· ἡ λατρεία, θρησκεύειν, θεοσεβεῖν, ὑμνεῖν, ὅταν τοὺς θεούς. Heſychius; θρησκείας, σέβασμα. Eſt autem σέβασμα, cultus, à σέβω *colo*; vt eſt in iiſdem Græco-Latinis gloſſis. Et Latinus, qui apud Paulum θρησκείαν τῶν ἀγγέλων *religionem Angelorum* interpretatur, idem, quod in libro Sapientiæ ſimiliter dictum occurrit, ἡ τῶν εἰδώλων θρησκεία, vertit *idolorum culturam*. Eſt ergo & Paulo θρησκεία τῶν ἀγγέλων *Angelorum cultura*, σέβασμα, cultus religioſus. Tum autem cultum Paulus *ſeductoribus* tribuit, à vero religionis ſcopo falſa humilitatis ſpecie homines abducentibus, poſitoque pietati præmio fraudantibus. Eundem temeritati deputat, incognita & ſe altiora ex tumore & ſuperbia invadenti. Potuit-ne religioſos Angelorum cultores vel fortius exploders, vel damnare diſertius? Ergo Pauli & vetuſtiſſimæ, quæ Paulum audivit Eccleſiæ non modo nulla traditio fuit, vt Angeli colantur, ſed etiam exſerta traditio fuit, *ne colantur.* Adverſarij, vt hoc telum excutiant, ſeſe mirifice in omnes partes contorquent, neque hilum proficiunt. Vnus ex noviſſimis Perronius, cum ei cæterorum ſtrophæ minus, credo, ſatisfacerent, dignam ſuo cerebro, quo nullum fuit chimærarum feracius, dignam ſuis artibus gloſſam commentus eſt. *Paulus* (inquit) *in hac phraſi* religione Angelorum *genitivum* Angelorum, *non objective, ſed originaliter accipit; ita vt eo vocabulo religionem, non quæ Angelis exhibetur, ſed quæ ab Angelis tradita, acceptaque eſt intelligas; non quæ Angelis defertur, ſed quæ ab Angelis ad homines delata eſt; religionem nempe Iudaicam, quam ipſe alibi Paulus ſcribit* ordinatam per Angelos in manu Mediatoris, *quã & alio in loco vocat* ſermonem per Angelos dictum. In hac interpretatione Perronius ſibi valde placet; *& hanc ſibi literalem ac veram Paulinorum verborum expoſitionem videri ait.* Neque mirum. Homini enim ſua ſomnia impenſiſſime amanti hæc ex ſuo vnius cerebro nata Pallas non potuit non bella videri. Narrat *hoc ſe in Scripturarum agro poſt cæterorum omnium meſſem ſpicilegium feciſſe.* Nempe ſi iſti credimus, verum Paulini ejus loci ſenſum neſcivit omnis retro antiquitas; Omnis & Patrum & nepotum chorus ab eo aberraverat. Perronium veritas totos mille & quingentos annos, & quod excurrit, expectavit, qui eam alienis & peregrinis interpretationibus pœne enectam liberaret. Noſter hic heros ſolus, quid vellet Paulus, vidit. Origenes quidem nihil viderat, qui ex Pauli loco non eſſe colendos Angelos, plane vt nos nunc inſtituimus, adverſus Celſum diſputans colligit. Ridicule, ſi Perronium audimus; ex quo hic locus

CAPVT XXXI.

Sap 14.27.

Du Perr. Rep. l. 5. c. 6. p. 909.

Gal. 3.19.
Hebr. 2.2.

Perr. ibid.

ibi l.

Orig. contr. Celſ. l. 5. p. 242.

CAPVT XXXI.

id duntaxat ſtatuit nobis eſſe à Iudaïcæ ſcilicet religionis interpolatoribus cavendum. Nemo aliorum, etiam Origene recentiorum, Paulum cepit; non Hilarius ille, qui falſo Ambroſij nomine circumfertur; non Chryſoſtomus, non Pelagius ſub Hieronymi nomine latens, non Theodoretus; non Græcorum noviſſimi Theophylactus & Oecumenius. Eſt ſane quod Perronio (ſi hæc quidem vera canit, neque, vt ſolent qui amant, ipſe ſibi ſomnia fingit) eſt inquam, quod ei, eſt quod nobis, noſtroque ſæculo tantam fœlicitatem gratulemur. Sed vide quæſo, quo deſierint omnes hujus gloriæ ac triumphi. Nemo, quod ſciam, ne in Latinorum quidem partibus repertus eſt, qui hunc ingenij Petroniani fœtum ſuſceperit. Repertus eſt, & quidem nobilis antiquarius, Dionyſius Petavius, qui tanto labore à purpurato Antiſtite repertum, tanta cum pompa oſtentatum ſpicilegium ipſe pullus ex pulla Ieſuitarum gente ſacerdos plane ac liquido deſpuerit. Hunc audi de loco Paulino diſputantem; *Non* (inquit) *aſſentior viro magno, qui* θρησκείαν τῶν ἀγγέλων *à Paulo nominari putat, non illam ſacrilegam venerationem Angelorum, ſed religionem Moſaïcam ab illis & eorum interventu ac diſpoſitione traditam.* Et merito quidem Perronium Petavius cum ſua gloſſa rejecit, hominis purpuram hactenus reveritus, vt nomini parceret, errorem refutaret. *Nam ſi* (inquit) *hoc* (quod Perronius ſcilicet ſomniavit) *dicere voluiſſet Paulus,* νόμον *potius quam* θρησκείαν *appellaſſet, hoc eſt legem, vti paßim in epiſtola ad Galatas, & vbicunque adverſus eos diſputat, qui Chriſtianis ritibus Iudaicas ceremonias admiſcere volebant. Et Act. 7.* Qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum. Atque hæc quidem Petavius, quæ modeſto, & veri amico homini ad refellendam Perronianam gloſſam ſatis eſſe poſſunt. Quæſo enim cur Paulus, ſi *legem* intellexit, *legem* vt ſolet, non dixit? cur ſcriptor ſapientiſſimus, & ab omni ineptia & περιεργίᾳ vt qui maxime alienus inſolentem, & obſcuram, & invſitatam, neque ſibi vnquam, neque vlli alij vſurpatam nomenclaturam propriæ, perſpicuæ, & apud ſe & apud alios paſſim tritæ hoc loco prætuliſſet? Sed vt vel procaces revincam; quæro inprimis quo auctore, quo teſte nitatur Perronius? Nullum edere poteſt. Fuit enim hactenus in omni hominum genere inauditum hoc ejus gloſſema. Tum exemplum requiro, in quo genitivus, qui à nomine θρησκεία *religio* regatur, *originaliter* (vt loquitur Perronius) ſumptus fuerit? *Idola* ſimili cum θρησκεία regimine conſtruxit ſcriptor Sapientiæ, ἡ γὰρ τῶν ἀνωνύμων εἰδώλων θρησκεία. *Infandorum idolorum cultura,* ſive *religio, omnis mali cauſa & initium & finis.* Certe genitivus *idolorum* hoc loco *objective* (vt cum Perronio loquar) non *originaliter* ſumitur; & ſignificat culturam, non quæ eſt ab idolis tradita, ſed quæ idolis defertur. Scripſit & Iacobus; *Si quis non refrenet linguam ſuam, hujus vanam eſſe religionem,* τούτου θρησκείαν. Et Paulus dixit *ſua* (id eſt Iudæorum) *religionis* θρησκείας *certiſſimam fuiſſe Phariſæorum ſectam.* Genitivus.

Petav. Theolog. Dogm. T. 3. l. 2. c. 9. §. 16

Sap. 14. 27.

Iacob. 1. 26.

Act. 26. 5.

tivus neutro in loco *originaliter* capiendus, ſed *poſſeſſive* (vt Grammaticorum ſcholæ loquuntur) id eſt ita, vt eo ſignificetur cujus fuerit religio, à quo culta & obſervata, non autem à quo tradita & inſtituta. Quis enim non videt *hujus viri religionem* Iacobo eam eſſe non quæ ab hoc viro exorta & tradita eſt, ſed quæ ab eo colitur & exercetur? & Paulo itidem *religionem noſtram* id eſt Iudæorum eam eſſe, non quam Iudæi aliis tradiderunt, ſed quam ipſi exercent? cujus non auctores, ſed ſectatores ſunt? Neque plura ſunt in ſcripturis (quod equidem ſciam) hujus phraſeos exempla, in quibus cum *objective* vt loquitur Perronius) vel certe *poſſeſſive*, nuſquam vero *originaliter* ſumatur genitivus à nomine θρησκεία rectus; ſi Paulina oratio ex eorum ſcriptorum vſu, qui eodem cum ipſo Græciſmi idiomate loquuti ſunt, potius (quod certe decet) quam ex Perronij libidine, interpretanda eſt, confitendum eſt in ea, quam hoc loco dicit, Angelorum religione, genitivum *Angelorum* non *originaliter* (quod hic abſque vllo exemplo commentus eſt) ſed omnino vel *objective*, vel *poſſeſſive* ſumendum eſſe. *Poſſeſſive* autem hic ſumi pro ea religione, quæ Angelis ipſis ineſt, vel pro cultura, quam ij alicui alij deferant, neque poſſe, neque debere certum & confeſſum eſt. Ergo relinquitur, vt *objective* vel fingente Perronio, accipiatur pro ea ſcilicet religione, ſive cultura, quæ Angelis ab aliis defertur & exhibetur. 3. Sed & hoc à Perronio, & quidem jure poſtulo vt mihi vel ſacri, vel Eccleſiaſtici, vel etiam profani ſcriptoris exemplum proferat, qui *religionem*, ſive *cultum*, aut *culturam Angelorum* ſimpliciter, vt hic, Paulus dixerit, ad ſignificandam Iudaïcam legem, ſive diſciplinam. Non enim ſiquid nobis haud abſurde dici aliquo ſenſu poſſe videatur, ſtatim conſequens eſt, vt id apud Scripturam ita dictum eſſe ſtatuamus. Exigendi ſunt & verborum ſingulorum, & phraſeon integrarum ſenſus ad communem ſcribentium vſum; qui vnus optimus eſt & certiſſimus vt loquendi, ita & interpretandi canon. Iam vero diſciplinam illam veterem, & *Dei* & *Moſis* & *Iudæorum legem* dici apud omnes auctores in omni hominum ſermone video; qui eandem vt ſignificaret, *Angelorum* vel *religionem*, vel *culturam* dixerit, reperio neminem, Hebræum, Græcum, Latinum, Iudæum, Chriſtianum, Paganum, ſcriptorem. Perronius vnus ex omni generis humani memoria inventus eſt, qui [illegible] Paulum vno hoc in loco præter cæterorum omnem mortalium, ſuamque etiam ipſius conſuetudinem locutum eſſe perſuaſurum ſe nobis nullo exemplo, nulla ratione, ſola cauſæ ſuæ deſperatione coactus putavit. Quam enim ipſe edit rationem, illa profecto nulla eſt. Cur vetus illa diſciplina & *Dei*, & *Moſis*, & *Iudæorum* lex ab omnibus dicatur, ratio eſt in promptu. Nam & *Dei*, qui eius auctor eſt, & *Moſis*, cujus velut mediatoris & internuntij manu ac miniſterio tradita eſt, & *Iudæorum*, quibus tradita eſt, & à quibus ſuſcepta, legem dici conſentaneum eſt. Vt vero

XXx 2 eadem

CAPVT XXXI. eadem *Angelorum religio* nuncupetur, qui ejus neque auctores, neque apud Iſraëlem internuntij fuerunt, neque vero eam ſervandam colendamque ſuſceperunt; id omnino eſt à vero & æquo alienum. Paulus ait eam διαταγεῖσαν δι' ἀγγέλων, *diſpoſitam* ſive *ordinatam eſſe per Angelos*, id eſt diſpoſito & inſtructo ab Angelis illo Sinai (vt ſic dicam) theatro, in quo edita eſt, latam ac promulgatam à Deo. Ait idem *ſermonem*, quo Lex continetur, per Angelos δι' ἀγγέλων dictum eſſe; ſonos ſignificans in voces articulatas, quas Deus elocutus eſt, Angelorum miniſterio effictos & efformatos coaluiſſe; Legem ab Angelis traditam aut latam non dicit; nemo ab iis quidem pronuntiatam dicit, ſed *per eos*, id eſt fictis formatiſque eorum opera vocibus *dictam*, à Deo ſcilicet. Omnis Scriptura Deum, vnum legis auctorem prædicat; legem ab eo datam, atque traditam, & partim etiã ipſius ore apud Iſraëlem promulgatam atque pronuntiatam narrat. Itaque bene ac merito, certoque & ſapienti conſilio factum eſt, quod eam omnes *Dei, Moſis, & Iudæorum* legem dixerunt; non *Angelorum*; quorum *religio* ob præſtitum in vocibus, quibus ea continetur, in aëre efformandis miniſterium, non magis dici aut poteſt, aut debet, quam eadem *Roberti Stephani*, aut *Bombergi*, aut *Plantini religio* ideo vocatur, aut vocari poteſt, quod eam nobiliſſimi illi artifices elegantiſſimis typis Hebraïcis ſumma induſtria excuſam ediderunt; vel Odyſſea & Ilias Henrici *Stephani poeſis* dici, quod is ſcilicet eximium illud Homeri vtrumque opus egregiis & ipſe nitidiſſimiſque characteribus Græce deſcriptum publicaverit. Sed etiamſi (quod abſurdiſſimum eſt, & abſque vllo probati ſcriptoris exemplo *Angelorum religio* dici lex Iudaïca ob operam in ea promulganda ab Angelis præſtitam poſſet; ne ſic quidem Perronius id, quod cupit, obtinebit. Nam cum in legis tantum moralis promulgatione aliquod Angelorum miniſterium interveniſſe conſtet, ei ſoli ex commento Perroniano, hæc *Angelicæ religionis* nomenclatura conveniet; Legi autem cærimoniali non conveniet, in qua danda nullum fuiſſe vel eſſe potuiſſe legimus Angelorum miniſterium. Atqui de hac ipſa, non autem de morali, diſputare ac loqui hic Paulum vult Perronius, hæc verba in eos dicta intelligens qui cærimonias Moſaïcas in Chriſtianiſmum invehebant. Cum in hanc ergo Moſaïcæ diſciplinæ partem *Angelicæ religionis* nomenclatura nequaquam cadat; clarum eſt eam apud Apoſtolum pro lege Iudaïca accipi non poſſe. Sed fac poſtremo non repugnare ipſam verborum vim, atque rationem, quominus tota lex Moſaïca, & vnaquæque ejus pars *Angelorum religio*, vel *cultura* dici poſſit; multa tamen ſunt apud Apoſtolum, quæ obſtant quo minus eo ſenſu illæ voces hic accipiantur. Illud primo, quod Coloſſenſibus ſuis Paulus à Iudaïzantium fraude jam abunde proximis duobus ſuperioribus verſiculis caverat; *Nemo ergo* (inquit) *vos judicet in cibo,*

Col.2.16 17. *aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum; quæ*

ſunt:

Gal.3.19.

Hebr.2.2.

ſunt umbra futurorum; corpus autem Chriſti, Quid attinebat luculentiſſime his verbis exploſas legis cærimonias ſequenti verſiculo denuo confodere, fideleſque jam admonitos ſtatim iterum admonere, nequis eos ſeducat in lege Moſaïca? Battologia ineptiſſima vitari non aliter poteſt, niſi hujus verſiculi argumentum aliud à præcedentium argumento eſſe ſtatuatur. Erit autem plane idem, ut liquet, ſi ex gloſſa Perroniana, *religionem Angelorum* pro lege Moſaïca acceperimus. Quo & illud accedit, quod iſtos *Angelicæ religionis* introductores denotat Paulus *ambulare in ys, quæ non viderunt*, id eſt ea ingredi, quæ non norunt, & audere de incognitis garrire; quod in Angelorum quidem religioſos optime quadrat, quibus ſolenne eſt de eorum natura, ordinibus, atque muneribus multo ad libitum incomperta philoſophari; quæ neque in ipſa rerum natura, neque in Dei revelatione unquam *viderunt*; in Moſaïcæ vero legi addictos, qui dici poſſit non capio; quorum omnis illa, ut liquet, diſciplina, & in ſacris voluminibus fuſe accurateque explicata, & omnibus, qui noſcere vellent, obvia erat atque expoſita. Cætera mitto, quæ dici poſſent. Hæc ipſa vereor ne ſint plus ſatis; cum Perronianum commentum nullo auctore, nulla ratione, nullo exemplo, nullo denique vel colore commendetur, & ab ipſis (ut oſtendimus) Ieſuitis deſeratur. Aliorum vero adverſariorum ſolutiones quam ſint futiles, vel ipſa earum diverſitas monſtrat. Tot enim fere ſunt, quot apud eos capita. Bellarminus vult hic ab Apoſtolo damnari hæreſin Simonis Magi, quem ait *Platonicos ſecutum docuiſſe quoſdam Angelos adorandos, quaſi minores Deos, qui & mundum fabricaſſent, & per Prophetas locuti eſſent; nec poſſe ullum placare ſummum Deum, niſi per hos Angelos.* Baronius dicit, *locum eſſe haud facilem captu, ſed perdifficilem quidem, qui & abſque exacta peritia rerum geſtarum illorum temporum ſuperari non poſſit*; Refert ex Hieronymo, *Paulum ſugillare voluiſſe eos, qui erant ex circumciſione colentes aſtra cœli ſimul & Angelos*; Quærit quænam eſſet in Chriſtianiſmo hæreſis hujus criminis rea. Negat fuiſſe Simonianam (quod tamen volebat Bellarminus) Addit Cherinthianam * potius videri poſſe, mox tamen & hanc videtur hinc dimittere, nuſquam invenire ſe affirmans quod *Cherinthus Angelos ſuaſerit adorandos* †. Mox ſtili mucronem in Theodoretum ſtringit, cumque ex uno errore in alium graviorem impegiſſe dicit; ipſe quid verum ſit, non docet; ſed poſtquam ita ſatis fluctuavit, ſuum tamen illud mordicus tenet, *Angelos venerari non hæreticorum, ſed Catholicæ Eccleſiæ morem fuiſſe; hanc Michaelis præſertim, quem patronum novit, & protectorem, ob inſignia ejus ope accepta merita, memorias erigere, illumque precari, ſic* * *& cæteros, ut apud Deum intercederent conſueviſſe.* Perronius præter illam ſuam, quam confutavimus, gloſſam duas alias expoſitiones affert, quas neque ipſe reprobat. Prior ut ille quidem ait, eſt Hieronymi Angelos, quorum cultum damnat

Bell. de Beat. Sanct. l.1.c. 20. §. Ad tertium.

Bar. a. D. 60. §.15.

Id. ibid. § 17.

* id. ibid. § 18.

† id. ibid. § 20.

* leg. forte ſicut

Perron. Repl p 908. 909.

CAPVT XXXI. Paulus, de malis Angelis accipit; quod eſt abſurdiſſimum; quia nunquam *Angelos* ita vt hoc loco, ſimpliciter & abſolute nominat Paulus, niſi vbi vel omnes in genere, cujuſcumque ordinis ſint, in natura bonis maliſque communi præciſe conſideratos, vel certe bonos κατ' ἐξοχὴν intelligit; Poſterior Theodoreti ex eodem Perronio, Angelos bonos quidem intelligit, verum perperam, non vt Chriſti miniſtros,
Petav. T. 3. Theol. dogm. l. 2. c. 9. §. 13. 14. p. 151. ſed vt religionis Iudaïcæ protectores à Iudæis cultos. Petavius denique multa & ipſe inania effutiens, huc tandem devenit, vt ab Apoſtolo *damnari putet philoſophos & eorum aſſeclas hæreticos infamem &*
ibid. §. 14. *ſuperſtitioſum cultum Angelis deferentes*; quem ille in hoc, vt videtur, ſitum fuiſſe vult, quod Angelos vel Deos, vel mediatores vnicos aut primarios eſſe dicerent, quod vtrumque procul eſſe ait à ſuæ Eccleſiæ decretis. Hanc enim Angelos non aliter colere, niſi quod eorum
ib. §. 15. primo *præſidium & patrocinium precibus & votis ambit; quod nihil* (inquit) *eſt aliud, quam eos mediatores ad Deum allegare*; tum *quod ſe-*
ib. §. 11. 12. *cundo oratoria & baſilicas in illorum honorem excitat, ac feſtos dies & hilares eorum dicat cultui.* Sed & Theodoretum peſſime, vt diximus, à Baronio acceptum hic conſolatur & purgat. Hæc illi, quæ nihil neceſſe eſt omnia ſigillatim conſiderare, vel ſuapte imbecillitate titubantia, vel jam ab ipſis eorum, qui illa proferunt, ſociis confutata. Hoc vnum omnium commune eſt, quod locum Apoſtoli, qui objiciebatur, in medio relinquentes hiſtorias de vetuſtiſſimorum hæreticorum deliriis, & quidem plæraſque parum ſinceras, ſuaviter nobis narrant; quaſi vero id nunc agatur. Legem tibi Apoſtoli & Apoſtolicæ Eccleſiæ diſertam & claram recito, *Angelorum θρησκείαν*, id eſt *religionem & culturam* ſimpliciſſime ac ſeveriſſime vetantem. Tu mihi neſcio quas de Simone & Cherintho & Iudæis & philoſophis fabulas vel fingis ipſe, vel certe interpolas. Quid hoc ad rem? Fuerint iſti quos nominas omnes, in ea ipſa, quam tu ijs tribuis, ſententia. Fatebor eos, quod tu vis, in hanc Pauli legem incurriſſe. Sed quod illi incurrerint, id te nihil juvat; qui ne eorum quidem damnatione deterritus es, quominus in eandem legem incurreris; planeque ita facere ac inſtituere videris, ac ſiquis violatæ ejus legis poſtulatus, qua adulterium prohibetur, cauſſaretur illa lege *infame* adulterium vetari, quo viro ſua eripitur vxor, & ab ejus thoro palam atque aperte in alienum abducitur; non vetari ſimpliciter omnem cum altera vxore luſum, dum ea in viri ædibus ac poteſtate relinquatur, & adultero ita morigeretur; vt à viro tamen nequaquam divertat; vel vt exemplum rei noſtræ propius afferam, proinde facis ac ſi
4 Reg. (Heb. 2) 18. 4. Iſraëlitæ violatæ legis divinæ eo olim nomine accuſati, quod *ſerpenti æneo incenſum adolerent*, vel quod vitulis à Ieroboamo in Betheie poſitis ſacra facerent, ad crimen purgandum reſpondiſſent, illa Dei lege vetari quidem *infamem ac ſuperſtitioſum* ſimulacrorum cultum, qui à Paganis ſic exercebatur, vt ea *pro Dijs, vel* certe *pro vnicis, ac primarys*

rys

rijs mediatoribus haberent; non vetari omnem ſimulacrorum cultum. CAPVT XXXI.
Tua hic omnino par eſt ratio atque cauſſa. Paulus vetat, *nequis nos ſeducat in Angelorum cultu*. Tu *cultum* vetari confiteris, ſed *infamem & ſuperſtitioſum*; Tu hæreticorum veterum cultum damnari concedis; tuum damnari negas. Atqui inquam, Apoſtolus neque de *infamia*, neq; de *hæreticis* quicquam dicit. Simpliciter vetat nos cuiquam Angelos *religioſe colenti* θρησκεύοντι credere, aut adhærere. *Nemo* (inquit) *vos ſeducat*. Non dicit; *Ne vos Iudæus, ne Simon, ne Cherinthus, ne philoſophus, aut philoſophorum diſcipulus*; ſed *NEMO vos ſeducat*. Ergo quis ſit iſte, qui ſeducit, nihil neque mea, neque Apoſtoli intereſt. Quæcumque viro ſit origo, domus, ſecta, ætas, ars, vita, vitetur (inquit) & caveatur, ſi Angelorum religionem, id eſt cultum inducit. Nihil ergo ad rem illæ tuæ tam longe repetitæ de Simone, & aliis, ſive hiſtoriæ, ſive fabulæ. Quæritur, quid fieri nolit Apoſtolus; non quis, quod ille vetat, fecerit. Iam quin tua iſta traditio, quam nunc impugnamus, *Angelorū* θρησκείαν *cultum religioſum* conſtituat ac commendet, nemo dubitat; & tu ipſe vltro hic quoque fateris, dum eos precibus, votis, oratoriis, baſilicis, feſtiſque à tuis coli narras, quos *Eccleſiam* de more vocas. Quid enim quæſo θρησκεία eſt, ſi hoc non eſt? & Angelos ita colere quid aliud eſt, quam eos θρησκεύειν? Ergo quin tu in Apoſtolum, Angelorum θρησκείαν prohibentem, plane liquidoque incurras, nullæ te hiſtoriæ, nullæ *infamus* ab honeſto, *ſuperſtitioſi* à religioſo diſtinctiones purgare, aut expedire poſſunt. Sed te nunc quidem mittamus. Eccleſiam vero Apoſtolicam plane aliud hac de re ſenſiſſe, quam te, ex Paulo liquet. Cedo enim mihi tuorum aliquem, qui à quo vos Angelos colere cœpiſtis, veſtros ita docuerit, ac monuerit; *Nemo vos ſeducat in humilitate*; *Nemo vobis hoc nomine perſuadeat, ut Angelos religioſe colatis*. Siquis apud vos ita loqui audeat, nonne is ab omnibus hæreticus, & paternæ traditionis deſertor haberetur? Paulum vero ita hic loqui videmus ac legimus. Ergo neceſſario confitendum eſt non fuiſſe vel ab eo vel ab ejus ævi Eccleſia traditum religioſum Angelorum cultum; imo & à Paulo & ab illa Eccleſia traditum fuiſſe planum eſt, ne Angeli religioſe colantur.

CAPVT

CAPVT XXXII.

Argumentum XXXI. ab ipſius Angeli prohibitione ſe à Ioanne adorari exſertiſſime vetantis. Apocal. 22. 9. & 19. 10. Futile Bellarmini ad hunc locum dilemma frangitur, & ſtrophæ eliduntur, & de Angeli apud veteres Iudæos adoratis ſomnium refellitur.

Apoc.22.9. Vid. etiam Apoc.19. 10.

QVo & illud pertinet, quod in Apocalypſi non paucis poſt Pauli mortem annis ſcripta ſemel atque iterum legimus, Ioannem ab Angelo, quem adorare ante ejus pedes procidens volebat, inhibitum eſſe ne faceret, *Vide* (inquit) *ne feceris. Conſervus enim tuus ſum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum, qui ſervant verba prophetiæ libri hujus. Deum adora.* Quid ad hæc adverſarij? *Reſpondeo* (inquit Bellarminus) *hunc locum eſſe pro nobis. Nam vel Ioannes putavit eum, qui ſibi apparuerat, eſſe Deum, aut Angelum. Si Deum, merito reprehenſus eſt. Si Angelum & tamen adoravit; cur nos reprehendimur, qui facimus, quod Ioannes fecit? Num melius Ioanne norunt Calviniſtæ, ſint-ne Angeli adorandi!* Sed vide quam ſit inanis iſtius gloriatio. Ioannes putavit eum, qui ſibi apparuerat; eſſe vel Deum, vel Angelum. Si Deum putavit, ergo peccat & reprehenſione dignus eſt, qui adorat eum, qui Deus non eſt, etiam quem Deū, ſed falſo, eſſe putat; quanto magis Bellarminus, qui Angelos & Divos adorat, quos fatetur ipſe. non eſſe Deos? Si Angelum putavit, cum eum quem Angelum eſſe putabat, adorare prohibitus ſit; cur Latini contra Angeli ipſius prohibitionem, quos Angelos eſſe putant, eos nihiloſecius adorant? Num Latini melius Angelo norunt, ſintne Angeli adorandi? Ergo vtrovis modo hunc locum accipiamus, eo apertè evertitur Angelorum adoratio, ſive cultus religioſus. Sed mira hic eſt Bellarmini ſubtilitas, qui ſtatuens Ioannem, quem adorare voluit, eum Angelum, non Deum intellexiſſe, adorationemque ei non vt Deo, ſed vt Angelo exhibere voluiſſe; concedit tamen ab Angelo hoc nomine fuiſſe reprehenſum. Non dicet credo, Angelum fruſtra, immerito, & præter rem ac rationem id reprehendiſſe, quod Ioannes facere volebat. At non rectè is reprehenditur, qui non peccat. Ergo *adorare Angelum*, quod Ioannes facere volebat, peccatum eſt. Quæſo enim quiſquam-ne jure id facere prohibetur, quod eſt ſui officij? At officij Ioannis ex Latinorum hypotheſi, fuit Angelum adorare. Et tamen ne id faceret ab Angelo prohibetur, & quidem ab eo vehementer veluti ab aliquo nefario ſcelere, deterretur; cum gravi & ſevera commonefactione, ὅρα μὴ (inquit) *Vide ne*; præterupta & conciſa oratione, qualis in magna animi perturbatione eſſe ſolet

Bell. de Sanct. beat. l. 1. c. 15. §: Ad quartum.

ſolet; quam Latinus plene quidem, ſed minori cum emphaſi exhibuit, *Vide ne feceris.* Abſit vero, vt putemus ſanctiſſimos illos ſpiritus perturbari ac percelli, & metuere atque indignari cum homines pios ad ea facienda ſe accingere vident, quæ juſta ſunt, quæ decora, quæ Dei legibus, & vere Chriſti traditioni conſentanea. Itaque concluſum eſto adorare Angelum rem eſſe ab officio pij viri alienam, Dei Opt. Maxim. voluntati, ipſiſque Angelorum votis contrariam; beatiſſimoſque illos ſpiritus, quoties Latinos vident ſibi id deferentes, quod Ioannes tunc deferre voluit, contriſtari, averſiſque ab eorum cultu, veluti ab aliquo grande piaculo, & oculis & animis, illud idem quod Ioanni olim dictum eſt, nunc quoque quantum quidem in ſe ſitum eſt, vnicuique ſe colentium clamare, ὅρα μή, *Vide ne feceris.* Quod vero hic addit Bellarminus *Abraham & Loth & alios Ioannis majores, Angelos adoraſſe*; eo in *adorandi* vocabulo pueriliter ludit, quod pro ſummiſſe quidem, ſed tamen humanitus ac vt loquuntur, civiliter ſalutare, vſurpavit, Latinus in iis locis, quibus ſancti viri Angelos, quos hominum ſpecie ſibi apparentes, homines arbitrati, humano Orientis more, corpore in terram vel incurvato, vel etiam abjecto excepiſſe memorantur. Qui Angelum creatum religioſo cultu adoraverit, qui abſenti, nulla certe ſpecie viſibiliter apud ſe apparenti & conſiſtenti, vota preceſque religioſas (quod Latinis ſolenne eſt) detulerit, nullum Bellarminus verum Iſraëlitam è veteri inſtrumento proferre poteſt. Chriſtianos vero veteres non fuiſſe in hac de Iudæis, Ioannis majoribus, ſententia, vt putarent cum Bellarmino Angelos ab iis adoratos religioſe, Origenes ſatis demonſtrat, qui Celſum Iudæos *colere Angelos*, σέβειν ἀγγέλους affirmantem, ait *calumniari Iudæos*; συκοφαντεῖν Ἰουδαίους; Bellarminum adeo idem cum Celſo ſcribentem, pro ſycophanta habiturus. Sed & hanc Celſi calumniam ſic refellit, vt id falſiſſimum eſſe liquido ſtatuat, quod nunc Bellarminus dicere non veretur, *Abrahamum & Lothum adoraſſe Angelos* (nimirum religioſe) *Vbinam enim* (inquit) *invenit in Moſaicis litteris à legislatore tradi cultum Angelorum? dicat iſte* (Celſus) *qui ſe noſſe profitetur Iudæorum & Chriſtianorum omnia.* ποῦ γὰρ τῶν γραμμάτων Μωυσέως εὗρε νομοθέτην παραδιδόντα σέβειν ἀγγέλους; λεγέτω ὁ ἐπαγγελλόμενος εἰδέναι τὰ Χριστιανῶν καὶ Ἰουδαίων. Sed & alibi Celſo eandem calumniam reponenti, & multa alia, & hæc de Angelis proprie reſpondet; *Manifeſtum eſt* (inquit) *quod qui juxta legem viventes creatorem cœli colunt, ij cœlum cum Deo nequaquam colunt. Sed neque Angelos, qui in cœlo ſunt, quiſquam ex Moſaicæ legis cultoribus ADORAT; Et ſicut Solem, Lunam, & ſtellas, ornamenta cœli non adorant; ſimiliter quoque ab adorandis cœlis, & Angelis, qui in cœlo ſunt, abſtinent*, vel *ſibi cavent*; δῆλον δ' ὅτι οἱ κατὰ νόμον βιοῦντες, σέβοντες τὸν ποιητὴν τοῦ οὐρανοῦ, οὐ συσσέβουσι τῷ θεῷ τὸν οὐρανόν. ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐν οὐρανῷ ἀγγέλους οὐδεὶς τῶν φυλαττόντων τὸν Μωυσέως νόμον προσκυνεῖ· ὁμοίως δὲ καὶ τῶν μακαρ-

Orig. contr. Celſ. l. 1. p. 10.

Id. ibid. p. 29.

Id. ibid. l. 5. p. 24…

CAPVT XXXII. κυνεῖν ἥλιον καὶ σελήνην καὶ τοὺς ἀστέρας, τὸν κόσμον τοῦ οὐρανοῦ, ἀνέχονται τοῦ προσκυνεῖν τὸν οὐρανὸν καὶ τοὺς ἐν αὐτῷ ἀγγέλους. Denique hoc ſibi proban-

Id. ibi p. 242. dum imponit, *Quod cœlum & Angelos, qui in cœlo ſunt, adorare, non Iudaiſmus ſit, ſed defectio à Iudaïſmo*, ὅτι τὸ προσκυνεῖν οὐρανὸν καὶ τοὺς ἐν αὐτῷ ἀγγέλους, οὐκ Ἰουδαϊκὸν ἀλλὰ τὸ ὅλον παραβατικόν ἐστι Ἰουδαϊσμοῦ ἐστι. idque mox probat adductis ex Scriptura locis non paucis. Hæc Origenes; ex quibus patet neque à Iudæis cultos religioſe, ſive adoratos, fuiſſe Angelos, neque hoc de iis ſenſiſſe veteres Christianos. Origenem de Iudæis recte ſenſiſſe, ipſi ſatis eo confirmant, quod Angelorum cultum diſerte idololatriam eſſe definiunt, Angelorumque cultores inter idololatras cenſent. R. Moſes Maimonides omnium recutitorum longe doctiſſimus, atque præſtantiſſimus; *Fundamentum* (inquit) *mandati de idololatria eſt, ne quis ſerviat ulli rerum creatarum; NON ANGELO.* לא למלאך *non ſphæræ, non ſtellæ, non uni ex quatuor elementis, aut cuiquam quod ex iis compoſitum eſt.* Ac ne quis verbum עבד *ſervire* de aliquo cultu Dei eximio, non autem de omni religioſo acciperet (Latinorum inſtar, qui *latriam à dulia* in hoc argumento diſtinguunt) occurrit Maimonides, ac ne eos quidem ab idololatria immunes eſſe pronunciat, qui creaturum aliquid, hoc licet inferiori, religioſo tamen honore proſequuntur; *Quamquam autem is* (inquit) *qui ea colit, ſciat illa non eſſe Deum, ac colat creaturam hanc quomodo coluit Enos, coætanei, nihilominus eſt idololatra.* Hæc ille, quæ vt intelligantur, ſciendum eſt ipſum ſtatim initio hujus libri tradere temporibus Enos homines graviſſime erraſſe, & ad ſiderum cultum defeciſſe; *Quandoquidem* (inquiebant) *Deus creavit ſtellas ac ſphæras iſtas ad regendum mundum, eaſque in ſublimi poſuit, & honoris participes fecit, & illis miniſtris utitur; merito profecto laudemus eas, atque extollamus, & honorem ipſis impertiamur. Atque hæc voluntas ipſius Dei benedicti eſt, vt quem ille evexit, & honore affecit, eum nos quoque magnificemus ac veneremur; perinde ac Rex miniſtros ſuos honoratos vult; & hic honor eſt ipſius Regis.* Ita cœpiſſe idololatriam in hominum genere ſtatuit Maimonides; prima hæc ejus fuiſſe rudimenta; non vt ullos præter mundi Creatorem Deos colerent, ſed vt Solem & ſidera veluti totidem honoratiſſimos Dei benedicti miniſtros *magnificarent ac venerarentur*; & honoribus afficerent eorum ſimilibus, quos nunc Latini, paribus vt liquet, de cauſſis, Angelis & Divis ſuis tribuendos exiſtimant; tantamq; fuiſſe vult hic ſcriptor hujus erroris vim, vt Enos unum errantium ipſum quoque fuiſſe velit ואנוש עצמו מן הטועים היה *Etiam ipſe Enos* (inquit) *inter errantes erat.* Nunc ergo *creaturam coleret, eo modo quo coluit Enos* dicit ita *colere*, vt eam non quidem pro Deo habeas, ſed tamen pro eximio Dei miniſtro, eique ita ſupplices; ſi quis verbi gratia ſtellam colat vt ſit

Moſes Ben. Maim. l. de Idolol. c. 2. §. 1.

Id. ibid. c. 1. §. 1.

Id. tract. Teſuba c. 3. §. 13.

מליץ *interpres*, (id eſt παράκλητος *advocata*, & mediatrix) *inter ſe & Dominum mundi*; hunc enim diſerte ipſe alibi inter negatores legis enume-

enumerat vt obſervat ad hunc locum Dionyſius Voſſius; qui & ibidem refert Ioſephum quoque Album Iudæum, in libro *Icarim* ſive fundamentorum, exiſtimare primam idololatriam eorum fuiſſe, qui *Angelos* & ſimiles creaturas, vt ſequeſtres & deprecatores inter ſe & Deum coluiſſent. Ex his conſtat quam non modo vere & ſincere, ſed etiam erudite, & plane Iudæorum mentem Origenes eos à Celſi calumnia vindicaverit; & quam ex altera parte falſo atque inverecunde Bellarminus ſcripſerit à *Ioannis majoribus* Angelos adoratos fuiſſe. Quod vero Ioannes legitur voluiſſe Angelum illum ſibi viſum adorare; non inde magis ſequitur ſolennem hanc fuiſſe apud ejus gentiles conſuetudinem, vt *Angeli adorarentur*, quam ex ſimili Cornelij, pij Centurionis, ad Petrum adorandum procidentis facto ſequitur proſelytorum ejus generis, cujus ille erat, hanc legem fuiſſe, vt Dei miniſtros adorarent. Ioannes videtur & perſonæ ſe alloquentis, & rerum quas loquebatur, invſitata majeſtate attonitus, animoque lætitiam atque admirationem non ſatis capiente perturbatus, ſubito quodam impetu magis, quam certo deliberatoque conſilio abreptus fuiſſe ante Angelum, honoremque ei humano majorem deferre voluiſſe. Neque eſt, quod eas quibus huc impulſus fuit, cogitationes curioſius ſcrûtemur, quas ipſe ſcilicet tacuit. Satis eſt quod non diſſimulat, id ſcire, eum ſcilicet Angelum adorare voluiſſe; ſatis, quod ſe hoc volentem ab Angelo, cum hujus conſilij deteſtatione, ſtatim correptum, & prohibitum fuiſſe adfirmat, his verbis ὅρα μή. *Cave ne feceris*, & quidem adjecta & ratione, & correctione. Ratio eſt; *Conſervus enim tuus ſum*: quæ clariſſime præſcribit neminem à nobis adorandum eſſe, qui ſit idem conſervus noſter; non adeo vllum Angelum, non vllum hominem quantumlibet ſanctum; cum & Angelos & Sanctos omnes cujuslibet viri pij ac fidelis, etiam abjectiſſimi (dummodo fidelis) conſervos eſſe planum ſit. Correctio eſt, qua Angelus docet cujus ſit adoràtio illa ſibi perperam oblata, *Deum* (inquit) *adora*. Vnde & divinum, ſive religioſum fuiſſe eum honorem conſtat, quo Ioannes Angelum colere voluerat, & hujus generis cultum nullius neque hominis, neque Angeli eſſe communem; ſed vnius Dei Optimi Maximi eximium atque proprium. Hæc certa, conſtanſque eſt, & cœlitus ab ipſis Angelis confirmata vetuſtiſſimorum Chriſtianorum traditio, nefas eſſe Angelos ſive θρησκείᾳ, quod ait Paulus, id eſt *religione*, ſive προσκυνήσει *adoratione* (quod dixit Ioannes) colere.

CAPVT XXXII.

Voſſ. in Moſ. de idol. c. 2. §. 1.

Ioſeph. Alb. Icar l. 3. c. 18.

Act 10.

CAPVT XXXIII.

Argumentum XXXII. Quòd Hermas in multis Angelorum apud ſe quas deſcribit, apparitionibus, nuſquam narrat vllum eorum, qui ſibi viſi ſunt, à ſe fuiſſe adoratum. Argumentum XXXIII. ex aliquot Origenis locis diſertiſſime negantis Angelos vel à Iudæis, vel à Chriſtianis fuiſſe adoratos.

AD hujus traditionis normam ſua vetuſtiſſimus ſcriptor Hermas eſſinxit; qui Angelos quos ſibi per viſionem oblatos, ſecumque colloquentes plurimis locis facit, nuſquam tamen adorat. Initio libri ſecundi Angelus cuſtos ei apparet ſub paſtorali habitu, eoque primo non agnitus; mox cum figura ejus mutata intelligeret Hermas eum eſſe cui traditus fuerat, *confuſus ſum* (inquit) *protinuſque metus me ſubijt, & totus mœrore confectus ſum.* Res poſcebat, vt culpam irreverentiæ, qua Angelum exceperat, cultu & adoratione emendaret. Ille vero de adoratione, nihil dixit; Angeli tantum ſermones apud ſe habitos, memorat. Sic quoque libro ſequenti: *Apparuit mihi Angelus, & dixit mihi, Quid intra te cogitas?* Tum exſequitur Angeli ſecum colloquia. Idem ille Paſtor, id eſt Angelus, poſtea *jejunanti & ſedenti in monte quodam, gratiaſque agenti Deo*, conſpiciendum ſe præbet, & aſſidet, & multa de religione præcipit. Sed neque hic adoratum ab Herma legimus; neque in ſimilitudine ſequenti, cum idem iterum per quam familiariter noſtrum de rebus divinis ſubito, vt antea, apparens doceret. Paulo poſt; *Nuncium Domini magnificum & bonum Michaëlem* juxta ingentem *quandam ſalicem, valde præclarum & ſublimem ſtare* videt Hermas, *ſecantem cum falce magna ab illa ſalice ramos.* Ne hic quidem magnificus Michaëlis habitus ad eum adorandum vel Hermam ipſum, vel ex populo, qui ibidem aderat, quemquam excitaſſe dicitur. Sed neque *magnificum* hunc *Nuncium* à ſe tum adoratum ſignificat Hermas, cum poſt paucos dies ipſi apparuiſſet, cumque ſibi ſabano ſuccinctum miniſtrare juſſiſſet. Denique in operis calce cum duo quidam *Paſtores* (Angelos autem dicit) cum inviſiſſent, multaque collocuti diſcederent, neutrum neque in adventu, neque in diſceſſu adoravit; quod quidem ex recenti Latinorum diſciplina intolerandæ ruſticitatis flagitium eſſe nemo negaverit. Sed Hermas ſcilicet ſua, non ad hanc, quæ novitia eſt & multis poſt ejus mortem annis exorta, ſed ad Apoſtolicæ traditionis normam componebat; qua ex cœleſti Angelorum ipſorum lege, in divinas Eccleſiæ tabulas à Ioanne relata, cavebatur, ne quis Angelus, ſed vnus Deus adoraretur. Itaque vetus ille ſcriptor in tam multis, quas fingit, Angelorum apparitionibus, nuſpiam eos, quan-

Herm. l. 2. proœm. T. 5. Bibl. Patr. p. 10. D. E.

Id. ibid. l. 3. ſimil. 2. p. 21. C.

Ibid ſim. 5 p. 22 E.

ibid Sim. 6. p. 25. D.

Vid & ſim. 7. init.

ibid ſim. 8. p. 28. C. 29. D.

ibid p. 30. A.

ibid ſim. 10 p. 44. D. 46. C.

quantalibet claritate fulgentes, à ſe & aliis piis adorari facit; memor Angelicæ ad Ioannem vocis, *Vide ne feceris*. Ex eadem quoque traditione profluxit illa Origenis centum circiter annis Herma recentioris, ratiocinatio, jam alibi à nobis libata, hominem, qui Ioſuæ Hierichunte apparuit, pro Deo agnitum ab illo fuiſſe inde argumentantis, quod adorationem ei detulerit; *Cognovit ergo* (inquit) *Ieſus, non ſolum quod ex Deo eſt* (is qui ei apparet) *ſed quia Deus eſt. Non enim adoraſſet, niſi agnoviſſet Deum.* Clariſſime ſtatuit hanc & noſtram eſſe, & veteris ſub lege Eccleſiæ fuiſſe traditionem, ne quis Angelus, ne quis omnino, niſi qui idem ſit vere Deus, à quoquam fidelium adoretur. Idem ſapit & illud Tertulliani, quod nos quoque ſupra attigimus, *ſervire Angelis inter idololatrias* deputandum eſſe plane, ſimpliciterque affirmantis. Sed nemo hanc in rem diſertior eſt Origene; qui cum in loco nuper à nobis exhibito contra Celſum defendat *Angelos colere*, id eſſe *Iudaiſmum tranſgredi & evertere* ſiquid noſtri à Iudæis hac in parte diſſentiſſent, id ille erat hac data occaſione obſervaturus. Atqui totam hanc cauſam veluti noſtrorum cum Iudæis communem tractat. Non enim ad Chriſtianos minus, quam ad Iudæos pertinet, quod ille hic affert *nihil de Angelorum cultu in Moſis litteris eſſe traditum*. Hinc ſi ſequitur non fuiſſe à Iudæis cultos Angelos; pariter quoque ſequitur neque à Chriſtianis cultos fuiſſe, qui Moſaïcarum litterarum (ſi cæremonialia per Chriſtum abolita exceperis) non minus ſtudioſi obſervatores fuerint, quam Iudæi. Idem quoque alibi ad eandem Celſi contra Iudæos ſycophantiam reſpondens inter cætera Scripturæ teſtimonia, quibus probat Angelorum cultum eſſe à divinis litteris alienum, illum quoque Pauli ad Coloſſenſes nuper à nobis deſcriptum, nobiliſſimum locum affert; abſurde & ridicule vt quivis videt, ſi Iudæorum tantum ſententiam defenderet, apud quos ſcilicet nulla eſt Pauli authoritas. Sed quia Origenes & nos & Iudæos ab hoc Iudæis imputato Angelorum cultu pariter eſſe alienos, eaque in re conſentire ac conſpirare ſciebat, ideo non tantum ex communibus vtrorumque, ſed etiam ex noſtrorum propriis Scripturis hanc cauſam agere non dubitavit. Denique hanc cauſam ſuam liquido facit, cum purgatis Iudæis paulò poſt de ſe & noſtris loquens addit, *ſe ſuoſque æque non adorare Angelos, & Solem & Lunam & aſtra*; ἡμᾶς ὁμοίως μὴ προσκυνοῦντας ἀγγέλους καὶ ἥλιον καὶ σελήνην καὶ ἄστρα, vbi illud ὁμοίως *æque, pariter*, duobus modis accipi poteſt, priori quidem, vt noſtram cum Iudaïca religionem comparet, & ſignificet nos quoque æque ac Iudæos, de quibus dixerat, ab Angelorum & ſiderum cultu abſtinere atque abhorrere; poſteriori vero, vt Angelorum cultum ſiderum cultui hac in parte exæquet, vt tam illum quam hunc à nobis vtrumque æqualiter repudiari affirmet. Vero vis ſenſu capias, perinde eſt, Nam cum & Angelos à Iudæis cultos fuiſſe ipſe Origenes validiſſime negaverit, & ſolem & ſidera con-

CAPVT XXXIII.

Orig. in Ioſ. homil. 6. p. 297.

Tertull. de Præſcr. c. 33. p. 244 B.

Orig. contr. Celſ. l. 5. p. 242.

Id. ibid. l. 1. p. 20.

Id. ibid. l. 5. p. 242.

Id. ib. p. 243.

CAPVT XXXIII. ſtet à noſtris nunquam adorata fuiſſe; apparet hunc ſcriptorem vtrovis modo hæc verba accipiantur, illud quod nos contendimus, diſertiſſime pronunciare Chriſtianos illius ævi nequaquam Angelos adoraſſe. Idem eſt eorum ſenſus, quæ aliquot ante pagellis ſcripſerat;

Id. ibid. l. 5. p. 239. *Hos ſpiritus Angelos ab officio ſuo vocare edocti, invenimus in ſacra Scriptura etiam Deos interdum nominari, propterea quod divini ſunt; ſed non ſic tamen, vt jubeamur miniſtrantes & ferentes nobis quæ Dei ſunt, eos pro Deo colere & adorare.* τούτους δὴ ἀγγέλους ἀπὸ τοῦ ἔργου αὐτῶν μεμαθηκότες καλεῖν, εὑρίσκομεν αὐτούς, διὰ τὸ θείους εἶναι, καὶ θεοὺς ἐν ταῖς ἱεραῖς ποτε ὀνομαζομένους γραφαῖς. ἀλλ᾽ οὐχ ὥστε προστάττεσθαι ἡμῖν τοὺς διακονοῦντας καὶ φέροντας ἡμῖν τὰ τοῦ θεοῦ σέβειν καὶ προσκυνεῖν ἀντὶ τοῦ θεοῦ. Quod enim ait *pro Deo colere*, id non ſignificat Angelos licere colere religioſo aliquo cultu, dummodo non habeamus eos *pro Dijs* (vt fingunt Latini,) ſed ad verba ſuperiora refertur, quibus hanc inter Deum & Angelos antitheſin ſtatuerat, vt Deus quidem eorum, quæ per Angelos accipimus, auctor ſit & Dominus; Angeli vero tantum miniſtri, ac vt ſic dicam *latores*, Dei dona miniſtrantes nobis & ferentes. Vnde conſequens eſt, vt pro iis muneribus Deus religioſe à nobis *colatur & adoretur*; idque jubet Scriptura. Vt vero religioſum cultum atque adorationem etiam Angelis dona illi Dei nobis miniſtrantibus deferamus *pro Deo* (cujus ſcilicet totus eſt religionis cultus) id nuſquam ait Origenes nobis à Scripturis præcipi; quod eſt ſane veriſſimum. Vult ergo non duas eſſe cultus religioſi ſpecies, quarum vna Deo vni, altera etiam Angelis exhibeatur (quod eſt Latinorum commentum huic auctori plane penituſque ignotum) ſed vnum eſſe σέβειν καὶ προσκυνεῖν religionis cultum, totum vni Deo ex aſſe debitum; ita vt ſi Angeli, vel quivis alij præter vnum Deum colantur, eos ἀντὶ θεοῦ *pro*

Id. ibid. l. 8. p. 428. *Deo, ac loco Dei* haberi cenſent, quibus ſcilicet cultus tribuitur, qui Deo ſoli erat exhibendus. Id autem clariſſime confirmat alter ſuperioris geminus locus in vltimo ejuſdem operis libro; vbi de bonis Angelis loquens; *Eos* (inquit) *laudamus, beatoſque illos prædicamus, quibus ea à Deo commiſſa ſunt quæ noſtro generi vtilia ſunt, non tamen honorem Deo debitum iis reddimus. Id enim neque Deus vult, neque illi ipſi quibus hæc talia commiſſa ſunt.* εὐφημοῦμεν αὐτοὺς καὶ μακαρίζομεν ἐγκεχειρισθέντας ὑπὸ τοῦ θεοῦ τὰ χρήσιμα τῷ γένει ἡμῶν. οὐ μὴν τὴν ὀφειλομένην πρὸς τὸν θεὸν τιμὴν τούτοις ἀπονέμομεν. οὔτε γὰρ ὁ θεὸς τοῦτο βούλεται, οὔτ᾽ αὐτοὶ οἱ τοιάδε ἐγκεχειρισμένοι. Honores Deo debitos Angelis negat. At preces religioſas, feſtorum, templorum, imaginum ſacrarum dedicationem, ſuffituum & incenſorum oblationem, corporis proſtrationem & adorationem honores eſſe Deo debitos fatentur & Latini & quicumque eorum de duplici religionis cultu ſententiam probant. Ergo hæc omnia Origenes nefas eſſe putavit Angelis deferre. Quod & ex oppoſito huic Deo debito honori, eo honore, patet quem Angelis legitime à ſe ſuiſque tribui dicit. Hunc enim eo tantum cenſet, quod

Angelos εὐφημοῦσι καὶ μακαρίζουσι, *laudant, & beatos prædicant, beneque* CAPVT XXXIII.
de iis, vt par eſt de creaturis ſanctiſſimis ac fœliciſſimis, & ſentiunt & *loquuntur*. At ſi cum Latinis ſenſiſſet, longe aliter hanc antitheſin inſtituiſſet; dixiſſetque vt ſupra Petavius, *nos eorum quidem præſidium & patrocinium precibus & votis ad eos directis ambire, & oratoria & baſilicas in illorum honorem excitare, ac feſtos dies & hilares eorum dicare cultus; non tamen honorem Deo debitum iis reddere.* Horum nihil dixit Origenes; quæ tamen vt omnes vident, ſi revera fiebant à Chriſtianis illius memoriæ, hic neceſſario dicenda erant; neque tali loco ſine flagitio prætermitti poterant. Illud tantum, quod exhibuimus, dixit; *Angelos quidem laudamus, beatoſque prædicamus*; quod vtrumque ad *humanum* honorem pertinere, non ad religioſum referri neceſſario, & omnes vident, & Celſus cæterique Pagani quibuſcum diſputat, agnoſcebant, qui etiam multos, quos neque Deos, neque Divos eſſe putabant, laudabant tamen & fœlices prædicabant. At iidem, ſi Origenes illa, quo ex Petavio diximus, Angelis conceſſiſſet; ſi preces ei religioſas offerri, ſi templa & baſilicas dicari, ſi feſta eorum cultui conſecrari, ſi eorum præſidium & patrocinium votis ambiri ſcripſiſſet; cæterum *debitum Deo honorem* iis negari adjunxiſſet; riſiſſent haud dubie hominem, veluti rem vnam eandemque ſimul ac ſemel & ajentem & negantem, calidumque ac frigidum eodem ore efflantem. Neque enim aliter hanc ejus orationem intelligere poterant niſi vt Angelis honorem debitum Deo à noſtris & tribui & non tribui diceret; qui ſcilicet alicujus præſidium ac patrocinium precibus ac votis in religione ambire, & ei oratoria ac templa feſtoſque dies ad ejus cultum dicare pro *divino honore* cenſebant, vt ex omnibus eorum litteris ſatis ſuperque notum eſt.

CAPVT

CAPVT XXXIV.

Argumentum XXXIV. ab illuſtri Smyrnenſium fidelium teſtimonio ductum, ſe alium ullum præter Chriſtum, σέβειν *colere diſertiſſime negantium, ſeque Chriſtum quidem* προσκυνεῖν *adorare, Martyras vero* ἀγαπᾶν *diligere, eorumque optare, diſcipulos & conſortes fieri, affirmantium. Pereſij & Bellarmini fraus aperitur, venerationem ex Ruffino huic loco aſſuentium præter Græcorum fidem.*

IAM veteres illi, qui ſe Angelos colere, naturam humanā noſtra præſtantiorem negant, eo ipſo Divos ex hominibus factos ullos ſe colere eadem opera, ut liquet, negant; neque ipſi credo, adverſarij repugnabunt, quin hoc, ſi illud conceſſum fuerit, neceſſario quoque ſit admittendum. Nequid tamen quod dubitaremus, ſupereſſet, illis ſatis non fuit coli à ſe Angelos negare; negarunt etiam diſerte coli à ſe ſanctos Martyras. In eam rem illuſtriſſimus extat, jam à nobis ſupra ſemel atque iterum libatus vetuſtiſſimæ ac ſanctiſſimæ Eccleſiæ Smyrnenſis in Polycarpi Actis locus, nunc accuratius expendendus. Diximus Iudæos his fidelibus per calumniam objeciſſe, quod Polycarpum, glorioſiſſimo martyrio defunctum, ſi ejus corpus haberent in poteſtate, relicto Chriſto eſſent culturi. Hanc perditiſſimorum hominum ſycophantiam Smyrnenſes poſtquam expoſuere, paucis verbis modeſtiſſime ac veriſſime, quod ſua pietate ac manſuetudine dignum erat, ſic refellunt. *Atque hæc* (inquiunt) *illi* (Pagani ſcilicet) *Iudæis ſubmonentibus, obnixeque inſtantibus dixerunt, qui nos obſervabant; cum illum* (Polycarpum) *ex igne derepturi eſſemus; illud fieri non poſſe ignorantes, ut nos vel Chriſtum pro omnium, qui toto mundo ſervantur, ſalute paſſum derelinquamus, vel ullum alium COLAMVS*. Hunc enim, ut qui Dei Filius eſt, adoramus; Martyras vero, ut Domini diſcipulos & imitatores, merito,* vel *ut dignum eſt, DILIGIMVS, propter inexſuperabilem, ſeu invictam eorum in proprium Regem ac magiſtrum benevolentiam; quorum utinam ſocij ac diſcipuli ſimus;* vel (ut vere ſane atque eleganter interpretatus eſt Chriſtophorſonus) *quorum nos cum in pietate diſcipulos, tum conſortes in gloria fore optamus.* Καὶ ταῦτα εἶπον, ὑποβαλλόντων καὶ ἐνισχυσάντων τῶν Ἰουδαίων, οἳ καὶ ἐτήρησαν μελλόντων ἡμῶν ἐκ τοῦ πυρὸς αὐτὸν λαμβάνειν, ἀγνοοῦντες ὅτι οὔτε τὸν Χριστόν ποτε καταλιπεῖν δυνησόμεθα τὸν ὑπὲρ τῆς τοῦ παντὸς κόσμου τῶν σωζομένων σωτηρίας παθόντα, οὔτε ΕΤΕΡΟΝ ΤΙΝΑ ΣΕΒΕΙΝ. τοῦτον μὲν γὰρ υἱὸν ὄντα τοῦ θεοῦ προσκυνοῦμεν. τοὺς δὲ μάρτυρας ὡς μαθητὰς τοῦ κυρίου καὶ μιμητὰς ἀγαπῶμεν ἀξίως ἕνεκα εὐνοίας ἀνυπερβλήτου τῆς εἰς τὸν ἴδιον βασιλέα καὶ διδάσκαλον, ὧν γένοιτο καὶ ἡμᾶς συγκοινωνούς τε καὶ μαθητὰς γενέσθαι. Hæc Ruffinus

Acta Polyc. apud Euſeb. Hiſt. l. 4. c. 15. (Lat. 14) fol. 39. A.

* *Chriſtoph. de ſuo addit,* ut Deum. *impudenter præter Græcorū fidem.*

Aqui-

Aquileienſis, vetus de quinto ſeculo Euſebij interpres ſic eſt ex ſecutus; *ignorantes* (inquit) *miſerrimi, quia neque Chriſtum aliquando poſſumus derelinquere, qui mortem pro totius mundi ſalute ſuſtinuit, neque ALIVM QVEMQVAM COLERE; quoniam verum Deum, & qui ſolus colendus ſit novimus; Martyres vero tanquam diſcipulos Domini diligamus & veneremur, quaſi integre fidem magiſtro ſervantes & Domino, quorum nos quoque in fide & perſeverantia caritas* optamus eſſe participes.* Hæc Ruffinus, quæ conſulto deſcripſi vt ex hoc ſpecimine, in quo licet breviſſimo, tam multa ſunt à fonte diverſa, quivis poſſit intelligere, quid judicij fieri debeat, tum de hujus tum de aliorum ejuſdem ævi interpretationibus. Hinc quidem id quod nos non ſemel movere cogimur, apparet iſtos ſuis recentiores auctoribus interpretes eorum verba ſic reddere, vt ea ad ſui ſæculi ſenſum nonnihil inflectant, ex qua tametſi in ſpeciem levi mutatione maximi interdum errores exiſtunt, atque conſequuntur. Exempli cauſſa quod Smyrnenſes ex ſuæ & ætatis & Eccleſiæ vſu ſimpliciſſime, ac plane Apoſtolice dixerant. *Martyres vero vt diſcipulos Domini & imitatores digne diligimus*, τοὺς δὲ μάρτυρας ὡς μαθητὰς τοῦ Κυρίου καὶ μιμητὰς ἀγαπῶμεν ἀξίως, id Ruffino (cujus temporibus jam aliqua facta erat ad Martyrum cultum progreſſio) dilutius eſſe viſum eſt, neque ſufficere ad eum honorem ſignificandum, quem ſuo ſæculo videbat Martyribus deferri. Itaque hoc animi ſui præjudicio ac ſtudio corruptus, ne Smyrnenſium ſententia à ſua & Chriſtianorum ſui ævi praxi abludere videretur, eos non id ſolum, quod ſcripſerant, dicere facit, *ſe martyres diligere*, ſed & quod non ſcripſerant quidem, ſcriptum tamen ille ab his vellet, *ſe eos venerari*. Quid? (inquis) Tunc martyras venerandos negas? Ego vero quo ſenſu ſuperſtites, quorum eſt virtus & pietas egregia & *venerari*, & *venerandos* dicere ſolemus, eo martyras quoque *venerandos* facile concesſerim; Nolim tamen quemquam vel hoc, vel aliud verbum auctori, quem interpretandum ſumit, de ſuo commodare. Iam ſpecta, quid hanc Ruffini, levem quidem vt videtur, additionem, ſed quam ego tamen à certo conſilio ſtudioque profectam eſſe puto, ſpecta inquam quid eam cõſecutum ſit. Peretius cum in hanc Ruffini interpretationem incidiſſet, hanc voculam ſtatim arripuit, & qui eam ſciret de religioſo cultu ſæpe vſurpari, hinc concluſit duplicem illum cultum, qui Latinis ſolennis eſt, *latriæ* in Deum, & *duliæ* in Sanctos jam tum in Eccleſia vſitatum fuiſſe; Smyrnenſes adeo Polycarpi diſcipulos Martyribus religioſos illos honores atque cultus detuliſſe, qui nunc in ſcholis Latinis *duliæ* nomine ſignificantur, Divisque paſſim exhibentur. Idem quoque Bellarminus fecit, & hunc locum ex Ruffini Euſebio diligenter annotavit in eorum argumentorũ cenſu, quæ nobis pro ſua ſententia obiicit, affirmatque confidenter Euſebium ex epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis referre, quod veteres illi Chriſtiani dicebant *ſe non poſſe*

CAPVT XXXIV.

Euſeb. Lat. Hiſt. l. 4. c. 15. p. 325 B.

* *Vitioſè, leg. caritatis.*

Peret. de Tradit. Part. 3. conſid. 7. p. 181. A.

Bell. de Sãct. Beat. l. 1. c. 11. §. Euſebius

CAPVT XXXIV.

vllo modo Martyras pro Chriſto colere, ſed tamen eos diligere & venerari. Atqui ſe Smyrnenſes ô bone, *venerari martyras*, neque ipſi dicunt; neque id eos dicere vſquam *refert* Euſebius. Ipſi ſe aiunt martyras *ἀγαπᾶν*, *diligere*; neque eos Euſebius aliud dicere *refert*. Tuum illud Bellarmine *venerari*, Ruffini additamentum eſt, qui annis poſt Smyrnenſes ducentis, poſt Euſebium ſexaginta ex bonis iſtorum Græcis ſuas Latinas haud ſane bonas, aut ſinceras *relationes* fecit. Bene eſt quod Euſebij Græca habemus, quibus ſi careremus, conficeret ex Ruffini fide Bellarminus Polycarpi diſcipulos (ſecundo jam Chriſtianiſmi ſæculo martyras eſſe *veneratos*, id eſt (vt ipſe interpretatur) Latinæ duliæ cultu proſequutos; neque de teſtimonio quicquam eſſet, quod hiſceret veritas. Et videmus tamen ex Græcis fallax eſſe & futile omne hoc Bellarmini argumentum, & interpretis, quo nititur, fidem malam, fluxamque eſſe. Quod Smyrnenſibus & Euſebio accidit, vt pravum ſcilicet & infidum interpretem nanciſcerentur, non eſt quod dubitemus id & Origeni contigiſſe. Is enim & in iſtum quoque Ruffinum incidit, quo nihil eſt cur alios meliores aut fideliores fuiſſe putemus. Sed Euſebij quidem Græca, ex quibus Ruffini peccata deprehendamus, ſuperſunt. Origenis vero interciderunt; Illud vnum adeo ſupereſt, vt Euſebiano hoc exemplo docti à Ruffino in Origene, & aliis, ſi quos iſte impuris manibus attrectavit, caveamus, neque fidem illi niſi in iis habeamus, quorum veritas aliunde firmatur. Sed hæc obiter. Nunc quidem fœlicitate noſtra fruamur; ac Smyrnenſium & Euſebij auctoritate illud *venerari* Ruffini fraude in eorum orationem intruſum, & à Bereſio, Bellarmino, & aliis Latinis vel incaute, vel fortaſſe etiam maligne atq; improbe illinc arreptum, hinc faceſſere jubeamus. Veras, ſiniſtraſque veterum voces expendamus, & videamus an eæ Latinæ *dulia* cultum martyribus (quod ſuaviter ſomniabat Bellarminus) aſſerant. *Non poterimus vnquam* (inquiunt Smyrnenſes) præter Chriſtum, *alium quemquam colere*, *ἕτερόν τινα σέβειν.* Siccine etiam tui, Bellarmine, Latini? Atqui illi, quamdiu quidem Latini erunt, non poterunt vel Matrem Virginem, vel Angelos, vel alios cœlites, præſertim vero Martyras *NON COLERE.* Te quidem tuoſque mirarer, ſi poſſetis aliquando vel Divum illum veſtrum nuperum Loyolam, vel etiam hoc recentiorem Divum Xaverium non colere. Hos tamen & quicquid eſt veſtrorum Divorum *ἑτέρους* alios à Domino Chriſto eſſe omnes ſciunt, neque vos negatis. Ergo neque hoc negare poteſtis ab antiqua Polycarpi diſcipulorum religione alienam eſſe hanc veſtram hodiernam. Tridentini decernunt *impie ſentire* eos, qui alium quemquam præter Chriſtum, *invocandum*, adeoque *colendum* negant; Smyrnenſes decernunt Chriſtianos non eſſe, qui alium quemquam præter Chriſtum, *colere poſſunt.* Vtros ſequar? Polycarpi-ne, viri Apoſtolici ſanctiſſimique martyris diſcipulos, an Tridentinos muſteos, ac nuper,

Conc Trid. Seſſ. 25. Decr. de invoc.

pœne

pœne quatuordecim expletis poſt Polycarpum ſæculis, exortos magiſtros, Latini Papæ ſervos? Non eſt opinor, difficilis deliberatio, ſi quis quidem Chriſtum amat, ejuſque crucem inanibus mundi pompis ac fulgoribus præferre valet. Sed pergamus. Smyrnenſes inde egregiam, planeque Apoſtolicam ſui illius decreti rationem addunt; *Nam hunc quidem* (Chriſtum ſcilicet) *vt qui ſit Dei Filius adoramus.* Τοῦτον μὲν γὰρ υἱὸν ὄντα τοῦ Θεοῦ προσκυνοῦμεν. *Martyres vero, vt qui ſint Domini diſcipuli ac imitatores digne diligimus.* Hæc illi; quibus docent, primo idem eſſe σέβειν *colere*, quod προσκυνεῖν *adorare*; qui ſe quemquam à Chriſto alium σέβειν *colere*, vel culturos vnquam ideo negant, quod *hunc vt Dei Filium adorent*; Inepte; ſi *adorare* aliud eſt, quam *colere*. Si enim aliud eſt, etiamſi hunc *adores*, nil vetat, quin cum Latinis alios religioſe *colas*. Sed ſanctiſſimi viri nullum religionis cultum niſi divinum norant; neque coli (religioſe quidem) eum poſſe putabant, niſi qui adoraretur. Tum adorari quemquam vetant, niſi qui Deus ſit. Chriſtum enim docent non alio à ſe nomine *adorari*, quam quod ſit Dei Filius; atq; adeo verus Deus, quo Divos omnes ab hoc cultu apertiſſime excludunt; quorum ſcilicet nemo Dei Filius hoc ſenſu eſt. Nullus ergo (inquis) erit Martyrum honos? Erit, inquam; & quidem eorum ſanctitate dignus. *Martyres vero* (inquiunt illi alumni ac diſcipuli Polycarpi) *vt qui ſint Domini diſcipuli & imitatores digne diligimus.* Hic verus eſt atque legitimus honos Martyrum, vt ab omnibus Chriſtianis veluti eximij atque inſignis communis Domini diſcipuli atque imitatores diligantur. Vides quam diligenter, quam accurate diſcipulos à magiſtro, ſervos à Domino, illorum honorem, ab hujus cultu diſcriminent? vt ſua cuique reddant? Domino quidem Chriſto σέβας & προσκύνησιν *cultum & adorationem*? Martyribus vero, ejus diſcipulis & imitatoribus, *amorem & dilectionem*? Non ex Latinorum diſciplina, fateor, quæ martyrum hic cultum aſſeri poſtulabat, & à Chriſti cultu ſic diſtingui, vt & Chriſtus, & ipſi religioſe vtrique coli dicerentur, ſic tamen vt illi *latria*, his *dulia* tantum deferretur. Sed quid facias? Smyrnenſes apud Polycarpum pietatem didicerant; non apud novitias Latinorum ſcholas, quæ nondum exortæ erant. Neque quod ſequitur, omiſerim, martyras non (quod Latini dicunt) ideo *colendos*, quod noſtri apud Deum intercesſores ac mediatores, vitæ noſtræ præfecti atque gubernatores, ſed *diligendos propter ſummam eorum in Dominum benevolentiam*; vt egregio eorum in Chriſtum amori, noſtram non duliam religioſam, (quæ vni Deo debetur) ſed *dilectionem* ex Polycarpi quidem diſcipulorum judicio rependi fas ſit. Ex Martyrum autem dilectione ſequitur, vt quod hic quoque Smyrnenſes faciunt, eorum & in pietate *diſcipuli*, ſive (vt habent acta à clariſſimo Vſſerio publicata) *condiſcipuli*, & *in gloria conſortes* eſſe optemus. His omnino contineri debitum Martyribus honorē Smyrnenſes definiunt, dile-

dilectione ſcilicet atque imitatione (plane vt nuper Origenes Angelorum honorem in εὐφημισμοῖς & μακαρισμοῖς ſitum eſſe docebat.) σεβασμὸν vero & προσκύνησιν, id eſt *cultum & adorationem* Chriſto vni Dei Filio, vero Deo (quem Martyribus hac in parte opponunt) & deberi & abs ſe exſolvi pronuntiant.

CAPUT XXXV.

Argumentum XXXV. à teſtimonio vetuſtiſſimorum Theologorum alium à ſe præter vnum Deum, invocari negantium; & preces, ſive orationem religioſi ſive divini cultus partem eſſe liquido cenſentium.

HUC poſtremo pertinent ea vetuſtiſſimorum Patrum loca in quibus ſe vel in genere vllum alium præter vnum Deum, vel in ſpecie Angelos precari negant. Quod in primis ex iis ipſis eorum teſtimoniis clare neceſſarioque colligitur, quæ modo deſcripſimus. cum enim illi preces religioſas alicui offerre, id cultus religioſi τοῦ σεβασμοῦ καὶ τῆς προσκυνήσεως partem eſſe, & quidem valde inſignem ſtatuant, omnes intelligunt eos quoties vel aliquid præter vnum Deum adorandum, vel Angelos nominatim colendos negant, toties quoque negare vel Angelis vel vlli omnino rei præterquam vni Deo, offerendas religionis preces. Veteribus autem illis *preces* vt diximus, *religioſas* partem fuiſſe & quidem inſignem, adorationis; primo inde perſpicitur, quod Tertullianus, vt ſupra ſuo loco obſervavimus, *adorare* identidem dicit pro *orare*; manifeſto argumento & ipſum & alios ejuſdem ævi putaſſe *adorari* quicumque à nobis religioſe oratur. Cyprianus eodem quoque modo loquitur; *Hora nulla* (inquit) *à Chriſtianis excipitur, quo minus frequenter ac ſemper Deus debeat adorari, vt qui in Chriſto, hoc eſt in Sole & in die vero ſumus, inſiſtamus per totum diem precibus & oremus.* Orationis nexus oſtendit *adorare* in priori parte id eſſe, quod in poſteriori dicit *orare & precibus inſiſtere.* Origenes certe diſertiſſime pronuntiat *invocare Domini nomen, & adorare Deum, vnum atque idem eſſe.* Habemus quoque ejuſdem rei egregium argumentum apud vetuſtiſſimum Actorum Polycarpi vel interpretem, vel metaphraſtem Latinum, ab Vſſerio* ex Eccleſiæ Sariſburienſis, & Bibliothecæ Colonianæ manuſcriptis libris editum. Hic enim vbi negant Smyrnenſes *Se alium quemquam colere poſſe*, præter Chriſtum ſcilicet ἕτερόν τινα σέβειν, græca Latine ſic expreſſit; *nunquam Chriſtum relinquere poſſumus Chriſtiani, qui pro peccatis noſtris pati tanta dignatus eſt; neque alteri cuiquam PRECEM ORATIONIS IMPENDERE.* Vides, vt pro eo quod Græce eſt, σέβειν *colere*, iſte *precem orationis impendere* dixerit. Sic etiam

Tertull. l. de Orat c. 1. & alibi.

Cyprian. in fine libri de Orat. Dom. p. 240.

Orig in Rom. c. 10. l. 8. p. 587.

**Vſſer Præfat. in Acta Polyc.*

Act. Polyc. in Append. Ignat. Vſſer. p. 27.

etiam paulo ante cum Nicetæ à Iudæis decepti contra Chriſtianos calumniam referret, pro illis Græcis, *μὴ φησιν ἀφέντες τὸν ἐσταυρωμένον, τοῦτον ἄρξωνται σέβεσθαι*, hæc idem Latina habet, *aſſerens quod relictis omnibus huic FVNDENDA eſſet ORATIO ſingulorum*, vbi iterum vides græcum *σέβεσθαι religioſe colere* huic idem eſſe, quod orationem *fundere*. Vnde omnes intelligunt apud veterem Eccleſiam hujus Metaphraſtæ temporibus *orationem cuiquam fundere*, ſive *precem orationis impendere*, cultum fuiſſe divinum; atque adeo quoties vel Origenes, vel alij negant *ſe Angelos aut Martyras σέβειν colere*, & quemquam alium niſi Deum *σέβειν colere*, eos hoc ipſo negare ſe Angelis & Martyribus, & cuipiam niſi vni Deo, *orationem fundere*, ſive *precem orationis impendere*. Sed & hinc illud quoque nominatim clarum atque certum eſt Chriſtianos illos Smyrnenſes, dum negant ſe poſſe præter Chriſtum, *quemquam alium colere*, hoc ipſo negare fieri poſſe, vt alij, ne martyri quidem, vel ipſi etiam Polycarpo preces religioſas fundant, vel impendant. Vnde poſtremo illud evidenter ac neceſſario conficitur preces religioſas, & ea *προσκυνήσει adoratione* contineri, quam mox Chriſto vni ſe deferre affirmant, & ea *dilectione* excludi, quam ſe Martyribus exhibere deinceps docent. Hæc autem omnem Latinorum matæologiam plane penituſque ſubvertunt, qui orationes religioſas & divini cultus proprias eſſe negant, & ejus honoris communis eſſe ſtatuunt, qui alicui debetur, qui idem non ſit Deus; Qui eas Angelis, & Martyribus & Divis cæteris aſſidue deferunt; Qui *latriam*, & *duliam* ſic diſtinguunt, vt quem illa non colunt, ei tamen preces fundant; Omnia contra veteris Eccleſiæ ſcita, ac praxin, quæ nimirum nemini preces impendi exiſtimavit, quin ei *προσκύνησις* & *σεβασμὸς* (id eſt cultus Chriſto debitus) deferatur, quæque dicit *orationem* ſe vni Domino *fundere*, negans poſſe fieri, vt eam vlli alij, etiam Martyri impendat.

CAPVT XXXV.

CAPVT XXXVI.

Argumentum XXXVI. Teſtimonia Irenæi, & Origenis; (& hujus quidem plurima, eaque luculentiſſima) docentium veteres ſui ævi Chriſtianos preces ſuas omnes uni Deo detuliſſe; diſerteque negantium ullas Angelis detuliſſe, vel deferendas eſſe. Perronij una & altera ad Origenem Stropha diſcutitur.

SED nunc illos veteres audiamus diſertis verbis negantes ſe *Angelis*, vel *alij quam Deo precem orationis* (vt loquitur Actorum
Iren.l.2.c.57. Polycarpi metaphraſtes) *impendere*. Locum Irenæi jam ſupra exhibuimus in quo adverſum hæreticorum pravos ritus diſſerens, iiſque Eccleſiæ mores opponens; *Quemadmodum* (inquit) *gratis accepit à Domino, gratis & miniſtrat* (dona ſcilicet ſanationum) *nec invocationi-*
*legendum facit. *bus Angelicis faciat* * *aliquid, nec aliqua prava curioſitate, ſed munde,*
†legendum dirigens. *& pure, & manifeſte orationes dirigentes* † *ad Dominum, qui omnia fecit, & nomen Domini noſtri IeſuChriſti in virtute ſecundum utilitates ho-*
* forte leg. perficit. *minum, ſed non ad ſeductionem omnia perfecit* *. *Invocationes Angelorum* apertiſſime ex Eccleſiæ moribus eiicit. Neque hic Fevardentij nugas moror; hæc de malis Angelis præter manifeſtam auctoris mentem capientis. Nam ſi is, quod vult Fevardentius, ipſe quoque voluiſſet, Angelorum malorum *invocationibus* bonorum *invocationes* oppoſuiſſet; illas ab Eccleſia exulare, has apud eam ſolennes eſſe dixiſſet; vt diceret nunc Latinorum quivis, ſi in pari loco verſaretur. At Irenæus nihil iſtic ſimile vel ſcripſit, vel cogitavit; *Angelicis* illis quas in genere dicit, *invocationibus*, *orationes ad Dominum directas*, & *Ieſu Chriſti nomen* ſolummodo opponit; clariſſime ſignificans Angelos quidem ſive malos, ſive etiam bonos non apud alios invocari, quam apud hæreticos; apud Eccleſiam, non Angelos, ſed vnum Dominum, cum Ieſu Chriſti nomine, *invocari*, & *orationibus*
Orig.l.5.contr.Celſ.init.p.238. compellari. Sed extant Origenis ad eam rem illuſtriſſima ac præclara contra Celſum opere loca, hic deſcribenda. Inprimis cum Celſo noſtros vna cum Iudæis de Angelorum natura interroganti, quærentique *Deoſ-ne, an aliud aliquod genus eos eſſe dicerent; & dæmonas eſſe dicturos veriſimile opinanti.* φασὶ τινας τούτους λέγετε θεοὺς ἢ ἄλλο τι φῦλον;· ἀλλ' ὅτι, ὡς εἰκὸς, τοὺς δαίμονας; cum Celſo inquam, hæc à noſtris ita quærenti ſatisfeciſſet Origenes, & ex Scripturis oſtendiſſet
ibid.p.239. Angelos nobis eſſe Spiritus miniſtratorios, qui à Deo in ſuorum fidelium gratiam mittantur, huc à Deo, & hinc ad Deum vltro citroque commeantes, noſtras quidem ad illum preces, ejus vero ad nos dona
ibid. ac mandata deferentes, tandem hæc iſtis ſubjungit; *Hos* (inquit) *Angelos ab officio ſeu opere ſuo vocare edocti invenimus in ſacra Scriptura*

tura etiam interdum Deos nominari, propterea quod divini ſint; ſed CAPVT XXXV.
non ſic tamen, vt jubeamur miniſtrantes, & ferentes nobis ea quæ Dei ſunt, pro Deo colere & adorare. Tum poſt hæc, quæ ſupra jam attigimus, illa ſane memorabilia continenter ſequuntur; *Omnem enim* *ibid.* 239.
precationem, atque orationem, omnem obſecrationem, ſive *rogationem, & gratiarum actionem Deo ſummo rerum omnium Domino per vivum Verbum, Deumque, Pontificem, qui ſupra omnes Angelos eſt, emittere* ſeu *deferre decet. Ipſum autem etiam Verbum orabimus, & interpellabimus, & gratias ei agemus, preceſque etiam offeremus, ſi modo intelligere poſſimus & propriam & catachreſtice dictam precandi rationem. Angelos enim, à nobis, qui eorum ſcientiam* ſive *notitiam, rem ſcilicet ſupra homines conſtitutam, minime accepimus, invocari, à ratione alienum eſt. Et vt demus eorum notitiam, quæ mirabilis & arcana eſt, comprehendi, hæc ipſa notitia eorum naturam, & quibus,* vel *ad quæ ſinguli præfecti, atque ordinati ſint demonſtrans, prohibebit ne audeamus vllum alium precari, quam Dominum, qui eſt ſupra omnia, quique abunde ad omnia ſufficit, per Servatorem noſtrum Dei Filium, qui Verbum eſt, & Sapientia, & Veritas, & quæcumque alia de eo prædicant Prophetarum Dei, & Apoſtolorum Ieſu literæ.* πᾶσαν μὲν γὰρ δέησιν καὶ προσευχὴν καὶ ἔντευξιν καὶ εὐχαριστίαν ἀναπεμπτέον τῷ ἐπὶ πᾶσι θεῷ διὰ τοῦ ἐπὶ πάντων ἀγγέλων ἀρχιερέως ἐμψύχου λόγου καὶ θεοῦ. δεησόμεθα δὲ καὶ αὐτοῦ τοῦ λόγου, καὶ ἐντευξόμεθα αὐτῷ, καὶ εὐχαριστήσομεν, καὶ προσευξόμεθα δὲ, ἐὰν δυνώμεθα κατακούειν τῆς περὶ προσευχῆς κυριολεξίας καὶ καταχρήσεως. ἀγγέλους γὰρ καλέσαι μὴ ἀναλαβόντας τὴν ὑπὲρ ἀνθρώπους τὴν περὶ αὐτῶν ἐπιστήμην, οὐκ εὔλογον. ἵνα δὲ καὶ καθ' ὑπόθεσιν ἡ περὶ αὐτοὺς ἐπιστήμη, θαυμάσιός τις οὖσα καὶ ἀπόρρητος, καταληφθῇ, αὕτη ἡ ἐπιστήμη, παραστήσασα τὴν φύσιν αὐτῶν, καὶ ἐφ' οἷς εἰσιν ἕκαστοι τεταγμένοι, οὐκ ἐάσει ἄλλῳ θαρρεῖν εὔχεσθαι, ἢ τῷ πρὸς πάντα διαρκεῖ ἐπὶ πᾶσι θεῷ διὰ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν υἱοῦ τοῦ θεοῦ, ὅς ἐστι Λόγος καὶ σοφία καὶ ἀλήθεια, καὶ ὅσα ἄλλα λέγουσι περὶ αὐτοῦ αἱ τῶν προφητῶν τοῦ θεοῦ καὶ τῶν ἀποστόλων τοῦ Ἰησοῦ γραφαί. Hactenus Origenes luculentiſſime, vt ſolet. Primo ipſe hujus orationis cum ſuperiore nexus oſtendit eum preces ſacras in cultu divino, id eſt vni & Soli Deo debito, cenſere. Ejus enim quod dixerat, non licere *Angelos colere & adorare pro Deo*, hanc adfert rationem, *Omnis enim oratio Deo deferenda eſt.* Inepte, vt omnes vident, ſi oratio etiam ei deferri poteſt & debet, qui tamen Deus non eſt. Inde enim conficit divinum, id eſt eum, qui Deo & debetur & exhibetur, cultum Angelis non convenire, quod vni Deo, non autem & Angelis, preces religioſas offerre & emittere liceat. Ergo ſi preces religioſas Angelis offerre fas ſit, eo quoque Angelos σέβειν καὶ προσκυνεῖν ἀντὶ θεοῦ *colere & adorare pro Deo*, id eſt honoribus vere divinis proſequi licet, ex hac Origenis ratiocinatione. Vnde liquet non putaſſe eum cuiquam vel preces religioſas abſque cultu divino, vel cultum divinum abſque precibus deferri poſſe; adeoque exiſtimaſſe cuicumque tu preces religioſas offeras eum te colere & adorare pro Deo; quod omne...

Latino-

CAPVT XXXVI.

Latinorum de *dulia* religioſa philoſophiam, & Divorum ex ea pendentem cultum apertiſſime ſubvertit. Hi enim Divis vota, preces, orationeſque religioſas deferunt, quos tamen à ſe *pro Deo coli & adorari*, negant. Id vero veluti abſurdum & impoſſibile hæc Origenis ratiocinatio refutat atque repudiat. Deinde ſequentia ejuſdem verba per ſe ſeorſum ſpectata omnes orationis religioſæ ſpecies (quæ hic accurate enumerantur) δέησιν, προσευχὴν, ἔντευξιν, εὐχαριστίαν, omnem inquam orationem, in quocumque horum generum ſit, vni ſummo Deo per Chriſtum Filium exſerte addicit; nullam adeo Angelis, vel aliis vllis Divis concedit, quæcumque tandem illa fingi poſſit. Tertio Angelos ipſos nominatim invocari vetat; negans id eſſe εὔλογον *rationi conſentaneum*. Quarto hujus ſui pronunciati rationem affert hanc, quod eorum naturam atque officia, res ſupra captum humanum ſitas, neſciamus; perinde ac Paulus *Angelorum cultorem* refutat, *veluti in ea ingredientem, quæ non vidit*, ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύοντα, id eſt ea temere & curioſe ſatagentem, quæ ſunt ſupra ſe poſita; quod recte ſi reputes, cõmune eſt omnium iſtorũ peccatũ, qui in Angelos & Divos religioſi ſunt. Sed ne quis vanus ex humanæ ſuperſtitionis ingenio obiiceret, vel ſaltem ſuſpicaretur, nos ſi illam Angelorum notitiam haberemus, qua carere nos dixit Origenes, ex ea fortaſſe perſpecturos non eſſe nefas Angelos invocare; ille hoc ipſum occupat; teſtans id à vero vſque adeo procul eſſe, vt Angelicæ naturæ notitia, ſi quis ea præditus eſſe fingatur, hunc ipſa prohibitura ſit ne quem alium præter Deum ſummum per Filium precari audeat, vel ſuſtineat. Ac tametſi hæc ſatis erant, tamen vt omnem invocandorum Angelorum colorem nobis detrahat, hæc quæ ſequuntur ſuperioribus continenter ita ſubnectit; *Ad hoc vero, vt Angeli Dei nobis propitij ſint* (id eſt faventes ac benevoli) *& pro nobis omnia faciant, ſufficit & noſter primo in Deum affectus, noſtraque diſpoſitio, quantum quidem humana natura valet, imitans ipſorum Angelorum Deum imitantium judicium, & ſecundo Filij Dei Verbique pro noſtra virili apprehenſio; Angelorum de eo notitia atque apprehenſioni adeo non adverſans, aut repugnans, vt ad ejus tum perſpicuitatem, tum diſtinctam articulatamque perfectionem quotidie magis magiſque contendat atque feſtinet.* ἀρκεῖ γὰρ πρὸς τὸ ἵλεως ἡμῖν τοὺς ἁγίους ἀγγέλους εἶναι τοῦ θεοῦ, καὶ πάντα πράττειν αὐτοὺς ὑπὲρ ἡμῶν ἡ πρὸς τὸν θεὸν ἡ διάθεσις ἡμῶν; ὅση δύναμις ἀνθρωπίνῃ φύσει, μιμουμένη ἐκείνων αὐτῶν προαίρεσιν μιμουμένων τὸν θεόν. καὶ ἡ πρὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ λόγον, κατὰ τὸ ἐφικτὸν ἡμῖν, διάληψις, οὐκ ἐναντιουμένη τῇ τρανοτέρᾳ περὶ αὐτοῦ διαλήψει τῶν ἁγίων ἀγγέλων, ἀλλ᾽ ἐπὶ ἐκείνην ὁσημέραι τῇ τρανότητι καὶ διαρθρώσει προϊοῦσα. Nimirum Origenes paulò ante, vt diximus, confeſſus erat Angelos è cœlis ad nos, viciſſimque à nobis in cœlos commeantes preces hominum ad Deum deferre, & illinc ad nos reportare quæ ſingulis vſui ſunt, vt quiſque beneficio dignus eſt. Id ergo quod ita docuerat, ne quis (quod Latinos hodie facere videmus) eo raperet, vt Angelos ſaltem

Col. 2. 18.

Orig. vb. ſupr. cõtr. Celſ. l. 8. p. 439.

ſaltem à nobis rogandos colligeret, quo hæc nobis miniſteria alacrius & jucundius, crebriuſque etiam & diligentius precibus noſtris deliniti exhibeant; negat ille iſto quicquam opus eſſe, ſatiſque eſſe docet ad hunc nobis Angelorum favorem conciliandum, officiaque eorum demerenda, vt in Deum, & in ejus Filium pio atque religioſo animo ſimus, Angelos hac in parte, quatenus quidem naturæ infirmitas patitur, ſedulo ſtudioſeque imitantes; hoc eſt ad eorum exemplum, & Deo ex toto animi affectu ſervientes, & omnem mentem atque cogitationem in ejus Filio defigentes. Atque huc etiam pertinent, quæ idem ſcriptor in alio ejuſdem operis libro Celſo reſpondet, totis rum viribus omnibus cõtendenti ſpiritus illos miniſtros, quos ipſe ex ſolenni Platonicorum more dæmones vocat, eſſe à nobis colendos; *Apage (inquit) hoc Celſi conſilium jubentis orari dæmonas, qui ne tantillum quidem audiendus eſt. Soli enim Deo optimo maximo preces offerendæ ſunt; Et vero unigenito Dei Verbo, primogenito creaturæ totius offerendæ, qui vt Pontifex rogandus eſt, vt noſtram, quæ ad eum pervenit, orationem perferat ad Deum ſuum, & Deum noſtrum, Patrem ſuum, & Patrem eorum, qui juxta verbum Dei vivunt.* ἄπαγε δὲ τὴν τοῦ Κέλσου συμβουλὴν, λέγοντος προσευκτέον εἶναι δαίμοσι, καὶ οὐδὲ κατὰ τὸ πόσον ἀκουστέον αὐτῆς. ΜΟΝΩ, γὰρ προσευκτέον τῷ ἐπὶ πᾶσι θεῷ, καὶ προσευκτέον γε τῷ μονογενεῖ καὶ πρωτοτόκῳ πάσης κτίσεως Λόγῳ θεοῦ, καὶ ἀξιωτέον αὐτὸν, ὡς ἀρχιερέα, τὴν ἐπ' αὐτὸν φθάσασαν ἡμῶν εὐχὴν ἀναφέρειν ἐπὶ τὸν θεὸν αὐτοῦ καὶ θεὸν ἡμῶν, καὶ πατέρα αὐτοῦ καὶ πατέρα τῶν βιούντων κατὰ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ. Quid iſtis potuit dici difertius? In eodem libro cum ea, quibus veſcimur, non à dæmonibus (quod perſuadebat Celſus) ſed ab Angelis, qui earum rerum curæ præfecti ſunt, pendere docuiſſet, & cum iis non autem cum dæmonibus, convivari pios rebus hujuſmodi fruentes; exindeque impudens Celſi poſtulatum confutaſſet, eorum, quibus veſcimur, primitias dæmonibus conſecrari volentis ipſe è contrario Deo creatori ac domino vniverſorum eas cum gratiarum actione offerendas conſtituens, hæc inquam exſecutus; *Cui autem* (inquit) *primitias offerimus, ad eundem etiam orationes dirigimus.* ᾧ δὲ τὰς ἀπαρχὰς ἀποδίδομεν, τούτῳ καὶ τὰς εὐχὰς ἀναπέμπομεν. Vt Celſi dæmonibus Angelos Dei, illorum imaginariæ poteſtati horum in res naturæ miniſteria & præfecturas, oppoſuit; ita & Paganorum inſano in dæmonas cultui noſtrorum religioſas ad Angelos preces opponi ex Latino dogmate conſentaneum erat. At Origenes de his quidem nullum verbum fecit; ſed omni Paganorum in dæmonas idolomaniæ non alias Chriſtianorum, quam ad Deum preces & gratiarum actiones more ſuo oppoſuit. Hic vero etiam, vt in loco ſuperiori, ſtatim affirmat Deum orantibus nihil defuturum, quod deſiderari queat, non modo à Deo ipſo quem oramus, ſed etiam ab Angelis, favoris & auxilij; *Quod ſi* (inquit) *multis cupiamus uti humanis & benevolis, diſcimus quod millia millium aſſiſtebant ei (Deo) & myriades myriadum miniſtrabant ei, qui*

CAPUT XXXVI.

Orig. cont. Celſ. l. 8. p. 406.

Id. ibid p. 410 extr.

ibid. p. 411.

ibid.

Id ibid. p. 412.

CAPVT XXXVI. *cum aliquos vident velut cognatos & amicos ſuam in Deum pietatem imitantes, ad eorum ſalutem collaborant, Deum invocantium, & ſincere precantium, aſſiſtentes, neque indignum putantes morem iis gerere, & velut ad vnum vtriſque datum ſignum, advenire & adeſſe ad beneficium & ſalutem hominum eundem illum DEVM precantium, quem ipſi orant.* ἔτι δὲ καὶ τὸ πλῆθος ποθούμενον ὡς φιλ ἀνθρώπων τυγχάνειν. θέλομεν. μανθάνομεν ὅτι χίλιαι χιλιάδες παρειστήκεισαν αὐτῷ, καὶ μύριαι μυριάδες ἐλειτούργουν αὐτῷ. οὗτοι δὲ συγγενεῖς καὶ φίλους ὁρῶντες τοὺς μιμουμένους τὴν εἰς θεὸν αὐτῶν εὐσέβειαν ὁρῶντες, συμπράττουσιν αὐτῶν τῇ σωτηρίᾳ τῶν ἐπικαλουμένων τὸν θεὸν καὶ γνησίως εὐχομένων. ἐπιφαινόμενοι, καὶ οἰόμενοι αὐτοῖς δεῖν ὑπακούειν, καὶ ὥσπερ ἐξ ἑνὸς συνθήματος ἐπιδημεῖν ἐπ' εὐεργεσίᾳ καὶ σωτηρίᾳ τῶν εὐχομένων θεῷ. ᾧ καὶ αὐτοὶ εὔχονται. Hic & auxilia & preces vides; Angelorum & preces & auxilia; piorum vero preces; ſed vtrorumque preces hic, vt vbique alibi, ad Deum, & piorum & Angelorum Dominum. Perronius vt Origenis & hæc & alia loca conſimilia ſolvat, ad ſolennem illam ſuam orationis abſolutæ & relativæ diſtinctionem confugit; *Cum ille* (inquit) *in hoc contra Celſum opere negat licere alium niſi vnum Deum, orare & colere, Angeloſque ex eorum numero excludit, qua orari & coli fas eſt, eam orationem, atque adorationem intelligit, quam Celſus & cæteri Pagani Dijs ſuis (quos ex Platonis ſtilo Angelos vocabant) deferendam & exhibendam contendebant; id eſt ſummam & abſolutam latria orationem & adorationem, quæ ſacrificij oblationi adjungebatur; non autem orationem & adorationem relativam & ſubalternam, qua Angelos precamur, vt Deo orationes noſtras offerant.* Sed vanum eſt hoc Perronij effugium. Primo enim reſpondeo hanc exceptionem reſpuere ipſa Origenis verba, non *orationem* ſimpliciter, ſed *OMNEM* diſerte *orationem & ſupplicationem & gratiarum actionem Deo per Chriſtum offerendam* eſſe dicentis; qua enuntiatione nulla generalior & abſolutior dici poteſt. Itaque ſi illa *relativa* Perronij *oratio & adoratio* religioſa eſt (vt eſt ſane) neceſſario illa oratione continetur, quam Origenes OMNEM Deo deferendam eſſe pronuntiat; ſummæque eſt inverecundiæ quod ille de *OMNI* dicit, id eum de *ALIQVA* tantum intellexiſſe fingere. Neque minus abſolutus eſt ille alter ejuſdem ſermo, *SOLI Deo & Verbo preces offerendas eſſe.* Preces vt liquet, intelligit religionis noſtræ. Quæ ergo hujus generis ſunt, eæ nulli niſi Deo offerendæ; non adeo Angelis. Illis vero quid planius? *Angelos enim vocare,* οὐκ ἔστιν εὔλογον, *non eſt rationi conſentaneum.* Angelos vocat, qui eos orat; quocumque modo oret, etiam relative; Ergo & hoc ipſum εὔλογον eſſe negat. Tum huic etiam gloſſæ repugnat ratio, qua nititur Origenes. Negat enim vocandos à nobis Angelos, quod quæ ſit eorum natura cognoſcere res ſit ſupra hominum captum. At hæc ratio tam relativam, quam abſolutam orationem excludit; neque illam magis quam hanc admittit. Sed quæ ſequitur apud Origenem prolepſis, Perronij figmentum evertit.

Du Perr. Repl. l. 5 c. 13 p. 849. & p. 903.

evertit. Ille enim id occupans, quod quis forte erat objecturus, nobis opus eſſe Angelis benevolis & faventibus; ideo orandos colendoſque non immerito videri; negat ad hoc vt propitij ſint, neceſſe eſſe eos orare & colere; ait ſufficere ad hoc ſatis eſſe noſtram in Deum *διάθεσιν*, *diſpoſitionem.* Ergo & *relativa* Angelorum invocatio ipſa quoque ſupervacanea eſt; quæ non alia de cauſa Angelis eſſe deferenda dicitur, quam vt eos propitios & benevolentes habeamus. Idque etiam ex iis quæ mox afferentur, patebit; vbi hoc ipſum quod hic ait, illuſtrans ſcribit, vt *moto corpore vmbra quoque ipſius movetur*; ita nobis ſummo Deo ſemel propitiato, propitios quoque fore Angelos; ideo de vno Deo placando laborandum. Ergo cum relativæ non minus, quam abſolutæ orationis hic ſit vſus, vt Angeli ad nobis favendum moveantur & impellantur; apparet Origenem, tam illam, quam hanc, repudiare, qui id omne repudiat, quod apud alium fit, quam apud Deum, ad conciliandum nobis Angelorum favorem. Denique illic quoque, vt audiemus, ſcribit Angelos nobiſcum & pro nobis orare *ἀκλήτως non vocatos*; quod nulla cavillatione dilui poteſt. Tam enim Angelos *vocant*, qui *relative* eos invocant; quam qui *abſolute.* Ergo qui non *vocati* nobiſcum orant, eos Origenes nulla prece, non modo *abſoluta*, ſed ne *relativa* quidem oratos fuiſſe intelligit. Secundo reſpondeo parum verecunde facere Perronium, qui ingenij ſui opus ac luſum Origeni & veteribus Theologis nulla ne leviſſimæ quidem rationis ſpecie, tribuit. Hos enim demonſtrare debuit *orationem & adorationem aliquam* relativam Angelis & Sanctis deferendam ponere ac conſtituere, antequam iis ſuam hanc diſtinctionem affingeret. At ex iis quæ hactenus diſputavimus, clarum eſt *relativam* illam Perronianam, & Origeni & cæteris ejuſdem ævi Theologis ignotam fuiſſe, quæ nuſquam apud eos in vllo eorum locorum cernitur, aut deprehenditur, in quibus ea apud Latinos adhibetur. Nobis ergo ſplendide illudit Perronius, dum id Origenem in animo habuiſſe fingit, quod ei plane penituſque ignotum fuiſſe apparet. Sed in eo quoque poſtremo graviter peccat Perronius, quod & ſuam & Paganorum de *relativa* illa ſententiam, peſſima fide nobis hoc loco expoſuit. Suam enim illam relativam adorationem definit, *qua* (inquit) *Angelos precamur, vt Deum orent pro nobis.* Mutila eſt hæc deſcriptio. Quid enim? an nihil aliud Angelos Latini poſcunt, niſi vt Deum pro ſe orent? Annon hoc etiam, quod Angelici eſt officij, vt ſe cuſtodiant? vt imminentia pericula avertant? vt ex præſentibus liberent? Si Angeli invocandi ſunt, tam hæc ab iis poſtulare fas eſt, quam vt Deum pro nobis orent. *Relativa* ergo oratio eſt, non ſolum ea, qua Angelos poſcimus vt pro nobis orent; Sed etiam ea, qua ab iis quidvis (quod quidem ab eorum adminiſtratione pendeat) poſtulamus; & *relativa* dicitur, quia non in ipſis Angelis ſimpliciter terminatur, ſed ad Deum quodammodo refertur, vt ad eorum Do-

CAPUT XXXVI.

CAPVT XXXVI. minum, omniſque quo vel fruuntur, vel funguntur, boni & muneris auctorem. Hæc vera eſt Latinæ *orationis relativæ* & natura & ratio. Iam neque Perronius Paganorum, quam ſuorum, opinionem fidelius expoſuit. Mitto quod inferiores Deos *Angelos* ab eis ex Platonis ſtilo dici narrat; quos à Platonicis quibuſdam ita appellatos ſcio; An à Platone vnquam eo nomine vocati ſint, neſcio. Illud potius noto, quod noſter de Celſo & Paganis ſic loquitur, quaſi ij omnibus illis ſuis Diis *ſummam & abſolutam* duntaxat *adorationem* tribuendam putaverint; nullis *ſubalternam & relativam*; quod quam falſum ſit, ſatis ex iis patet, quæ ſupra de eorum Theologia diximus.

Orig. l. .p. 412. Celſus quidem diſerte neque ſemel Deum à dæmonibus diſtinguit; illum Monarchiæ; hos præfectis miniſtriſque comparat; hos quidem coli vult, ſed ita, vt illum & *cum his, & abſque his*, anima cogitet, & ad eum *extendatur*, neque *ab illo vnquam diſcedat, neque interdiu, neque noctu, neque publice, neque privatim, ſed in omni & ſermone & indeſinenter eum attendat*; *in his & illum coli*; omnia enim quæ ab his fiunt, *ab illo magno eſſe diſpoſita*; quin & eo alicubi procedit, vt vetet ſuos dæmonum cultui nimium eſſe deditos & affixos*; qualiter & Hierocles ſupra, nolebat *eorum dignitatem ſupra modum attolli*; diſerteque jubebat ad Deum ſummum *ἀναφέρειν τὸ σέβας cultum referre*. His alia multa ſimilia addi poſſent; ex quibus manifeſtum eſt Paganos vni ſummo atque principi Deo cultum ſummum & *abſolutum* ipſos quoque tribuiſſe; quem inferioribus Diis exhibebant, eum *ſubalternum & relativum* cenſuiſſe. Quo & illud pertinet, quod ſummus poëta (ſi bene memini) Thetidem facit pro ſuo Achille, Minervam pro Vlyſſe apud Iovem deprecantes, atque *intercedentes*. (vt nunc loquimur) Neque eſt quod de *ſacrificio* nobis moleſtus ſit Perronius. Vt enim orationem ipſe fingit aliam eſſe *abſolutam*, aliam *relativam*, ita & de ſacrificio res habet. Alterum enim erat *abſolutum*, quod ſummo Deo; alterum *relativum*, quod ejus miniſtris Diis ita offerebatur, vt interveniente eorum præſidio, atque miniſterio Dei ſummi favor atque beneficia hominibus conciliarentur. Cum ergo Celſus eo loco, quem nuper ex libro quinto Origenis deſcripſimus, de iis verba faciat, quos à noſtris Angelos dici ait, quoſque ipſe dæmones vocat; apparet quem iis à nobis volebat exhiberi *cultum, relativum* eum intellexiſſe; vtpote qui miniſtris Dei exhibitus ad ejus honorem pertineret, atque referretur. Itaque ſi Origenes eodem quoque ſenſu hæc verba vſurpabat, clarum eſt eum omnē omnino orationē ſive abſolutā, ſive etiā relativam, Angelis negare, totumq; illū religionis cultū, qui precibus continetur, vni ac ſoli Deo vindicaſſe; illam adeo omnem ejus partem, quam Perronius *relativā* vocat, vt inanem & illicitā repudiaſſe. Atq; hæc ad Perronium ſatis.

Id. ibid. p. 430. Cætera nunc Origenis videamus. Cum ipſe Celſus dæmonum immodicum cultum lubricum & periculoſum eſſe admonuiſſet, quod Spiritus

Margin notes: ibid. p. 432. — ibid. p. 434. — Id. l. 7. p. 388. — *ibid. l. 8. p. 430. — Hier. in carm. Pyth. p. 10.

tus illos circumterraneos genituræ, cruori, nidori, melodiis & aliis id genus affixos inhiare, & nihil aliud quam corpora curare, etiam ipſi mundi ſapientes docerent; Origenes ad inſignem hanc hominis idololatræ confeſſionem, de Angelorum quidem cultu & noſtrorum ad eos precibus, deque cultûs ſecura & ab omni periculo tuta, ob ſummam ipſorum ſpirituum puritatem vtilitate, plane nihil dicit; ſed vnius ſummi Dei religionem, preceſque ad eum vnum directas ex hac occaſione ita commendat; *Cum igitur* (inquit) *hic locus ſit tam lubricus, vt ipſe divinæ veritatis inimicus teſtatur; quanto ſatius eſt ſecurum iſtius voluptatis dæmoniacæ, & amoris corporum, oblivioniſque meliorum concredere ſe Deo vniverſorum Domino per Ieſum Chriſtum noſtræ doctrinæ auctorem, & ab illo poſcere omne, quod eſt à Sanctis & juſtis Angelis auxilium atque præſidium, vti nos liberent à circumterraneis dæmonibus?* πόσῳ βέλτιον χωρὶς πάσης ὑπερβολῆς ὑπὲρ τοῦ συντάξασθαι πίστεις δαίμοσιν, ἢ φιλοσωματῆσαι, καὶ τὰ κρείττονα ἀποστραφῆναι, ἢ ὑπὸ λήθης τοῦ τῶν κρειττόνων κατασχεθῆναι, τὸ ἑαυτὸν ἐμπιστεῦσαι τῷ ἐπὶ πᾶσι θεῷ διὰ τοῦ τὴν τοιαύτην ἡμῖν διδασκαλίαν ὑποθεμένου Ἰησοῦ χριστοῦ, καὶ ἀπ᾽ ἐκείνου αἰτεῖν πᾶσαν βοήθειαν καὶ φρουρὰν τὴν ἀπὸ τῶν ἁγίων ἀγγέλων καὶ δικαίων. ἵν᾽ ἡμᾶς ῥύσωνται ἀπὸ τῶν περιγείων δαιμόνων; Hic vides, vt Angelorum præſidium ac cuſtodiam à Deo (vt par eſt) non autem Dei favorem ab Angelis (vt præpoſtere inſtituunt Latini) poſcere nos doceat ac velit. Denique cum Celſus ad priſtinum errorem relaberetur, ac concederet quidem *nunquam eſſe neque nocte, neque interdiu à Deo deficiendum, & animam in omni tum cogitatione, tum opere ad Deum commendendam*; pugnaret tamen idem, *id minime obſtare, quominus placandi propitiandique ſint, qui hic ſunt Principes, tum alij, tum Reges & dynaſtæ hominum*: cum inquam, ſic eſſet philoſophatus Celſus, noſter contra Origenes, fortiter ſane, ac vt germanum Chriſti diſcipulum decebat, ita reſpondet; *VIVVS* (inquit) *nobis eſt placandus Deus vniverſorum Dominus, & hunc vt propitium habeamus, orandum eſt; qui pietate & omni virtute propitiatur. Sin & poſt hunc ſupra omnes Deũ aliquos alios propitios velis, cogitet, quod ſicut moto corpore vmbra quoque ipſius movetur; ita cum aliquis ſummum Deum habet propitium, ſequitur vt propitios habeat omnes ejus amicos, Angelos, animas, & ſpiritus. Sentiunt enim qui ſint favore Dei digni, quibus non ipſi ſolum bene volunt; verum etiam cum iis, qui Deum colere volunt, operam jungunt, eumque placant, & vna nobiſcum precantur & poſtulant; ita vt audeamus dicere hominibus, qui cum firmo animi propoſito meliora eligunt, ac ſequuntur, quoties ij Deum precantur, innumerabiles poteſtates ſacras vna cum ijs non vocatas precari, fragili ac mortali noſtro generi ſe vna ſocias præbentes, ac vt ſic dicam concertantes, & nobis in hoc agone collaborantes; videntes dæmonas iis maxime adverſari, qui ſe Deo dedicant, eorumque maxime ſalutem oppugnare.* ἵνα τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν ἡμῖν ἐξευμενιστέον καὶ τοῦτον ἵλεω ἀκτέον, ἐξευμενιζόμενον εὐσεβείᾳ καὶ πάσῃ ἀρετῇ.

CAPVT XXXVI.

Id. ibid. p. 431.

CAPVT XXXVI. εἰ δὲ καὶ ἄλλους τινὰς βούλεται μετὰ τὸν ἐπὶ πᾶσιν ἐξευμενίζεσθαι θεὸν. κατανοησάτω, ὅτι ὥσπερ τῷ κινουμένῳ σώματι ἀκολουθεῖ ἡ τῆς σκιᾶς αὐτοῦ κίνησις. τὸν αὐτὸν τρόπον τῷ ἐξευμενίζεσθαι τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν ἕπεται εὐμενεῖς ἔχειν τοὺς ἐκείνου πάντας φίλους ἀγγέλους καὶ ψυχὰς καὶ πνεύματα. συναισθάνονται γὰρ τῶν ἀξίων τῆς παρὰ τοῦ θεοῦ εὐμενείας. καὶ οὐ μόνον καὶ αὐτοὶ εὐμενεῖς τοῖς ἀξίοις γίνονται. ἀλλὰ καὶ συμπράττουσι τοῖς βουλομένοις τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν θεραπεύειν, καὶ ἐξευμενίζονται, καὶ συνεύχονται καὶ συναξιοῦσιν. ὥστε τολμᾶν ἡμᾶς λέγειν, ὅτι ἀνθρώποις μετὰ προαιρέσεως προτιθεμένοις τὰ κρείττονα. εὐχομένοις τῷ θεῷ, μυρίαι ὅσαι ἄκλητοι συνεύχονται δυνάμεις ἱεραί. συμπαρέχουσαι τῷ ἐπικήρῳ ἡμῶν γένει. καὶ ἵν' οὕτως εἴπω, συναγωνίζονται, δι' οὓς ὁρῶσιν ἀντιστρατευομένους καὶ ἀγωνιζομένους δαίμονας τῇ σωτηρίᾳ μάλιστα τῶν ἑαυτοὺς ἀνατιθέντων θεῷ. Hactenus Origenes; illud inprimis ſtatuens, pios nullas Angelis preces offerre, quorum favorem, Dei in nos benevolentiam non aliter ſequi docet, quam corporis motum vmbræ quoque motus neceſſario conſequitur. Nimirum vt vmbra moveatur, corpus à quo ea ſpargitur, duntaxat impellendum eſt; in vmbram ipſam nihil agere neceſſe eſt, quæ omnem à corpore cujus eſt, motum habet; nullum à ſe habet; ita ſi Angelorum animum ac favorem ad nos flecti velimus, precibus apud Deum noſtris, pietatiſque ac virtutis ſtudiis agendum eſſe, vt ad nos clemens ac propitius convertatur; (eo enim ſemel converſo Angelos quoque converſum iri) neque apud ipſos Angelos vel precibus, vel oblationibus vllis agendum eſſe, vt ad nos convertantur; qui ſcilicet eo ſint animo atque ingenio, vt nullum ex ſe adverſum nos motum habeant, ſed quemcumque habent eum à Deo habeant, cujus illi, vt corporis vmbra, motus atque converſiones ad amuſſim ſequuntur, atque exprimunt. Hanc vim habet vt omnes vident, illa Origenis apposita profecto ac præclara ſimilitudo, quæ demonſtrat omnem religionis ac pietatis noſtræ cultum ad vnum Deum eſſe dirigendum; nullam ejus partem ad Angelos ferri debere. Atque his congruit, quod ipſe in alio opere docet Angelos qui nobis aſſiſtunt requirere, non an ipſos & alios Divos rogemus, ſed *ſi eſt* (inquit) *in aliquo noſtrûm hujuſmodi mens tam ſollicita, tam intenta, qua verbum Dei, tanquam ſemen divinum, tota aviditate ſuſceperit, ſi fructum ſtatim, vt ad orationem ſurgimus, oſtenderit, id eſt ſi collectis & congregatis intra ſe ſenſibus oret DEVM.* Secundo id etiam inde conſtat, quod Origenes ſtatim initio decernit, *VNVM nobis Deum propitiandum*, vel *placandum* ἐξευμενιστέον. Non ergo & Angelos. At eos precari, iis templa erigere, donaria offerre religionis ergo, feſta in eorum honorem celebrare, &c. eſt eos (niſi fallor) ἐξευμενίζεσθαι *placare, propitiare, faventes ac benevolos reddere.* Ergo omnis iſte Latinus Divorum cultus Origeni ignotus fuit. Tertio idem eo firmatur, quod in toto loco paſſim dicit τὸν θεὸν θεραπεύειν *Deum colere*, εὔχεσθαι τῷ θεῷ *Deum orare*, & cætera ſimilia; *Angelos colere*, aut *orare*, & eorum favorem nobis conciliare niſi ipſo illo cultu, quem Deo ipſi recta impen-

Origen. in Num. Hom. 11. extr. p. 215.

impendimus, nuſquam dicit. 4. Sed hoc idem Origenes diſerte ipſe docet, cum de Angelis Deum nobiſcum orantibus dicit, εὐχο-μένοις τῷ Θεῷ μυρίας ὅσας ἄκλητοι συνεύχονται δυνάμεις ἱεραί, *Pys Deum precantibus innumerabiles poteſtates ſacra una cum ys precantur non vocata.* Ridicule; ſi tum erant in noſtrorum vſu Litaniæ, quæ omnes Angelorum ordines ſuis veluti ſedibus, excitos ad orandum pro nobis accuratiſſime, ne dicam moroſiſſime, advocant. At Origenes Angelos pro ſuis *non vocatos* orare ait ἀκλήτως. Pro Latinis vero ſi nunc orant Angeli, certe *vocati* & quidem religioſiſſimis precibus invocati, orant. Alij ergo Latinorum nunc ſunt, quam olim erant Origenicorum Chriſtianorum mores. Ego vero non dubito quin ſanctiſſimi illi Spiritus veteribus piis multo libentius & impenſius *non vocantibus* faverint; quam nunc Latinis *etiam invocantibus* favent; quia Dei præcepto & verbo factum, veterum quidem congruit, Latinorum vero repugnat. Quo loco obiter caſtiganda eſt Perronij temeritas, magna cum incogitantia, ne dicam inſcitia, conjuncta; Temeritas eſt quod Celſum fingit *hic velle atque contendere, ut dæmones ſacrificiorum oblationibus propitientur.* Atqui hic quidem Celſus de *ſacrificiis* proprie, nihil dicit. Tantum in genere dicit *nihil mali futurum placare ſive propitiare* εὐμενίζεσθαι *terrenos principes, tum alios, tum Reges & dynaſtas hominum.* εὐμενίζεσθαι, vel active εὐμενίζειν eſt amicum & faventem aliquem ſibi reddere, ab εὐμενής, quod Grammatici * φίλος *amicum* interpretantur. Itaq; ſignificat Celſus decere, etiam iſtos ſpiritus inferioris ordinis, quibus noſtrarū rerum curam à ſummo Deo creditam ac commiſſam eſſe putat, aliqua religione demereri, quæcumque tandem illa ſit, ſive oratio, ſive hymnus, ſive oblatio, ſive ſacrificium; de hoc vero proprie non videtur cogitaſſe. Si cogitaſſet, dixiſſet. Ergo & Origenes ad ejus mentem & verba reſpondens, nihil de iis rationibus diſtinguit, quibus ſuperiorum animi à nobis conciliari poſſint aut debeant; Non Deum ſacrificio placandum ait; Non hoc Angelos demerendos negat; vt precibus concedit, quæ omnino hic erant explicanda, ſi cum Perronio ſomniaſſet Celſum dæmonas ſacrificiis proprie placari hic voluiſſe. Ille vero miſſis iſtis, quæ ad rei modos rationeſque pertinent, ad rem ipſam venit, nihil eſſe quod de miniſtris illis poteſtatibus, vel quas commemorabat Celſus, vel aliis ſigillatim propitiandis laboremus; Vnius Dei, à quo omnia pendent, favorem eſſe nobis ambiendum; Hunc vnum propitiandum ac conciliandum, pietate, virtute, precibus. Nam & has neque ſemel, hic nominavit. Atque ita à noſtro erga omnes Dei miniſtros officio non ſacrificia modo, ſed & preces ſacras excluſit, & alia quæ quidem ad cultum religioſum pertinent, quibuſque Divi placari & propitiari creduntur. Iam quanta fuerit Perronij in hoc toto Origenis loco interpretando incogitantia ac ſupinitas, omnibus eruditis expendendum relinquo, ſi quibus otium fuerit, quæ ab

iſto

CAPVT XXXVI.

Du Perron. Repl. l.5. c.13. p.850.

Orig. vb. ſupr p 432.

** Heſych. Phavor. alij.*

CAPVT XXXVI. iſto Francice ex Origenis Græcis reddita ſunt, cum auctore ipſo comparare, cujus ille videri poſſit Græca verba in ſui libri margine deſcribenda conſulto curaviſſe, ne deeſſet vnde ſua peccata coargui, & corrigi ex proximo poſſent. Vnum eſt, quod tacitum prætermitti non debet. Nam quod Origenes de Angelis ſcripſit, poteſtates ſacras cum piis Deum orantes ἀκλήτως συνεύχεσθαι, *non vocatas ſimul orare*, noſter ille fidus ſcilicet interpres reddidit, *s'ajoignent volontairement, ſe adjungunt vltro, vel voluntarie*; id eſt (inquit) *nullo precio* (*ſacrificiorum* ſcilicet) *redempta, non autem nullis precibus vocata, vt cum ait Virgilius,*

His lacrymis veniam damus. & miſereſcimus vltro.

Vult enim Trojanos Sinoni vitam donaſſe gratis, & abſque redemptionis pretio; non abſque precibus, quas apud eos multas Sinonem feciſſe ex Poëta conſtat. Hæc ille. Quis non miretur tantum Cardinalem tam vel inſcite, vel certe ſecure, lectoribus ſuis imponere? Nam qui ſic ſcribit, cum plane neceſſe eſt Græca illa Origenis, quæ ſui libri margini inſcribi ambitioſe curavit, vel non legiſſe (quod eſt ſummæ oſcitantiæ) vel certe non intellexiſſe (quod eſſet magnæ, & tanta hujus viri fama indignæ imperitiæ) Illud enim *vltro*, quod gratis hic explicandum putavit, nullum eſt apud Origenem; fruſtraque huc & ridicule advocatus eſt Sinon Virgilianus. Origenes dicit precari nobiſcum Angelos, non *vltro*, aut voluntarie quod iſte ſomniavit, ſed ἀκλήτως. ἀκλήτου autem eſſe *non vocatos*, nemo in Græcis eſt tam puer, qui neſciat. Lexicon Græco-latinum vetus; Ἄκλητος, *Invitatus. Invocatus.* Sic enim excuſum eſt; perperam, pro *non invitatus*; vt ex ſequenti apparet, *invocatus*, quod eſt *non vocatus*, etiam apud optimos Linguæ Latinæ auctores. Suidas in hac voce rem planiſſime explicat; ἄκλητος ὁ θεὸς καὶ καλούμενος παρέσται· ἡ παροιμία· γὰρ ὁ θεὸς τῶν ἀρετῆς ἀντιποιουμένων· οὕτω γὰρ ἐδόθη χρησμὸς τοῖς Λακεδαιμονίοις. καλούμενός τε κἄκλητος θεὸς παρέσται ἔξω πάσης αἰσθήσεως. οὐ γὰρ φωνῆς δεῖται πρὸς τὸ διδάξαι τὰ δέοντα, οὐδὲ ἀκοῆς πρὸς τὸ μαθεῖν. *Non vocatus Deus, & vocatus aderit. Deus enim virtutis ſtudioſos non negligit. Sic enim oraculum Lacedamoniis eſt redditum. Vocatus & non vocatus Deus aderit abſque omni ſenſu. Neque enim indiget voce, vt aliquis ipſum doceat quæ ſint facienda, neque auditu vt diſcat*; quid ſcilicet facto ſit opus. Ex his liquet *non vocatum* eum adeſſe dici, nó qui *nullo ſacrificio* (quod abſurdiſſime fingit Perronius) ſed qui nulla prece invitatus, aut interpellatus ſuum nobis auxilium exhibet. *Vox* enim & *auris*, qua Deum Suidas indigere negat, vt diſcat, quid facto ſit opus, ad preces & ſupplicationes apertiſſime refertur; non ad ſacrificia. Et fieri poteſt, vt Origenes pro ſua, pœne immenſa, eruditione ad hoc ipſum Lacedæmoniis redditum oraculum alluſerit hoc loco, cum ait Angelos nobiſcum ἀκλήτως *orare*. Significat ergo illos ſpiritus nobiſcum ſuas pro noſtris vſibus orationes conjungere, nulla licet à nobis *voce* *pulſa-*

Suid. in Ἄκλητος.

pulſatos ; nulla ſupplicatione ad hoc nobis præſtandum officium invitatos, aut compulſos ; tametſi nulla eorum *εἰς ὠτ aurem* deprecatio noſtra ſubiicit, qua neceſſitates noſtras doceantur, quæ quam abſurde quamque ſtulte dicantur omnes vident, ſi piorum illius ævi litaniæ Angelorum aures indeſinenter, hodierno Latinorum ritu, verberabant. Sed hæc adverſus inficetiſſimam Petronij gloſſam obiter dicta ſatis ſunt. Nunc illud poſtremo obſervemus Origenem in loco laudato non modo negare preces à ſuæ memoriæ Chriſtianis vllas Angelis offerri ; ſed & vnicum earum fundamentum penitus ſubruere atque ſubvertere. Cur enim Angeli precandi ſint, hanc & Latini, & alij quotquot ſunt vel fuerunt Angelorum cæterorumque Divorum religioſi, rationem potiſſimum afferunt, vt ſcilicet eorum apud Deum auxilium & præſidium & preces obtineamus. Atqui Origenes ſtatuit omnem illum Angelicum favorem, quicumque vere pij ſunt, & Deum religioſe orant, iis hoc ipſo paratum eſſe & quæſitum quod Deum orant ; quod fas eſt ; vt Angelos quidem orare plane ſit ſupervacaneum ; ſatis vero ſit Deum vnum, & noſtrum & Angelorum patrem, ipſum adire, & tum pietate, tum aſſiduis ad eum precibus noſtris, conciliare. Quod vero ille tam ſæpe ſumit, quicumque ſcilicet homines vere in Deum pij ſunt, & in precando Deo aſſidui, iis Angelos ſtatim bene velle & favere, omneque iis auxilium atque præſidium ſuum libentes exhibere ; hoc inquam Scriptura quoque non vno in loco docet, & rerum ipſarum ratio comprobat. Quis enim Angelos dubitet ſummo in Deum amore flagrantes, ſi quos ejus ſtudioſos cultores hic in terris videant, iis favere, adeſſe, benevelle, opitulari ? Ex his ergo optime concluſit Origenes, cæteris prætеritis, etiã qui ſunt honore aliquo digni, vnũ in quo ſunt omnia, quemq; reliqua omnia neceſſario præeuntem ſequuntur, Deum ſummũ colendum precandúmq; eſſe. Atq. hæc ratio tam eſt evidens & obvia, vt ea etiam Ieſuitarum diſcipulos in ſuis contra Paganorum cultum demonſtrationibus aliquando vſos fuiſſe acceperimus. Narrant enim ipſi quemdam de ſuis Iaponibus cum Bonzio neſcio quo Ozaceno diſputantem, ex vobis ab Amida aliquando dum viveret, factis, eo hominem adegiſſe ; vt concederet aliquem eſſe Amida ſuperiorem Deum, à quo ille ſuam omnem poteſtatem accepiſſet (eſt autem iſte Amida Divus quidam in tota Iaponia nobiliſſimus) cumque Bonzius hæc eſſe confeſſus, tum illum ex Ieſuitarum ſchola diſputatorem acutiſſimum, ita concluſiſſe ; Ergo ſuperiorem illum Deum, qui Amidæ ſervandorum hominum poteſtatem dediſſet, ſatius eſſe colere ipſum, quam Amidam, qui nullam habeat, niſi precariam & aliunde acceptam poteſtatem. Iam hæc ſi, vt certe videntur, vera ſunt ac bene, legitimeque concluſa, equidem non video, cur non ad eundem quoque modum concludi poſſit ſatius eſſe Deum optimum

BBbb maxi-

CAPVT XXXVI.

Vid. Pſ. 34. (Lat. 33.) 8. & 91. (Lat. 90.) 11.

Solier. Iap. l. 9. c. 29 § 2. 58.

 maximum ipſum recta colere, ac precari, quam Angelos & Divos, qui quicquid vel ſunt, vel poſſunt & valent ab illo vno acceperunt.

CAPUT XXXVII.

Refellitur duplex Perronij ad ſuperiora ex Origene contra Celſum teſtimonia exceptio, oſtenditurque non ideo abrogandam eſſe præſtantiſſimo ſcriptori de rebus, & ritibus ſui ævi Eccleſiaſticis fidem; quod quadam in eo opere de Filij divinitate incautius dixerit. Tum demonſtratur vanum ineptumque eſſe, quod Perronius fingit à vetuſtiſſimis Chriſtianis occultatos fuiſſe Paganis ſuos in Angelos & Divos cultus, ſuaſque eorum invocationes.

SED hæc obiter, neque enim nunc quidem aliud quærimus, quam quæ vetuſtiſſimorum Chriſtianorum fuerit de hoc Divorum cultu traditio. Qua de re illa nuper à nobis deſcripta clariſſima diſertiſſimaque Origenis teſtimonia plærique Latinorum; ſuis artibus diffiſi, prætermiſerunt. Perronius quædam à Rege magnæ Britanniæ Iacobo VI. objecta attigit, ſed leviter, & veteri Parthorum more fugiendo potius, quam conſiſtendo, pedemque conferendo, pugnans. Primo contra ipſum Origenem in genere; ſecundo contra hoc ejus adverſus Celſum opus quædam ſpargit, ne vel ſcriptoris vel operis vlla ſit ad teſtandum de Eccleſiæ dogmatis auctoritas. Origenem dicit *Chriſti divinitatem etiam in hoc ipſo opere evertere, eumque Patre inferiorem ſtatuere*; Opus vero contra Celſum, ait ſcriptum eſſe adverſus Paganos; quo in genere *ſolere Patres religionis vſus & ritus parciſſime revelare exteris, ne his ex aliqua conformitatis ſpecie anſam praberent Chriſtianorum objectiones in ipſos retorquendi*; idque firmat ex Hieronymo ad Pammachium ſcribente *Origenem, Methodium, Euſebium, Apollinarem adverſus Celſum & Porphyrium multis verſuum millibus ſcribentes lubricis problematibus diaboli ſpiritu contexta ſubvertere, & quia interdum coguntur loqui, non quod ſentiunt, ſed quod neceſſe eſt, dicere adverſus ea, quæ dicunt Gentiles.* Atque hæc ille in genere obiicit; quæ hoc primum incommodo laborant, quod eorum vnum cum altero apertiſſime pugnat. Nam ſi verum eſt, quod poſteriori loco ponit ex Hieronymo Perronius, Origenem in opere contra Celſum, *non dicere quod ſentit*; falſum eſt, quod priore loco ex hoc ipſo opere concludit; Origenem *Chriſtum Patre inferiorem facere, eoque ejus divinitatem deſtruere.* Etiamſi enim hæc eum ipſa in his libris *dixiſſe* ſtatueris, eadem tamen *ſenſiſſe* eum non ſequitur, quia quod affirmat altera objectio, id *dicit* in his libris, quod *non ſentit*. Si.

Du Perr. Repl l.3.c.13. p.848.

Hieron. Apol ad Pām. T,2.fol.38.L.

Si vero ex eo quod in hoc opere, de Chriſto *dicis* bene concluditur cū Patre inferiorem Filium feciſſe, vt habet prior objectio, tum falſum eſſe neceſſe eſt, quod poſterior ſtatuit, Origenem in his libris *non ea qua ſentit, dicere*. Ego vero quod ait priori loco Perronius, Origenem in his ipſis adverſus Celſum libris quædam incaute & incommode de Chriſti divinitate eſſe locutum, id verum eſſe confiteor (tametſi & in eodem opere longe plura ſint præclare de eo argumento dicta.) Inde nego fieri, vt ei de publicis Eccleſiæ ſui ævi decretis aut ritibus, ac nominatim quod Angelis cultus non exhibeatur, teſtanti, nulla ſit habenda fides. Alioqui & Iuſtino, & Tertulliano, & aliis non paucis, qui in eodem tractando argumento quædam non minus incaute, quam Origenes effuderunt, abroganda erit omnis fides. Nullus eſt harum rerum inter ſe nexus; vt qui Filium Patre inferiorem facit, is ideo putetur Angelis cultum religioſum negaſſe. Plane contra eſt. Qui Filium, quem adorat, creaturam eſſe ſtatuit, eum tanto facilius admiſſurum eſſe veriſimile eſt creaturarum aliarum, puta Angelorum & Divorum cultum. Sane ex omni veterum cenſu nemo eſt, cujus errores tam cupide, tamque ſtudioſe notati fuerint, quam Origenis. Ejus incommode dicta de Filio ab omnibus ſugillata ſcimus; eoque etiam acrius, quod non deeſſent, qui eum ab hac criminatione purgarent. Sed inter omnes ejus cenſores, nullus quod ſciam, vnquam extitit, qui virum argueret perperam de Angelorum cultu ſenſiſſe, aut ab Eccleſiæ ſui ævi fide, atque vſu hac in parte diſceſſiſſe. Maligne ergo in Origenem Perronius, & in nos ſophiſtice agit, qui ex paucis de Filio non ſatis caute dictis infamare, ſuſpectumque veluti nullius fidei reddere nititur illum omnium *celeberrimum commentarium* (vt vere ait Baronius) *quo cum Celſi, tum etiam Gentilium omnium ac Iudæorum disjecit in Chriſtianam pietatem molitiones, & arietes comparatos.* Hanc ſcilicet Perronius Origeni pro tam eximio labore gratiam rependit, vt eum faciat inteſtabilem. Altera quæ ab operis genere ſumpta eſt cauſa, non eſt priori melior. Vult Perronius noſtros vetuſtiſſimæ illius memoriæ Theologos in libris adverſus Paganos ſuis, horum de religione ſententias potius disjicere & evertere ſtuduiſſe, quam noſtram ædificare aut confirmare; Eccleſiaſticos adeo ritus, atque cultus, nonniſi parce & maligne retexiſſe. Itaque alio in loco, vbi eandem calumniam repetit, fingit apud Patres in hujuſmodi cauſa verſantes *ſilentia, reticentias, & diſſimulationes occurrere; multa eos celare, diſſimulare, & invertere; ſubterfugere ſtudioſiſſime, ac declinare omnes de ſolenni ſanctorum apud Eccleſiam cultu loquendi occaſiones, ne Pagani ſi hæc reſciſcerent, ea in nos retorquerent; atque ita ſe geſſiſſe priorum maxime ſæculorum Patres, quibus ſcilicet Pagani Chriſtianorum ritus, atque obſervationes particulares nondum perfecte norant.* Hæc ille; ad quæ illud mihi venit in mentem, quod dicit Irenæus adverſus conſimiles hæreticorum, quos confu-

CAPUT XXXVII.

Bar. a. D. 243. §. 3.

Du Perr. Repl. l. 5. c. 20. p. 993.

CAPVT XXXVI. minum, omniſque quo vel fruuntur, vel funguntur, boni & muneris auctorem. Hæc vera eſt Latinæ *orationis relAtivæ* & natura & ratio. Iam neque Perronius Paganorum, quam ſuorum, opinionem fidelius expoſuit. Mitto quod inferiores Deos *Angelos* ab eis ex Platonis ſtilo dici narrat; quos à Platonicis quibuſdam ita appellatos ſcio; An à Platone vnquam eo nomine vocati ſint, neſcio. Illud potius noto, quod noſter de Celſo & Paganis ſic loquitur, quaſi ij omnibus illis ſuis Diis *ſummam & abſolutam* duntaxat *adorationem* tribuendam putaverint; nullis, *ſubalternam & relativam*; quod quam falſum ſit, ſatis ex iis patet, quæ ſupra de eorum Theologia diximus.

Orig. l. . p. 412. Celſus quidem diſerte neque ſemel Deum à dæmonibus diſtinguit; illum Monarchiæ; hos præfectis miniſtriſque comparat; hos quidem coli vult, ſed ita, vt illum & *cum his, & abſque his*, anima cogitet, & ad eum *extendatur*, neque *ab illo vnquam diſcedat, neque interdiu, neque noctu, neque publice, neque privatim, ſed in omni & ſermone & indeſinenter eum attendat*; *in his & illum coli*; omnia enim quæ ab his fiunt, *ab illo magno eſſe diſpoſita*; quin & eo alicubi procedit, vt vetet ſuos dæmonum cultui nimium eſſe deditos & affixos*; qualiter & Hierocles ſupra, nolebat *eorum dignitatem ſupra modum attolli*; diſerteque jubebat ad Deum ſummum ἀναφέρειν τὸ σέβας *cultum referre*. His alia multa ſimilia addi poſſent; ex quibus manifeſtum eſt Paganos vni ſummo atque principi Deo cultum ſummum & *abſolutum* ipſos quoque tribuiſſe; quem inferioribus Diis exhibebant, eum *ſubalternum & relativum* cenſuiſſe. Quo & illud pertinet, quod ſummus poëta (ſi bene memini) Thetidem facit pro ſuo Achille, Minervam pro Vlyſſe apud Iovem deprecantes, atque *intercedentes*. (vt nunc loquimur) Neque eſt quod de *ſacrificio* nobis moleſtus ſit Perronius. Vt enim orationem ipſe fingit aliam eſſe *abſolutam*, aliam *relativam*, ita & de ſacrificio res habet. Alterum enim erat *abſolutum*, quod ſummo Deo; alterum *relativum*, quod ejus miniſtris Diis ita offerebatur, vt interveniente eorum præſidio, atque miniſterio Dei ſummi favor atque beneficia hominibus conciliarentur. Cum ergo Celſus eo loco, quem nuper ex libro quinto Origenis deſcripſimus, de iis verba faciat, quos à noſtris Angelos dici ait, quoſque ipſe dæmones vocat; apparet quem iis à nobis volebat exhiberi *cultum, relativum* eum intellexiſſe; vtpote qui miniſtris Dei exhibitus ad ejus honorem pertineret, atque referretur. Itaque ſi Origenes eodem quoque ſenſu hæc verba vſurpabat, clarum eſt eum omnẽ omnino orationẽ ſive abſolutã, ſive etiã relativam, Angelis negare; totumq; illũ religionis cultũ, qui precibus continetur, vni ac ſoli Deo vindicaſſe; illam adeo omnem ejus partem, quam Perronius *relativã* vocat, vt inanem & illicitã repudiaſſe. Atq; hæc ad Perronium ſatis.

Id. ibid. p. 430. Cætera nunc Origenis videamus. Cum ipſe Celſus dæmonum immodicum cultum lubricum & periculoſum eſſe admonuiſſet, quod Spiritui,

Marginal notes: ibid. p. 432. — ibid. p. 434. — Id. l. 7. p. 388. — *ibid. l. 8. p. 430. — Hier. in carm. Pyth. p. 10.

tus illos circumterraneos geniruræ, cruori, nidori, melodiis & aliis id genus affixos inhiare, & nihil aliud quam corpora curare, etiam ipſi mundi ſapientes docerent; Origenes ad inſignem hanc hominis idololatræ confeſſionem, de Angelorum quidem cultu & noſtrorum ad eos precibus, deque cultûs ſecura & ab omni periculo tuta, ob ſummam ipſorum ſpirituum puritatem vtilitate, plane nihil dicit; ſed vnius ſummi Dei religionem, preceſque ad eum vnum directas ex hac occaſione ita commendat; *Cum igitur* (inquit) *hic locus ſit tam lubricus, vt ipſe divinæ veritatis inimicus teſtatur; quanto ſatius eſt ſecurum iſtius voluptatis dæmoniacæ, & amoris corporum, oblivioniſque meliorum concredere ſe Deo vniverſorum Domino per Ieſum Chriſtum noſtræ doctrinæ auctorem, & ab illo poſcere omne, quod eſt à Sanctis & juſtis Angelis auxilium atque præſidium, vti nos liberent à circumterraneis dæmonibus?* πόσῳ βέλτιον χωρὶς πάσης ὑπεράσπισιν ὑπὲρ τοῦ συμπλακῆναι τοιούτοις δαίμοσιν, ἢ φιλοσωματῆσαι, καὶ τὰ κρείττονα ἀποσπασθῆναι, ἢ ὑπὸ λήθης τῶν κρειττόνων κατασχεθῆναι, τὸ ἑαυτὸν ἐμπιστεῦσαι τῷ ἐπὶ πᾶσι θεῷ διὰ τοῦ τὴν τοιαύτην ἡμῖν διδασκαλίαν ὑποθεμένου Ἰησοῦ χριστοῦ, καὶ ἀπ᾽ ἐκείνου αἰτεῖν πᾶσαν βοήθειαν καὶ φρουρὰν τὴν ἀπὸ τῶν ἁγίων ἀγγέλων καὶ δικαίων. ἵν᾽ ἡμᾶς ῥύσωνται ἀπὸ τῶν περιγείων δαιμόνων; Hic vides, vt Angelorum præſidium ac cuſtodiam à Deo (vt par eſt) non autem Dei favorem ab Angelis (vt præpoſtere inſtituunt Latini) poſcere nos doceat ac velit. Denique cum Celſus ad priſtinum errorem relaberetur, ac concederet quidem *nunquam eſſe neque nocte, neque interdiu à Deo deficiendum, & animam in omni tum cogitatione, tum opere ad Deum contendendam*; pugnaret tamen idem, *id minime obſtare, quominus placandi propitiandique ſint, qui hic ſunt Principes, tum alij, tum Reges & dynaſtæ hominum*: cum inquam, ſic eſſet philoſophatus Celſus, noſter contra Origenes, fortiter ſane, ac vt germanum Chriſti diſcipulum decebat, ita reſpondet; *VIVVS* (inquit) *nobis eſt placandus Deus vniverſorum Dominus, & hunc vt propitium habeamus, orandum eſt; qui pietate & omni virtute propitiatur. Sin & poſt hunc ſupra omnes Deũ aliquos alios propitios velis, cogites, quod ſicut moto corpore vmbra quoque ipſius movetur; ita cum aliquis ſummum Deum habet propitium, ſequitur vt propitios habeat omnes ejus amicos, Angelos, animas, & ſpiritus. Sentiunt enim qui ſint favore Dei digni, quibus non ipſi ſolum bene volunt; verum etiam cum iis, qui Deum colere volunt, operam jungunt, eumque placant, & vna nobiſcum precantur & poſtulant; ita vt audeamus dicere hominibus, qui cum firmo animi propoſito meliora eligunt, ac ſequuntur, quoties ij Deum precantur, innumerabiles poteſtates ſacras vna cum ijs non vocatas precari, fragili ac mortali noſtro generi ſe vna ſocias præbentes, ac vt ſic dicam concertantes, & nobis in hoc agone collaborantes; videntes dæmonas iis maxime adverſari, qui ſe Deo dedicant, eorumque maxime ſalutem oppugnare.* ἵνα τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν ἡμῖν ἐξευμενιστέον καὶ τοῦτον ἵλεω ἀκτέον, ἐξευμενιζόμενον εὐσεβείᾳ καὶ πάσῃ ἀρετῇ.

Id. ibid. p. 431.

CAPVT XXXVI.

εἰ δὲ καὶ ἄλλους τινὰς βούλεται μετὰ τὸν ἐπὶ πᾶσιν ἐξευμενίζεσθαι θεὸν, κατανοησάτω, ὅτι ὥσπερ τῷ κινουμένῳ σώματι ἀκολουθεῖ ἡ τῆς σκιᾶς αὐτοῦ κίνησις. τὸν αὐτὸν τρόπον τῷ ἐξευμενίζεσθαι τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν ἕπεται εὐμενεῖς ἔχειν τοὺς ἐκείνου πάντας φίλους ἀγγέλους καὶ ψυχὰς καὶ πνεύματα. συναισθάνονται γὰρ τῶν ἀξίων τῆς παρὰ τοῦ θεοῦ εὐμενείας. καὶ οὐ μόνον καὶ αὐτοὶ εὐμενεῖς τοῖς ἀξίοις γίνονται. ἀλλὰ καὶ συμπράττουσι τοῖς βουλομένοις τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν θεραπεύειν, καὶ ἐξευμενίζονται, καὶ συνεύχονται καὶ συναξιοῦσιν. ὥστε τολμᾶν ἡμᾶς λέγειν, ὅτι ἀνθρώποις μετὰ προαιρέσεως προτιθεμένοις τὰ κρείττονα. εὐχομένοις τῷ θεῷ, μυρίαι ὅσαι ἄκλητοι συνεύχονται δυνάμεις ἱεραί. συμπαρέχουσαι τῷ ἐπικήρῳ ἡμῶν γένει. καὶ ἵν' οὕτως εἴπω, συναγωνιῶσαι, δι' οὓς ὁρῶσιν ἀντιστρατευομένους καὶ ἀνταγωνιζομένους δαίμονας τῇ σωτηρίᾳ μάλιστα τῶν ἑαυτοὺς ἀνατιθέντων θεῷ. Hactenus Origenes; illud inprimis ſtatuens, pios nullas Angelis preces offerre, quorum favorem, Dei in nos benevolentiam non aliter ſequi docet, quam corporis motum vmbræ quoque motus neceſſario conſequitur. Nimirum vt vmbra moveatur, corpus à quo ea ſpargitur, duntaxat impellendum eſt; in vmbram ipſam nihil agere neceſſe eſt, quæ omnem à corpore cujus eſt, motum habet; nullum à ſe habet; ita ſi Angelorum animum ac favorem ad nos flecti velimus, precibus apud Deum noſtris, pietatiſque ac virtutis ſtudiis agendum eſſe, vt ad nos clemens ac propitius convertatur; (eo enim ſemel converſo Angelos quoque converſum iri) neque apud ipſos Angelos vel precibus, vel oblationibus vllis agendum eſſe, vt ad nos convertantur; qui ſcilicet eo ſunt animo atque ingenio, vt nullum ex ſe adverſum nos motum habeant, ſed quemcumque habent eum à Deo habeant, cujus illi, vt corporis vmbra, motus atque converſiones ad amuſſim ſequuntur, atque exprimunt. Hanc vim habet vt omnes vident, illa Origenis appoſita profecto ac præclara ſimilitudo, quæ demonſtrat omnem religionis ac pietatis noſtræ cultum ad vnum Deum eſſe dirigendum; nullam ejus partem ad Angelos ferri debere. Atque his congruit, quod ipſe in alio opere docet Angelos qui nobis aſſiſtunt requirere, non an ipſos & alios Divos rogemus, ſed *ſi eſt* (inquit) *in aliquo noſtrûm hujuſmodi mens tam ſollicitâ, tam intenta, quæ verbum Dei, tanquam ſemen divinum, tota aviditate ſuſceperit, ſi fructum ſtatim, vt ad orationem ſurgimus, oſtenderit, id eſt ſi collectis & congregatis intrà ſe ſenſibus oret DEVM.* Secundo id etiam inde conſtat, quod Origenes ſtatim initio decernit, *VNVM nobis Deum propitiandum*, vel *placandum* ἐξευμενιστέον. Non ergo & Angelos. At eos precari, iis templa erigere, donaria offerre religionis ergo, feſta in eorum honorem celebrare, &c. eſt eos (niſi fallor) ἐξευμενίζεσθαι *placare, propitiare, faventes ac benevolos reddere.* Ergo omnis iſte Latinus Divorum cultus Origeni ignotus fuit. Tertio idem cofirmatur, quod in toto loco paſſim dicit τὸν θεὸν θεραπεύειν *Deum colere*, εὔχεσθαι τῷ θεῷ *Deum orare*, & cætera ſimilia; *Angelos colere*, aut *orare*, & eorum favorem nobis conciliare niſi ipſo illo cultu, quem Deo ipſi recta impen-

Origen. in Num. Hom. 11. extr. p. 215.

impendimus, nuſquam dicit. 4. Sed hoc idem Origenes diſerte ipſe docet, cum de Angelis Deum nobiſcum orantibus dicit, *εὐχομένοις τῷ θεῷ μυρίαι ὅσαι ἄκλητοι συνεύχονται δυνάμεις ἱεραί*, *Pijs Deum precantibus innumerabiles poteſtates ſacræ vna cum ijs precantur non vocatæ.* Ridicule; ſi tum erant in noſtrorum vſu Litaniæ, quæ omnes Angelorum ordines ſuis veluti ſedibus, excitos ad orandum pro nobis accuratiſſime ne dicam moroſiſſime, advocant. At Origenes Angelos pro ſuis *non vocatos* orare ait *ἀκλήτως*. Pro Latinis vero ſi nunc orant Angeli, certe *vocati* & quidem religioſiſſimis precibus invocati, orant. Alij ergo Latinorum nunc ſunt, quam olim erant Origenicorum Chriſtianorum mores. Ego vero non dubito quin ſanctiſſimi illi Spiritus veteribus piis multo libentius & impenſius *non vocantibus* faverint; quam nunc Latinis *etiam invocantibus* favent; quia Dei præcepto & verbo factum, veterum quidem congruit, Latinorum vero repugnat. Quo loco obiter caſtiganda eſt Perronij temeritas, magna cum incogitantia, ne dicam inſcitia, conjuncta; Temeritas eſt quod Celſum fingit *hic velle atque contendere, vt dæmones ſacrificiorum oblationibus propitientur.* Atqui hic quidem Celſus de *ſacrificiis* proprie, nihil dicit. Tantum in genere dicit *nihil mali futurum placare ſive propitiare εὐμενίζεσθαι terrenos principes, tum alios, tum Reges & dynaſtas hominum.* εὐμενίζεσθαι, vel active εὐμενίζειν eſt amicum & faventem aliquem ſibi reddere, ab εὐμενὴς, quod Grammatici * *φίλος amicum* interpretantur. Itaq; ſignificat Celſus decere, etiam iſtos ſpiritus inferioris ordinis, quibus noſtrarũ rerum curam à ſummo Deo creditam ac commiſſam eſſe putat, aliqua religione demereri, quæcumque tandem illa ſit, ſive oratio, ſive hymnus, ſive oblatio, ſive ſacrificium; de hoc vero proprie non videtur cogitaſſe. Si cogitaſſet, dixiſſet. Ergo & Origenes ad ejus mentem & verba reſpondens, nihil de iis rationibus diſtinguit, quibus ſuperiorum animi à nobis conciliari poſſint aut debeant; Non Deum ſacrificio placandum ait; Non hoc Angelos demerendos negat; vt precibus concedit, quæ omnino hic erant explicanda, ſi cum Perronio ſomniaſſet Celſum dæmonas ſacrificiis proprie placari hic voluiſſe. Ille vero miſſis iſtis, quæ ad rei modos rationeſque pertinent, ad rem ipſam venit, nihil eſſe quod de miniſtris illis poteſtatibus, vel quas commemorabat Celſus, vel aliis ſigillatim propitiandis laboremus; Vnius Dei, à quo omnia pendent, favorem eſſe nobis ambiendum; Hunc vnum propitiandum ac conciliandum, pietate, virtute, precibus. Nam & has neque ſemel, hic nominavit. Atque ita à noſtro erga omnes Dei miniſtros officio non ſacrificia modo, ſed & preces ſacras excluſit, & alia quæ quidem ad cultum religioſum pertinent, quibuſque Divi placari & propitiari creduntur. Iam quanta fuerit Perronij in hoc toto Origenis loco interpretando incogitantia ac ſupinitas, omnibus eruditis expendendum relinquo, ſi quibus otium fuerit, quæ ab

CAPVT XXXVI.

Du Perron. Repl. l.5. c.13. p.850.

Orig. vb. ſupr. p. 432.

* *Heſych. Phavor. alij.*

iſto

CAPUT XXXVI. iſto Francice ex Origenis Græcis reddita ſunt, cum auctore ipſo comparate, cujus ille videri poſſit Græca verba in ſui libri margine deſcribenda conſulto curaviſſe, ne deeſſet unde ſua peccata coargui, & corrigi ex proximo poſſent. Unum eſt, quod tacitum prætermitti non debet. Nam quod Origenes de Angelis ſcripſit, poteſtates ſacras cum piis Deum orantes ἀκλήτως συνεύχεσθαι, *non vocatas ſimul orare*, noſter ille fidus ſcilicet interpres reddidit, *s'ajoignent volontairement*, *ſe adjungunt ultro, vel voluntarie*; id eſt (inquit) *nullo precio* (*ſacrificiorum* ſcilicet) *redempta, non autem nullis precibus vocata, ut cum ait Virgilius,*

His lacrymis veniam damus. & miſereſcimus ultro.

Vult enim Trojanos Simoni vitam donaſſe gratis, & abſque redemptionis pretio; non abſque precibus, quas apud eos multas Sinonem feciſſe ex Poëta conſtat. Hæc ille. Quis non miretur tantum Cardinalem tam vel inſciſe, vel certe ſecure, lectoribus ſuis imponere? Nam qui ſic ſcribit, cum plane neceſſe eſt Græca illa Origenis, quæ ſui libri margini inſcribi ambitioſe curavit, vel non legiſſe (quod eſt ſummæ oſcitantiæ) vel certe non intellexiſſe (quod eſſet magnæ, & tanta hujus viri fama indignæ imperitiæ) Illud enim *ultro*, quod gratis hic explicandum putavit, nullum eſt apud Origenem; fruſtraque huc & ridicule advocatus eſt Sinon Virgilianus. Origenes dicit precari nobiſcum Angelos, non *ultro*, aut voluntarie quod iſte ſomniavit, ſed ἀκλήτως. ἀκλήτους autem eſſe *non vocatos*, nemo in Græcis eſt tam puer, qui neſciat. Lexicon Græco-latinum vetus; Ἄκλητος, *Invitatus. Invocatus.* Sic enim excuſum eſt; perperam, pro *non invitatus*; ut ex ſequenti apparet, *invocatus*, quod eſt *non vocatus*, etiam apud optimos Linguæ Latinæ auctores. Suidas in hac voce rem planiſſime explicat; Suid. in Ἄκλητος. ἄκλητος ὁ θεὸς καὶ κλητὸς παρέσεται. ἡ παροιμία γὰρ ὁ θεὸς τοῖς ἀρετῆς ἀντιποιουμένοις: οὕτω γὰρ ἐδόθη χρησμὸς τοῖς Λακεδαιμονίοις. καλούμενός τε κἄκλητος θεὸς παρέσεται ἔξω πάσης αἰσθήσεως. οὐ γὰρ φωνῆς δεῖται πρὸς τὸ διδάξαι τὰ δέοντα, οὐδὲ ἀκοῆς πρὸς τὸ μαθεῖν. *Non vocatus Deus, & vocatus aderit. Deus enim virtutis ſtudioſos non negligit. Sic enim oraculum Lacedæmoniis eſt redditum. Vocatus & non vocatus Deus aderit abſque omni ſenſu. Neque enim indiget voce, ut aliquis ipſum doceat quæ ſint facienda, neque auditu ut diſcat*; quid ſcilicet facto ſit opus. Ex his liquet *non vocatum* eum adeſſe dici, nō qui *nullo ſacrificio* (quod abſurdiſſime fingit Perronius) ſed qui nulla prece invitatus, aut interpellatus ſuum nobis auxilium exhibet. *Vox* enim & *auris*, qua Deum Suidas indigere negat, ut diſcat, quid facto ſit opus, ad preces & ſupplicationes apertiſſime refertur; non ad ſacrificia. Et fieri poteſt, ut Origenes pro ſua, pœne immenſa, eruditione ad hoc ipſum Lacedæmoniis redditum oraculum alluſerit hoc loco, cum ait Angelos nobiſcum ἀκλήτως orare. Significat ergo illos ſpiritus nobiſcum ſuas pro noſtris uſibus orationes conjungere, nulla licet à nobis *voce*

pulſa-

pulſatos ; nulla ſupplicatione ad hoc nobis præſtandum officium invitatos, aut compulſos ; tametſi nulla eorum *in lu aurem* deprecatio noſtra ſubiecit, qua neceſſitates noſtras doceantur, quæ quam abſurde quamque ſtulte dicantur omnes vident, ſi piorum illius ævi litaniæ Angelorum aures indeſinenter, hodierno Latinorum ritu, verberabant. Sed hæc adverſus inficetiſſimam Perronij gloſſam obiter dicta ſatis ſunt. Nunc illud poſtremo obſervemus Origenem in loco laudato non modo negare preces à ſuæ memoriæ Chriſtianis vllas Angelis offerri ; ſed & vnicum earum fundamentum penitus ſubruere atque ſubvertere. Cur enim Angeli precandi ſint, hanc & Latini, & alij quotquot ſunt vel fuerunt Angelorum cæterorumque Divorum religioſi, rationem potiſſimum afferunt, vt ſcilicet eorum apud Deum auxilium & præſidium & preces obtineamus. Atqui Origenes ſtatuit omnem illum Angelicum favorem, quicumque vere pij ſunt, & Deum religioſe orant, iis hoc ipſo paratum eſſe & quæſitum quod Deum orant ; quod fas eſt ; vt Angelos quidem orare plane ſit ſupervacaneum ; ſatis vero ſit Deum vnum, & noſtrum & Angelorum patrem, ipſum adire, & tum pietate, tum aſſiduis ad eum precibus noſtris, conciliare. Quod vero ille tam ſæpe ſumit, quicumque ſcilicet homines vere in Deum pij ſunt, & in precando Deo aſſidui, iis Angelos ſtatim bene velle & favere, omneque iis auxilium atque præſidium ſuum libentes exhibere ; hoc inquam Scriptura quoque non vno in loco docet, & rerum ipſarum ratio comprobat. Quis enim Angelos dubitet ſummo in Deum amore flagrantes, ſi quos ejus ſtudioſos cultores hic in terris videant, iis favere, adeſſe, benevelle, opitulari ? Ex his ergo optime concluſit Origenes, cæteris præteritis, etiá qui ſunt honore aliquo digni, vnũ in quo ſunt omnia, quemq; reliqua omnia neceſſario præeuntem ſequuntur, Deum ſummũ colendum precandũq; eſſe. Atq, hæc ratio tam eſt evidens & obvia, vt ea etiam Ieſuitarum diſcipulos in ſuis contra Paganorum cultum demonſtrationibus aliquando vſos fuiſſe acceperimus. Narrant enim ipſi quemdam de ſuis Iaponibus cum Bonzio neſcio quo Ozaceno diſputantem, ex vobis ab Amida aliquando dum viveret, factis, eo hominem adegiſſe ; vt concederet aliquem eſſe Amida ſuperiorem Deum, à quo iſte ſuam omnem poteſtatem accepiſſet (eſt autem iſte Amida Divus quidam in tota Iaponia nobiliſſimus) cumque Bonzius hæc eſſet confeſſus, tum illum ex Ieſuitarum ſchola diſputatorem acutiſſimum, ita concluſiſſe ; Ergo ſuperiorem illum Deum, qui Amidæ ſervandorum hominum poteſtatem dediſſet, ſatius eſſe colere ipſum, quam Amidam, qui nullam habeat, niſi precariam & aliunde acceptam poteſtatem. Iam hæc ſi, vt certe videntur, vera ſunt ac bene, legitimeque concluſa, equidem non video, cur non ad eundem quoque modum concludi poſſit ſatius eſſe Deum optimum

CAPVT XXXVI.

Vid. Pſ 34. (Lat. 33.) 8. & 91. (Lat. 90.) 11.

Solier. Iap. l. 9. c. 29 §. 258.

CAPVT XXXVII. maximum ipſum recta colere, ac precari, quam Angelos & Divos, qui quicquid vel ſunt, vel poſſunt & valent ab illo vno acceperunt.

CAPVT XXXVII.

Refellitur duplex Perronij ad ſuperiora ex Origene contra Celſum teſtimonia exceptio, oſtenditurque non ideo abrogandam eſſe præſtantiſſimo ſcriptori de rebus, & ritibus ſui ævi Eccleſiaſticis fidem; quod quædam in eo opere de Filij divinitate incautius dixerit. Tum demonſtratur vanum ineptumque eſſe, quod Perronius fingit à vetuſtiſſimis Chriſtianis occultatos fuiſſe Paganis ſuos in Angelos & Divos cultus, ſuaſque eorum invocationes.

SED hæc obiter, neque enim nunc quidem aliud quærimus, quam quæ vetuſtiſſimorum Chriſtianorum fuerit de hoc Divorum cultu traditio. Qua de re illa nuper à nobis deſcripta clariſſima diſertiſſimaque Origenis teſtimonia plærique Latinorum; ſuis artibus diffiſi, prætermiſerunt. Perronius quædam à Rege magnæ Britanniæ Iacobo V I. objecta attigit, ſed leviter, & veteri Parthorum more fugiendo potius, quam conſiſtendo, pedemque conferendo, pugnans. Primo contra ipſum Origenem in genere; ſecundo contra hoc ejus adverſus Celſum opus quædam ſpargit, ne vel ſcriptoris vel operis vlla ſit ad teſtandum de Eccleſiæ dogmatis auctoritas. Origenem dicit *Chriſti divinitatem etiam in hoc ipſo opere evertere, eumque Patre inferiorem ſtatuere*; Opus vero contra Celſum, ait ſcriptum eſſe adverſus Paganos; quo in genere *ſolere Patres religionis vſus & ritus parciſſime revelare exteris, ne his ex aliqua conformitatis ſpecie anſam præberent Chriſtianorum objectiones in ipſos retorquendi*; idque firmat ex Hieronymo ad Pammachium ſcribente *Origenem, Methodium, Euſebium, Apollinarem adverſus Celſum & Porphyrium multis verſuum millibus ſcribentes lubricis problematibus diaboli ſpiritu contexta ſubvertere, & quia interdum coguntur loqui, non quod ſentiunt, ſed quod neceſſe eſt, dicere adverſus ea, quæ dicunt Gentiles.* Atque hæc ille in genere obiicit; quæ hoc primum incommodo laborant, quod eorum vnum cum altero apertiſſime pugnat. Nam ſi verum eſt, quod poſteriori loco ponit ex Hieronymo Perronius, Origenem in opere contra Celſum, *non dicere quod ſentit*; falſum eſt, quod priore loco ex hoc ipſo opere concludit; Origenem *Chriſtum Patre inferiorem facere, eoque ejus divinitatem deſtruere.* Etiamſi enim hæc eum ipſa in his libris *dixiſſe* ſtatueris, eadem tamen *ſenſiſſe* eum non ſequitur, quia quod affirmat altera objectio, id *dicit* in his libris, quod *non ſentit*.

Du Perr. Repl l.3.c.13. p.848.

Hieron. Apol ad Pam. T.2.fol.38.L.

Si

Si vero ex eo quod in hoc opere, de Chriſto *dicit* bene concluditur cũ Patre inferiorem Filium feciſſe, vt habet prior objectio, tum falſum eſſe neceſſe eſt, quod poſterior ſtatuit, Origenem in his libris *non ea quæ ſentit, dicere*. Ego vero quod ait priori loco Perronius, Origenem in his ipſis adverſus Celſum libris quædam incaute & incommode de Chriſti divinitate eſſe locutum, id verum eſſe confiteor (tametſi & in eodem opere longe plura ſint præclare de eo argumento dicta.) Inde nego fieri, vt ei de publicis Eccleſiæ ſui ævi decretis aut ritibus, ac nominatim quod Angelis cultus non exhibeatur, teſtanti, nulla ſit habenda fides. Alioqui & Iuſtino, & Tertulliano, & aliis non paucis, qui in eodem tractando argumento quædam non minus incaute, quam Origenes effuderunt, abroganda erit omnis fides. Nullus eſt harum rerum inter ſe nexus; vt qui Filium Patre inferiorem facit, is ideo putetur Angelis cultum religioſum negaſſe. Plane contra eſt. Qui Filium, quem adorat, creaturam eſſe ſtatuit, eum tanto facilius admiſſurum eſſe veriſimile eſt creaturarum aliarum, puta Angelorum & Divorum cultum. Sane ex omni veterum cenſu nemo eſt, cujus errores tam cupide, tamque ſtudioſe notati fuerint, quam Origenis. Ejus incommode dicta de Filio ab omnibus ſugillata ſcimus; eoque etiam acrius, quod non deeſſent, qui eum ab hac criminatione purgarent. Sed inter omnes ejus cenſores, nullus quod ſciam, vnquam extitit, qui virum argueret perperam de Angelorum cultu ſenſiſſe, aut ab Eccleſiæ ſui ævi fide, atque vſu hac in parte diſceſſiſſe. Maligne ergo in Origenem Perronius, & in nos ſophiſtice agit, qui ex paucis de Filio non ſatis caute dictis infamare, ſuſpectumque veluti nullius fidei reddere nititur illum omnium *celeberrimum commentarium* (vt vere ait Baronius) *quo cum Celſi, tum etiam Gentilivm omnium ac Iudæorum disjecit in Chriſtianam pietatem molitiones, & arietes comparatos*. Hanc ſcilicet Perronius Origeni pro tam eximio labore gratiam rependit, vt eum faciat inteſtabilem. Altera quæ ab operis genere ſumpta eſt cauſa, non eſt priori melior. Vult Perronius noſtros vetuſtiſſimæ illius memoriæ Theologos, in libris adverſus Paganos ſuis, horum de religione ſententias potius disjicere & evertere ſtuduiſſe, quam noſtram ædificare aut confirmare; Eccleſiaſticos adeo ritus, atque cultus, nonniſi parce & maligne retexiſſe. Itaque alio in loco, vbi eandem calumniam repetit, fingit apud Patres in hujuſmodi cauſa verſantes *ſilentia, reticentias, & diſſimulationes occurrere; multa eos celare, diſſimulare, & invertere; ſubterfugere ſtudioſiſſime, ac declinare omnes de ſolenni ſanctorum apud Eccleſiam cultu loquendi occaſiones, ne Pagani ſi hæc reſciſcerent, ea in nos retorquerent; atque ita ſe geſſiſſe priorum maxime ſæculorum Patres, quibus ſcilicet Pagani Chriſtianorum ritus, atque obſervationes particulares nondum perfecte norant.* Hæc ille; ad quæ illud mihi venit in mentem, quod dicit Irenæus adverſus conſimiles hæreticorum, quos

CAPUT XXXVII.

Bar. a. D. 243. §. 3.

Du Perr. Repl. l. 5. c. 20. p. 993.

CAPUT XXXVII. Iren.l.3.c.2. *qui †conantur. Iren.ibid. Tertull. de Praſc.c.25. p.240.A.

confutat, ſtrophas; *Adverſus tales certamen nobis eſt* *, *more ſerpentum lubrici vndique effugere conantes* †. Hæretici enim illi veteres, cum ex Apoſtolorum litteris conveniebantur, eas *accuſabant, quaſi non recte habeant, neque ſint ex auctoritate, & quia varie ſint dicta. & quia non poſſit ex his inveniri veritas ab his, qui neſciant traditionem.* Cum vero ex Apoſtolorum prædicatione, cujus adhuc vivebat apud Eccleſias recens memoria, revincebantur, alij quidem alia criminabantur; ſed ex iis fuiſſe docet Tertullianus, qui reſponderent, Apoſtolos *non omnia omnibus revelaſſe; quædam enim palam & vniverſis; quædam ſecreto & paucis demandaſſe.* Horum vafritiem egregie æmulatur Perronius. Nam ex Scripturis negat veritatem haberi poſſe abſque traditione, & *varie dictas* eſſe cauſatur, & obſcure, & ambigue, & *auctoritate* apud homines per ſe carere, neque ad omnia neceſſaria ſufficere; vt notum eſt ex libris, quos ea de re edidit. Idem vero ſi ex traditione & prædicatione vetuſtiſſimorum Patrum conveniatur, negat eos omnia aperte dicere; alia *palam*, alia *ſecreto*, quædam *vniverſis*, quædam *paucis* revelare. Ita in craſſo illo ſuo de Euchariſtia opere tranſſubſtantiationis myſterium fingit à Patribus publice occultatum; in arcano habitum, neque niſi initiatis patefactum; fruſtra adeo quæri in publicis eorum ad omnes ſermonibus. Nunc iiſdem technis ad ſuum Divorum cultum tuendum vtitur, caviſſe Patres, præſertim vetuſtiores, ne quid de eo ad Paganos emanaret; itaque non alios, quam ſuos, neque alibi quam in angulo, certe in arcano, de hoc ritu docuiſſe. Ita hæretici veteres; ita noſter nunc Perronius, quæ nuſquam apud Apoſtolos eorumque proximos ſucceſſores inveniunt, ea ex cauſæ ſuæ neceſſitate fingunt ab his conſulto, ac de induſtria fuiſſe occultata, quodamque taciturnitatis & ſilentij velo obvmbrata. Sed hoc Perronij commentum multa refellunt. Ac primo quidem ejus vanitas apertiſſime inde arguitur, quod nulla in aliis magis, quam in polemicis aut Apologeticis Patrum adverſus Paganos libris, reperitur Latini in Angelos & Divos cultus mentio. Omnia cujuſcumque cenſus atque ordinis antiquitatis, quæ ſuperſunt monumenta, excuſſimus; diſputationes adverſus hæreticos, exegeſes in Scripturam, epiſtolas ad familiares, cujuſvis argumenti, plæraſque eccleſiaſtici, Martyriorum actus, hiſtorias, homilias, etiam arcanas Eccleſiaſticorum rituum conſtitutiones ac formas; neque in vlla omnium iſtarum litterarum parte vllum magis, quam in Origenis contra Celſum opere, religioſi illius in ſanctos cultus veſtigium vſpiam deprehendere potuimus. Atqui ſi verum eſſet, quod Perronius ſomniat, hoc arcanum non alibi celari vel occultari debebat, quam in ea veterum librorum parte, quæ apud Paganos, vel contra eos agit, ex ipſa figmenti adducta à Perronio ratione. Cum ergo par vbique de Latina Divorum *dulia* ſilentium in omnibus veris veterum libris occurrat, neceſſe eſt aliam ejus fuiſſe

cau-

cauſam, quam eam, quæ à Perronio fingitur; cauſam eam ſubeſſe oportet, quæ efficiat, ut in omnibus libris taceri debuerit hoc myſterium. Hujuſmodi autem cauſa ulla idonea neque dici, neque cogitari alia poteſt, præter eam ipſam, quam nos indagavimus; Patres nimirum id arcanum ubique diligentiſſime tacuiſſe, quia id iis plane erat ignotum. Fruſtra laborat Perronius in quærenda ratione, cur Origenes in opere contra Celſum nunquam Angelorum cultum poſuerit. Quærat, cur neque ille, neque cæteri qui ad a. D. 302. vixerunt, eum uſpiam conſtituerint aut ſignificaverint. Sed tantus artifex de inveniendo tantæ, támque late patentis rei colore probabili deſperavit. Ergo in ea, quam nos diximus, ratione conquieſcamus; Nihil veteres, de hoc cultu uſpiam dixiſſe, quia eum neſciebant. 2. Sed pro nobis contra Perronium hic militat Bellarmini auctoritas, qui Paganis, quæ ſuus Collega vult fuiſſe occulta, ea contendit fuiſſe notiſſima; cum ſcribit (quod ſupra recitavimus) noſtros ab Ethnicis fuiſſe ſemper *idololatriæ propter cultum Sanctorum accuſatos*; eos adeo *vidiſſe à Chriſtianis Sanctos paßim religioſe coli.* En iſtorum purpuratorum inter ſe conſenſum, atque concordiam! *Sanctos à Chriſtianis paſſim religioſe coli*; id Paganis alter primis ſæculis ignotum fuiſſe vult; alter *ſemper cognitum fuiſſe* affirmat. Tum pugnat hoc commentum cum vetuſtiſſimorum Patrum in religionis negotio ſinceritate & fide; qui ſe ipſi diſerte negant religionem ſuam occultare; qui eam ſe aperte habere profitentur; qui ſe ad hoc ut quicquid ipſis à Chriſto & Apoſtolis erat traditum, libere apud omnes enuntiarent, & Domini præcepto, & Apoſtolorum exemplo obligari teſtantur; qui Valentinianos damnant, atque irrident aliter inſtituentes, & ſua veluti quædam ſacra Eleuſinia, non aliis aperientes, quam qui ſuum iis nomen jam dediſſent; quod quia eſt à nobis ſupra in diſputatione de Euchariſtiæ adoratione demonſtratum, hic iterum perſequi nihil neceſſe eſt. 4. Pugnat etiam hoc figmentum cum ipſo veterum illorum facto, qui in ſuis Apologeticis ſe omnes ſuæ religionis ſententias & ritus bona fide expoſituros profitentur; ut videre eſt & apud Iuſtinum ubi de baptiſmo & euchariſtia agit, & apud Tertullianum, qui ſe edicit *omnem ſacramenti noſtri ordinem* explicaturum, & *negotia Chriſtianæ factionis editurum.* 5. Sed eorumdem ſapientiam etiam gravius pulſat iſta calumnia. Quam enim quæſo, Perronius facit iſtorum prudentiam, qui ea Paganos celarent, quibus ſi qua hujuſmodi revera apud noſtros fuiſſent, nihil erat illis gratius, aut jucundius in Chriſtianorum religione futurum? At timuerunt (inquit) ne Pagani repercuſſo in noſtros Sanctorum cultu ſuam in Deos religionem purgarent. Sed facile erat colorem diluere, aperiendo id, quod res eſt, Sanctos & Dei ſummi amicos fuiſſe, quos ipſi colebant; Dei hoſtes, & Satanæ mancipia, quos Pagani adorabant. Ita diſcuſſo hoc evanido argumento, illud lucrati eſſent, quod erat iis

BBbb 3 optan-

CAPUT XXXVII.

Bell. de Sanct. beat. l. 1. c. 13. extr.

Iuſt. Apol. 2. Tertull. Apol. c. 2. ſub extr. & c. 39. init.

CAPVT XXXVII. optandum, ne Pagani noſtros, velut miniſtrorum divinorum contemptores, & ab omni religionis humanæ ratione alienos, exſecrarentur. Hoc, quod erat ambiendum, fugiſſe noſtros; quod captandum, declinaſſe; quod accipiendum, ſubterfugiſſe, vult Perronius; qua ſapientia quid ſtultius, aut abſurdius, aut magis præpoſterum dici vel cogari poteſt? Huc accedit, quod inepte & inconſulte ea celantur, quæ latere non poſſunt. Paganos vero qui latere potuiſſet noſtrorum in Sanctos religio ſi publica eadem ſolenniſque apud eos erat, vt fuiſſe neceſſe eſt, ſi vere erat ab Apoſtolis tradita? Fac à noſtris ita fuiſſe occultaram, vt nemo vnquam eos exterorum deprehenderit illam exercentes; nemo à fidei domeſticis quicquam de ea didicerit; quis transfugas & apoſtatas prohibebat arcanum vulgare, & Paganis, ad quos tranſibant, ea prodere, vnde ſuorum Deorum cultum à noſtris vexatum vlciſci, & in noſtrorum capita repercutere poſſent? Cum ergo nulla eſſet hujus vitandi incommodi via, aut ratio, quod noſtros metuiſſe vaticinatur Perronius, ſi id re vera metuiſſent, rem ipſi potius vltro explicaſſent, & quid ſuæ in Divos religiones à Paganorum in Deos cultu diſcreparent, candide aperuiſſent; non ridicula & puerili prudentia id, quod omnium ſenſibus expoſitum erat, ſua diſſimulatione ſuoque ſilentio occultari poſſe ſperaſſent. Præterea, vnde conjicit Perronius noſtros illius ævi homines tam levi metu eo impelli potuiſſe, vt apud Paganos profiteri cunctarentur, quod ſibi eſſet ab Apoſtolis traditum? Quod hominem crucifixum, ac mortuum colerent, & quidem ſumma quadam, Deique vnius eximia religione; id, vt liquet, parem Paganis, imo majorem, in noſtros retaliandi anſam præbebat; quam ſane neque Celſus, neque alij prætermiſerunt, vt ſupra non vno exemplo demonſtravimus. Non ideo tamen noſtros Chriſti, licet veri hominis, vereque mortui, cultum palam publiceque apud Paganos profiteri vel piguit, vel puduit; etiam in libris adverſus eos aut elencticis, aut Apologeticis; vt ex Iuſtino, Tertulliano, hoc ipſo Origene, & aliis patet. Ergo neque Sanctorum cultum, ſi vere factitaſſent, iidem erubuiſſent. Nullas magis in hoc, quam in ſuperiori, latebras quæſiviſſent, ſed ſinceri, veraceſque homines aperta fronte apud ſe tam Sanctos coli pro Divis, quam Chriſtum pro Deo adorari rotunde profeſſi eſſent. Denique ſi vt ſtatuit Perronius, pietatis, & prudentiæ atque caritatis rationes hunc Sanctorum cultum Paganos, quoad fieri poteſt, celari poſtulant; cur aliter inſtituerunt poſteriorum temporum Chriſtiani? Nam ab his Sanctos magnis honoribus palam publiceque, videntibus, ac ringentibus, forte etiam ridentibus Paganis, jam adulto quarto ſæculo & ſequentibus affectos fuiſſe, & Perronius cæterique Latini contendunt, & nos fatemur, & Iuliani atque Eunapij, & Fauſti Manichæi ſupra à nobis memoratæ exprobrationes vincunt. Hos ne deſipuiſſe putat Perronius? Quid vero de ſuis Latinis omnibus dicit, quos

vbicumque ſunt, etiam apud Paganos & idololatras, cultum illum Divorum ſuorum nunquam occultaſſe auditum eſt? Quid? Ieſuitasne, omnium hominum non calidiſſimos modo & prudentiſſimos, ſed etiam vaferrimos ac verſutiſſimos, ſtultitiæ damnare audebit, qui cultum Divorum ſuum Paganos adeo nō celant, vt etiam apud eos oſtentent, nihilque fere habeant antiquius, quam vt eum & catechumenos ſtatim & ipſos etiam exteros & à ſuis ſacris plane alienos doceant? neque ſemel glorientur hanc ad convertendas Gentilium ad fidem mentes methodum ac rationem eſſe commodiſſimam? vt patet ex non paucis quæ ſupra attigimus, exemplis? Si ſapiunt iſti, (& profecto ſapiunt, ſi ſupponamus Divorum cultum verum ac legitimum eſſe) neceſſe eſt fateri caſcos illos majores noſtros, primorum ſæculorum Chriſtianos homines ſtultiſſimos, atque inſipientiſſimos fuiſſe, qui Paganis hanc de colendis Divis doctrinam cum noſſent ipſi, & arcte cum Ieſuitis (ſi Perronio credimus) tenerent, non modo nunquam vltro prædicarunt & oſtentarunt, ſed etiam enixe celarunt, omnibuſque modis providerunt, ne quis de ea rumor, neque ſuſpicio ad eos emanare poſſet. At cōſtat illos veteres primos proximoſque Apoſtolorum diſcipulos non fuiſſe ſtultos, ac ne ipſo quidem Divo Loyola (abſit verbo invidia) multo inferiores, quod quidem ad eas artes pertinet, quibus hominum animi ad Chriſti fidem imbuendi atque inſtituendi ſunt. Ergo eo denique concedendum eſt, vt fateamur eos cultum illum Sanctorum neſciviſſe, quem ſi ſciviſſent ſcilicet, Paganos celare abſque inſigni imprudentia non poterant. Sed quid ego in Chimæra confodienda verba tam multa perdo? Nam ſi à Perronio quæſiviſſes, vnde hoc tam mirificum arcanum didiciſſet? quo ex prima illa antiquitate auctore, quo teſte, quo indice reſciviſſet vetuſtiſſimos trium primorum ſæculorum Patres, Divos quidem hodierno Latinorum more ac ritu coluiſſe; conſtanter tamen ea de re tacuiſſe in ſuis adverſus Paganos diſputationibus, & quidem conſulto hanc ſuæ fidei partem, qui cæteras apertiſſime vulgant, tacuiſſe, & ſub involucris quarundam *reticentiarum & diſſimulationum* texiſſe, ne illi inde occaſionem arriperent has Chriſtianorum religiones in ſe retorquendi; haud equidem ſcio, quid reſponſurus fuerit ſi viveret; hoc certo ſcio nullum omnis hujus conjecturæ afferri vel ab eo potuiſſe, vel ab aliis nunc poſſe, è veris ipſorum de quibus quæritur, Theologorum libris quantumvis leve argumentum. Sed ille fortaſſe putavit ſatis futuram Latinæ purpuræ auctoritatem ad dandum fumo huic ſuo pondus. Quod enim hic nobis obtrudit Hieronymi teſtimonium, quæſo, nonne bellum eſt tantæ rei fulcrum? Vt ſciamus, quis noſtrorum fuerit primis tribus ſæculis cultus, quis ritus, quæ ſcriptorum ejuſdem ævi methodus, quæ cogitatio, quæque conſilia, teſtem edit quadraginta circiter annis poſt eos mortuos natum. Tum ipſum teſtimonium quod & quale ſit,

CAPVT XXXVII.

ſit, ſpectemus. Dicit-ne aliquid de cultu Sanctorum à noſtris antiquiſſimæ memoriæ Theologis adverſus Paganos diſputantibus vel occultato, vel diſſimulato? Dicit-ne totam illam Chriſtianorum in Sanctos religionem ab Origene nominatim in opere adverſus Celſum aut callide prætermiſſam, aut vafre diſſimulatam, aut veteratorie declinatam, aut verborum ambiguis eluſam? Dicit-ne denique ita & hunc & cæteros in illis locis ſe geſſiſſe, ne Paganis anſam præberent noſtra in nos ſuorum ſimilia retorquendi? Hoc vero Perronij quidem ſomnium eſt; Hieronymi vero teſtimonium nullum eſt; qui toto loco de cultu Sanctorum, deque Origenis & Patrum vetuſtiorum in eo tractando reticentiis, atque artibus, deque Paganorum in noſtrorum caput retorſionibus non magis loquitur, quam de nivibus Alpinis. Quid ergo tandem ait Hieronymus? Ille, vt quædam à ſe adverſus Iovinianum ardentius, atque incautius dicta à quorundam obtrectationibus purgaret, inter multa, quæ more ſuo ad hoc argumentum traducit, notat ex Rhetorum ſcholis aliud eſſe γυμναστικῶς ſcribere; aliud δογματικῶς; genus illud liberius, hoc aſtrictius eſſe; in illo licere. *Argumentari, vt libet; aliud loqui, aliud agere; in hoc aperta fronte & ingenue docendum, potius quam pugnandum.* Prioris generis præter Demoſthenem, & Marcum Tullium & alios exteros, etiam de noſtris exempla affert Origenem, Methodium, Euſebium, Apollinarem, ac de his loquens; *Multis* (inquit) *verſuum millibus ſcribunt adverſus Celſum & Porphyrium. Conſiderate quibus argumentis, & quam lubricis problematibus Diaboli ſpiritu contexta ſubvertant. Et quia interdum coguntur loqui, non quod ſentiunt, ſed quod neceſſe eſt, dicunt adverſus ea, quæ dicunt Gentiles.* Hæc quidem Hieronymus, in quibus ſua credo, fretus aruſpicina Perronius omnia vidit, quæ ei de Patrum circa cultum Sanctorum reticentia ſomniare libuit. Nos, qui neque aruſpices ſumus, neque aruſpicibus credimus, nihil hujuſmodi in his videmus; & Perronium clariora, certioraque poſcimus, ſi nobis quæ cupit, perſuadere velit. Non modo autem Hieronymus de *Sanctorum cultu*, & *Origenis circa eum reticentiis*; nihil dicit; ſed ne de publicis quidem Eccleſiæ Chriſtianæ dogmatis, aut traditionibus in genere loquitur. De iis loquitur primo quæ ad *argumentandum*, & ad errorem adverſarij *evertendum* aſſumuntur; quo in genere non ſemper neceſſaria, ſed interdum etiam *probabilia* adhiberi ſciunt omnes eruditi; ſecundo etiam de iis verba facit, quæ ſcriptores acutis atque vrgentibus adverſarij argumentis coacti, vt ex objectis difficultatibus eluctentur, aliquando non ſatis accurate expenſa excuſſaque effundunt; eo enim clare pertinet quod ait Hieronymus, te, *vbi cogeris, loqui, non quod ſentias dicere; ſed quod neceſſe eſt.* Quale eſt exempli cauſa, quod Perronio in hoc ipſo loco accidit. Is enim cum objectis ex Origenis contra Celſum opere locis vrgeretur, videretque de Angelorum cultu actum eſſe, ſi is fidem,

Hier. Apol. ad Pamm. T.2 fol.38.L.

quam

quam meretur, obtineret; id eum dicere cauſæ iniquitas ſubegit, non quod ipſe *ſentiebat*, ſed quod *neceſſe erat*, ad ſuam theſim ex his anguſtiis ſubducendam. Abſit enim, vt virum eruditum, & in veterum libris non indiligenter verſatum illud quod dixit, plane abſurdum atque incredibile, ex animo ſenſiſſe perſuaſumque habuiſſe exiſtimem; Patres ſcilicet in ſuis adverſus Paganos diſputationibus publicos & vniverſales Chriſtianorum cultus atque ritus occultaſſe, diſſimulaſſe, & contrariis in ſpeciem aſſertionibus ejerare, certe inficiari videri voluiſſe. Sed quia tela objecta non aliter facile excuti poterant, quam ſi hoc diceret; maluit hoc ipſum dicere, quam cauſa, cui vni ſtudet, cadere; Maluit & Origenem & alios ejuſdem ævi Patres ſophiſtas & veteratores eſſe, haberique, quam cultum Divorum ſuum iis recentiorem videri. Quod ergo Perronio & hic & ſæpe alibi vſuvenit, id ipſum ſcribit Hieronymus Origeni, & cæteris quos nominat, in diſputationibus contra Celſum & Porphyrium accidiſſe, vt interdum & *lubricis problematibus*, neque ſatis accuratis validiſque *argumentis* adverſarium oppugnarent, & ad ejus objectiones ſolvendas eas nonnunquam dicerent, non quæ *ſentirent* ipſi, ſed quæ loci, in quem erant compulſi, *iniquitas* exigebat. Eo vero proceſſiſſe, vt communia Eccleſiaſticæ fidei capita, publicoſque & ab Apoſtolis traditos ritus *occultarent*, *diſſimularent*, & de iis pulſati aliud, quam quod re vera erat, præter ſuam & publicam totius Eccleſiæ ſententiam, dicerent; neque ſcribit hic Hieronymus, neque cordatus quiſquam admiſerit. Perronius, quem cauſæ ſtudium interdum ea vt diximus, *loqui* cogit, quæ *ſenſiſſe* non videtur, ne ipſe quidem ita ſibi indulſit, vt publicas Eccleſiæ Latinæ, quam defendit, δόξας ſolemneſq; vſus ac ritus *occultare*, *diſſimulare*, *invertere* ſuſtinuerit. Sanctorum ergo cultus, qui ex ejus & omnium Latinorum hypotheſi, ſolennis publicuſque fuit totius, quæ tum erat, Eccleſiæ ritus, jam inde ab Apoſtolis ad Origenem conſtanter ab omnibus Chriſtianis factitatus, nihil commune habet cum iis, quæ Hieronymus intelligit, dum illos quos nominat, viros ait interdum *id dicere non quod ſentiunt, ſed quod neceſſe eſt*, cum clarum manifeſtumque ſit hic eum loqui de iis, quæ ad ſolvendum adverſarij argumentum aſſumuntur; minime vero de publicis Eccleſiæ Chriſtianæ vel dogmatis, vel ritibus, in quibus Latini ſuum Divorum cultum cenſent. Quamquam ne hoc quidem ipſum, quod iſtis ſcriptoribus impingit Hieronymus, facile equidem admiſerim; certe in Origene, cujus opus extat, nihil tale cernimus; vt eo argumento cogar de Methodio, de Euſebio, & Apollinari, quorum prolixæ adverſus Porphyrium diſputationes magno rei Chriſtianæ damno interciderunt, nonnihil dubitare, vererique ne Hieronymus & hic, vt ſolet, fervore ingenij & ira atque indignatione in obtrectatores ſuos longius provectus fuerit, quam decebat. Illud quidem nemo vt opinor, pius facile concoxerit, quod non hoc modo

CAPVT XXXVII.

CAPVT XXXVII.

Hier. Apol. ad Pamm. T.2. fol. 58. M.

Eccleſiaſticos ſcriptores, ſed ipſum etiam divinum Apoſtolum Paulum eadem fuligine non obſcure oblinit; cum ſcribere non veretur *eum in epiſtolis ad Romanos, ad Galatas, ad Epheſios in teſtimoniis quæ ſumit de veteri Teſtamento*, valde eſſe *artificem & prudentem, & diſſimulatorem ejus quod agit*; & teſtimonia illa *aliter in ſuis locis, aliter in ejus epiſtolis ſonare*; *exempla captiva ſervire Paulo ad victoriam, quæ ſuis in voluminibus non dimicant*. Quæ, ſiquid intelligo, Apoſtolum ſignificant iis & verbis & exemplis, quæ ex veteri inſtrumento citat, præter genuinum eorum ſenſum eſſe abuſum, eaque ad rem ſuam invita atque reluctantia detorſiſſe. Nollem virum maximum ſuos affectus, vel vt liberius dicam, ſua peccata in Chriſti Apoſtolum contuliſſe. Quicquid enim de ſuo illo γυμναστικῶς diſputandi genere dicat, vix poſſum mihi perſuadere viri non dico pij & Chriſtiani, ſed vel gravis, vel veracis, ac non potius ſophiſtæ ac veteratoris eſſe iſta, quæ Origeni & Methodio & aliis, & ipſi etiam (quod dolendum eſt) Paulo tribuit, *id dicere* ſcilicet *non quod ſentias, ſed quod neceſſe eſt*, & divinarum litterarum teſtimonia *captiva* abducere, cogereque *dimicare* pro nobis, & ad noſtram *victoriam*, quæ ſuopte ingenio, ſuiſque in locis nulla dimicant. Sed hæc obiter. Illud ſatis eſt, quod Perronij de Patrum adverſus Paganos diſputationibus commentum exploſimus; nullaque ratione, nullo auctore, aut teſte niti oſtendimus; imo cum rerum ipſarum, aut auctorum, de quibus quæritur, ratione ita pugnare, vt nihil fingi poſſit abſurdius. Itaque valent, valebuntque firma & inconcuſſa, quæ ex præclariſſimo Origenis contra Celſum Paganum opere deſcripſimus de Angelis non colendis diſertiſſima teſtimonia.

CAPVT

CAPVT XXXVIII.

Refellitur inſignis Perronij ſophiſtica, ex quadam Origenis rejectione colligentis ei notam fuiſſe & probatam cultus religioſi in varias, eaſque diſpares ſpecies diſtinctionem; adeoque Angelorum & Divorum δουλείαν. Demonſtratur ex veris Origenem quicquid eſt religioſi cultus, id totum uni Deo tribuiſſe; plane nullam ejus partem Dei miniſtris, quantumlibet præcellentibus, reliquiſſe; neque iis alium quam ἐγκωμιαστικὸν, & μιμήσεως honorem ab hominibus Chriſtianis tribuendum eſſe, docuiſſe. Concluditur tota de Divorum cultu diſputatio.

NEQVE vero illa alia audienda ſunt quæ his diffiſus addit Perronius, & infra iterum in eodem opere repetit. Cætera ſuis quæque locis diſcuſſa ſunt. Vnum eſt, quod conſulto huc uſque diſtuli, quia ſingularem conſiderationem mereri videbatur. Celſus ex ſolenni Ieſu Chriſti apud noſtros cultu concludebat etiam ſecundum ipſos non ſolum Deum, ſed etiam ejus miniſtros colendos eſſe; *nihil* (inquit) *in Deum ſe peccare putant, ſi etiam ejus miniſter cultus fuerit,* οὐδὲν πλημμελεῖν νομίζουσι περὶ τὸν θεὸν, εἰ καὶ ὑπηρέτας αὐτοῦ θεραπεύοιεν. Origenes ad hæc primo negat, nos quod Filium colamus, eo recte exiſtimari alium, quam Deum ſummum rerum omnium Dominum colere; quos Chriſtus in Evangelio docuit, Patrem & Filium unum eſſe; Tum aliis quibuſdam adjectis, id quod de *miniſtrorum cultu* Celſus dixerat, proprie expendens; *Si* (inquit) *intelligeret veros Dei poſt ipſius Unigenitum miniſtros, Gabrielem, Michaëlem, cæteroſque Angelos & Archangelos, & hos diceret oportere* θεραπεύεσθαι *coli forſitaſſe colendi* τοῦ θεραπεύεσθαι *ſignificatum repurgantes, & ejus qui colit* τοῦ θεραπεύοντος *actiones, aliquid de hoc loco dixiſſemus pro tanta rei dignitate, & pro captu noſtræ intelligentiæ. Nunc quando miniſtros eos putat & intelligit qui à gentibus adorantur dæmones, non abducit nos, ut conſequenter tales colamus, quos Verbum oſtendit miniſtros eſſe maligni & principis hujus ſæculi, ad defectionem à Deo quoſcumque poteſt pertrahentis.* εἰ μὲν οὖν ἐνόει τοὺς ἀληθῶς ὑπηρέτας τοῦ θεοῦ μετὰ τὸν μονογενῆ τοῦ θεοῦ, τὸν Γαβριὴλ καὶ τὸν Μιχαὴλ καὶ τοὺς λοιποὺς ἀγγέλους καὶ ἀρχαγγέλους, καὶ τούτους ἔλεγε δεῖν θεραπεύεσθαι, τάχα ἂν τὸ περὶ τοῦ θεραπεύειν σημαινόμενον ἐκκαθαίροντες καὶ τὰς τοῦ θεραπεύοντος πράξεις, εἴπομεν ἄν τινα τοῦ τόπου, ὡς περὶ τηλικούτων διαλεγόμενοι, ὑπὲρ ὃ χωροῦμεν εἰς αὐτὰ νοῆσαι. νυνὶ δὲ ὑπηρέτας νομίζων τοὺς προσκυνουμένους ὑπὸ τῶν ἐθνῶν δαίμονας, οὐχ ὑπάγει ἡμᾶς ἀκολουθίᾳ τῷ περὶ θεραπεύειν τοὺς τοιούτους, οὓς ὑπηρέτας τοῦ πονηροῦ ὁ λόγος ἀποδείκνυσι, καὶ ἄρχοντος τοῦ αἰῶνος τούτου ἀφιστάντος ἀπὸ τοῦ θεοῦ οὓς ἂν δύνηται. Hunc locum

Du Perr. Repl. l. 5. c. 13. p. 849 & c. 20. p. 903.

Orig. contr. Cels. l. 8. p. 397. in.

CAPVT XXXVII.

Iren.l.3.c.2. *qui †conantur. *Iren.ibid.*

Tertull. de Praſc. c.25. p.240. A.

confutat, ſtrophas; *Adverſus tales certamen nobis eſt *, more ſerpentum lubrici undique effugere conantes †*. Hæretici enim illi veteres, cum ex Apoſtolorum litteris conveniebantur, eas *accuſabant, quaſi non recte habeant, neque ſint ex auctoritate, & quia varie ſint dicta. & quia non poſſit ex his inveniri veritas ab his, qui neſciant traditionem.* Cum vero ex Apoſtolorum prædicatione, cujus adhuc vivebat apud Eccleſias recens memoria, revincebantur, alij quidem alia criminabantur; ſed ex iis fuiſſe docet Tertullianus, qui reſponderent, Apoſtolos *non omnia omnibus revelaſſe; quædam enim palam & univerſis; quædam ſecreto & paucis demandaſſe.* Horum vafritiem egregie æmulatur Perronius. Nam ex Scripturis negat veritatem haberi poſſe abſque traditione, & *varie dictas* eſſe cauſatur, & obſcure, & ambigue, & *auctoritate* apud homines per ſe carere, neque ad omnia neceſſaria ſufficere; vt notum eſt ex libris, quos ea de re edidit. Idem vero ſi ex traditione & prædicatione vetuſtiſſimorum Patrum conveniatur, negat eos omnia aperte dicere; alia *palam*, alia *ſecreto*, quædam *univerſis*, quædam *paucis* revelare. Ita in craſſo illo ſuo de Euchariſtia opere tranſſubſtantiationis myſterium fingit à Patribus publice occultatum; in arcano habitum, neque niſi initiatis patefactum; fruſtra adeo quæri in publicis eorum ad omnes ſermonibus. Nunc iiſdem techmis ad ſuum Divorum cultum tuendum vtitur, caviſſe Patres, præſertim vetuſtiores, ne quid de eo ad Paganos emanaret; itaque non alios, quam ſuos, neque alibi quam in angulo, certe in arcano, de hoc ritu docuiſſe. Ita hæretici veteres; ita noſter nunc Perronius, quæ nuſquam apud Apoſtolos eorumque proximos ſucceſſores inveniunt, ea ex cauſæ ſuæ neceſſitate fingunt ab his conſulto, ac de induſtria fuiſſe occultata, quodamque taciturnitatis & ſilentij velo obvmbrata. Sed hoc Perronij commentum multa refellunt. Ac primo quidem ejus vanitas apertiſſime inde arguitur, quod nulla in aliis magis, quam in polemicis aut Apologeticis Patrum adverſus Paganos libris, reperitur Latini in Angelos & Divos cultus mentio. Omnia cujuſcumque cenſus atque ordinis antiquitatis, quæ ſuperſunt monumenta, excuſſimus; diſputationes adverſus hæreticos, exegeſes in Scripturam, epiſtolas ad familiares, cujuſvis argumenti, plæraſque eccleſiaſtici, Martyriorum actus, hiſtorias, homilias, etiam arcanas Eccleſiaſticorum rituum conſtitutiones ac formas; neque in vlla omnium iſtarum litterarum parte vllum magis, quam in Origenis contra Celſum opere, religioſi illius in ſanctos cultus veſtigium vſpiam deprehendere potuimus. Atqui ſi verum eſſet, quod Perronius ſomniat, hoc arcanum non alibi celari vel occultari debebat, quam in ea veterum librorum parte, quæ apud Paganos, vel contra eos agit, ex ipſa figmenti adducta à Perronio ratione. Cum ergo par vbique de Latina Divorum *dulia* ſilentium in omnibus veris veterum libris occurrat, neceſſe eſt aliam ejus fuiſſe cau-

cauſam, quam eam, quæ à Perronio fingitur; cauſam eam ſubeſſe oportet, quæ efficiat, vt in omnibus libris taceri debuerit hoc myſterium. Hujuſmodi autem cauſa vlla idonea neque dici, neque cogitari alia poteſt, præter eam ipſam, quam nos indagavimus; Patres nimirum id arcanum vbique diligentiſſime tacuiſſe, quia id iis plane erat ignotum. Fruſtra laborat Petronius in quærenda ratione, cur Origenes in opere contra Celſum nunquam Angelorum cultum poſuerit. Quærat, cur neque ille, neque cæteri qui ad a. D. 302. vixerunt, eum vſpiam conſtituerint aut ſignificaverint. Sed tantus artifex de inveniendo tantæ, támque late patentis rei colore probabili deſperavit. Ergo in ea, quam nos diximus, ratione conquieſcamus; Nihil veteres, de hoc cultu vſpiam dixiſſe, quia eum neſciebant. 2. Sed pro nobis contra Perronium hic militat Bellarmini auctoritas, qui Paganis, quæ ſuus Collega vult fuiſſe occulta, ea contendit fuiſſe notiſſima; cum ſcribit (quod ſupra recitavimus) noſtros ab Ethnicis fuiſſe ſemper *idololatriæ propter cultum Sanctorum accuſatos*; eos adeo *vidiſſe à Chriſtianis Sanctos paſſim religioſe coli*. En iſtorum purpuratorum inter ſe conſenſum, atque concordiam! *Sanctos à Chriſtianis paſſim religioſe coli*; id Paganis alter primis ſæculis ignotum fuiſſe vult; alter *ſemper cognitum fuiſſe* affirmat. Tum pugnat hoc commentum cum vetuſtiſſimorum Patrum in religionis negotio ſinceritate & fide; qui ſe ipſi diſerte negant religionem ſuam occultare; qui eam ſe aperte habere profitentur; qui ſe ad hoc vt quicquid ipſis à Chriſto & Apoſtolis erat traditum, libere apud omnes enuntiarent, & Domini præcepto, & Apoſtolorum exemplo obligari teſtantur; qui Valentinianos damnant, atque irrident aliter inſtituentes, & ſua veluti quædam ſacra Eleuſinia, non aliis aperientes, quam qui ſuum iis nomen jam dediſſent; quod quia eſt à nobis ſupra in diſputatione de Euchariſtiæ adoratione demonſtratum, hic iterum perſequi nihil neceſſe eſt. 4. Pugnat etiam hoc figmentum cum ipſo veterum illorum facto, qui in ſuis Apologeticis ſe omnes ſuæ religionis ſententias & ritus bona fide expoſituros profitentur; vt videre eſt & apud Iuſtinum vbi de baptiſmo & euchariſtia agit, & apud Tertullianum, qui ſe edicit *omnem ſacramenti noſtri ordinem* explicaturum, & *negotia Chriſtianæ factionis editurum*. 5. Sed eorumdem ſapientiam etiam gravius pulſat iſta calumnia. Quam enim quæſo, Perronius facit iſtorum prudentiam, qui ea Paganos celarent, quibus ſi qua hujuſmodi revera apud noſtros fuiſſent, nihil erat illis gratius, aut jucundius in Chriſtianorum religione futurum? At timuerunt (inquit) ne Pagani repercuſſo in noſtros Sanctorum cultu ſuam in Deos religionem purgarent. Sed facile erat colorem diluere, aperiendo id, quod res eſt, Sanctos & Dei ſummi amicos fuiſſe, quos ipſi colebant; Dei hoſtes, & Satanæ mancipia, quos Pagani adorabant. Ita diſcuſſo hoc evanido argumento, illud lucrati eſſent, quod erat iis

CAPVT XXXVII.

Bell. de Sāct. beat. l. 1. c. 13. extr.

Iuſt. Apol. 2. Tertull. Apol. c. 2. extr. & c. 39. init.

vbicumque ſunt, etiam apud Paganos & idololatras, cultum illum Divorum ſuorum nunquam occultaſſe auditum eſt? Quid? Ieſuitasne, omnium hominum non calidiſſimos modo & prudentiſſimos, ſed etiam vaferrimos ac verſutiſſimos, ſtultitiæ damnare audebit, qui cultum Divorum ſuum Paganos adeo nõ celant, vt etiam apud eos oſtentent, nihilque fere habeant antiquius, quam vt eum & catechumenos ſtatim & ipſos etiam exteros & à ſuis ſacris plane alienos doceant? neque ſemel glorientur hanc ad convertendas Gentilium ad fidem mentes methodum ac rationem eſſe commodiſſimam? vt patet ex non paucis quæ ſupra attigimus, exemplis? Si ſapiunt iſti, (& profecto ſapiunt, ſi ſupponamus Divorum cultum verum ac legitimum eſſe) neceſſe eſt fateri caſcos illos majores noſtros, primorum ſæculorum Chriſtianos homines ſtultiſſimos, atque inſipientiſſimos fuiſſe, qui Paganis hanc de colendis Divis doctrinam cum noſſent ipſi, & arcte cum Ieſuitis (ſi Perronio credimus) tenerent, non modo nunquam vltro prædicarunt & oſtentarunt, ſed etiam enixe celarunt, omnibuſque modis providerunt, ne quis de ea rumor, neque ſuſpicio ad eos emanare poſſet. At cõſtat illos veteres primos proximoſque Apoſtolorum diſcipulos non fuiſſe ſtultos, ac ne ipſo quidem Divo Loyola (abſit verbo invidia) multo inferiores, quod quidem ad eas artes pertinet, quibus hominum animi ad Chriſti fidem imbuendi atque inſtituendi ſunt. Ergo eo denique concedendum eſt, vt fateamur eos cultum illum Sanctorum neſciviſſe, quem ſi ſciviſſent ſcilicet, Paganos celare abſque inſigni imprudentia non poterant. Sed quid ego in Chimæra confodienda verba tam multa perdo? Nam ſi à Perronio quæſiviſſes, vnde hoc tam mirificum arcanum didiciſſet? quo ex prima illa antiquitate auctore, quo teſte, quo indice reſciviſſet vetuſtiſſimos trium primorum ſæculorum Patres, Divos quidem hodierno Latinorum more ac ritu coluiſſe; conſtanter tamen ea de re tacuiſſe in ſuis adverſus Paganos diſputationibus, & quidem conſulto hanc ſuæ fidei partem, qui cæteras apertiſſime vulgant, tacuiſſe, & ſub involucris quarundam *reticentiarum* & *diſſimulationum* texiſſe, ne illi inde occaſionem arriperent has Chriſtianorum religiones in ſe retorquendi; haud equidem ſcio, quid reſponſurus, fuerit ſi viveret; hoc certo ſcio nullum omnis hujus conjecturæ afferri vel ab eo potuiſſe, vel ab aliis nunc poſſe, è veris ipſorum de quibus quæritur, Theologorum libris quantumvis leve argumentum. Sed ille fortaſſe putavit ſatis futuram Latinæ purpuræ auctoritatem ad dandum fumo huic ſuo pondus. Quod enim hic nobis obtrudit Hieronymi teſtimonium, quæſo, nonne bellum eſt tantæ rei fulcrum? Vt ſciamus, quis noſtrorum fuerit primis tribus ſæculis cultus, quis ritus, quæ ſcriptorum ejuſdem ævi methodus, quæ cogitatio, quæque conſilia, teſtem edit quadraginta circiter annis poſt eos mortuos natum. Tum ipſum teſtimonium quod & quale ſit,

CAPVT XXXVII.

ſit, ſpectemus. Dicit-ne aliquid de cultu Sanctorum à noſtris antiquiſſimæ memoriæ Theologis adverſus Paganos diſputantibus vel occultato, vel diſſimulato? Dicit-ne totam illam Chriſtianorum in Sanctos religionem ab Origene nominatim in opere adverſus Celſum aut callide prætermiſſam, aut vafre diſſimulatam, aut veteratorie declinatam, aut verborum ambiguis eluſam? Dicit-ne denique ita & hunc & cæteros in illis locis ſe geſſiſſe, ne Paganis anſam præberent noſtra in nos ſuorum ſimilia retorquendi? Hoc vero Peronij quidem ſomnium eſt; Hieronymi vero teſtimonium nullum eſt; qui toto loco de cultu Sanctorum, deque Origenis & Patrum vetuſtiorum in eo tractando reticentiis, atque artibus, deque Paganorum in noſtrorum caput retorſionibus non magis loquitur, quam de nivibus Alpinis. Quid ergo tandem ait Hieronymus? Ille, ut quædam à ſe adverſus Iovinianum ardentius, atque incautius dicta à quorundam obtrectationibus purgaret, inter multa, quæ more ſuo ad hoc argumentum traducit, notat ex Rhetorum ſcholis aliud eſſe γυμναστικῶς ſcribere; aliud δογματικῶς; genus illud liberius, hoc aſtrictius eſſe; in illo licere *argumentari, ut libet; aliud loqui, aliud agere; in hoc aperta fronte & ingenue docendum, potius quam pugnandum.* Prioris generis præter Demoſthenem, & Marcum Tullium & alios exteros, etiam de noſtris exempla affert Origenem, Methodium, Euſebium, Apollinarem, ac de his loquens; *Multis* (inquit) *verſuum millibus ſcribunt adverſus Celſum & Porphyrium. Conſiderate quibus argumentis, & quam lubricis problematibus Diaboli ſpiritu contexta ſubvertant. Et quia interdum coguntur loqui, non quod ſentiunt, ſed quod neceſſe eſt, dicunt adverſus ea, quæ dicunt Gentiles.* Hæc quidem Hieronymus, in quibus ſua credo, fretus aruſpicina Perronius omnia vidit, quæ ei de Patrum circa cultum Sanctorum reticentia ſomniare libuit. Nos, qui neque aruſpices ſumus, neque aruſpicibus credimus, nihil hujuſmodi in his videmus; & Perronium clariora, certioraque poſcimus, ſi nobis quæ cupit, perſuadere velit. Non modo autem Hieronymus de *Sanctorum cultu, & Origenis circa eum reticentiis*; nihil dicit; ſed ne de publicis quidem Eccleſiæ Chriſtianæ dogmatis, aut traditionibus in genere loquitur. De iis loquitur primo quæ ad *argumentandum*, & ad errorem adverſarij *evertendum* aſſumuntur; quo in genere non ſemper neceſſaria, ſed interdum etiam *probabilia* adhiberi ſciunt omnes eruditi; ſecundo etiam de iis verba facit, quæ ſcriptores acutis atque urgentibus adverſarij argumentis coacti, ut ex objectis difficultatibus eluctentur, aliquando non ſatis accurate expenſa excuſſaque effundunt; eo enim clare pertinet quod ait Hieronymus, te, *ubi cogeris, loqui, non quod ſentias dicere; ſed quod neceſſe eſt.* Quale eſt exempli cauſa, quod Perronio in hoc ipſo loco accidit. Is enim cum objectis ex Origenis contra Celſum opere locis urgeretur, videretque de Angelorum cultu actum eſſe, ſi is fidem,

Hier. Apol. ad Pamm. T.2 fol.38.L.

quam

quam meretur, obtineret; id eum dicere cauſæ iniquitas ſubegit, non quod ipſe *ſentiebat*, ſed quod *neceſſe erat*, ad ſuam theſim ex his anguſtiis ſubducendam. Abſit enim, vt virum eruditum, & in veterum libris non indiligenter verſatum illud quod dixit, plane abſurdum atque incredibile, ex animo ſenſiſſe perſuaſumque habuiſſe exiſtimem; Patres ſcilicet in ſuis adverſus Paganos diſputationibus publicos & vniverſales Chriſtianorum cultus atque ritus occultaſſe, diſſimulaſſe, & contrariis in ſpeciem aſſertionibus ejerare, certe inficiari videri voluiſſe. Sed quia tela objecta non aliter facile excuti poterant, quam ſi hoc diceret; maluit hoc ipſum dicere, quam cauſa, cui vni ſtudet, cadere; Maluit & Origenem & alios ejuſdem ævi Patres ſophiſtas & veteratores eſſe, haberique, quam cultum Divorum ſuum iis recentiorem videri. Quod ergo Perronio & hic & ſæpe alibi vſuvenit, id ipſum ſcribit Hieronymus Origeni, & cæteris quos nominat, in diſputationibus contra Celſum & Porphyrium accidiſſe, vt interdum & *lubricis problematibus*, neque ſatis accuratis validiſque *argumentis* adverſatium oppugnarent, & ad ejus objectiones ſolvendas eas nonnunquam dicerent, non quæ *ſentirent* ipſi, ſed quæ loci, in quem erant compulſi, *iniquitas* exigebat. Eo vero proceſſiſſe, vt communia Eccleſiaſticæ fidei capita, publicoſque & ab Apoſtolis traditos ritus *occultarent, diſſimularent*, & de iis pulſati aliud, quam quod re vera erat, præter ſuam & publicam totius Eccleſiæ ſententiam, dicerent; neque ſcribit hic Hieronymus, neque cordatus quiſquam admiſerit. Perronius, quem cauſæ ſtudium interdum ea vt diximus, *loqui* cogit, quæ *ſenſiſſe* non videtur, ne ipſe quidem ita ſibi indulſit, vt publicas Eccleſiæ Latinæ, quam defendit, δόξας ſolemneſq; vſus ac ritus *occultare, diſſimulare, invertere* ſuſtinuerit. Sanctorum ergo cultus, qui ex ejus & omnium Latinorum hypotheſi, ſolennis publicuſque fuit totius, quæ tum erat, Eccleſiæ ritus, jam inde ab Apoſtolis ad Origenem conſtanter ab omnibus Chriſtianis factitatus, nihil commune habet cum iis, quæ Hieronymus intelligit, dum illos quos nominat, viros ait interdum *id dicere non quod ſentiunt, ſed quod neceſſe eſt*, cum clarum manifeſtumque ſit hic eum loqui de iis, quæ ad ſolvendum adverſatij argumentum aſſumuntur; minime vero de publicis Eccleſiæ Chriſtianæ vel dogmatis, vel ritibus, in quibus Latini ſuum Divorum cultum cenſent. Quamquam ne hoc quidem ipſum, quod iſtis ſcriptoribus impingit Hieronymus, facile equidem admiſerim; certe in Origene, cujus opus extat, nihil tale cernimus; vt ex argumento cogar de Methodio, de Euſebio, & Apollinari, quorum prolixæ adverſus Porphyrium diſputationes magno rei Chriſtianæ damno interciderunt, nonnihil dubitare, vereorque ne Hieronymus & hic, vt ſolet, fervore ingenij & ita atque indignatione in obtrectatores ſuos longius provectus fuerit, quam decebat. Illud quidem nemo vt opinor, pius facile concoxerit, quod non hoc modo

CAPVT XXXVII.

Hier. Apol. ad Pamm. T.2.fol.58. M.

Eccleſiaſticos ſcriptores, ſed ipſum etiam divinum Apoſtolum Paulum eadem fuligine non obſcure oblinit; cum ſcribere non veretur *eum in epiſtolis ad Romanos, ad Galatas, ad Epheſios in teſtimoniis quæ ſumit de veteri Teſtamento*, valde eſſe *artificem* & *prudentem, & diſſimulatorem ejus quod agit*; & teſtimonia illa *aliter in ſuis locis, aliter in ejus epiſtolis ſonare; exempla captiva ſervire Paulo ad victoriam, quæ ſuis in voluminibus non dimicant.* Quæ, ſiquid intelligo, Apoſtolum ſignificant iis & verbis & exemplis, quæ ex veteri inſtrumento citat, præter genuinum eorum ſenſum eſſe abuſum, eaque ad rem ſuam invita atque reluctantia detorſiſſe. Nollem virum maximum ſuos affectus, vel vt liberius dicam, ſua peccata in Chriſti Apoſtolum contuliſſe. Quicquid enim de ſuo illo γυμναστικῶς diſputandi genere dicat, vix poſſum mihi perſuadere viri non dico pij & Chriſtiani, ſed vel gravis, vel veracis, ac non potius ſophiſtæ ac veteratoris eſſe iſta, quæ Origeni & Methodio & aliis, & ipſi etiam (quod dolendum eſt) Paulo tribuit, *id dicere* ſcilicet *non quod ſentias, ſed quod neceſſe eſt*, & divinarum litterarum teſtimonia *captiva* abducere, cogereque *dimicare* pro nobis, & ad noſtram *victoriam*, quæ ſuopte ingenio, ſuiſque in locis nulla dimicant. Sed hæc obiter. Illud ſatis eſt, quod Perronij de Patrum adverſus Paganos diſputationibus commentum exploſimus; nullaque ratione, nullo auctore, aut teſte niti oſtendimus; imo cum rerum ipſarum, aut auctorum, de quibus quæritur, ratione ita pugnare, vt nihil fingi poſſit abſurdius. Itaque valent, valebuntque firma & inconcuſſa, quæ ex præclariſſimo Origenis contra Celſum Paganum opere deſcripſimus de Angelis non colendis diſertiſſima teſtimonia.

CAPVT

CAPVT XXXVIII.

Refellitur inſignis Perronij ſophiſtica, ex quadam Origenis rejectione colligentis ei notam fuiſſe & probatam cultus religioſi in varias, eaſque diſpares ſpecies diſtinctionem; adeoque Angelorum & Divorum δουλείαν. Demonſtratur ex veris Origenem quicquid eſt religioſi cultus, id totum uni Deo tribuiſſe; plane nullam ejus partem Dei miniſtris, quantumlibet præcellentibus, reliquiſſe; neque ys alium quam ἐπαινετικὸν, & μιμητικὸν honorem ab hominibus Chriſtianis tribuendum eſſe, docuiſſe. Concluditur tota de Divorum cultu diſputatio.

NEQVE vero illa alia audienda ſunt quæ his diffiſus addit Perronius, & infra iterum in eodem opere repetit. Cætera ſuis quæque locis diſcuſſa ſunt. Vnum eſt, quod conſulto huc uſque diſtuli, quia ſingularem conſiderationem mereri videbatur. Celſus ex ſolenni Ieſu Chriſti apud noſtros cultu concludebat etiam ſecundum ipſos non ſolum Deum, ſed etiam ejus miniſtros colendos eſſe; *nihil* (inquit) *in Deum ſe peccare putant, ſi etiam ejus miniſter cultus fuerit,* οὐδὲν πλημμελεῖν νομίζουσιν εἰς τὸν θεὸν, εἰ καὶ ὑπηρέτας αὐτοῦ θεραπεύουσι. Origenes ad hæc primo negat, nos quod Filium colamus, eo recte exiſtimari alium, quam Deum ſummum rerum omnium Dominum colere, quos Chriſtus in Evangelio docuit, Patrem & Filium unum eſſe; Tum aliis quibuſdam adjectis, id quod de *miniſtrorum cultu* Celſus dixerat, proprie expendens; *Si* (inquit) *intelligeret veros Dei poſt ipſius Vnigenitum miniſtros, Gabrielem, Michaëlem, cæteroſque Angelos & Archangelos, & hos diceret oportere* θεραπεύεσθαι *coli fortaſſe colendi* τοῦ θεραπεύεσθαι *ſignificatum repurgantes, & ejus qui colit* τοῦ θεραπεύοντος *actiones, aliquid de hoc loco dixiſſemus pro tanta rei dignitate, & pro captu noſtræ intelligentiæ. Nunc quando miniſtros eos putat & intelligit qui à gentibus adorantur dæmones, non abducit nos, ut conſequenter tales colamus, quos verbum oſtendit miniſtros eſſe maligni & principis hujus ſæculi, ad defectionem à Deo quoſcunque poteſt pertrahentis.* εἰ μὲν οὖν ἐνόει τοὺς ἀληθῶς ὑπηρέτας τοῦ θεοῦ μετὰ τὸν μονογενῆ τοῦ θεοῦ, τὸν Γαβριὴλ καὶ τὸν Μιχαὴλ καὶ τοὺς λοιποὺς ἀγγέλους, ἀρχαγγέλους, καὶ τούτους ἔλεγε δεῖν θεραπεύεσθαι, ἴσως ἄν τι περὶ τοῦ θεραπεύειν αὐτοὺς σημαινόμενον ἐκκαθάραντες καὶ τὰς τοῦ θεραπεύοντος πράξεις, εἴπομεν ἄν τινα εἰς τὸν τόπον, ὡς περὶ τηλικούτων διαλεγόμενοι, ὑπὲρ ἐχώρει τὸ ἀξίωμα αὐτῶν νοῆσαι. νυνὶ δὲ ὑπηρέτας νομίζων τοὺς προσκυνουμένους ὑπὸ τῶν ἐθνῶν δαίμονας, οὐχ ὑπάγει ἡμᾶς ἀκολουθίᾳ τῇ περὶ θεραπεύειν τοὺς τοιούτους, οὓς ὑπηρέτας τοῦ πονηροῦ ὁ λόγος ἀποδείκνυσι, καὶ ἄρχοντος τοῦ αἰῶνος τούτου ἀφιστάντος ἀπὸ τοῦ θεοῦ οὓς ἂν δυνήσηται. Hunc locum

Du Perr. Repl. l. 5. c. 13. p. 849 & c. 20. p. 903.

Orig. contra Cels. l. 8. p. 397. in.

CAPVT XXXVIII

Du Perr. vb. ſupr. Repl. p. 849. extr. 850. ead quoque habet p. 903.

quod *rejectione* (vt vocant Rhetores) uſus ſit Origenes, invadit Perronius, inſidiis opportunum ratus ; atque ita ad eum diſſerit , *In eodem* (inquit) *opere, de Angelorum adoratione loquens* (Origenes ſcilicet) *dicit, ſi Celſus Angelorum nomine veros Dei Angelos , vt Gabrielem, Michaëlem , & alios Angelos & Archangelos intelligeret, eoſque adorandos eſſe contenderet , ſe fortaſſe & vocabuli adorare ſignificationem repurgando , & ipſius adorantis actiones , id eſt ſacrificiorum oblationes, & latriæ actus, de quibus loquebatur Celſus , aliquid ea de re dicturum*, & cætera, vt modo ex ipſo Origene exhibui ; quibus deſcriptis ita pergit Perronius ; *Ex his* (inquit) *conficitur Origenem in eo opere non omnia, quæ de his ſentiebat, aperire, ſed quædam reticere.* Hæc ille ; in quibus fraude-ne , an incogitantia & inſcitia , neſcio ; certe multipliciter peccat. Ac vt à poſtremo ordiar , omnes vident quam ſit futilis ea argumentatio, quam ex hac Origenis *rejectione* nectit, hinc concludens eum, quæ de Angelorum cultu ſentiebat , noluiſſe in hoc opere reſerare, & aperte enunciare. Quid enim ? quoties aliquis ſcriptor certo ſui operis loco rem eatenus tantum explicat, quatenus ad id quod agit, ſatis eſt, cætera quæ de ea dici poſſent, alio reiicit & in præſens dimittit ; toties-ne erit putandum aliquid iſtic ineſſe myſterij, quod auctor non auſit enuntiare ? Nugæ. *Rejectio* figura eſt omnibus ſcriptoribus familiaris ; qua quid alio reiicitur, quod eo loco , vnde reiicitur , dici nihil neceſſe eſt ; vt Origenem de θεραπείᾳ illa quam Celſus *miniſtris* Dei vindicabat , nihil profecto neceſſe fuit hoc loco philoſophari operoſius, vel actus in quibus ſita eſt, ſubtilius inter ſe diſtinguere ; ſatis erat omnem quæcumque tandem illa ſit , iſtis à Celſo memoratis *miniſtris* θεραπείαν ſimul ſemelq; quod fecit negare ; cum *miniſtros* Celſus dæmonas intelligeret , quibus veluti Dei hoſtibus nihil vel leviſſimi honoris debetur. Hic eſt ſimpliciſſimus Origenicæ hoc loco rejectionis ſenſus , vt Perronius aciem plane verberet , qui hinc ſua ſomnia nulla ratione confirmare tentet. Sed in loco ipſo interpolando ac pervertendo multo gravius ac licentius peccavit. Mitto quod initio ſtatim , Origenem ait loqui de *Angelorum adoratione* , & Celſum *Angelos adorandos* dixiſſe ; quod quanta cum ſecuritate iis affingatur patet ex eorum quæ deſcripſimus , verbis ; in quibus Celſus , non *Angelum*, ſed *miniſtrum*, ὑπηρέτην , neque *adorari* , ſed θεραπεύεσθαι dicit, eademque Origenes poſt eum repetit. Hæc leviora. Illud palmarium Perronij facinus eſt, quod fingit Origenem dicere *ſe vocabuli* adorare *ſignificationem repurgaturum, & adorantis actus.* Atqui apud eum neque *adorandi* vocabulum, neque *actus adorantis* vlli occurrunt ſed τοῦ θεραπεύειν τὸ σημαινόμενον , καὶ τοῦ θεραπεύοντος πράξεις. Illud vero quis ſatis mirari poſſit , quod has quas Origenes dicit θεραπεύοντος πράξεις , noſter *ſacrificiorum oblationes & latriæ actus eſſe* confidentiſſime pronuntiat, tametſi neque de *ſacrificiis* neque de *latria* vel vnum toto hoc loco

μῶν

μοῦ vel Origenis, vel Celſi legatur? Sed ita ſcilicet inſinuandum erat lectoribus imperitis Latinorum de *latria duliaque* diſtinctionem Origeni cognitam fuiſſe & probatam, eumque Angelis *ſacrificia* quidem *ſanctus latriæ* negaſſe, *duliæ* vero *adorationem* non negaſſe, ſed vna cum Latinis detuliſſe. Tanti hoc fecit Perronius, vt ea mercede Origenis voces pro ſua libidine mutare atque interpolare nihil veritus ſit. Nos itaque vt ejus in hunc locum fraus omnis pateſiat, lectores primum monemus verbum προσκυνεῖν, quod eſt *adorare* nuſquam hoc in loco eſſe vel à Celſo, vel ab Origene vſurpatum; niſi ſemel, vbi in vero & vſitato ſenſu pro cultu religioſo ſumitur, cum dicit noſter τοὺς προσκυνουμένους ὑπὸ τῶν ἐθνῶν δαίμονας *dæmones, qui à Gentibus adorantur*; ſed neque vllum hic eorum verborum adhibitum eſt, quæ apud Græcos de cultu tantum religioſo accipi ſolent; quale eſt τὸ σέβειν & σέβεσθαι; Item θρησκεύειν, & alia ſiqua ſint ejuſdem notæ. Celſus vſus erat verbo θεραπεύειν; ex ipſis Chriſtianis Chriſtum colentibus, contendens nihil eos peccare à quibus Dei miniſter θεραπεύεται, idque ipſum verbum (quod accuratum diſputatorem decebat) conſtanter toto loco retinuit Origenes. Iam vero θεραπεύω non eſt *adoro*; neque ejuſdem cum σέβω & θρησκεύω notionis, quæ ſemper, vt & προσκυνεῖν de cultu religioſo dicuntur. Non ita θεραπεύειν, quod interdum quidem, ſed rarius pro hujuſmodi cultu ſumitur. Itaque veteres gloſſæ Græco-latinæ ne hanc quidem ſignificationem commemorant hoc verbum explicantes θεραπεύω, *remedior, medico, medeor*. θεραπεύομαι. *medicor*. Phavorinus juxta veteres Grammaticos ex quibus ſua compilavit, θεραπεύω, τὸ δουλεύω. ſervio, à θεράπων ſcilicet ſervus, famulus; quod Homerus fere vſurpat pro amico amicum ſed ſuperiorem, curante, eique miniſtrante. θεραπεύειν, τὸ ἰᾶσθαι. ἀγαθοὶ θεράποντες ἔρισθε, καὶ θεραπεύειν τοὺς θεούς. Ex quibus exemplis patet hoc verbum, quatenus ſignificat *honorare & obſervare*, & de humano honore, quo præſtantes viros obſervamus, & de religioſo, quo Deum colimus, dici indifferenter. Cum ergo media ſit & ad vtrumq; honorem indifferenter ſe habeat hæc vox θεραπεύειν merito ſe ejus ſignificationem purgaturum eſſe dicit Origenes, ſi explicandum ſumeret, quænam θεραπεία obſeruatio miniſtris Dei exhibenda ſit, & τὰς τοῦ θεραπεύοντος πράξεις, *actus obſervantis* diſtincturum; Nimirum actus cultuſque religionis, qui vni Deo, ab iis obſervantiæ honoriſque actibus, qui etiam creaturis exhiberi poſſunt; non autem *latriam* à *dulia*, vt ſomniat Perronius. Hanc autem quam dixi, veram eſſe Origenis mentem, primo inde patet, quod vbi de eo honore quæritur, qui Græce προσκύνησις, σέβασμα, θρησκεία dicitur, nunquam ille vllos adorantium, colentiumque actus diſtinguit, quorum aliquos Deo vni vindicet; alios etiam Angelis, aut Sanctis cœlitibus concedat; ſed ſemper ſimpliciter ſine vlla vel vocum vel actuum diſtinctione, omnem προσκύνησιν, σέβασμα, & θρησκείαν Deo quidem vni tribuat, An-

CAPUT XXXVIII

gelis vero & cæteris omnibus creaturis negat; in hoc vno loco, vbi Celſus de θεραπείας locutus erat, diſtinctionem illam adhibiturum ſe fuiſſe dixerit; Cujus diſcriminis nullam mihi Petronius rationem idoneam ex ſua expoſitione dabit; ego ex mea facile expediam. Nam ſi quod ille ſtatuit, quidam actus illius cultûs qui verbis προσκυνεῖν, σέβειν, & θεραπεύειν ſignificatur, Angelis tam legitime deferri poſſunt, quam ejus honoris actus, qui verbo θεραπεύειν exprimuntur; ratio dici nulla poteſt, cur vt Celſo Dei miniſtros debere θεραπεύεσθαι affirmante, Origenes τὸ τοῦ θεραπεύειν ὄνομα ὁμώνυμον purgandum eſſe ait; ita & alibi eodem contendente *Dei miniſtros* debere προσκυνεῖσθαι, & σέβεσθαι, non itidem diſtinguat horum verborum ſenſum, quod nunquam feciſſe reperitur. Mihi vero hujus diverſitatis ratio eſt in promptu. Cum enim verba hæc poſteriora non alium quam religioſum cultum apud Græcos ſignificent. Origenes qui omnem religioſum cultum vni Deo conſtantiſſime vindicat, nihil neceſſe habuit diſtinguere, quoties illa verba Celſus uſurpavit. De verbo θεραπεύω, aliter res habet: quo cum is honos in genere ſignificetur; tum qui religionis, tum qui obſervantiæ humanæ eſt, nequid ob ambiguitatem turbare poſſet Celſus, merito Origenes diſtinctione opus futurum dicit ad illud explicandum, quod contendebat Celſus etiam miniſtrum Dei ſine crimine θεραπεύεσθαι. Vnde videre eſt hinc quidem quanta quamque accurata ſit hujus viri in diſputationibus prudentia, nil temere, nil abſque ratione adverſario concedentis, aut negantis; inde vero, quanta Petronij imprudentia, qui ſuam religioſi cultus in *duliam & latriam* diviſionem ſperavit ex eo loco confecturum ac confirmaturum, quo ea cum alijs ſimilibus collato apertiſſime evertitur. Sed & aliud eſt, quo nos doceri poſſumus, quæ vera Origenis mens in iſtis fuerit. Negat nunc neceſſe eſſe verbi θεραπεύειν ſignificationem purgare, & τῶν θεραπευόντων actus diſtinguere, quod Celſus eos *miniſtros*, quos vult θεραπεύεσθαι, dæmonas intelligat, non Dei, ſed Diaboli miniſtros; Ait ſe illa diligentius fuiſſe atque enucleatius exſecuturum, deque re tota pro ejus dignitate & ſuo captu aliquid dicturum, ſi bonos veroſque Dei miniſtros, quales ſunt Michaël & Gabriel alijque Angeli & Archangeli, Celſus diceret oportere θεραπεύεσθαι. Iam ergo videamus, quomodo in hujuſmodi locis ſiqui ſint, ſe gerat, & Celſo veris Dei miniſtris cultum & honores vindicanti reſpondeat. Eſt autem inſignis quidam hujus generis locus, in quo Celſus queritur, quod Iudæi quoſdam, non profecto dæmonas, ſed veros & innoxios, obſequentiſſimoſque Dei miniſtros minime tamen colant; nempe Solem, Lunam, & planetas cæteros vna cum ſtellis fixis, quos iſte *illuſtriſſimos eſſe ait rerum ſuperiorum præcones, ac vere cœleſtes Angelos*, τοὺς ἐναργεστάτους τῶν ἄνω κήρυκας τοὺς ὡς ἀληθῶς οὐρανίους ἀγγέλους. Vt autem vis noſtri hujus argumenti percipiatur, inprimis meminiſſe nos decet quid Origenes de ſiderum natura ſenſerit. Ille vero & hoc ipſo in loco

Orig. l. 5. cont. Celſ. p. 240.

& alibi

& alibi conſtantiſſime ſtatuit *cœli ſidera animantia eſſe rationalia, virtute prædita illuſtrata cognitionis lumine à ſapientia illa, quæ eſt ſplendor æterni luminis; ac ſenſibile quidem eorum lumen opus eſſe Creatoris rerum omnium intelligibile vero* (id eſt cognitionem & ſapientiam) *fortaſſe etiam ipſorum eſſe* (opus ſcilicet) *& ex libero eorum arbitrio adveniſſe*, εἴπερ (inquit) καὶ ἐν ὕψει ὄντα ἐφωτίσθη λογικά, καὶ σπουδαῖα, καὶ ἐφωτίσθη τῷ φωτὶ τῆς γνώσεως ὑπὸ τῆς σοφίας, ἥτις ἐστὶν ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου, καὶ γὰρ τὸ μὲν αἰσθητὸν φῶς αὐτῶν ἔργον ἐστὶ τοῦ τῶν ὅλων δημιουργοῦ, τὸ δὲ νοητὸν, τάχα καὶ αὐτῶν, καὶ ἐκ τοῦ ἐν αὐτοῖς αὐτεξουσίου ἐπηκολουθέν. Quæ vltima verba ſignificant ſidera ſummam illam vim intelligentiæ, qua eorum mentes illuſtrari putat fortaſſe ex bono rectoque liberi arbitrij vſu fuiſſe à Deo Opt. Maxim. conſecuta. Et mox *ſe* (id eſt Chriſtianos) credere vel perſuaſos eſſe ſcribit, quod ipſe Sol, & *Luna, & ſtellæ preces Deo offerant rerũ omniũ*; Domino per vnigenitũ ejus. πεπείσμεθα δὲ καὶ αὐτὸν ἥλιον καὶ σελήνην καὶ ἀστέρας εὔχεσθαι τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ διὰ τοῦ μονογενοῦς αὐτοῦ. Eadem in aliis quoque operibus non ſemel docet; ac nominatim Solem, Lunam & ſidera Deum & Chriſtum adorare, non tamen *corporalibus genibus inflexis* noſtro mortalium more, modoque [a]. Neque ſolus ita ſenſit. Et Clemens Alexandrinus [c], & Recognitionum auctor Pſeudo-clemens, vterque Origene vetuſtior, & ex poſterioribus non pauci, eadem ſecuti ſunt; vt ipſe etiam Auguſtinus dubitet, neque obſcure in hanc partem propendeat. Origenem ergo qui de Sole, & ſideribus ita ſentiret, manifeſtum eſt iis duliæ cultum ex Latinorum quidem hypotheſi (ſi eam ſequebatur) debuiſſe deferre. Itaque vrgenti Celſo, & Iudæos quod ſidera religioſe non colerent, accuſanti, ita ſatisfacere debuit, vt τὴν θρησκείαν (eo enim vocabulo hic vſus erat Celſus) diſtingueret (quod ſe ſupra de θρησκείας vocabulo in ſimili cauſa facturum fuiſſe dixerat) & quandam ejus partem (eam ſcilicet quæ apud Latinos *duliæ* nomine cenſetur) & Iudæos prius, & nunc Chriſtianos Soli & aliis ſtellis exhibere fateretur; alteram vero θρησκείας partem, quæ *latria* Latinis dicitur, vni Deo cujus eximia eſt, non autem Soli aut alicui creaturæ deferre. Ita Celſi calumniam plane digneque retudiſſet Iudæos impudenter criminantis, quod Solem & ſidera *nihili facerent*. Omnes ni fallor ſatis vident ſic omnino decuiſſe Origenem (ſi is ipſi fuit ſenſus atque animus, quem ei Perronius tribuit.) totam hanc ſuam ad Celſi dicta reſponſionem inſtituere. Atqui ille nihil horum agit; neque θρησκείας vel προσκυνήσεως quod idem eſt vocabulum purgat, neque τοῦ θρησκευτικοῦ ſive προσκυνητικοῦ actus vlla in hujus ſermonis parte diſtinguit. Sed longe alia agit. Ac primo quidem quod Celſus Iudæis affinxerat, eos cœlum & Angelos qui in cœlo ſunt *colere* σέβειν, id ſimpliciter negat, & Celſi eſſe ψεύσματα putat, exſerte pronuncians *eos nihil aliud COLERE quam ſummum Deum, cœli & aliorum omnium conditorem*, ὅτι οὐδὲν ἄλλο ΣΕΒΟΥΣΙΝ ἢ τὸν ἐπὶ πᾶσι Θεὸν ὃς ἐποίησε τὸν οὐρανὸν

καὶ,

CAPVT XXXVIII

Id. ibid. p. 244.

Ibid. p. extr.

a ibidem περὶ ἀρχ. l. 1. c. 7 p. 684. & in Ioan Tom. 1. p. 259.

b Orig. in Rom. c. 14 l. 9. p. 616.

c Clem. Alex. in Eclog. Proph. p. 808.

d Clem. Recogn. l. 5. fol. 30. B.

Orig. contr. Celſ. l. 5. p. 240. CXXIII.

CAPVT XXXVIII

Id. ibid. p. 241. 242. ro-tus.

καὶ τῷ λοιπῷ αὐτοῦ. Vt de cœlo negat; ſic quoque de Angelis; *Sed neque Angelos qui in cœlo ſunt, quiſquam* (inquit) *adorat, eorum qui legi Moſaïcæ ſerviunt.* ἀλλ' οὐδὲ τοὺς ἐν τῷ οὐρανῷ ἀγγέλους οὐδεὶς τῶν ἀληθῶς τῷ Μωϋσέως νόμῳ προσκυνεῖ. Non προσκυνεῖν magis quam σέβειν diſtinguit; neque illa quæ toties Perronius crepat Dei propria *ſacrificia* à cæteris προσκυνήσει, etiam Angelorum legitimæ, diſcriminat. Ergo nullos ejus gradus, nulla diſcrimina norat; Totam Deo, nullam Angelis decernebat. Idem non ſemel continenter & repetit & ex Scripturis firmat, totumque hunc locum diligentiſſime ac fuſiſſime

ibid. p. 243.

exſequitur. Tum à Iudæis ad Chriſtianos tranſit, quorum totam hanc cauſam cum Iudæis communem facit, præfatus; *neque noſtros vel Angelos, vel Solem, vel Lunam & ſtellas adorare,* ὅτι μὴ προσκυνεῖν ἀγγέλους καὶ ἥλιον καὶ σελήνην καὶ ἄστρα; Et cur hos, quos Gentiles conſpicuos ac ſenſibiles Deos. ἐμφανεῖς καὶ αἰσθητοὺς θεοὺς nominabant, Chriſtiani minime *adorarent*, rationes ex Scripturis multas

ibid.

adfert, & quidem luculentas, ex quibus negat rationi eſſe conſentaneum, qui edocti ſunt ſupra omnes creaturas generoſe tranſcendere, ſperareque à Deo præclara viræ bene actæ præmia, quique ſe mundi lucem eſſe à Chriſto audierant, quique ad immarceſcibilem ſapientiam, æternæ lucis ſplendorem contendunt, eos ad Solis & alio-

ibid. p. 244.

rum ſiderum lucem ſenſibilem expaveſcere, *eaque adorare*, αἰσθητοῖς προσκυνῆσαι. Mox ſidera animata eſſe, Deoque ſervire & luce etiam intelligibili abundare iis quæ nuper deſcripſimus, verbis fatetur; quo loco omnino erat aperiendum; quænam iis ex illa ſpirituali natura deberetur προσκυνήσεως ſive σεβασμοῦ pars, qui actus τοῦ προσκυνοῦντος *adorantis* legitime iis exhiberi poſſent (ſi de his quidem cultus religioſi gradibus vna cum Latinis ſentiebat.) At ille ne hic quidem quicquam hujuſmodi dicit; ſed poſt illa præclara de Sole & aliis ſi-

ibid.

deribus pronuntiata, ſimpliciter more ſuo adoranda negat; *Et tamen* (inquit) *ne intelligibile quidem hoc eorum lumen adorandum eſt ab eo, qui verũ lumen videt & intelligit,* id eſt ab homine Chriſtiano. ἡ καὶ ἢ οὐδ' αὐτὸ προσκυνεῖσθαι ὑπὸ τοῦ βλέποντος καὶ συνιέντος τὸ ἀληθινὸν φῶς. Deũ namque & ejus Filium ſummam & immenſam lucem cognoſcentes *abſurdum & à ratione alienum eſſe adorare parvam veluti ſcintillam Solis, Lunæ aſtrorumque, ſi conferatur ad verum illud lumen, quod Deus eſt.* Tum negat ſe ideo Solem & ſidera contemnere aut nihili facere aut abjecte de iis cum Anaxagora ſentire; ſed agnoſcere ea magnifica eſſe Dei opera; Deo ſervientia & ſupplicantia, ſed eo ipſo prohiberi ne ea adorent, *judicantes* (inquit) *non decere eos precari, qui ipſi precantur* κρίνοντα μὴ δεῖν εὔχεσθαι τοῖς εὐχομένοις. Quin & Solẽ, & ſidera ipſa ita velle, *noſque ad Deum, quem ipſa precantur, remittere potius quam ad ſe ipſa deiicere ac demittere, vel eam quam habemus precandi poteſtatem à Deo dividere, & aliquam ejus partem etiam ſibi ipſis ſumere,* ἐπεὶ καὶ αὐτὰ ἀναπέμπειν ἡμᾶς βούλονται μᾶλλον ἐπὶ τὸν θεὸν εὐχόμενα, ἢ κατα-

ἢ κατάγειν πρὸς ἑαυτούς, ἢ μείζονα ἡμῶν τὴν εὐκτικὴν δύναμιν ἀπὸ τοῦ θεοῦ CAPVT
καὶ πρὸς ἑαυτούς. Itaque & Solem ipſum inducit ita hominem quem- XXXVIII
que admonentem; *Quid me*, (inquit) *adoras? Dominum enim tuum* *Id. ibid. p. 2.*
adorabis, & ei ſoli ſervies, quem & ego & omnes qui mecum ſunt adoramus & colimus. τί με προσκυνεῖς; Κύριον γὰρ τὸν θεόν σου προσκυνήσεις καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, ὃν κἀγὼ καὶ πάντες οἱ σὺν ἐμοὶ προσκυνοῦμεν καὶ λατρεύομεν. Similia quoque in eam rem habet Recognitionum auctor, vbi de Sole, Luna, & ſideribus, quæ ipſe cum Origene animata eſſe opinatus eſt, ita loquitur; *Gaudent enim etiam hæc, cum ille* (Deus ſcilicet) *adoratur & colitur, nec libenter accipiunt, vt honor Creatoris creaturæ deferatur.* *Clem. Recog. fol. 30. B.* Hic vero Origenes paulo poſt ea, quæ recitavimus, etiam illud addit, *cum Dominus vbique nobiſcum & prope nos adſit, abſurdum eſſe quærere eum precari, qui non ad omnia vſque pertingit* (id eſt qui non vbique præſens eſt) *Solem & Lunam, vel aliam aliquam ſtellam*; *Orig. vb ſup. p. 245.* ὅτε πάντη ἐστὶν ὄντος μεθ' ἡμῶν καὶ πλησίον τυγχάνοντος (Κυρίου ſcilicet) ζητεῖν εὔχεσθαι τῷ μὴ φθάνοντι ἐπὶ τὰ σύμπαντα ἡλίῳ καὶ σελήνῃ ἤ τινι τῶν ἀστέρων. Celſo vero objectanti Solem & ſidera futuras tempeſtates prædicere, eſſeque adeo veluti quoſdam Dei prophetas; *Quid tum?* (inquit noſter) *An non, etiamſi talia prophetent, Deus potius, cui inſervientes prophetant, adorandus & conſiderandus eſt, quam ejus prophetæ?* *Id. ibid.* ἔρ' οὖν εἰ προφητεύουσιν οὗτοι τὰ τοιαῦτα, οὐχὶ μᾶλλον τῷ θεῷ, ᾧ ὑπουργοῦντες προφητεύουσι, προσκυνητέον, κἂν ἦν ἐπὶ πλεῖον, ἤπερ τοῖς προφήταις αὐτοῦ; Tum eo donato, quod volebat Celſus, eos fulgura & fruges & generationes prædicere ac promere; *Non tamen eos* (inquit) *ideo adorabimus, qui ipſi adorant, ſicuti nec Moſen, poſterioreſque Dei Prophetas, qui divinitus prædixerant meliora quam pluvias, æſtus, nubes, tonitrua*, &c. *Id. ibid. p. 246.* ἀλλ' οὐδὲ τοῦτο προσκυνήσομεν τοὺς προσκυνοῦντας. ὡς οὐδὲ Μωϋσέα, καὶ τοὺς μετ' αὐτὸν, ἐκ θεοῦ προφητεύσαντας τὰ κρείττονα ὑετῶν τε καὶ θάλπους, καὶ νεφῶν καὶ βροντῶν. Denique ad id quod Celſus ſolem & planetas extollens ac magnificans Dei *præcones & vere nuntios ſive Angelos cæleſtes* eſſe dixerat, reſpondet hoc etiam ſi donaverit, non eo tamen fieri, vt à nobis adorari debeant. *Qui igitur* (inquit) *etiam ſic non potius adorandus eſt ſolus ille Deus qui ab illis prædicatur & nuntiatur, quam præcones & Angeli ejus?* *Id. ibid.* πῶς οὖν οὐχὶ καὶ οὕτω τὸν κηρυσσόμενον ὑπ' αὐτῶν θεὸν καὶ τὸν ἀγγελλόμενον μόνον μᾶλλον προσκυνητέον ἢ τοὺς κήρυκας καὶ τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ; In ſequentibus Celſi calumniam refellit noſtros criminantis, quod Solem, & Lunam, & ſtellas nihili facerent, adductis è Scriptura teſtimoniis non paucis, in quibus de ſiderum in Deo laudando miniſteriis, deque ſpe revelationis filiorum Dei, quam eis quoque repoſitam eſſe vult, multa magnificentiſſime dicuntur. Hæc omnino eſt Origenis ad illa Celſi de Sole & aliis ſideribus dicta reſponſio, accurata ſane & copioſa; quam hic totam repræſentare libuit, tum vt Perronij cavillatio funditus diſcutiatur, tum vt jam demonſtrata à nobis veritas luculentius confirmetur. Hinc

CAPVT XXXVIII

enim primo illud apparet eſſe longe falſiſſimum, quod ſtatuebat Perronius; Origenem ſi adverſarius veros Dei miniſtros coli propoſuiſſet, fuiſſe varia *adorationis* ſignificata, & *adorantium* actus purgaturum, diſtinctione ſcilicet *duliæ & latriæ* conſimili; & *latriam* quidem & *ſacrificia* Dei vni ſervaturum, alios *adorationis* actus, puta preces, ſupplicationes hymnos, feſtorum celebrationes, & cætera in Divorum honorem apud Latinos nunc ſolennia, etiam veris Dei miniſtris fuiſſe conceſſurum. Atqui hoc loco illum videmus Celſo, non dæmones, ſed veros, ſed ſapientiſſimos & fideliſſimos, & immortales Dei ex Origenis hypotheſi miniſtros coli poſcēti, nihil iſtorū diſtinxiſſe; ſimpliciter & abſolute; nulla adhibita vel vocis, vt vult Perronius, æquivocæ expoſitione, aut actuum adorantis exceptione, *εὐφημεῖν καὶ προσκυνεῖν, cultū & adorationem*, etiā veris, etiā optimis ac laudatiſſimis illis Dei miniſtris negaſſe; non ſemel, atque iterum, ſed quatuordecies, aut quindecies in hac vna reſponſione ſuam illam præfractam negationem repetiviſſe, ne ſemel quidem vel tantillum adorationis etiam minimæ iis conceſſiſſe; ne ſemel quidem innuiſſe ſe latriam ſolam & ſola *ſacrificia* (quibus exceptis Perronius omnia ſalva putat) in cultu illo, quem Dei miniſtris eripit, atque abjudicat, cenſere. Quid? quod Perronianam *duliam* ab hac Dei miniſtris indebita *προσκυνήσει* non modo non excluſit, ſed aperte etiam in ea incluſit? Religioſæ preces partem faciunt *duliæ* primariam. Atqui Solem Origenes tam precandum negat, quam *adorandum*; & quod mireris eo ipſo *precandum* negat, quod *adorari* non debeat. Ergo de Perronij *dulia* actum eſt; niſi eam ille forte ſolenni illo ſuo *orationis abſolutæ & relativæ* polychreſto pharmaco ſanari poſſe putet; concedendo ſcilicet Origenem Soli & ſideribus *abſolutam* quidem, rem ſcilicet vnius Dei, merito negaſſe; *relativam*, non videri invidiſſe. Quod ſi verum eſt, bene cum genere Chriſtiano actum eſt, quod Origenes Papa non fuerit; ſi fuiſſet, Latinorum Eccleſia Litanias credo, ad Solem, ad Lunam, ad Pleïades & ad Orionem nunc haberet; Neque enim ille ad pluvias & ſerenitates & alias tempeſtates, ſiderum, quibus earum rerum diſpenſationem * tribuit, quam Divorum quos nunc Latini ad hoc invocant, minus efficax, minuſve optandum ſuffragium exiſtimaſſe videtur. Quamquam conſulto præcavere voluiſſe videtur, ne quis ſibi Perronianas illas ad Solem *relativi* generis preces affingeret. *Preces* enim ad *Solem* hac ratione excludit, quod abſurdum ſit qui Deum vbique præſentem habemus, Solem qui ad omnia non ſemper præſto eſt, precari; quæ ratio ſi Solem conficit non eſſe *abſolute* precandum conficit profecto eadem neque *relative* eſſe precandum; neque facile capi poteſt, quid ſit ad hanc rationem inter vtrumque orationis genus diſcriminis. Sed ne putemus inter ſidereos illos Angelos & divinos alterius generis miniſtros aliquid Origenem hac in parte poſuiſſe diverſitatis; eadem illa

* Origen. ubi ſupr. πάντα τὰ μνώδη τὰ τοιαῦτα.

opper-

opportune adhibita ratio prohibet. Non enim credo, Gabriel, & Michaël, aut Divus nunc Loyola, vel Xaverius magis quam Sol, & Luna, φθάνουσιν ἐπὶ τὰ σύμπαντα *vniverſa pertingunt*; vt ſi abſurdum ſit *ſidera ideo orare*, quod *non vniverſa pertingant*, non video quî Origeni ſapientius facere videri poſſint, qui Xaverium, aut Loyolam, vel etiã illos alios majorum gentium Divos nunc aſſidue orant. Huc accedit, quod Solẽ & Lunã, etiamſi Prophetæ eſſent, vel ſic negat adorandos; imo diſerte negat ſe, & *Moyſem* & cæteros ejus ſucceſſores *adorare*; imo in genere pronuntiat nõ videri *adorãdos, qui adorãt*; ἢ προσκυνῶμεν τοὺς προσκυνοῦντας; quo & illud hujus ſimile pertinet paulo ante expoſitũ decretũ; Κρίνομεν μὴ δεῖν εὔχεσθαι τοῖς εὐχομένοις*. *Non cenſemus eos precandos, qui ipſi quoq; precantur*; quo gemino ictu tota Latinorũ *dulia* plane cõfoſſa videtur, quæ innumerabiles Divos Divaſq; quotidiẽ & *adorat* & *precatur*, ipſos tamen quoq; & adorantes & precantes; imo quos ad hoc ipſum & *adorat* & *precatur*, vt pro nobis *adorent* & *precentur*, quod eſt, vt videtur, difficile cum hoc Origenis duplici canone conciliare; niſi ſiquid forte futurum ſit ab illa Perroniana, vel *relativa*, vel *abſolute prece*, præſidij. Mitto quod Moyſem, omnium veterum Prophetarum ducem, quem Latini *dulia* æque cũm alijs colendum putant, Origenes nominatim ſe colere poſſe negat. Denique, quod poſtremo Origenes Solem & Lunam, etiamſi *Dei præcones & cœleſtes vere Angeli forent*; ne ſic quidem adorari concedit; eo clariſſime definit neminem eſſe in toto illo Angelorum & Archangelorum choro, quantumlibet eximiæ ſingulariſque ſublimitatis, qui poſſit à nobis adorari ſine gravi crimine; Vnumque omniũ illorum præconum & Angelorum herum ac Dominum Deum hoc adorationis honore dignum eſſe. Ita Latinorum *dulia* cavet ac conſulit Origenes, dum de honore veris Dei miniſtris debito ab adverſario convenitur. Si Perronius queritur eum non præſtitiſſe quod promiſerat, Origenes negabat ſe vnquam promiſiſſe vllam *adorationis & cultus religioſi* in hoc negotio diſtinctionem, aut *actuum adorantis* aliquorum, non vnius Dei propriorum, ſed ejus cum ſuis ſervis communium exceptionem; dicet id ſibi vel per craſſam ſupinamque inſcitiam, vel per inverecundam calumniam, certe præter ſuam mentem, ſuaque verba fuiſſe à Perronio affictum. Ad orationem ſuam provocabit, προσκυνήσεως, aut σεβασμοῦ, aut θρησκείας denique nullam; ſed θεραπείας duntaxat *purgationem*, ſive *diſtinctionem* loquebatur. Hic ergo, vbi Celſus ſolis & ſiderum non θεραπείαν, ſed θρησκείαν poſtulabat, nihil ſe adverſus datam fidem feciſſe, qui tali loco nihil de honore ſolis legitimo diſtinxerit; quod is ſcilicet nullus ſit θρησκείας actus. Si quis vero quærat, quæ ſit illa θεραπεία, quæ ab omni illo religioſo cultu, quem idololatræ ſuis Diis deferebant, purgata Soli & aliis veri Dei miniſtris exhiberi legitime ex Origenis hypotheſi poſſit, ipſe facile ſatisfaciet. Nam hoc ipſo in loco, cum nos negat

Margin notes: CAPVT XXXVIII — *Id, vb. ſupra p. 246 init.* — * *Id. ibid. 244. extr.* — *Orig. l. 5. cont. Celſ. p. 244.*

CAPVT XXXVIII

ἀτιμάζειν τὰ τηλικαῦτα τοῦ θεοῦ δημιουργήματα, id eſt *contemnere, & inhonorata habere talia ac tanta Dei opificia*; eo ipſo oſtendit ſe hunc honorem Soli & ſideribus habere; vt de iis tanquam de præcellentibus Dei Optim. Maxim. operibus, præclate ſentiat; idque etiam paulo poſt vberius exponit, vbi ex Scripturis ſidera Deum creatorem ſuum *magnifice laudare*, & *liberationem filiorum Dei expectare* probat. Sed eſt alius præter-ea locus, in quo etiam clarius eadem

Ib.p.246. exſequitur. Cum enim alicubi Celſus de *Solis laude* εὐφημίᾳ, aliquid dixiſſet, quaſi nos eam reſpuamus, noſter hoc inter cætera reſpondet; *Nos vero* (inquit) *bene loquimur de Sole, veluti de præclaro Dei opere, ſervante leges ſibi à Deo præſcriptas, & obedienti voci Prophetæ invitantis*, Laudate Dominum Sol & Luna. εὐφημοῦμεν οὖν ἥλιον, ὡς καλὸν θεοῦ δημιούργημα, καὶ τοὺς νόμους φυλάσσοντα θεοῦ, καὶ ἀκούοντα τοῦ, Αἰνεῖτε τὸν Κύριον ἥλιος καὶ Σελήνη. Hic eſt Solis, & cæterorum ſiderum legitimus apud Origenem honos; adeo nulla προσκυνήσεως *adorationis* pars, vt ipſe hæc ita præfatus ſtatim paulo poſt

Orig. contr. Celſ. l.8.p. 434.

Id. ibid. p. 435. id ipſum moneat; *Ne ipſum quidem Solem* (inquit) *talem ac tantum, etiamſi de eo bene ſentiamus & loquamur, fas eſt à nobis adorari.* οὐδὲ τὸν τηλικοῦτον ἥλιον προσκυνεῖν ἡμῖν θέμις, κἂν εὐφημῶμεν αὐτόν. Sic quoque vetus Recognitionum ſcriptor, Solem & ſidera (quanquam & ipſe quoque iis animam & ſenſum tribuat) negat tamen adoranda; negans hominis eſſe *ſenſum habentis vel ea ipſa credere adoranda, quæ à Deo facta ſunt, & habent ſenſum, id eſt* (inquit) *Solem & Lunam, vel ſtellas, omniaque quæ in cælo ſunt & ſuper terram. Iuſtum enim putat, non ea, quæ pro mundi miniſterio facta ſunt, ſed ipſorum & mundi totius Creatorem debere venerari.* Hæc ille. Celſo vero ſcribenti *eo nos* MAGNVM *Deum magis colere videri, ſi & Soli hymnos canamus*; μᾶλλον δοκεῖν ἡμᾶς σέβειν τὸν μέγαν Θεὸν, ἂν καὶ ἥλιον ὑμνῶμεν; Origenes *ſe vero contrarium ſcire* reſpondet. *Hymnos enim* (inquit) *in ſolum Deum univerſorum Dominum dicimus, & in vnigenitum ejus Deum Verbum.* Ita ille, quam veris Dei miniſtris deberi confitetur θεραπείαν, id eſt τιμὴν, ex Phavorino *obſervantiam & honorem*, purgat à Latinorum non modo *latriæ*, ſed etiam *duliæ* actibus; hymnos, quos illi nullis Divis invident; Soli & cæteris creaturis negans; vni Deo Patri, ejuſque Filio ſervans. Neque de Solis & ſiderum tantum, ſed & de Angelorum honore, paſſim eodem modo philoſophatur; εὐφημισμὸν & μακαρισμοὺς iis crebro concedens; etiam μίμησιν *imitationem* iis deberi à nobis docens; ſed ita tamen, vt omnem iis προσκύνησιν, θρησκείαν, σεβασμὸν *adorationem*, & *cultum religioſum*, omnes etiam *preces* & *orationes* conſtanter vbique adimat; & τῷ σεβασμῷ *cultui*, quem eis negat, non *alium* alterius generis cultum σεβασμὸν, & *adorationi* προσκυνήσει, qua eos multat, non aliam *adorationem* προσκύνησιν alterius quoque ordinis (vt *latriæ* ſcilicet *duliam*) ſed τιμὴν id eſt honorem nude ac ſimpliciter opponit, vt

Clem. Recog. l.5.fol. 30. A.B.

initio

initio operis, τιμῆς μὲν (inquit) ἄξια, οὐ μὴν καὶ προσκυνήσεως σεβάσμια, *quæ honore quidem digna ſunt, non tamen & adoratione & cultu*, loquitur autem de creaturis quibuſvis, etiam excellentiſſimis. Atque ita jam ſatis ni fallor, patefecimus quis verus ſit Origenis in verbis à Perronio objectis ſenſus, quibus ille dicebat, ſi *veros Dei miniſtros* Celſus eos intelligeret, quos θεραπεύειν volebat, ſe & verbi θεραπεύειν ſenſum; actus θεραπεύοντες fuiſſe *purgaturum*; quamque Latini nihil niſi ſuæ duliæ plagas, letaliaque vulnera [hoc] loco referre aut lucrifacere poſſint. Sed in ſuperiori omni diſputatione abunde quoque vt ſpero, id quod nos cupiebamus, demonſtratum eſt, nullum apud vetuſtiſſimos Chriſtianos, qui intra trecenteſimum à Domino nato annum vixerunt, vſitatum vel notum fuiſſe religioſum in Angelos vel in alios cœlo receptos Sanctos cultum. Iam itaque vt videtur, tempus eſt, abſoluta hac ſecunda diſputationis parte, tertiam, quæ de reliquiarum cultu erit, cum bono Deo aggredi; ſi prius illud vnum monuero tantam per ſe eſſe veritatis quoad fieri à nobis potuit, illuſtratę evidentiam, vt etiam à Latinorum nonnullis pœne liquidam ac diſertam eorum, quæ nuper demonſtravimus, confeſſionem elicuerit. Martinus enim Pereſius Ayala, Gadixienſis Epiſcopus, in opere quod de traditionibus edidit, fatetur ſe nullam apud vetuſtiſſimos ante Cornelium Romæ Epiſcopum & Martyrē id eſt ante annum Domini 250.) *invocationis & interceſſionis Sanctorū mentionē* inveniſſe. Sed ne Corneliū quidem excipere debuit. Non enim Cornelij vera & genuina certo eſt (etiam fatentibus Baronio & Binio) licet ejus nomen vulgo præferat, ſed neſcio cujus de nono ſæculo tenebrionis, ea epiſtola, in qua Martinus ſe aliquid de Sanctorum interceſſione reperiſſe meminit. Eodem pertinet, quod idem paulo ante hæc ita diſtinguebat, vt videatur ſtatuere *interceſſiones* quidem *Sanctorum* à Cornelij temporibus commendatas, *invocationes* vero à Baſilij tantum temporibus (id eſt ab a. D. 360.) memoratas in veterum libris reperiri. Hanc ego viri docti ingenuam confeſſionem laudo, & exoſculor; quæ mihi, non id modo quod contendo, ſed etiam aliquanto amplius concedit; Nimirum illam Sanctorum invocationem, non modo (quod ego diſputavi) in eorum litteris nullam exſtare, qui ante a. D. 300. vixerunt, ſed ne in eorum quidem monumentis vllum reperiri, qui annis ſexaginta proxime conſecutis vſque ad Baſilij Cæſareę in Cappadocia Epiſcopi tempora floruerunt.

CAPVT XXXVIII

Id. ibid. l. 1. p. 10.

Peres de Trad Part. 3. Conſid. 7. p. 197.

Cornel. ep. 1.

Baron. a. D. 221. §. 6. Bin. T. 1. Concil. Not. ad vit. Corn. p. 131. A. Vide & Blondell. in Epiſt primor. Pontif p 308. 309.

LIBER QVARTVS

CONTINET ARGVMENTA contra Latinam de Reliquiarum Cultu traditionem propria.

CAPVT I.

Præfatio. Reliquiæ quid ſint Latinis. Noſtra de iis ſententia. Latinorum de earum cultu & adoratione traditio & aſſertio. Nulla extant hujus traditionis ex tribus primi Chriſtianiſmi ſæculis argumenta. Refelluntur quæ Baronius & alij ex Evangeliis, & Actis Apoſtolorum pro reliquiis colligere fruſtra conantur, Matth. 9. 20. Marc. 6. 56. de tacta veſtis Dominicæ fimbria, Act. 19. 12. Semicinctia de Pauli corpore ad ægrotos delata, Act. 5. 15. Vmbra Petri.

SÆPE mihi de Latinorum religionibus cogitanti, mirari ſubiit, quod cum illi Chriſtum Dei vnigenitum Filium, verum Deum in ſæcula benedictum, in ſuis templis atque altaribus habere ſe, & intueri præſentem putent, ad Divos abſentes, & ſpatiis pœne immenſis à noſtris terris ſemotos animi & oculorum aciem convertere, & in iis colendis atque invocandis tempus terere, & operam collocare velint. Nam ſi quod vere ſcripſit Origenes, *abſurdum eſt cum Dominus vbique nobiſcum & prope nos adſit, quærere eos precari, qui non ad omnia pertingunt*; multo id, quod Latini faciunt, abſurdius eſt; qui ſummo illo Domino Majeſtatem ſuam ad eorum captum demittente, eamque totam, vt ab illis videri contrectarique & in os atque in ipſa viſcera traiici poſſit; exigua buccella includi ſinente, ſeque omnibus eorum ſenſibus exhibente, ipſi tamen alio reſpicere ſuſtinent, & eos, à quibus ſe audiri viderique certo ſcire nequeunt, convenire, venerari, precarique ſupplices; veluti quod

Orig. contr. Celſ. l. 8. p. 245. extr.

adeſſe

adeſſe ſibi numen imaginantur, ei ad illa quæ poſcunt vel auſcultanda, & exaudienda humanitas, vel implenda præſtandaque potentia deſit. CAPVT I.

Sed illud etiam mihi longe mirabilius, & vel à leviſſima rationis ſpecie remotius videtur, quod iidem Divorum ipſorum cultu non contenti, etiam eorum oſſa, ac cineres, & quicquid carnis, in qua vixerunt, ſupereſt, quin & pilos ac veſtes, & alias reculas, quæ eorum olim fuerunt, venerari, oſculari adorabundi, magnaque religione colere, etiam in ipſis illis templis, & ad eadem illa altaria, in quibus numen illud ſuum quieſcere fingunt, ipſo præſente ac inſpectante, audent. Certe apud homines ſi quis Rege in ſolio ſuo conſidente in eadem illa regia poſitus, eo vidente, alicujus ex ejus ſervis mortui, vel oſſa ſemiroſa, vel vngues, vel pectinem, aut caligas ſummiſſo corpore de geniculis veneraretur; non puto quemquam futurum, qui iſtius civilitatem non ineptam, ac præpoſteram putaret. Etiam vel miniſtrorum eminentiſſimum in Principis oculis, atque præſentia ſalutare, inurbanum, & abſurdum eſſe judicatur, neque ſane immerito. Decet enim ſubditos ſic eſſe in Principem affectos, vt is vbicumque præſens aſpicitur, eorum oculos, ac ſenſus, cogitationeſque omnes ad ſe vnum ita rapiat, vt in eo ſolo colendo, ac reverendo defixi nullum alium interea cogitent, aut in animo habeant. Quæ reverentia, ſi Regibus & Monarchis debetur, quanto magis Deo? Vt in cœlo, Sol quoties exoritur, omnium planetarum, ac ſiderum lucem immenſo illo ſuo ſplendore ſtatim, vt ſic dicam, extinguit; ita & Chriſto ſole noſtro præſente, nihil apud nos præter ipſum, lucere debet. Qui hæc ergo tam præter omnem rationem à Latinis fieri videos hoc etiam argumento ducor, vt apud eos reliquias multo ante adoratas fuiſſe exiſtimem, quam creditam Chriſti *realem* (vt loquuntur) in ſacrificio, & in altaribus præſentiam. Neque enim veriſimile arbitror, qui Chriſtum ſe habere ipſum crederent eos reliquias hominum mortuorum tam avide deſideraturos, tamque religioſe veneraturos fuiſſe. Sed cum jam in publicum vſum diu ante recepta eſſet illa reliquiarum adoratio, neque tamen ea hominibus plane ſatisfaceret, poſtremo ne quid eorum religioni deeſſet, placuit etiam ipſum de cœlo Chriſtum viventem ad noſtra altaria deducere, cumque iſtic præſentem devotis animabus exhibere. Neque tamen vel ipſarum reliquiarum veneratio apud Chriſtianos antiquiſſima fuiſſe credenda eſt, nedum vt ab initio fuerit. Illud quod dixi, confiteor eam eſſe & *hoſtiæ* quam vocant, adoratione, & ipſo etiam Divorum cultu vetuſtiorem; Sic tamen, vt neque ipſa primis illis tribus Chriſtianiſmi, in quibus hæc diſputatio verſatur, ſæculis vſitata vel nota fuiſſe videatur. Id ergo nunc ex inſtituto ordine demonſtrandum eſt. Ac tametſi alicui paulo accuratius rem expendenti ſupervacaneum videri poſſit quærere, an Sanctorum reliquias religioſe veteres

teres;

CAPVT I.

teres illi coluerint, quos nuper vicimus ne ipſas quidem eorum cœlo receptas mentes coluiſſe; ne quid tamen in diſputatione hac noſtra deſideretur, placuit & hanc partem ſeorſum attingere; maxime cum ſatis appareat hunc ipſum Latini erroris fontem fuiſſe; cultumque à tenerioti in reliquias, quas videbant ac tenebant, affectu cœptum inde ad ipſas, quas non cernebant, animas ſenſim progredientem poſtremo adſcendiſſe, hominum, vt fit, gliſcente paulatim ſuperſtitione.

Reliquiarum nomine Latini non ſola Divorum vita terrena functorum corpora ſignificant, ſed omnia, quæ ipſorum fuere, dum viverent, oſſa, carnes, ſanguinem, dentes, vngues, capillos, cineres, veſtimenta, interulas, togas, tunicas, pallia, caligas, crepidas, calceos, cingula, pectines, cilicia, flagella, etiam quæ illi manu ſua ſcripſerant, vt gnomas, libellos, epiſtolas, ipſum nomen, & alia hujus generis non pauca, quæ ſigillatim recenſere nihil neceſſe eſt. Nos quidem, vt quid de his ſentiamus, promam atque explanem, ipſa & Martyrum & cæterorum piorum corpora, quæ apud nos morientes depoſuerunt, honorifice imprimis ſepelienda atque humanda cenſemus; atque ita & factitare quoties noſtrorum aliquis moritur, ſolemus. Hunc honorem eſſe mortuorum verum ac legitimum putamus; id jus faſque apud omnes pios & fuiſſe ſemper, & nunc eſſe confitemur; & ſi qui aliter inſtituerent, & ſepulturam fidelibus in Chriſto mortuis inviderent, eos exſecraremur, & veluti omni humanitatis ſenſu carentes non modo extra Eccleſiam eiiceremus, ſed ne hominum quidem nomine ac ſocietate dignos exiſtimaremus. Sed neque res defunctorum, ſi quæ ſuperſint, eo abiiciendas decernimus, quod adorare eas non ſuſtinemus. Scimus hunc eſſe humani animi affectum, vt quos egregie vel dileximus, vel ſuſpeximus, eorum etiã minima, cara ac jucunda habeamus, ob ipſorum ſcilicet, quorum olim fuerunt, memoriam. Notum eſt fictilem Epicteti lucernulam tribus drachmarum millibus vœniiſſe; quod viri magni hoc quantumvis tenue monumentum habere, magnam putaretur. Ita & Silius Italicus ipſos Virgilij & Ciceronis agros dilexiſſe magnique æſtimaſſe ex ingenti in vtrumque illum virum amore atque admiratione fertur. Quin & quotidie videmus virorum vel bellicæ fortitudinis, vel litterariæ eruditionis, vel aliarũ laudum fama præcellentium arma, libros, ſupellectilem, alia etiam minora magni à poſteris fieri, diligenterque aſſervari, & in auctionibus pretium rebus haud raro ingens heri nomen addere. Itaque ſimile Chriſtianorum in hominum res pietate & religione apud ſe celebratorum ſtudium, ſimilemque animi affectũ, neque miramur, neque pro crimine habemus, ſi intra humani honoris modum conſiſtat. Eo pertinet quod Euſebius de Hieroſolymitanis fratribus narrat; *Iacobi* (inquit) *Apoſtoli ſedem huc vſque ſervatam, qui iis locis ordine ſucceſſerunt, fratres cuſtodientes perſpicue omnibus*

Lucia ad indoct. &c. T.2.p.548. B.

Euſeb. hiſt. Eccleſ. l. 7. c. 17. (Lat. 14)

bus declarant, qualiter condignam in Sanctos viros pietatis ergo venerationem & retinerent olim, & etiam nunc ad noſtram memoriam retineant. Τὸν γὰρ Ἰακώβου θρόνον, εἰς δεῦρο πεφυλαγμένον οἱ τῇδε κατὰ διαδοχὴν περιέποντες ἀδελφοὶ, σαφῶς τοῖς πᾶσιν ἐπιδείκνυνται οἷον τὸ περὶ τοὺς ἁγίους ἄνδρας τῆς θεοφιλοῦς ἕνεκεν οἵ τε πάλαι, καὶ εἰς ἡμᾶς ἔσωζόν τε καὶ ἀποσώζουσιν ἀξιόχρεων, σέβας. Hic enim eſt Euſebij, quem nos reddidimus, ſenſus, vt videbit quiſquis noſtra cum Græcis comparaverit. Ruffinus omnia de more interpolat, ſuaque pro Euſebianis obtrudit, quem Euſebius ſanctis viris honorem haberi ſcripſerat, eum cathedræ habitum fingens. Bellarminus à Ruffino, ſed volens deceptus eſt; qui ſui Chriſtophorſoni interpretatione vti poterat, quanquam & quid hic *per magno æſtimantes* interpretatur, ego potius *ſervantes*, vel *cuſtodientes* dicendum putaverim. Certe Suidas, & poſt eum Phavorinus, περιέπειν (quod hic eſt apud Euſebium) φυλάττειν *ſervare* eſſe dicunt. Euſebius vult Hieroſolymitanos, quod vel cathedrã Iacobi tamdiu ſervaverint eo teſtatos eſſe quanti Iacobũ, quãti ſimiles pietate præſtantes viros fecerint, quamq; honorifice de iis ſenſerint, quod verum eſt. Sunt & apud nos, qui quæ Calvini, aut Lutheri, aut aliorum ejuſdem ordinis virorum, fuerunt volumina, epiſtolas, alia etiam minoris pretij, ea ἐν κειμηλίοις ſervant diligenter, & in paucis cara habent. Cæterum id honoris, quodcumque eſt, humanum certe eſt; religioſum non eſt. Latinorũ longe alia ratio eſt; qui ſuas illas vtriuſque generis reliquias non modo ſervandas, condendas & in pretio habendas, ſed etiam venerandas, oſculandas, religioſe colendas, adorandas deniq; eſſe pertendunt; idque dogma non decretis tantum & diſputationibus, quas de hoc argumento ediderunt innumerabiles, ſed & praxi atque vſu ſuo multo magis affirmant. Tridentini Patres *Martyrum & aliorum Sanctorum cum Chriſto viventium corpora à fidelibus veneranda eſſe* imprimis docent ac ſciſcunt, *per quæ multa beneficia hominibus à Deo præſtantur.* Tum eos *omnino damnandos eſſe* definiunt, *qui affirmant Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi; vel eas aliaque ſacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ cauſa Sanctorum memorias fruſtra frequentari; prout eos* (inquiunt) *jampridem damnavit, & nunc etiam damnat Eccleſia.* Hæc illi; Verſute, vt ſolent. Primo enim non *adorationem*, aut *cultum religioſum* (quæ vera eſt ipſorum ſententia) ſed *venerationem* ſuis reliquiis decernunt; ſuperſtitionis ſuæ dedecus hujus vocabuli ambiguitate obumbrantes. *Venerationem* enim dici omnes ſciunt etiam eum *honorem*, qui & perſonis & rebus habetur eximiis, citra omnem religionis cultum; vt cum *presbyteros & Senes*, & viros virtute conſpicuos *venerari* nos dicimus, & cum codicem *venerandæ antiquitatis* appellamus, & alia ejuſdem cenſus ſexcenta; quibus nullam religioſi cultus partem ſignificari notum eſt. Deinde cum ſolis Sanctorum corporibus hanc venerationem eo vindicare viderentur

CAPVT I.

Conc. Trid. ſeſſ. 25. Decr. de invoc. Sanct.

CAPVT I. tentur, quod nihil aliud in decreti principio, quam *Sanctorum cum Chriſto viventium corpora* dixiſſent; ſtatim alio delabuntur, ſeque hoc *corporum* vocabulo etiam cætera, quæ vel Sanctos tetigiſſent, vel ad eos quoquo modo pertinuiſſent, complecti haud obſcure ſignificant, cum mox eos damnant, non qui Sanctorum modo *corpora* (quod ex illo conſequens erat) *veneranda* negarent, ſed in genere quicumque *Sanctorum reliquijs venerationem non deberi affirmarent.* Reliquiæ enim, vt dixi, apud iſtos ſunt, non ſola Sanctorum corpora, ſed plurimæ etiam aliæ res, & quidem non paucæ viles, ac in ſpeciem deſpicabiles. Has fortaſſe Patres puduit diſerte venerandas decernere. Itaque Sola ſibi Sanctorum corpora curæ eſſe primo finxerunt; mox iidem callide adjecto *reliquiarum* nomine caverunt, ne ſuorum in eas res, quæ ſunt in illo ſecundo reliquiarũ cenſu, *religionem* prodidiſſe, aut repudiaſſe putarentur. Fortaſſe & in eo aliquid doli ſubeſt, quod eos, quos *omnino damnandos eſſe* definiunt, non dicunt ſimpliciter (quod vulgatis Latine loquentium conſuetudo poſtulabat) negare *Sanctorum reliquiis venerationem deberi*, ſed *affirmare eam illis non deberi.* Id enim dicere, vt quivis videt, non eſt, ſi proprie loquimur, *affirmare*, ſed *negare.* Sed hoc quidem cur ita dicere maluerint, quia non capio, libens prætermitto. Sed & iſtorum quanta fraus fuit, cum quos damnant, eorum ſententiam ſic deſcribunt vt ab iis dicant non modo *venerationem*, ſed etiam honorem reliquiis negari? Nos quidem *venerationem*, quam Tridentini intelligunt, id eſt religioſum cultum, etiam ſanctiſſimorum hominum corporibus deberi negamus; *honorem* vero, ne viliſſimorum homuncionum corporibus invidimus. Sepulturam enim, quæ proprius eſt mortuorum honos, nemini homini mortuo (niſi vetent publicæ leges) negandam contendimus; neque ſi quid eſt præterea, quod publico gentium iure ſit in hoc genere legitimum. An ergo nos non damnant? Certe non videntur; qui alios non damnant, niſi qui reliquiis etiam honorem, non autem ſolam illam ſuam religioſam venerationem, id eſt adorationem negant. At certum eſt tamen ab iſtis nos proprie peti. Quid ergo eſt? Nempe inhumanum erat à Synodo nomen Chriſti profitente, quemquam ideo damnari, quod hominum mortuorum corpora adorare refugiat. Nos ergo, vt cum aliquo colore damnarent, calumniati ſunt; fingentes eos eſſe nos, qui Sanctorum Dei hominum corporibus nullum honorem habeamus; id eſt veluti ea inſepulta abiiciamus, & feris atque volucribus lanianda exponamus. Hoc enim proprie eſt *Sanctorum corporibus honorem* (quod iſti nobis per immanem ſycophantiam tribuunt) *debitum* negare. Poſtremo quæ illa quæſo, eſt Eccleſia, quam ajunt *jampridem damnaviſſe* noſtrorum ſententiam? Non certe Apoſtolica; Non quæ proxime Apoſtolicam ad a. D. 300. ſecuta eſt, in qua omnis reliquiarum veneratio religioſa plane penituſque eſt inaudita. Atqui

fruſtra

CAPVT I.

fruſtra cujuſvis alterius Eccleſiæ ſententia obtruditur. Niſi hanc tecum ſenſiſſe doceas, neq; tua Apoſtolica erit de adorandis reliquiis definitio; neque non Apoſtolica mea de non adorandis fides. Atque ita quidem Tridentini. Bellarminus iiſdem artibus ſe tegit; reliquiarum *venerationem* aſtute loquens; *adorationem, & religionem* ſtrenue diſſimulans. Quin & Centuriatoribus & Calvino reliquias à Latinis *adorari & divinis honoribus affici* ſcribentibus graviter ſuccenſet, eoſque mendacij accuſat, negans reliquias à ſuis vnquam *divino honore affici, vel Chriſti loco adorari. Nos enim* (inquit) *reliquias honoramus, & oſculamur, vt ſacra pignora patronorum noſtrorum; ſed nec adoramus, vt Deum, nec invocamus, vt Sanctos.* Hac enim iſte ſtropha ſe putat rebus ſuis caviſſe, ſi ſe id, quod præter Deum adorat, vt *Deum adorare* negaverit, quaſi vlla religionis adoratio ſit, quæ alterius ſit quam Dei.

Bell l. 2. de Reliq & imag. Sanct. c. 2. § At quis vnquã.

Vaſques vero multo liberalius atque apertius, adeoque ſi quid judico, honeſtius ac verecundius, In ipſo ſtatim limine; *Apud Catholicos* (inquit) *veritas indubitanda eſt reliquias Sanctorum, ſive fuerint partes ipſorum, vt oſſa, carnes, & cineres, ſive res aliæ, quæ ipſos tetigerunt, vel ad ipſos pertineant ADORANDAS & in hoc honore ſacro habendas eſſe.* Vt mox *cinctoria & ſudaria* Pauli ait *ADORATIONIS cultu fuiſſe veneranda*; & diſputatione abſoluta ait ſe contra hæreticos conſtituiſſe *reliquias eſſe ADORANDAS*; Atque ita paſſim loquitur. Et ſic fere etiam nunc cæteri Latinorum Theologi vetuſtiores vero, vix vnquam aliter.

Vaſques in 3. Thom. quæſt. 25. diſp. 112. c. 2.

Id. ibid. diſp. 113. init.

Valdenſis ex Damaſceno definit non modo lignum crucis Domini, ſed etiam ſepulcrum, præſepe, clavos, lanceam, veſtes, Sion & Golgotha loca eſſe *adoranda*; eoſque veluti hæreticos refutat, qui Deum quidem in his rebus, aut locis adorari concedunt, res vero ipſas, vel loca *ADORANDA* negant, & alibi ait omnes Dei Sanctos & eorum *reliquias eſſe ſuis gradibus ADORANDAS*; atque ibidem dictum quoddam Ambroſij ab adverſario objectum expendens vehementer contendit Helenam Conſtantini matrem Regem Chriſtum ſic adoraviſſe, *vt etiam lignum ADORAVERIT propter Regem.*

Thom. Vald. Doctr. Part. 3. Tit. 13. c. 120. fol. 259. A.

Id ibid. c. 121.

Etiam nunc apud nos illi Latinorum Theologi, quos Ianſenianos cæteri vocant, & ob aſſertam Pauli & Auguſtini de Dei Salutari gratia veram doctrinam, acerrime oderunt, atque exagitant, illi inquam, tametſi purius, & ad noſtrum ſenſum propius de rebus divinis philoſophari vulgo credantur, ipſi tamen hanc reliquiarum venerationem *adorandi* vocabulo ſignificare nequaquam refugiunt; ne in libris quidem noſtra vulgari Francorum lingua editis, in qua *adorare* multo parcius ſolemus quam Latine loquentes, de cultu religioſo creaturis ex Papæ decretis exhibito dicere. Hi enim miracula, quæ à ſacra quadam Spina apud ſubvrbanam *Portus-regij* Eccleſiam edita feruntur, vindicantes ab obtrectatorum ſuorum calumniis non ſemel ſic loquuntur, vt dicant ſacram illam Spinam (quam ex corona Domini

Réponſe à vn écrit publié ſur les miracles de la ſaincte Eſpine. &c. p. 14.

CAPUT I.

ibid p. 15. ibid p 18. ibid. p 22.

ſpinea decerptam eſſe jactant) *ADORARI*. [illegible] qua-dam ſanctimoniali paralytica. *Delata eſt* in [illegible] *re-gium ad ſacram ſpinam adorandam*, & mox [illegible] *ſo-rem poſtquam eandem ſpinam ADORASSET*, *&* [illegible] *eſſet, ſta-tim fuiſſe ſua infirmitate relevatam*; Et, *magnam vim mortalium* E[illegible]c-ſiam illam ſuam adire *ſpinam ADORANDAM*. Item: *Sanctimo-niales cum profunda veneratione ſpinam Dominicæ coronæ ADORA-RE*. Quin etiam in illa ipſa oratione, quam apud ſpinam ſuam pro-ſtratos dicere fideles inſtituunt, eadem locutio extat; *Tuam coro-nam adoramus Domine*; Spineam autem, ut liquet, intelligunt, unam, ut ipſi quidem affirmant, ex Domini reliquiis. Sed nos nunc qui-dem certe res, non verba ſpectemus. Quocumque nomine cultum illum vocaverint, quem reliquiis deferunt, ſive *adorationem*, quod ſimplicius eſt, & ipſi rei plane conſentaneum; ſive *venerationem*, quod fortaſſe callidius, & ad ſuam ſophiſticen aptius putant, parum equidem laboro, ſi modo id ipſum, quod aſſidue faciunt, quod fa-ctum laudant, quod faciendum contendunt, id ab Apoſtolis ita tra-ditum, ita ab Apoſtolorum diſcipulis obſervatum fuiſſe demonſtra-verint. Illi vero hoc adeo non demonſtrant, ut ne unum quidem vel Apoſtolorum, vel eorum Chriſtianorum, qui intra annum Domini trecenteſimum floruerunt, de adorandis colendis, aut venerandis re-liquiis teſtimonium afferant. Vaſques ſuam hanc *Catholicam doctri-nam perpetua traditione in Eccleſia Dei confirmatam plures Patres tra-didiſſe* ait, Sed eos homo verborum adeo parcus, ut novem grandes Tomos in Thomæ *ſummam* ſcripſerit *brevitati conſulens prætermittit; tum etiam* (inquit) *quod res adeo manifeſta ſit, ut majori non egeat con-firmatione*. Ita quidem ille defungitur; ingenioſe, fateor; ſed ta-men parum ſincere, ne dicam impudenter. Amabo enim, quæ iſtius viri frons eſt, qui eam traditionem in Eccleſia perpetuam fuiſſe dicit, manifeſtiorem eſſe affirmat, quam ut confirmari debeat, cujus plane nulla extat tribus primis Eccleſiæ ſæculis mentio? Nos quidem ille ad Valdenſem ablegat, ad Ayalam, & Oſium, & Copum, ſed fruſtra. Neque enim apud hos magis, quam apud ipſum Vaſquem, ulla repe-riuntur primæ illius memoriæ teſtimonia. Bellarminus, qui omnia ſtudioſiſſime corraſit, Synodos habet ex Oriente; habet ex Africa, ex Hiſpania, ex Gallia, ex Germania, ex Italia; Patres habet Græ-cos; habet Latinos; magnos habet, & parvos, & medioxumos. In tanta copia nullam habet ex tribus illis primis Chriſtianiſmi ſæculis Synodum; nullum Patrem. Ab hoc toto Eccleſiæ primario ac capi-tali climate repulſam conſtanter tulit, ac ne unum quidem ex eo te-ſtem pro ſuarum reliquiarum cultu elicere potuit, quod ex omni ejus de hoc argumento diſputatione videre licet. Quod Baronius, qui hoc unum in toto Annalium opere ſtuduit, ut Chriſtianos jam inde à naſcentis Eccleſiæ primordiis ea ſingulis annis factitantes induceret,

Orat. è Corona miranda &c. excuſa una cum ſpina à typo ex ære expreſſo.

Vaſq. in 3. Thom. q. 25. diſp. 112. c. 2. extr.

Bell. l. 2. de Sanct. invoc. &c. 3 §. Argumentum ſecundum.

quæ

quæ hodie à La[illegible] ipſo Domini anno CAPUT I.
quinto [illegible] fuiſſe magna aſſeve-
ratione atque con[illegible], [illegible] credere velis, quin ita *Bar. a. D. 559*
factum ſit, non [illegible] Sin [illegible] requiris, ne ipſe quidem
vllos edit, qui intra trecenteſimum vixerint. Nobis vero more ſuo
ſtrenue iraſcitur, ac maledicit; *noſque profundo barathro, obſcuriſſima*
offuſos caligine detineri clamat, qui ſuaillo ſcilicet de reliquiis decreta
tam (inquit) *patentia ac toto cœlo perſpicua non intelligamus.* Nos ſa-
ne ab Annalium conditore, non convitia, aut jurgia, ſed ſincerum
ac ſimplicem rerum geſtarum ex veris narrationem expectabamus.
Sed ille animo ſuo obſequitur, ſuique decori, & tituli, quem operi
præſcripſit, immemor, in diſſentientes paſſim ſævit, ac tumultuatur,
& interdum tantum non bacchatur. Audi vero inſigne hoc loco
ejus facinus. Quas apud Eccleſiaſticos primorum ſæculorum aucto-
res cultas nuſpiam reperit reliquias, eas ſe ſuis quibuſdam argumen-
tis ex ipſis Scripturis educturum atque editurum ſperat. Reliquia-
rum, inquit, cultum è Scripturis? Ergo-ne hanc iſte, non *tradi-
tionem*, vt cæteri ejus ſodales, ſed ſcriptam doctrinam eſſe cenſet?
Hoc equidem inquam, non facile de iſto dixerim, quo nemo ſanctius
ac religioſius *traditionem* vnquam ſuſpexit, qui eam pro vnico Ec-
cleſiæ ſuæ Palladio habet, neque alio animo ingentes illos ſuos An-
nales molitus eſſe videtur, quam vt ſui Papæ & fidem & monarchiam
ſemper fuiſſe perſuadeat à ſuis illis, quos ſæpe vocat, *majoribus*, viva
voce *traditam*, Sed quid eum in anguſtiis, quas hic patitur, verſan-
tem facere velis? Deeſt illi primorum ſæculorum, quam huc ad-
vocat *traditio*. Ergo reliquiarum cultum primis temporibus nul-
lum fuiſſe fatendum fuit, aut certe aliquid audendum, vt ex hoc
luto emergeret. Cultũ adeo fructuoſum, totique Senatui, ac populo
Romano adeo vtilem atque honorificum deſerere, non erat Cardi-
nalitiæ magnanimitatis. Maluit Romana generoſitate dignum fa-
cinus audere. Vt alij ſemper vt ipſe paſſim à *Scriptura* ad *Traditio-
nem* provocant; hic contra, quod res erat ſingulari aliquo exemplo
ſervanda, à *Traditione* ad *Scripturam* tranſiliit; quale erat olim e-
quitum deſultorum genus, qui non ſemper in vno, eodemque equo
ſedebant; ſed ex hoc in illum deſilientes, & mox illo in hunc reſi-
lientes, vtroque, ſed alternis pro ſuo commodo vehebantur. Ita
Baronius hanc *Scripturæ*, & *Traditionis* bigam habet; neutri alliga-
tus, ſæpe ex hac, ſed & aliquando ex illa, diſputator deſultorius, pu-
gnat; vt Papæ, vt ſponſæ ejus Eccleſiæ Romanæ res ac rationes po-
ſtulant. Videamus obiter an ex *Scriptura*, nunc fœlicius, quam ex *Matth. 9. 20.*
traditione rem gerat. Ille ergo primo ex Evangelio recitat mulie-
rem laborantem fluxu ſanguinis à duodecim annis ſolam fimbriam
veſtis Dominicæ fideliter tetigiſſe, & ſanatam; tum ex Actis quoſ- *Act. 19. 12.*
dam à Pauli corpore detuliſſe ſuper languidos ſudaria & ſemicinctia,

CAPVT I. & receſſiſſe ab eis languores, & egreſſos eſſe ſpiritus nequam. His recitatis Baronius orationem more ſuo ad lectorem convertit; *Vides in his igitur* (inquit) *tam Domini, quam Pauli Apoſtoli exemplo & auctoritate cultum ſacrarum reliquiarum in Eccleſia inſtitutum, & ſtabilitum, eundemque ab Evangeliſtarum ſcriptis teſtatum, atque miraculis comprobatum* Ego vero Baroni, oculos quantum valeo & aperio, & intendo. Sed ſi pace tua verum licet dicere, nullum hic reliquiarum cultum vel inſtitutum, vel ſtabilitum, vel teſtatum video; Ac ne quid diſſimulem, ne reliquias quidem vllas, vel vllum reliquiarum cultum video. Mulierem video Dominici veſtimenti fimbriam retro tangentem, cum hac fide ſalvam ſe futuram, ſi vel ejus veſtimentum tetigiſſet, Dominum video mulieris fidem his verbis laudantem; *Confide filia, fides tua te ſalvam fecit.* Video denique mulierem infirmitate, qua jam annos duodecim laboraverat, ex illa hora liberatam. Reliquias illas tuas. Et tuum illum reliquiarum cultum nullus quod tu jubes, videre poſſum, niſi forte fimbriam veſtimenti, quo indutus eſt homo ſuperſtes, vivens, ſpirans, loquens, eam tu jam in reliquiarum tuarum cenſu habeas; *Et tangere fimbriam veſtimenti*, id eſſe velis *fimbriam adorare.* Hac tu lege poteris mihi imponere, vt quem vivere & loqui video, eum me videre confitear mortuum & exanimem, & quæcumque in viventis veſte vel ſupellectile video, ea mortui me reliquias videre dicam; & ſi quem denique Annales tuos tangentem viderim, teſter eum me vidiſſe Annales tuos adorantem, aut certe religioſe colentem. Eadem eſt & alterius ex Actis loci ratio; in quo hoc quidem cernere eſt, quod ſcripſit Lucas, *Sudaria & ſemicinctia à Pauli corpore ſuper languidos fuiſſe delata, & receſſiſſe ab iis languores,* &c. Illud vero, quod iſtic nos videre jubet Annalium parens, ne Lynceus quidem viderit; reliquias ſcilicet religioſe cultas. Quæſo enim, Sudaria-ne & ſemicinctia à viventis Pauli corpore delata, Pauli reliquiæ erant? & ſudarium à Pauli corpore deferre, eſt-ne amabo, id ipſum ſudarium adorare? Nimis profecto dura ſunt Baronij imperia, qui lectorem ſuum, (quod à nullo vnquam tyranno audivimus imperatum) ea videre jubet, quæ nuſquam ſunt; ſuperſtites habere pro mortuis, eorum veſtimenta aut ſudaria pro reliquiis, & *tangere*, vel *deferre* aliquid idem eſſe putare, quod adorare. Quam bene Baronium intelligebat cordatiſſimus ille Italus, qui eum ajebat *pædagogiam in lectores petulanter exercere!* Ita enim de Baronio ſcriptum in quadam illius viri (quam nominare nihil neceſſe eſt) ad amicum epiſtola memini me aliquando legere. *Pædagogia* enim eſt, & quidem dira, lectori tuo, etiam quid videat, dictare pro tua libidine. Eadem tamen, melioribus deſtitutus, nobis narrat Bellarminus; eadem & Vaſques, qui iſtis illud quoque ex Actis addit populos *ad vmbram Petri* eo modo quo poterant, attingendam certatim occurriſſe; vbi & hoc, ſane perridiculum

Bar. a. D. 55. §. 8.

Act. 5. 15. Vaſq. vb. ſupr. diſp. 112. c. 1.

lum dicit, *vmbram non eſſe maximam inter alias reliquias.* Imo vero ne omnino quidem eſt vmbra inter hominis reliquias. Quis enim tam ſtultus eſt, vt hominis viventis *reliquias* vllas eſſe dicat, quarum nomine ea ſignificari omnes ſciunt, quæ homo in terris, ipſe ex iis diſcedens, relinquit? Vnde liquet ne in mortui quidem cujuſquam *reliquiis* vmbram cenſeri poſſe; rem ſcilicet fluxam & inanem, quæ cum non maneat, ſed ſtatim tranſeat, atque evaneſcat, *relinqui*, adeoque in *reliquiarum* numero haberi non poteſt. Sed audiamus tamen Baronium ex iſtis *fimbriis*, & *ſudariis* reliquiarum ſuarum cultum, qui in iis nullus cernitur, elicientem. Superioribus duobus locis hunc ex Marco tertium adiicit; *Quocumque introibat Ieſus in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriam veſtimenti ejus tangerent, & quotquot tangebant eum, ſalvi fiebant.* Ex his Baronius ita diſputat; *Dicant hagiomachi (ſi qua tamen in iis vmbra ſaltem Evangelicæ veritatis reliqua ſit) ſi eadem ipſa veſtimenti fimbria extaret hodie, ſique ipſa illa Pauli ſudaria, & ſemicinctia haberentur, atque ob ipſorum oculos ponerentur; quid quæſo, facturi eſſent? Averſarentur-ne? Si eo temeritatis, & procaciæ veniſſent, vt exſecrarentur, certe non aliorum, quam malorum dæmonum ſe participes eſſe ſignificarent, eorumdemque ſe eſſe conſortes profiterentur, qui eadem ſudaria Pauli ac Semicinctia exhorreſcentes potius, quam illa pati ſuſtinentes, ab obſeſſis diu corporibus fugiebant.* Hæc ille, mitto maledicta, quæ ira, & odio perturbatus in nos eructat, *Hagiomachos* vocans, quaſi Sanctos oppugnent, qui iis adorationem vni Deo debitam, exhibere refugiunt (plane ac ſi Celſus Iudæos, & Chriſtianos *Heliomachos* ideo dixiſſet, quod ſolem colere abnuerent) & negans *vel vmbram veritatis Evangelicæ nobis ſupereſſe*; quaſi hic Latinus reliquiarum cultus, quem nos repudiamus, omnem contineat Evangelij veritatem, ſic, vt eo abjecto nulla pars Evangelij retineri poſſit integra & illæſa; quæ quam ſint inepta; quam non purpurato Annaliſta, ſed quovis etiam rudi & indocto de vulgi fæce homine indigna, omnes candidæ ac eruditæ animæ ſatis intelligunt; ſed hæc inquam, mitto; Interroganti Baronio reſpondeo nos iſtam Dominici veſtimenti fimbriam, & Paulina ſudaria, ſi hodie extarent, nequaquam averſaturos. Cur enim res ad hominum vſum factas, naturaque per ſe non modo non noxias, ſed etiam vtiles exhorreſcemus? Ergo quæ iſte, ſi nos hæc exſecraremur, ſecutura declamitat, dira & infauſta (nos *dæmoniorum conſortes fore* ſcilicet) illa inquam, inepte & præter rem hic dicuntur. Hoc vnum confitemur, nos iſta, vt non averſaturos, ita certe neque adoraturos; in quo quid abſurdum, & ab Evangelica veritate alienum ſit, non videmus. Sed Annalium conditor poſt hanc tam imbellem, tamque puerilem interrogationem, ſubito quodam veluti æſtu abreptus, ita concludit; *Penes quos igitur Catholica veritas, an apud eos, qui ex Evangeliſtarum præſcri-*

CAPVT I.

Marc. 6.56.

Bar. a. D. 55. §. 9.

CAPVT I.

præſcripto, Domini & Pauli auctoritate, hæmorrhoïſſæ & aliorum, ac deniqùe maxime piorum Epheſiorum exemplo, Sanctorum reliquias, vt aliquam ſalutem inde hauriant, quo decet cultu & honore proſequuntur? an apud eos, qui eas, vt dæmones deteſtantur? Ego ſperaveram ingentem Annaliſtam rationis ſaltem aliquid allaturum, quo nobis ex Evangelicis exemplis ſuarum reliquiarum cultum conſtitueret. Ille vero nihil attulit. Sua tantum dictata & convitia repetit; putans credo, fidem inventura, ſi iterum atque ingeminarentur. Hæmorrhoïſſę & Epheſiorum exemplo Sanctorum ſe reliquias adorare clamat. Sed neque vllæ ſunt in Evangelio aut in Actis reliquiæ; neque vlla fimbriæ & ſudariorum (quæ iſte in mortuorum reliquias pro imperio, omnibus rebus invitis, transformat) adoratio. Ac ne quid veri diceret, etiam de nobis ea dixit, quæ falſiſſima ſunt, ſcribens nos *reliquias, vt dæmones deteſtari.* Nos vero non Sanctorum reliquias (ſi quæ veræ ſunt) ſed Latinorum in reliquias ſuperſtitionem, & cultum deteſtamur. His tam diſſolute diſputatis in exclamationem quam diximus erumpit; *O quam profundo barathro, obſcuriſſima offuſi caligine detinentur, qui hæc tam patentia, ac toto cælo perſpicua non intelligunt!* Tum interrogat, *An fortaſſe, quæ ſunt divinitus conceſſa orariis & ſemicinctiis, eadem negaverimus Pauli oſſibus attributa? vel hæc omnia Paulo privatim, & non cæteris Sanctis omnibus communicata dixerimus?* Nos vero Baroni, etiam ex hoc *profundo barathro,* quo tu nos demerſiſti; etiam ex hac *obſcuriſſima,* qua nos circumfudiſti, *caligine,* videmus tamen tuæ interrogationis ſophiſticen; quæ Paulo viventi conceſſa ſunt divinitus, eadem mortui membris ineſſe concludentis, & quæ Paulo à Domino donata erant, eadem cum cæteris quoque omnibus Sanctis communicata fuiſſe argumentantis. Qua omni ratiocinatione, quid ineptius aut futilius dici poteſt? Quæ ſunt (inquis) Pauli orariis conceſſa, eadem ejus oſſibus multo magis conceſſa ſunt divinitus; Viventis, inquam, fateor. Itaque, ſi quis ex infirmis illis Epheſiis, quibus Pauli orarium tetigiſſe ſalutare fuit, *manus,* vel *oſſa* ejus tetigiſſet, non dubitamus, quin is idem fuerit à Deo beneficium impetraturus. Iam in Pauli mortui oſſibus eandem eſſe vim, quæ in viventis fuerat; tu quidem audacter ſumis, ſed non probas; non adeo perſuades. Hoc exemplo tuo nihil vetabit, quin Pauli mortui & in monumento jacentis oculis videndi vim auribus audiendi, linguæ loquendi, pedibus ambulandi, toti corpori vivendi, ac ſentiendi facultatem adhuc ineſſe ratiocineris, quæ viventi inerat; quæ ſi abſurde colligi confiteris, negare profecto non potes, quin tu abſurdiſſime, ac perverſiſſime concluſeris ex iis, quæ Pauli viventis olim ac videntis orarium effeciſſe dicitur, eadem quoque nunc ejus jampridem mortui orarium, oſſa, carnes, pulverem efficere poſſe. Neque cæterorum Sanctorum alia eſt ratio. Sed nos diſputationem ex turbidis exclamationum & interrogationum Baronianarum fumis

eductam

eductam in clara luce collocemus. Ergo ſepoſito Domini exemplo, cujus nullæ ſunt proprie dictæ reliquiæ (corpus enim ſuum ille non reliquit in terris, vt Sancti, ſed vivens ac immortale in cœlum intulit) quod reliquum eſt adverſarij, quantum intelligo, primo conſtituunt ea eſſe religioſe adoranda, quibus eſt aliqua vis, divinitus conceſſa, ad patranda miracula. Tum Sanctorum reliquiis, eam vim ineſſe inde probant, quod ad Petri vmbram, & ex contractis à Pauli corpore delatis orariis, atque ſemicinctiis plures morbis liberatos fuiſſe legamus; Neque enim mortuorum reliquiis minorem ineſſe vim videri, quam quæ olim vivientium vmbræ & orariis inerat. Ergo conſequens eſſe, vt Sanctorum reliquias religioſe adorandas eſſe confiteamur. Hæc omnino Latinorum eſt ex deſcriptis Scripturæ locis argumentatio; quæ quam infirma ſit ac futilis, omnes intelligunt. Nam vt ab eo, quod ſecundo loco ſumunt, ordiar, quale quæſo, iſtud eſt, quod volunt Sanctos, quæ ſua vmbra, tactiſque ſuo corpore orariis viventes olim Deo annuente fecerunt, eadem etiam nunc mortuos, vel iiſdem illis orariis, vel corporis ſui reliquiis, ſi quid hujuſmodi ſupereſt, gerere poſſe? Si ea vis, qua Petrus & Paulus, ille vmbra ſua, hic tactis cute ſua orariis, infirmos ſanarunt, in eorum corpore phyſice inhæſiſſet, qualiter purgandi δυίαμις in herbis, plantis, & ſeminibus ineſt, fortaſſe videri poſſent eorum corpora, quam vim habuerunt viventia, eandem mortua retinere; quamquam & hoc ipſum ſatis ſtultum & abſurdum eſſe palam ſit; Quis enim neſcit viventium corporum vires ac facultates morte cõturbari, ac labefactari, vt quibus ſenſibus ac motibus, valuerant, dum viverent, iis mortua careant? Sed ne hæc quidem, tametſi tenuis & evanida, falſaque ſpecie Latinorum argumentum commendat. Illa enim vis, qua miracula Petrus & Paulus viventes patrarunt, non in eorum manibus, & cute, & corpore denique, multo vero minus in eorum vmbra, vel orariis proprie, ac phyſice, & (vt loquuntur) *realiter* inerat; Sed tota, quantacumque fuit, à Dei Optim. Maxim. voluntate, verbo, & promiſſione (vt omnes confitentur) manabat. Non ergo, ſi Deus à ſervis ſuis, cum eſſent in vivis, & mandatum Eccleſiæ condendæ, & ædificandæ opus adminiſtrarent, iſta ad conciliandam iis, atque Evangelio ſuo fidem, geri voluit, conſequens eſt, vt putemus eum voluiſſe, vt hæc eadem, vel etiam his majora ab eorum reliquiis, poſtquam ipſi vivere deſiiſſent, in poſterum ad finem ſæculorum efficerentur. Neque ego intelligo, qua ratione ſive Annaliſta Baronius, ſive Scholaſticus Vaſques hoc ex illo confici demonſtrare queant; Miniſterium, quod erat Sanctis cœlitus mandatum, ratio eſt, cur iis Deus miraculorum donum largitus fuerit, eo referebantur quæcumque illi ediderunt miracula. Deſinente ergo miniſterio, donum quoque deſinere verum eſſe videtur. Nulla enim apparet ratio, cur eo, ob quod quid datum erat, ceſſante, non vna quoq;

CAPVT I.

FFff id

CAPVT I. id ipſum, quod datum erat, ceſſare putemus. Iam hæc vita ſpatium eſt ſive curriculum Sanctorum; in quo vſibus noſtris ex Dei voluntate inſerviunt. Vbi hinc deceſſerunt, quieſcunt; Spiritus in cœlo, corpora in terra, qua conduntur, reſurrectionem expectantia. Itaque Davidem Paulus dicit Dei voluntati *ὑπηρετῆσαι miniſtraſſe*, vel *in-*
Act. 13. 36. *ſerviiſſe ἰδίᾳ γενεᾷ propria generatione*; id eſt ſuo ſæculo, & omni eo tempore, quo vixit in terris; hoc peracto miniſterio *κοιμηθῆναι obdormiviſſe, & patribus ſuis appoſitum eſſe, & corruptionem vidiſſe*. Hæc ipſa corruptio, quæ Sanctorum omnium corpora poſt mortem ſolvit, fatetur nullam amplius vim *θαυματοποιητικὴν miraculorum effectricem* in iis reſidere; quæ ſi qua ineſſet ſcilicet, ipſa in primis ab hac injuria ſervaret intacta. Huc accedit, quod prioris ad Chriſtum vſque Eccleſiæ tempore nullius Sancti corpore ab anima ſeparato, quicquam hujuſmodi proditum legitur; Si vnum Elizæum exceperis,
4 (Hebr.2.) Reg. 13. 21. cujus jam ante multos annos tumulati contactu mortuum quemdam revixiſſe ſcimus; ſive eo exemplo futuram carnis reſurrectionem firmare, ſive Chriſti pro nobis mortui vim ad nos vivificandos efficacem adumbrare, ſive aliud aliquod ignotum nobis myſterium repræſentare Deo libuerit. Illis temporibus plurimi fuerunt, qui ſtupenda miracula vivi fecerunt; Mortuus, nemo præter hunc vnum, quicquam ſimile geſſiſſe memoratur. Cæterum quod ſpatio annorum quater millium ſemel factum eſt, perperam ac inepte accipitur pro communi divinæ voluntatis de Sanctorum corporibus lege. Ne ſub novo quidem fœdere quemquam Sanctorum vllum poſt mortem ſignum per reliquias ſuas feciſſe vel ex divinis, vel ex Eccleſiaſticis ad a.D. 300. libris diſcimus; quod magno & invicto argumento eſt hanc eſſe communem, & ordinariam (vt ſic dicam) Sanctorum ex Dei voluntate legem, vt vim illam miraculorum effectricem, ſi qui eorum corpore ſuo exerant, eam viventes neque vltra hujus vitæ metas exerant. Et ſi quid aliter factum dicatur, id velut à communi ordine alienum, ne temere recipiatur; & ſi vere factum conſtet, ad rara, & inſolita, & extraordinaria referatur, arcanæque Dei ſapientiæ, velut peculiare quoddam myſterium, committatur; è quo aliquid novare, & cultus religionis effingere, periculoſæ fuerit & parum ſanæ audaciæ. Si vero hæc eſſet (quod ſtatuit Baronius) Dei voluntas atque inſtitutio, vt ex martyrum & Sanctorum omnium *re-*
A.D. 55. § 9. *liquiis aliquam* (quod iſte ſemel atque iterum dicit) *gratiam & ſalutem* ſuperſtites & poſteri *hauriant*, peſſime noſtro generi conſulerent, qui eorum, vbi hinc diſcedunt, corpora terræ mandant, eaque procul à noſtris obtutibus atque vſibus ſemovent. Nam ſi ſtat hoc Latinorum dogma, quid aliud quæſo eſt, hujuſmodi virorum reliquias ſepelire, quam vberrimos ſalutis publicæ (ſi iſtis credimus) fontes obturare, terræque opplere atque obruere? Ex his patet, quam non modo infirma, ac vitioſa, ſed & abſurda atque periculoſa ſit pars objectæ

objectæ argumentationis poſterior. Sed neque prior Sanior, aut validior eſt, qua ſtatuebant id à nobis religioſe colendum eſſe, ſi quid mirabiliter operandi & nos inſigniter, ac præter naturæ vires juvandi aliqua divinitus conceſſa vi polleat. Hac enim lege Petrus & Paulus in terris olim verſantes adorari debuerunt, qui tot tantaque miracula facerent; Debuit & cæteris omnibus Divis eoſdem honores Eccleſia præſentibus ac viventibus mature largiri (qui quidem jam tum miracula ederent) quod tamen nunquam factum accepimus. Ne Latinos quidem ipſos, tametſi cultus religioſi inſanum in modum prodigos, duliam vel hyperduliam ſuam cuiquam homini ſuperſtiti vel decreviſſe, vel indulſiſſe audio. Apoſtoli quidem ſibi quicquam hujuſmodi deferri non facile videntur paſſuri, qui homines ſibi ſummiſſius ſi forte accidentes, vel ſupplicantes, repuliſſe, & in ſe ob quædam ſupra hominem geſta defixos atque ſtupentes caſtigaſſe & ſevere monuiſſe leguntur, vt Ieſum intuerentur, & in eum vnum omnem ſuorum actuum gloriam tranſcriberent. Præterea adoranda quoque erunt ex eodem dogmate ea omnia per quæ nobis Deus aliquid beneficij mirabiliter impertitur. Pauli ſudaria & ſemicinctia adorare debuerunt qui per ea ſanati ſunt, & omnis vna Epheſiorum Eccleſia, quæ eos per iſta curatos viderat. Sic & Petri vmbram adorare omnes illius memoriæ fideles decebat; novum & inauditum apud homines religionis genus. Fuiſſe Solis; fuiſſe bovis, fuiſſe allij & porri; fuiſſe mutorum ſimulacrorum religioſos, eſſeque adhuc permultos ſcimus. In tanto & tam multiplici erroris & idololatriæ ludibrio quemquam fuiſſe *vmbræ* religioſum, hactenus quod norim nuſquam auditum; niſi ſi quem nobis de fabulis Narciſſum objectent, qui & ipſe tamen vmbram ſuam deperiſſe, legitur; adoraſſe non legitur. En quo Latinorum argumentatio religionis Chriſtianæ majeſtatem, etiam infra omnes gentilium vel furias vel ineptias deiiciat! Sed neque hoc poſtremo video, cur ſi hæc iſtorum epichiremata valent, non ſit abſolvenda omnis Paganorum in mundi elementa pietas, per quæ Deum magna beneficia, imo vitam ipſam, qua nihil carius eſt, hominibus impertiri certum atque confeſſum eſt. Si Petri vmbram, quod per eam pauculi infirmi convaluerint, tibi adorandam putas; quid Perſis Solem, Mithrę nomine, quid cæteris fere omnibus veteris æque ac recentioris memoriæ Paganis idem ſidus religioſe colentibus iraſceris, cujus motu ac lumine Deum in omne hominum atque animantium genus vitam atque incolumitatem diffundere videmus? Cur fruges, & vinum, cur ignem & aquam adorantes damnas, quæ Dei munera eſſe non negas? Non enim credo, iſta hoc honore ideo fraudanda dixeris, quod aſſidue ac jugiter nos foveant; quod Sol quotidie luceat, quod fruges quotannis naſcantur, quod aqua & igni diu noctuque vtamur. Atqui hoc ipſo plus honoris mereri par erat, quo crebriora ac ſpiſſiora ſunt eorum in nos

Caput I.

Act. 10. 26. & 14. 13. 14. & 3. 12. 16.

CAPVT I.

beneficia. Neque refert, quod horum certus, ſtatuſque & in mundo perpetua lege conſtitutus ordo decurrit; vmbra vero Petri & Pauli oraria raro ac præter conſuetas naturæ leges hominibus benefecerint. Cum enim vtrorumque juxta auctor ſit Deus, cum ex vtriſque pariter aliquid (vt loquitur Baronius) *gratiæ ac ſalutis* ad nos manet, vtriſque grates rependere, vtraque adeo adorare fas eſt, ſi quidem (quod iſti volunt) hoc grati animi officium eſt ea adorare per quę tibi Deus mirabiliter benefecit. Nimirum in hoc erroris & impietatis barathrum incidere eos dignum eſt, qui ſpreta ſapientiſſimi, ejuſdemque optimi ac Maximi Numinis de ſe vno adorando juſtiſſima ac ſanctiſſima lege, creaturis religionis ſuæ partem aliquam tribuere non dubitant. Sed quod ſatis eſt, nunc colligo, cum objectæ argumentationis vtraque pars obſcura & incerta, imo falſa & abſurda ſit, eoque à nobis vehementer negetur, nihil ex ea in reliquiarum gratiam concludi poſſe. Viderit Baronius, quo jure nos quod ineptiſſimæ ac vitioſiſſimæ ratiocinationi, vel potius (ſi verum licet dicere) delirationi aſſentiri refugimus, *obſcuriſſima caligine offundi*, & *profundo barathro detineri*, & ἁγιομαχῶν, & *omni Evangelicæ veritatis etiam vmbra deſtitui* ſcripſerit. Nos, quod Chriſtianos decet, adverſariis pro tam atrocibus maledictis bonam mentem precamur. Sed jam ad inſtitutum redeamus, à quo nos (tametſi fortaſſe non abs re neque inutiliter) nonnihil tamen deflexiſſe confiteor. Non enim nunc quærimus, quibus rationibus Latini reliquiarum adorationem confirment, vel quid ex divinarum litterarum dictis conſequens eſſe putent; ſed quid Apoſtoli & qui iis ſucceſſere ad a. D. 300. Chriſtiani de hoc reliquiarum cultu tradiderint; Ergo illa quidem mittamus; hoc vnum jam agamus. Neque vero hanc cauſam detrectat Baronius; ſuam illam de reliquiis diſputationem, quam nuper confutavimus, his ipſis verbis confidentiſſime, vt ſolet, conſignans, *Appello* (inquit) *omnium quotquot fuerunt vnquam ab ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ, Patrum ſententiam, ſi quid ab his contrarium vnquam ſenſerint.* Ego vero ſi iſte vel vnum Patrem ex Eccleſia, non modo, quod ait *naſcente*, ſed ducentos, vel etiam trecentos annos nata, attulerit, qui doceat Petri & Pauli, non dico vmbram, vel oraria, ſed vel ipſa corpora, à Chriſtianis vel adoranda, colendave religioſe eſſe, vel etiam adorata, cultave religioſe fuiſſe, non recuſo, quin de antiquitatis cum Latinis conſenſu merito gloriatus eſſe videatur. Sed iſte nihil tale præſtitit, neque ſane præſtare potuit. Tantum quoſdam, qui ſacrarum (vt vocant) reliquiarum cultum impugnaverant, recenſere adortus, Eunomium, Vigilantium, Claudium Taurinenſem, omnes longe ab Eccleſiæ exordio; omnes infra ipſum illum Chriſtianiſmi, quem ſignavimus, annum trecenteſimum poſitos, ſtatim hic reſiſtit, & ſua nobis de Pauli orariis & ſemicinctiis ſomnia iterum ad faſtidium reponens, vaticinatur Chriſtum ideo vetuiſſe, ne Paulus

ub. ſupr.

Baron. a. D. 55. §. 10.

im

in Aſiam, quo cogitabat, abiret, *vt* (inquit) *Catholicum dogma de cultu ſacrarum reliquiarum tanto exemplo & auctoritate ſtabiliretur.* Fuit-ne vnquam vllius Annaliſtæ major, quam iſtius, audacia atque inverecundia? qui, quæ nulla ratione ſibi ipſe fingit, ea veluti res geſtas hiſtorica fide nobis narrat? Nam in veris Pauli Actis, quæ à Luca habemus, ne vnum quidem *verbum* legitur de reliquiis, vel de earum cultu; & quæcumque iſte & ſodales ex iis, quæ apud Lucam, extant, pro reliquiis argumentantur, ea puerilia futiliaque Sophiſmata ſunt, quod paulo ante demonſtravimus. Iſte tamen noſter, veraciſſimus ſcilicet ac candidiſſimus Latinorum Annalium conditor, affirmat Paulum Chriſti providentia ideo fuiſſe Epheſi retentum, *vt dogma de cultu ſacrarum reliquiarum tanto exemplo, & tanta auctoritate ſtabiliretur.* I nunc, & Latinis Annalibus crede. Inde Baronius, quæ de reliquiis varia convaſat, à Gregorio Rom. P. I. qui poſt a. D 600. ſuperfuit, ſermonem exorſus, omnia ab auctoribus quarti, quinti, & ſexti ſæculi repetit, nihil ex tribus primis habet, quod quidem ad religioſum reliquiarum cultum pertineat.

CAPVT II. *Id. ibid. §. 11.* *Id. ibid. §. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.*

CAPVT II.

Argumentum contra Latinam de cultu reliquiarum religioſo traditionem Primum, quod vetuſtiſſimi Chriſtiani ne ipſos quidem Divos, quorum eſſe dicuntur reliquiæ, coluerint. II. quod Latinarum de hoc cultu diſputationum, diſtinctionum, argumentationum, &c. nullum apud vetuſtiſſimos Theologos extet veſtigium.

NOS vero jam demonſtremus non fuiſſe à fidelibus toto illo prioris ac purioris Chriſtianiſmi ad a. D. 300. decurſu, vel traditam, vel factitatam reliquiarum adorationem. Ac primo quidem id luculentiſſime ex eo apparet, quod in proximo ſuperioris diſputationis articulo fuſe, ac vt confido perſpicue demonſtravimus, primos illos Chriſtianos neque Angelos, neque homines Sanctos in cœlo cum Domino regnantes, religioſe coluiſſe. Cum enim ex Latinorum dogmate omnis reliquiarum veneratio ab eorum honore ac dignitate pendeat, quorum reliquiæ ſunt, conſiſtere non poteſt harum adoratio, niſi & Sancti ipſi adoratione digni eſſe cenſeantur. Itaque fieri non poteſt vt hujuſmodi honorem Sanctorum reliquiis antiquiſſima illa Eccleſia vel exhibuerit ipſa, vel exhibendum eſſe tradiderit, quæ ne ipſos quidem Sanctos, ob quos nunc à Latinis coluntur reliquiæ, religioſo cultu venerandos putavit; quod quia fuſe nuper probatum eſt, nihil neceſſe eſt diutius hic immorari. 2. Idem quoque

CAPVT II.

non obſcure hinc intelligimus, quod quæ videntur cum hac Latina non oſſium modo & pulveris, ſed etiam pilorum & vnguium & pectinum & zonarum & crepidarum, & aliarum viliſſimarum recularum adoratione pugnare, nuſquam ea Patres illos vetuſtiſſimos tractantes, aut mollientes, vel de iis minimum laborantes reperias. Latinorum quidem ſcholas in hujus generis quæſtionibus jampridem ſudare, atque æſtuare videmus; ac primo contra hæreticos hanc adorationem ductis partim ex ſcriptura, partim ex veterum traditione rationibus magno acumine, vno omnes conſenſu moliri, ac conſtituere; tum vero inter ſe de hujus cultus genere quæ re, & digladiari ac Bonaventuram quidem cum aliis non paucis contendere crucem, adeoque & cæteras eadem ratione reliquias, non ſolum iis rebus, ad quas pertinent, conjunctas, ſed etiam ſecundum ſe, quatenus ſunt aliquid ab eo, ad quod referuntur, diviſum, adorari & poſſe & debere; alios ingenti mole contra pugnare *reliquias non licere ſecundum ſe adorare, ſed ſolum conjunctas cogitatione cum eo, cujus ſunt, eum in ipſis apprehendendo.* Horum nihil apud vetuſtiſſimos Chriſtianos invenimus. Equidem Latinos iſtos de Schola homines Patribus fortaſſe ſubtiliores eſſe haudquaquam negaverim, ac vt paucis omnem eorum induſtriam complectar, in ſpinis ſerendis & excolendis longe callidiores atque exercitatiores; vt nullus ſit tam ſolutus ſirpus, in quo non ſtatim nodos ſexcentos infœlici quodam prurientis ingenij acumine vel deprehenſuri ſint, vel facturi. Non tamen ita pingues fuiſſe veteres quiſquam dixerit, vt non ſenſerint mirum hominibus facile viſum iri, quod qui vnum Deum adorandum defendebant, & Paganos Deorum & heroum ſigna, manes, ſepulcra adorantes abominabantur, iidem ſuorum Sanctorum ac martyrum reliquias adorarent, quique res inanimes ab homine ratione prædito coli indignabantur, ipſi oſſa & calvas, & interulas, & ligna & veſtes, quibus nullus ineſt ſenſus, religioſiſſime colerent. Nemo adeo ſtultus eſt, cui non ſtatim hæc in mentem veniant. Patrum ergo erat iſta, quæ diſſimulari non poſſunt, bona fide explicare: oſtendereque ea à ſe & ſuis *ſecundum ſe* (vt excellentiſſimi Latinorum Theologi loquuntur) ſed ſolum cum eo, cujus ſunt, cogitatione conjuncta adorari; tum, ſi & *ſecundum ſe* juxta quoſdam adorentur, non *latria* tamen, ſed *dulia* adorari; denique etiam ſi vel hac, vel illa, non tamen *ſimplici* & *abſoluta*, ſed *analogica*, & *reductiva* coli. Pervelim iſtorum mihi aliquid Latinorum magiſtri oſtendant apud Iuſtinum & Irenæum, vel ſi hos ſimpliciores putent certe apud Clementem Alexandrinum, aut Tertullianum aut Cyprianum, qui ambo Afri quidem domo; cæterum neque ſtulti profecto, neque rudes erant; vel ſaltem apud Origenem, cujus in omni litterarum genere ſingularem excellentiam non noſtris ſolum, ſed etiam Ethnicis admirationis fuiſſe ſcimus. Sed ne apud hos quidam magis quam apud ſuperiores, vllum

Bonav. in 3. d 9. q 4.
Thom in 3. d. 6. q. 1. art. 1.
Vid Vaſq. de his in 3. Tho. diſp 113. c. 1. Thom. 3. quæ. 25. art 4. & ibid. Caiet.

Latinæ

Latinæ de reliquiis ſapientiæ veſtigium cernitur. Quid, quod ne reliquiarum quidem cultum ſcripturarum vſpiam auctoritate confirmant? neque illam Dominici veſtimenti fimbriam, neque illa à Pauli corpore delata oraria ac ſemicinctia, in quibus illas Baronius non minus clare, quam in cœlo Solem meridie lucere vidit, aut Petri vmbram denique quam ſapientiſſimus Vaſques inter *reliquias non maximas* poſuit, illi vnquam ad hoc illuſtrandum argumentum attulerunt? Ego vero non poſſum aliud ex his ſtatuere, niſi iſtis Patribus ignotam & inuſitatam fuiſſe omnem illam reliquiarum adorationem, qui quæ ad eam vel conſtituendam, vel vindicandam ac defendendam neceſſario requiruntur, & ab omnibus nunc adhibentur, in tam multis, quæ ab illis ſcripta ſuperſunt, nunquam non dico memorant, ſed ne leviter quidem ſignificant, vt ſuſpicer Baronium, ſi hæc omnia diligenter expendiſſet, non fuiſſe negaturum vetuſtiſſimos quoque iſtos Patres nobiſcum *in profundo* illo, quo nos mer ſit, *barathro, obſcuriſsima offuſos caligine* jacere, qui hæc ſcilicet tam *patentia* Latinorum myſteria non magis, quam nos, intellexiſſe videantur. CAPVT III.

CAPVT III.

Argumentum III. Quod religioſi Reliquiis delati cultus nulla in vetuſtiſsimorum Theologorum libris mentio occurrat, ne in iis quidem locis, quibus ille ſi obtinuiſſet non modo opportunè ſed pæne etiam neceſſario dicendus erat.

HVC accedit, quod Patres primæ illius memoriæ nullam vſquam reliquiarum, & ejus, qui eis exhibendus eſſe dicitur, cultus mentionem faciunt; ac ne in iis quidem locis, in quibus id, ſi notum & vſitatū fuiſſet, nequaquā prætermitti debuiſſe aut potuiſſe videbatur. Nos exempla quædam ad ſpecimen exhibebimus. Clemens in epiſtola ad Corinthios, & Petri, & Pauli Apoſtolorum magna cum laude meminit. Si vtriuſque reliquiæ Romæ (quod Latini volunt) jam tum religioſa à fidelibus veneratione cultæ eſſent, id ad vtriuſq; gloriā eo loco dici, vt quod maxime, pertinebat, Clemēs nihil dixit; De Petro hoc tantum; *Martyrium paſſus in gloria locum debitum profectus eſt* μαρτυρήσας ἐπορεύθη εἰς τὸν ὀφειλόμενον τόπον τῆς δόξης. Clem. ep. ad Cor. p. 8. Neque aliud de Paulo; *Ad Occidentis terminos veniens, & ſub Imperatoribus martyrium faciens, ſic è mundo migravit, & in locum Sanctum abijt, patientiæ ſummum exemplar exiſtens.* ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθὼν, καὶ μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων, οὕτως ἀπηλλάγη τοῦ κόσμου, καὶ εἰς τὸν ἅγιον τόπον ἐπορεύθη. ὑπομονῆς γενόμενος μέγιστος ὑπογραμμός. Ibidem & hunc ſcribit *generoſam ſive illuſtrem fidei ſuæ gloriam*, vel *famam accepiſſe*, τὸ γενναῖον τῆς πίστεως αὐτοῦ κλέος ἔλαβεν, inquit. Cultum à Chri-

CAPVT III.

Chriſtianis *religioſum*, ſuis virtutibus ac miraculis dignum accipere non ſcribit; quod nemo non videt ex Latinis moribus hic addendum fuiſſe. Sed hi ſcilicet mores nondum apud noſtros obtinebant. Ita quoque Polycrates, ſecundo Chriſtianiſmi ſæculo jam præcipiti. Aſianorum epiſcoporum princeps, vbi Aſiæ ſuæ decora extollere, ſanctiſſimos viros in ea mortuos ac ſepultos recenſet; *In Aſia enim* (inquit) *magna elementa obdormierunt, quæ quidem reſurgent in die adventu Domini, quo de cœlis cum gloria venturus eſt, & omnes Sanctos reſuſcitaturus; Philippum dico, vnum ex duodecim Apoſtolis, qui apud Hierapolim obdormivit, cujus filiæ duæ virgines conſenuerunt, & filia item alia, quæ in ſpiritu converſata apud Epheſum quieſcit. Sed & Ioannes, qui ſuper pectus Domini recubuit; qui ſacerdos fuit laminam geſtans, & martyr & doctor, ille etiam Epheſi pariter obdormivit. Præterea & Polycarpus Smyrnæ epiſcopus, & Martyr; & Thraſeas item ex Eumenia epiſcopus quoque & Martyr, qui Smyrnæ obdormivit: Quid ego Sagarim dicam epiſcopum & Martyrem Laodiceæ quieſcentem? Quid beatum Papirium, & eunuchum Melitonem qui omni vita in Sancto Spiritu plane accuratiſſime peracta nũc apud Sardes ſitus Dominicam illam de cœlis viſitationem expectat, in qua ex mortuis reſurget?* καὶ γὰρ κατὰ τὴν Ἀσίαν μεγάλα στοιχεῖα κεκοίμηται, ἅτινα ἀναστήσεται τῇ ἡμέρᾳ τῆς ἀναστάσεως τοῦ Κυρίου. ἐν ᾗ ἔρχεται μετὰ δόξης ἐξ οὐρανῶν, καὶ ἀναστήσει πάντας τοὺς ἁγίους. φίλιππον τῶν δώδεκα ἀποστόλων, ὃς κεκοίμηται ἐν ἱεραπόλει καὶ δύο θυγατέρες αὐτοῦ γεγηρακυῖαι παρθένοι, καὶ ἡ ἑτέρα αὐτοῦ θυγάτηρ ἐν ἁγίῳ πνεύματι πολιτευσαμένη, ἡ ἐν ἐφέσῳ ἀναπαύεται. ἔτι δὲ καὶ ἰωάννης, ὁ ἐπὶ τῷ στήθει τοῦ Κυρίου ἀναπεσὼν, ὃς ἐγενήθη ἱερεὺς ὁ πέταλον πεφορεκὼς, καὶ μάρτυς καὶ διδάσκαλος. οὗτος ἐν ἐφέσῳ κεκοίμηται. ἔτι δὲ καὶ ὁ πολύκαρπος ὁ ἐν σμύρνῃ καὶ ἐπίσκοπος καὶ μάρτυς, καὶ θρασέας, καὶ ἐπίσκοπος καὶ μάρτυς ἀπὸ εὐμενείας, ὃς ἐν σμύρνῃ κεκοίμηται τί δὲ δεῖ λέγειν σάγαριν ἐπίσκοπον καὶ μάρτυρα, ὃς ἐν λαοδικείᾳ κεκοίμηται, ἔτι δὲ καὶ παπίριον τὸν μακάριον, καὶ μελίτωνα τὸν εὐνοῦχον. τὸν ἐν ἁγίῳ πνεύματι πάντα πολιτευσάμενον, ὃς κεῖται ἐν σάρδεσι, περιμένων τὴν ἀπὸ τῶν οὐρανῶν ἐπισκοπὴν, ἐν ᾗ ἐκ τῶν νεκρῶν ἀναστήσεται; Hæc ille; Non monſtri inſtar eſt tam multorum partim Apoſtolorum, partim Apoſtolicorum virorum decora, mortes, ſepulcra recenſentem, vt inde Aſiæ ſuæ gloria intelligatur, his ornamentis ſuperbæ, nihil de eorum apud ſuos vel religioſis honoribus, vel miraculis dixiſſe, quibus licet jam in pulvere dormientes, adhuc tamen floreant illorum exuviæ; Iam ex altera parte Cajus, qui ſub initia tertij ſæculi floruiſſe, Zephyrino Romanam Eccleſiam paſcente, dicitur, monumenti quidem meminit, in quo Petrus & Paulus apud vrbem Romam erant conditi, cultus, qui & loco & reliquiis iſtic ſitis, exhiberetur, nullus meminit; *Ego* (inquit) *Apoſtolorum trophæa perſpicue poſſum oſtendere. Nam ſi lubet in Vaticanum proficiſci, aut in viam, quæ Hoſtienſis dicitur, te conferre, trophæa eorum, qui iſtam Eccleſiam ſtabiliverunt invenies.* ἐγὼ δὲ τὰ τρόπαια τῶν ἀποστόλων ἔχω δεῖξαι, ἐὰν γὰρ θελήσῃς ἀπελθεῖν ἐπὶ τὸν Βατικανὸν,

Polycr. apud Euſeb. Hiſt. l. 5. c. 24. fol. 55. A.

Caius in Hiſt. Euſ. lib. 2. c. 25. fol. 20. A.

ναὸν, ἐπὶ τὴν ὁδὸν τὴν ὠστίαν. εὑρήσεις τὰ τρόπαια τῶν ταύτην ἱδρυσαμένων τὴν ἐκκλησίαν. *Trophæa* Apoſtolorum vocat eorum ſepulcra, τὰ τόπια (inquit Euſebius) ἔνθα τῶν ἀποστόλων τὰ ἱερὰ σκηνώματα κατατέθειται, *loca vbi ſacra Apoſtolorum* (Petri & Pauli) *tabernacula* (id eſt corpora) *depoſita erant*; victoriæ ſcilicet ab iis per martyrium reportatæ monumenta. Certe & ipſa *trophæorum* vox admonebat vt & *corpora* & *corporum loca* diceret adorata ac religioſe culta fuiſſe ab omnibus Chriſtianis; qua nulla glorioſior eſt trophęorũ & triumphorũ pompa. Id vero Cajus omiſit, quia illo tempore nihil dum ſimile fiebat apud noſtros. Smyrnenſes poſtquam ſe Polycarpi oſſa ex cineribus ſelecta, loco decenti condidiſſe narrarunt, continuo ſubiiciunt, *vbi nobis in vnum quantum licebit, cum exultatione & gaudio coactis præbebit Dominus hujus martyrij natalitium diem celebrare, tum ad ipſorum athletarum, qui prius certarunt, memoriam, tum ad poſterorum exercitationem atque præparationem.* ἔνθα ὡς δυνατὸν ἡμῖν συναγομένοις ἐν ἀγαλλιάσει, καὶ χαρᾷ, παρέξει ὁ Κύριος ἐπιτελεῖν τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον, εἴς τε τὴν τῶν προηθληκότων μνήμην, καὶ τῶν μελλόντων ἄσκησίν τε καὶ ἑτοιμασίαν. Hæc illi; qui, cur non *ad martyrum cultum* atque *adorationem*, æque dixerint ac illud quod dixerunt, ad eorum *memoriam*, ſe diem martyrij celebraturos, cauſa nulla alia eſt, niſi hæc; quia tum ſcilicet apud Chriſtianos, martyrum quidem memoriam celebrari, fas ſolenneque erat; reliquias *adorari*, aut *coli* religioſe, neque fas neque vſitatum erat. Lugdunenſes vero, cum ſuorum martyrum corpora ab impiis viderent & canibus laniãda obiici, & diligentiſſime cuſtodiri, & poſt ſextam diem inflammari ac in cineres verti, & in Rhodanum ſpargi, hæc ſibi magnum dolorem attuliſſe teſtantur; cujus ſi cauſam potiſſimam roges, hanc edunt, *propterea quod corpora humo tegere non poterant.* διὰ τὸ μὴ δύνασθαι τὰ σώματα κρύψαι τῇ γῇ. At ex Latinorum diſciplina nihil in acerbiſſimo caſu magis erat lugendum, quam quod ita ſpem ſibi omnem præripi viderent, cariſſima illa ſuorum patronorum pignora adorandi & colendi, & contactu & oſculis cum precibus conjunctis miracula ex iis eliciendi, & *gratiæ* atque *ſalutis* aliquid inde hauriendi. Ne dubites quin hanc ſi Latinorum fuiſſent conſecranei, jacturam hic fuerint memoraturi. Non memorant. Ergo neque Latinorum conſecranei erant. Origenes in opere contra Celſum, ſpeluncæ meminit, in qua Chriſtum Bethlehemi natum fama erat, *Conſentanee* (inquit) *ad eam, quæ de nativitate Ieſu in Evangelio eſt, hiſtoriam, oſtenditur apud Bethlehem ſpelunca vbi natus eſt, & in ea ſpelunca præſepe, vbi faſciis obvolutus eſt. Et id quod oſtenditur, per ea loca, etiam apud eos, qui à fide alieni ſunt, fama celebri circumfertur, quod in hac ipſa ſcilicet ſpelunca natus eſt ille Ieſus, quem Chriſtiani adorant atque admirantur.* ἀκολούθως τῇ ἐν τῷ εὐαγγελίῳ περὶ τῆς γενέσεως αὐτοῦ ἱστορίᾳ δείκνυται τὸ ἐν Βηθλεὲμ σπήλαιον, ἔνθα ἐγεννήθη, καὶ ἡ ἐν τῷ σπηλαίῳ φάτνη, ἔνθα ἐσπαργανώθη. καὶ τὸ δεικνύμενον τοῦτο

CAPVT III.

Euſ. Hiſt. l. 4. c. 15 fol. 39. A.

ibid. l. 5. c. 1. fol. 47. B. extr.

Orig. Contr. Celſ. l. 1. p. 40.

CAPVT IIII.

διαβόητόν ἐστιν ἐν τοῖς τόποις, καὶ παρὰ τοῖς τῆς πίστεως ἀλλοτρίοις, ὡς ἄρα ἐν τῷ σπηλαίῳ τούτῳ ὁ ὑπὸ χριστιανῶν προσκυνούμενος καὶ θαυμαζόμενος γεγέννηται Ἰησοῦς. Obſecro tuam fidem, cur & *ſpeluncam* & *præſepe*, vt *oſtendi*, ſic *adorari* non dixit? Nimirum neque hujus neque alterius generis reliquiæ Origenicis temporibus à Chriſtianis adorabantur. Idem auctor alibi ad Leviticum decretum, quo immundum eſſe pronuntiatur, quiſquis animal mortuum, aut corpus hominis defuncti tetigerit, vt probet non eſſe id ad litteram vrgendum, *Quid ſi* (inquit) *Propheta corpus ſit? Quid ſi Patriarcha, vel etiam ipſius Abraha corpus? Quid ſi & oſſa Samuelis contigerit, immundus erit? Quid ſi Heliſæi oſſa contingat, qua & mortuum ſuſcitant? Immundus erit ille, qui contingit, & immundum faciunt oſſa Propheta etiam illum ipſum, quem à mortuis ſuſcitant?* Hæc ille. An vero tali loco martyrum corpora tacuiſſet, ſi à noſtris jam tum non modo non polluere, ſed etiam ſanctificare, & ad inſtar Helizæici corporis, etiam viviſicare & reſuſcitare tangentem credita eſſent? Non huic de veteris Eccleſiæ libris exemplo alia de Chriſtianæ monumentis, adjeciſſet, ſi qua fuiſſent? Non noſtrorum rituum corpora Sanctorum in veneratione oſculantium cum hoc Levitico præcepto conciliaſſet, ne cui ex ejus occaſione religio eſſet hoc iis deferre? Nihil horum fecit; Ergo nulla erat ratio, cur faceret. Erat autem & quidem evidens, & in cujuſvis, etiam craſſiſſimi, oculos incurrens, ſi tum Martyrum corpora hodierno Latinorum ritu venerabatur Eccleſia; Ergo non eſſe veneratam, verum eſt. Huc quoque pertinet, quod Origenes ad illud Chriſti dictum, væ Phariſæis & Scribis imprecantis *ſepulcra Prophetarum ædificantibus, & monumenta juſtorũ ornantibus*, obſervat quidem *laudabile aliquid eſſe ſepulcra Prophetarũ ædificare, & ornare monumenta juſtorum*; *de ſepulcrorum vero & corporum in iis ſitorum* legitima, ex Latinorum decreto, veneratione plane nihil dicit; Atqui hic erat ejus commemorandæ, ſi tum obtinuiſſet neceſſarius locus. Erat enim interpretis Evangelici oſtendere hunc ſepulcrorum & mortuorum cultum minime pugnare cum illis Chriſti verbis quæ videntur in ſpeciem eos damnare, qui Sanctorum ſepulcra ædificant, & exornant; multoque adeo magis eos, qui hæc ipſa venerantur & adorant. Quum ergo Origenes nihil ea de re tam opportuno loco dixerit, confitendum eſt nullum fuiſſe tum temporis in Eccleſia Chriſtiana hujuſmodi Sanctorum cultum. Plura id genus alia ex veterum monumentis afferri poſſent. Hæc ad ſpecimen ſatis erunt; locum iſtic plane nullum occurrere quamlibet ad memorandum hunc Sanctorum cultum opportunum, in quo memoratus reperiatur.

Orig. Hom. 3. in Levitic. p. 31.

Id. in Matth. 23. Tract. 25. p. 125.

CAPVT IV.

Argumentum IV. Quod reliquiarum miracula, quæ præcipua cultus iis exhibiti ratio eſt, nulla plane extent apud vetuſtiſſimos; idque non paucis, præter allata ſuperius in prima parte argumenta, exemplis demonſtratur, inde petitis quod iſtius generis miracula nulla Patres attulerint, vbi de carnis reſurrectione adverſus ejus negatores diſputant, neque vbi rationem exponunt, qua Martyres hominum generi profuerunt. Veteribus item ignotum fuiſſe quod nunc à Latinis jactatur, quorumdam Martyrum cadavera perennare.

ILLVD vero ad eandem rem confirmandam illuſtre inprimis eſt argumentum, quod in omnibus veris certiſque Chriſtianorum libris, qui quidem intra annum Chriſti trecenteſimum vixerunt, nullum extat vllius miraculi per Sanctorum reliquias facti exemplum. Neque enim credibile eſt homines in Domini Schola educatos eo vnquam deventuros fuiſſe, vt cadaveribus, & aliis (vt vocant) reliquiis, id eſt rebus anima & ſenſu carentibus; ad hæc vel fœdis & ſqualentibus aſpectuque horridis, vel in ſpeciem certe vilibus, cultum religioſum, quo nullum ipſi honorem fatentur (excepto eo qui Dei proprius eſt) majorem eſſe in rebus humanis, præter ſcripturarum auctoritatem, omniſque rectæ rationis ſpeciem deferrent, niſi aliquid ab ipſis fieri ſibi perſuaſiſſent conſuetis naturæ viribus majus. Vicit enim hæc opinio omnem ſenſuum auctoritatem, & perſuaſit neſcio quid divinum vt myſticum ſua veneratione, ſuoque cultu dignum in iſtis quamtumvis vel triſtibus, vel vilibus in ſpeciem rebus ineſſe. Ipſi Tridentini hanc hujus cultus rationem inprimis adferunt, dum docent Sanctorum corpora à fidelibus veneranda eſſe (*per quæ* (ſi inquiunt) *multa beneficia hominibus à Deo præſtantur*, innuentes fideles Sanctorum corporibus, ob hanc vtilitatem, quam ab iis capiunt, religioſum cultum debere. Non aliter autem quam aliquo miraculo hominibus reliquiæ benefaciunt; dum ſcilicet ſiccis ab oſſibus, & exiguo à pulvere, vel vili à veſtimenti obſoleti panniculo aliquid ſalutis hauritur. Neque ex Latinorum ſolenni vſu res aliter fit, apud quos nullius mortui reliquias, publice quidem certe, adorari fas eſt, niſi à quibus ſummus Pontifex judicaverit aliquid miraculi eſſe patratum. Itaque Bellarminus inter cætera argumenta, quæ pro religioſo reliquiarum cultu attulit, hoc vel maxime vrget, miracula quæ ab iis facta ſingulis Chriſtianiſmi ſæculis feruntur, ſtudioſiſſime colligens, quæcumque nanciſci potuit; atque ex eo ſpecimine concludens adorandas eſſe reliquias; Vitioſe quidem ille ac perperam; non enim

Conc. Trid. Seſſ. 25.

Bellar. l. 2. de Sanct. relig. c. 3 § 6. Quarto probatur.

CAPVT IV. ſi quis vel mortuum (quod ſummum eſt) reſuſcitaverit, eum propterea religioſe colendum eſſe conſequitur; ſit licet ille vivus, ſit Sanctus, ſit Apoſtolus, ſit denique Angelus, quod adorationis, ſive religionis honos vnius Dei ſit eximius, proprius, ac ſingularis cultus; nedum vt corpus mortuum, vel aliquam ejus particulam à quoquam ideo adorari fas ſit, quod ejus contactu mirum aliquid & invſitatum factum fuerit. Sed tamen Bellarminus dum ita inſtituit, ſatis oſtendit adorationis, quæ reliquiis deferenda eſt, miracula ab iis patrata vel cauſam eſſe, vel argumentum neceſſarium. Ergo ſi reliquiæ primis illis Chriſtianiſmi ſæculis adorabantur hodierno Latinorum ritu, dubitandum non eſt, quin ab iis aliqua ſint illis temporibus patrata miracula, & quidem, quam ſecutis, plura & mirabiliora, tum ob alias à nobis alibi commemoratas rationes, tum etiam ob hanc, quod tum ſcilicet vera ac indubitata haberent eorum virorum corpora, quibus nihil vnquam Chriſtianus orbis vidit Sanctius, & ab omni parte beatius, atque excellentius; Apoſtolos Domini dico, & eorum diſcipulos. Sed & recentes erant eorum reliquiæ, illeque pro Chriſto fuſus ſanguis adhuc, vt ita dicam tepebat, quando maxime ſolet reliquiarum vis valere, ac vigere ab illo flore paulatim fere, vt cætera humana, tempore conſeneſcens, ac evaneſcens; eoque vt videtur, factum eſt, quod novæ ſubinde reliquiæ apud homines exponantur, ne quando ſine miraculis iſtis degant, quæ ſi deeſſent ſcilicet, futurum provident, vt omnis in reliquias religio relangueſcat, ac debilitata & extincta brevi concidat. Itaque nemo credo, dubitabit, quin reliquiarum ſi illæ quidem tum temporis jam à noſtris colebantur, miracula primis tribus ſæculis non modo tot ac tanta, quot quantaque ſecutis fuerunt, ſed etiam & plura & majora fuerint. Iam vero res plane ſe contra habet. Nam primis illis, caſtiſſimis ac fœliciſſimis Eccleſiæ intra annum Domini treceteſimum temporibus, non modo non plura aut majora quam conſecutis, fuerunt illa reliquiarum miracula; ſed plane nulla fuerunt. Atque hoc quidem quam verum ſit jam abunde ſupra in primę hujus diſputationis parte confecimus, vbi ex omnium, quæ prima illius antiquitatis extant, miraculorum inductione oſtendimus nulla in iis reperiri, quæ ſint hujus reliquiarij generis: idemque ex ipſo Bellarmini & aliorum Latinorum ſilentio probavimus, nulla hujus cenſus miracula exprimi ad a. D. 300. Chriſtianiſmi monumentis edentium. Quæ dicta ſunt, non repetemus. Tantum quædam, ſed hujus loci propria, quibus eadem veritas confirmatur ac illuſtratur, ſuperioribus addemus. Quale eſt verbi gratia, quod illius memoriæ Patres nunquam iſtius generis miracula afferant, quoties in iis cauſis diſputationibuſque verſantur, quæ iis vel probari ac confirmari, vel certe illuſtrari poterant & debebant. In primis vt & Paganiſmi vanitatem, & Chriſtianiſmi veritatem facili argumento demonſtrent, ſolent vim illam admirabilem

prædicare, qua noſtri dæmonas mortalium corpora inſidentes ad verum fatendum cogebant, & eiiciebant. *Hi* (inquit Cyprianus de dæmonibus loquens) *adjurati per Deum verum à nobis, ſtatim recedunt, & fatentur, & de obſeſſis corporibus exire coguntur.* Idem diu antea eandem cauſam perorans dixerat Minutij Octavius; & Tertullianus quoque in Apologetico Paganos ad faciendum tantæ rei experimentum provocaverat. *Edatur hic* (inquit) *aliquis ſub tribunalibus veſtris, quem dæmone agi conſtet. Juſſus à quolibet Christiano loqui Spiritus, tum ſe dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falſo.* Certe multo majus eſt & admirabilius mutas & frigidas mortuorum reliquias, quam homines Christianos Dei veri, & Chriſti Domini nomen invocantes à dæmonibus timeri, & obſeſſorum corporibus eiici. Cur hoc, quod erat minus, omnes dicunt; illud, quod erat majus, omnes tacent? Nimirum illo ſæculo nondum viſæ erant reliquiæ mira iſta agere. Id poſtea quarto demum ſæculo fieri, aut fingi cœpit. Vtrum ſit verius, nunc non quæro. Satis eſt, quod rem hinc fuiſſe conſtat ſuperioribus temporibus ignotam. Alia videamus. Hæreticorum, qui Eccleſiam illis temporibus turbarunt, plærique carnis naturam contumelioſiſſime proſcindebant, cœloque & ſalute & reſurrectione penitus excludebant. Contra horum inſaniam noſtri pugnant ejuſdem ævi Theologi. Irenæus quidem & ſæpe alias, & libro nominatim ſui adverſus hæreſes operis quinto. Statuit *carnem perceptricem & capacem virtutis Dei*, idque inde probat, quod *ab initio perceperit artem Dei*; cum homo ſcilicet Dei manu ex limo factus eſt caro vivens. Tum & illud affert carnem jam nunc *vivere*; ſtulte adeo negari *participatricem eſſe vitæ*. Quanto fortius ad hanc cauſam erat carnem etiam mortuam admota vivificare, miraculorum vim edendorum habere? Quanto promptius erat vitæ in ſe ſuſcipiendæ capacem olim fore, quæ vitæ aliis aut conſervandæ, aut etiam de integro reddendæ jam nunc capax eſſet? Hujus autem tanti operis capacem eſſe vincebant miracula, quæ à Sanctorum reliquiis fieri dicuntur. Ea ergo hoc loco attuliſſet Irenæus ſi qua tum in Eccleſia hujus generis facta eſſent. Nulla vel hic attulit vel alibi in eodem argumento. Nulla ergo fuiſſe ne dubitaveris. Contra eoſdem *corporis* (vt ipſe loquitur) *calumniatores*, τὸ σῶμα διαβάλλοντα, Clemens Alexandrinus ejus dignitatem & ad fœliciter vivendum neceſſitatem multis adſtruit, etiam ex Platone & Stoïcorum dogmate petitis. Ac facile & obvium erat quanti eſſet hominis caro, vel ex miraculis à martyrum corporibus editis, oſtendere; quæ neque ipſe vlla hic, magis quam Irenæus, adhibuit, quia nimirum nulla tum adhuc erant. Idem in eodem libro impium Baſilidis dogma confutat, martyrium ſtatuentis ſupplicium eſſe martyribus hic inflictum propter peccata, quæ eos in altera quadam hanc antegreſſa vita commiſiſſe fingebat. Multis putidum delirium, acutiſſime refellit,

CAPVT IV.

Cypr. de idol. vanit. p. 243.
Minut. in Octav. p. 82.

Tertull. in Apol. c. 23. p. 24. D.

Iren. adv. hær. l. 5. c. 3 p. 437. 438.

Clem. Alex. Strom. l. 4. p. 481. D.

CAPVT IV. fellit, eique inter cætera obiicit *laudes quidem quibus Chriſti nomen confitentes vituperia vero quibus negantes afficiuntur*, ἔπαινον ὁμολογητικῶς, ψόγον ἀρνητικῶς. Quis non videt os hæretico multo validius occludi conſtringique potuiſſe ac debuiſſe, in medium allatis, & religioſis cultibus, quibus martyres ab Eccleſia ſcilicet adorabantur, & iis præſertim *miraculis*, quibus eorum reliquiæ radiabant, veluti certo ac indubitato ſuæ innocentiæ atque virtutis cœlitus à Deo conceſſo teſtimonio? Quis enim vnquam ab hominis nocentis & ob ſua crimina animadverſi corpore miracula vel accepit, vel expectavit. Si qua igitur tum cognita fuiſſent apud noſtros hujuſmodi ſacrarum reliquiarum, quę nunc apud Latinos jactantur, miracula, ea procul-dubio Clemens pro eximia ſua eruditione erat hoc loco Baſilidi objecturus; quod cum non fecerit, pro certo ſtatuendum eſt, nihil adhuc ejus ſæculo apud noſtros hujuſmodi fuiſſe. Sed nemo illum de carnis natura locum vel crebrius, vel diligentius, vel vehementius tractavit, quam Tertullianus. Ille carnis dignitatem commendat non ſemel; ac primo quidem adverſus hæreticos, qui Chriſti ipſius carnem negabant, quorum impudentiam multis, iiſque vt ſolet, vndique conquiſitis confertim argumentis, ſingulari, & quidem eximio opere, fregit. His carnis infirmitates & *ſpurcitias perorantibus*, opponit Chriſti in carnem amorem & beneficia; ac de his quidem, *Carnem* (inquit) *Chriſtus ab omni vexatione reſtituit, leproſam emaculat, cæcam perluminat, paralyticam redintegrat, dæmoniacam captat, mortuam reſuſcitat, & naſci in illam erubeſcit?* Qui hominem norit, non dubitabit, quin & his miraculorum edendorum vim carni etiam mortuæ à Chriſto conceſſam adjecturus fuerit, ſi quid hujuſmodi ſciviſſet. Sed nunc eum ſpectemus pro noſtræ ipſius carnis reſurrectione cum Irenæo & Clemente adverſus hæreticos certantem. His in hac quoque parte carnis infirma ſugillantibus, *in originem, in materiam, in caſum, in omnem exitum ejus* procaciſſime declamantibus, ipſe carnis præcipua, & eximia obiicit, *vituperationem laudatione depellit* [a]; carnis *conditionem*, quam illi *quaſſaverant, munit*. Dignitatem ejus in vtroque ſtatu & *natura* [b] & *gratia* [c] fuſe, acriter, diligenter, vt viri mos eſt, aſſerit. Ac in hoc quidem gratiæ ſtatu nihil omittit, quod carni datum à Domino fuerit. Omnia ejus in carnem munera, & curioſiſſime rimatur, & ſpecioſiſſime, facundiſſimeque exſequitur; carnem ablui, vngi, ſignari, manus impoſitione adumbrari, corpore & ſanguine Chriſti (id eſt ejus Sacramento) veſci; carnem Sacrificiis Deo gratis, jejuniis, & ſqualoribus fungi, virginitatem, viduitatem, caſtitatem præſtare; in pœnis, in cruciatibus ad martyrium vſque decertare; eo beatiſſimam & glorioſiſſimam, quod Chriſto *debere deſierit*, quia nimirum vitam ipſam per quam debebat, poſuit. Hic ille argumentationis molem ſiſtit; neque vltra progreditur; in hoc ipſo gradu concluſionem, quam moliebatur

Id. ibid. l. 4. p. 507.

Tertull. l. de car. Chriſ. c. 4. p. 360. extr.

Tertull. l. de reſurr. carn. c. 4. p. 381. C.

a ibid. c. 5. p. 382.

b ibid. c. 6. 7.

c ibid. c. 8.

ſic

ſic ex præmiſſis extruens, *Igitur* (inquit) *vt retexam, quam Deus* Capvt
manibus ſuis ad imaginem Dei ſtruxit, quam de ſuo afflatu ad ſimilitu- IV.
dinem ſuæ vivacitatis animavit, quam incolatui, fructui, dominatui Id. ibid. c. 9.
totius ſuæ operationis præpoſuit, quam Sacramentis, diſciplinisque ſuis
veſtivit, cujus munditias amat, cujus caſtigationes probat, cujus paſſio-
nes ſibi adpreciat, hac-cine non reſurget. totiens Dei? Abſit, abſit, vt
Deus manuum ſuarum operam, ingenij ſui curam, afflatus ſui vaginam,
molitionis ſuæ reginam, liberalitatis ſuæ hæredem, religionis ſuæ ſacerdo-
tem, teſtimonij ſui militem, Chriſti ſui ſororem in æternum deſtituat in-
teritum. Hæc eſt Tertullianea carnis defenſio; fortis, facunda, ma-
gnifica; ſed ſi jam aliqua erant reliquiarum apud noſtros miracula,
curra profecto ac μείωρος. Cur enim carnis vltra obitum decora non
provehit? Cur in illo ſupremo martyrij agone deſinit? Cur eam
inde quicquam Chriſto amplius debere negat, quæ ſi quid Latinis
credimus, etiam plura & majora, quam antea, debet, valetudinum
curationes, cæcorum illuminationes, mutorum, ſurdorum, paraly-
ticorum reformationes, mortuorum etiam reſuſcitationes? De his
plane nihil dixit Tertullianus. A Deo collata carni dona recenſet.
At nullum majus, aut magis ſtupendum eſt, quam vt caro vitam, qua
ipſa plura jam ſæcula caret, alij tribuat; vt lumen, quod ipſa jampri-
dem amiſit, cæcis donet; vt aurium vſum, quas nullas habet, ſurdis
conferat. Tum ea memorat Tertullianus, quæ caro animæ vnita vel
accipit, vel præſtat. Quanto potius objectanda erant quæ ipſa ſeor-
ſum, ſpiritus ſui expers, Domino donante conſequitur? Illa animæ
in carne viventi, imputabit hæreticus; hæc carnis, quæ ſola eſt, pro-
pria ſunt, neque vlla cavillatione alio torqueri poſſunt. Hæc ergo ſi
ſciviſſet, potiſſimum attuliſſet Tertullianus; certe non indicta præ-
termiſiſſet. Prætermiſit, vt liquet; Ne ergo & neſciviſſe dubita-
veris. Idem paulo poſt multis demonſtrat Deo eam eſſe potentiam,
quæ carnem facile reſuſcitare poſſit; *naturæ* & propheriæ documen- Id. ibid. c. 12.
ta in medium afferens, ne dubitemus Deum carnis etiam fore reſuſ- extr. c. 13. p.
citatorem; quo loco ne Phœnicis quidem hiſtoriam eum piguit ex 387. C. D.
Arabiæ oris vltimis referre. Quanto facilius atque efficacius erat
vitam mortuis à Deo, & quidem alterius æque mortuæ carnis con-
tactu, paſſim; & vulgo in Eccleſia repræſentatam hic edere? Non
edidit, quia ſcilicet nihil adhuc hujuſmodi apud noſtros vel factum,
vel fictum fuerat. In eodem opere hæreticorum exceptionem refel-
lit carnem merum animæ inſtrumentum eſſe cauſantium: eo animam
ſolam judicandam eſſe, *qualiter vſa ſit vaſculo carnis; vaſculum ip-*
ſum non eſſe ſententiæ obnoxium; neque enim calicem damnari, ſi quis
eum veneno temperarit. Hæc inquam noſter pleniſſime atque diſer-
tiſſime refellit. Sed ne hic quidem id, quo hæreticorum exceptio
funditus evertebatur, attulit; ipſam carnem, ſcilicet ſolam, ac ſeor-
ſum ab illa ſua rectrice anima exiſtentem, jam nunc miraculorum

dono

CAPVT IV.

Id. ibid. c. 16. p. 385. C. D.

dono coronari, in eorũm quæ ſuſtinuit, certaminum prꝫmium, vt quid illa ſit, *inſtrumentum* ne (quod iſti volebant) an *miniſterium animæ* nihil intereſſit, cum conſtet eam, quocumque tandem illa loco cenſeatur, nõn eſſe certe bonorum, quꝫ à ſummo judice animꝫ decernuntur, exſortem. Tangit eandem quoque quꝫſtionem in opere contra Marcionem, reſurrectionem corporum noſtrorum variis argumentis aſtruens; vt ex eo quod illa ſint templa Dei & membra Chriſti;

Id. adv. Marcion. l. 5. c. 7. p. 588. A. B.

Templum ergo (inquit) *Deo peribit, & Deus templo?* &, *Membra Chriſti non reſurgent, quæ noſtra jam non ſunt?* Sed neq; hic neq; vſpiã alibi illud dicit, quod eſſet (ſi verum eſſet) ad hanc cauſam palmarium, *Caro ergo miraculorum* effectrix in ꝫternum peribit? Caro, quꝫ licet mortua à mortuis ſuſcitavit, in morte ꝫternum jacebit? alios reſurgere fecit, nunquam ipſa reſurget? Caro ab Eccleſia adorata non conſequetur eorum prꝫmium, qui eam adoraverint? Tam promptum, tam evidens, tam potens carnis reſurrecturꝫ argumentum, incredibile eſt & alios & hunc maxime Tertullianum omiſſuros ſi ſciviſſent, tam ſꝫpe eam quꝫſtionem tam diligenter tractantes. Omiſerunt & hic & cꝫteri omnes. Ergo reliquiarũm & miracula juxta & cultum neſciverunt. Huc quoque pertinet, quod Bellarminus inter reliquiarum ſacrarum miracula refert, quod quorumdam

Bell. l. 2. de Relig. Sanct. c. 3. §. Quinto item; Ego ipſe.

Sanctorum ante multos annos mortuorum corpora incorrupta reperta ſint, cujus generis exempla non pauca & ex aliis affert, & ipſe quꝫdam ſe vidiſſe ait; vt Bononiꝫ corpus Catharinꝫ, quꝫ ſupra centum annos ex hac vita migraverat, & Clarꝫ apud montem Falcum in Vmbria, & Agnetis Politianꝫ, quꝫ ambꝫ ante a. D. 300. mortuꝫ erant. Vnde ſequitur ſimilia quoque vetuſtiſſimos Chriſtianos in Sanctorum ante ſua tempora mortuorum corporibus obſervaturos fuiſſe, ſi eorum reliquias eodem modo ac ritu coluiſſent, quo nunc eas Latini adorant. At nihil hujuſmodi ab vllo iſtius memoriꝫ ſcriptore de Sanctorum ante ſua tempora mortuorum reliquiis vſpiam obſervatum eſt.

Tertull. de reſurr. carn. c. 42. p. 410. D.
** 2. Cor. 5. 4.*

Quinimo nihil eos hujuſmodi ſciviſſe, certum eſt ex quodam Tertulliani loco; vbi de illis Apoſtoli verbis diſputans, *ut devoretur mortale à vita* *, quo demonſtret non omnia mortuorum corpora ante ſupremum diem à morte ſic *abolitum* iri, vt tunc *comgandere omni genere ceſſaverint*, affert exempla corporum, quꝫ diu poſt mortem vel tota, vel majori ex parte incorrupta, certe non abolita, manſiſſe ſciebat; *gigantum* primo *antiquiſſima cadavera*, quꝫ (inquit) *non devorata conſtabat, quorum crates adhuc vivunt. Sed & proxime* (inquit) *in iſta civitate* (Carthagine) *cum Odei fundamenta, tot veterum ſepulturarum ſacrilega, collocarentur; quingentorum fere annorum oſſa, adhuc ſuccida, & capillos olentes populus exhorruit.* Tum; *Conſtat non tantum oſſa durare; verum & dentes incorruptos perennare; quæ ut ſemina retinentur fructificaturi corporis in reſurrectione.* Hæc Tertullianus. Iam rogo, ſi cujus ille Catharinꝫ, ſi

cujus Claræ, vel Agnetis, id eſt ſi quorum ex ſuperioribus tempori- CAPVT IV.
bus martyrum, corpora *incorrupta* apud noſtros *perennare* ſciviſſet, an non ea potius ad hanc rem allaturus fuerit, quam gigantum *crates*, vel Paganorum apud Carthaginem ante annos quingentos ſepultorum *oſſa ſuccida* & *capillos olentes?* Annon hæc martyrum, non *oſſa & dentes*, ſed tota corpora *integra durare* ac *retineri* dixiſſet, non modo *ut ſemina*, ſed, quod etiam majus eſt, vt admiranda argumenta futuræ olim, ſuoque tempore certo repræſentandæ ex divinorum promiſſorum fide reſurrectionis? Statuat Bellarminus quod ei libuerit. Nemo, qui mente ſana, & à ſtudio partium pura, hæc expenderit, dubitabit, quin Tertullianus, quæ loco tam opportuno nulla attulit, corporum poſt Sanctorum obitum perennantium exempla, nulla ſciverit, quia nulla hujuſmodi illius ævi Eccleſia obſervarit, aut cognita habuerit (neque enim Tertullianus rerum apud ſui ſæculi Eccleſiam notarum, minus credo, quam eſt Bellarminus Latinarum, aut ſciens, aut curioſus fuit.) Vnde quid ſequatur omnes vident; nimirum non fuiſſe apud illius temporis Chriſtianos morem nunc Latinorum ſolennem, ſepulcra Sanctorum refodiendi, oſſa eorum & reliquias ſpectandi, tangendi, oſculandi, minime vero omnium adorandi, quæ ſi tum noſtri paſſim religioſe factitarent, ignorare non poterant durare vltra communem naturæ conſuetudinem, integra quorundam Sanctorum corpora; quod tamen eos neſciviſſe vincit à nobis allatus Tertulliani locus. Denique ne plura hic congeram, nulla fuiſſe primis illis Chriſtianiſmi temporibus cognita per martyrum reliquias edita miracula ex duobus Origenis locis ſatis mihi videtur conſtare. Prior locus extat in opere contra Celſum; *Orig. contr. Celſ. l. 8. p. 418.*
Quoniam (inquit) *animæ occiſorum propter Chriſtianam pietatem, corporibus cum gloria liberatæ dæmonum potentiam evertebant, & eorum adverſus homines inſidias debilitabant ac frangebant, hanc ob cauſam opinor experimento docti dæmones ſe à veritatis teſtibus ſive martyribus vinci, ac ſuperari veriti ſunt eos denuo aggredi ad ſe vlciſcendos; & ſic donec eorum quæ paſſi ſunt, damnorum obliviſcantur, veriſimile eſt futuram mundo adverſus Chriſtianos pacem. Vbi vero vires collegerint, & malitia excæcati, rurſum ſe vlciſci voluerint, & Chriſtianos perſequi, rurſus profligabuntur; tumque rurſus animæ piorum & ob pietatem corpora exuentium, maligni exercitum cædent ac delebunt.* ἐπεὶ αἱ ψυχαὶ τῶν διὰ χριστιανισμὸν ἀποθνησκόντων δι' εὐσέβειαν μετ' εὐκλείας ἀπαλλαττόμεναι τοῦ σώματος καθαιροῦσι τὴν δύναμιν τῶν δαιμόνων, καὶ ἀτονωτέραν αὐτῶν ἐποίουν τὴν κατὰ τῶν ἀνθρώπων ἐπιβουλὴν, διὰ τοῦτο οἶμαι, τῇ πείρᾳ μαθόντες οἱ δαίμονες ἑαυτοὺς ἡττωμένους καὶ κρατουμένους ὑπὸ τῶν μαρτύρων τῆς ἀληθείας, ἐφοβήθησαν πάλιν ἥκειν ἐπὶ τὸ ἀμύνεσθαι. καὶ οὕτως ἕως ἐπιλάθωνται ὧν πεπόνθασι πόνων, εἰκὸς ἐστὶ τὴν τοῦ κόσμου πρὸς χριστιανοὺς εἰρήνην. ἐπὰν δὲ συλλέξωνται τὴν δύναμιν, καὶ ὑπὸ τῆς κακίας τυφλώμενοι, πάλιν ἀμύνεσθαι θέλωσι, καὶ χριστιανοὺς διώκειν, πάλιν καθαιρεθήσονται. καὶ τότε πάλιν αἱ ψυχαὶ τῶν εὐσεβούντων καὶ δι' εὐσέβειαν

CAPVT IV. ἀποδυομένων τὰ σώματα, καθελῶσι τὸ τῶν πονηρῶν στρατόπεδον. Hic exponit qua ratione martyres dæmonum vim ac potentiam infringant, & quid ab iis dæmones metuant. Iam quaſi conſulto Latinorum cavillationes occupare vellet, nonmodo reliquiarum, & potentiæ θαυματοποιητικῆς, maxime ad fugandos dæmonas, cœlitus iis attributæ, nullam facit mentionem; ſed diſerte martyrum *animas* nominat; docens ſe quicquid à martyribus & cladis dæmonia, & vtilitatis atque commodi fideles accipiunt, id ab eorum non reliquiis, ſed animis proficiſci; à glorioſa ſcilicet illa fortitudine, qua ad ſanguinem & vltimos cruciatus decertantes & Evangelij veritatem longe lateque illuſtrant, & hominum animos ad eam admirandam atque amplectendam excitant. Miraculorum quæ ab eorum reliquiis dicuntur fieri, nullus meminit; quæ nulla ſcilicet ſciebat, ſi ſciviſſet loco tam opportuno minime, vt apparet, prætermiſſurus. Alter hujus ſimilis locus eſt in Ioannem; *Exiſtimare* (inquit) *debemus deſtructionem*

Id. in Ioan. Tom. 9. p. 309. init.

fieri potentiarum maleficarum per mortem Sanctorum martyrum; veluti tolerantia, & confeſſione vſque ad mortem, atque erga pietatem promptitudine, hebetantibus & mitigantibus feritatem inſidiarum tyrannorum illorum, contra tot cruciatus patientem, vt hebetata & debili reddita potentia ipſorum, alij etiam plures victis dimitterentur liberati eo onere, quo potentia mala inſtantes eos gravabant & lædebant.* Paulo poſt in eandem rem dicit *multos ex martyrum morte indicibili quadam vi adjumentum ſumere.* Hic quoque martyrum *tolerantia, confeſſione, pietate* & frangi dæmones & homines adjuvari dicit; eorum reliquias vel pro his, vel in illos quicquam miraculi edere, nullus dicit, quia ſcilicet nullus ſciebat. Cum ergo ex his & aliis longe pluribus à nobis ſupra allatis in prima parte hujus diſputationis, certiſſime conſtet nulla primæ ad annum Domini trecenteſimum Eccleſiæ cognita fuiſſe ſacrarum, quas vocant, reliquiarum *miracula*, eo ipſo id quod diximus, clariſſime confectum eſt nullum earum iiſdem temporibus fuiſſe apud Chriſtianos cultum religioſum.

** videtur leg. patiente.*

CAPVT V.

Argumentum V. Quod vetuſtiſſimis hæreticis carnis reſurrectionem negantibus, nemo eorumdem, vel etiam ſequentium temporum Catholicus imputarit, quod reliquias minime adorarent, quas tamen ab iis adorari, qui ſic ſentirent eſt incredibile. Tunc nimirum nondum hæreſis erat, non adorare reliquias.

SED illi quoque hæretici, de quibus nuper diximus, validum nobis ſuppeditant ad idem probandum, argumentum. Supra in prima diſputatione & hunc & cæteros Latinorum, quos repudiavimus, cultus, non fuiſſe tribus primis ſæculis fidelium ſolemnes, eo demonſtravimus, quod per illa tempora ex tam multis hæreticis, qui fidem Chriſtianam turbarunt, plane nulli reperiantur de his controverſiam feciſſe orthodoxæ Eccleſiæ. Nunc non omnes, ſed illos proprie convenio, quos Irenæus, Clemens, & Tertullianus nobis edunt carnis vel Dominicæ veritatem, vel noſtræ reſurrectionem negantes; Hi certe, qui carnem veluti rem viliſſimam, faſtidiebant; qui indignam Deo ducebant; qui cœlo & ſalute excludebant, qui animæ *miniſterium* eſſe negabant, qui ejus merum eſſe *inſtrumentum* affirmabant, vt *vaſculum medici*, vt gladium militis; hi inquam, ex dogmatis ſui genio non videntur *carnem* martyrum adoraſſe; nedum vt cæteras alterius generis reliquias coluerint. Cur enim adoratione, id eſt maximo quodam, & omni humano majori honore dignarentur, quam à ſalute æternum exulaturam, & in nihilum abituram ſtatuebant? Mihi quidem veri hoc per quam ſimile videtur. Tu vero Latine quid cenſes? Si Eccleſia, quod tu vis, etiam illorum temporum Catholica eas Sanctorum, quas vocas, reliquias tecum religioſe venerabatur; ſi eam religionem pro Apoſtolica & omnium Chriſtianorum communi traditione docebat, ac ſervabat, neceſſe eſt hæreticos illius memoria in hac quoque parte, vt in cæteris, vel cum prima illa Eccleſia ſenſiſſe, vel ab ea diſſenſiſſe. Dic amabo, vtrum iſtorum feciſſe eos putas? Si mihi aſſentiris, exiſtimanti eos pro ſui dogmatis ingenio Sanctorum corpora nequaquam eſſe veſtro ritu veneratos; rogabo, cur ejuſdem temporis Eccleſia, ſi tecum ipſo aliud & docebat, & factitabat, hunc tantum ex tua hypotheſi iſtorum errorem nunquam diſerte denotarit? Iſti vero neque pauci erant neque contemnendi, imo plærorumque, ac qui pœne omnium duobus primis ſæculis emerſerunt, hæreticorum hoc commune fuiſſe videtur, vt carnis & Dominicæ veritatem, & noſtræ reſurrectionem negarent. Omnes quidem Gnoſticos, & Marcionicos, quorum

HHhh 2 cele-

CAPVT V. celeberrima ac frequentiſſima fuiſſe illis temporibus collegia notum eſt, in ea hæreſi verſatos eſſe conſtat. Cur Eccleſia de iſtorum nemine, queſta eſt, quod ſacras Sanctorum reliquias faſtidierint? non adoratione, non cultu, non veneratione dignati ſint? Cur Irenæus, qui contra eos quinque volumina ſcripſit, in quibus omnia iſtorum deliria, omnia flagitia diligentiſſime exequitur ac refellit, nuſquam eos religionis, quæ reliquiis debetur temeratę vel imminutæ redarguit? Cur Tertullianus, qui contra duos illos de Chriſti carne, & de carnis Reſurrectione errores duobus ſigillatim libris, eruditiſſimis profecto atque florentiſſimis copioſiſſime diſputavit, neutrius auctores de negata Sanctorum reliquiis ſua adoratione pulſat? Cur Epiphanius, qui omnes horum Alaſtorum furores, inſanias, ſpurcitias, atque abominationes, curioſiſſime ſcrutatus edidit, nullum de hac eorum in reliquias contumelia verbum facit? Cur Philaſtrius, cur Auguſtinus, cur Theodoretus, cur cęteri Gręci ac Latini qui de veterum reſurrectionis negatorum opinionibus, ac decretis cômentati ſunt, hoc omnes de non adorandis reliquiis dogma prętermiſerunt? Ergo velis nolis; neceſſario confitendum eſt non fuiſſe hac in parte ab his hæreticis pulſatam communem Eccleſię fidem atque conſuetudinem; quę ſi eſſet pulſata ſcilicet, non potuiſſet fieri, quin hoc facinus ab aliquo tam multorum ſcriptorum eſſet commemoratum, qui tanta cum diligentia alios omnes iſtorum errores recenſuerunt. Iam ſi non eſt ab iis Eccleſię fides pulſata, qui Martyrum reliquias minime colerent; vides opinor, quid ſequatur, nullam ergo fuiſſe tum Eccleſię Catholicę de adorandis reliquiis fidem. Hoc vero illud ipſum eſt, quod ego contendo. Sin hoc incommodo repulſus, ad alteram partem reſiſtas, & dicas, (quanquam hoc quidem plane videatur incredibile) hęreticos tam dementes, tamque ſtupidos fuiſſe, vt eandem illam martyrum carnem, quam reſurrectionis & ſalutis exſortem in ęternum fore docebant, adoraverint tamen, & ab ea vt nunc Latini, miracula expetiverint; dic mihi quęſo, cur tam ſpecioſum argumentum omiſerunt quicumque contra eos de reſurrectione carnis, vel etiam de Chriſti carne diſputarunt? cur non, quam ipſi hęretici (vt tu vis) approbabant atque factitabant, carnis mortuę adorationem? cur non, quę ipſi ab ea expectabant, & quę ſi non ipſi, certe orthodoxi ſępe impetrabant, miracula attulerunt, vt eam cœlo non eſſe indignam probarent? Tu quidem ſi cum aliquo adverſario hujuſmodi quales iſtos fuiſſe fingis, ageres, pro defendenda carnis reſurrectione vel primo loco hoc argumentum poneres; quod veteres illi Theologi in accuratiſſimis ac longiſſimis ea de re diſputationibus nullo loco poſuerunt. Evolve Irenæi contra hęreſes plane eximium opus. Lege Tertulliani quinque contra Marcionem libros; tum proprium de carnis reſurrectione commentarium. Nihil deeſſe videbis, quod poſſit de eo argumento,

mento à ſubtiliſſimis & diligentiſſimis ingeniis afferri, preter tuam illam reliquiarum adorationem, quam iſtic nuſpiam reperies. Illi plane ſic diſputant, non vt Latinos, ſed vt noſtros homines in hoc argumento verſantes diſputare decet. Vnde clarum eſt qui ita ſe geſſerunt homines, quod omnes fatentur, ſapientiſſimi, quique nihil ſolent ad cauſas quas agunt, conſtituendas prætermittere, de iſto reliquiarum Latino cultu nihil, quod afferrent, ſciviſſe. CAPVT VI.

CAPVT VI.

Argumentum VI. Quod vetuſtiſſima Eccleſia in cauſa cum Gnoſticis, martyriorum refragatoribus, ſua, Reliquiarum cultum neque ſibi ab adverſariis obiici audiverit, neque ipſa coacta adverſarios attulerit, vel memoraverit, qui tamen ſi quis jam tum erat, & noſtris exprobrari à Gnoſticis, & à noſtris viciſſim tum defendi, tum adverſariis obiici debebat. Omnia ex Tertulliani Scorpiace demonſtrantur.

SED Gnoſticos certe & Valentinianos & alios *martyriorum* (vt ait Tertullianus) *refragatores*, plane eſt incredibile martyrum reliquias adoraſſe. Hi enim martyrium ob fidem perpetiendum negabant, qui ſubirent, eos vt homines ſtultos ac parum ſanos falſa miſerandi ſpecie irridebant; *Haccine* (inquiebant) *pati homines innocentes? Siccine tractari ſectam nemini moleſtam? Perire homines ſine cauſa? Sed neſciunt ſimplices animæ, quid, quomodo ſcriptum ſit, vbi & quando & coram quibus confitendum.* Neque *ſimplices* modo *animas*, ſed & *ſolummodo columbas, libenter errantes*, vocabant; id eſt illius *prudentia*, quam ſub *ſerpentis* columbæ mixti ſymbolo expreſſit Chriſtus, expertes. Quin & *pro Deo mori ne ſimplicitatem quidem, ſed vanitatem, imo dementiam* eſſe contendebant. *Quis enim* (inquiebant) *ſalvum faciat, ſi is occidet, qui ſalvum facere debebit? An Deus hominum ſanguinem flagitat, maxime ſi taurorum & hircorum recuſat? Certe peccatoris pœnitentiam mavult, quam mortem. Et quomodo non peccatorum, deſiderat mortem?* His illi ſuaſoriis carni blandientes, & fidelibus inſidioſiſſime adrepentes, martyria deſtruebant. Iam quos veluti *ſimplices*, & *imprudentes* quos veluti *vanos* & *dementes* ridebant & traducebant, eorum iſtos veluti Divorum adoraſſe reliquias, nemo vt opinor, tam ſtultus eſt, qui putet. Eos potius deſpuiſſe imo iis maledixiſſe, vt cæteris quidem perniciosiſſimi, ſibi vero invidioſiſſimi erroris ſatoribus ac fautoribus, veriſimile eſt. Illud quidem pro certo affirmandum eſt, iſtos martyrum reliquias minime gentium adoraſſe. Iam cum hæc ita conſtituta eſſet, hereticorum adverſus

Tertull. Scorp. c.1.p.616.C.
ibid.D.
Id.ibid.c.15. pag.632.A.
ibid.c.1.p.616 D.

CAPUT VI.

Catholicos cauſa, nemo non videt in ea agenda reliquiarum cultum, ſi jam ille, quod Latini volunt, in Eccleſia ſolennis erat, ab vtriſque memorari debuiſſe. Hæreticos quidem, vt ſuum martyrij contemptum, odium & vituperium fucarent, & martyras aliqua invidia aſpergerent, decebat Catholicis eorum adorationem exprobrare, quod Gentiliſmi æmuli *idola vertiſſen. in martyres*, quod eos *ſimilibus votis colerent*, quod *defunctorum vmbras vino placarent & dapibus*; & cætera quę ducentis poſt annis Fauſtum Manichæum ſui ævi Chriſtianis objeciſſe ex Auguſtino diſcimus. Hæc iſtos in noſtros in primis conjicere; hæc vrgere; hanc labem à nimio eorum in martyras ſtudio, à nimia martyrij admiratione in Chriſtianiſmum inductam affirmare, clamare & contendere in tota diſputatione decebat. Altera vero ex parte Catholicos hanc cauſam agentes adverſus hæreticos multo etiam magis oportebat queri atque indignari, quod illi receptum ab Apoſtolis, & apud omnes vbique Chriſtianos ſolennem reliquiarum cultum oppugnarent; Oportebat martyras ſtultitiæ, vanitatis & dementiæ procaciſſime denotantibus delatam eorum reliquiis & divino Apoſtolorum, & graviſſimo totius Eccleſiæ judicio adorationem opponere; injuriam & martyribus & Eccleſiæ factam exaggerare, quod impia & impudenti calumnia & illis debitos religionis cultus, & huic inſignes quæ ex hoc cultu ad omnes redundarent vtilitates, homines iniquiſſimi eripere conarentur; miracula quæ à ſacris reliquiis ad infirmorum ſolatium, ad dæmonum cladem, ad fidei illuſtrationem vbique fierent, prædicare, & velut cœlitus perhibitum à Deo de Martyrum ſapientia atque ſanctitate teſtimonium, contra inverecundas iſtorum ſannas atque contumelias afferre; denique Dei atque hominum fidem implorare contra crudeliſſimos latrones, qui inſano errore nihil mitius aut tolerabilius cogitarent, quam Eccleſiam ſuis præſidiis, ſuis contra dæmonas armis atque munimentis, ſuiſque Divis tutelaribus nudare, ſuaviſſima ac in primis ſalutari religionis ſuæ parte fraudare, cariſſima illi patronorum ſuorum pignora eripere, quibus oſcula figere, quæ tenere atque amplecti, quæ venerari & adorare, à quibus tot tantaque quotidie beneficia poſcere, expectare, impetrare ſoleret. Hæc agere, hæc dicere, viros Eccleſiaſticos in hac contra hæreticos cauſa decuiſſe, ſi tum obtinebat cultus reliquiarum, nemo vt opinor, ſanæ mentis negaverit. Videamus nunc quomodo in ea agenda veteres & hęretici, & orthodoxi ſe geſſerint. Exſtat Eccleſiæ adverſus hos impudentiſſimos martyrij refragatores defenſio, à Tertulliano ſub initium tertij à Chriſto nato ſæculi conſcripta; ab ipſo Hieronymo, magno reliquiarum patrono, luculentiſſime ne quid dubites, laudata; Ille enim auctorem, *eruditiſſimi viri* librum, quo conſignata eſt, *inſignis voluminis* elogio donat. Quamquam neque Hieronymi, neque cujus quam alterius teſtimonium magnopere deſiderat is Tertulliani liber; ſe ſatis ſuperque, & ma-

Auguſt. contr. Fauſt. l. 20. c. 4. T. 6. p. 151. A. col. 1.

Tertull. Scorpiace. Hier. l. contr. Vigil. T. 2. fol. 45-E.

& materiæ bonitate, & corporis excellentia ipſe commendans. Cauſa nulla eſſe melior poteſt, Chriſti martyras & totam in iis Eccleſiam à venenatis tæterrimorum Scorpiorum morſibus defendit. Optimam autem cauſam, quo ille animi ardore, qua Deus bone! facundia atque eruditione, qua copia, quo & rationum & verborum flumine agit! Nihil eſt tam abditum, quod non eruat; nihil tam inſidioſum, quod nō explanet; nihil in adverſarios alicujus vſus, quod nō arripiat; Ita deniq; ſolerter omnia conquirit, ita concinne ſtruit, ita acriter in ſcorpios illos ſuos deſtinat, vt eos non modo depellat, ac fuget, ſed etiam confertiſſima ſuarum rationum vt ſic dicam, mole obrutos plane penituſque conterat ac diſpergat. Quid ergo illa (inquis) Tertulliane Scorpiace de reliquiis dicit? Illa vero (inquam) de Martyrum reliquiis, reliquiarumque cultu non magis loquitur, quam ſi hominis eſſet Lutherani, vel Calviniani opus. Tertullianus in ipſo ſtatim limine, hæreticorum, vt decebat, ſententiam, in martyres probra; colores, quos ſuæ ignaviæ prætendebant, ſophiſmata, artes, inſidias, quibus vel ſua ſtatuere, vel Eccleſiaſtica diiicere moliebantur, omnia diligenter & curioſe, & optima fide nihil diſſimulans, exſequitur, ſed toto hoc loco de Martyrum exprobrato noſtris ab hæreticis cultu, vel de adoratis reliquiis plane nihil habet. Iam vbi ſuas partes agit, vbi vel martyrij non *bonitatem* tantum, atque *vtilitatem*, ſed etiam *neceſſitatem* adſtruit, vbi laudes ejus & præmia ex Dei litteris perorat, vbi hæreticorum non modo calumnias refellit, ſed etiam improbitatem atque inſaniam coarguit, maxima, vt fere ſolet, invidia eos paſſim perfundens; neque hic magis quam in ſuperioribus, reliquiariorum vel cultuum, vel miraculorum meminit. Oblitus eſt ſcilicet ſcriptor, quo acriorem aut vigilantiorem aut diligentiorem alium haud facile reperias, omnes & Divorum & Eccleſiæ injurias; Illos religioſis honoribus; hanc miraculis beneficiiſque cœleſtibus fraudari, nihil grave putavit. Quæ toto libro obiicere, quæ paſſim exaggerare, quæ nullo non loco oſtentare, vt & per ſe iniquiſſima, & noſtris damnoſiſſima, debuit, ne ſemel quidem in vlla diſputationis & fortiſſimæ & copioſiſſimæ parte poſuit. Illud ſaltem dixiſſet, inſolentiſſimam fuiſſe iſtorum procacitatem, qui quos Apoſtolica omnis Eccleſia ſemper adoraſſet, *eos vanitatis, ſtultitiæ, & dementiæ damnare* non dubitarent. Sed præter totius cauſæ ingenium, quod harum reliquiarum tantum decus vbique in eo libro dici flagitabat, ſunt quædam loca, quæ id proprie poſcebant. Vt exempli cauſa cum Petri & Pauli martyrium Romæ Nerone imperante factum memorat, *Tunc (inquit) Petrus ab altero cingitur, cum cruci adſtringitur. Tunc Paulus civitatis Romanæ conſequitur nativitatem, cum illic martyrij renaſcitur generoſitate. Hæc vbicumque jam legero pati diſco.* Hic inquam, quis non ſentit additurum quoque fuiſſe ſcri-

CAPVT VI.

Id. ibid. cap. 633. B. C.

CAPVT IV.

dono coronari, in eorũm quæ ſuſtinuit, certaminum pręmium, vt
quid illa ſit, *inſtrumentum* ne (quod iſti volebant) an *miniſterium a-*
Id. ibid. c.16. p.385.C.D. *nimæ* nihil interſſit, cum conſtet eam, quocumque tandem illa loco
cenſeatur, nõn eſſe certe bõnorum, quę à ſummo judice animę de-
cernuntur, exſortem. Tangit eandem quoque quęſtionem in opere
contra Marcionem, reſurrectionem corporum noſtrorum variis ar-
Id adv. Marcion.l.5.c.7.p.588.A.B. gumentis aſtruens; vt ex eo quod illa ſint templa Dei & membra
Chriſti; *Templum ergo* (inquit) *Deo peribit, & Deus templo? & Mem-*
bra Chriſti non reſurgent, quæ noſtra jam non ſunt? Sed neq; hîc neq;
vſpiá alibi illud dicit, quod eſſet (ſi verum eſſet) ad hanc cauſam pal-
marium, *Caro ergo miraculorum* effectrix in ęternum peribit? Caro,
quę licet mortua à mortuis ſuſcitavit, in morte ęternũm jacebit?
alios reſurgere fecit, nunquam ipſa reſurget? Caro ab Eccleſia ado-
rata non conſequetur eorum pręmium, qui eam adoraverint? Tam
p mptum, tam evidens, tam potens carnis reſurrecturę argumen-
tum, incredibile & alios & hunc maxime Tertullianum omiſſuros
ſi ſciviſſent, tam ſępe eam quęſtionem tam diligenter tractantes.
Omiſerunt & hic & cęteri omnes. Ergo reliquiarũm & miracula
juxta & cultum neſciverunt. Huc quoque pertinet, quod Bellarmi-
nus inter reliquiarum ſacrarum miracula refert, quod quorumdam
Bell.l.2.de Relig.Sanct. c. 3. §. Quinto item; Ego ipſe. Sanctorum ante multos annos mortuorum corpora incorrupta re-
perta ſint, cujus generis exempla non pauca & ex aliis affert, & ipſe
quędam ſe vidiſſe ait; vt Bononię corpus Catharinę, quę ſupra cen-
tum annos ex hac vita migraverat, & Clarę apud montem Falcum
in Vmbria, & Agnetis Politianę, quę ambę ante a. D. 300. tuę
erant. Vnde ſequitur ſimilia quoque vetuſtiſſimos Chriſtianos in
Sanctorum ante ſua tempora mortuorum corporibus obſervaturos
fuiſſe, ſi eorum reliquias eodem modo ac ritu coluiſſent, quo nunc
eas Latini adorant. At nihil hujuſmodi ab vllo iſtius memorię ſcri-
Tertull. de reſurr. carn. c. 42.p.410.D. ptore de Sanctorum ante ſua tempora mortuorum reliquiis vſpiam
obſervatum eſt. Quinimo nihil eos hujuſmodi ſciviſſe, certum eſt
ex quodam Tertulliani loco; vbi de illis Apoſtoli verbis diſputans, *vt*
2.Cor.5.4.* *devoretur mortale à vita, quo demonſtret non omnia mortuorum
corpora ante ſupremum diem à morte ſic *abolitum* iri, vt tunc *con-*
g rere omni genere ceſſaverint, affert exempla corporum, quę diu poſt
mortem vel tota, vel majori ex parte incorrupta, certe non abolita,
manſiſſe ſciebat; *gigantum* primo *antiquiſſima cadavera*, quę (in-
quit) *non devorata conſtabat, quorum crates adhuc vivunt. Sed & pro-*
xime (inquit) *in iſta civitate* (Carthagine) *cum Odei fundamenta,*
tot veterum ſepulturarum ſacrilega, collocarentur; quingentorum fere
annorum oſſa, adhuc ſuccida, & capillos olentes populus exhorruit.
Tum; *Conſtat non tantum oſſa durare; verum & dentes incorruptos*
perennare; quæ vt ſemina retinentur fructificaturi corporis in reſurre-
ctione. Hæc Tertullianus. Iam rogo, ſi cujus ille Catharinę, ſi
cujus

cujus Claræ, vel Agnetis, id eſt ſi quorum ex ſuperioribus tempori- CAPVT
bus martyrum, corpora *incorrupta* apud noſtros *perennare* ſciviſſet. IV.
an non ea potius ad hanc rem allaturus fuerit, quam gigantum *crates*, vel Paganorum apud Carthaginem ante annos quingentos ſepultorum *oſſa ſuccida & capillos olentes?* Annon hæc martyrum, non *oſſa & dentes*, ſed tota corpora *integra durare* ac *retineri* dixiſſet, non modo *vt ſemina*, ſed, quod etiam majus eſt, vt admiranda argumenta futuræ olim, ſuoque tempore certo repræſentandæ ex divinorum promiſſorum fide reſurrectionis? Statuat Bellarminus quod ei libuerit. Nemo, qui mente ſana, & à ſtudio partium pura, hæc expenderit, dubitabit, quin Tertullianus, quæ loco tam opportuno nulla attulit, corporum poſt Sanctorum obitum perennantium exempla, nulla ſciverit, quia nulla hujuſmodi illius ævi Eccleſia obſervarit, aut cognita habuerit (neque enim Tertullianus rerum apud ſui ſæculi Eccleſiam notarum, minus credo, quam eſt Bellarminus Latinarum, aut ſciens, aut curioſus fuit.) Vnde quid ſequatur omnes vident; nimirum non fuiſſe apud illius temporis Chriſtianos morem nunc Latinorum ſolennem, ſepulcra Sanctorum refodiendi, oſſa eorum & reliquias ſpectandi, tangendi, oſculandi, minime vero omnium adorandi, quæ ſi tum noſtri paſſim religioſe factitarent, ignorare non poterant durare vltra communem naturæ conſuetudinem, integra quorundam Sanctorum corpora; quod tamen eos neſciviſſe vincit à nobis allatus Tertulliani locus. Denique ne plura hic congeram, nulla fuiſſe primis illis Chriſtianiſmi temporibus cognita per martyrum reliquias edita miracula ex duobus Origenis locis ſatis mihi videtur conſtare. Prior locus extat in opere contra Celſum; *Orig. contr. Celſ. l. 8. p. 418.* *Quoniam (inquit) animæ occiſorum propter Chriſtianam pietatem, corporibus cum gloria liberatæ dæmonum potentiam evertebant, & eorum adverſus homines inſidias debilitabant ac frangebant, hanc ob cauſam opinor experimento docti dæmones ſe à veritatis teſtibus ſive martyribus vinci, ac ſuperari veriti ſunt eos denuo aggredi ad ſe vlciſcendos; & ſic donec eorum quæ paſſi ſunt, damnorum obliviſcantur, veriſimile eſt futuram mundo adverſus Chriſtianos pacem. Vbi vero vires collegerint, & malitia excæcati, rurſum ſe vlciſci voluerint, & Chriſtianos perſequi, rurſus profligabuntur; tumque rurſus animæ piorum & ob pietatem corpora exuentium, maligni exercitum cædent ac delebunt.* ἐπεὶ αἱ ψυχαὶ τῶν διὰ χριστιανισμὸν ἀποθνησκόντων δι' εὐσέβειαν μετ' εὐκλείας ἀπαλλαττόμεναι τοῦ σώματος καθῄρουν τὴν δύναμιν τῶν δαιμόνων, καὶ ἀτονωτέραν αὐτῶν ἐποίουν τὴν κατὰ τῶν ἀνθρώπων ἐπιβουλὴν, διὰ τοῦτο οἶμαι, τῇ πείρᾳ μαθόντες οἱ δαίμονες ἑαυτοὺς ἡττωμένους καὶ κρατουμένους ὑπὸ τῶν μαρτύρων τῆς ἀληθείας, ἐφοβήθησαν πάλιν ἥκειν ἐπὶ τὸ ἀμύνεσθαι. καὶ οὕτως ἕως ἐπιλάθωνται ὧν πεπόνθασι πάθων, εἰκὸς ἔσεσθαι τὴν τοῦ κόσμου πρὸς χριστιανοὺς εἰρήνην. ἐπὰν δὲ συλλέξωνται τὴν δύναμιν, καὶ ὑπὸ τῆς κακίας τυφλώμενοι, πάλιν ἀμύνεσθαι θέλωσι, καὶ χριστιανοὺς διώκειν, πάλιν καθαιρεθήσονται. καὶ τότε πάλιν αἱ ψυχαὶ τῶν εὐσεβούντων καὶ δι' εὐσέβειαν

CAPVT IV. ἀποδυσάμενοι τὰ σώματα, καταλύσωσι τὸ τῶν πονηρῶν στρατόπεδον. Hic exponit qua ratione martyres dæmonum vim ac potentiam infringant, & quid ab iis dæmones metuant. Iam quaſi conſulto Latinorum cavillationes occupare vellet, non modo reliquiarum, & potentiæ θαυματοποιητικῆς, maxime ad fugandos dæmonas, cœlitus iis attributæ, nullam facit mentionem; ſed diſerte martyrum *animas* nominat; docens ſe quicquid à martyribus & cladis dæmonia, & vtilitatis atque commodi fideles accipiunt, id ab eorum non reliquiis, ſed animis proficiſci; à glorioſa ſcilicet illa fortitudine, qua ad ſanguinem & vltimos cruciatus decertantes & Evangelij veritatem longe lateque illuſtrant, & hominum animos ad eam admirandam atque amplectendam excitant. Miraculorum quæ ab eorum reliquiis dicuntur fieri, nullus meminit; quæ nulla ſcilicet ſciebat, ſi ſciviſſet loco tam opportuno minime, vt apparet, prætermiſſurus. Alter hujus ſimi-

Id. in Ioan. Tom. 9. p. 309. init.

lis locus eſt in Ioannem; *Exiſtimare* (inquit) *debemus deſtructionem fieri potentiarum maleficarum per mortem Sanctorum martyrum; veluti tolerantia, & confeſſione vſque ad mortem, atque erga pietatem promptitudine, hebetantibus & mitigantibus feritatem inſidiarum tyrannorum illorum, contra tot cruciatus patientem,* vt hebetata & debili reddita potentia ipſorum, alij etiam plures victis dimitterentur liberati eo onere, quo potentia mala inſtantes eos gravabant & lædebant.* Paulo poſt in eandem rem dicit *multos ex martyrum morte indicibili quadam vi adjumentum ſumere.* Hic quoque martyrum *tolerantia, confeſſione, pietate* & frangi dæmones & homines adjuvari dicit; eorum reliquias vel pro his, vel in illos quicquam miraculi edere, nullus dicit, quia ſcilicet nullus ſciebat. Cum ergo ex his & aliis longe pluribus à nobis ſupra allatis in prima parte hujus diſputationis, certiſſime conſtet nulla primæ ad annum Domini trecenteſimum Eccleſiæ cognita fuiſſe ſacrarum, quas vocant, reliquiarum *miracula*, eo ipſo id quod diximus, clariſſime confectum eſt nullum earum iiſdem temporibus fuiſſe apud Chriſtianos cultum religioſum.

** videtur leg. patiente.*

CAPVT

CAPVT V.

Argumentum V. Quod vetuſtiſſimis hæreticis carnis reſurrectionem negantibus, nemo eorumdem, vel etiam ſequentium temporum Catholicus imputarit, quod reliquias minime adorarent, quas tamen ab iis adorari, qui ſic ſentirent eſt incredibile. Tunc nimirum nondum hæreſis erat, non adorare reliquias.

SED illi quoque hæretici, de quibus nuper diximus, validum nobis ſuppeditant ad idem probandum, argumentum. Supra in prima diſputatione & hunc & cæteros Latinorum, quos repudiavimus, cultus, non fuiſſe tribus primis ſæculis fidelium ſolennes, eo demonſtravimus, quod per illa tempora ex tam multis hæreticis, qui fidem Chriſtianam turbarunt, plane nulli reperiantur de his controverſiam feciſſe orthodoxæ Eccleſiæ. Nunc non omnes, ſed illos proprie convenio, quos Irenæus, Clemens, & Tertullianus nobis eduunt carnis vel Dominicæ veritatem, vel noſtræ reſurrectionem negantes; Hi certe, qui carnem veluti rem viliſſimam, faſtidiebant; qui indignam Deo ducebant; qui cœlo & ſalute excludebant, qui animæ *miniſterium* eſſe negabant, qui ejus merum eſſe *inſtrumentum* affirmabant, vt *vaſculum medici*, vt gladium militis; hi inquam, ex dogmatis ſui genio non videntur *carnem* martyrum adoraſſe; nedum vt cæteras alterius generis reliquias coluerint. Cur enim adoratione, id eſt maximo quodam, & omni humano majore honore dignarentur, quam à ſalute æternum exulaturam, & in nihilum abituram ſtatuebant? Mihi quidem veri hoc per quam ſimile videtur. Tu vero Latine quid cenſes? Si Eccleſia, quod tu vis, etiam illorum temporum Catholica eas Sanctorum, quas vocas, reliquias tecum religioſe venerabatur; ſi eam religionem pro Apoſtolica & omnium Chriſtianorum communi traditione docebat, ac ſervabat, neceſſe eſt hæreticos illius memoria in hac quoque parte, vt in cæteris, vel cum prima illa Eccleſia ſenſiſſe, vel ab ea diſſenſiſſe. Dic amabo, vtrum iſtorum feciſſe eos putas? Si mihi aſſentiris, exiſtimanti eos pro ſui dogmatis ingenio Sanctorum corpora nequaquam eſſe veſtro ritu veneratos; rogabo, cur ejuſdem temporis Eccleſia, ſi tecum ipſo aliud & docebat, & factitabat, hunc tantum ex tua hypotheſi iſtorum errorem nunquam diſerte denotarit? Iſti vero neque pauci erant neque contemnendi, imo plærorumque, ac qui fere omnium duobus primis ſæculis emerſerunt, hæreticorum hoc commune fuiſſe videtur, vt carnis & Dominicæ veritatem, & noſtræ reſurrectionem negarent. Omnes quidem Gnoſticos, & Marcionicos, quorum

CAPVT V. celeberrima ac frequentiſſima fuiſſe illis temporibus collegia notum eſt, in ea hæreſi verſatos eſſe conſtat. Cur Eccleſia de iſtorum nemine, queſta eſt, quod ſacras Sanctorum reliquias faſtidierint? non adoratione, non cultu, non veneratione dignati ſint? Cur Irenæus, qui contra eos quinque volumina ſcripſit, in quibus omnia iſtorum deliria, omnia flagitia diligentiſſime exequitur ac refellit, nuſquam eos religionis, quæ reliquiis debetur temeratę vel imminutæ redarguit? Cur Tertullianus, qui contra duos illos de Chriſti carne, & de carnis Reſurrectione errores duobus ſigillatim libris, eruditiſſimis profecto atque florentiſſimis copioſiſſime diſputavit, neutrius auctores de negata Sanctorum reliquiis ſua adoratione pulſat? Cur Epiphanius, qui omnes horum Alaſtorum furores, inſanias, ſpurcitias, atque abominationes, curioſiſſime ſcrutatus edidit, nullum de hac eorum in reliquias contumelia verbum facit? Cur Philaſtrius, cur Auguſtinus, cur Theodoretus, cur cęteri Gręci ac Latini qui de veterum reſurrectionis negatorum opinionibus, ac decretis cõmentati ſunt, hoc omnes de non adorandis reliquiis dogma prętermiſerunt? Ergo velis nolis; neceſſario confitendum eſt non fuiſſe hac in parte ab his hæreticis pulſatam communem Eccleſię fidem atque conſuetudinem; quę ſi eſſet pulſata ſcilicet, non potuiſſet fieri, quin hoc facinus ab aliquo tam multorum ſcriptorum eſſet commemoratum, qui tanta cum diligentia alios omnes iſtorum errores recenſuerunt. Iam ſi non eſt ab iis Eccleſię fides pulſata, qui Martyrum reliquias minime colerent; vides opinor, quid ſequatur, nullam ergo fuiſſe tum Eccleſię Catholicę de adorandis reliquiis fidem. Hoc vero illud ipſum eſt, quod ego contendo. Sin hoc incommodo repulſus, ad alteram partem reſiſtas, & dicas, (quanquam hoc quidem plane videatur incredibile) hęreticos tam dementes, tamque ſtupidos fuiſſe, vt eandem illam martyrum carnem, quam reſurrectionis & ſalutis exſortem in ęternum fore docebant, adoraverint tamen, & ab ea vt nunc Latini, miracula expetiverint; dic mihi quęſo, cur tam ſpecioſum argumentum omiſerunt quicumque contra eos de reſurrectione carnis, vel etiam de Chriſti carne diſputarunt? cur non, quam ipſi hęretici (vt tu vis) approbabant atque factitabant, carnis mortuę adorationem? cur non, quę ipſi ab ea expectabant, & quę ſi non ipſi, certe orthodoxi ſępe impetrabant, miracula attulerunt, vt eam cœlo non eſſe indignam probarent? Tu quidem ſi cum aliquo adverſario hujuſmodi quales iſtos fuiſſe fingis, ageres, pro defendenda carnis reſurrectione vel primo loco hoc argumentum poneres; quod veteres illi Theologi in accuratiſſimis ac longiſſimis ea de re diſputationibus nullo loco poſuerunt. Evolve Irenæi contra hereſes plane eximium opus. Lege Tertulliani quinque contra Marcionem libros; tum proprium de carnis reſurrectione commentarium, Nihil deeſſe videbis, quod poſſit de eo argumento.

mento à ſubtiliſſimis & diligentiſſimis ingeniis afferri, præter tuam illam reliquiarum adorationem, quam iſtic nuſpiam reperies. Illi planè ſic diſputant, non vt Latinos, ſed vt noſtros homines in hoc argumento verſantes diſputare decet. Vnde clarum eſt qui ita ſe geſſerunt homines, quod omnes fatentur, ſapientiſſimi, quique nihil ſolent ad cauſas quas agunt, conſtituendas prætermittere, de iſto reliquiarum Latino cultu nihil, quod afferrent, ſciviſſe. CAPUT VI.

CAPUT VI.

Argumentum VI. Quod vetuſtiſſima Eccleſia in cauſa cum Gnoſticis, martyriorum refragatoribus, ſua, Reliquiarum cultum neque ſibi ab adverſariis obiici audiverit, neque ipſa coacta adverſarios attulerit, vel memoraverit, qui tamen ſi quis jam tum erat, & noſtris exprobrari à Gnoſticis, & à noſtris viciſſim tum defendi, tum adverſariis obiici debebat. Omnia ex Tertulliani Scorpiace demonſtrantur.

SED Gnoſticos certe & Valentinianos & alios *martyriorum* (vt ait Tertullianus) *refragatores*, plane eſt incredibile martyrum reliquias adoraſſe. Hi enim martyrium ob fidem perpetiendum negabant, qui ſubirent, eos vt homines ſtultos ac parum ſanos falſa miſerandi ſpecie irridebant; *Haccine* (inquiebant) *pati homines innocentes? Siccine tractari ſectam nemini moleſtam? Perire homines ſine cauſa? Sed neſciunt ſimplices animæ, quid, quomodo ſcriptum ſit, vbi & quando & coram quibus confitendum.* Neque *ſimplices* modo *animas*, ſed & *ſolummodo columbas*, *libenter errantes*, vocabant; id eſt illius *prudentiæ*, quam ſub *ſerpentis* columbæ mixti ſymbolo expreſſit Chriſtus, expertes. Quin & *pro Deo mori ne ſimplicitatem quidem, ſed vanitatem, imo dementiam* eſſe contendebant. *Quis enim* (inquiebant) *ſalvum faciat, ſi is occidet, qui ſalvum facere debebit? An Deus hominum ſanguinem flagitat, maxime ſi taurorum & hircorum recuſat? Certe peccatoris pœnitentiam mavult, quam mortem. Et quomodo non peccatorum, deſiderat mortem?* His illi ſuaſoriis carni blandientes, & fidelibus inſidioſiſſime adrepentes, martyria deſtruebant. Iam quos veluti *ſimplices*, & *imprudentes* quos veluti *vanos* & *dementes* ridebant & traducebant, eorum iſtos veluti Divorum adoraſſe reliquias, nemo vt opinor, tam ſtultus eſt, qui putet. Eos potius deſpuiſſe imo iis maledixiſſe, vt cæteris quidem perniciosiſſimi, ſibi vero invidioſiſſimi erroris ſatoribus ac fautoribus, veriſimile eſt. Illud quidem pro certo affirmandum eſt, iſtos martyrum reliquias minime gentium adoraſſe. Iam cum hæc ita conſtituta eſſet, hæreticorum adverſus

Tertull. Scorp. c.1.p.616.C. ibid.D.

Id. ibid. c.15. pag.632.A.

ibid. c.1.p. 616 D.

CAPVT VI.

Catholicos cauſa, nemo non videt in ea agenda reliquiarum cultum, ſi jam ille, quod Latini volunt, in Eccleſia ſolennis erat, ab vtriſque memorari debuiſſe. Hæreticos quidem, vt ſuum martyrij contemptum, odium & vituperium fucarent, & martyras aliqua invidia aſpergerent, decebat Catholicis eorum adorationem exprobrare, quod Gentiliſmi æmuli *idola vertiſſent in martyres*, quod eos *ſimilibus votis colerent*, quod *defunctorum vmbras vino placarent & dapibus*; & cætera quæ ducentis poſt annis Fauſtum Manichæum ſui ævi Chriſtianis objeciſſe ex Auguſtino diſcimus. Hæc iſtos in noſtros in primis conjicere; hæc vrgere; hanc labem à nimio eorum in martyras ſtudio, à nimia martyrij admiratione in Chriſtianiſmum inductam affirmare, clamare & contendere in tota diſputatione decebat. Altera vero ex parte Catholicos hanc cauſam agentes adverſus hæreticos multo etiam magis oportebat queri atque indignari, quod illi receptum ab Apoſtolis, & apud omnes vbique Chriſtianos ſolennem reliquiarum cultum oppugnarent; Oportebat martyras ſtultitiæ, vanitatis & dementiæ procaciſſime denotantibus delatam eorum reliquiis & divino Apoſtolorum, & graviſſimo totius Eccleſiæ judicio adorationem opponere; injuriam & martyribus & Eccleſiæ factam exaggerare, quod impia & impudenti calumnia & illis debitos religionis cultus, & huic inſignes quæ ex hoc cultu ad omnes redundarent vtilitates, homines iniquiſſimi eripere conarentur; miracula quæ à ſacris reliquiis ad infirmorum ſolatium, ad dæmonum cladem, ad fidei illuſtrationem vbique fierent, prædicare, & velut cœlitus perhibitum à Deo de Martyrum ſapientia atque ſanctitate teſtimonium, contra inverecundas iſtorum ſannas atque contumelias afferre; denique Dei atque hominum fidem implorare contra crudeliſſimos latrones, qui inſano errore nihil mitius aut tolerabilius cogitarent, quam Eccleſiam ſuis præſidiis, ſuis contra dæmonas armis atque munimentis, ſuiſque Divis tutelaribus nudare, ſuaviſſima ac in primis ſalutari religionis ſuæ parte fraudare, cariſſima illi patronorum ſuorum pignora eripere, quibus oſcula figere, quæ tenere atque amplecti, quæ venerari & adorare, à quibus tot tantaque quotidie beneficia poſcere, expectare, impetrare ſoleret. Hæc agere, hæc dicere, viros Eccleſiaſticos in hac contra hæreticos cauſa decuiſſe, ſi tum obtinebat cultus reliquiarum, nemo vt opinor, ſanæ mentis negaverit. Videamus nunc quomodo in ea agenda veteres & hæretici, & orthodoxi ſe geſſerint. Exſtat Eccleſiæ adverſus hos impudentiſſimos martyrij refragatores defenſio, à Tertulliano ſub initium tertij à Chriſto nato ſæculi conſcripta; ab ipſo Hieronymo, magno reliquiarum patrono, luculentiſſime ne quid dubites, laudata; Ille enim auctorem, *eruditiſſimi viri* librum, quo conſignata eſt, *inſignis voluminis* elogio donat. Quamquam neque Hieronymi, neque cujus quam alterius teſtimonium magnopere deſiderat is Tertulliani liber; ſe ſatis ſuperque, & ma-

Auguſt. contr. Fauſt. l. 20. c. 4. T. 6. p. 151. A. col. 1.

Tertull. Scorpiace. Hier. l. contr. Vigil. T. 2. fol. 45. B.

& materiæ bonitate, & corporis excellentia ipſe commendans. Cauſa nulla eſſe melior poteſt, Chriſti martyras & totam in iis Eccleſiam à venenatis tæterrimorum Scorpiorum morſibus defendit. Optimam autem cauſam, quo ille animi ardore, qua Deus bone! facundia atque eruditione, qua copia, quo & rationum & verborum flumine agit! Nihil eſt tam abditum, quod non eruat; nihil tam inſidioſum, quod nó explanet; nihil in adverſarios alicujus vſus, quod nó arripiat; Ita deniq; ſolerter omnia conquirit, ita concinne ſtruit, ita acriter in ſcorpios illos ſuos deſtinat, vt eos non modo depellat, ac fuget, ſed etiam confertiſſima ſuarum rationum vt ſic dicam, molē obrutos plane penituſque conterat ac diſpergat. Quid ergo illa (inquis) Tertulliane Scorpiace de reliquiis dicit? Illa vero (inquam) de Martyrum reliquiis, reliquiarumque cultu non magis loquitur, quam ſi hominis eſſet Lutherani, vel Calviniani opus. Tertullianus in ipſo ſtatim limine, hæreticorum, vt decebat, ſententiam, in martyres probra; colores, quos ſuæ ignaviæ prætendebant, ſophiſmata, artes, inſidias, quibus vel ſua ſtatuere, vel Eccleſiaſtica diſiicere moliebantur, omnia diligenter & curioſe, & optima fide nihil diſſimulans, exſequitur, ſed toto hoc loco de Martyrum exprobrato noſtris ab hæreticis cultu, vel de adoratis reliquiis plane nihil habet. Iam vbi ſuas partes agit, vbi vel martyrij non *bonitatem* tantum, atque *vtilitatem*, ſed etiam *neceſſitatem* adſtruit; vbi laudes ejus & præmia ex Dei litteris perorat, vbi hæreticorum non modo calumnias refellit, ſed etiam improbitatem atque inſaniam coarguit, maxima, vt fere ſolet, invidia eos paſſim perfundens; neque hic magis quam in ſuperioribus, reliquiariorum vel cultuum, vel miraculorum meminit. Oblitus eſt ſcilicet ſcriptor, quo acriorem aut vigilantiorem aut diligentiorem alium haud facile reperias, omnes & Divorum & Eccleſiæ injurias; Illos religioſis honoribus; hanc miraculis beneficiiſque cœleſtibus fraudari, nihil grave putavit. Quæ toto libro obiicere, quæ paſſim exaggerare, quæ nullo non loco oſtentare, vt & per ſe iniquiſſima, & noſtris damnoſiſſima, debuit, ne ſemel quidem in vlla diſputationis & fortiſſimæ & copioſiſſimæ parte poſuit. Illud ſaltem dixiſſet, inſolentiſſimam fuiſſe iſtorum procacitatem, qui quos Apoſtolica omnis Eccleſia ſemper adoraſſet, *eos vanitatis, ſtultitiæ, & dementiæ damnare* non dubitarent. Sed præter totius cauſæ ingenium, quod harum reliquiarum tantum decus vbique in eo libro dici flagitabat, ſunt quædam loca, quæ id proprie poſcebant. Vt exempli cauſa cum Petri & Pauli martyrium Romæ Nerone imperante factum memorat, *Tunc* (inquit) *Petrus ab altero cingitur, cum cruci adſtringitur. Tunc Paulus civitatis Romanæ conſequitur nativitatem, cum illic martyrij renaſcitur generoſitate. Hæc vbicumque jam legero pati diſco.* Hic inquam, quis non ſentit additurum quoque fuiſſe ſcri-

CAPVT VI.

Id. ibid. c. 15. p. 633. B. C.

CAPVT VI.

ſcriptorem acerrimum vtriuſque Apoſtoli reliquias *ibidem*, vbi erant paſſi, & *adorari* etiam nunc, & *miracula edere*; & *hæc quicumque viderit, pati diſcere*; ſi Apoſtolicarum reliquiarum vlla apud noſtros vel adoratio, vel miracula nota fuiſſent? Sed hæc etiam commemorandi manifeſta ratio erat, quo loco Dominicorum teſtium certamina, & exinde præmia cum ſui ſæculi agonibus elegantiſſime comparat. Poſita à ſæculo ſuis athletis præmia hęc recenſet, *coronas, gloriam, dotem, privilegia publica, ſtipendia civica, imagines, ſtatuas, & qualem poteſt præſtare ſæculum, de fama æternitatem, de memoria reſurrectionem.* His, athletarum inde cœleſtium, id eſt martyrum, præmia, quæ victoribus à Domino & promittuntur & evolvuntur, opponit. Quæ? Certe ex Latinorum diſciplina vel pueri viderint profanis ſæculi *imaginibus* opponendas fuiſſe ſacras Sanctorum *imagines*; quę martyribus in Eccleſiis, vt illæ athletis in civitatibus, ſtatuuntur, ac dicantur; cum *privilegiis illorum publicis* contendi debuiſſe miraculorum edendorum his datam facultatem; cum illorum *gloria*, horum honores religioſos, etiam eorum cineri, atque crepidis & palliis attributos; cum illorum *coronis*, ornamenta pretioſiſſima, in horum effuſa reliquias, aurum argentum, gemmas, ſericum, bombycinum, flores, thus, odores; cum illorum *æternitate de fama*, horum publicas privataſque invocationes; cum illorum denique *reſurrectione de memoria*, horum vitas ac virtutes & glorias ſtatis quotannis diebus publica feſtorum iis dicatorum celebratione de memoria hominum renaſcentes, vt ſic dicam, ac reſurgentes. Iſta ſi non ſola dici, certe potioribus apud Deum pręmiis adjungi debuerunt, pętermitti quidem certe, loco tam opportuno, & per ſe eo invitante ac trahente, non debuerunt. Quid? (inquis) Nihil-ne iſtorum in hac antitheſi dixit Tertullianus? Nihil, inquam. Tantum ſuis athletis Deum dare dicit, *huic palmam huic honorem, illi civitatem, illi ſtipendia*; quibus verbis immarceſſibile vitæ æternæ decus, & cœleſtem municipatum ex ſcripturarum ſtilo ſignificari notum eſt. Neque tamen hunc piguit obſervare paulo poſt, ſed obiter, & ad aliam rem, *martyrum exitum cantari*, id eſt ni fallor, celebrari orationibus panegyricis, vel etiam in hymnis ad Deum euchariſticis memorari. Profecto quorum *exitus cantari* dixit, multo potius eorum *reliquias adorari*, ſi ſciviſſet, dixiſſet; quod hoc illo longe ſit honorificentius. Vtrumque Tertullianus ex Domini Chriſti diſciplina; qui ſuorum Sanctorum, etiam interdum & beatitudinem, & bona opera apud Eccleſiam ſuam prædicatum & celebratum iri promiſit, reliquias adoratum iri, nuſquam promiſit. Loca ſunt in Apocalypſi, & quidem à Tertulliano in hoc ipſo opere diligenter annotata, in quibus Dominus ſuis athletis luculentiſſima præmia pollicetur. Quæ? *Nunc* (inquit Scorpiaces noſtræ auctor) *arborem vitæ* [a], *& mortis veniam ſecundæ* [b]; *nunc latens manna cum calculo candido & nomine ignoto* [c]; *nunc*

Tertull. Scorp. c.6 p. 622.C.

Ibid. c.12. p.631.A.

a Apoc.2. 7.

b 11. c.17.

nunc ferrea virga poteſtatem, ſtella matutina charitatem [d]; *nunc albam veſtiri, nec deleri de libro vitæ* [e]; *& columnam fieri in Dei templo, in nomine Dei & Domini, & cæleſtis Hieruſalē inſcriptā* [f]; *nunc reſidere cū Domino in throno ejus* [g]; *quod aliquando Zebedæi filiis negabatur.* Hęc præmia Chriſtus ſuis victoribus promittit, & bona fide expungit. Hæc ex Chriſti inſtrumentis Tertullianus hæreticorum inſaniæ obiicit, His martyrum decus contra calumniam aſſerit, his non *dementes* aut *vanos*, quod mentiebantur Gnoſtici, ſed ſapientiſſimos ac ſanctiſſimos eſſe confirmat, qui immutabili Dei Opt. Maxim. fide freti tempori æternitatem, brevi miſeræ vitæ vſuræ glorioſam immortalitatem ante habuerunt. Cæterum Martyribus neque vſpiam Chriſtus de reliquiarum ſuarum miraculis, aut adoratione blanditur; neque Tertullianus vltra hæc promiſſa à Domino præmia, alia de Eccleſiæ liberalitate, his Latinorum hodiernis religionibus ſimilia adjungit, templa, altaria, feſta, invocationes, reliquiarum cultum, pompas, & circumgeſtationes. Quod vero hæc neque hoc loco addidit, neque in toto libro memoravit, eo clariſſime intelligimus iſta neque illi, neque apud ejuſdem ævi Eccleſiam nota, aut vſitata, ſolenniave fuiſſe. Vnde videre eſt, ſi Vigilantius non ipſa Martyria cum Gnoſticis & Valentinianis ſcorpiis, ſed martyrum tantum & reliquiarum cultus religioſos nobiſcum ſuſtulit (quod eſt veriſimillimum, & à Latinis vulgo affirmatur) Tertulliani Scorpiacen non modo nihil adverſus ejus ſententiam facere, quam in ea oppugnatam fuiſſe iratus fruſtra jactat, Hieronymus; ſed etiam ex eo libello valide perſpicueque demonſtrari Tertullianei ſæculi Chriſtianos neque martyres neque eorum reliquias religioſe coluiſſe, adeoque Vigilantianos hac in parte fuiſſe potius quam Hieronymianos; Lutheranos, vt nos vulgus vocat, non Latini Papæ conſecraneos.

CAPVT VI.

d 26. 28.
e *Apoc.* 3.5.
f 12.
g 21.

CAPVT VII.

Argumentum VII. Quod antiquiſſimi illi Theologi non pauca cum Latino reliquiarum cultu apertiſſime pugnantia & Iudæis, & potiſſimum Paganis exprobrarint; vt rerum mortuarum, & humanis caſibus obnoxiarum cultum; ſepulcrorum & mortuorum religionem; altarium & templorum in ſepulcris conſecrationem, & alia ejuſdem generis multa, apud Clementem, Tertullianum, Arnobium.

ATQVE hæc ex veterum adverſus hæreticos diſputationibus. Sed quæ contra Iudæos, Gentileſque dicunt, ea quoque nobis perſpicuum ejuſdem rei argumentum præbent. In Iudæos illud & Origenis; *Atque etiam* (inquit) *quod ſumma admiratione dignum eſt, contigit hoc in Prophetis, vt quod in eis erat vivum, non honorarint cives; quod mortuorum vero eſſet, foverint, ædificantes ipſorum monumenta & ornantes. Quod erat in Prophetis vivum*, ſapientiam & ſanctitatem dicit, & vtriuſque documenta ſive litteris, ſive exemplis à veteris Teſtamenti Prophetis tradita. Quod vero in iis *mortuum erat*, Prophetarum reliquias ſive corpora, & monumenta, in quibus illa erant condita, intelligit; Domini ad Iudæorum præpoſitos verba reſpiciens; *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ; qui ædificatis ſepulcra Prophetarum & ornatis monumenta juſtorum.* Difficile eſt capere, quo modo hæc Iudæorum Origenes vituperare potuerit, ſi & ipſe & cæteri ejuſdem temporis Chriſtiani, Apoſtolorum Prophetarumque non modo proprie dictas *reliquias*, earumque memorias, ſed etiam veſtes & interulas & zonas & cætera ejuſdem generis, non tantum quod ille ait, *foverint & ornarint*, ſed etiam quod à nullis vnquam Iudæis factum proditur, adorarint & religioſiſſime coluerint. Patres vero illi vetuſtiſſimi longe plura huc pertinentia habent in ſuis adverſus Paganos diſputationibus. Non pauca jam in generali hujus lucubrationis parte attulimus; vt quod ab iis coli exprobraverint, quæ inanima, mortuaque eſſent; & quæ ab hominibus cuſtodiri ac defendi neceſſe eſſet, quæque incendiis, & aliis caſibus, & ferarum incurſionibus, & mutorum animalium injuriis, & humanæ venditioni, permutationi, oppignerationi obnoxia, & ex elementari materie concreta eſſent; quæ omnia, & ſi qua ſint ejuſdem generis alia, tam reliquiis Latinorum, quam iis rebus, quas Pagani adorabant convenire omnes vident. Hæc ante explicata equidem non repeto; lectorem tamen recordari, & cum animo ſuo perpendere hic cupio. Sed præter hæc, quædam in iiſdem diſputationibus reperiuntur hujus loci propria; quæ nunc exſequenda ſunt. Quale hoc eſt verbi gratia, quod

Orig. in Ioan. Tom.17. p.353. initio.

Matt.23.29.

quod noſtri primæ illius memoriæ Theologi Paganis ſæpiſſime objectant *mortualem* (vt ſic dicam) & buſtuariam fuiſſe eorum religionem. Quo ſpectant ea in primis, quibus, vt ſupra in loco de Divis demonſtratum eſt, docent, qui à Gentibus colebantur pro Diis, eos homines mortuos fuiſſe. Ea enim loca & mortuorum animas, ac merites coli nefas eſſe probant; & multo minus colendas eſſe terreſtres eorum exuvias perſpicue oſtendunt. Sed huc etiam pertinent, quæ de ſepulcris affixa Paganorum religione iidem habent; vt quod ſcribit Clemens Alexandrinus illorum Divos *circa Sepulcra & monumenta verſari & volutari, & ſolere in iis apparere.* περὶ τοὺς τάφους καὶ τὰ μνημεῖα καλινδεῖσθαι, περὶ ἃ δὴ καὶ ὑποφαίνονται, inquit. Itaq; ſtatim in Paganorum impietatem exclamat, *puriſſimam Dei naturam, quatenus quidem in ipſis erat, defodientium, idque quod Sanctum atque incorruptum eſt, ſepulcris obruentium*; οἴμοι τῆς ἀθεότητος! (inquit) τὴν ἀκήρατον τὴν οὐσίαν, τὸ ὅσον ἐφ' ὑμῖν κατωρύξατε, καὶ τὸ ἄχραντον ἐκεῖνο καὶ τὸ ἅγιον τοῖς τάφοις ἐπεχώσατε. Eoſdem mox ſua illa ſuperſtitione, *pietatem*, ſive *religionem de cælo detractam in ſolum*, ſive *in humum dejeciſſe* queritur. Illis Clementis hæc Tertulliani ſimilia ſunt; *ſpiritus* (à Paganis cultos dicit) *memorias* (id eſt ſepulcra) *hominum affectaviſſe ad omnem malitiæ ſuæ ſcenam.* Idem alibi, *vulgus* (Paganum ſcilicet) *defunctos colere* dicit. Etiam eum cultum qui *defunctis*, interdum ab eo, qui Deis à Paganis impendebatur, diſerte diſtinguit, tamque illum, quam hunc idololatriæ deputat; *devitandum vice peſtis* monens *omnem idololatriæ afflatum in univerſa* (inquit) *ſerie humanæ ſuperſtitionis, ſive Deis ſuis, ſive defunctis, ſive regibus mancipata, vt ad eoſdem ſpiritus immundos pertinentis.* Itaque idem in alio opere *mortuos coronari* (quod Paganis ſolenne erat) vetat apud noſtros, idque in idololatriæ cenſu habet; *Et mortuorum eſt* (inquit) *ita coronari; quoniam & ipſi idola ſtatim fiunt, & habitu, & cultu conſecrationis; quæ apud nos ſecunda idololatria eſt.* Et commune fuiſſe noſtrorum omnium de mortuis non coronandis placitum, ex Minutio ſatis diſcimus, apud quem Cæcilius hoc Chriſtianis vna cum multis aliis rebus apud Paganos ſolennibus, apud noſtros inuſitatis, exprobrat; *Non floribus* (inquit) *caput nectitis, non corpus odoribus honeſtatis; reſervatis vnguenta funeribus; CORONAS etiam SEPVLCRIS denegatis.* Iam & hoc noſtris illis ſatis familiare eſt, vt Paganorum religiones denotent à mortuorum honoribus cœpiſſe. Octavius apud Minutium de Ethnicorum majoribus, *Dum* (inquit) *Reges ſuos colunt religioſe, dum defunctos eos deſiderant in imaginibus videre, dum geſtiunt eorũ memorias in ſtatuis detinere SACRA facta ſunt, quæ fuerant aſſumpta ſolatia;* quæ verba, pœne integra ac immutata, vſurpavit, & in ſui de Idolorum vanitate libelli initium tranſtulit Cyprianus. Ac, vt quæ ſolatia fuerant, facta eſſe *ſacra* obſervant, ita & quæ *ſepulcra* olim, Gentilium errore *templa* poſtea eſſe facta non ſemel vel rident,

CAPVT VII.

Clem. Alex. Protrep. ad Gen. p. 37. C.

ibid. D.

ibid.

Tertull. l. de Anim. c. 46. extr. p. 347. C.

Id. cont. Marc. l. 5. c. 5. p. 592. A.

Id. de idol. c. 13 p. 112. init.

Id. de Coron. c. 10. p. 126. B.

Minut. in Octav. p. 31.

Minut. in Octav. p. 57.

Cypr. de Van. idol. i init.

CAPUT VII. vel horrent. Athenagoras Ægyptiorum doctiſſimos ait teſtari *ſua templa hominum eſſe ſepulcra* ἱερὰ ᾗ τάφους αὐτῶν (ἀνθρώπων) idque allatis aliquot Herodoti locis firmat. Clemens Alexandrinus; *Hæc ſunt, vt breviter dicam, myſteria* (Paganica ſcilicet) *cædes & ſepulcra.* καὶ ταῦτ᾽ ἐστι τὰ μυστήρια, συνελόντι φάναι, φόνοι καὶ τάφοι. Idem infra in eodem opere de Paganorum templis exprobrans ſcribit, *ea quidem honeſto nomine templa dici revera autem ſepulcra fuiſſe, id eſt ſepulcra eſſe, quæ templorum nomine gaudent. Vos autem* (inquit Paganis) *vel nunc certe, ſuperſtitionis obliviſcamini, ſepulcra honorare erubeſcentes.* νεὼς μὲν εὐφήμως ὀνομαζομένους, τάφους δὲ γενομένους τουτέστι τοὺς τάφους νεὼς ἐπικεκλημένους. ὑμεῖς δὲ, ἀλλὰ κἂν νῦν δεισιδαιμονίας ἐκλάθεσθε, τοὺς τάφους τιμᾶν αἰσχυνόμενοι. Id in ſequentibus multis exemplis probat ex ipſis Gentilium hiſtoriis, in quibus vna eſt obſervatione ſingulari digna, *aram Apollinis, quæ erat in Telmiſſo, ſepulcrum fuiſſe vatis Telmiſſenſis,* τὸν ἐν Τελμισσῷ βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος μνῆμα εἶναι καὶ τοῦτον Τελμισσέως τοῦ μάντεως. Ita mortuorum *ſepulcra* non modo *templa*, ſed etiam altaria facta ſunt. Poſtremo Pyramides, Mauſolæa & Labyrinthos cum templis comparans, dicit, ſcite ſane & eleganter, vtraque eſſe admirationi; *illa vt templa mortuorum, hæc vt ſepulcra Deorum.* οἱ ναοὶ τῶν νεκρῶν, ὡς ἐκεῖνοι τάφοι τῶν θεῶν. Quin & idem alibi refert Paganorum ſapientes in plęriſque templorum ſuorum, cum ea conſecrarent, loculos, ſive thecas mortuorũ poſuiſſe, eorumque animas *dæmonum*, ſive *Geniorũ nomine appellare, doceréq; ab hominibus eſſe colendas, vt quæ propter vitæ puritatem, divina providentia munere poteſtatem acceperint loci ſ[illegible]ius, qui terram ambit, ad hominum miniſterium incolendi ac luſtrandi.* οἱ ἐμπειροι τοῦ λόγου (inquit) ἐν τοῖς ἱδρύεσιν ἐν πολλοῖς τῶν ἱερῶν καὶ σχεδὸν πάσας* τὰς θήκας κατασχομένων ἐπιδρύσαντο. δαίμονας μὲν τὰς τούτων ψυχὰς καλοῦντες, θρησκεύεσθαι δὲ πρὸς ἀνθρώπων διδάσκοντες, ὡς ἂν ἐξουσίαν λαβούσας διὰ καθαρότητα τοῦ βίου τῇ θείᾳ προνοίᾳ, εἰς τὴν ἀνθρώπων λειτουργίαν τὸν περίγειον ἀναπολεῖν τόπον. Has autem rerum humanarum curatrices *animas, nihil iſtos referre putaviſſe Deos ne, an Angelos vocemus*; vt immediate ante verba recitata ſcribit Clemens, διαφέρειν δὲ οὐδὲν νομίζουσιν ἐάν τ᾽ οὖν θεούς, εἴτε καὶ ἀγγέλους τὰς ψυχὰς ταύτας λέγοιεν. Qui locus diligenter eſt obſervandus. Arnobius eadem Paganis fuſiſſime more ſuo objectat, *Quid* (inquit) *quod multa ex his templa, quæ tholis ſunt aureis, & ſublimibus elata faſtigiis, auctorum conſcriptionibus comprobatur contegere cineres, atque oſſa, & functorum corporum eſſe ſepulturas? Non-ne patet & promptum eſt, aut pro Diis immortalibus mortuos vos colere, aut inexpiabilem fieri numinibus contumeliam, quorum delubra & templa mortuorum ſuperlata ſunt buſtis?* Tum vt erat in gentium litteris valde verſatus, plurima ex iis exempla percenſet templorum ſepulturis ſuperſtructorum; & inter cętera illam ipſam aram, quam nos nuper apud Clementem notabamus; *Sub Apollinis* (inquit) *arula, quæ Telmeſſi apud oppidum viſitur. Telmeſſum eſſe conditum vatem, non ſcriptis*

Athen. Legat. pro Chriſt. T. 1. Bibl. Patr. Gr. Lat. p. 74. D.
Clem. Alex. Protrep. p. 12. C.
Id. ibid. p. 29. A.
ibid. C.
ibid. p. 32. C.
Id. Strom. l. 6. p. 631. C.
** fort. leg. πάσαι.*
ibid.
Arnob. adv. gent. l. 6 p. 242.
ibid. p. 243.

ſcriptis conſtantibus indicatur? Hæc noſtri veteris memoriæ Theologi, quæ profectò nunquam Paganis ita erant exprobraturi, ſi Sanctorum reliquias ipſi hodierno Latinorum more coluiſſent. Nam vt ab hoc vltimo exemplo incipiam, cujus quæſo, fuiſſet verecundiæ Telmeſſenſem Apollinis arulam, quod ſub ea conditus eſſet vnus vates, ab iis ſugillari, quorum non vna *arula*, non aliquot *aræ*, ſed omnes omnino *aræ arulæque* mortuorum reliquias continerent, non *ſub ſe*, ſed *in ſe* ſitas, & quidem multæ, eæque ſanctiſſimæ, non vnius mortui, ſed plurium mortuorum reliquias ſingulæ, quod apud Latinos noſtros nunc ſolenne eſſe & omnes ſciunt, & nos poſtea ex authenticis eorum libris demonſtrabimus? Quin & ipſi ne quis hoc neſciret, locum altaris in quo illæ conduntur, in medio ejus ſtipite, nominatim *ſepulcrum* vocant. Tum cujus & illud pudoris erat in Paganorum templis, velut turpe & Deo indignum denotare, quod ea *cineres & oſſa contegerent, corporumque defunctorum ſepulturæ eſſent*, ſi noſtrorum & *templa* eſſent, & *oſſa atque cineres, & corpora defuncta tegerent*, ſique ea potiſſimum religioſa apud ipſos eſſent, quæ hujuſmodi mortuorum ſepulturis nobilitarentur? ſi in illa ipſa Eccleſiarum omnium magiſtra Romana jam tum templum eminebat duorum defunctorum corporum Petri ac Pauli ſcilicet ſepultura glorioſum? Iſtis vero Clementis quid impudentius dici poteſt, qui hoc veluti Paganicum inſtitutum denotat in templis, cum ea conſecrantur, thecas, ſive loculos eorum mortuorum ponere, quorum animæ ideo colendæ eſſe doceantur, quod & puriſſime vixerint, & honorem res humanas procurandi à Deo propterea acceperint? Atqui hoc ipſum Clemens, tuorum quoque Chriſtianorum erat (ſi Latinis quidem credimus) inſtitutum; hæc ab Apoſtolis accepta, hæc apud omnem Eccleſiam ſolennis diſciplina; vt martyrum Divorumque aliorum, & corpora in templis conderentur, & animæ tum ob vitæ puritatem, tum ob honorificum in res noſtras miniſterium colerentur? Quid tibi venit in mentem, vt quod tu tuique laudatis, quod veluti religioſiſſimum & numini in primis gratum paſſim ac jugiter factitatis, id aliis veluti probrum aliquod pudendum objectares? Et ita quidem vt aliis minus aliquanto objectes, quam quod tu tuique facitis? Illos enim mortuorum in ſuis templis ſitorum non aliud, quam animam coluiſſe dicis, Vos vero mortuorum veſtrorum non ſolum animas (ſi quid Latinis credimus) colebatis, ſed ipſa etiã corpora atq; oſſa, ipſum minutiſſimũ cinerem, ipſam de ſiccis eorũ cutibus deraſam ſcobem proſtrati lingebatis & terebatis oſculis religioſiſſimis, ſupplicique veneratione adorabatis. Iam quod tu jocans obſervas, quæ Paganorum templa *honeſte ἡρώων nominantur*, ea *ſepulcra* fuiſſe, idque depromptis ex refertiſſimo eruditionis veſtræ penu hiſtoriis, veluti rem adverſario inficiandam, probare, tu, & Athenagoras, & Arnobius, ſatagitis; nonne eo ipſo ridiculi eſtis (quaſi veſtræ ædes, veſtræque illæ, vt

CAPVT VII.

CAPVT VII.

vel horrent. Athenagoras Ægyptiorum doctiſſimos ait teſtati *ſua templa hominum eſſe ſepulcra* ἱερὰ τοὺς τάφους αὐτῶν (ἀνθρώπων idque allatis aliquot Herodoti locis firmat. Clemens Alexandrinus; *Hæc ſunt, vt breviter dicam, myſteria* (Paganica ſcilicet) *cædes & ſepulcra*, καὶ ταῦτά ἐστι τὰ μυστήρια, συνελόντι φάναι, φόνοι καὶ τάφοι. Idem infra in eodem opere de Paganorum templis exprobrans ſcribit, *ea quidem honeſto nomine* templa *dici revera autem ſepulcra fuiſſe, id eſt ſepulcra eſſe, quæ templorum nomine gaudent. Vos autem* (inquit Paganis) *vel nunc certe, ſuperſtitionis obliviſcamini, ſepulcra honorare erubeſcentes.* νεὼς μὲν εὐφήμως ὀνομαζομένους, τάφους δὲ γενομένους, τουτέστι τοὺς τάφους νεὼς ἐπικεκλημένους. ὑμεῖς δὲ, ἀλλὰ κἂν νῦν δεισιδαιμονίας ἐκλάθεσθε, τοὺς τάφους τιμᾶν αἰσχυνόμενοι. Id in ſequentibus multis exemplis probat ex ipſis Gentilium hiſtoriis, in quibus vna eſt obſervatione ſingulari digna, *aram Apollinis, quæ erat in Telmiſſo, ſepulcrum fuiſſe vatis Telmiſſenſis*, τὸν ἐν Τελμισσῷ βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος μνῆμα εἶναι καὶ τοῦτον Τελμισσέως τοῦ μάντεως. Ita mortuorum *ſepulcra* non modo *templa*, ſed etiam altaria facta ſunt. Poſtremo Pyramides, Mauſolęa & Labyrinthos cum templis comparans, dicit, ſcite ſane & eleganter, vtraque eſſe admirationi; *illa vt templa mortuorum, hæc vt ſepulcra Deorum.* οἱ ναοὶ τῶν νεκρῶν, ὡς ἐκεῖνοι τάφοι τῶν θεῶν. Quin & idem alibi refert Paganorum ſapientes in plęriſque templorum ſuorum, cum ea conſecrarent, loculos, ſive thecas mortuorũ poſuiſſe, eorumque animas *dæmonum*, ſive *Geniorũ nomine appellare, doceręq; ab hominibus eſſe colendas, vt quæ propter vitæ puritatem, divina providentia munere poteſtatem acceperint loci illius, qui terram ambit, ad hominum miniſterium incolendi ac luſtrandi.* οἱ ἐμπειροι τοῦ λόγου (inquit) ἐπὶ τοῖς ἱδρύσεσιν ἐν πολλοῖς τῶν ἱερῶν καὶ σχεδὸν πάσας * τὰς θήκας καθιερουμένων ἐπιδρύσαντο. δαίμονας μὲν τὰς τούτων ψυχὰς καλοῦντες, θρησκεύεσθαι δὲ πρὸς ἀνθρώπων διδάσκοντες, ὡς ἂν ἐξουσίαν λαβούσας διὰ καθαρότητα τοῦ βίου τῇ θείᾳ προνοίᾳ εἰς τὴν ἀνθρώπων λειτουργίαν τὸν περίγειον ἐπιπολεῖν τόπον. Has autem rerum humanarum curatrices *animas, nihil iſtos referre putaviſſe Deos ne, an Angelos vocemus*; vt immediate ante verba recitata ſcribit Clemens, διαφέρειν δὲ οὐδὲν νομίζουσιν ἐάν τε οὖν θεοὺς, εἴτε καὶ ἀγγέλους τὰς ψυχὰς ταύτας λέγωσι. Qui locus diligenter eſt obſervandus. Arnobius eadem Paganis fuſiſſime more ſuo objectat, *Quid* (inquit) *quod multa ex his templa, quæ tholis ſunt aureis, & ſublimibus elata faſtigiis, auctorum conſcriptionibus comprobatur contegere cineres, atque oſſa, & functorum corporum eſſe ſepulturas? Non-ne patet & promptum eſt, aut pro Diis immortalibus mortuos vos colere, aut inexpiabilem fieri numinibus contumeliam, quorum delubra & templa mortuorum ſuperlata ſunt buſtis?* Tum vt erat in gentium litteris valde verſatus, plurima ex iis exempla percenſet templorum ſepulturis ſuperſtructorum; & inter cętera illam ipſam aram, quam nos nuper apud Clementem notabamus; *Sub Apollinis* (inquit) *aula, quæ Telmeſſi apud oppidum viſitur. Telmeſſum eſſe conditum vatem, non*

ſcriptis

Athen. Legat. pro Chriſt. T. 1. Bibl. Patr. Gr. Lat. p. 74. D.

Clem. Alex. Protrep. p. 12. C.

Id. ibid. p. 29. A.

ibid. C.

ibid. p. 32. C.

Id. Strom. l. 6. p. 631. C.

* fort. leg. πᾶσι.

ibid.

Arnob. adv. gent. l. 6 p. 242.

ibid. p. 243.

ſcriptis conſtantibus indicatur? Hæc noſtri veteris memoriæ Theologi, quæ profecto nunquam Paganis ita erant exprobraturi, ſi Sanctorum reliquias ipſi hodierno Latinorum more coluiſſent. Nam vt ab hoc vltimo exemplo incipiam, cujus quæſo, fuiſſet verecundiæ Telmeſſenſem Apollinis arulam, quod ſub ea conditus eſſet vnus vates, ab iis ſugillari, quorum non vna *arula*, non aliquot *aræ*, ſed omnes omnino *aræ aruleque* mortuorum reliquias continerent, non *ſub ſe*, ſed *in ſe* ſitas, & quidem multæ, eæque ſanctiſſimæ, non vnius mortui, ſed plurium mortuorum reliquias ſingulæ, quod apud Latinos noſtros nunc ſolenne eſſe & omnes ſciunt, & nos poſtea ex authenticis eorum libris demonſtrabimus? Quin & ipſi nequis hoc neſciret, locum altaris in quo illæ conduntur, in medio ejus ſtipite, nominatim *ſepulcrum* vocant. Tum cujus & illud pudoris erat in Paganorum templis, velut turpe & Deo indignum denotare, quod ea *cineres & oſſa contegerent, corporumque defunctorum ſepulturæ eſſent*, ſi noſtrorum & *templa* eſſent, & *oſſa atque cineres, & corpora defuncta tegerent*, ſique ea potiſſimum religioſa apud ipſos eſſent, quæ hujuſmodi mortuorum ſepulturis nobilitarentur? ſi in illa ipſa Eccleſiarum omnium magiſtra Romana jam tum templum eminebat duorum defunctorum corporum Petri ac Pauli ſcilicet ſepultura glorioſum? Iſtis vero Clementis quid impudentius dici poteſt, qui hoc veluti Paganicum inſtitutum denotat in templis, cum ea conſecrantur, thecas, ſive loculos eorum mortuorum ponere, quorum animæ ideo colendæ eſſe doceantur, quod & puriſſime vixerint, & honorem res humanas procurandi à Deo propterea acceperint? Atqui hoc ipſum Clemens, tuorum quoque Chriſtianorum erat (ſi Latinis quidem credimus) inſtitutum; hæc ab Apoſtolis accepta, hæc apud omnem Eccleſiam ſolennis diſciplina; vt martyrum Divorumque aliorum, & corpora in templis conderentur, & animæ tum ob vitæ puritatem, tum ob honorificum in res noſtras miniſterium colerentur? Quid tibi venit in mentem, vt quod tu tuique laudatis, quod veluti religioſiſſimum & numini in primis gratum paſſim ac jugiter factitatis, id aliis veluti probrum aliquod pudendum objectares? Et ita quidem vt aliis minus aliquanto objectes, quam quod tu tuique facitis? Illos enim mortuorum in ſuis templis ſitorum non aliud, quam animam coluiſſe dicis, Vos vero mortuorum veſtrorum non ſolum animas (ſi quid Latinis credimus) colebatis, ſed ipſa etiã corpora atq; oſſa, ipſum minutiſſimũ cinerem, ipſam de ſiccis eorũ cutibus deraſam ſcobem proſtrati lingebatis & terebatis oſculis religioſiſſimis, ſupplicique veneratione adorabatis. Iam quod tu jocans obſervas, quæ Paganorum templa *honeſte* εὐφήμως *nominantur*, ea *ſepulcra* fuiſſe, idque depromptis ex refertiſſimo eruditionis veſtræ penu hiſtoriis, veluti rem adverſario inficiandam, probare, tu, & Athenagoras, & Arnobius, ſatagitis; nonne eo ipſo ridiculi eſtis (quaſi veſtræ ædes, veſtræque illæ, vt

CAPVT VII.

CAPVT VII.

vos ἰωσήμως quoque vocatis, Eccleſiæ, non & ipſæ *mortnorum* hominum ſepulturæ plæræque fuerint? quaſi non hoc ex rerum veſtrarum hiſtoriis æque nunc Latini vincant, ac tu & tui coævi ex Paganorum monumentis oſtendiris id quod his obiicitis? Quod vero Ethnicos illos tuos jubes tandem aliquando errorem ſuum erubeſcere. *Pudeat vos* (inquis) *ſepulcra honorare*, τὰς τάφους τιμᾶν αἰσχύνεσθε; quis tam patiens eſt, qui id ferre poſſit? hominem ſepulcris affixum, nunquam niſi ad ea ſacrificantem, mortuorum buſta, reliquias, omnia adorantem, audere alios monere, vt eos randem *pudeat ſepulcra honorare?* audere hunc honorem *ſuperſtitioni* δεισιδαιμονίᾳ, imputare? Æque ſtulta erit atque impudens altera illa ejuſdem oratio Paganis exprobrantis, quod illorum Divi *circa ſepulcra verſarentur ac volutarentur, & circa ea apparerent.* Tui vero Divi ô bone (ſi tu quidem Latini ritus religioſus eras) tui inquam, Divi in ſuis quoque ſepulcris habitant; in iis ſedibus libenter commorantur, circa eas quoque non raro apparenr; Neque Divi rantum; ſed & tuus ille Divorum atque hominum rex idem, ac Deus, ſupra illas quoque ſepulturas cubat, ac quieſcit; Inde ſuis populis *oſtenditur*, atque apparet, ὑποφαίνεται, quatenus Deum à morralibus videri fas eſt; ſepulcris denique adeo gaudet, vt nullum ad altare veniat, in quo non ſit alicujus de veſtris Sanctis ſepulcrum. Itaque tu fruſtra quidem paratragœdias; fruſtra in Paganorum impietatem exclamas. Si numen ad ſepulcra venerari, ſi Divos in ſepulcris ſuis libenter verſari, & Deum in iiſdem aſſiduum eſſe putare; id Dei naturam (quod affirmas) *defodere* eſt, ac *ſepulcris obruere*, religionemque *cœlo detrahere* ac in *humum deiicere*; vos quoque hac lege *impietatis* vna cum Paganis reos fuiſſe manifeſtum eſt. Neque his Clementis meliora erunt ex Latinorum quidem hypotheſi, illa Tertulliani, *& Spiritus nequam hominum memoria ad omnem malitiæ ſuæ ſcenam affectaviſſe* & Paganorum *vulgus defunctos colere* notantis; quaſi non ipſi quoque defunctos colerent Chriſtiani; vel quaſi non & ſancti apud eos ſpiritus hominum quoque *memorias* ſuorum *miraculorum* ac beneficiorum *Scenam affectarent.* Iam quid ex Latino dogmate abſurdius eſt, quam quod idem ille facit, tam *defunctorum* hominum, quam Deorum Paganicorum *cultus* ſuperſtitioni & idololatriæ promiſcue, nulloque diſcrimine vtrumque deputare? Quid illo ejuſdem decreto ſtultius, *ne mortui coronentur*, edicentis, id eſt ne corollis ex floribus conſertis, ornentur, ſi jam tum hodierno Latinorum more vivebatur, qui mortuorum, maxime Sanctorum, corpora, etiam officij Chriſtiani eſſe putant, ſplendidiſſime coronare? Denique quid apud eos ominoſius, aut etiam execrabilius dici poſſet illa Septimij noſtri lege mortuos *ipſo & habitu, & cultu conſecrationis idola ſtatim fieri?* Hæc enim quid quæſo, ſignificant, niſi mortuum nullum *conſecrari*, qui non ipſo illo *ſuæ conſecrationis habitu & cultu, idolum fiat?* Quid ais Tertulliane?

An

An ne ita deſipis, vt Dei Chriſtique Sanctos *idolis* accenſeas, quos nescire non potes à tuis Latinis accuratiſſime conſecrari, religioſiſſimeque coli? Ille vero ſe hoc ſciviſſe eo ipſo ſatis negat, quod ita loquitur; vt abſolute, præfracte, nulla adhibita exceptione definiat *mortuos conſecrationis habitu cultuque idola fieri.* Si Latinorum myſtes fuiſſet, ſuorum ex mortuis Divorum, *conſecrationi, habitui, cultui,* vir frugi & diligentiæ ſingularis caviſſet. De Minutij & Cypriani verbis nihil dico, quibus Paganicorum ſacrorum origines, Latinorum in Divos, Divorumque reliquias ſacrorum originibus ſane ſimillimas exhibent; quod quia alterius & loci & temporis eſt, in præſentia miſſum facimus. Quæ diximus ſatis ſunt, vt quod agimus conſtituatur, nullum apud illius ævi Chriſtianos reliquiarum fuiſſe religioſum cultum; qui ſi fuiſſet ſcilicet, hæc noſtri, quæ recitavimus, Paganis abſque ſumma ſtultitia & impudentia objectare non potuiſſent. Cum ergo eos, quos laudavimus ſcriptores, omnes confiteantur viros fuiſſe prudentiſſimos juxta & verecundiſſimos, omnino neceſſe concedere nullum eos apud ſui temporis Eccleſiam reliquiarum Latino ſimilem cultum vidiſſe, vel ſciviſſe. CAPUT VIII.

CAPUT VIII.

Argumentum VIII. Quod Reliquiarum cultum noſtris Pagani poſt annum quidem CCC. exprobrarint; ante id vero tempus, minime objectarint.

IDEM quoque inde clariſſime confirmatur, quod Pagani eorumdem temporum nihil noſtris in ſuis contra eos diſputationibus de hæc Chriſtianorum reliquiaria religione objecerint. Nam cum res ipſa buſtuariæ Paganorum ſuperſtitioni eſſet in ſpeciem ſimilis, haud dubie eam vltro & Celſus & Lucianus, & alij obſervaſſent, & noſtris exprobâſſent. Sed & illæ noſtris ſolennes, Paganicorum templorum atque ſacrorum vituperationes ac ſugillationes, quales nuper à nobis deſcriptæ ſunt, Ethnicæ ſuperſtitionis ſapientes & patronos ſubigebant reliquiarum cultum, ſi quis apud noſtros jam tum erat factitatus, denotare, & in noſtros ad ſua ſacra defendenda ac vindicanda repercutere. Quarto ſane ſæculo jam affecto, quo tempore ſub Conſtantio, Iuliano, Valentiniano, & Gratiano principibus, magnos quidem martyrum apud noſtros fuiſſe honores conſtat, neque dum tamen eorum pares, qui nunc illis à Latinis tribuuntur; videmus non defuiſſe ſibi hac oblata occaſione Paganos, ſed eam avide arripuiſſe, & rem in majus agentes Chriſtianis exprobraſſe. Nam vt eos impios ipſe Iulianus apud Cyrillum appellans; *Sepulcris* (inquit) *& monumentis impleſtis omnia, licet apud vos nuſquam dictum ſit ſepulcris* *Iul. apud Cyrill. Al. l. 10. cont. Iul. T. 6. p. 335. B. C.*

advolvi

CAPVT VIII.

advolvi & ea cuſtodire, ſive fovere. πάντα ἐνεπλήσατε τάφων καὶ μνημάτων, καίτοι οὐκ εἴρηται παρ' ὑμῖν οὐδαμοῦ τοῖς τάφοις προσκαλινδεῖσθαι, καὶ περιέπειν αὐτούς. Tum exprobrans quód eo facto Chriſti ipſius doctri-

Matth. 23.27. nam violarent, recitatoque Domini contra Phariſæos ex Matthæi Evangelio ſermone; *Væ vobis, Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulcris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum & omni ſpurcitia*; ſic pergit; *Cum igitur Ieſus* (inquit) *dixerit ſepulcra plena eſſe immunditie; quomodo vos ſuper iis invocatis Deum?* εἰ τοίνυν ἀκαθαρσίας ἐστὶ πλήρεις οἱ τάφοι, πῶς ὑμεῖς ἐπ' αὐτῶν ἐπικαλεῖσθε τὸν θεόν; Neque id omiſit Eunapius Sardianus, cujus hæc de Chriſtianis ævi ſui in Ædeſij Sophiſtæ vita

Eunap. in Ædeſio. legimus; *Illi hos monachos Canobi quoque collocarunt, ut pro Dijs, qui animo cernuntur, ſervos & quidem flagitioſos, divinis honoribus colerent, mortalium mentibus ad hunc cultum obligatis, oſſa & capita hominum colligentes, quos quidem publicum magiſtratus tribunal multorum peccatorum convictos ſupplicio affecerat, iſti vero & Deos deſignabant, & iis ſupplices advolvebantur, ſeque meliores putabant, ſi ad eorum ſepulcra polluerentur. Mancipia ergo, & quidem ſervitute male functa, & flagris conſumpta, ſuæque improbitatis ac nequitiæ cicatrices in ſpectris, ſive umbris ſuis adhuc gerentia, vocabantur martyres, miniſtri, & legati precum ad Deos. Et tamen hos Deos fert tellus.* Τοὺς δὲ μοναχοὺς τούτους καὶ εἰς τὸν Κάνωβον καθίδρυσαν, ἀντὶ τῶν νοητῶν θεῶν εἰς ἀνδραπόδων θεραπείας. καὶ οὐδὲ χρηστῶν, καταδήσαντες τὸ ἀνθρώπινον. ὀστέα καὶ κεφαλὰς τῶν ἐπὶ πολλοῖς ἁμαρτήμασιν ἑαλωκότων συναλίζοντες. οὓς τὸ πολιτικὸν ἐκόλαζε δικαστήριον, θεούς τε ἀπεδείκνυσαν, καὶ προσεκαλινδοῦντο τοῖς. . . . * καὶ κρείττους

* forte leg. τούτοις.

ὑπελάμβανον εἶναι μολυνόμενοι πρὸς τοὺς τάφους. μάρτυρες γοῦν ἐκαλοῦντο καὶ διάκονοί τινες, καὶ πρέσβεις τῶν αἰτήσεων παρὰ τῶν θεῶν ἀνδράποδα δεδουλευκότα κακῶς, μάστιξι δεδαπανημένα, καὶ τὰς τῆς μοχθηρίας ὠτειλὰς ἐν τοῖς εἰδώλοις φέροντα. ἀλλ' ὅμως ἡ γῆ φέρει τούτους τοὺς θεούς. Hæc Eunapius in ſuæ memoriæ Chriſtianos dicit; in quibus hoc eum inprimis mentiri conſtat, quod ſic loquitur, quaſi nulli apud noſtros fuerint, niſi ex mancipiis martyres, quos ex omni hominum, interdum etiam nobiliſſimorum ordine, ad hanc palmam adſpiraſſe ſcimus. Sed & illud æque falſum atque invidioſum eſt, quod Gentilis Sycophanta fingit, quos noſtri *martyras* vocabant, eos ſupplicia, quibus erant ex judicum ſententiis affecti ſuis criminibus fuiſſe promeritos. Neque ſane verum eſt, quod idem ait eos à noſtris *Deos factos deſignatoſque* fuiſſe. Cætera non abhorrent ab iis, quæ illius memoriæ Chriſtianæ in ſuis ipſos libris de martyribus philoſophari videmus. Nam & in magna apud noſtros veneratione martyres fuiſſe apparet, tametſi nondum iis plane religionibus honoratos; quæ nunc apud Latinos obtinent; vt habuerit Eunapius aliquam occaſionem noſtros accuſandi, quod pro ſpirituali Dei νοητοῦ, *qui mente intelligitur*, cultu, quædam in homines religione mortalium animos devincirent atque obligarent.

Illa

Illa vero quæ addit eoſdem *oſſa & capita martyrum collegiſſe*, & *ſe ad ea advolvere ſolitos*, & *ex illorum memoriis aliquid ſe ſanctificationis reportare putaviſſe*, & martyras *pro Dei miniſtris, precumque apud eum ſuarum legatis* habuiſſe; illa inquam, non fuiſſe plane de nihilo, ſciunt qui libros Eunapiano ſæculo à noſtris ſcriptos * legerunt. Hæc enim jam tum apud noſtrorum aliquos & dici, & fieri cœpiſſe, non eſt obſcurum. Eadem Paganos Theodoretus ſuo quoque tempore (id eſt quinto jam adulto Chriſtianiſmi ſæculo) noſtris exprobraſſe teſtatur; vbi explicata ſua de martyrum interceſſione, reliquiis & miraculis, quæ ad eas fierent, ſententia, Ethnicos compellans; *Vos autem* (inquit) *ne hæc quidem adducunt, vt horum* (Martyrum ſcilicet) *Deum laudetis; ſed deridetis & ludibrio habetis honorem, qui his paſſim ab omnibus defertur, & abominandum ſcelus ducitis ad mortuorum buſta propius accedere.* Ὑμᾶς δὲ οὐδὲ ταῦτα πείθει τὸν τούτων ὑμνῆσαι Θεόν. ἀλλὰ γελᾶτε καὶ κωμῳδεῖτε τὸ τούτοις παρὰ πάντων προσφερόμενον γέρας, καὶ μύσος ὑπολαμβάνετε τὸ πελάζειν τοῖς τάφοις. Paulo poſt eoſdem rogat, cur pollui eos putarent, qui ad Martyrum loculos accederent, οὐδ' ὅτι δὴ (inquit) μολύσμα τινὸς μεταλαγχάνειν νομίζετε τὸν ταῖς θήκαις τῶν τεθνεώτων πελάζοντα. Atque hęc quidem noſtris quarto jam quintoq. ſęculo de reliquiarum veneratione Pagani exprobrabant; quę ipſi nunc Latini ſtudioſiſſime colligunt ad aſtruendam ſuę traditionis vetuſtatem; negantes talia objecturos fuiſſe Paganos, niſi ea apud noſtros celebrari vidiſſent. Rogo igitur cur non eadem qui tribus primis Chriſtianiſmi ſeculis vixerunt Pagani, noſtris quoque objecerint, ſi eadem apud noſtros fiebant? Luciano, Celſo, Cęcilio, aliis eorumdem temporum non fuit animus in nos mitior, quam Iuliano & Eunapio, vel ad accuſandum & calumniandum ſegnior, vel ad noſtra obſervanda obtuſior. Iam conſtat ex veris tum Paganorum, tum Chriſtianorum, qui ante a. D. 300. vixerunt, monumentis, nihil vnquam hujuſmodi noſtris fuiſſe à Celſo, & Luciano, aut Cęcilio, aut ab vllis omnino Gentilibus per illa tempora objectum. Celſi, acutiſſimi juxta & infeſtiſſimi adverſarij, plurima contra noſtros dicta apud Origenem habemus. An ille, qui toties Chriſtianis cultum hominis mortui, id eſt Domini Chriſti, vt ſupra oſtendimus, obiicit, plurimorum cadaverum, imo & capillorum, & vnguium, & interularum, & aliarum quiſquiliarum adorationem tacuiſſet, ſi quam ſciviſſet? Quodam etiam loco obiicit *humanas Chriſti*, quem veluti Deum adoramus, *carnes auro, & argento & marmore*, (quod ſcilicet ſui in Deorum ſignis colebant) *corruptibiliores eſſe.* τὰς ἀνθρωπίνας τοῦ Ἰησοῦ σάρκας χρυσοῦ καὶ ἀργύρου καὶ λίθου φθαρτοτέρας. Quanto magis martyrum *carnes*, non modo corruptibiles, ſed etiam reapſe jampridem corruptas, cæteraſque eorum etiam multo viliores reliquias hic dixiſſet, ſi quas apud noſtros religioſe coli vel vidiſſet, vel audiviſſet? Nullas plane neque his locis, neque vſpiam alibi, vel hic, vel

CAPVT VIII.

* *Vid. Greg. Nyſſ. orat. in Theodor. Theodoret. Serm. de Martyr 8. T. 4 p 593. D. 594.*

Theodoret. de curand. Græc. affect. l. 8. T. 4. p. 584. A.

Baron. a. D. 389. §. 81. 82.

CAPVT IX.

vel cæteri vetuſtioris quidem memoriæ Pagani Chriſtianis objeciſſe reperiuntur. Poſco tanti inter vtroſque in eadem agenda cauſſa diſcriminis idoneam rationem? Cur conſtanter tacuerit Celſus & Cæcilius,* quæ tam invidioſe jactant Iulianus & Eunapius? Nimirum cultus reliquiarum, quem hi obiicerent, quarto ſæculo apud Chriſtianos fuit; quem illi exprobrarent, nullus ad a. D. 300. apud noſtros erat. Hæc Chriſtiano nomini inuſta recens labes infidelium ora ſolvit in illas exprobrationes, & Domini noſtri Chriſti nomen, illa veluti idololatriæ infamia aſperſit, à qua hactenus fuerat immune. Quin & illius reliquiariæ ſuperſtitionis acceſſione ad antiquum ac genuinum Chriſtianiſmum facta, obſervare eſt mirabilem factam eſſe in noſtrorum cum Gentiliſmo concertationibus converſionem. Quam enim antea noſtri Gentilibus objectabant *mortuorum & ſepulcrorum* religionem, eam noſtris Gentiles deinceps objectaſſe videmus; & quem prius noſtri conqueri ſolebant ad terrena atque humilia Paganicô errore objectum eſſe ſpiritualem Dei cultum, Eunapium nuper audiebamus pro dolor! declamitantem eum à ſui temporis Chriſtianis eſſe fœde corruptum; mortalium animis *ab intelligibili numine* traductis ad homines mortuos venerandos, eorumque *oſſa & capita* divinis honoribus afficienda. Sponte cæcutit, qui ex tam immani vtrorumque temporum differentia non intelligit diverſam fuiſſe apud vtroſque Chriſtianos cultus religioſi rationem, & à poſteris quidem coli cœptas martyrum reliquias, apud Veteres vero ad a. D. 300. & amplius, nulla in religionis parte habitas olim fuiſſe.

CAPVT IX.

Latinorum mos reliquias altaribus inſerere; quo id ritu fiat. Fruſtra ad eum morem torqueri animas ſub altari viſas, Apoc. 6. 9. neque veteres locum illum ſic accepiſſe. Quem Auguſtini nomine citat Bellarminus ſermonem, eum nequaquam eſſe Auguſtini.

SED jam tempus eſt his ita diſputatis propius congredi, ac ipſa Martyrum & aliorum Sanctorum corpora quomodo & Latini nunc habeant, & veteres primæ memoriæ Chriſtiani olim habuerint, diligentius conſiderare, atq. vtrorumq; mores rituſque inter ſe cōparare. Hinc enim clariſſime eluceſcet; an ea hi adoraverint vt nunc adorant illi Latinos quidē hodie videmus ſuas Divorū reliquias planē ſic habere, vt res adoratione dignas haberi decet. In quo genere illud in primis obſervandum venit nullum eſſe apud eos templum aut delubrum, nullum ſive fixum ſtatumque, ſive vt vocant, *portabile* altare, in quo non ſint conditæ Divi alicujus aliquæ reliquiæ. Qua autem

autem pompa, quaque rituum majeſtate reliquiæ Eccleſiis & altari- CAPVT
bus inferantur, ex Romano Pontificali referre operæpretium vide- IX.
tur. Principio Pontifex *parat reliquias in altari conſecrando inclu-* *Pontif. Part. 2. de Eccleſ. dedicat. p. 100. A.*
dendas, ponens eas in decenti & mundo vaſculo cum tribus granis thuris.
Tum ſigillat ipſum vaſculum diligenter, & illud in honeſto & mundo
loco, vel ſub tentorio ante fores Eccleſiæ conſecrandæ parato ponit, &
ſuper ornatum feretrum decenter collocat, cum duobus candelabris &
luminaribus ardentibus; & vigilias celebrandas curat *ante Reliquias*
ipſas, canendas Nocturnas & matutinas laudes in honorem Sanctorum,
quorum reliquiæ ſunt recondendæ. Cæteris ad rem neceſſariis eadem
diligentia cōparatis, poſtquam Eccleſia dedicari multis myſticis riti-
bus cœpta eſt, Pontifex mitratus *procedit ante altare, & ibi cum aqua* *ibid. p. 242. C.*
benedicta facit maltam ſeu cementum, quod mox depoſita mitra, ſtans
ibidem benedicit, Deum enixe rogans, *ut ſanctificet & benedicat illas*
creaturas calcis & ſabuli per Chriſtum Dominum noſtrum. Idem *pro-*
cedit proceſſionaliter, cum cruce & clero ad locum in quo reliquiæ nocte *ibid. B.*
præterita conſervatæ fuerunt, Locum ingreſſi multa ſuaviter in ho-
norem Sanctorum cantillant; eoſque ad ſedem in novæ Eccleſiæ al-
tari paratā ſic invitant; *Movete vos Sancti Dei de manſionibus veſtris;* *ibid. p. 243. A. B.*
Ad loca feſtinate, quæ vobis parata ſunt. Recitat Pſalmum Latinis
nonageſimum quartum; *Venite exultemus Domino*, &c. Pontifex *ibid. p. 244. B.*
ſtans coram reliquiis detecto capite orat; Fac nos, quæſumus, Domine,
Sanctorum tuorum tibi ſpecialiter dedicata membra digne contingere,
quorum patrocinia cupimus inceſſanter habere. Hic aſſumptum reli-
quiarum feretrum ſacerdotes portant, præeuntibus duobus cerofe-
rariis cum luminaribus, deinde cruce, tum Clero. Thuriferarius *ibid. p. 245. A.*
juxta ſacerdotes continuo reliquias ipſas *incenſat*, & immediate ante
eas *præcedunt intortitia.* Sequitur demum Pontifex cum ſuis mini-
ſtris. Procedente agmine, ſchola antiphonam à Pontifice cantari
cœptam proſequitur; *Cum jucunditate exibitis, & cum gaudio dedu-* *B.*
cemini; nam & colles & montes exſilient exſpectantes vos cum gaudio
Alleluia, &, *Surgite Sancti Dei de manſionibus veſtris. Loca ſanctifi-*
cate; Plebem benedicite, & nos homines peccatores in pace cuſtodite.
Tum; *Ambulate Sancti Dei; Ingredimini in civitatem Domini. Æ-* *ibid p. 246. A.*
dificata eſt enim VOBIS Eccleſia nova, ubi populus adorare debet *B.*
Majeſtatem Domini. Vbi ad Eccleſiæ fores perventum eſt, Pontifex
præeuntibus *duobus ceroferariis, cruce, thuriferario, & ſacerdotibus* *ibid. p. 247. A.*
feretrum Reliquiarum portantibus circumit Eccleſiam cum ipſis Reli-
quiis, populo ſequente & clamante, Kyrie eleiſon. Deinceps Pontifex
ſermonem facit ad plebem ante ipſas Eccleſiæ fores, quo inter cæ-
tera docet ſe Eccleſiam illam quam initiat, *in honorem omnipotentis*
Dei, beatæ Mariæ ſemper Virginis & omnium Sanctorum, & memoriam *ibid. p. 248. A.*
Sancti N. (ejus ſcilicet Divi, cujus nomine baſilica conſecratur) *B.*
dedicare; & in ejus altari reliquias Sanctorum N. & N. Deo propitio

CAPVT IX. *poni decreviſſe*; edicens qui poſita *in altari, vel in loco N. corpora vel reliquias Sanctorum N. & N. devote viſitaverit, eum indulgentiam N. per N. conceſſam* impetraturum. His & aliis non paucis ad Ecclesiæ dedicationem rite peractis, Presbyteri elevant feretrum reliquiarum, & Eccleſiam ingrediuntur cum clero & populo proceſſionaliter. Schola, Pontifice verba præeunte, cantat; *Ingredimini Sancti Dei; Preparata eſt enim à Domino habitatio ſedis veſtra. Sed & populus fidelis cum gaudio inſequitur iter veſtrum; vt oretis pro nobis Majeſtatem Domini*; & cætera quæ in carmine illo ſequuntur. Cum ad altare perventū eſt, in quo reliquiæ ſunt cōdendæ, illæ cum feretro prope altare deponuntur luminaribus juxta eas ardentibus, Pontifice cum ſchola concinente, *Exultabunt Sancti in gloria, & latabuntur in cubilibus ſuis.* Recitantur duo vltimi Pſalmi, CXLIX. & CL. Facta deinde oratione Pontifex mitratus pollice manus dexteræ in ſanctum chriſma intincto *ſignat confeſſionem, id eſt ſepulcrum altaris, in quo reliquia ſunt deponenda, in quatuor angulis, faciens in ſingulis ſignum crucis, & dicens, Conſecretur & ſanctificetur hoc ſepulcrum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Tum, *depoſita mitra recondit veneranter vaſculum ipſum cum Reliquiis in ſepulcro altaris*, ſuccinente ſchola, canens, *Sub altare Dei ſedes accepiſtis Sancti Dei. Intercedite pro nobis ad Dominum Ieſum Chriſtum.* Reliquias incluſas mox Pontifex ſine mitra thurificat, *quo facto impoſita ſibi mitra, accipit tabulam ſeu lapidem cum qua debet claudi ſepulcrum, in manum ſiniſtram, & pollicem dextera manus intingit in ſanctum chriſma, & cum eo facit in medio dicta tabula ſive lapidis de ſubtus ſignum crucis, dicens, Conſecretur & ſanctificetur hac tabula, vel hic lapis, per iſtam vnctionem, & Dei benedictionem. Mox linit cum cæmento* (ſacro ſcilicet, de quo prius) *ponit, & coaptat tabulam ſeu lapidem ſuper ſepulcrum claudens illud*, & inchoans, ſchola proſequente, illa de Apocalypſi; *Sub altare Dei audivi voces occiſorum dicentium, Quare non defendis ſanguinem noſtrum, & acceperunt divinum reſponſum, Adhuc ſuſtinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum veſtrorum.* His & aliis rite cantillatis, Pontifex orationem emittit; *Deus, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum æternum Majeſtati tua condis habitaculum, da ædificationi tua incrementa cœleſtia, & praſta vt quorum hic reliquias pio amore complectimur, eorum ſemper meritis adjuvemur.* Inde mitra accepta opus præit, quo cæmentarij cum cæmento illo benedicto firmant ipſam tabulam ſeu lapidem ſuper ſepulcrum; Firmatam tabulam chriſmate Pontifex in crucem, vt antea, ſignat, dicens, *Signetur & ſanctificetur hoc altare, in nomine Patris ✠, & Filij ✠ & Spiritus ✠ Sancti. Pax tibi.* Conſimili pompa ac ritu in ea quoque altaria Reliquiæ inferuntur, quæ per ſe ac ſeorſum ſine Eccleſiæ ipſius dedicatione conſecrantur; vt videre eſt in Pontificali. Et in Litaniis, quæ dicuntur, bis nominantur Sancti *, quorum reliquiæ in al-

ibid. p. 252. A.
ibid. p. 253. B.
ibid. p. 254.
B.
ibid. p. 255. A.
B.
ibid. p. 256. A.
ibid. p. 257. B.
ibid. p. 289. & ſeqq.
* ibid. p. 289. B.

in altari includuntur. Sed & in altari *portatili* conſecrando eædem fiunt cærimoniæ. *Portantur in primis* (inquit Pontificale) *aliquæ reliquiæ cum tribus granis incenſi in altari recludendæ* *. Cæterum illa altaris *confoſſio*, in qua reliquiæ conduntur, quæque hac de cauſſa *ſepulcrum* dicitur, non eſt omnis vnius ejuſdemque generis. Fit enim *vel in medio tabulæ altaris, à parte ſuperiori, vel in ſtipite à parte anteriori, aut poſteriori, vel in medio ſummitatis ſtipitis; ita vt ſupra ponatur ipſa tabula, ſive menſa altaris.* Sed leve eſt diſcrimen; & in quocumque ſitu *ſepulcrum* dicitur, in quo reliquiæ quieſcunt. Ex his liquet nullum eſſe Latinorum ſacrum & legitimum altare; in quo non aliquæ ſint ſepultæ reliquiæ. Merito. Aliter enim ſi res haberet, abſurda & ridicula eſſent illa, quæ ſacerdos in omni miſſa pronuntiat verba; *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum quorum reliquiæ hic ſunt*; *Hic* enim dicit *in medio altari*; quod idcirco dum hæc pronuntiat, oſculatur. Ergo nullum abſque reliquiis apud Latinos fit ſacrificium; nulla abſque reliquiis ſacra habetur vel Eccleſia, vel etiam ara. Bellarminus hunc morem reliquias in altaribus ſepeliendi *videri* ait *Apoſtolorum tempore cœpiſſe*; ſed futili argumento. *Nam ideo* (inquit) *Ioanni Apocalypſeos VI. oſtenſæ ſunt in cœlo animæ Martyrum ſub altari, quia corpora eorum in terris ſub altaribus requieſcunt, vt Auguſtinus inſinuat loco notato.* Notaverat autem Auguſtini ſermonem XI. de Sanctis. Et ſane illum de Apocalypſi, quem hic citat Bellarminus, locum in altaris conſecratione à Latinis cantari ſolere, nuper diximus. Latinus Annaliſta eodē reſpiciens *reliquias ſacratiſſimas ſub ſacro altari condi conſueviſſe, Ioannem* ait *annuere in Apocalypſi*; Sed & paulo ante etiam multo inverecundius ſcripſerat *auctoritate divinæ Scripturæ conſtare altaria ſepulcra eſſe Martyrum*; hunc ipſum Apocalypſeos locum indicans. Illa vero *Scriptura*, cujus hæc *auctoritate conſtare* ait Martyrum non *corpora*, aut *reliquias*, ſed *animas ſubtus altare* à Ioanne *viſas eſſe* dicit, & illud altare, ſub quo viſæ ſunt iſtæ animæ, non in terra, ſed *in cœlo* viſum fuiſſe, & confitetur Bellarminus ſuo collega hac in parte verecundior, & conſentiunt interpretes, & ipſa Scriptura ſatis teſtatur, vbi hanc Ioannis viſionem narrare incipit, dicens eum à tuba *de oſtio cœli aperto* illuc, vnde audiebatur, *aſcendere juſſum*, ſtatim fuiſſe in ſpiritu, & multa *in cœlo* vidiſſe. Sed & infra in eodem libro *altare*, quod iſtic memoratur, in cœlo perſpicue, non in terra, locatur. Primo ipſum Scripturæ hujus genus, myſticum vt omnes fatentur, & allegoricum, futura per varias Ioannis animo per viſionem oblatas ſpirituales imagines more prophetico adumbrans, clamat ineptam eſſe totam Baronij argumentationem; hinc concludentis quæ iſtic myſtice repræſentantur, ea ad litteram (vt loquuntur) revera hic in terris apud Eccleſiam exiſtere; quo nihil fingi ſtultius & delirius poteſt. Tum etiamſi ei largiremur aliquid hujuſmodi argumentationem valere

CAPVT IX.

* *ibid. p. 317. A*

ibid. p. 314. B.

Miſſal. p. 287.

Bell. l. 2. c. 3. de Sanct. Reliq. §. Octavo probatur.

Bar. a. D. 55. §. 16.

ibid. §. 15.

Apoc. 6. 9.

Apoc. 4. 1. 2.

Apoc. 8. 1. 2. 3.

CAPVT IX.

(quod omnes ſapientes validiſſime negant) ne ſic quidem hilum promoveret. Hoc enim ipſo conceſſo id vnum ex illa ſcriptura concludere poſſet; aliquod eſſe in cœlis *altare*, & ſub eo jacere *animas interfectorum propter verbum Dei*, *voce magna clamantes*, *Uſque quo Domine, Sanctus & verus non judicas?* De *corporibus* vero, ſive *reliquiis* martyrum corporalibus, deque *altaribus* lapideis vel ligneis (quæ illorum *ſepulcra* eſſe contendit Baronius) cum neque hic, neque alibi vel vnum verbum fecerit tota Apocalypſis; nihil ex ea de iis colligi poteſt; nedum vt (quod Baronius ſane impudenter affirmavit) *divinæ hujus Scripturæ auctoritate conſtet altaria* illa Latinorum terrena *ſepulcra* eſſe martyrum, id eſt loca in quibus ſita ſint eorum ſive integra corpora, ſive aliquæ corporum particulæ. Bellarmini modeſtior quidem fateor, ſed neque ipſa validior eſt argumentatio. *Ideo* (inquit) *Ioanni oſtenſæ ſunt in cœlo animæ Martyrum ſub altari, quia corpora eorum in terris ſub altaribus requieſcunt.* Quæ eſt hujus quæſo, conſecutionis neceſſitas, vt quia martyrum animæ ſub altari in cœlo viſæ fuiſſe ſcribuntur, ideo eorumdem corpora ſub altaribus in terris requieſcere neceſſe ſit? Vellem Bellarminus tam miræ argumentationis nexum nobis aperuiſſet, quem ego quidem nullum videre poſſum. Quid, ſi ego dixero animas ſub altari ideo viſas fuiſſe ſcribi, quod pro Chriſti nomine immolatæ eſſent; nonne apta atque congrua erit imaginis ratio? Altare enim immolationis eſſe locum, & victimarum ſanguinem, animæ ſymbolum, ſub altare defluere, notum eſt. De martyrum vero paſſionibus, quod ſacrificia quædam ſint & quidem opima, atque eximia, nemo negat. Polycarpum acta *arieti de magno grege ad oblationem inſigni* comparant; & Iacobum Tertullianus cum martyrium feciſſe ſignificaret, *immolatum* dixit. Quis victimas locus magis decet, quam altare? Ergo ſapienter atque appoſite Spiritus Ioanni martyras ſub *altari* oſtendit, & quidem omnes ſub vno, quia omnes ob vnum idemque nomen eademque in cauſa paſſos. Vnde & hoc ſublucet illud martyrum altare, ipſiſſimum eſſe Chriſtum, in quo vno omnes immolati ſunt. Ita omnia optimè congruunt; vt nihil neceſſe ſit ad Bellarminianas reliquias, araſque frigidas ſaxeas aut ligneas confugere. Quem vero addit Bellarminus ſuo firmando ſomnio Auguſtini locum, is neminem morari debet; quod ille ſermo, vnde citatur, non ſit Auguſtini, ſed auctoris incerti; quo factum eſt vt ex loco, quem inter ſermones de Sanctis XI. antehac occupabat, rejectus ſit in vltima Auguſtini Pariſienſi ad Lovanienſis inſtar inſtituta editione, in Appendicem; quo ſe editores ablegaſſe profitentur ſermones, qui *certo deprehenſi ſunt non eſſe Sancti illius doctoris* *. Quanquam ne ſi Auguſtini quidem vere eſſet, eo vllum hic locum habere poſſet, quo eorum ſcriptorum teſtimonia expendimus, qui ante a. D. 300. vixerunt; qui jampridem exierat, cum in terris natus eſt Auguſtinus. Victorinus quidem

Tertull. Scorp. c. 15. p. 633. B.

Aug. T. 10. p. 699. Serm. 73. Append.

**Cenſura generalis T. 10.*

CAPVT IX.

quidem Petavionenſis, Martyr uno toto ſæculo Auguſtino vetuſtior, in commentario, quem ejus in Apocalypſin, tametſi non parum interpolatum, habemus, de Baroniano illo Martyrum ſepulcro, cum ad hunc locum venit nihil plane dicit, aramque illam, ſub qua erant occiſorum propter Ieſum animæ longe aliter accipit. *Aras* enim duas eſſe ſtatuit, *cœlum* & *terram*; cœlum quidem aram *auream interiorem ad quam aſcendunt orationes noſtræ*; terram vero *aram æream, ſub qua eſt infernus, ſemota* (inquit) *pœnis & ignibus regio, & requies Sanctorum, in qua quidem ab impiis videntur & audiuntur juſti & neque illuc tranſmeare poſſunt.* Sub *hac ara*, id eſt ſub terra, verſari vult martyrum animas, & exſpectare ad noviſſimum tempus, quo *remunerationem perpetuã* conſequuturi ſunt; & interea pro *corporis ſui ſolatio* accipere *ſtolas albas, id eſt* (inquit) *donum Spiritus Sancti.* Vnde intelligitur verſuum Paulini Nolani Epiſcopi de Clari anima verus ſenſus,

Victorin. in Apoc. c. 6. Bibli. Patr. T. 1. p. 576. A. B.

> *Sive Patrum finibus recubas, Dominive ſub A R A*
> *Conderis, aut ſacro paſceris in nemore.*

Paulin. Epigr. 12. p. 146.

Idem in epigrammate de Celſo in ipſa pueritia extincto, ſomnium interpolat, & *aram* illam igneam eſſe fingit, cum de puero ſic canit;

> *Certa fides illa ſuperum regione potiri,*
> *Ignea qua Sanctos protegit ara Dei.*

ibid. carm. 15. p. 532.

Primaſius quem ſexto ſæculo Apocalypſin expoſuiſſe ex Caſſiodoro* ſcimus, *animas ſub ara* ſitas, myſtice interpretatur, *ſive in Eccleſia unitate perſeverantes, ſive ſub teſtificatione nominis Chriſti, tanquam ſub ara Dei uſque ad mortem viriliter dimicantes.* Beda a. D. 735. mortuus, ait bifariam intelligi poſſe hunc locum, *primo ut ſub altari* fuerint animæ cum eas vidit Ioannes, *id eſt* (inquit) *in ſecretario laudis æternæ; Ara enim aurea & interius poſita, & prope Dominici corporis arcam, non ut exterior carnem & ſanguinem, ſed ſola offert Domino thymiamata laudis. Et qui nunc exhibent corpora ſua hoſtiam viventem, tunc diruptis carnis vinculis illi ſacrificant hoſtiam laudis.* Secundo ut per *hyperbaton non ſub ara viderit, ſed ſub ara occiſos, id eſt ſub teſtificatione nominis Chriſti ſicut de Maccabæis dictum eſt*; Sub teſtamento Dei ceciderunt. Sed neque horum quiſquam, neque vel à Peltano Ieſuita tantopere laudatus Andreas Cæſareæ Epiſcopus, neque ejus Abbreviator Aretas ſuis in Apocalypſin commentariis vel unum in hunc locum verbum dicunt, de eo quod hinc *conſtare* affirmat Baronius, *altaria* ſcilicet reliquiarum eſſe *ſepulcra.* Hoc ergo miſſo ex myſtica Apocalypſeos ſcriptura de Martyrum non frigidis & emortuis reliquiis, ſed vivis ſpirantibuſque animabus loquente, adeoq; ad rem quam agimus inutili teſtimonio; ad alia veniamus quæ diſerte, atque *litteraliter* de Eccleſiæ religioſo cultu vel præſcribunt quid ſit obſervandum, vel narrant, quid fuerit obſervatum.

**Caſſiod. l. 1. c. 9. inſtitut.*
Primaſ. in Apoc. 6. Bibli. Patr. T. 1. p. 1389. C.
Bed. in Apoc. c. 6. T. 5. p. 774. med.
Andr. Cæſar. in Apoc. c. 6. T. 1. Biblioth. Patr. 1551. B. Aret. in Apoc. c. 6. T. 2. Oecumen. p. 707. B.

CAPVT

CAPVT X.

Argumentum contra reliquiarum cultum, IX. Quod Latinus ille condendarum ſub omni altari reliquiarum ritus intra trecentos à nato Chriſto annos, nullus fuerit. Argumentum X. Quod neque iiſdem temporibus ullæ vel in proceſſionibus, vel ad ullas vitæ neceſſitates, ut in morbis, in peſte, in naufragio, &c. adhibitæ fuerint reliquiæ.

IAM illam quam nuper exhibuimus, Latinorum in condendis altarium ſinu reliquiis tam longam, tam moroſam, tam magnificam pompam apud primos ad a. D. 300. Chriſtianos, non dico præſcriptam, aut factitatam, ſed vel cognitam, aut ſomniatam fuiſſe, ne ipſi quidem credo adverſarij dixerint. Et ea tamen res agitur, quam claro diſertoque Dei præcepto, non nudis hominum cogitationibus niti decebat. Certe ne quarto quidem, imo nec quinto ſæculo videtur obtinuiſſe ille tam longus, tamque moroſus reliquiarum condendarum ordo. Neque enim eum ſi jam tum in vſu fuiſſet, erant prætermiſſuri, vel Pſeudo Clemens in Conſtitutionibus, vel Pſeudo-Dionyſius in hierarchia Eccleſiaſtica, ſcriptores ille quarti, hic quinti, vt videtur, ſæculi, rerum hujus cenſus inanium & ad pompam pertinentium diligentiſſimi. Neuter vero quicquam eorum habere deprehenditur, quæ nos ex Latinorum Pontificali de tota hac ſacra myſticaque reliquiarum ſepultura deſcripſimus. Vnde id ipſum liquido refellitur, quod Latini de harum cærimoniarum origine in ſuo Breviario tradunt, Sylveſtrum vrbis Epiſcopum primum eos ritus inſtituiſſe, *quos in conſecrandis altaribus Romana ſervat Eccleſia*, Sylveſtrum enim a. D. 313. Romæ ordinatum Epiſcopum conſtat; hos ritus ne quinto quidem ſæculo cognitos fuiſſe ex horum duorum ſcriptorum ſilentio apparet. Sed Latinis, quod cupere videntur, largiamur rudiores fuiſſe vetuſtiſſimos, quam vt omnem illam horum rituum, vt ipſi quidem loquuntur, magnificentiam, vt nos putamus inanem ac ſuperſtitioſam pompam vel excogitare, vel in vſum perducere potuerint; demus non tyronum (quales primos ex noſtris hominibus fuiſſe exiſtimant) ſed perfectiſſimorum magiſtrorum, quales poſteriorum ſeculorum Papas haberi volunt, fuiſſe tantum; hoc quidem certe, vt opinor, non negaverint, ſi reliquiarię venerationis diſciplina jam inde ab initio ſteterit, iiſdem quoque temporibus pariter obtinuiſſe, vt *reliquiæ*, ſi altaribus conderentur, non ea qua nunc pompa, iiſque cerimoniarum ambagibus ea certe ſimplicitate, diligentia ac devotione, quę primis illis ſeculis digna erat. Hoc ipſos ita apud ſe ſtatuere inde apparet, quod Apocalypſin eo trahere,

Breviar. Rom. d. 9. Nov. Lect. 4. p. 128. A.

tametſi

tametſi fruſtra, conentur, vt hunc ritum jam Apoſtolicis tempori- CAPVT X.
bus cœpiſſe teſtetur. Eos ergo nunc convenio, vt miſſis, quę huc nihil facere oſtendimus, Apocalypſeos myſteriis, aliquem nobis vel divinum, vel etiam Eccleſiaſticum ex tribus primis ſæculis ſcriptorem edant, non qui animarum ſtatum nobis in myſticis viſionibus adumbret, ſed qui clare, ac ῥητῶς, & vt loquuntur, *litteraliter* teſtetur conditas iis temporibus fuiſſe in ſacrorum altarium vel tabula vel ſtipite Martyrum aut aliorum Sanctorum reliquias. Iras ſi poteſt, & jurgia ponat Baronius, & hoc nos poſcentes doceat; Bellarminus nobis, quos jure requirimus, teſtes ex primis illis ſæculis repræſentet. Non fecerunt, non facient in æternum; neque dubito ſi quos illius memoriæ habuiſſent, quin Apocalypſin miſſuri fuerint, quam certiorum penuria invitam huc & repugnantem trahere eos cogit. Bellarminus quidem in hoc argumento verſans & ex veteribus probare contendens reliquias ſub altaribus recondi eſſe ſolitas, nullum Am- *Bell. de Sanct. Reliq. l. 2. c. 3. §. Octavo probatur.*
broſio vetuſtiorem auctorem attulit, quem anno quarti ſæcul. XCVII. deceſſiſſe confeſſum eſt, Anno poſt Ambroſij mortem altero habita eſt Carthaginenſis V. vt dicitur, Synodus, ex qua idem Bellarminus Canonem XIV. ea de re attulerat; ſed inſigni fraude, ſermonem ita temperans quaſi jam tum nulla apud Eccleſias altaria ſine reliquiis legitima cenſerentur; *Concilium* (inquit) *Carthaginenſe V jubet vt nulla altaria, vel memoria Martyrum dedicentur, niſi ibi ſint aliqua Martyrum reliquiæ.* *ibid. §. Ex Africa.* At Synodus illa diſertiſſime ac ſine vlla æquivocatione de iis tantum altaribus loquitur, quæ paſſim per agros martyrum memoriæ inſcribebantur; non de omnibus omnino altaribus loquitur, quaſi jam tum nulla eſſent ſcilicet, quæ non alicujus Martyris reliquias intra ſe abditas continerent, quod nunc fit apud Latinos. *Item placuit* (inquiunt Afri Patres *vt altaria quæ paſſim per agros aut vias, tanquam memoriæ Martyrum conſtituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyrum condita probantur, ab Epiſcopis qui eiſdem locis præſunt, ſi fieri poteſt, evertantur.* *Conc. Carth. 5. c. 14. T. 1. Conc. p. 734.* Hæc docent fuiſſe jam tum (id eſt anno vno ante 400.) aliqua altaria, in quibus reliquię Martyrum aliquæ ſervarentur; imo jam tum eo vſque invaluiſſe ſuperſtitionem illam buſtuariam, vt quod ſtatim addit Synodus, *per ſomnia & per inanes quaſi* revelationes quorumlibet hominum vbique conſtituerentur altaria; quod merito reprobat Synodus; nulla in ſolenni ac legitimo Eccleſiæ vſu fuiſſe abſque reliquiis altaria, ne hinc quidem haberi poteſt. Imo nondum illo tempore morem fuiſſe nullum altare abſque reliquiis conſecrare, aliunde facile vt opinor, intelligi poteſt. Nam ſi mos iſte, vt nunc apud Latinos obtinet, ita jam tum obtinuiſſet apud Chriſtianos, nemo non videt aliquam jam tum quoque futuram fuiſſe Latinæ hodiernæ ſimilem conſecrandorum altarium formulam; Atqui nulla hujuſmodi formulæ mentio in illius ævi monumentis occurrit, Imo ne quinto quidem ſæculo vllam ad-

CAPVT X.

huc fuiſſe clamat Pſeudo-Dionyſii ea de re ſilentium; qui cum omnes Eccleſiaſticas & rerum & perſonarum conſecrationes diligenter ac pœne moroſe exequatur, hanc ne leviter quidem vſpiam innuiſſe deprehenditur. Ille quidem alicubi memorat *divini altaris ſacram conſummationem* τὴν θείου θυσιαστηρίου τὴν ἱερὰν τελείωσιν, id eſt vt nos vulgus loquimur, *altaris conſecrationem* (cavet enim ille hierophantes ne quid cum vulgo loquatur) ſed totam illam conſecrationem non aliàre perfici dicit, quam inunctione ex vnguento; quod ſolenni ſuo grandiloquentia ità explicat, *quod ſanctiſſimorum lex myſteriorum divini quoque altaris ſacram confectionem puriſſimis Unguenti ſacratiſſimi affuſionibus perfectam conſignat.* ὅτι καὶ τὴν θείου θυσιαστηρίου τὴν ἱερὰν τελείωσιν ἡ τῶν ἁγιωτάτων τελετῶν θεσμοθεσία ταῖς τοῦ ἱερωτάτου μύρου τελεσιουργεῖ παναγίοις ἐπιχύσεσιν. De reliquiis in altaris ſtipite recondendis neque hic neque vſpiam alibi magis quam de nivibus Alpinis loquitur. Is autem ſcriptor quiſquis de cætero ſit, omnino videtur quinto jam adulto ſæculo vixiſſe. Sed hæc citeriora tempora mittamus. Primis quidem tribus ſæculi nullas vel ſub vel in menſis Dominicis defoſſas fuiſſe, aut incluſas martyrum reliquias; primo vincit conſtans ea de re omnium, quotquot vera extant illius ævi, monumentorum ſilentium. Id ipſum pœne confitetur Latinorum Breviarium, negans vetuſtiſſimis illis ante Sylveſtrum temporibus *erectum adhuc in titulum fuiſſe* apud noſtros vllum *altare quod chriſmate delibutum Domini noſtri figuram exprimeret*, & hunc omnem Sylveſtro ritum attribuens, quem nunc Romani *in conſecrandis altaribus ſervant*. Quibus dictis (vt hoc obiter moneam) illum Latini, quem modo laudavimus, Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ſcriptorem, apertiſſime confirmant poſt Sylveſtri tempora, id eſt poſt a. D. 336. vixiſſe, adeoque nihil minus fuiſſe, quam Dionyſium Athenienſem Pauli diſcipulum. Hic enim, vt audiebamus, *vnguento* τοῦ μύρου (id eſt chriſmate) altare jam conſecrabat, quod illi à Sylveſtro demum inventum ac inſtitutum volunt. Sed & apud noſtros plane penituſque inuſitatum fuiſſe primis Chriſtianiſmi ſæculis vllius mortui reliquias habere vel in alicujus altaris ſtipite, vel etiam ſub eo conditas, ſatis ea docent, quæ nos nuper à noſtris tum in genere contra ſepulcralem ac buſtuariam Paganorum religionem, tum nominatim contra Telmeſſenſe mortui prophetæ reliquiis ſuperſtructum Apollinis altare, ſcripta recitabamus; quæ quia iſtic ſatis explicata ſunt, nunc non repeto. Sed idem evidentiſſime inde perſpicitur, quod Euſebius ædes ſacras in Palæſtina à Conſtantino, & ab Helena ejus matre exſtructas ac Deo Servatori dedicatas deſcribens vt de Litaniis ad Divos dictis, ita & de reliquiis iſtic conditis nullum plane verbum fecit. Alias alibi ab eodem Principe conditas Eccleſias in eodem opere recenſet, vt Conſtantinopoli, vt in Bithyniæ metropoli, & Antiochiæ, & ad quercum Mambre, nulla reliquiarum mentione vſpiam facta. Quod & in ea

Dionyſ. Hier. Eccl. c. 4. §. 12. p. 291.

Breviar. Rom. ad 9. Nov. lect. 4.

Euſeb. de vita Conſt. l. 3. fol. 141. 142. 143.

in ea oratione etiam aliquanto & diligentius obſervandum, quam idem auctor ad dedicationem Eccleſiæ habuit, quam Tyri Paulinus Epiſcopus exſtruxerat magnificentiſſimam. Veſtibulum, porticus, fontes, portas, miniſtrorum ſedes, cancellos, pavimentum, omnia denique fuſe copioſeque laudat; in his nominatim τὸ τῶν ἁγίων θυσιαστήριον *Sanctum ſanctorum altare* in media æde cancellis exquiſitiſſimi operis decenter ſeptum memorat; Vt ſingula Paulinus & condiderit, & ſumma cura exornarit ambitioſiſſime deprædicat. Qui etiam vana & pœne ſupervacanea conſectatur; an obſecro neceſſaria, & in potiſſima pietatis parte, ſi Latinis quidem credimus, reponenda, tacuiſſet, ſi qua hujus generis vere huic templo addita eſſent à Paulino ornamenta? Atqui tota oratione, quæ ſatis prolixa eſt, nihil neque de cantatis in ipſa panegyri ad Divos Litaniis (quod jam alibi obſervatum fuit) neque de reconditis ſub altari in dedicatione reliquiis dicit. Et tamen cum iſta fierent jam reddita Eccleſiis à Conſtantino pace, quarti ſæculi agebantur initia. Quid, quod ne ſub Iuliano quidem deſertore (hoc eſt circa annum Domini 362.) apud Alexandrinos in vſu fuiſſe videtur ille mos, qui jam tum apud alios Chriſtianos alibi invaluerat, vt Sanctorum ſcilicet hominum reliquiæ ſub altaribus Eccleſiarum conderentur? Certe Ruffinus narrat cum Iuliani temporibus apud Sebaſten Palæſtinæ vrbem Sepulcrum Ioannis Baptiſtæ Pagani invaſiſſent ejuſque oſſa collecta igni cremaſſent & ſanctos cineres pulveri immixtos per agros & rura diſpergerent; quoſdam Hieroſolymitanos monachos illic forte præſentes, & inter eos, qui oſſa legebant mixtos, ea furtim ſubduxiſſe, & Hieroſolymam pertuliſſe ad Philippum ſuum Abbatem. Hunc reliquias Alexandriam per diaconum ad Pontificem maximum Athanaſium miſiſſe; Suſceptas Athanaſiũ paucis arbitris ſub cauato ſacrarij pariete incluſiſſe. Atqui ex Latinorum diſciplina non ſub *pariete ſacrarij*, ſed in ipſo altaris ſtipite erant condendæ. Illam ergo diſciplinam Athanaſius, & omnis Alexandrina Eccleſia ad illa tempora neſciebant. Sed hæc ſatis ſunt ad demonſtrandum eum ritum, cujus nullum ex omni prioris ad a. D. 300. Chriſtianiſmi memoria affertur exemplum, nullo fuiſſe in vſu apud illorum ſæculorum Eccleſiam. Latini vero non in ſolis altaribus, atque ſacrificiis reliquias adhibent. Earum vſum atque adorationem longe lateque per omnẽ ſuam religionẽ diffundunt. Eas Reliquias enim in publicis primo vt vocant, proceſſionibus atque ſupplicationibus magnificis feretris vectatas ſublimes circumgeſtant, omni plebe religioſiſſime circumſtante, & in venerationẽ atque adorationem accuratiſſimam non aliter effuſa, quam ſi cœli ſedibus excitam præſentem adeſſe cernerent ipſam ſummi numinis Majeſtatem. Tum ad omnes vitæ humanæ neceſſitates, ad valetudines curandas, ad tempeſtates ſedandas, contra peſtem, item in naufragij metu, & in cæteris diſcriminibus, atque adverſis ad quodvis malum aver-

CAPVT X.

Id hiſt. l. 10. c. 4 fol. 110. B. 111. A.

Ruffin. lib. 2. hiſt. Eccl. c. 28. p. 648.

teſdum propulſandum, atque averruncandum reliquias, veluti præſidia quædam præſentiſſima à Latinis paſſim adhiberi & omnibus notum eſt, & à nobis ſupra multis ex eorum hiſtoriis atque annalibus petitis exemplis comprobatum. Quo loco † illud etiam demonſtratum eſt reliquiarum ſingularem adverſus dæmonia vim eſſe publica conſtantique omnium perſuaſione apud Latinos credi. Sed & ibidem jam oſtendimus nullas in omni illa ad a. D. 300. prima antiquitate reliquias fuiſſe hujuſmodi locis atque temporibus à Chriſtianis vſurpatas; nullam earum vſpiam mentionem occurrere in tam multis, quæ ex vetuſtiſſimis illorum temporum monumentis iſtic allata ſunt, exemplis, ſive energumenorum, ſive ægrotorum mirabiliter apud noſtros vel etiam à noſtris curatorum, ſive in depulſis fidelium ſupplicatione ſiccitatibus, ſive in aliis poſtremo quibuſcumque periculis, à quibus non raro noſtri vi divina præter naturæ ordinem atque efficientiam cœlitus quidem, ſed nunquam vllis adhibitis reliquiis liberati narrantur. Hæc quia ſumus exſecuti, hic non repetimus. De proceſſionibus in quibus rei reliquiariæ gloria plurimum hodie celebratur, nihil iſtic fateor diximus; ac ne nunc quidem dicendum habemus; quod is *proceſſionum* (vt vocant) ritus nondum illis temporibus inventus erat. Itaque fruſtra quæras an in iis, quæ nulla erant, adhibitæ ſint reliquiæ. Cæterum cum ex his conſtet neque in altaribus conditas, & in ſacrificiis vſurpatas, neque publice privatimve ad vllum eorum vſuum, ad quos à Latinis adhibentur, fuiſſe olim tribus primis ſæculis à Chriſtianis vſurpatas reliquias, nemo non videt, quod hinc clariſſime conſequitur, eas à noſtris toto illo tempore neque adoratas, neque eo loco ac numero habitas eſſe, quo nunc apud adverſarios habentur.

† *Ritual. p. 457. de Reliq. SS. obſeſſi pectori admovendis.*

CAPVT XI.

Argumentum XI. Quod Reliquiaria, quæ nunc aſſidue, velut arma ac præſidia, ornamentaque ſua geſtat omne Latinorum genus, vetuſtiſſimis ante trecenteſimum Domini annum Chriſtianis ignota fuiſſe deprehenduntur.

SED neque illud poſtremo eſt omittendum, quod Latini non modo in Eccleſiaſticis actibus reliquias adhibent, verum etiam iis veluti quibuſdam ſacris amuletis ſuorum ſingulos privatim muniunt. Auro, argento, ſerico, & aliis pretioſis, prout cujuſque copiæ ſunt, belle & affabre includunt. Breves hujuſmodi thecas eleganter vt plurimũ concinnatas atq; exornatas à re ipſa vulgo *reliquiaria* vocant; quorum vſus eſt apud iſtos communis, vt vix eorum quiſqu ã ſit vir, mulier, puer, ſenex, dives, pauper, paulo quidem religioſior, qui hoc

hoc ſive præſidio, ſive ornamento careat. Secum vbique geſtant, domi, foris, noctu & interdiu, vel de colle aut cingulo ſuſpenſa, vel etiam brachiis interius, exteriuſve illigata. Hæc religionis Latinæ pars eſt, hæc ſunt arma; hæc ſymbola. Rarus apud eos martyr ad agonem abſque reliquiario procedit; quod pluribus ſupra exemplis in generali hujus diſputationis parte confirmavimus. Itaque cum Tarazaba tyrannus apud Iapones Amacuzanus Latinam religionem acerrime perſequeretur; narrant ipſi illius quidem ditionis magiſtratus edicto publico per tubicines promulgato vetuiſſe, ne quis reliquiarium deinceps palam geſtaret; ſuos vero ex alia parte, vt ſuam in ſuſcepta religione conſtantiam aperte teſtarentur, reliquiaria & roſaria omnes apertius quam antea, ex collo ſuſpenſa præ ſe tuliſſe ac veluti oſtentaſſe. Quo & illud pertinet quod paulo poſt ibidem tradunt, Iacobum Sacoiamonem Mimaſacæ filium, vt matri de ejus in tanto diſcrimine perſeverantia ſollicitæ pietatis ſuę fidem faceret, reliquiarium de collo è quo pendebat, religioſe primo oſculatum eſſe; tum ſuo capiti impoſuiſſe, & ſinu demum condidiſſe. Ejuſdem cenſus eſt quod Borrus memorat nobiles ex Cocincina mulieres ſuas neophytas à ſe inter cætera Latinæ religionis inſignia reliquiariis fuiſſe donatas, tantique dona feciſſe, vt iis collo circumdatis ſe multo quam auro, aut gemmis carius ac elegantius ornatas eſſe dicerent; Matronarum quidem certe ac Virginum præcipua eſt in reliquiaria religio, vt ſe abſque his ſaris comptas eſſe poſſe non putent. Sed neque viri maxime religioſi, quicquam in ſacra ſupellectile reliquiariis carius ducunt, vt vel ex illis duorum Ieſuitarum exemplis patet, quorum vnus deſcribens, vt in Ozacenæ vrbis clade à militibus fuerit ſpoliatus, in primis ad exaggerandam ſui caſus acerbitatem commemorat ipſum ſibi reliquiarium ereptum fuiſſe; Alter contra, magnæ fœlicitati deputat, quod cum in prædones incidiſſet, cæteris omnibus ſpoliatus intacto reliquiario evaſerit. Iam ſi vetuſtiſſima Chriſtianiſmi monumenta ſcrutemur, reliquiarium iſtic nullum reperiemus. Hæc illis fidei ſive arma, ſive inſignia plane defuerunt. Et perſecutorum contra noſtros edicta, & noſtrorum mirabilem ſęviſſimis temporibus fortitudinem atque martyria plurima ſuo loco collegimus. E Tyrannis fuerunt, qui ſacros Bibliorum codices noſtris eripi juberent; Qui *reliquiaria* à noſtris geſtari vetuerit, nemo quod ſciam, ex omni veterum carnificum grege fuit; quod quia fuſe illic demonſtratum eſt, hic mitto. Et Martyras illius ad a. D. 313. memoriæ, profecto non paucos exhibuimus. Fuerunt ex illo numero cum ſacris codicibus quidam deprehenſi; non nemo etiam cum iis cæſus; multi quod eos prodere conſtantiſſime abnuerent capti & necati. Qui ex reliquiario deprehenſus fuerit, qui reliquiariũ ad agonem feſtinans bracchio illigarit; qui reliquiarium animam pro Chriſto poſiturus amicis donaverit, nemo in numeroſiſſimo illo Domini-

Solier. Iapon. l.15.c.3.

ibid.c.4.p.319.

Borr. Relat. de Cocinc. Par. 2. c.5.

Ann. Iap. a. 1615.1616. p. 67.

du Iarric. Indic. l.5.c.1. Tit. 9.

CAPVT XI.

corum teſtium choro cernitur. Neque qui neophytis ſuis reliquiaria donarit, quemquam primæ illius Eccleſiæ miniſtrum reperio; neque qui reliquiarium in ſacra ſua ſupellectile cenſuerit. Eximius eſt Tertulliani de mulierum Chriſtianarum cultu atque ornatu locus; in quo terreno omni comptu nudatas cœleſti ac ſpirituali mundo facundiſſime vt ſolet, exornat; *Projiciamus* (inquit) *ornamenta terrena, ſi cœleſtia optamus. Ne dilexeritis aurum, in quo omnia delicta populi Iſraël denotantur. Odiſſe debetis, quod Patres perdidit, quod relinquentibus Deum adoratum eſt. Etiam tunc aurum ignis eſt; cæterum tempora Chriſtianis ſemper, & nunc vel maxime non auro, ſed ferro tranſiguntur, ſtolæ martyriorum præparantur; Angeli bajuli ſuſtinentur. Prodite vos medicamentis & ornamentis extructæ Prophetarum & Apoſtolorum, ſumentes de ſimplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, & os taciturnitate, inſerentes in aures ſermones Dei, adnectentes cervicibus jugum Chriſti; caput maritis ſubjicite, & ſatis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite; & pluſquam in auro placebitis. Veſtite vos ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem.* Hæc ille; præclare quidem omnia ac eleganter. Mirum tamen, quod in toto loco nihil de reliquiariis dixit. Debuerat certe aurum, vbi damnat, in horum vſum excipere; debuerat his mulieres ad martyrium prodituras munire; debuerat hæc iſtarum collo adnectere. Illud quidem non puto quemquam vere Latini jecinoris hominem patienter laturum, quod iſte matronis ſuis etiam lanas commendarit, *reliquiaria* plane ac ſi Lutheranus foret, nulla commendaverit. Quod *probitatis ſericum*, quod *pudicitiæ purpuram* dixerit, multum laudamus; quod *reliquiaria* ſic faſtidierit, vt non hoc loco, non alibi vſpiam in gemino, quo fœminarum cultum inſtruxit volumine, vel leviter ſignificavit, quis ad Papæ normam Catholicus probaverit? Sed ad hæc brevis & expedita eſt Tertulliani ſatisfactio; non juſtius nos indignari quod de *reliquiario*, quam quod de typographico invento nihil dixerit; cum hæc ſero nepotum diu poſt eum natorum ingenio ſolerter ad vſum vel humanæ litteraturæ, vel religionis Latinæ excogitata, ipſe tam multis retro temporibus vivens ſcire vel proſpicere non potuerit. Eadem eſt ejuſdem purgatio, *reliquiarium* quoque in alio quodam loco non minus quam in iſto, flagitioſe tacentis. Recenſet, quæ maritum Ethnicum in vxore Chriſtiana, quotidiano convictu deprehenſa, motura atque offenſura ſunt. *Latebis ne tu* (inquit fidelem infideli nuptam alloquens) *cum lectulum, cum corpuſculum tuum ſignas, cum aliquid immundum flantis explodis, cum etiam per noctem exſurgis oratum? & non magiæ aliquid videberis operari? non ſciet maritus quid ſecreto ante omnem cibum guſtes? et ſi ſciverit panem, non illum credit eſſe, qui dicitur? Et hæc ignorans quiſque rationem ſimpliciter ſuſtinebit? ſine gemitu, ſine ſuſpi-*

Tertull. de cultu fœm. l.2.c.13. extr.

Id. ad Vxor. l. 2.c.5.p.190.

cione

dolone panis an veneni? Hæc ille; quæ partim jam ſupra ad alium cauſæ articulum recitavimus. Atqui ex *reliquiario*, id eſt ex mortui hominis oſſiculis, vel pilis, vel vnguibus, vel aliis particulis, & magiam & veneficia, & quidvis denique tætrum ac dirum ſuſpicari virum Paganum longe promptius erat atque facilius; edoctum à puero talia à magis & veneficis ad maleficia legi & cuſtodiri. Cur ergo & hoc de *reliquiario* (quo Latinorum matronæ haud facile carent) non minus quam cætera, quæ commemorat, periculoſum aut invidioſum vir omnium acerrimus non dixit? Nimirum quia nullo tum in vſu apud hoſtras mulieres erant iſta nunc Latinarum familiaria reliquiaria. Eo Tertullianum illa neſciviſſe nulla invidia, nullum crimen fuit; haud minus hoc loco ſi ſciviſſet, quam cætera editurum. Ergo qui *reliquiariis*, id eſt Latinorum armis, præſidiis, ſymbolis, atque inſignibus caruerunt primi ad a. D. 300. Chriſtiani, ij hactenus quidem, Latini non fuerunt; fuerunt liquido Lutherani. Sed cętera videamus. CAPVT XII.

CAPVT XII.

Argumentum XII. Quod nullæ reliquiæ tribus primis ſæculis reperiantur, vel cereis honoratæ, vel ex vno loco in alium tranſlatæ Gregorij I. de tranſlatis Roma ad Catacumbas vſque Petri & Pauli corporibus teſtimonium diluitur & exploditur.

BELLARMINVS reliquiarum venerationem inde probat, quod illę de vno loco ad *alium honoris gratia* ſæpe ab antiquis tranſlatæ fuerint; item quod cereis & lampadibus apud veteres honorarentur; Inepte ille quidem, ac ridicule; quaſi adorari neceſſe ſit quodcumque cadaver, vel ex vno in aliud monumentum transfertur, vel cum accenſis cereis deducitur. Nos multo validius non fuiſſe adoratas ab iis reliquias argumentamur, à quibus neque tranſlatæ, neque vllo cereorum lumine illuſtratæ reperiuntur. Atqui neutrum factum à Chriſtianis intra a. D. 300. Nam, vt à poſteriori ordiar, non fuiſſe accenſos intra id tempus ad reliquias cereos, Bellarmini primum inopia confitetur, nullum ex tribus illis ſæculis ad eam rem teſtem citantis; nullum Hieronymo, qui ad annum quinti viceſimum pervenit, vetuſtiorem edentis, & apocrypham nobis Sylveſtri vitam multa de Conſtantino pro ſua libidine mentientem, inverecunde obtrudentis. Tum ex veris, certiſque trium primorum ſæculorum ſcriptoribus patet nullum toto illo tempore apud noſtros fuiſſe cereorum ad vlla diurna ſacra vſum; quod lector jam à nobis ſupra ad locum de Eucharistiæ adoratione pluribus fuiſſe demonſtratum meminiſſe poteſt. Neque de reliquiarum tranſlatione res obſcurior eſt. *Bell. de Sanct. Reliq. c. 3. §. Septimo. §. Nono probat.*

Bellar-

CAPVT XII.

Bellarminus obiicit Ioſephi oſſa à Moyſe in Palæſtinam tranſlata. Plane ridicule; quaſi vel nos de Iudæorum, ac non de Chriſtianorum reliquiis diſputemus; vel ipſe contendat à Iudæis adorata fuiſſe ſuorum majorum cadavera, quę vel tangere piaculum putabant. Non eſt in altero de Petri ac Pauli corporibus exemplo fœlicior; quæ primo ad Catacumbas; inde diu poſtea partim ad Vaticanum, partim ad prædium Lucinæ ad viam Hoſtienſem tranſlata narrat; ſed vel ex ſcriptoribus fabuloſis, vel ex ſcriptis falſis & ſuppoſititiis. Priorem enim tranſlationem habet à Gregorio P. R. I. alteram ex epiſtola Cornelio P. R. I. afficta. Atque hoc primum incommodo laborat hæc iſtius ex his argumentatio, quod duo illi teſtes, quibus nititur, pugnantia inter ſe loquuntur, vt neceſſe ſit (quemadmodum argumentatur ipſe Baronius) vel mendacem

Bar. a. D. 221. § 5.

eſſe Gregorium, vel hallucinatum eſſe alterum auctorem. Ait enim Gregorius Petri & Pauli corpora, paulo poſt quam paſſi eſſent, Catacumbas tranſlata inde ſtatim emota, & à Romanis in ſuis locis fuiſſe repoſita. Ille vero fictitius Cornelius narrat, ab eo, quem ſe videri vult, id eſt à Cornelio I. vrbis Epiſcopo, corpus vtrumque de Catacumbis levatum, & alio aſportatum. Iam ſi hic verum dicit, Apoſtolorum corpora a. D. 254. quo Cornelius ſedere cœpit, adhuc ad Catacumbas hærebant; vnde ea Gregorius paulo poſt Apoſtolorum paſſionem (id eſt a. D. circiter 64.) jam à Romanis tranſlata fuiſſe ſcribit. Vides vt Bellarminianæ tranſlationum hiſtoriæ inter ſe

Id. ibid. §. 3. 4. 5.

congruant. Vidit Baronius fabulæ τὸ ἀσύστατον; & ſugillata Cornelianæ epiſtolæ, & Pontificalis Damaſini, in quo eadem narrantur,

*ibid. §. 5. 6.
†Bin. Not. ad Cornel. I. vit. & ep. I. T. I. Conc.

fide *, Gregorianam narrationem præfert. Baronij expilator Binius eadem omnia & ſequitur, & exſcribit †, in Notis ad Cornelij P. R. I. vitam & epiſtolam I. niſi quod homo vaniſſimus ſtramineam illam Cornelio affictam epiſtolam, ipſe pro vera ac genuina habet; totam, quæ in ea legitur, de corporum Apoſtolicorum tranſlatione fabulam, eam hariolatur illuc fuiſſe ex Pontificali perperam inſultam. Ita expuncta poſteriore corporum Apoſtolicorum tranſlatione Bellarminiana, priorem illam alteram videamus. Rem Gregorius ſic narrat.

[illegible] I. Epiſt. l. 3. ep. 30. fol. 318. F.

Conſtat (inquit) *quia eo tempore, quo paſſi ſunt* (Petrus ſcilicet & Paulus) *ex Oriente fideles venerunt, qui eorum corpora, ſicut civium ſuorum, repeterent; quæ ducta vſque ad ſecundum vrbis milliarium, in loco, qui dicitur Catacumbas, collocata ſunt. Sed dum ea exinde levare, omnis eorum multitudo conveniens niteretur, ita eos vis tonitrui, atque fulguris nimio metu terruit, atque diſperſit, vt talia denuo nullatenus attentare præſumerent. Tunc autem exeuntes Romani, qui hoc ex pietate Domini meruerunt, levaverunt, & in locis, in quibus nunc ſunt condita, poſuerunt.* Hæc ita Gregorius. Fac eſſe certa. Quid inde colliget Bellarminus? Orientales Apoſtolorum corpora veluti civium ſuorum, cupiviſſe apud ſe humari; ideo petiviſſe, & in Orien-

tem

tem tranſlaturos ad Catacumbas vſque exportaſſe. Eſto. Ideo-ne adorata illa corpora concludes? Quaſi vero non quotidie & cives civium, & poſteri majorum, & liberi parentum, & amici amicorum corpora, maxime quorum vel virtus, vel in ſe caritas ſingularis fuit, apud ſe condi exoptent, & pro ſua virili annitantur, etiam in quæ nullam adorationem, nullam religioſi cultus vmbram moliuntur? Ergo quod Apoſtolorum corpora Orientales transferre cupiebant, oſtendit eorum in viros ſanctiſſimos amorem, ac grati animi ſenſum; Quod transferre prohibiti ſunt, arguit haudquaquam Deo placere humanos hujuſmodi affectus; vnicuique eam glebam ſatis futuram, quæ cadenti contigit; terram enim Domini eſſe, & plenitudinem ejus. Hæc & alia conſimilia dicerem, ſi neceſſe eſſet. Nunc cum is Gregorius, qui affertur; ſeptimum ſæculum vivens ſalutaverit, tribus adeo totis ſæculis infra illius temporis fines, de quo diſputandum ſuſcepimus, floruerit, non eſt, quod ejus auctoritatem moremur, Nemo earum rerum teſtis eſt idoneus, quæ quingentis ante ſe annis geſtæ eſſe dicuntur. Et hæc, quæ iſte narrat, tanta tamque ſtupenda ſunt, vt ea, ſi vera eſſent, incredibile ſit, non aliquem de antiquiſſimis, & ævo Apoſtolico proximis vel narraturum, vel certe ſignificaturum fuiſſe in tam multis, quæ ſuperſunt, eorum monumentis. Nunc vnus ex omni Chriſtianiſmi anterioris memoria reperitur hic Gregorius, qui iſta ad Auguſtam (quod ille vnice tota epiſtola ſtudet) perterrefaciendum aptiſſima narret. Mitto cætera ejuſdem cenſus, quæ in hoc ipſo loco ad eandem rem larga ſane manu effundit, fabulæ vt videtur, propiora, Mitto fabulas, ſi non aniles, certe parum ſeveras, quibus cætera viri opera paſſim ſcatent. Hujus ipſius narrationis, de qua quæritur, τὸ κατόρθωμα de rei veritate dubitare nos ſubigit. Dicit Gregorius veniſſe *fideles ex Oriente, qui Apoſtolorum corpora, ſicut civium ſuorum, repeterent, ea ducta eſſe vſque ad Catacumbas.* Tam facile iſtis ex Oriente fidelibus conceſſiſſe Romanos fideles, vt cariſſimorum Magiſtrorum corpora, id eſt inexhauſtam quandam, ſi Gregorio & Latinis credimus, miraculorum, beneficiorum, ſalutis denique ſcaturiginem; adhæc vnicum ſua monarchię, ac glorię fundamentum, ſibi de manibus eriperent, & alio in longinquas oras aveherent; quis narranti Gregorio crediderit? Certe niſi illius ævi Romanos homines fuiſſe finxeris & omni in ſuos patronos caritate, & omni in religionem zelo vacuos, & ſuæ ipſorum gloriæ negligentiſſimos (quæ omnia plane ſunt incredibilia) haud aliter hæc ita geſta fuiſſe, vt tradit Gregorius, conceſſeris. Baronius fabulæ abſurditatem vidit, & lenire ac purgare callide, & velut aliud agens, conatus eſt, ſed alia, & quidem ſua, fabula. Fingit enim Apoſtolorum corpora Græcos, non à Romanis petiviſſe, ſed furtim Romanis inconſultis, neſciis, ac invitis ſuſtuliſſe, & ad Catacumbas vſque exportaſſe; & *Gregorium* ait *affirmare Apoſtolorum ſacra corpora à Græcis* CAPVT XII. Baron. A. 221. § 4.

MMmm *furtim*

CAPUT XII. *furtim ſublata*. Hæccine vero affirmat Gregorius? O frontem Annaliſtæ! Atqui in Gregorij narratione, quam & ipſe deſcribit, & ego nuper recitavi, de illo *furto* nullum verbum eſt. Ille dicit *fideles ex Oriente veniſſe*, qui Apoſtolorum, *ut civium ſuorum*, corpora repeterent. Non dicit, *ut furarentur*, vt per injuriam auferrent, ſed vt jure, tanquam ſua, repoſcerent, ac vindicarent. Dicit, non vi, aut furto ſublecta, & dolo per tenebras rapta & abducta, ſed ſimpliciter perducta ad alterum ab vrbe milliare, & ad Catacumbas collocata. Nihil hic ad Baronianum furtum collineat. Veniunt homines. Qui? Fures-ne? Imo, inquit Gregorius, *fideles*. Baronius pro *fidelibus*, Græcos finxit, vt genti ſcilicet de mendacio & dolis vulgo jampridem male audienti furtum probabiliter imputaret. Sed vnde habet Græcos fuiſſe? Gregorius *fideles ex Oriente* dicit vel fuiſſe, vel veniſſe. Omnis-ne *fidelis* vel in Oriente natus, vel ex Oriente veniens, Græcus eſt? Cur ergo Baroni, *Græcos* tam audacter nullo auctore feciſti? Quia (inquit) mores gentis meo figmento congruebant. Saltem providere debueras, ne gens Gregorij tui narrationi repugnaret. Ille enim ait horum, qui ex Oriente venerant, *fidelium cives* fuiſſe Apoſtolos. Græcorum *cives* fuiſſe hos Apoſtolos, non opinor, dices, qui ortu vterque Iudæi, domo Petrus quidem Bethſaïdenſis, Paulus vero Tarſenſis, atque hic adeo, civitatis ſuæ jure, Romanus, non Græcus; ſtulte à Græcis hoc quidem nomine repetendus; potiori Romanorum ab hac parte in ejus corpus jure. Itaque tu iſtos tuos ex *fidelibus* fures peſſime, ac omnino præter Gregorij verba, ac mentem, Græcos feciſti. Caſſus ergo & inanis eſt omnis hic Baronij color, nulla cujuſquam veteris ſcriptoris auctoritate, vna Annaliſtę libidine, pręter Gręgorij fidem, confictus. Huc accedit, quod iſta omnia gratis, nullo mendacij pretio, comminiſcitur Baronius. Donemus enim Gregorium, quæ eum ille noſter *affirmaſſe* ſcribit, re vera affirmaſſe. Ne ſic quidem ſuæ narrationi Gregorianæ conſtabit veri ſpecies. Hoſpites enim civium, Græcos Romanorum, paucos plurimorum in ipſa vrbe Roma, ita pietatem, religionem, ac vigilantiam omnem circumveniſſe, vt iis invitis; & neſcientibus, duorum Apoſtolorum, ipſis longe cariſſima corpora ſublegerent, & ad duo paſſuum millia efferrent, plane eſt incredibile; maxime ſi eos jam tum fuiſſe Romanorum mores, eamque in reliquias religionem ſtatueris, quam fuiſſe & Gregorius olim credebat, & nunc Latini putant. Denique & hoc quoque drama ſapit quod Apoſtoli finguntur ſuorum de Oriente civium injuriam non ante à corporibus ſuis prohibuiſſe, quam ea ad Catacumbas eſſent perlata; veluti non ante ſenſiſſent vim ſibi illatam, & diſcuſſo, fortaſſe per feretri, in quo vehebantur, agitationem, ſomno, expergefacti ibi demum intellexiſſent ſe ex loculis ſuis ſubreptos fuiſſe. Cur inde ſe vel vnum digitum amoveri, non ſtatim prohibuerunt? Cur

Cur illa *fulgura, ac tonitrua*, quibus duos fures terruerunt, ad Catacumbas vſque diſtulerunt? Tam Romæ *tonare ac fulgurare* licebat, quam ad Catacumbas, & dignior profecto fuiſſet tanto miraculo ſcena, & furum levius erat futurum crimen, & civiũ vtilitas quidem major, labor vero & trepidatio minor. Ne hoc quidem poſtremo omiſerim Bellarminum admodum infœliciter Gregorium hunc ſuarum tranſlationum teſtem adſciviſſe, qui vnum tantum edit, & quidem tentatum, non peractum; qui Divos transferri valide abnuiſſe & cœleſtibus telis. ne transferrentur, prohibuiſſe affirmat; qui ne in his quidem conſiſtit, ſed alia etiam Bellarmino multo nocentiora, molitur. Ille enim omnes ſacrarum reliquiarum translationes ſimul ſemelque tollit; totaque illa epiſtola hoc vnum agit, vt nefas eſſe oſtendat quicquam hujuſmodi audere. Audi quæſo, quid ille de his edicat maximus Latinorum Pontifex; *In Romanis* (inquit) *vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile eſt, atque ſacrilegum, ſi Sanctorum corpora tangere, quiſquam fortaſſe voluerit, quod ſi præſumpſerit, certum eſt, quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit.* Sed & terribiles quaſdam hiſtorias narrat, quibus hoc ſuum edictum ſanciat. Narrat inprimis cum ſuus deceſſor argentum, quod ſupra Petri corpus erat, & longe tamen ab eo XV. fere pedum ſpatio factum erat, mutare voluiſſet, *ſignum ei non parvi terroris apparuiſſe*; Se item aliquid ad idem Petri corpus meliorare, volente, præpoſitum loci, cum oſſa quædam non tamen eidem ſepulcro conjuncta, inter fodiendum reperta levare, & in alium locum tranſponere præſumpſiſſet, *apparentibus quibuſdam triſtibus ſignis, ſubita morte defunctum eſſe.* Quibus & hoc etiam exemplum addit; *Sanctæ* (inquit) *memoriæ deceſſor meus idem ad corpus Sancti Laurentij Martyris quædam meliorare deſiderans, dum neſcitur vbi venerabile corpus ipſius eſſet collocatum, & effoditur exquirendo, ſubito ſepulcrum ipſius ignoranter apertum eſt; & ij qui præſentes erant, atque laborabant monachi & manſionarij, qui corpus ejuſdem Martyris viderunt, omnes intra decem dies defuncti ſunt, ita vt nullus vitæ ſupereſſe potuiſſet, qui ſanctum & juſtum corpus illius viderat.* Ex quibus ille hiſtoriis tandem ita converſo ad Auguſtam ſermone, inſtitutam ratiocinationem concludit; *Quis ergo nunc Sereniſſima Domina, tam temerarius poſſit exiſtere, vt hæc ſciens eorum corpora, non dico tangere, ſed vel aliquatenus præſumat inſpicere?* Hæc Bellarmini teſtis Gregorius. Quam bene cum illo actũ eſt, quod in Divos incidit Pelagij & Gregorij Sanctis faciliores! Si ſuiſſent his moribus illa Catharina, Claraque & Agnes Politiana, quarum ſe paulo ante narrabat* corpora integra, & incorrupta ſecurum, lætumque ſpectaſſe, & vnius cor ipſum, & quæ in eo erant mirabilia arcana vidiſſe; non tuliſſet profecto impune, neque ſuam illam nobis fœlicitatem tot annos poſt eum ſuperſtes narraſſet. Sed mutabiliſſimæ ſunt, vt videtur, Divorum Latinorum

CAPUT XII.

Greg l. 3. epiſt. 30. fol. 363. F.

ibid. D

ibid. E.

* Bell. de Reliq. Sanct. c. 3. § Ego ipſe.

CAPUT XII.

voluntates; qui omnem illam priſtinam ſeveritatem, qua Pelagij, Gregorijque temporibus adeo rigebant, vt ſe ne ab imprudentibus quidem, quantumvis alioqui religioſis, tuto & impune aſpici ſinerent, ita poſuerunt, facilique quadam indulgentia permutarunt, vt ſe nunc non aſpici tantum, ſed & tangi, & religioſis ſuorum oſculis pœne conteri patiantur; ſe tangentibus, atque oſculantibus adeo non ſuccenſentes, vt etiam hoc illis magnæ in res divinas pietati imputent. *Nos* (inquit Bellarminus, magnus hodiernorum Divorum myſtagogus) *reliquias honoramus, & oſculamur, vt ſacra pignora patronorum noſtrorum.* Quin & Latinorum nunc Divi mortalium manus, & oculos adeo non refugiunt, vt ſua oſſa, ſuaſque cutes, & corporis ſui particulas thecis, & ſacculis includi ad hoc ſinant, vt aſſidue cum illis noctu diuque eſſe & verſari poſſint. Ego vero hic non quæro, quomodo illa Gregorij tam ſevera in Sanctorum reliquias reverentia, non dico cum hodiernis Latinorum inſtitutis, ſed vel cum ipſo antiquiorum, puta Ambroſij, Hieronymi, & aliorum, etiam *de Occidentis ſui partibus*, multorum, reliquias nulla religione transferentium moribus & placitis congruat; qua de re legenda ſunt, quæ doctiſſimus Matthæus Bochartus noſter in eruditiſſimo *de Reliquiarum origine & cultu*, volumine diſputavit, multis demonſtrans in his Gregorium, & cum cæteris omnibus Reliquiariis, qui eum vel præceſſerunt, vel ſecuti ſunt, & ſecum denique ipſum (quod longe turpiſſimum eſt) pugnare. Viderint Latini, qua mente ſuus ille ſummus Pontifex hæc ſcripſerit; an vt ſacrum & inviolabile edictum toti Eccleſiæ in æternum ſervandum figeret; an vero ad hoc tantum, vt, (quod me multum aſſentiente putat noſter Bochartus) * præſenti cauſæ ſerviret, duraſque ac moleſtas Auguſtæ juſſiones, Pauli caput, aut aliud quid de corpore ipſius ad ſe Conſtantinopolim ab eo tranſmitti, imperantis †, his tam multis hiſtoriis, ſane in tempore allatis, molliter à ſe amoliretur. Illud mihi vnum nunc ſatis eſt, quod quem Bellarminus, velut harum tranſlationum teſtem, atque auctorem laudat, is eas non modo non probat, aut commendat, ſed veluti quædam ſacrilegia, ac piacula execrari videtur. Iam ergo dimiſſo Gregorio; homine ſexti, ſeptimique ſæculi (quocum adeo nihil commune habet præſens de tribus duntaxat primis Chriſtianiſmi ſæculis inſtitura diſputatio) ad rem redeamus. Cum nullum toto illo tempore hujuſmodi tranſlationis exemplum in veris illius memoriæ ſcriptis extet, cum ne Bellarminus quidem vllum aliud afferat, præter hoc ipſum, quod ex vno Gregorio tribus demum poſt a. D. 300. ſæculis ſcribente allatum modo diſcuſſimus, nobis nunc vt opinor, illud, quod initio diximus, merito concludere licet, nullas ad a. D. 300. tranſlatas quoquam fuiſſe Sanctorum, ad eorum honorem & venerationem; reliquias. At ſi eo loco ac numero apud noſtros tum fuiſſent, quo ſunt hodie apud Latinos, fieri nequaquam potuiſſet, quin eſſent aliquas

tanto

Ibid. c. 2. §. At quia.

Matth. Boch. des Reliques & des SS. Traict. 1. c. 2. p. 86. ad 93.

* Id. ibid. p. 90.

† Greg. l. 3. ep. 30. iuit.

tanto tempore alio tranſlatæ, ſive ad venerationem atque adoratio- nem, ſive etiam ad miraculorum beneficium. Neque tu mihi, à quo cœptam eſſe reliquiarum religionem confeſſum eſt (à ſæculo ſcilicet quarto adulto) vllum ſæculum facile oſtenderis, quo non plures hujuſmodi reliquiarum tranſlationes factas fuiſſe liquido conſtet ex libris; nedum ut poſſis tria ſæcula continenter fluxiſſe demonſtrare, quibus totis ne vnam quidem factam hujus generis tranſlationem reperiamus. Tanti vero inter prima iſta ſæcula, & ea quæ quartum conſecuta ſunt, hac in parte diſcriminis, nulla alia idonea ratio afferri poteſt, quam hæc ipſa, quæ jam eſt à nobis tradita, quia nimirum, quæ ſequentibus ſæculis magna apud Chriſtianos fuit de reliquiarum miraculis, atque vtilitatibus exiſtimatio, indeque paulatim orta religioſa quædam earum veneratio, ea inquam, primis Chriſtianiſmi ad annum vſque trecenteſimum temporibus, nulla fuerat. Caput XIII.

Caput XIII.

Argumentum XIII. Quod vetuſtiſſimi Chriſtiani Martyrum & Sanctorum corpora diligentiſſime ſepeliverint, & terræ mandaverint, quod non erant facturi, ſi ea putaviſſent adoranda. De cura huic Martyrum ſepulturæ ab ijs impenſa.

SED jam videamus, quomodo Martyrum ſuorum corpora vetuſtiſſimi Chriſtiani habuerint. Ea quidem, ſi adoranda erant, decebat in locis ſublimibus conſtitui; vnde à religioſis hominibus ſuſpici, ac coli poſſent. Quod adorari vis, id abdere ac deiicere, & infra ipſum illum locum, in quo omnes conſiſtimus, deprimere, nulla vnquam alicujus religionis gens fuit, quæ non abſurdiſſimum putaret. Id enim quod adoratur eo, à quo adoratur, celſius ac ſublimius aliquid eſſe debere, inſito à natura ipſa ſenſu omnes mortales confitentur, atque conſentiunt. Inſpice veterum omnes, recentiorumque gentium religiones. Plærçque ipſum cœlum, quo nihil eſt in orbe excelſius, vel quæ in cœlo ſunt, Solem & ſidera, vel certe quæ in eo eſſe ſibi perſuadent, numina adorant. Iam & numinum ficta, ſtructa-ve ex auro, argento, marmore, ligno, & aliis terrenis materiis ſigna qui colunt, ea omnes in altis locis & conſtituebant olim, & nunc etiam conſtituunt. Ipſa Deum inferum ſimulacra ex alto proponebantur adoranda. Sed quid ego extera conſector? Idem quoque Latinorum, de quibus diſputamus, ritus eſt. Nam hi quoque & Euchariſtiam plebibus venerandam, quoties in ſacris vel anniverſariis, vel quotidianis exhibent, toties ſublimem oſtentant, vel in erecto tabernaculo geſtatam, vel manibus ſacerdotum in altum ſublatam

CAPVT XIII. latam; & cruces pariter, quas colunt, erigunt, & ſacras Divorum imagines è locis ædium extantibus publico cultui exponunt, & reliquias denique vel in thenſis, ferettiſque, vt in proceſſionibus, eminentes, vel certe in altaribus, quæ & ipſa extant, collocant. Iacere id quod colitur, vel infra adorantem ſubſidere, res eſt à naturæ & rationis legibus aliena. Itaque dubitandum non eſt, quin vetuſtiſſimi Chriſtiani ſuorum Martyrum corpora erecturi fuerint, ſi ea quidem ſibi colenda eſſe credidiſſent. Huc & alia ratio accedit, quod reliquiæ ex Latinorum dogmate perennes quidam ſunt apud Eccleſiam miraculorum, beneficiorumque cœleſtium, ac denique vt cum Baronio loquar, *ſalutis* fontes. Eas ergo & hoc nomine decet in aperto, & omnibus ad hauriendum expoſito loco haberi. Publici enim boni fontes obturari, terraque obſtrui & obrui, impium & inhumanum eſt; vt ſi de his eadem veterum cum Latinis noſtris ſententia fuerit, omnino apud eos extare, & in communi hominum luce proſtare debuerint reliquiæ. Atqui vetuſtiſſimos illos Chriſtianos rem plane aliter inſtituiſſe videmus. Martyrum enim ſuorum corpora, quibus nullas eſſe, mere quidem humanas, excellentiores reliquias certum, ac confeſſum eſt, non ſecus ac aliorum fidelium cadavera, accuratiſſime ac religioſiſſime ſepeliebant, atque humabant; id eſt in foſſis ad eam rem depreſſis condebant, & aggeſta deſuper terra diligenter tegebant. Nihil fere eſt in eorum litteris clarius, atq; certius. Primo enim illi docent in genere ſepulturam ad humanæ naturæ decus, ac dignitatem pertinere, neque vſquam vel Martyrum, vel aliorum Sanctorum corpora ab hac lege excipiunt. Athenagoras [a] *ſola hominum corpora ſepulturam in terra ad naturæ honorem ſortita eſſe* ſcribit. (Μόνων δὲ τῶν εἰς γῆν ταφὴν ἐπὶ τιμῇ τῆς φύσεως μεμοιραμένα σωμάτων,) Idem quoque ſignificat Tertullianus [b], quo loco Homeri ingenium laudat Patroclum inducentis *funus in ſomnis de Achille flagitantem, quod non alias adire portas inferum poſſet. Novimus* (inquit) *præter poetica jura, pietatis quoque Homericæ induſtriam. Tanto magis enim curam ſepulturæ collocavit, quanto etiam moram ejus injurioſam animabus incuſavit; ſimul & ne quis defunctum domi detinens ipſe amplius cum illo maceretur enormitate ſolatii dolore nutriti. Ita querelas animæ inſepultæ ad vtrumque confinxit, vt inſtantia funeris & HONOR corporum ſervetur, & memoria affectuum temperetur.* Origenes honeſtiſſimam hanc ſententiam defendit [c] contra ſtolidam Celſi barbariem illud Heracliteum vſurpantis, *cadavera abjectiora eſſe quam ſtercora. Stercora quidem* (inquit) *proiicienda ſunt; cadavera vero hominum propter animam, quæ in eis habitavit (præſertim ſi qua fuerit humanior, atque elegantior,) nequaquam proiicienda ſunt. Ea enim juxta leges, quæcumque ſunt paulo civiliores, ſepulturæ mandantur cum honore, qui rebus hujuſmodi convenit, ne animam, quæ ſua poteſtate inhabitavit, contumelia afficiamus, ſi corpus ex quo egreſſa eſt, proiiciamus,*

a Athenag. de Reſurr. p. 87. C.

b Tertull. de Anim. c. 56. p. 354. A.

c Orig. contr. Celſ. l. 5. p. 253. Anr.

CAPVT XIII.

ciamus, tanquam jumentorum corpora. τὰ μὲν κόπρια ἐκβλητέα ἐστίν. οἱ δ' ἐξ ἀνθρώπων νέκυες διὰ τὴν ἐνοικήσασαν ψυχὴν, καὶ μάλιστα, ἐὰν ᾖ ἀστεία, οὐκ ἐκβλητέοι. κατὰ γὰρ τοὺς ἀστειοτέρους τῶν νόμων μετὰ τῆς ἐπιεικείας, ὡς πρὸς τὸ τοιοῦτο, τιμῆς, ταφῆς ἀξιοῦται. ἵνα μὴ ὑβρίζωμεν τῇ δυνάμει τὴν ἐνοικήσασαν ψυχὴν, ἀποῤῥιπτοῦντες μετὰ τὸ ἐξελθεῖν ἐκείνην, τὸ σῶμα, ὡς τὰ τῶν κτηνῶν σώματα. Pœne eadem alibi in eodem quoque opere iterum habet; [d] *Nos (*inquit*) ſolas rationales animas honorare novimus, & earum inſtrumenta ſolenni ſepulturæ honore dignamur. Meretur enim rationalis animæ domicilium non proiici temere, ſicut brutorum cadavera; præſertim cum credentes honorem corporis, in quo rationalis anima inhabitavit, etiam ad eum redire dicant, qui animam inſtrumento hoc ſuo bene ſancteque in certaminibus uſam ſuſcipit.* Idem alibi; [e] *Hominis*(inquit) *tactum nolite refugere, vel mortui corporis, cui magis ſepultura religioſe deferenda eſt.* Hæc veterum ſententia erat de ſepulturæ humanis corporibus debitæ honorificentia, & religione. Itaq; ſuorum omniū mortuorū terræ mandandorū ſumma iis cura fuit; abolito Paganorū de cremandis cadaveribus, errore vt docet Tertullianus [f]; hunc cremandi ritū crudelitatis in corpus damnans, *quod & ipſum*(inquit)*homo non utique mereatur pœnali exitu impendi.* Pura humo corpora, etiam thure & aromatis curata, condebant. Vnde illa Tertulliani [g]; *Thura & cætera peregrinitatis* Gentilibus quidem *ad ſacrificium idolorum, etiam hominibus ad pigmenta medicinalia, nobis quoque (*inquit*) inſuper ad ſolatia ſepulturæ uſui ſunt.* Et in Apologetico; [h] *Thura plane non emimus. Si Arabiæ queruntur, ſcient Sabæi pluris & carioris ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam Diis fumigandis.* Tanta horum in cadavera officiorum cura noſtris fuit, vt etiam egenis de communi & collatitia Eccleſiæ pecunia ad funus proſpicerent. De ea Tertullianus [i]; *Hæc (*inquit*) quaſi depoſita pietatis ſunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis diſpenſatur, ſed egenis alendis, HVMANDISque, & pueris ac puellis, re ac parentibus deſtitutis, jamque domeſticis ſenibus, item naufragis.* Quin & tantam noſtrorum in hoc mortuis exſolvendo officio diligentiam, ac vt ſic dicam, religionem antiquiſſimis illis temporibus fuiſſe conſtat, vt Dionyſius Alexandrinus [k], ne peſte quidem illa ſæviſſima, quæ ipſo ſuperſtite Alexandriæ & toto Romano orbe graſſata eſt, deterreri ſuos potuiſſe teſtetur, quominus corporibus illa lue peremptorum juſta funebria ſtudioſiſſime redderent, & hæc nominatim eorum in mortuos officia recenſet; *Sanctorum (*id eſt fidelium*) corpora manibus erectis, ſupiniſque excipere, gremio ſuo reponere, occludere oculos, ora obturare, geſtare humeris cadavera, decenter ornare, illis adhærescere, amice complecti, lavare accurate, & linteo funebri involvere.* Τὰ σώματα τῶν ἁγίων ὑπτίαις χερσὶ καὶ κόλποις ὑπολαμβάνοντες, καθαιροῦντές τε ὀφθαλμοὺς, καὶ στόματα συγκλείοντες, ὠμοφοροῦντές τε καὶ διατιθέντες, προσκολλώμενοι, συμπλεκόμενοι, λουτροῖς τε καὶ περιστολαῖς κατακοσμοῦντες. Sed

d Id. ibid. l. 8. p.409.

e Id. in Levitic. hom. 3.

f Tertull. de Anim. c.51. p. 350.C.

g Id. de Idolol. c.11. p.110.

h Id. Apolog. c.42.

i Id. ibid. c.39. A.

k Apud Euseb. hiſt. l. 7. c.22. Gr.

iſte

CAPUT XIII.

iſte honos iis præcipue habitus eſt, qui ob Chriſti nomen erant mortui, Pius, vetuſtiſſimus Romæ Epiſcopus, qui ſedit ab a. D. 158. ad 167. Iuſto Viennæ Epiſcopo hanc curam præ cæteris commendat [l], *Cura* (inquit) *Sanctorum Martyrum corpora, ſicut membra Dei; quemadmodum curaverunt Apoſtoli Stephanum.* Quæ autem fuerit Apoſtolorum in Stephanum cura, notum eſt; cujus ſcilicet corpus honeſto funere terræ mandarunt; vt mox dicemus. Sic etiam annis poſt Pium pœne centum, Clerus Romanus, perſecutione in noſtros ſæviente, ad Clerum Carthaginenſem ſcribens, monet huic operi in primis attendendum. Nam cum Catechumenis adprehenſis infirmitate ſubveniendum eſſe dixiſſent [m], *& quod* (inquiunt) *maximum eſt, corpora Martyrum, aut cæterorum, ſi non ſepeliantur, grande periculum imminet eis; quibus incumbit hoc opus.* Erant enim certi miniſtri ad hoc opus proprie deſtinati, quibus *Copiatæ*, vel *Foſſores* nomen poſtea fuit. Cyprianus, eadem perſeverante tempeſtate, Clero ipſe abſens commendat in carcere ob Chriſti nomen conſtitutos [n], *Officium* (inquit) *meum veſtra diligentia repræſentet. Faciat omnia, quæ fieri oportet circa eos, quos in talibus meritis fidei ac virtutis illuſtravit divina dignatio.* Eos dicit, qui martyrium plene fecerant, quos digne ſepeliendos intelligit. Addit enim hæc continenter; *Corporibus etiam omnium, qui etſi torti non ſunt in carcere, tamen glorioſo exitu mortis excedunt, impertiatur & vigilantia, & cura propenſior.* Conſtans hic fuit veterum in ſuis Martyribus humandis mos, jam inde ab Apoſtolicis temporibus ductus. Ecce enim ſtatim in ipſo Chriſtianiſmi ortu Stephanum, qui Domini ſui crucem princeps ex noſtra diſciplina ſuo cruore imbuit, curatum à piis, juſtiſque funebribus, & magno planctu cohoneſtatum apud Lucam [o] legimus. Sic Iacobi Iuſti, qui Hieroſolymis a. D. 63. paſſus eſt, martyrium exſecutus Hegeſippus, continuo ſubiicit [p]; *Et in ipſo loco ſepelierunt eum, & adhuc manet ejus columella prope templum.* καὶ ἔθαψαν αὐτὸν ἐν τῷ τόπῳ. καὶ ἔτι αὐτοῦ ἡ στήλη μένει παρὰ τῷ ναῷ. Polycarpi, anno poſt Iacobum paulo poſt amplius, quam centeſimo, ſimili gloria apud Smyrnam coronati oſſa, quæ cætero corpore ab impiis exuſto ſola ſupererant, perhonorifice à ſe lecta, & ſepulta illi ipſi memorant, qui hoc ei officium exſolverunt [q]. *Sic nos poſtea* (inquiunt) *oſſa ejus potiora lapillis pretioſis, auroque puriora ex cineribus ſelecta eo loco repoſuimus, quo ea recondi erat conſentaneum,* vel (vt habet vetus interpres Ruffinus) *ſicut conveniebat ex more condidimus.* οὕτως τε ἡμεῖς ὕστερον ἀνελόμενοι τὰ τιμιώτερα λίθων πολυτελῶν, καὶ δοκιμώτερα ὑπὲρ χρυσίον ὀστᾶ αὐτοῦ ἀπεθέμεθα ὅπου καὶ ἀκόλουθον ἦν. Ac ne dubites de loco, vetuſtiſſima metaphraſis ab Vſſerio edita, poſtrema verba ſic reddit [r], *Nos collegimus, vt aurum gemmamque pretioſam, & ſepulturæ oſſa mandavimus.* Quod Martyris oſſa *auro, gemmiſque* præferunt, merito faciunt. Id enim, quod de cujuſvis hominis pij & in Domino mortui exuviis, & inhabi-

[l] Pius ep. 2. T. 1. Concil. p. 84. B.

[m] Cler. Rom. apud Cyprian. ep. 2. p. 9.

[n] Cypr. ep. 37. p. 55 extrema.

[o] Act. 8. 2.

[p] Hegeſipp. apud Euſeb. Hiſt. l. 2. c. 23.

[q] Act. Polyc. apud Euſeb. Hiſt. l. 4. c. 14.

[r] apud Vſſer. Append. ad Ignat. p. 28.

inhabitante, dum viveret, Spiritu ſanctificatis, & ad immortalitatem olim reſurrecturis, vere dici poteſt, id de Polycarpi corpuſculo multo potiori jure dicendum erat, & ſemper caſtiſſimo, atque ſanctiſſimo, & nunc denique per ignem, auri inſtar probato. Cæterum quantumvis pretioſa Polycarpi oſſa, ſepulturæ tamen mandata ſunt; imo quia pretioſiſſima, eo ipſo accuratius ſepulta; quod ſepultura ſcilicet corporum humanorum ſit honos; maxime eorum, inquit Origenes [s], *quæ anima inhabitaverit ἀστειοτέρα, honeſtior*, id eſt melior ac Sanctior. Atque hæc ita quidem Smyrnenſes. Lugdunenſes vero noſtri, paucis poſt Polycarpi paſſionem annis, cum impij ſuorum Martyrum corpora in minutiſſimos cineres redacta in Rhodanum projeciſſent, ſibi dolere teſtabantur, quod ea ſepeliendi facultas ſibi adempta eſſet [t]; *Quod ad nos* (inquiunt) *pertinet, in magno mærore eramus conſtituti, quod illorum corpora terra tegere non liceret.* Τὸ δὲ καθ' ἡμᾶς ἐν μεγάλῳ καθεςήκει πένθει, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι τὰ σώματα κρύψαι τῇ γῇ. Atque is quoque poſtea fuit piorum in Cyprianum honos, martyrio apud Carthaginem functum an. D. 258. Ejus corpus, cum primo propter Gentilium curioſitatem in proximo collocatum eſſet, nocte adveniente ne à Gentilibus tolleretur, ex eodem loco, vbi poſitum erat, ſublatum fuiſſe tradunt Acta [u], *& inde cum cereis & ſcolacibus in area cujuſdam Candidi Procuratoris cum magno triumpho ſepultum eſſe.* Quo loco, vt & in alteris Actis, quorum initium eſt, *Imperatore Valeriano IV. & Gallieno III. COSS.* eruditiſſimus Rigaltius [x] pro *ſcholaribus*, quod in excuſis exemplaribus corrupte ac perperá habebatur, ex libris manuſ. legendum monuit, *ſcolacibus*; docuitque *ſcolaces, Græca originis vocabulum, ſirpos aut funes intortos ſignificare, ex quibus ceratis funalia in vſum nocturni luminis fiebant.* Atque ita in fumos abeunt, vt obiter id dicam, illæ hinc Baronio [y] pro conſueto acumine ſomniatæ Clericorum accenſas manibus faces geſtantium *ſchola*, ſive claſſes, Chriſtianorum ſcilicet funera jam olim præcedentes, hodierno Latinorum more; ad quem omnia noſter Annaliſta, quo jure, qua injuria, torquet, ac rapit. Illi vero *cerei*, *ſcolaceſque*, non ex ſolenni funerum apud illius ævi Chriſtianos more (quod parens Annalium deliravit) ſed ex neceſſitate funus Cypriani illuſtrarunt; quod noctu ſcilicet, vt ex Actis apparet, factum eſt, quamquam non neſciam jam pridem inductum fuiſſe illum apud Chriſtianos ritum, vt funalia in eorum funeribus præferrentur. Sed hæc diu poſt Cyprianum fuere, cum orbis totus jam factus eſſet Chriſtianus. Noſtri vetuſtiorum ante a. D. 300. temporum, cereum vel lucernam de die accendere paulo minus, quam inſani capitis eſſe putabant; vt ſupra in loco de Euchariſtiæ adoratione demonſtravimus. Sed, vt ad rem redeam, huc quoque pertinent, quæ apud Dionyſium Alexandrinum Cypriani σύγχρονον, legimus, Euſebium quemdam Diaconum magnis laudibus ferentem ob egre-

CAPUT XIII.

s Orig. l. 5. contr. Celſ. p. 253.

t Act. Martyr. Lugd. apud Euſeb. Hiſt. l. 5. c. 1.

u Act. Paſſion. Cypr.

x Rigalt. Not. in Act. Cypr.

y Baron. a. D. 261. §. 36.

giam, qua in martyribus funerandis vſus erat, animi magnitudinem[a]; *Eum* (inquit) *ab initio perſecutionis Deus ſua gratia roboraverat, & non modo ad miniſteria Confeſſorũ, qui carceribus tenebantur, ſummo ſtudio, & omni animi cõtentione explenda, ſed etiã ad lintea, quibus corpora beatorum Martyrum involverentur, neglecto vitæ periculo, conficienda præparaverat.* Εὐσθένιον ἐξ ἀρχῆς ὁ θεὸς ἐνεδυνάμωσε, καὶ παρεσκεύασε τὰς ὑπηρεσίας τὰς ἐν ταῖς φυλακαῖς γνησίων ὁμολογητῶν ἐκπληρῶν, καὶ τὰς τῶν σωμάτων περιστολὰς τῶν τελείων καὶ μακαρίων μαρτύρων ἀκινδύνως ἐκτελεῖν. Hinc linteo, ſive ſindone involuta fuiſſe Martyrum quoque corpora videmus, communi aliorum hominum more. Has enim ipſas, quas ad Martyrum ſepulturam memorat περιστολὰς, id eſt faſcias ex linteo, quibus circumligabantur, ſupra etiam in Chriſtianorum ex peſte morientium funere pariter dixit[a]. Sed & aliquando in pretioſis veſtibus ſepultos fuiſſe Martyras apparet, pro vt eorum erant opes, qui funus curabant, vt de Macario refert Euſebius[b], cujus corpus, *ſimulatque exanime fuit, Aſterius, vir Senatorij ordinis, ſuſtulit, ſplendidaque veſte obtexit, atque humeris impoſitum inde deportavit, & cum magnifico & ſumptuoſo linteo involviſſet, convenienti ſepulturæ mandavit.* περιστείλας ὡ μάλα πλουσίως τῇ προσηκούσῃ ταφῇ παραδίδωσι. Denique & aromatibus interdum curata eſſe Martyrum corpora ex Actis Euplij[c] a. D. 303. paſſi, diſcimus; in quibus ſcriptor, poſtquam eum à carnifice decollatum fuiſſe dixit; *Sublatum eſt* (inquit) *poſtea corpus ejus à Chriſtianis, & conditum aromatibus.* Hinc illa fuerat Maximi Præſidis ad Tharacum Martyrem exprobratio[d]; *Putas* (inquit) *quod mulierculæ aliquæ corpus tuum habent aromatibus, vel vnguentis condire, iniquiſſime?* Et mox iterum; *Non ne ſic te perdam* (inquit) *& ſicut antea dixi, & reliquias tuas? ne mulierculæ in linteamine corpus tuum involvant, & vnguentis & odoribus adornent?* Ad illa priora hæc eſt Baronij nota; *Hæc plane* (inquit) *Præſes; quod optime ſciret Chriſtianorum conſuetudinem in ſepeliendis ſanctorum Martyrum reliquiis; quas ſolerent, vt teſtatur Tertullianus, & alij magna impenſa pretioſis vnguentis pollinctorum arte ſtudioſe condire ac venerari.* Hæc pro ſolenni ſua ſinceritate ingens Latinorum Annaliſta. Primo illa ſua *de magna impenſa, de pollinctorum arte,* de *illo conditura ſtudio, de reliquiarum veneratione,* vnde habet? Nihil de iſtis Præſes. Baronius ea de ſuo adſtruxit; ſperans hanc ita exaggeratam ſepulturæ magnificentiam ad honores illos divinos, quos ipſe ſuis reliquiis defert, facile aſcenſuram, & eorum loco apud craſſum aliquem & obeſæ naris hominem (quales iſte ſuis Annalibus optabat lectores) nullo negotio futuram. Ac ne ſic quidem dolo ſatis fidens, illud alterum de *veneratione* totum de ſuo homo audaciſſimus adjecit; quaſi Præſes ſe ſcire affirmet Chriſtianos ſuorum Martyrum reliquias venerari ſolitos. Sed Præſidem, qui ea de re nihil dixit, apertiſſime calumniatur Baronius; quod non eſt, vt opinor, ſinceri ac veracis Annaliſtæ munus. Sed primaria hic ejus fraus eſt, quod

a Dion. Alex. apud Euſeb. Hiſt. l.7. c.11.

a Id ibid. c.22.

b Euſeb. hiſt. l.7. c.16.

c Act. Eupl. apud Bar. a. D. 303. §. 149.

d Act. Thar. apud Bar. a. D. 290. §. 21. 23

ſic.

ſic loquitur, quaſi hoc Martyrum apud noſtros fuiſſe proprium atque eximium velit, vt non alij mortui, quam hi aromatis & vnguentis condirentur; Tertullianumque ad hoc citet, vt teſtetur, hunc ſui ævi Chriſtianis morem fuiſſe *Martyrum corpora magna impenſa, pollinctorum arte ſtudioſe condire, & venerari.* Atqui de iſtis Baronij ſomniis tam loquitur Tertullianus, quam de ejus Annalibus; in quibus hoc eum didiciſſe oportuerat, ſi dixiſſet. Laudat ex Apologetico locum, quem paulo ante recitabamus, in quo de Martyribus proprie nihil; in genere de quibuſvis fidelibus dicit [e], *Chriſtianis ſepeliendis pluris & carioris Sabæorum merces profligari, quam Dijs fumigandis*; cui congruit, quod ex alio ejuſdem ſcriptoris volumine deſcribebamus [f], *Thura & cætera peregrinitatis*, præterquam quod Paganis ad *ſacrificia, hominibus ad pigmenta medicinalia*, *Nobis quoque* (inquit) *inſuper ad ſolatia ſepulturæ vſui ſunt.* De noſtris dicit, quibuſvis, non certi ordinis quibuſdam. Si ad Martyras ſolos Baronius trahat, neceſſe erit fateri voluiſſe Tertullianum ſe adhuc viventem, adhuc ſcribentem Martyrem cenſeri, & conſummatorum ſanctiſſimorumque Chriſti teſtium a bo inſeri. Non-ne bellus artifex Baronius, qui ex iſtis tam paucis confecit, & Præſidem ſciviſſe *ſolitos Chriſtianos magna impenſa pollinctoris arte vnguentis pretioſis Martyrum corpora condire atque venerari?* & Tertullianum id ipſum *vna cum aliis teſtari?* Concedo Martyrum corpora aromatis curata. Res clara eſt. Sed & illud conſtat ex Tertulliano fuiſſe hoc, non Martyrum proprium, ſed & aliorum Chriſtianorum cum Martyribus commune. Illud equidem Baronio, etiam nullos paralogiſmos adhibenti, facile conceſſerim, Martyrum, vt meritum & honorem, ita & ſepulturam præ cæterorum fidelium funeribus feciſſe. Quis neget? Hoc vnum negamus, *adoratas fuiſſe Martyrum reliquias*; & quidem hoc ipſo probamus non fuiſſe adoratas, quod quantumvis honorifice, &, ſi hoc Baronius velit, quantumvis care ac ſtudioſe, ſepelirentur tamen, atque funerarentur. Ad hunc quoque ſepulturæ, quæ Martyribus curabatur, honorem pertinet, quod Euſebius [g] Dorotheum & ſocios ex Imperatorum familia pro Chriſti nomine herorum ſuorum juſſu occiſos, *terræ poſt mortem cum decenti funere mandatos fuiſſe* ſcribit. καὶ βασιλικοὶ μετὰ θάνατον παῖδας γῇ μετὰ τῆς προσηκούσης παραδοθέντας κηδείας. Neque aliter de ſuo Pamphilo, & ejus ſociis loquitur, quorum virtutem ſummopere commendavit; & corpora, cum ſub dio feris & alitibus dies totas quatuor Præſidis juſſu expoſita jacuiſſent, integra tandem & illæſa, cunctis mirantibus, recepta & *decens, ſive conſentaneum funus ſortita*, dicit [h], *ſolenni ſepulturæ mandata fuiſſe*; τῆς προσηκούσης κηδείας λαχόντα τῇ συνήθει παρεδόθη ταφῇ. Sed neque id omittendum eſt, quod ibidem paulo ante legitur, Porphyrium Pamphili famulum, cum herum ſuum & alios nonnullos Præſidis ſententia ad mortem damnatos eſſe videret, exclamaſſe poſtu-

CAPVT XIII.

e Tertull. Apolog. c. 42.
f Id. de idol. c. 11.
g Euſeb. Hiſt. l. 8. c. 6.
h Id. ibid.

CAPVT XIII. lantem, vt eorum corpora poſtquam eſſent interfecti, terræ traderentur. ἀναβοᾷ γῇ τὰ σώματα παραδοθῆναι ἀξιῶν. Atque hæc quidem ſatis ſunt, vt appareat ad decem priorum perſecutionum finem accuratiſſime à noſtris ſepulta fuiſſe, non cæterorum tantum fidelium & Sanctorum, ſed etiam Martyrum ipſorum corpora; eamque fuiſſe noſtrorum per illa tempora conſtantem ſententiam, cuivis homini mortuo, etiam ſanctiſſimo, honorificum eſſe *ſepeliri*; *non ſepeliri*, turpe & inhoneſtum (niſi rem cauſſa per accidens ſublevet, ac decoret; vt ſiquis propter nomen Domini inſepultus ab impiis proiiciatur.) Illa autem noſtrorum ea de re ſententia, primo gentium omnium aliqua humanitate excultarum ſcitis & moribus congruit, apud quas, vt turpe & ignominioſum habetur mortuum jacere inſepultum, ita humanum ac decorum, naturæque ipſi conſentaneum videtur corpora mortalia, vbi anima vacua ſunt, ſtatim terræ mandari. Quod vt ſuis hominibus commendaret vir admirabilis apud Græcos ſapientiæ Xenophon, vtque barbarorum quorumdam dementiam ſugillaret, qui dulcem, facilemque terræ ſinum, communem cæterorum morientium portum, aſpernati ſuis recipiendis poſt mortem cadaveribus inſanas pyramidum, & Mauſolæorum moles immenſis ſumptibus parabant, ipſe ſuum Cyrum longe aliter in ſupremis ea de re in hæc verba philoſophantem, ac filiis præcipientem inducit [i]; *Corpus meum ô Filij, cum diem in terris ſupremum clauſero, nec in auro condite, nec in argento, nec vlla in re alia, ſed ſtatim terræ reddite.* τὸ δ' ἐμὸν σῶμα ὦ παῖδες, ὅταν τελευτήσω, μήτε ἐν χρυσῷ θῆτε, μήτε ἐν ἀργύρῳ, μηδὲ ἐν ἄλλῳ μηδενί, ἀλλὰ τῇ γῇ ὡς τάχιστα ἀπόδοτε. Et mox; *Vbi vero obvelatus fuero, ne quis hominum mei filij, corpus meum videat, ac ne vos quidem ipſi etiam atque etiam oro.* ὅταν δ' ἐγὼ ἐγκαλύψωμαι, αἰτοῦμαι ὑμᾶς ὦ παῖδες, μηδεὶς ἔτ' ἀνθρώπων τοὐμὸν σῶμα ἰδέτω, μηδ' αὐτοὶ ὑμεῖς. Quo & illa pertinet *Homericæ pietatis* (vt Tertullianus ſupra dicebat) *induſtria* figmentorum ſuorum ambagibus hominis mortui reliquias quàm primum terræ mandandas præcipiens. Sed & à Deo doctæ Hebræorum genti, notum eſt quantæ religioni fuerit mortuos ſuos mature componere, quamque dirum & inviſum apud illam haberetur eorum aliquid in Solis lucem edi. Denique & quod maximum eſt, hæc ſententia videtur ex Paulino dogmate pendere. Paulus enim docet [k], vt ſemina ſulcis mandata, vique terræ occulta macerata, atque corrupta in novum ſuo poſtea tempore frumentum & vivificantur, & exoriuntur; ſic & corpora fidelium in multa infirmitate ſeminata, omni hac priori forma in terræ loculis depoſita in aliam vere tandem ſuo, ſed longe diviniorem reſurrectura. Quicquid ergo de quorumdam corporum dignitate vel dixeris, vel finxeris, iis profecto ſi hanc in terra ſepulturam, hanc in ejus loculis moram neges, videberis hoc ipſo etiam reſurrectionis claritatem invidere.

i Xenoph. Cyrop. l. 8. p. 87.

k 1. Cor. 15. 36. 37. 42. 43.

CAPVT

CAPVT XIV.

Argumentum XIV. ex quadam Antonij apud Athanaſium ſententia; eos acerrime objurgantis, qui Martyrum corpora non humarent, ſed apud ſe in lectis repoſita ſervarent, Baronij in hoc Antonij dictum Stropha refelluntur, Latinorum morem ſic purgare ſtudentis, vt nihil contra Antonij mentem peccare videantur.

ITAQVE non eſt mirandum, quod in hac diſciplina jam à puero educatus Antonius [l] tantopere exhorruerit ſuorum Ægyptiorum morem, cadavera non humata diu ad mortuorum, vt ipſi dictitabant, honorem domi in lectulis ſervantium; & Epiſcopos diligenter rogaverit, *populum vt erudirent*, ipſeque viros & mulieres ea de re objurgaverit, negans *id ſanctum eſſe, aut legitimum.* Λέγων μήτε νόμιμον, μήτε ὅλως ὅσιον εἶναι τοῦτο. Sed & Patriarcharum & Prophetarum, & Domini denique ipſius exempla afferebat, quos omnes conſtat ſuo quemque tempore ſepulcris poſt mortem fuiſſe conditos; atque ita demonſtrabat, qui defunctorum corpora poſt eorum obitum non humaret, quantumvis ſancta eſſent, eum præter, leges ac jura facere. ἐδείκνυεν παρανομεῖν τὸν μὴ θάπτοντα μὴ κρύπτοντα τὰ σώματα τῶν τελευτώντων κἂν ἅγια τυγχάνῃ. Ac vir ſanctus ab hoc errore tantopere tibi cavendum putavit, vt diſcipulis moriens enixe præceperit [m], vt corpus ſuum extra Ægyptum loco ignoto clam quam occultiſſime poſſent, conderent; quæ ſunt à nobis ſupra ex Athanaſij de Antonij vita volumine fuſius recitata. Antonius autem obiit a. D. 358. iis ipſis temporibus, quibus error *reliquiarius* apud Chriſtianos exoriri, & caput tollere, atque invaleſcere cœpit; vt ei vir prudens mature occurrendum merito judicaverit, monendoſque Epiſcopos, vt plebem ſuperſtitionum avidam, veriora docerent. Quo ea magis magiſque confirmantur, quæ nuper ex trium primorum ſæculorum monumentis conſtituimus; nempe hunc fuiſſe ſacrum conſtantemque omnis illius antiquitatis vſum, vt omnium, etiam ſanctiſſimorum, corpora mortuorum ſepelirentur, ac terræ mandarentur. Neque enim ſi aliter de Martyrum reliquiis inſtituiſſent Apoſtoli, & proximi eorum diſcipuli, vel legi majorum obſtitiſſet Antonius, vel hoc ejus factum atque judicium approbaſſet, vel etiam litteris mandaſſet Athanaſius, omnium illius ævi Chriſtianorum Præſulum celeberrimus, ac præſtantiſſimus. Iam vero ex his ita conſtitutis patet, primo quam non modo præceps ac temerarium, ſed etiam iniquum & à toto vetuſtiſſimo Chriſtianiſmo alienum fuerit Tridentinorum Patrum judicium, qui *honorem Sanctorum reliquiis à nobis negari* definiunt [n], quod eas vexan-

[l] *Athan. in vita Anton.* T. 2. p. 502. B.

[m] *ibid.* p. 503. B.

[n] *Conc. Trid. Seſſ.* 25.

CAPUT XIV.

ſepeliendas, ac terræ mandandas, non de tumulis detrahendas, & vexandas; non huc illuc diſtrahendas, non in particulas dividendas, aut concidendas eſſe contendamus. At res ſi ex antiquiſſimæ Eccleſiæ ſenſu & arbitrio æſtimetur, plane contra ſe habere deprehendetur. Cum enim ſepulturam mortuorum, vetuſtiſſimi Patres *corporum honorem* eſſe putent; cum qui etiam ſanctiſſima non ſepelit, eum τὸν θε-σμὸν, id eſt legem ac jura conculcare, violareque affirment; omnes intelligunt ex Patrum iſtorum ſententia, nos quidem, Martyrum reliquias humi condimus, & in illa Sancta mortuorum quiete religioſe componimus, quicumque iis convenit ac debetur honos legitimus, eum ipſis bona fide exſolvere ac reddere; Latinos vero ſuis Divis, non honorem, ſed injuriam & contumeliam facere, quorum ſacras & inviolabiles exuvias ex iis locis, in quibus erant ex Dei naturæque legibus conditæ, ac repoſitæ, extractas hac mortalium luce iterum poſt mortem fatigare, contactu & oſculis conterere, earum partes dividere, atque à ſeſe invicem divellere, & per diſſitiſſimas orbis regiones raptare ac ſpargere, has in altarium ſtipitibus, illas in capſis, ac feretris, multas in privatis virorum ac mulierum thecis ac ſacculis huc illuc circumferendas includere audent. Quid diceret, ſi nunc viveret, & hæc fieri, & quidem accuratiſſimæ religionis nomine fieri videret illè Antonius, qui mortuorum, etiam ſanctiſſima corpora, ſine ſcelere ac ἀσεβείας intecta & inſepulta haberi poſſe non putavit? qui Ægyptios ſuos ferre non potuit Martyrum corpora, non dico diſcerpere, & per omnes orbis habitabilis oras diſpergere, ſed bene alioqui compoſita, linteis decore involuta, & aromatis condita, domi lectulis impoſita ſervare, hoc illis vnum duntaxat negantes, quod ea terræ non mandarent? Sed & ex ſuperioribus liquet, quam diſtet primorum Chriſtianorum ea de re ſententia à poſterorum ſuorum imaginationibus, qui errore reliquiario poſtquam ſemel infecti ſunt, exiſtimare cœperunt Sanctos ab iis vel contemni, vel negligi, ſi qui eorum corpora in monumentis ſuis intacta, ac immota quieſcere ſinerent, Divoſque ipſos ita interdum loqui faciunt, quaſi eos iſtius placidæ, quietæque pacis pigeret, ac puderet. Qualiter apud illum Lucumonem, qui Legendam de inventis Stephani reliquiis longe inſulſiſſimam, magnas Baronij delicias, effinxit, videmus Gamalielem de ſuo & ſociorum in loculis, vbi erant conditi, ſitu ac torpore pæne flebiliter conquerentem; *Aperi nobis* (inquit Lucianum presbyterum noctu in ſomnis alloquens) [a] *Aperi nobis feſtinanter monumentum, vbi in negligentia poſitæ ſunt reliquiæ noſtræ, vt per nos aperiat Deus, & Chriſtus ejus, & Spiritus Sanctus oſtium clementiæ ſuæ in hoc mundo.* Ac ne hinc gloriolæ eum ſuſpiceris appetentiorem; *Non tantum* (inquit) *ſollicitus ſum pro me, quantum pro his, qui mecum ſunt poſiti ſancti, & multi honoris digni.* Caruiſſe hactenus innuit Stephanum, & Nicodemum (hos enim dicit) honore, quo digni erant; quod in ſepul-

[a] Invent. Reliquiar. Steph. apud Baron. a. D. 415. §. 7.

ſepulcris ſuis quieti latuerant. Nulla totis tribus primis ſæculis, imo ne quarto quidem, quod ſciam, huic ſimilis audita fuerat Sanctorum querela. Sepultura, quæ diu honos omnium mortuorum fuerat, tandem cœpit haberi Sanctorum contumelia. Quanquam vt error nunquam plane ſecum concors eſt. & ab ipſius Gregorij Divis multum alienus eſt iſte Lucianeus Gamaliel; qui ſibi diſplicere *negligentias* fatetur, in quibus ſuæ reliquiæ ſint; ſe illinc expediri, & honeſtius haberi poſcens; Gregorianus vero Petrus etiam vltro manum porrigenti Pelagio, & ejus argentum propius, ac decentius componere cupienti iraſcitur, & quas ille offert elegantiás, non tantum faſtidit, ſed terribiliter etiam reſpuit; cujus quoque ingenij erat, & ille apud eundem Laurentius, qui monachos, & manſionarios neſcio quid in ejus ſepulcro corrigere, ac emendare volentes, eaque gratia terram molientes, cum forte ejus tumulum imprudentes aperuiſſent, omnes infra decem dies præcipitatis mortibus de medio ſuſtulit, quos fortaſſe fures fuiſſe ſuſpicabatur, ſuis loculis ac theſauris inhiantes. Neque enim credibile eſt virum ſanctum, ac mitem in monachos, quos terram, ſui non violandi, ſed colendi, ornandique cauſa, & quidem ſummi Pontificis voluntate, ac juſſu fodiſſe putaſſet, tam ſevere, ne dicam tam duriter, atque immaniter fuiſſe vindicaturum. Ex his denique id, quod nunc agimus, clariſſime conſequitur, vetuſtiſſimos Chriſtianos martyrum & aliorum Sanctorum corpora, neque adoranda cenſuiſſe, neque ea vi pollere, præditaque eſſe ſciviſſe, vt homines, qui ea tangerent, oſcularentur, geſtarent, eos ſuo hoc contactu vel ſanctificarent, vel aliqua ſive ſpirituali, ſive corporali ſalute donarent. Hoc enim ſi vel vtrumque, vel alterum ſaltem ſenſiſſent, profecto neque ſepulturam humani cujuſvis corporis *honorem* eſſe abſolute, quod faciunt, ſed cum ſacrarum reliquiarum exceptione dixiſſent, quas ſcilicet ſepelire quædam ex hoc dogmate potius injuria eſt, quam honos; neque Sanctorum & Martyrum corpora atque oſſa humaſſent, quod eos ſemper, quatenus id quidem in ipſis ſitum erat, ſtudioſiſſime feciſſe planum eſt. Nam & res ipſa, quod jam ſupra diximus, clamat neque ſub terram id eſſe deprimendum, quod adorandum eſt; neque procul ab humanis ſenſibus condendum, ac removendum, multo etiam minus congeſta humo obruendum, quod ad communes Eccleſiæ vſus tangi debet. Latinorum praxis antiquiſſimo Chriſtianiſmi vſui ex adverſo oppoſita, id ipſum confirmat. Illi enim, vt notum eſt, & à nobis ſupra non ſemel obſervatum, quos vere Martyras, vereque Sanctos, ac vt loquuntur; *Divos* cenſent, adeo non humant, aut terra condunt, atq; obruunt, vt etiam vel capſis auro, argento, magna etiam interdum gemmarum copia radiantibus incluſas, aut ex pulvinaribus, in quibus componuntur, aut ex feretris, in quibus geſtantur ſublimes oſtentent, vel in mediis extantium altarium, id eſt ſanctiſſimarum Numinis

CAPUT XIV. niſ ſedium, ſtipitibus collocent, vel denique viventibus vitis, mulieribuſque, non in lectis, Ægyptiæ plebis more, deponendos, ſed collo aut brachiis illigandos, & ſecum diu noctúque circumferendos tradant; quorum nihil eſſe videtur, cui *ſepultura* nomen congruat. Neque vero eſt, quod quis obiiciat, etiam quoſdam, qui Divi ſunt apud Latinos fuiſſe humatos. Hi enim quo tempore condebantur, nondum habebantur pro Sanctis. Vbi ſemel patuit, ex Latini ſcilicet Pontificis decreto, *Divos* eſſe; tum communi ſepultura, veluti quadam ignominia, atque injuria Divorum indigna majeſtate, eximuntur, & in pretioſiſſimis illis, de quibus diximus, capſis, altaribus, reliquiariis, vt ſuo nomine, ac titulo dignum eſt, religioſiſſime atque honorificentiſſime collocantur; vnde ipſi & mortalibus ſalutem, & dona ſpiritualia, atque corporea affatim largiantur, & ab iis viciſſim venerationis & adorationis debitos cultus, honoreſque ſuſcipiant. Scio Baronium, vbi illa Antonij, quæ nuper ex Athanaſio exhibuimus, tangit, addere [p] *Eccleſiam Catholicam* (Latinam autem intelligit) *præſtare conſuevisſe* id ipſum, quod cupiebat Antonius; *Beatorum enim cadavera ſepulcris claudere, ſed* (inquit) *honorificentiſſimis tamen, nempe ſacris altaribus.* (Et ſane, quod nos ſupra obſervavimus) illa altarium confoſſio, qua Latini ſuorum Divorum reliquias condunt, *ſepulcrum* etiam in ipſo Pontificali paſſim dicitur, eoque fere nomine apud iſtos cenſetur. Sed eos hæ ſuæ artes nihil juvant. Ac Baronius quidem & Antonio, dum ejus ſententiam refert, & nobis, dum ſuæ Eccleſiæ praxin commemorat, craſſe ac nimium audacter illudit. Fingit enim Antonium, antiquum illum Ægyptiorum Paganorum morem ad Chriſtianos propagatum, eſſe deteſtatum, *quo carorum* (inquit) *corpora nequaquam ſepulturæ traderentur, ſed pollinctorum arte delibuta ita arida reddebantur, vt abſque corruptione integra ſervarentur.* At quid ille tergiverſatur, & nobis de veteribus Paganorum in Ægypto, vt ex Auguſtino [q] vocat *gabbaris*, id eſt corporibus illis exſiccatis, intempeſtive philoſophatur? Primo enim nihil erat, quod Paganicam hujus moris originem, veluti invidiam ei facturus, afferret, homo res conſuetudineſque Paganicas adeo non ſpernens, vt eas non ſemel contendat pie atque ſapienter ad Chriſtianiſmum traduci, [r] *vt* (inquit) *majori Diaboli contumelia, quibus ipſe coli voluerit, Chriſtus ab omnibus honoretur.* Itaque quod hic Chriſtianorum in Ægypto ritus à Paganis eſſet ortus, nihil id Antonio ad eum inſectandum cauſæ conferebat. Eo magis, Baronio quidem judice, laudandi erant, qui Diabolo (quod ille ait) *contumeliam*, ſcite ſane ac prudenter facerent, ab ejus cultu atque vſu ad Chriſtianam pietatem ſapienter traductis majorum ſuorum inſtitutis. Sed neque ſincere Baronius reprehenſum ab Antonio Ægyptiorum morem retulit. Sic enim loquitur, ac ſi Chriſtiani illi Ægyptij humano quodam affectu moreque ſuorum tantum vel neceſſariorum,

vel

p Baron. a. D. 378. §. 25.

q Aug. de div. erſ. Serm. 120. c. 12.

r Baron. a. D. 44. §. 86. 87. 88. & a. D. 58. §. 76. 97.

vel amicorum; vno verbo *carorum*, quod ille ait, corpora ſic ſervare inſepulta ſolerent; quod fateor, etiam DIVORUM cultoribus poſſe diſplicere, veriturís ſcilicet ne ita paulatim profanis, certe non ſancti, hominibus ii honores deferantur, quos ipſi ſolis duntaxat Divis deberi putant. Ita ſcilicet Baronius, plane veteratorie, rem narravit, vt omnem illam invidiam à ſuarum reliquiarum cultu amoliretur. Ar ſi (quod Annalium ſcriptorem in primis decet) verax, ſimplex, candidus, ſtudiique omnis purus fuiſſet, rem aperte, vt eſt apud Athanaſium, bona fide, nullis fucis incruſtatam repræſentaſſet, illum ſcilicet tantopere ab Antonio damnatum Ægyptiorum morem hunc fuiſſe, vt corpora, non *carorum* (quod noſter Annaliſta vafre inſinuat) ſed σπουδαίων [s], id eſt hominum ſapientum, ac *virtute*, quam Chriſtiani ſanctitate ac pietate cenſent, *præditorum*, *maxime vero ſanctorum Martyrum funerarent quidem*, & *linteis involverent; non autem mandarent terræ, ſed imponerent lectulis, & apud ſe domi ſervarent, eo ſe putantes mortuos honorare.* Græca iterum, ne quis dubitet, exhibenda ſunt. οἱ Αἰγύπτιοι τὰ τῶν τελευτώντων σπουδαίων σώματα, καὶ μάλιστα τῶν ἁγίων μαρτύρων εἰώθασι μὲν θάπτειν, καὶ περιελίσσειν ὀθονίοις, μὴ κρύπτειν δὲ ὑπὸ γῆν, ἀλλ' ἐπὶ σκιμποδίων τιθέναι, καὶ φυλάττειν ἔνδον παρ' αὐτοῖς, νομίζοντες ἐν τούτῳ τιμᾶν τοὺς ἀπελθόντας [t]. Nunc rogo, ſi cultus reliquiarum Latinus totius jam tum Eccleſiæ erat ſolennis; merebatur ne hæc iſtorum in eos reverentia, vt Antonius hoc tam (ex Latinis quidem moribus) pium ac religioſum inſtitutum *deteſtaretur*, quod ait Baronius? Non potius merebatur, vt laudaret? & ſi quid ineſſet minus recti, id vel indulgenter toleraret, vel benigne certe corrigeret? Quanquam equidem quid in iſtorum facto ex Latinorum legibus reprehendi poſſit, nihil aliud videre poſſim, niſi hoc vnum, quod ſcilicet Ægyptij parum, omninoque quam deceret parcius, atque malignius Divos colerent, qui quos publice in Eccleſia, in ipſis Eccleſiæ altaribus collocari fas erat, eos domi in privatis lectulis componerent, quoſque adorari, cereis, thure, donariis ſacris coli oportebat, eos apud ſe honoris cauſa ſervare ſatis haberent. Ergo Antonius, ſi Latinum jecur habuiſſet, bonos iſtos Ægyptios, non, quod fecit, veluti ſacra legeſque violantes, παρανομοῦντας, aſpere objurgaſſet, objurgarique ab Epiſcopis voluiſſet; ſed hoc vnum monuiſſet, ne illa Martyrum corpora, teneriori quodam iis potiundi affectu, domi ſuæ detinentes, publica atque Eccleſiaſtica tum adoratione, tum ædificatione fraudarent. Iam quam & illud lepidum eſt, quod Baronius, & cæteri Latini Divos, dum ſic, vt diximus, collocant atque conſecrant, *ſepelire* ſe dicunt, & loca illa auguſtiſſima, in quibus eos reponunt, *ſepulcra* vocant? ſeque hac mirifica Divorum *ſepultura* perfunctos exiſtimant egregie placaſſe Antonium, & iis, quę à ſuis ille Ægypriis requirebat, abunde ſatisfeciſſe? Hic ego omnem Grammaticorum, & Iuriſconſultorum veterum gentem advoco, &

OOoo inter-

CAPVT XIV.

s Suidas σπουδαῖος Θεὸς ἐσάτε·τί· oppoſit. τῷ φαύλῳ.

t Athan. de vita A t. T. 1 p. 502. B.

CAPVT XIV.

interrogo, *altaris* vocabulo *ſepulcrum* apud Græcos, Latinoſque cenſeri ſolitum meminerint? an *ſepeliri* id aliquis aliquando dixerit, quod in altari adorandum collocari, conſecrarique intelligeret? an quis Divum eum recte congrueque *ſepeliri* dicere poſſit, quem vult ſignificare *in Eccleſia nova, ſibi parata, atque ædificata, ad quam & ab aliis cum gaudio deductus, & ipſe de priſtinis ſuis manſionibus ſe movens, ſurgens, ambulans, & cum iucunditate exiens feſtinavit, & ingreſſus eſt*; in ea inquam, Eccleſia, non in obſcuro aliquo angulo, ſed in loco ſacratiſſimo, in medio *altari*, magno triumpho ac jubilo, veluti *inhabitationis ſuæ præparata à Domino ſede* rite glorioſeque collocatum atque conſtitutum eſſet, vt *majeſtatem Domini* (id eſt ſummi Divorum Dei ac Regis) *oret pro nobis, vt loca ſanctificet, vt plebem benedicat, vt nos homines peccatores in pace cuſtodiat?* Meminit enim Baronius hæc ipſiſſima eſſe Pontificalis ſui verba, cum deſcribit, quid illud ſit, qualiterque fiat, quod ſua Eccleſia Divis præſtare ſolet, cum eorum reliquias in altari conſecrat. Hoccine quæſo eſt, Divos *ſepelire*, aut in *ſepulcro* (quod ille ait) *recondere*? non eſt potius eos in glorioſiſſimo quodam majeſtatis ſolio, vnde regnent, & vbi adorentur, collocare? Non vt illos, quod Gentiles dicebant, ἀποθεοῦν, *deificare*? & in ſede non modo regia, ſed plane divina, ſtatuere? Atqui Clemens, vir abſque controverſia eruditiſſimus, ne Mauſolæa quidem, & pyramides, tametſi factas condendis hominum corporibus ſedes, *hominum ſepulcra* τάφους dici debere putavit; id nominis vilius & ſordidius ratus, quam vt ſuperbis magnificiſque ſubſtructionibus congrueret; *Templa* potius *mortuorum* ναοὺς τῶν νεκρῶν appellanda cenſuit [u]. Quanto ille minus Baronium ferret ſua veri nominis altaria, non ad mortuorum ſepulturas, ſed ad Chriſti, æterni Dei, ac Regis, cultum atque incruentam immolationem parata ſqualido *ſepulcrorum* vocabulo polluentem, ac dehoneſtantem? Sed quid ego hæc Latinis memoro, quorum majeſtas omnium Grammaticorum, & litteratorum jura jampridem contemnit? Illi vero ſibi licere putant de vocabulis æque, ac de pilis ſuis ludere, eaque vel invitis omnibus, non modo Grammaticis ac Iureconſultis, ſed etiam gentibus ac populis, quotquot vniverſo hominum genere cenſentur, pro ſuo commodo, ex animi libidine, invertere, & rebus vel negare, quibus illa cæteri omnes mortales tribuunt, vel tribuere, quibus alij negant. Ei, quem in cœlo eſſe putes, religioſas preces, velut præſenti, ardentes cereos; thura incenſa, alia donaria in genua procumbentem offerre, vota facere, gratias ei pro tua ſalute agere, imagines ſacras dedicare, & loca, in quibus dedicatæ ſunt, etiam de longinquo religioſe adire, nemo hominum fuerat, qui non vocaret *honores, cultuſque divinos*. Latinis non placuit iſta hoc nomine cenſeri. *Duliam* dici cogunt. *Latriam* ſi dixeris, malo tuo feceris, vbi illi quidem rerum potiuntur. Fruſtra ſolennem generis humani vſum obiicies. Pro-

u *Clem. Alex. Protrept. p. 32. C. D.*

Pro reſponſo, infortunium feres. Ita Latini rebus ſua vocabula negant, ſed & eodem iis jure aliena tribuunt. Quemquam, quo die & prandet hora ſexta, & veſpere, quamvis non cœnet, veſcitur tamen, eodem *jejunare*, nulla gens, quod ſciam, vnquam dixit. Latinorum vero natio, qui & opipare pranſus ſit meridie, & veſpere paſtus, potuſque (modo extra cœnam) exinde dormitum ierit, eum optima fide *jejunaſſe* affirmat, ſi tamen lucios, & murænas, & acipenſeres, & poma, & nuces, & olera ſuaviſſimis aromatis condita, & alias maris, hortorumque copias eſitarit à bubula, & ſuilla idem, & cæteris terræ atq; aëris animantibus abſtinuerit. Ita illi rebus lætis triſtia, vbi lubet, nomina imponunt, pro ſuorum dogmatum commodo ac dignitate. Eodem ergo jure cum voluerunt, ex *altari ſepulcrum* fecerunt. Sed vtantur illi quidem ſua illa poteſtate, per me nunc licet. Hæc nihil ad veteres; quibus *non licuit eſſe tam beatis*, quod, *Muſas colerent ſeveriores*. Apud eos ſane nuſquam ſepulcrum memini *altare* intelligi, vel *ſepelire* eſſe aut in *altare inferre*, aut aliud quam *humare*, neque contra quod ſciam, vllum ex tota antiquitate exemplum allatum eſt. Iraque cum vetuſtiſſimi illi omnes de primis ſæculis ſcriptores, quorum loca edidimus, vel *ſepeliri*, vel *ſepeliendos* eſſe apud ſe martyras dicant, planum eſt eos non de inſerendis in medios altarium ſtipites reliquiis, ſed de terra condendis mortuorum corporibus intellexiſſe; quicquid nunc Latini cavillentur. Quanquam ſi vel ambiguum eſſet apud veteres *ſepeliendi* vocabulum, ne ſic quidem eſſet quo de eorum in his ſermonibus mente dubitare liceret. Illi enim non ſimpliciter dicunt *ſepulta* fuiſſe apud ſe Martyrum corpora, ſed *ſepulta in area*, vt in Actis Cypriani, & quod idem eſt, *in cœmeterio*, vt Pſeudo-Damaſus loquitur non ſemel in Pontificali; & (quod omnem ambiguitatem excludit, etiã aliquando illud in hoc negotio vſurpant, *Martyrum corpora terra tegere*, κρύπτειν τῇ γῇ, vt eſt in paſſione Lugdunenſium; vel *terra cum convenienti funere mandare*, γῇ μετὰ τῆς προσηκούσης παραδίδοσθαι κηδείας, quod eſt apud Euſebium, vel ſimpliciter γῇ παραδιδόναι *terra tradere*, quod ait idem. Omnia vt vides, de communi illa, ac vulgari quorumvis hominum ſepultura (quæ corpore fit humato, ſive in terram demiſſo) intelliguntur, non de illa altera chimærica, quam Latinis nuper ſomniare placuit, quæ fit reliquiis ſacra Pontificis manu in excavatum altaris ſtipitem immiſſis & inædificatis, inauditum ante hac apud homines tumuli genus. Neque Antonio, quam vetuſtioribus, cum Baroniano figmento melius convenit. De qua ille ſepultura verba faceret, primum ſatis indicat ipſe ſcriptor Athanaſius, qui rem narraturus dicit Ægyptiis fuiſſe familiare piorum ac virtute præditorum virorum, præſertim vero Sanctorum Martyrum corpora *funerare quidem, & linteis involvere; non autem ſub terram tegere*, ἀλλ' οὐ κρύπτειν ὑπὸ γῆν. Sed imponere lectulis, & apud ſe ſervare, eo ſe putantes defunctos honorare; Hoc Antonium negaſſe vel legitimum, vel omnino ſanctum, faſque

Caput XIV.

 eſſe.

CAPVT XIV.

eſſe. Nihil videt, qui non videt ex hac narrationis ſpecie, Antonium prius quidem illud, quod Martyrum corpora funerarentur, & linteo involverentur; probaſſe; hoc vero alterum, quod eadem domi in lectulis ſervarentur, damnaſſe. Corporibus autem ita paratis, quæ domi ſervari indignabatur, quid fieri vellet, vt totum funus ſanctum, ac legitimum eſſet, perſpicue docet ſcriptor, dum ei, quod fiebat ab Ægyptiis, id, quod ab iiſdem minime fiebat, opponit, *funeraſſe quidem eos*, & linteis involviſſe corpora (hactenus recte) eadem vero *terra minime texiſſe* (& hoc male) ſed domi ſuæ ſervaſſe. Vnde luce meridiana clarius eſt *martyrum ſepulturam ita legitimam ac ſanctam futuram* fuiſſe ex Antonij ſententia, ſi corpora prius & linteis & cætero funere curata, & inde *ſub terram tecta*, ſive occultata, id eſt vno verbo *humata* fuiſſent ab Ægyptiis. Quod hoc ſecundum Ægyptiacis Martyrum funeribus deeſſet, eo non tantum mutila, atque imperfecta, ſed etiam *παράνομα* & *ἀνόσια illegitima & impia* viſa eſſe Antonio. Atqui apud Latinos non magis jam ſub terram, quam olim apud Ægyptios, humantur reliquiæ Martyrum in magnificis, quæ apud illos fiunt earum, ſive, vt ipſi loquuntur, *ſepulturis*, ſive, vt res ipſa magis perſuadet, conſecrationibus. Neque ergo Latini id, quod Antonius in Sanctorum ſepulturis requirebat, magis præſtant, quam ipſi Ægyptij, quos ille reprehendebat. Idque inde etiam clariſſime apparet, quod Antonius volebat Martyrum corpora eo ſenſu ac modo ſepeliri, quo & veterum Prophetarum, & ipſius Domini Chriſti reliquiæ olim ſepultæ fuerant. Atqui conſtat & corpora Prophetarum, & ipſius Domini corpus vere humata fuiſſe, & in veri nominis monumentis ſuo quæque tempore fuiſſe repoſita & recondita, *εἰς μνήματα* ſive *μνημεῖα τεθῆναι καὶ κρυβῆναι* (vt ait Athanaſius) nullius autẽ ex his corpus in aliquo altari fuiſſe conſecratum. Ergo planum eſt Latinos, qui Divorũ ſuorũ corpora non humant, neque in vere proprieque dictis ſepulcris recondunt, ſed vel in magnificis capſis, vt Ægyptij in lectulis, vel in altarium ſtipitibus collocant, nihil minus præſtare, quam quod in Sanctorum ſepulturis fieri præcipiebat Antonius. Itaque neque dubitandum eſt, quin ille hunc eorum, æque ac ſuorum Ægyptiorum, morem damnaverit; pariterque negaverit, vel *νόμιμον legitimum* eſſe, vel *ἅγιον ſanctum*. Vnde conficitur Baroniũ non modo falſo, ſed etiam inverecunde jactare Latinam ſuam Eccleſiam in reliquiarum ſuarum mimica illa ſoliuſque nominis, quam dicit, ſepultura id præſtare, quod olim præcipiebat Antonius. Sed hæc de Baronio ſatis. Nunc quod agimus, id concludamus, quando ex ſuperioribus liquet reliquias Sanctorum neque à Latinis earum cultoribus humari, neque ſane ab vllis, qui eas religioſe venerandas putent, *humari* debere, aut poſſe, niſi abſurdiſſime, conſequens eſſe vetuſtiſſimos ad a. D. 300. Chriſtianos nullas hujuſmodi reliquias vel adoraſſe ipſos, vel adorandas exiſtimaviſſe; quos ſcilicet clariſſime demonſtravimus Martyrum

omnium

omnium corpora accuratiſſime,quo ad ab illis fieri poterat, ſepeliviſſe ſemper,id eſt humaſſe,ac terræ mandaſſe. CAPVT XV.

CAPVT XV.

Argumentum XV. Quod aliquid ex Martyrum corporibus, altaribus inferendum, aut in reliquiariis condendum, carpere, ſervare, ad alios miſſitare, apud priſcam trium primorum ſeculorum Eccleſiam inſuetum & invſitatum fuerit. Ejus moris circa quarti ſeculi initium rudimenta; vnde poſtea Reliquiarius error exortus.

IDEM quoque ex altera quadam circa Reliquias obſervatione etiam validius confirmatur. Latini enim Divorum ſuorum corpora, vt in ſuperioribus ſæpe diximus; carpunt, ac diſſecant multipliciter, & in infinitas particulas, atque innumerabilia fruſta, fruſtillaque dividunt; quo ſic & omnium ſuorum altarium illa, quæ falſo & inaniter vocant *ſepulcra* inſtruere ac ſanctificare poſſint, & præterea ſuis (vt loquuntur) *devotis*, hæc vt putant, pietatis ſalutiſque præſidia aviditſime deſiderantibus ſufficere, Vnde illa fiant, de quibus docuimus, *reliquiaria*; quorum immenſa nunc eſt per totum Latinum orbem multitudo. Præter cultum ac reverentiam,in eo etiam habetur vtilitatis ratio. Nam ſingulis iſtis Sanctorum corporum particulis eandem illam vim θαυματοποιητικὴν, id eſt miraculorum effectricem ineſſe putant, quæ totis vnde decerptæ ſunt, corporibus ineſt ſcilicet; quamque vlla diviſione, aut ſectione ſolvi, aut minui negant, ſed ſumma fide manare ac ſpargi totam in minimas vſque particulas, Quin & ſæpe à reliquiis in alia tacta, aut affricta mirabiliter diffundi; qualiter vim magneticam in natura videmus ab ipſo magnete in ferrum contactum tranſire. Fuſe Baronius * rem totam more ſuo tractavit, & in Annalibus, & ad Martyrologium. Ex illa opinione, quam de hac admirabili reliquiarum vi habent animo præceptam, penituſque impreſſam, fit, vt ex corporibus Divorum aliquid carpant, ſibique legant ac ſervent (quoties quidem licet) *devotæ* illæ (vt vulgo loquimur) Latinorum animæ; ſi non licet, roſaria certe ſua,& alias res ſacras, ſi quas geſtant, iis ſaltem affricent, aliquid inde virtutis ſpiritualis hauriri ac colligi ſibi perſuadentes. Ac vt caritas, non tantum quæ ſua, ſed etiam, quæ fratrum ſunt,quærit, illas, ſi quas nanciſci queant, reliquias non ſibi ſolis habent, ſed etiam amicis benigne impertiuntur. Sed & Martyrum, imo & omnium, ſi qui ſint apud eos in aliqua ſanctitatis fama atque opinione corpora ſi quando habent in poteſtate, tametſi neutri adhuc ſint Papæ decreto in Divorum numerum relati, non negligunt tamen aliquid ex iis

* *Baron. a. D. 55. §. 12. 13. 14. 15. Id. Prolegom. de Martyrol. Rom. c. 10.*

CAPVT XV.

reliquiarum carpere, ac ſibi ad religionis vſus ſervare, vel etiam cum aliis communicare; Qualiter Alexandrum Rhodium ſupra diximus Andreæ Cocinſinenſis diſcipuli ſui caput, cum is pro Latina fide martyrium in patria feciſſet, à reliquo corpore diviſum ſibi ſumpſiſſe, & ex vltimis Orientis oris Romam vſque aſportaſſe. Pluribus exemplis in re vulgari nihil eſt opus. Illud potius obſervandum, non eſſe hanc novam, aut nudius tertius exortam, vel Latinorum duntaxat propriam conſuetudinem. Reliquias ſtatim, vt in pretio eſſe, & miraculis celebrari cœperunt, etiam antequam adorarentur, conſtat ita carptas, & diviſas fuiſſe. Et ratio manifeſta erat. Cum enim vim ad ſanandos ægrotos, ad fuganda dæmonia, & ad alia patranda miracula habere ſingularem putarentur (ita autem de iis exiſtimaſſe, non modo Gregorium Romanum ſexto ſæculo, & Theodoretum quinto, ſed etiam Nazianzenum quarto prolatis eorum teſtimoniis oſtendit Baronius) non eſt mirandum eas, etiam qui nondum veluti cultu religioſo dignas venerarentur, tamen vt ſalutares atque vtiles & concupiviſſe, & nactos vel ſibi ſervaſſe ipſos, vel etiam aliis impertitos eſſe. Ambroſium quidem ſcimus jam anno quarti ſæculi 87. Protaſij & Gervaſij Martyrum corpora, cum ea reperiſſet, non modo ipſa in baſilicam Mediolanenſem Ambroſianam tranſtuliſſe, ſed etiam decerptas ex iis particulas ad alias vrbes, atque Eccleſias non paucas, quaſdam etiam longiſſime diſſitas miſiſſe; Romam, verbi gratia ad Veſtinam, illuſtrem matronam, Nolam ad Paulinum, Brixiam ad Gaudentium, in ipſam Africam, in Galliam, & ad Noricos. Ad hæc enim loca omnia perveniſſe illorum Martyrum reliquias Baronius non tantum prædicat, ſed etiam, vt eſt talium curioſus, annotatis ſigillatim veterum ea de re teſtimoniis affirmat [u], quæ ſi quis deſiderat, ex eo petat. Nos quod res controverſia careat, ſingula vel deſcribere, vel etiam indicare, operæpretium non putamus. Ejuſdem quoque Ambroſij conſimili liberalitate Baronius alibi tradit [x] Nazarij, & Celſi reliquias in diverſas orbis Chriſtiani regiones ſparſas eſſe; vt Nolam, & Fundos ad Paulinum, & Brixiam ad Gaudentium. Eaſdem diu poſtea particulas ad Afros poſcentes ab Ennodio Ticinenſi Epiſcopo, miſſas, tandemque Ebredunum in Gallias tranſlatas. Ipſe Ambroſius, cum Bononiæ adfuiſſet, quo tempore Agricolæ & Vitalis oſſa in eam vrbem inventa transferrentur, narrat [y] ſe ex eo *convivio* (ſic enim feſtam illam Martyrum tranſlationem vocat) *Apophoreta Virginibus reſervaſſe* & attuliſſe, ad quas cum Mediolanum, vt videtur, rediret, ex itinere petitus venerat; *Apophoreta*, vt ex cætero ejus ſermone intelligitur, vocans quaſdam earum reliquiarum particulas, quæ apud Bononiam magna celebritate, ac pompa erant conditæ. Ita quidem Ambroſius. Neque dubitandum eſt, quin cæteri ejuſdem ævi, ſiqui Martyrum corpora nanciſcerentur, eadem liberalitate in ſpargendis apud Eccleſias reliquiis vſi fuerint. Hunc ego morem, hunc

u *Baron. a. D.* 387. §. 4. 2.

x *Id. Not. ad Martyrol. d.* 28. *Jul.*

y *Ambroſ. Exhort. ad Virg. T.* 1. *p.* 115. *D.* 117. *A.*

hunc uſum in tota trium, quæ præceſſerant, ſæculorum Chriſtiana antiquitate requiro. Si de reliquiarum virtute ac beneficentia ſuperiori illo tempore eadem erat noſtrorum opinio, quæ Ambroſiano fuit; ſi hæc ita obſervanda à Chriſti Apoſtolis jam inde à Chriſtianiſmi primordiis docti erant; nemo ut opinor, dubitavit, quin par eorum quoque fuerit in ſe, ſuoſque cura, atque caritas, nemo dubitabit, quin Martyrum corpora, ſi qua in manibus haberent, religioſe carpſerint, & aliquas eorum partes, vel certe particulas & ſibi ipſis ſervarint, & ad fratres longe poſitos dono miſerint; Erit in eorum monumentis aliquis Alexander, qui diſcipuli alicujus ſui caput, fortiter à trunco revulſum, vel Romam, vel in aliam aliquam civitatem, totam loci Eccleſiam ornaturum deferat; Reperietur iſtic & nonnullus Ambroſij anteceſſor, qui jam tum vel *apophoreta* hæc ſacra de martyriorum rapta cœnis (quæ nullo unquam, quam illo tempore ſplendidiores, aut magnificentiores fuerunt) virgunculis ſuis grata munuſcula ferat, vel orbem ſparſis, quocumque Chriſtus invocabatur, reliquiis, licet unius, & alterius Martyris opibus. Neque enim vel noſtris Latinis, vel ipſo etiam Mediolanenſi Ambroſio deteriores fuiſſe primorum ſæculorum Chriſtianos dixeris, quorum res, atque opera ſatis docent, quam nulla eorum pares ætas alia viros tulerit, ſeu zelo in Deum, ſeu amore in fratres. Neque id credo, objecei is corpora iis Martyrum, quæ dividerent, defuiſſe. Notum enim eſt nullis unquam Chriſtianis ſæculis plura fuiſſe martyria, quam primis illis tribus, de quibus nunc agimus; Et hoc fateor me non parum mirari, quod Martyrum reliquiæ, cum martyria florerent, condi & humari ſolitæ, poſtquam eadem fieri, pace Eccleſiæ data; deſierunt, repente de ſepulcris erui, celebrari, frequentari, in partes, omnibus in illos theſauros inhiantibus, dividi, quo pluribus prodeſſent, cœperint. Cum ergo primis illis ſæculis noſtrorum & pietas caritaſque ſi non major, certe par eorum fuerit, qui poſt annum Domini 360. vixerunt; cum & martyria tum temporis creberrima fierent, unde reliquiæ carperentur; apparet eos quoque illis temporibus martyrum corpora fuiſſe carpturos, & diviſuros, decerptaſque ex iis particulas & ſibi ſervaturos, & cum fratribus per varias Eccleſias ſparſis communicaturos, plane ut & Ambroſium, & alios quarto, & ſequentibus inde ſæculis feciſſe ſcimus, & Latinos nunc facere videmus; ſi eadem quidem cum his de reliquiarum vel uſu, vel veneratione ſenſiſſent. Atqui nihil unquam ab illis hujuſmodi toto trium priorum ſæculorum decurſu factitatum eſſe ex veris, qui ſuperſunt, illius memoriæ libris conſtat. In iis enim, ut ut diligentiſſime ſcruteris omnia loca, in quibus ſolent iſta à ſequentium ſæculorum ſcriptoribus commemorari, plane nullum reperies, ubi fiat aliqua rerum hujuſmodi mentio. Solent iſta maxime & fieri ſtatim poſt Martyrum paſſiones, & dici ubi eorum certamina narrantur.

CAPVT XV.

Innumerabilia occurrunt in primi Chriſtianiſmi monumentis hujus generis loca, vbi Martyrum mortes deſcribuntur, & quæ poſt eas proxime contigerunt. Sepulta quidem, id eſt humata fuiſſe à ſuperſtitibus Chriſtianis Martyrum corpora in hujuſmodi locis diligenter narratur; reliquias vllas decerptas, in altari conditas, vel alio ad aliquas Eccleſias miſſitatas, nuſquam legitur. Stephani martyrium Lucas in Actis exhibet. Martyrio deſcripto, illa ſtatim ſequuntur [z]; *Curaverunt autem Stephanum viri timorati & fecerunt planctum magnum ſuper eum.* De reliquiis ex ſacro corpore decerptis, & in alicujus altaris ſtipitem illatis, vel ab aliquo Apoſtolo, aliove fideli vel ſervatis, vel ad aliquem fratrem dono miſſis, nihil dicitur. Iacobum ab Herode ob Chriſti nomen interfectum memorat [a] idem divinus ſcriptor. Aliquid ex ejus corpore ad venerationem, vel ad miracula ſepoſitum non memorat. Narrat [b] idem & quidem fuſe ac diligenter Pauli ex Palæſtina ad vrbem Romam navigationem. Nullis narrat Paulum vel B. Virginis Mariæ, vel Stephani, vel Iacobi reliquiis ſe ad illud iter muniviſſe, vel adverſus maris pericula, vel certe ad Chriſtianos, qui Romæ erant, religioſo & ſalutari munere donandos; quod vir frugi Alexander Rhodius Apoſtolo (ex iſtorum quidem reliquiaria Theologia) multo diligentior non omiſit; qui ex Cocinſinę littoribus in Italiam navigaturus Andreæ, barbari Martyris caput, ſecum Romam attulit, idque in ſuis Commentariis memoriæ tradidit. Cur iſto vel Paulus ad hæc curanda, vel Lucas certe ad narranda ſegnior fuit? Atqui de Roma reliquiis ornanda multo magis tunc Paulus, quam nunc Alexander cogitare debuit, quod hac ſacra ſupellectile vrbs olim quidem careret, nunc ad invidiam abundet. Sed vt cœptum de martyriorum actis & relationibus ſermonem pertexamus, Hegeſippus apud Euſebium [c] Iacobi cognomento Iuſti, martyrium executus, addit virum ſanctum ibidem fuiſſe ſepultum (id eſt eodem, vt videtur, quo paſſus erat, loco) neque hoc omiſit *ejus columellam*, in ſepulcro ſcilicet erectam, ſua adhuc memoria *manere.* Reliquias vel decerptas à fratribus fuiſſe, vel particulas alio miſſas aut tranſlatas nullus dicit. Sed in primis illuſtris eſt, non ſemel à nobis memoratus ex actis Polycarpi [d] locus; vbi cum omnia diligentiſſime narrentur, vt vir ſanctus occiſus fuerit, vt ejus corpus poſt mortem ab impiis exuſtum, vt oſſa, quæ ſuperfuerunt Smyrnenſes fideles collegerint, & depoſuerint, id eſt ſepelierint, & quidem ſperantes eodem ſe in loco martyrij ejus memoriam anno vertente acturos; nihil plane de cerptis reliquiarum particulis habetur. Iſti vero Smyrnenſes plane duriter, ne crudeliter & avare dicam, ſe gerunt, qui theſauri illius omnibus gemmis carioris, ne minimam quidem particulam ſuis illis, ad quos ſcribunt, fratribus, ſive *Philomelienſibus* (vt habet Euſebianus codex) ſive, vt vetera Vſſerij Acta, *Philadelphienſibus*, impertiuntur. Qua vero benignitate, qua magnificentia has

z *Act.* 8. 2.
a *Act.* 12. 2.
b *Act.* 27. & 28.
c *Euſeb. Hiſt.* l. 2. c. 23.
d *Ibid.* l. 4. c. 15.

has opes, ſi eas eſſet nactus, diviſiſſet Ambroſius? Ille profectò Polycarpum per totum orbem Chriſtianum ſparſiſſet. Nullam in Aſia, nullam in Europa, aut Africa paulo illuſtriorem Eccleſiam tanti boni immunem reliquiſſet. Cur Smyrnenſes Martyris quidem laudes & exemplum omnibus ſtudioſiſſime impertiunrur; oſſa nullis diſtribuūt? Tardus eſt, qui vel hinc non intelligit nondum illo ſæculo noſtris cognitam fuiſſe Reliquiariorũ diſciplinam; Chriſtianoſque illius ævi ex Martyrum virtute, fortitudine, pietate, ac zelo fructum cepiſſe; ex oſſibus & cineribus nullam ſibi ad miracula, vel ad ſanctificationem vtilitatem quæſiviſſe. Lugdunenſibus noſtris fateor, nihil quod vel ſuis altaribus ſeponerent, vel fratribus impertirentur, de Pothini, & Sancti, & Blandinæ, & aliorũ Martyrum corporibus, reliqui fecerat immanis hoſtium crudelitas. Si tamen idem illi, quod vel nunc Latini, vel olim Ambroſius, & alij de his ſenſiſſent, hoc ipſum certe teſtati eſſent, quo loco de illa Paganorum in Sanctos feritate conqueruntur. Dicunt [c] ſibi fuiſſe moleſtiſſimum, quod hoſtium ſcelere atque amentia effectum ſit, ne ſibi liceat *Martyrum corpora terra contegere* vel *condere*. Si *Reliquiarij* fuiſſent, certe & altarium ſuorum jacturam defleviſſent, quibus hoc tantum præſidium atque ornamentum perſecutorum iniquitas, ac rabies invidiſſet, &, quod Chriſtianæ caritatis ingenium poſcebat, doluiſſent, quod ejuſdem caſus acerbitate prohiberentur Aſianis fratribus, ad quos ſcribunt, aliquid ſanctiſſimarum reliquiarum impertiri. Quod de his nihil tali loco ac tempore dicunt, id ſatis arguit eos diſciplinæ illius reliquiariæ plane *ἀμυήτους* fuiſſe, quæ poſtea obſtetricantibus Ambroſio, & Paulino, & Hieronymo, & aliis ejuſdem ævi, nata eſt. Idem de his fuerat Pij Romani Epiſcopi in pari loco ſilentium, vbi ad Iuſtum Viennenſem ſcribens [f] Attalum (illum ipſum, vt videtur, athletam nobiliſſimum, qui poſtea, ſed mortuo jam Pio, in eo ipſo de quo modo diximus, agone martyrium Lugduni fecit) Attalum inquam, illum ad ſe veniſſe ſcribens, *epiſtolas Martyrum portantem*, gaudium quidem ſibi *ineſtimabile de eorum triumphis feciſſe* dicit, quos ipſi ſcilicet narraverat, de reliquiarum vero allatis ab eodem particulis, nihil dicit. Atqui ex Latina & Ambroſiana diſciplina, & Attali fuerat hujuſmodi Pio munera afferre, & Pij, ſi qua allata erant, hoc loco non tacere. Idem Iuſtum monens Martyrum corpora funerare, & de reliquiis tum ad inſtruenda altaria, tum ad miracula, ad venerationem, ad alios Eccleſiæ vſu decerpendis ac ſeponendis monuiſſet, ſi jam tum hic apud noſtros vſus fuiſſet. Quod & in ſimili tum Romani Cleri apud Clerum Carthaginenſem ſermone [g], & Cypriani ad ſuos presbyteros & Diaconos præcepto [h] obſervandum eſt. Hi enim vtroque loco Martyrum corpora *ſepelienda* quidem *diligenter* monent; Reliquias vero inde carpendas ſervandaſque, neque ipſi, neque ante eos Pius vel vno verbo ſignificant. Eodem quoque pertinet, quod ſuum Eu-

[c] *Euſeb. Hiſt. l. 5. c. 1.*
[f] *Pij I. ep. ad Iuſt. Vienn.*
[g] *ep. ad Cypr. ep. 2.*
[h] *Ibid. ep. 37.*

CAPVT XV.

ſebium Dionyſius Alexandrinus[i] ob ea, quæ Martyrum amore, & ſtudio præſtiterat, commendans, ejus & in viventes, carceribuſque incluſos curas, ac ſollicitudinem, & in mortuis decenter tegendis, ac involvendis, ſepeliendiſque induſtriam, ac diligentiam deprædicat; ejuſdem in eorum reliquiis vel adorandis pietatem, vel carpendis, ſeponendis, ſervandis, etiam ad fratres miſſitandis ſtudium nullus memorat. De Cypriano vero quid dicam, qui in tam multis epiſtolis, quas de Martyribus, vel ad ſuos Clericos, vel ad Confeſſores ſcripſit, nuſquam iſtarum reliquiarum vel in altaribus recondendarum, vel ſibi, aliiſve impertiendarum meminit? Suos quidem Clericos Carthagine conſiſtentes juber[k] eorum, qui pro Chriſti nomine excedunt, *nomina annotare*, & ad ſe tunc abſentem perſcribere, *vt commemorationes* (inquit) *eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus.* Reliquiarum aliquid ad ſe mitti (quod ejus erat pietatis, ſi Reliquiariorum conſectaneus fuiſſet) non hic, non alibi vſquam petit. Idem ad Moyſem, & Maximum, & cæteros Romanos Confeſſores ſcribens, eos rogat[l], *vt ſui ſint memores in precibus & orationibus ſuis*; Vt ſociorum, ſiqui Romæ martyrium vel jam conſummaviſſent, vel deinceps eſſent conſummaturi, reliquias ad ſe mittant, nullus petit. Sed & cum presbyteris, ac Diaconis Romanis gratulatur, quod de Fabiani Epiſcopi ſui gloria ſolliciti, ejus ad ſe martyrium perſcripſiſſent, nullas iſtic de miſſis ad ſe ab iiſdem ſanctiſſimi Martyris reliquiis gratias agit; quod non erat omiſſurus, ſi quæ eſſent miſſæ. Ergo nullæ erant miſſæ; quas ſi mitti decuiſſet, profecto queſtus eſſet hoc loco eas non fuiſſe miſſas; rogaſſet certe, vt vel poſtea mitterentur. Sed altum illi de Fabiani reliquiis tota epiſtola ſilentium. Tantum id, quod ex Apoſtolica diſciplina clarum, & indubitatum eſt, dicit[m] Martyrem *ſibi quoque fidei ac virtutis præbuiſſe exemplum*; addens *vtile eſſe & ſalutare, cum ſe Epiſcopus per firmamentum fidei fratribus præbet imitandum.* Ipſum vero Cyprianum, glorioſiſſimo quoque martyrio functum, *ſepultum* à ſuis fuiſſe in area Macrobij Candidi, id eſt in cœmeterio fidelium legimus; carptas de ejus corpore reliquias vel in altare, pro ſepulcro illatas, vel aliis dono miſſas puta Romanis, vel Alexandrinis, aut Cæſarienſibus fidelibus, quibus fuerat notiſſimus, aut ipſis ſuis Afris, apud quos ſummo in honore vixerat, nulla veterum acta referunt; ac ne Pontius quidem ejus Diaconus quicquam hujuſmodi ſignificavit[n]; quod ſi factum eſſet, quis eum prætermiſſurum fuiſſe putet? in opere, quo Epiſcopi ac magiſtri ſui vitam, ac martyrium fuſe ac diligenter exſequitur, quæcumque ad ejus gloriam pertinere judicabat ſtudioſiſſime, non modo conquirens, & tradens, ſed etiam pro ſua virili exaggerans, atque amplificans. Eadem cæterorũ eſt de veteri illa memoria Martyrum ratio. Eorum corpora ſepulta dicuntur paſſim, decerptæ ex iis reliquiæ nuſquam dicuntur. Extat epiſtola Macarij, Fœlicis, & Veri de Tharaci, Probi, & An-

i Dion. Alex. apud Euſeb. l. 7. c. 11.

k Cypr. ep. 37.

l Id. ep. 15. p. 29. & ep. 25. extr.

m Id. ep. 3. p. 9.

n Pont. in vita Cypr.

CAPVT XV.

& Andronici apud Tarſum a. D. 290. martyrio, cujus fides penes Baronium [o] qui exhibet ; eſto. Sed illi quidem narrant ſe, cum Martyrum corpora gladiatorum occiſorum corporibus, juſſu Maximi Præſidis permixta, & à decem militibus cuſtodita divino miraculo & agnoviſſent, & ſubtraxiſſent, *ea in cava quadam petra, quæ in adverſa montis parte erat poſuiſſe, & aditum magna diligentia clauſiſſe, ne ab inquirente Maximo invenirentur.* Hæc illi; Reliquiarum ſe aliquid Martyrum corporibus detraxiſſe, ſecum tuliſſe, vel iis, ad quos ſcribunt, fratribus mittere nuſquam ſignificant; quibus tamen eos commendare non omiſerunt, per quos epiſtolam mittebant; *Quos autem cum his ad vos mittimus, ſuſcipite in timore Domini.* Eupſij acta apud eundem Baronium, valde bona, & quantum judico, ſinceriſſima, narrata Martyris paſſione, hoc vnum addunt [p], *ſublatum poſtea ejus corpus à Chriſtianis, & conditum aromatibus ſepultum eſſe*; De reliquiis decerptis, & ab iiſdem vel ſibi ſervatis, vel ad alios miſſis, nihil. Idem obſervare eſt in cæteris, quæ ſupra ex Euſebio jam attigimus. Ille Marini Martyris corpus magnifice ab Aſtyrio, viro Senatorio ſepultum, & Dorotheum, Petrum, atque Gorgonium Cæſareos domeſticos, Principis juſſu pro fide occiſos, *terræ mandatos cum eo, quo decebat* funere, & illos duodecim egregios Chriſti athletas, quorum Pamphilus illuſtriſſimus fuit, *conſueta* ſive ſolenni ſepulturæ traditos fuiſſe ſcribit [q], de reliquiis Latino & Ambroſiano more carptis, diviſis, in altari conditis, huc & illuc miſſitatis nullum plane verbum facit; nullum vt paucis abſolvam, veterũ quiſquam, eorum quidem, qui vere vel ante, vel paulò poſt a. D. 300. vixerunt. His ex actis Fructuoſi. & Eulogij locum addam à Bocharto [r] noſtro merito obſervatum, eumque ad ſuperiora tempora pertinentem, conſulto huc diſtuli, quod vnus rem totam apertiſſime conficiat. Narrant ergo Acta [ſ], cum duo illi Martyres vivi eſſent à perſecutoribus combuſti a. D. vt quidem cenſet Baronius, 262. fideles noctu ad amphitheatrum, vbi erant interempti, *cum vino feſtinaſſe, vt ſemi vſta corpora exſtinguerent. Quo facto* (inquit auctor) *cineres eorum collecti ſunt, & pro vt quiſque potuit, ſibi vindicavit.* Cæterum Fructuoſum *poſt paſſionem apparuiſſe fratribus, & monuiſſe, vt quod vnuſquiſq; per caritatem de cineribus vſurpaverat, reſtituerent ſine mora, vnoque in loco ſimul condendos curarent.* Primo hic vides fideles iſtos Martyrũ ſuorum cineres, non ex pietate, ac vt Latini nunc loquuntur, ex *devotione*, ſed ex *caritate* collegiſſe, & ſibi ſumpſiſſe; id eſt ex affectu, nõ eo, qui eſt in res Religionis ſed eò qui eſt in homines, & in res hominum; ad hoc adeo collegiſſe, nõ vt eos adorarent hodierno Latinorũ more, ſed vt ab impiorũ injuria eriperent. Hoc enim viſionis verba volunt, *quod vnuſquiſq; per caritatẽ de cineribus vſurpaverat.* Secundò, Quod præcipit viſio, quod ſinguli de cineribus Martyrũ ſibi vindicaverant, id vt vniverſi ſine mora reſtituant, vnoque in loco ſimul condendũ curent,

o *Baron. a. D. 290. §. 30. 31. 32.*

p *Act. Eupſ. apud Bar. a. D. 303. §. 149.*

q *Euſeb. Hiſt. l. 7. c. 16. & l. 8. c. 6. & ibid. ſ 98. B. edit. Gr.*

r *M. Boch. de l'orig. des Reliq. c. 1. p. 32.*

ſ *Act. Tract. apud Baro. a. D. 262. p. 68.*

CAPUT X V. hoc inquam, omnem Reliquiariorum diſciplinam oppugnat, ac diſiicit, qui Divorum ſuorum cineres, & multo etiam cineribus inſigniores particulas, non modo, *non in loco ſimul non condunt* (quod juſſi ſunt veteres illi fideles) ſed plane contra, cohærentes & vno in loco ſitas conditaſque ſacrorum corporum partes à ſe ſe diviſas in loca diſtrictiſſima ſpargunt, ac diſſipant; quo ipſam primo Naturæ ipſius (vt ſic dicam) majeſtatem inverecundiſſime violare videntur, ea quæ illa inter ſe conjunxit, & conglutinavit, & in vnum idemque corpus compegit, manu pœne impia divellentes. Tum & ſanctiſſimas gentium pœne omnium, quibus quidem aliquid humanitatis ineſt, leges temere pulſant, ac perrumpunt, quæ hominis fato ſuo functi cadaver, veluti rem ſacram, habent, neque ejus formam ſolvi, aut membra labefactari, aut nexus, quibus ea colligata ſunt, dirimi patiuntur, ſed terræ communi rerum omnium inferiorum parenti mandari, ac velut in ejus gremio reponi præcipiunt, niſi forte vel gravis aliqua cauſa intercedat, vel is mortuus fuerit, qui ſceleribus, aut flagitiis ſuis ſeſe ipſe ita polluerit, ac inceſtarit, vt reverentia, quæcumq; hominis nomini debetur, indignus evaſerit. Nam in horum, etiam inanimata, corpora jure ſæviri fateor, eorumque artus merita diſſecari, & compagines diſſolvi, totamque molem diſſipari. Quo fit, vt in ipſos quoque Divos contumelioſa eſſe videatur Reliquiariorum diſciplina; quorum corporibus ſcilicet quandam ignominię labem inurit, dum ea in partes, ac particulas ſecando ſic hactenus quidem habet, vt improborum hominum nocentiſſimi, maximeque infames vulgo tractari apud gentes ex publicis legibus ſolent. Huc denique accedit, quod hic Reliquiariorum ritus ex illo, quod laudavimus, ex Fructuoſi Actis teſtimonio, liquido deprehenditur, vel contra Sanctorum ipſorum voluntatem, vel certe præter vetuſtiſſimæ Eccleſiæ Chriſtianæ ſententiam, ac conſuetudinem inſtitutus. Nam ſi Latini veram eſſe confitentur hanc Fructuoſi viſionem, fidelibus præcipientis, vt ſuos *cineres ſine mora vno in loco ſimul condant*; cur Sanctorum reliquias aliter habent, quam ipſi volunt ac jubent? cur divellunt, quæ hi conjuncta cupiunt? cur diſſipant, quæ hi cohærere gaudent? cur denique in plura loca ſpargunt, quæ hi *vno ſimul condi*, & quidem *ſine mora* imperant? Sin fictam eſſe reſpondeant hanc viſionem (quamquam haud equidem videam, cur hanc repudiaturi ſint, qui alias tam multas, multo & recentiores, & incredibiliores & ſuſcipiunt, & arctiſſime defendunt) ſed ſi fictam pertendunt, negare certe non poſſunt, probabiliter fictam fuiſſe, id eſt ex illius Eccleſiæ moribus, in qua Fructuoſus vixit. Vnde hoc, quod dixi, ex hac viſione, qualiſcumque de cætero ſit, plane intelligitur ex publicis illius Eccleſiæ moribus nefas fuiſſe corpora Sanctorum carpere & dividere, eorumque partes in diverſis locis ponere, alias altarium, & quidem inter ſe diſſitiſſimorum, ſtipitibus includere, alias capſis condere, ac

re, alias in thecis ac ſacculis à pluribus viris, mulieribuſque geſtari. Huc etiam pertinet, quod vetus ſcriptor à Sirmondo ſub Euſebij vel falſo, vt equidem opinor, vel quod nemo negaverit incerto, nomine vulgatus narrat de Martyte, quem tametſi ipſe non nominet, Romanum Diaconum Cęſarienſem fuiſſe ſatis conſtat, anno Diocletianeæ perſecutionis primo (id eſt Chriſti 302.) Antiochiæ ex veri Euſebij [t] hiſtoria paſſum, in quem extat & Chryſoſtomi oratio Tomi primi Pariſienſis XL. [u] Narrat ergo vetus ille ſcriptor à Sirmondo publicatus, cum Iudex Romani linguam incidi præcepiſſet, cumque medicus quidam ex animi infirmitate paulo ante in Chriſti negationem lapſus, *iſtic forte inventus parata habens ad ſuam neceſſitatem ferramenta*, juſſus eſſet crudele imperium manu ſua exſequi, hominem quidem, quantumvis nolentem, ac invitum, linguam Martyris incidiſſe, ſed eam tamen, [x] *vt medicamen illius delicti, quod admiſerat abnegando, accepiſſe, domique ſua recondidiſſe; vt conſueverunt* (inquit auctor) *infirmiores, fideles tamen, honorare, ſiquid à Martyribus ſumpſerint.* Hæc ille; ex quibus vides jam iſtius ævo (id eſt poſt a. D. 301.) morem fuiſſe quorumdam ſervare & *honorare ſiquid à Martyribus ſumpſiſſent*, cujus moris nullum ex anterioribus, teſtij ſæculi temporibus exemplis veris afferri poteſt. Cæterum eum morem, etiam fuiſſe, non publicum omnium; ſed quorumdam proprium ac privatum, non Epiſcoporum, & præſtantiorum fidelium, ſed quod hic noſter diſerte ait, *infirmiorum*, qualis hic ipſe medicus erat, Chriſti ex infirmitate negator. Quin & aliquot ante quarti ſæculi initia annis, jam nonnulli fuiſſe apud noſtrorum vulgus videntur, qui præter majorum inſtituta, ac mores humano affectu abrepti aliquid hujuſmodi factitarent. Acta certe Andronici, qui an. D. 290. Tarſi martyrium fecit, referunt hæc Maximi Præſidis ad ſuæ in Martyrem crudelitatis miniſtros verba [y]; *Blaſphemam linguam abſcindite; dentes autem ejus tollite, & linguam comburite; cinerem facite, & vbiq; ſpargite, ne de conſortibus hujus impij, aut ex mulierculis aliqua colligat, & ſervet, veluti pretioſum aliquod, aut ſanctum.* Ex his Præſidis verbis jam tum fuiſſe videntur vel *mulierculæ*, vel etiam viri, ſed quod ille alter ſcriptor dicit, *infirmiores*, qui aliquid hujuſmodi factitarent. Ab his initiis progreſſus error *Reliquiariam* apud Chriſtianos religionem paulatim condidit. Nam qui nunc *mulierculatum*, & *infirmiorum* mos erat ſponte ac temere ex humano quodam affectu ortus, is mox poſt annos vix ſexaginta elapſos, accedente Cæſarum & Epiſcoporum exemplo, pæne apud omnes invaluit, publicus de privato factus, vt reliquiæ Martyrum magna diligentia, magnoque cum honore ſervarentur; vnde poſtea gradu facto error duplicatus eſt, cum nimium facili innumerabilium miraculorum & viſionum fide faſcinati animi ad ea colenda, & adoranda proceſſerunt, quæ primi erroris auctores ex humano affectu, & ad aliquam ſuam (vt rebantur) vtilitatem

[t] *Euſeb. Hiſt. l. 8 fol. 92. B. ed. Gr.*
[u] *Chryſ. T. 1. p. 509.*
[x] *Euſeb. in 14. opuſc. l. 2. de Reſurrect. & Aſcenſ. p. 95.*
[y] *Act. Andr. etc. apud Bar. a. D. 290. §. 27.*

tatem cuſtodire, & reverenter, ſed citra religioſum cultum, ſervare paulò ante conſueverant. Sed hæc diu poſt fuere. Nunc, quod ex rebus proxime demonſtratis liquet, concludamus nullas vetuſtiſſimos fideles ad a. D. 300. ſolitos eſſe ex Martyrum ſuorum corporibus partes, ſive particulas, hodierno Latinorum more carpere ad venerationem, vel ad miraculorum vſum ſervandas, neque àdeo reliquias adoraſſe, vel religioſe coluiſſe; quod omnes nunc Latini vulgo factitant.

CAPVT XVI.

Argumentum XVI. Quod ad vnius, vel plurium Martyrum ſepulcrum, proprie & ſeorſum ab aliorum fidelium ſepulcris ſitum, orare veluti aliqua major ſit hujuſmodi loci ſanctitas, atque religio, priſcis ante quartum ſæculum Chriſtianis inſuetum & invſitatum fuerit. Quod apud Martyrum ſepulturas orationes tum factæ fuerint, id per accidens inde contigiſſe, quod Martyres in Eccleſiæ cœmeterijs, vbi conventicula, & collecta Chriſtianorum fiebant, vna cum alijs fidelibus ſepelirentur.

SED hic etiam Reliquiariorum hominum mos eſt, non modo Sanctorum corpora carpere, ſed etiam loca ipſa, vbi ſita ſunt, ita obſervare, vt iſtic preces ſuas religioſas faciant, velut inde conceptæ facilius ob reliquiarum favorem exaudiantur. Ita nunc factitant Latini; & hæc prima fuiſſe videntur reliquiarij cultus initia. Paulinus certe ſe & alios vna cum Ambroſio, vltimis vitæ ejus temporibus, narrat ad locum horti cujuſdam, in quo ſitus erat Celſus, *ad orationem perrexiſſe*. Tum addit; [z] *Nunquam tamen illum* (Ambroſium) *antea oraſſe in eodem loco compertum. Sed hoc erat ſignum revelati Martyris, ſi ſanctus ſacerdos ad locum, ad quem nunquam antea fuiſſet, oratum iſſet.* Hinc vides, jam tum, paucis annis ante Ambroſij mortem, quæ in an. D. 397. incidit, illic ſolitos orare, vbi conditos Martyras ſcirent; & Ambroſium, ſimul atque ex revelatione comperit, Celſum in illo horto eſſe ſitum, eo cum ſuis ad orationem ſe contuliſſe. Atque inde ortus eſt ritus jam apud omnes vbique Latinos communis, vt orationis loca, id eſt Eccleſiæ, ſacella, altaria, abſque reliquiis nulla ſint. Neque dubitandum eſt, ſi qua vel leviſſima ab initio Chriſtianiſmi fuiſſet hujus generis in ſacras reliquias religio, quin Apoſtolicorum, & proxime ad a. D. 300. conſecutorum temporum fideles ad Martyrum proprie ſepulcra ſuas preces habituri fuerint. Atqui nullum apparet in veris illorum ſæculorum libris hujus moris veſtigium. Scio Perronium [a] contendere longe ante Origenis tempora hunc in Eccleſia Chriſtiana morem fuiſſe; ſed vno, eoque vano, ac

futili

[z] *Paulin. in vita Ambr. c.16. apud Surd.4. Apr.*

[a] *Perron. Repliq.l.5.c 14. p. 851.*

futili argumento. Locum nimirum adfert ex Actis Polycarpi, jam à nobis ſupra deſcriptum, in quo Smyrnenſis Eccleſia, præfata [b] *ſe ſanctiſſimi Martyris oſſa potiora lapillis pretioſis, auroque puriora ex cineribus ſelecta eo loco repoſuiſſe*, ſive condidiſſe, quo ea recondi erat conſentaneum; continuo addit, *ubi nobis in unum, quantum licebit, cum exultatione & gaudio coactis præbebit Dominus hujus martyrij natalitium diem celebrare, tum ad ipſorum athletarum, qui prius certarunt, memoriam; tum ad poſterorum exercitationem, atque præparationem.* Perronius hinc colligit Smyrnenſes *Polycarpi interceſſionem poſtulaſſe ſuis precibus quotannis ad eum locum congregatos.* Abſurde quidem ille, & abſque omni non tantum ratione, ſed vel rationis umbra; quod de illis piorum precibus ad Martyris interceſſionem impetrandam ne unum quidem *ud* toto loco habeatur. Memoriam illius Martyrij, neque illius tantum, ſed & aliorum, qui una quoque erant coronati, ſe celebraturos profitentur, tum ad eorum recordationem, tum ad ſuam ædificationem; ſe Polycarpum precibus adituros non dicunt. Neque hoc negat Perronius, ſed cauſſificatur ideo hic nullam iſtarum precum factam eſſe mentionem, *quod nulla hic habeatur deſcriptio formæ, qua celebraturi eſſent illum Polycarpi natalem diem.* Quaſi vero illarum ad Divos precum nulla alibi uſpiam fieri debeat mentio; niſi in iis locis, ubi deſcribitur forma, qua celebrandi ſunt eorum dies natalitij. Tum ſatis eſſe affirmat, quod *in omnibus celebrandi Martyrum natalitij formulis, quarum quidem monumenta temporis injuriam evadere, & ad nos uſque pervenire potuerunt, inſerta ſemper fuiſſe reperitur illa ad Divos, ut pro nobis intercedant, oratio.* Ego vero rogo, quænam ſint, & ubinam ſint illę ex antiquitate ſuperſtites Martyriorum celebrandorum formulæ, in quibus hæc ad Divos oratio inſerta reperitur? Perronius nullam edit; & tamen ſic loquitur, quaſi multas in promptu habeat. Nos vero in ſuperiori de Divorum cultu diſputatione ſatis demonſtravimus plane nullam hujuſmodi vel formulam, vel orationem ex trium primorum ſæculorum memoria extare, quinimo nullum vel, in Pſeudo-Clementis Conſtitutionibus, quæ quarto ſæculo conditæ eſſe videntur, hujuſmodi ad Divos orationem reperiri inter tam multas Eccleſiæ ſolennes orationes, quæ iſto volumine continentur. Atque hæc quidem ſupra loco ſuo fuſius exſecuti ſumus. Nunc id tantum diſpiciendum eſt, an ex deſcriptis Actorum Polycarpi verbis id ſequatur, quod Perronius quidem tanquam certum ſupponit, nos vero nuper negavimus, & nunc quoque negamus, nimirum illis jam temporibus a. D. 167. morem Eccleſiaſticum fuiſſe orationes religioſas, non jam dico ad Divos, (quæ nondum noſtris erant vel uſitatæ, vel cognitæ) ſed ad Deum apud Martyrum memorias, veluti ſanctiori ac potiori ad preces loco, concipere atque emittere. Quod ut clare intelligatur, inprimis obſervandum eſt antiquiſſimos illos duorum primorum ſæculorum fideles collectas, ſive

CAPUT XVI.

b Polyc. Act. apud Euſeb. l. 4. c. 23.

CAPVT XVI.

ſive conventus ſuos ſacros vt plurimum in cœmeteriis ſuis habuiſſe; maxime iis temporum intervallis, quibus perſecutione nonnihil remittente paulo liberior erat conveniendi facultas. Nam in ipſa ſane perſecutionum ἀκ·ῆ, vix erat, vt aliter, quam clam, noctu in privatis, quà licebat, ædibus, non *maſſaliter* tota fraternitas, ſed aliquot ex ea manipulatim (vt ſic dicam) congregarentur; quod ex Tertulliano diſcimus [c]. *Si colligere* (inquit) *interdiu non potes, habes noctem, luce Chriſti luminoſa adverſus eam. Non potes diſcurrere per ſingulos, ſit tibi & in tribus Eccleſia.* Extra hanc vltimam neceſſitatem, vt plurimum ac pœne ſemper colligebant in cœmeteriis, ſive vt Afri vocabant, in *areis*. Neque hoc ideo inſtituebant, quod loco mortuorum cadaveribus plena Sanctiora putarent, ſed quod Eccleſiæ loca, præter hæc, ampla & multitudinis capacia nulla publice & in communi poſſiderent. Itaque *cœmeteria*, vel *areas* noſtris ea tempeſtate *eripere*, idem erat, quod iis publice ad ſacra conveniendi libertatem adimere. Ita Valerianum, & Gallienum (quod in prima hujus diſputationis parte oſtendimus) præcepiſſe acta Cypriani referunt [d], *ne in aliquibus locis conciliabula à Chriſtianis fierent, nec cœmiteria ingrederentur*; & Dionyſius Alexandrinus eoſdem tradit edixiſſe, [e] *ne poteſtas noſtris eſſet conventus celebrandi, aut ea, quæ appellant, cœmeteria ingrediendi.* Quod prius in genere dixerant, ne *conventus*, vel *conciliabula facerent*, id mox diſtinctius & explicatius, edito locorum, in quibus illi conventus fiebant, nomine proprie ſignificant, *ne cœmeteria ingrederentur.* Eodemque poſtea modo Gallienum, cum remiſſa illa in noſtros inclementia, libertatem iis religionis publice exercendæ, refixo priore edicto, redderet, *poteſtatem Epiſcopis* facit illa *loca recipiendi, quæ cœmeteria dicebantur*; vt in iis nimirum noſtri pro veteri more ad ſacra ſua convenirent, libereque colligerentur. Quo & illa apud Tertullianum plebis in noſtros furentis exclamatio [f] pertinet, *Areæ non ſint.* Volebant ſcilicet *areas*, id eſt cœmeteria, in quibus noſtri ad ſacra colligebantur, iis à Præſidibus & Poteſtatibus eripi. Hæc ex prima ad a. D. 260. antiquitate certa ſunt. Iam neque illud obſcurius eſt, quod nuper demonſtravimus, in communibus illis Chriſtianarum plebium cœmeteriis, vt cæteros loci cujuſque fideles, ita ipſos quoque Martyras per illa tempora ſepultos, conditoſque; Cyprianum exempli gratia in area Macrobij, [g] Pontianum, & Anterum, multoſque alios Martyras *in cœmeterio Calliſti* (in quo & Anicetus, & Soter, & Dionyſij, tametſi abſque martyrio mortui, nullo diſcrimine ſepulti eſſe dicuntur) Calixtum in cœmeterio Calepodij, Marcellinum & Marcellum in cœmeterio Priſcillæ, Cornelium in prædio Lucinæ juxta cœmeterium Calixti, Fœlicem in cœmeterio ſuo; vt ex veteri libro diſcimus [h], qui vulgo Damaſi Pontificale dicitur. Cum hæc ita ſe habuerint, ego quidem fateor, ſolemnia Chriſtianorum ſacra in iis locis facta fuiſſe in quibus erant

c *Tert. de fuga in perſ. c. 14. p. 706. B.*

d *Paſſio Cypr.*

e *Dion. Alex. apud Euſeb. Hiſt. l. 7. c. 11.*

f *Tertull. ad Scap. c. 3.*

g *Paſſ. Cypr.*

h *Pontif. Damaſi in brevi ſingulor. vita.*

Martyres ſepulti; ibi proprie, ac vt loquuntur, *per ſe*, ad veneratio- CAPVT
nem, & honorem Martyrum, facta eſſe, nego. Res clara eſt. Cum XVI.
enim Sacræ collectæ, conventuſque Eccleſiaſtici in cœmeteriis fierent; cumque Martyres in cœmeteriis illis, vna cum aliis fidelibus mortuis ſepulti eſſent; eo fiebat, ſed plane (vt Scholarum verbo vtar) *per accidens*, vt quo loco Martyres aliqui ſiti eſſent, eodem quoque ſacra, conventuſque celebrarentur. Hoc autem inde clariſſime apparet, quod in iis cœmeteriis, vbi noſtri colligebantur, non ſoli Martyres, ſed alij etiam longe plures, ſepulti eſſent. At ſi ob Martyrum reverentiam iſtic factæ fuiſſent collectæ, noſtri in hujuſmodi locis, vbi collectæ fiebant, ſola Martyrum corpora repoſuiſſent; cæterorum fidelium reliquias ſeorſum alibi condidiſſent, quod primis illis temporibus factum vnquam fuiſſe non demonſtratur. Ex his jam ni fallor, patet verus ac genuinus eorum verborum ſenſus, quæ ex Polycarpi Actis laudavit Perronius, vbi Smyrnenſes, *Ejus oſſa (*inquiunt*) repoſuimus eo loco, quo ea recondi erat conſentaneum.* Significant ſe Sancti viri oſſa in cœmeterio ſepeliviſſe. Cœmeterium enim locus erat ſepeliendorum fidelium, etiam, vt ex ſuperioribus liquet, Martyrum, illis temporibus legitimus, ſolennis, ac conſentaneus. Vbi obiter notanda eſt Perronij fraus, qui verbum illud *repoſuimus* ἀπεθέμεθα, Francice ſic expreſſit, *Nous les avons ſerrez au lieu, qui leur étoit convenable.* Hoc vocabulo conſulto vſus eſt, quod in linguâ Francica de cadaverum ſepultura nunquam dicitur (neque enim ferendus eſſet, qui Francice loquens diceret de cadavere, quod ſepultum fuiſſe intelligeret, *qu'il a été ſerré en terre, ou dans le tombeau*) ſed de iis dici ſolet, quæ in arcis, in armariis, in ſcriniis reponuntur, inde ad vſum aliquando depromenda, qualiter condi ſolent res vel pretioſæ, vel domeſticæ, & familiaris vſus. Hac nempe ex verbi ἀποτίθεσθαι ambiguitate captata interpretatione homo aſtutus lectori imperito perſuaſum voluit reliquias, jam tum à noſtris in capſis, aut altaribus Latino more ad adorandum reponi, ſervarique ſolitas: At longe aliter ſe res habet. Hic enim ἀπεθέμεθα *repoſuimus* idem eſt, quod ſepelivimus, humo, ſive ſepulcro condidimus. Ita cepit ve[illegible] Vſſerij Metaphraſtes, qui hunc locum ſic expreſſit: *Nos collegimus, vt aurum, gemmamque pretioſam, & ſepulturæ oſſa mandavimus.* Neque aliter Ruffinus, *Collegimus* (oſſa ſcilicet) *ac ſicut conveniebat, ex more condidimus. Condere* enim paſſim Latinis eſt ſepelire, humare. Et quod *ex more* dicit cœmeterio condita Martyris oſſa ſignificat. Hic enim noſtrorum, vt diximus, mos erat illo ſæculo. Neque aliter cogit accipi verbi Græci vis. Ἀποτίθεσθαι enim in genere eſt *deponere, reponere, condere*, quicumque ſit is locus, quo res conduntur, ac deponuntur. Ergo cum Polycarpi oſſa in cœmeterio condita fuerint, mirandum non eſt in eodem illo, quo condita erant, loco celebratam à noſtris fuiſſe (quod addunt Smyrnenſes) Marty-

i *Act. Polyc. apud Vſſer. p.28.*

k *Ruffin. hiſt. l. 4. c. 15. p. 525.*

CAPVT XVII.

rum diem. Neque enim aliter ex illius ævi more fieri potuit; quo & publicæ ſolenneſque Chriſtianorum collectæ in cœmeteriis habebantur, & Martyrum tum ad ipſorum honorem, tum ad plebis vſum atque commodum, commemoratio in talibus collectis fiebat. Cæterum qui ad proprium vel vnius alicujus, vel etiam plurium Martyrum ſepulcrum ſeorſum orandi gratia venerit (vt ad Celſi locum Ambroſius) nullus neque homo, neque cœtus Chriſtianus ex tota illa ante a. D. 300. antiquitate proferri poteſt. Itaque hinc illud, quod ego dixeram, liquido conſtituitur toto illo tempore nequaquam cognitum fuiſſe, aut vſurpatum eum ad Martyrum memorias precandi morem, qui poſtea per omnes Reliquiariorum hominum gentes longe lateque obtinuit; nedum vt illius memoriæ fideles Martyrum reliquias adoraverint.

CAPVT XVII.

Argumentum XVII. Quod quas ex Reliquiaria diſciplina inprimis apud Chriſtianos nobilitari ac celebrari decebat Domini Chriſti reliquias, quæque nunc ex proximis retro ſæculis cognitiſſimæ ac celeberrimæ ſunt, ex primis Chriſtianiſmi ante a. D. 300. temporibus plane ignotæ noſtris hominibus fuerint; citerioribus tãtum ætatibus cõquiri, noſciq; aliæ maturius, aliæ ſerius cœperint.

ID ipſum præterea evidentiſſime oſtendit ipſa rerum apud Chriſtianos geſtarum in hiſtoria Eccleſiaſtica, ſi paulo accuratius conſideretur, ſeries. Nam ſi ab ipſis Apoſtolis, quod Latini volunt, tradita atque factitata eſſet, reliquiarum religio, hæ in communi ac publica Eccleſiæ luce jam inde ab initio apud noſtros extitiſſent. Si adorandas docuiſſent Apoſtoli, docuiſſent & frequentandas, contingendas, oſculandas, carpendas, ad morborum curationes, alioſque vſus adhibendas. Hoc vero ipſum facturos fuiſſe primos ac vetuſtiſſimos Chriſtianos, quorum nota eſt & confeſſa apud omnes pietas, quis dubitet, ſi id eſſe faciendum ab Apoſtolis docti eſſent? Atqui ex ipſa Chriſtianiſmi hiſtoria id minime factũ eſſe cõſtat à primis Chriſtianis, ſed fieri ab iis demũ cœpiſſe, qui quarto ſæculo vixerunt, remq; poſtea labentibus temporibus majori ſemper ſtudio excultã ſubito in majus auctam, tandẽ in eam molẽ atq; magnitudinem excreviſſe, quã hodie apud Latinos cernimus; quod ex ipſo rerũ apud noſtros geſtarũ ordine, vt ſunt in hiſtoriis traditæ, clariſſime perſpicitur; idque nunc allatis in medium exemplis demonſtrandum eſt. Nihil omnis Reliquiariorum natio in hoc genere pluris facit, quam illam ipſam crucẽ, in qua Dominus Ieſus mortem eſt pro nobis perpeſſus. Hanc cernui venerantur, oſculantur, adorant; Huic innumerabilia miracula, & quidem

CAPUT XVII.

quidem maxima tribuunt; Hanc ipſam miraculum eſſe ingens contendunt, non hoc tantum, quod eam præter communem vulgarium lignorum naturam, incorruptam tot ſæcula perennare volunt, ſed eo multo magis, quod inexhauſta quadam copia multiplicari [l], & innumeris hominibus quotidie diviſam, eorum votis lignum ſuum ita commodare ſtatuant, vt nulla ſui detrimenta ſentiens integra ac veluti intacta, eadem permaneat. Illud ergo Dominicæ crucis lignum decebat Apoſtolos diſcipulis in primis pandere; ejus vim, ſingularemque, & in tanta, tamque multa miracula fœcundam naturam, vſum, cultumque, ac omnia denique myſteria docere; rem ipſam ex Iudaïco illo, in quo jacebat, ſolo eruere, & fidelibus tradere in manus, ad nepotes propagandam. At certum eſt ligneam illam Domini crucem, illam inquam, ipſam omnium reliquiarum principem ac matrem, annos fere trecentos alta humo defoſſam, abditam, omnibus Chriſtianis juxta, Paganiſque ignotam, procul à totius Eccleſiæ luce atque oculis jacuiſſe, & quatenus quidem in Apoſtolis, & eorum diſcipulis ſitum fuit, computruiſſe, nemine noſtrorum inveſtigante, vel beatum illud ſolum ſcrutante, quo theſaurus, ſi Latinis credimus, virtutum, ac gratiarum inæſtimabilis, pietatiſque ac religionis pars admodum inſignis continebatur. Helena tandem, vt iſti quidem narrant, Conſtantini Auguſti mater, id quod Apoſtoli, quo proximi eorum diſcipuli, quo multæ Martyrum myriades, quo omnes denique Chriſtiani ducentos circiter ac nonaginta annos patientiſſime caruerant, an. D. 326. poſtremo deſideravit, ac vt fama eſt, impetravit. Sed de cruce mox proprius erit dicendi locus. Titulum ſuperiori crucis parti à Pilato affixum, cui Chriſti elogium inſcriptum erat, quamvis vnum, & Roma, & Toloſa ſibi vtraque vindicat. Non jam quæro, qui tabula dealbata nigris litteris notata, tam multa ſæcula durare integra potuerit (Neque enim aliud fuiſſe hunc titulum, ſatis eſt à ſummo viro Salmaſio noſtro [m] demonſtratum) Id vnum nunc vrgeo, quod nullum in toto vetuſtiſſimo Chriſtianiſmo occurrit hujus magis tituli, quam crucis ipſius veſtigium. Clavorum, quibus ſanctiſſima Domini caro in ferali illo ligno confixa fuit, eadem ratio eſt, quos anno demum 326. vna cum cruce repertos fuiſſe fama eſt. Illi nunc quidem exſtant, & ſunt omnes Latinis noſtris cognitiſſimi. Vnum ſe habere gloriantur Mediolanenſes, eum ipſum, ex quo, vt narrat Ambroſius [n], frænos Helena fieri præceperat, quem Carpentoractenſes ipſum quoque ſervant, atque oſtendunt. Calvini vero noſtri ævo, vt ipſe refert [o], ex iiſdem clavis vnum quidem Romani ad D. Helenæ, alium ad S. Crucis ædem venerabantur. Ex iiſdem vnum quoque Senenſes, alium Veneti, Colonienſes item vnum, & Treveri alterum; Pariſienſes vero tres ſibi vindicabant, primum in Sancto Sacello apud Palatium, alterum in Carmelitarum Eccleſia, tertium in ſubvrbano Dionyſij fano. Sed & Bituriges vnum habe-

l *Vid. Bar. a. D. 326. §. 50.*

m *Salmaſ. ep. ad Bartol. p. 266. 267.*

n *Ambroſ. orat. in fun. Theod.*

o *Calv. Reliq.*

CAPVT XVII.

bant, alium quemdam Abbatia, cui à *Forficibus* nomen, vnus denique Draguniani erat. Apud alios omnes mortales incredibile erit tres, vel ad ſummum quatuor clavos (neque enim plures, fatente Baronio [p], eſſe potuerunt) in quatuordecim diverſiſſimis locis (tot enim numerata ſunt) ſingulos totos in ſingulis haberi. Sed hoc Latini fortaſſe noſtri non admodum mirantur, quibus familiare eſt vnum idemque corpus eodem momento & in cœlo, & mille in terra locis, in Oriente, in Occidente, ad Auſtrum, ad Septentriones ſimul ſemelque totum habere; Quanquam & Annalium Latinorum parens [q] alias quaſdam rationes comminiſcitur, quibus hoc prodigium ſatis, vt ipſe putat, probabiliter defendi poteſt, ſed neſcio an iis facile aſſenſuri ſint ſinguli, qui clavorum iſtorum aliquem vere à ſe haberi perhibent. Lucas quidem Tudenſis Epiſcopus [r] quatuor ante nos ſæculis ſcribebat ſe quatuor iſtos clavos ſuppliciter adoraviſſe: vnum in Dionyſij apud Pariſios fano; vnum item Conſtantinopoli; duos denique Tarſi in Cilicia. Si quid alibi pro vero clavo, vel vera cruce, tametſi falſo, oſtentetur, id Antiſtes ad vnguem Catholicus à ſuis Latinis nulla fraude adorari ſtatuebat. Sed de his quidem illi viderint. Nunc hoc ego vnum quæro; cur qui quatuordecim diverſis locis toti apud Latinos hodie viſuntur iſti ſive tres, ſive quatuor, Domini clavi, ne vno quidem in loco apud veteres ante an.D. 300. fideles viſi fuerint? cur de iis ante Ambroſium, qui quintum ſæculum pœne attigit, nemo vel vnum verbum ſcripſerit? Lanceam, qua Chriſti latus apertum eſt, & ſpinas, quibus ejus caput coronatum fuit, etiam multo ſerius innotuiſſe certum eſt. Lanceam Petrus quidem Tudebodus tradit [s] Antiochiæ in Eccleſia S. Petri, ex Andreæ Apoſtoli revelatione Petro cuidam Bartholomæo facta, fuiſſe à Francorum exercitu in Hieroſolymitana expeditione repertam a. D. 1098. Sed hanc ipſam falſam fuiſſe revelationem, & ab impoſtore fictam narrat [t] Fulcherius Carnotenſis, idque Epiſcopi Podienſis arte deprehenſum eſſe; & lanceam, quæ pro vera adorata fuerat, neſcio quo eventu Raymundum Comitem, qui diu ſervaverat perdidiſſe. Atqui illa lanceæ inventio in Latinorum Annalibus [v] pro veriſſima refertur & traditur ex quibuſdam Godofredi Ducis encyclicis ad Paſchalem P. R. II. & cæteros Occidentis Principes, litteris à.D.1100, ex ipſa vrbe Hieroſolyma datis, & ex aliis Paſchalis ipſius litteris eodem anno ſcriptis, multũ ſuo ſæculo de illa inventione gratulantis, ac veluti de inſigni aliquo miraculo exſultantis. Viderint Latini Fulcherio-ne, an Paſchali Papæ credi, conſultius eſſe putent. Mucronem quidem, quem vnius lanceæ vnum fuiſſe neceſſe eſt, quatuor tamen locis Romæ, Luteriæ, Selvæ prope Burdegalam, & in Forficum apud Santones cœnobio à Latinis oſtendi, ac coli Calvinus [x] noſter jampridem obſervavit. Atqui neque de lancea, neque de ejus mucrone quicquam apud Chriſtianos ante vndecimi illius ſæculi ſuprema vel

p *Baron. a. D. 326. §. 52. 54.*

q *Id. ibid.*

r *Luc Tud. l. 1. contr. Albig. c. 11 T. 4. Bibl. Patr Part. 2. p. 659.*

ſ *Tudebod. hiſt. de itin. Hieroſ. T. 4. Cheſn. p 797. 798. &c.*

t *Fulch. Carnot. Hiſt. Hieroſ. l. 1 c. 10.*

u *Baron a D. 1100. §. 10. 28.*

x *Calv. de Reliq. p. 238. B.*

CAPVT XVII.

ma vel fando auditum erat; & ipſe Gotthofredus in ſuis illis cyclicis litteris gloriatur [y] lanceam à nemine inventam à tempore Apoſtolorum. Spinea vero illa corona, qua Chriſti caput ad ludibrium fuerat ab impiis ornatum, nonniſi poſtremis & ipſa ſæculis viſa eſt, quibus ita repente fruticavit, vt loca octodecim edat idem Calvinus [z], quæ alia quidem tertiam ejus partem, alia vnam ſpinam, quædam duas, nonnulla tres, aliqua etiam quinque ſe ſervare ac colere jactarent. Loca ſunt Lutetia, Roma, Senæ, Vincentia, Bituriges, Veſontio, Mons-regius, S. Salvatoris in Hiſpania oppidum, Compoſtella, Helvij, Toloſa, Matiſco, Carrovium in Pictonibus, Cleriacum, S. Floridi, item S. Maximini fanum, Sallæ cœnobium, Noviodunum. His nunc & Ianſenianum Portus in Lutetiæ ſuburbanis Regij cœnobium, addendum eſt, vbi nuper & ex eodem muſtaceo laurea quæri cæpta eſt. Qui factum eſt, vt Spinarum omnibus & floribus, & pomis, bacciſque longe nobiliorum nulla vel tenuiſſima mentio, antiquiſſimis Chriſtianiſmi, non tribus tantum, ſed longe etiam pluribus, ſæculis occurrat? Baronius certe nullos præter Gregorium Turonenſem, & Bedam Anglum de ſpinis aſſervatis teſtes edit [*]; quorum ille ſeptimi, hic etiam octavi ſæculi initia vivendo attigerunt. Iam de tunica illa Domini inconſutili, quid dicam, qua ſpoliatum apud crucem à militibus narrant Evangelia? Quæ nunc duobus multùm à ſe invicem diſſitis locis eodem tempore oſtenditur, ea nullo apud Chriſtianos loco annos totos quingentos apparuit. Quam nunc & Treviri ad Moſellam, & Argentolienſes ad Sequanam, optima vtrique (ſi fas eſt credere) fide repræſentant, eam nuſpiam, quod quidem vel fama hactenus norit, ad ſexti à Chriſto nato ſæculi ſuprema, viſam fuiſſe ex Eccleſiæ hiſtoria diſcimus. Ipſi enim Latinorum Annales fatentur primam ſe hujus tunicæ in omni Chriſtiana antiquitate mentionem apud Gregorium Turonenſem reperiſſe [a], qui ſeptimi à Domino nato ſæculi initia vidit. Is [b] ſe à quibuſdam audiviſſe dicit illam tunicam in neſcio qua Galatiæ civitate, area lignea incluſam, in crypta quadam abditiſſima ſervari, è qua haud facile fuerit conjecturis aſſequi quomodo ad vrbem Palæſtinæ Zaphat, non procul ab Hieroſolymis ſitam erepſerit; in qua a. D. 593. (ſi Sigebertum [c] audimus) vel 613. (Si Marianum [d] ſequimur) Symeonis cujuſdam Iudæi indicio reperta eſt ſcilicet. Sudarij ſacri (ſic enim, tametſi inepte, vocant lintea funebria, quibus Dominicum corpus poſt mortem involutum eſt) magna quoque nunc apud Latinos fama eſt. Id enim tametſi vnum *numero*, pluribus tamen locis, ex familiari Reliquiariis miraculo, totum & aſſervatur, & oſtenditur, & colitur, olim Camberiaci apud Allobroges, poſtea Niceæ, nunc (ni fallor) Taurini; item in Germania Aquis, & Trajecti, & Veſontione in Burgundia, & Cadonij apud Lemovices, & alibi; præter quædam ejus fragmenta, quæ huc illuc ſparſa religioſiſſime cuſtodiuntur. Baronius vni Eccleſiæ Tau-

y *apud Baron. a. D. 1100. §. 10.*

z *Calv. de Reliq. p. 238.*

* *Bar. a. D. 34. §. 138.*

a *Baron. a. D. 539. §. 24.*

b *Greg. Turon. de Mirac. l. 1. c. 8.*

c *Sigeb. Chron. a. 593.*

d *Marian. Sc. Chron. a. 613.*

CAPVT XVII.

c *Baron. a. D. 34 § 134.*
f *Salm. ep. de cruce ad Bartholin. p 877.*
g *Calv. de Reliq. p. 242.*
h *Iohan. 11. 44.*
i *ibid. 20. 7.*

rinenſi, cæteris, quæ ſibi hanc palmam depoſcunt, abdicatis, ſindonis hujus ſepulcralis cuſtodiam adjudicat [c]; & in ea videri tradit expreſſam Chriſti in ſepulcro jacentis imaginem. Mitto, quod nuper Salmaſius [f], & diu antea Calvinus [g], objecit ſudarium quidem illud ſacrum quibuſcumque in locis apud Latinos totum oſtenditur, linteum eſſe ingens, quo hominis corpus totum vna cum capite tegi & involvi queat; ea vero lintea, quibus Domini corpus ad ſepulturam tectum eſt, longe alius fuiſſe & generis & formæ; ipſum enim corpus ab imis pedibus ad fauces vſque inſtitis, ſive faſciis, quas Græci τελαμῶνας, Ioannes etiam κειρίαις in ſimili argumento vocat [h], more Iudaïco revinctum, ac religatum fuiſſe, Caput vero parvo linteo, quale ſudarium vulgo dicitur, velatum atque opertum, idque ex ipſa Evangeliſtarum narratione liquido apparere; & ex eo quod Ioannes *ſudarium*, quod fuerat *ſuper Domini caput*, apertiſſime diſtinguit [i] à linteaminibus, quibus ſanctum corpus vinctum, atque involutum fuerat. Hæc inquam, mitto ſubtiliora, quam vt Latinos moveant, qui omnia ex illa ſua fide Catholica (id eſt ex Papæ dictatis) potius, quam vel ex ſenſuum judicio, vel ex ratiocinationum minutiis metiuntur. Et illi fortaſſe, ſi hæc, quæ iſti nimium ſagaces odorati ſunt, Salmaſij & Calvini naſo concedere cogantur, reſpondebunt illas olim ex vna ſindone ad corpus Chriſti patrio ritu pollingendum ſciſſas multiplices faſcias, divina nunc ejus virtute in vnam rurſum Sindonem mirabiliter redintegratas coiviſſe, ne ex diverſa, quæ hodie obtinet, corporum ad ſepulturam velandorum ratione plebs religioſa turbaretur, & faſcias videns quidvis potius aliud eſſe, quam funebria Domini lintea ſuſpicaretur. De his Reliquiarij per me nunc quidem ſtatuent, quicquid libuerit. Illud vnum obſervo tam pretioſas Domini reliquias tam ſecure fuiſſe ab omni prima Chriſtianiſmi antiquitate neglectas, vt ne ſemel quidem earum meminerint vlli veterum veri, certique libri, qui ad nos plurimi pervenerunt. Baronius certe ſatis habuit, rem tam admirabilem, tamq; incredibilem, ſua vnius auctoritate confirmatam his verbis edere [k]; *Permanſit* (inquit) *integra, divina operante virtute, illæſaque hactenus ſanctiſſima ſindon, quæ corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti delibuta vnguento in ſepulcro poſita fuit, veluti operimentũ & ſtratum, quæ & in ſe imaginem in ſepulcro Domini jacentis expreſſit, aſſervaturque ſummo honore in Eccleſia Taurinenſi.* Hæc ille. Si auctorem, ſi teſtem rei ante ſexdecim ſæcula extantis, requiris, nullum quidem habere ſe fatebitur; ſed reſpondebit Muſas ſuas omnia & meminiſſe, & memorare poſſe; & contumelioſum eſſe purpuratas illas Divas de rebus, quas narrant, teſtimonium cujuſquam mortalis poſcere; veluti non ſatis certa per ſe ſit earum fides. Sed & præter hanc ſindonem, qua Chriſti corpus in ſepulcro opertum eſt, Latini ſe id quoque ſudarium habere putant, quo divinum ibidem caput involutum fuit. Noſter Calvinus tradit [l]

k *Baron. a. D. 34. §. 138.*
l *Calv. de Reliq. p. 239. B.*

hoc

CAPVT XVII.

hoc Carcaſſone apud Auguſtinianos ſodales, vel certe Romæ in æde Lateranenſi exhiberi. Neque enim ſatis expreſſit, verum locum intelligat. Baronius de loco, vbi nunc ſervetur tanti pretij *κειμήλιον*, nihil dixit. Tantum refert [m] id divina virtute ab incendio remanſiſſe illæſum, & ad poſteros tranſlatum ex Bedę libro de locis ſanctis. Bedam autem octavo demum poſt Chriſti natales ſæculo ineunte floruiſſe conſtat. Ergo de prioribus Chriſtianiſmi ſæculis nemo ſupereſt, qui hujus ſudarij meminerit? Neminem eſſe fatetur Baronij ſilentium. Atqui digniſſima res fuit, quæ non ab vno, ſed ab omnibus primæ memoriæ ſcriptoribus traderetur. Narrat enim Beda [n] tantam fuiſſe hujus ſudarij vim, vt Iudæum illum Chriſtianiſſimum, qui id ab initio furatus eſt, & ejus hæredes, etiam impios, ad quos poſtea pervenit, magnis divitiis auctos bearit; Tandem pluribus lucri cupiditate de ejus poſſeſſione inter ſe litigantibus, Saracenorum Regem *Majuviam* *, qui circa Bedæ tempora vixit, cum res eſſet ad eum delata, ſudarium in grandem accenſam pyram miſiſſe, Chriſto litis judicium permittentem; *ſudarium veloci raptu effugiens evolaſſe, & in ſummo aëre diutiſſime quaſi ludendo, volucritaſſe*; *ad vltimum ſe ſe leviter in cujuſdam de Chriſtiana plebe ſinum depoſuiſſe.* Hoc autem ſudarium *octo pedes longum fuiſſe.* Hęc Baronianus de Dominico ſudario teſtis, quæ quam bella ſint, omnes vident, vt mirer tam ſuavem narrationem non fuiſſe hic ipſam in Annales Latinos à Baronio relatam. Supereſt aliud, Romæque ni fallor etiam nunc ad D. Petri oſtenditur, longe nobiliſſimum ſudarium [o], *quod à Berenice* (inquit Annalium parens) *faciei Domini ſanguine, & ſudore aſperſæ admotum, ejuſdem Dominici vultus effigiem in ſe retinuit.* Quam autem elegantia Baroniana *Berenicen* dicit, ea eſt, quæ Latinis vulgo *Veronica* dicitur. Si auctorem poſcis, *traditionem Chriſtianam* edunt Annales, id eſt inexhauſtum quidem, ſed tamen valde obſcurum & incertum theſaurum; è quo iſti nobis immenſam vim fabellarum quotidie extrudunt. Sed hanc de Veronicæ ſudario traditionem, nihil minus eſſe, quam Chriſtianam, inde conſtat, quod Chriſtianorum, qui ab octingentis annis à die Domini natali proximis vixerunt, nemo vel vnum de ea verbum fecit: Nam quem nobis ex Mariano Scoto [p] (id eſt homine vndecimi ſæculi) Baronius edit Methodium, is & poſt ſeptimum vt videtur, ſæculum vixit, & (quod vel ex vno à Mariano hic edito ſpecimine ſatis conſtat) fabulator eſt ineptus, atque inſcitus. Neque de ſpongia, qua Chriſtus in cruce pendens potatus fuit, neque de columna, ad quam alligatum fuiſſe ferunt, cum flagellaretur, quas Calvinus [q] Romæ ſua memoria oſtenſas fuiſſe dicit, illam ad S. Crucis, hanc ad Ioannis Lateranenſis ædem, vllos alios edit Baronius teſtes, quam Gregorium Turonenſem, & Bedam, id eſt homines ſeptimi, & octavi ſæculi; quo vtroque ſæculo jampridem toto orbe fervebat reliquiaria diſciplina ducentis ante annis in Chriſtianiſmum invecta.

Ipſum

m Bar. a. D. 34. §. 138.

n Bed. de loc. Sanct. c. 15. T. 3 p. 365.

* Mubaviam vel Mauhiam Anaſt. Hiſt. p. 112.

o Baron. a. D. 34. §. 138.

p Mar. Scot. æt. 6. a. D. 39.

q Calv. de Reliq. p. 240. B.

CAPUT XVII.

Ipſum denique ſanguinem, qui de confoſſo Domini latere cum aqua in cruce profluxit, Latini ſe habere in Ioannis Lateranenſis æde gloriantur. Si quæras, quis profluentem exceperit, & ſervarit, Baronius teſtem citat [r] omni exceptione majorem, Symeonem Metaphraſten, hominem annis pæne 800. poſt Chriſti mortem natum; fabulatorem autem adeo putidum, vt & graviſſima Bellarmini cenſura notatus [s], & ab ipſo Baronio [t] non vno loco perſtrictus, ſugillatuſque fuerit. Atque hæ quidem præcipuæ ſunt Dominicæ paſſionis reliquiæ (omnes enim perſequi nihil neceſſe eſt) tam olim apud antiquiſſimos Chriſtianos obſcuræ, atque ignotæ, quam nunc ſunt apud Latinos celebres & famoſæ. Neque vero putes res leves eſſe, aut exigui pretij, eo fortaſſe neglectas à veteribus. Annalium parens has vocat [u] *Dominicæ victoriæ trophæa, ex quibus, velut è perennibus quibuſdam fontibus, fluenta gratiarum, atque miraculorum eruperint.* De aliis, quas jactant Domini reliquiis; vt de ejus reſecto in circumciſione præputio, quod vnum idemque, & Romæ apud D. Ioannem Lateranenſem, & Charrovij apud Pictones in monaſterio quodam oſtendi ſcribit Calvinus [x]; vt de præſepi, in quo Chriſtus naſcens poſitus fuit, quodque Baronius Bethlehemo poſt multa tempora tranſlatum, ligneum, nulla auri, argentive cælatura contectum Romam ſuam poſſidere gloriatur [y]; vt de hydriis, in quibus Chriſtus apud Cana Galilææ aquam in vinum mutavit, quaſque Calvinus, Ravennæ, Piſis, Cluniaci, Andegavi, & alibi ſervari tradit [z], vt de menſa, ad quam Dominus in vltima Cœna accubuit; de cultro, quo Agnum Paſchalem diſſecuit; de diſco, in quo Agnus appoſitus eſt; de calice, ex quo Sacramentum Dominici ſanguinis propinatum eſt, quæ nunc habere ſe contendunt non paucæ neque ignobiles Latinorum Eccleſiæ, etiam quædam vnum plures. quarum nomina Calvinus noſter edit; [a] vt de aliis nonnullis, quæ prudens mitto, nulla magis, quam de ſuperioribus, extat apud veteres mentio, qui intra a. D. 300. imo qui longe infra id tempus vixerunt.

r Baron. a. D. 34. §. 132.

ſ Bell. de Script. Eccl. Sæc. 9.

t Baron. a. D. 44. §. 27. & a. D. 51. §. 53.

u Baron. a. D. 34. §. 138.

x Calv. de Reliq. p. 236. A. B

y Baron. a. D. 1. §. 5.

z Calv. de Reliq. p. 237. A.

a Id. ibid. p. 237.

CAPUT

Caput XVIII.

Argumentum XVIII. Quod quas ex Reliquiario dogmate nobiliſſimas apud primos Chriſtianos fuiſſe oportuerat B. Mariæ Virginis reliquias, putà Divæ capillos, lac &c. quæ nunc Latinis ſunt cognitiſſimæ, ea non modo primis tribus à Domino nato ſæculis, ſed & diu poſtea plane penituſque apud Eccleſiam ignotæ fuerint; ipſa vero Nazarethana olim, nunc Lauretana Divæ domus, quo nihil eſt hodie nobilius, a. D. 1296. noſci demum cœperit, ante id tempus noſtris inaudita. Bedæ de ea locus in Baronium retorquetur. Ridiculæ Angelorum reliquiæ, omni retro Chriſtianiſmo ignotæ.

POST Domini Chriſti reliquias, nullæ aliæ, quam B. Virginis Mariæ vel ſunt apud Latinos, vel eſſe ex eorum dogmate debuerunt, celebriores. Ipſum quidem ejus corpus, quod poſt mortem in cœlos ſubvectum fuiſſe volunt, conſequens eſt, vt in terra eſſe, vllum adeo in reliquiis habere locum negent. Divæ tamen capillos, & plura alia oſtentant. Capillos & Romæ, & Matiſcone, & Cluniaci, & Nuceriæ, & aliis in locis ſane non paucis, fuiſſe ante annos centum Calvini noſtri index loquitur [b], & nunc ibidem ſervari facile credo. His accenſendus mirabilis ille ejuſdem Divæ pilus, cujus ſe beneficio Alexander Rhodius Ieſuita ſupra nobis narrabat ſemel atque iterum è præſentiſſimo naufragio evaſiſſe incolumem. Sed ne lac quidem ſanctiſſimæ Virginis ſibi deeſſe putant; cujus Calvinus tantum fuiſſe, & in tam multis Latinorum Eccleſiis ſuo ævo copiam dicit [c], vt eum vel locorum, in quibus oſtendebatur, nomina recenſere; adeo multa erant, piguerit. Iam Diæ & interulas tum Carnutes in Gallia, tum Aquenſes in Germania, & pepla Treveri, & cingula Pratenſes, & crepidam Sanjaqueciani, & calceum Sanfloridenſes, & pectines duos, vnum Romani, alterum Veſuntij, & ipſum ſponſaliorum annulum Peruſini, & veſtes denique non vnas iidem Romani, ejuſdem Calvini [d] memoria oſtentabant. Neque tantos ipſis theſauros ab eo tempore periiſſe, vel imminutos eſſe reor; Creviſſe potius crediderim. Sed quæ ipſe non vidi, neque adeo præſtare poſſum, vnde ea acceperim edere, ac docere nominatim libuit, neque is de mea fide dubiter. De his autem omnibus & hoc & ſuperiori ſæculo apud Latinos noſtros cognitiſſimis ne γρυ quidem legitur apud veteres Scriptores vel ſupra, etiam diu infra an. D. quadringenteſimum.

b Calv. de Reliq. p. 242. &c.
c Id. ibid.
d Id. ibid.

Sed inter omnes Divæ Virginis reliquias Lauretana domus principem facile locum tenet; ſive rem ipſam ſpectes, ſive miraculo-

CAPVT XVIII.

rum, quæ iſtic facta perhibentur, vel multitudinem, vel magnitudinem. Dicitur enim hæc ædes illa ipſa domus eſſe, in qua Virgo ſanctiſſima & nata primum eſt, & ſalutarem poſtea de Chriſto concipiendo nuntium ab Angelo ſuſcepit. Incredibile dictu eſt, quo animorum ardore, quo populorum concurſu ſacratam domum pœne aſſidue viſant, ſalutent, adorent, terant, non ſui modo Piceni, ad quos ex Judæa & Illyrico per immanes marium ac terrarum tractus advolavit, ſed etiam cæteri omnes Itali, Galli que, & Hiſpani, & Germani, & Belgæ, cæteræque Europæ gentes, quæ quidem Romæ Epiſcopo parent; vt non vana futura fuerit Baronij gloriatio, ſi pro eo, quod ſcripſit [e], *ſuum hoc vetuſtatis monumentum totum Chriſtianum Catholicum orbem venerari, ac colere*, ſcripſiſſet *totum Latino Pontifici addictum orbem*. Cæterum illa ædes, quæ nunc, id eſt annis poſtquam in Galilæa primum condita erat, fortaſſe pluribus, quam mille & ſeptingentis, longe lateque notiſſima, atque celeberrima eſt, totos à B. Virginis incolatu annos mille ducentos, & quod excurrit, vſque adeo ignobilis fuerat, vt toto illo tempore, qui ejus meminerit, neminem ingens Annaliſta [f], præter vnum Bedam, hominem ſeptimo ſæculo natum, octavo mortuum, repererit? Beda vero loco laudato Latinorum traditioni adeo non favet, vt etiam omnem ejus fidem funditus evertat; vt à viro longe doctiſſimo Iſaaco Caſaubono [g] vere fuit obſervatum. Beda enim loca terræ ſanctæ deſcribens, vbi ad vrbem Nazaretham venit duas in ea eſſe Eccleſias tradit [h]; *vnam in medio civitatis, vbi quondam fuerat domus, in qua Dominus nutritus eſt infans*; alteram, *vbi* (inquit) *domus erat, in qua Angelus ad B. Mariam venit*. *Domos* iſtic, qui ait *fuiſſe*, clare negat adhuc *eſſe*, quo tempore illa ſcribit. Ergo hanc, quam Latini diu poſtea tranſlatam fuiſſe volunt, neceſſe eſt jam ante Bedæ tempora eſſe in rerum natura deſiiſſe; adeoque, ſi vere, quod iſti ajunt, domus poſtea tranſlata eſt, neceſſe eſt eam ex ſuis primum ruinis reſuſcitatam, & domum, quod olim ante 400. & amplius annos, eſſe deſierat, iterum factam, vt ad beatos illos Picenos volare poſſet. Hic vnus eſt totius veteris Chriſtianiſmi de illa domo locus; quem ipſum melius fortaſſe Baronio fuerat non tangere. Illa vero domus hactenus, (vt patet ex tam conſtanti noſtrorum, ſi vnum Bedam exceperis; omnium de ea ſilentio) ſane non valde nobilis, a. D. 1296. ex Latinorum quidem annalium fide, repente inclareſcere cœpit, cum ſubito fama quædam neſcio vnde orta, finitimas Recineto vrbes, pagoſque in Piceno implevit, horribilem vbique nuntium ſpargens, domum D. Virginis, Nazarethæ ſuæ pertæſam, ex Galilæa primo in Dalmatiam, hinc deinde in Picenum, neſcio quibus vel ferramentis de ſedibus ſuis revulſam, vel machinis per aëra vectatam migraſſe. Ac tametſi rem non admodum, quod equidem ſciam, apud homines frequentem; neque enim vllam aliam domum narrari memini de ſuo ſolo in alienum, & quidem

tam.

e Bar. a. D. 9. §. 1.

f Id. ibid.

g Caſaubon. Exercit. in Baron. 7.

h Bed. de loc. Sanct. c. 16.

i De tota fabula, vide Baronium a. D. 1296. §. 14. & a. 1300. §. 26.

tam longinquum, (exſiluiſſe) ob novitatem intererat obſervari, diemque & Conſulem, quo contigiſſet, annotari; boni tamen illi, qui iſta viderunt (ſi qui viderunt) mortales, rem credere, & longe lateque diſſeminare, ac diffundere ſatis, habuerunt; de tempore, de modo, de cæteris circumſtantiis, certis veri falſique *κριτηρίοις* parum ſolliciti. Quæ cum omnia ita ſe habeant, etiam nunc tamen Annalium cõditor pro dictatoria illa poteſtate, qua in lectores vti ſolet, nos ea de re dubitare vetat, cujus, cum ea omnibus, quæ in fabulis, etiam prodigioſiſſimis, feruntur, longe abſurdior atque incredibilior eſſe videatur, nullum vel leviſſimum argumentum attulit. Satis habet hoc pro imperio decernere [i]; *Non eſt* (inquit) *quod quis de re geſta dubitet, qui memoria repetat illic dictum eſſe ab Angelo, non eſſe impoſſibile apud Deum omne verbum.* Quaſi quiſquam ſit adeò ſtultus, atque ſtupidus, qui quod Dominum credat eſſe omnipotentem, eo ſe putet obſtringi ne de vlla re dubitet, quam Latino vel Annaliſtæ vaticinari, vel Papæ decernere libuerit. Sed quod agimus, agamus. Eſto; quando ita Baronio ſomniare placet; B. Virginis domus è Nazaretha in Dalmatiam, è Dalmatia in Picenum venerit. Illud certe, quod contendo, ne Baronius quidem, vt opinor negaverit, omnes ante ſæculum 14. Chriſtianos has Divæ domeſticas, ſaxeaſque ac ligneas reliquias; hanc earum divinam vim, hanc ad longinqua tranſeundi, terras ac maria emetiendi, tot tantaque miracula patrandi facultatem plane penituſque neſciviſſe, non tacituros profecto ſiquid de re omnem miraculorum, ac prodigiorum fidem ſupergreſſa, vel ſuſpicati eſſent. Atque hæ quidem B. Mariæ reliquiæ apud Latinos oſtentantur.

CAPVT XVIII.

i *Bar. a. D 3. §. 1.*

Quid, quod etiam Angelorum, quorum natura eſt immortalis, & ab omni materiæ concretione longe ſemota, reliquiæ tamen apud iſtos non ita dudum erant nobiliſſimæ? Quaſdam Calvinus noſter [k] hujus cenſus & denotavit, & merito ſane deriſit; illam præ cæteris Michaëlis Archangeli ad ejus in littoribus Neuſtriæ extremis fanum nobilem ſicam, & ſicæ geminum ſcutum. Tacuiſſem; ne hæc Calvinus ad Latinorum invidiam finxiſſe videretur. Sed vera eſſe, & ſuperſunt fortaſſe, qui quæ olim viderunt, meminerunt, & diſerte firmat Marcus Leſcarbotus, vir ritus Latini religioſiſſimus, qui ſuum ad illum Michaëlis montem, in quo fanum eſt, iter deſcribens, narrat [l] Angeli clypeum inter cæteras, quæ iſtic habentur, reliquias ſacras oſtendi antehac ſolitum; ſed annis antequam eo ipſe accederet, non pluribus, quam quinque, Abrincenſem Epiſcopum vetuiſſe, ne deinceps oſtenderetur, eo factum, vt ipſe, qui loca illa ſacra a. D. 1607. luſtravit, hoc armorum cœleſtium ſpectaculo fraudaretur. Ergo etiam anno hujus ſæculi ſecundo adhuc à Latinis noſtris colebantur ſacra Angelorum ſcuta, priſcorum ſcilicet Numæ ancilium æmula. Hoc quidem reliquiarum genus ſuperioribus omnibus ad avos noſtros

k *Calv. de Reliq p. 243.*

l *Leſcarb. Hiſt. de la nouvelle Franc. l. 4 c. 19. p. 609. 610.*

CAPVT XIX.

ſtros Chriſtianiſmi ſæculis ignotum & inauditum fuiſſe ne Baronius quidem credo, ipſe negaverit. Si vulgi ſtultitiam, & ſtuporem excuſet; non erat melius, aut ſapientius antiquitatis, quam noſtrum vulgus. Ergo ſi antiquitus obtinuiſſet diſciplina reliquiaria, jam tumquoque vulgi ſuperſtitio aliquas Angelorum reliquias & inveniſſet, & coluiſſet. Nullas inventas, vel cultas fuiſſe conſtat. Primis ergo illis temporibus nondum reliquiariam Latinorum diſciplinam obtinuiſſe, confitendum eſt.

CAPVT XIX.

Argumentum XIX. Quod Protomartyris Stephani reliquiæ, quibus & reliquiaria diſciplina nihil apud noſtros poſt Chriſti, & B. Mariæ reliquias, decebat eſſe nobilius, totis primis quatuor ſæculis adeo fuerint ignotæ, vt etiam ipſe locus, in quo erant conditæ, neſciretur, anno demum 415. cælitus (vt ferunt) patefactus. Argumentum XX. Quod 4. & 5. ſæculo revelari divinitus neceſſe fuerit loca, in quibus ſitæ eſſent Martyrum, & Divorum reliquiæ, quæ ſi ab anteriori ab Apoſtolis vſque Eccleſia, eſſent adoratæ, ſatis ex traditione cognita forent ſingulorum loca abſque revelatione.

SED ad reliqua pergamus. Poſt Domini, & B. Matris Virginis reliquias, Stephani corpus, qui princeps pro Chriſti nomine martyrium fecit, decebat primum in Eccleſia Chriſtiana noſci ac celebrari, & fidelibus ab ipſis Apoſtolis adorandum, & ad miracula vſurpandum proponi, ſi illi quidem reliquiariæ religionis (quod Latini volunt) vere ſunt auctores; Nunc quidem poſt tot elapſa à Martyris morte ſæcula, ejus corpus adhuc (ſi fas eſt credere) Romæ ſervatur integrum in ede ipſi ſacra, caput Arelate, oſſa pluribus in locis. Ne eos quidem lapides, quibus vir ſanctus ad mortem eſt appetitus, piguit cuſtodire & venerandos plebi obtrudere Florentię, Arelate, Vigani in Aquitania; vt eſt pridem à Calvino noſtro obſervatum [m]. Cæterum miraculorum, quę ab illis Stephani reliquiis facta eſſe, ſive quinto, quo repertæ ſunt, ſęculo, ſive poſterioribus temporibus, nemo facile numerum inivetit. Quo ergo modo habitę ſunt ab Apoſtolis, & eorum proximis diſcipulis res tanto honore dignę tantęque in Eccleſiam vtilitatis? Tanta omnium fuit, tamque (ex reliquiariorum quidem hominum dogmate ac ritu) flagitioſa in ſanctiſſimum virum negligentia, atque oblivio, vt non modo primis tribus Chriſtianiſmi ſæculis, ſed ne quarto quidem toto de Stephanicarum reliquiarum cultu verbum vel vnum legatur in tam multis illorum,

m Calv. de reliq. p. 4. B.

rum temporum adhuc ſuperſtitibus monumentis. Quinimò non ex illo tantum antiquorum librorum ſilentio, ſed ex diſertis etiam veterum teſtimoniis certo conſtat Stephani reliquias quinti tantum ſæculi anno 15. noſci cœpiſſe, anterioribus à Martyris morte temporibus in ejus ſepulcro delituiſſe, ita ignotas, vt ne locus quidem ſciretur, quo eſſent conditæ. Idoneus teſtis Auguſtinus, quo vivente ac florente inventæ ſunt. Is enim recitata Stephani ex Actis Lucæ Apoſtolicis, paſſione [n]; *Hujus (inquit) corpus ex illo vſque ad iſta tempora LATVIT; nuper autem apparuit, ſicut ſolent apparere ſanctorum Martyrum corpora, revelatione Dei, quando placuit Creatori.* Eodem pertinent, quę Bellarminus ex ſermone (vt ſcribit) 91. ex novis Auguſtini, deſcribit[o], *Latuit tanto tempore corpus ejus* (Stephani) *Proceſſit quando Deus voluit.* In his autem Auguſtini, illud quod in priore loco dicit, quod ex ejus temporis, quo ipſe florebat, libris ſatis alioqui confirmatur, ſingulari animadverſione dignum mihi videtur, *Sanctorum* ſcilicet *Martyrum corpora revelatione Dei ſolere apparere.* Hinc enim liquido intelligimus Martyrum, qui tribus primis ſæculis plurimi paſſi ſunt, monumenta non fuiſſe ante quartum ſeculum, quo & natus eſt, & vixit Auguſtinus, vulgo culta, celebrata, & frequentata, vt poſtea, quarto nimirum illo ſæculo, fieri cœptum eſt; imo plæraque ne notata quidem, aut obſervata fuiſſe diligentius, eoque accidiſſe, vt pręter quædam pauciſſima, cætera quo proprie loco eſſent, vulgo apud noſtros ignoraretur. Nam ſi ſuperiorum ętatum Chriſtiani ſepulcra, vbi ſiti eſſent ſui Martyres, ſinguli ſuis locis religioſe obſervaſſent, eaque frequentaſſent, eamque notitiam ſuis poſteris per manus tradidiſſent; nihil opus fuiſſet illa *Dei revelatione*, quam dicit Auguſtinus, ad hoc vt vetuſtiſſimorum Martyrum corpora, puta Stephani, Celſi, Nazarij, aliorum quarto & ſequenti ſęculo apparerent. Fuiſſent enim illa omnibus ex certa majorum in ſingulis locis traditione ſatis ſuperque cognita; Sicuti nunc videmus nihil neceſſe eſſe cœleſti aliqua pręter conſuetum naturę ordinem revelatione Latinis noſtris patefieri, vbinam ſerventur Stephani, Protaſij, Baptiſtę, & aliorum etiam ante quindecim aut ſexdecim ſæcula mortuorum reliquię. Id enim quibuſvis ex communi Eccleſię ſuę traditione notiſſimum eſt; vel certe eſſe poteſt, ſiquis hoc ſcire concupiverit. Vnde patet, quantopere Bellarminum [p] ratio fugerit, dum reliquias in Chriſtiana religione adorandas eſſe argumentatur ex inventione & revelatione Sanctorum corporum, quæ divinitus fieri vulgo credita eſt. Hæc enim, quæ quarto demum ſæculo occurrit *revelatio & inventio*, reliquiarum adorationem adeo nō firmat, vt plane contra, quam vult Bellarminus, certiſſime oſtendat eas non fuiſſe anterioribus illo ſęculo temporibus religioſe à noſtris cultas; quia ſcilicet ſi ſolenni ſemper apud majores & publica religione jam tum cultæ fuiſſent, nihil ad illas quarto ſæculo, & ſecutis

RRrr 3 indi-

CAPVT XIX.

n *Aug. Serm. 25. eorum, qui à Sirm. editi ſunt 40 & in p. 321. A.*

o *Bell. l. 2. de Sanct. relig. c. 3. § Sexto.*

p *Id. ibid.*

CAPVT XX. indicandas, locaque vbi ſitæ eſſent, demonſtranda opus futurum erat Dei revelatione. Opus fuiſſe, neque fere aliter, quam hoc modo cognita quarto, quintoque ſæculo fuiſſe Martyrum, qui anterioribus temporibus paſſi eſſent, corpora & Auguſtinus diſerte in loco nuper allato docet, & illius ævi hiſtoriæ luculentiſſime demonſtrant. Quotus enim quiſque eſt tam multorum Martyrum, ac Sanctorum, quorum reliquiæ vtroque illo ſæculo (vt Auguſtini verbo vtar) *apparuerunt*, qui aliter, quam divina revelatione agnitus eſſe dicatur? Stephanum quidem Gamaliel, ſed a. D. 415. apud ſcriptorem Legendarium pœne indignatur tamdiu ſepulcri tenebris clauſum & ignotum teneri, eique & Nicodemo, & ſibi, & filio Abibo ocyus aperiri monumentum jubet, erumpere ad illuſtrandam Dei gloriam geſtientibus. Vnde liquet quanta noſtrorum fuiſſet ſuperioribus iſto ſæculis in Sanctorum reliquias negligentia, qui ipſum protomartyrem tamdiu in obſcuro ſepulcri ſitu, ac ſqualore ignobilem & ignotum jacere ſiviſſent. Itaque cum hinc certo conſtet non fuiſſe tribus primis ſæculis cultas à Chriſtianis Martyrum reliquias, apparet viros Apoſtolicarum (quod omnes fatentur) traditionum obſervantiſſimos nihil de earum cultu ab Apoſtolis accepiſſe. Vnde contra quam argumentatus eſt Bellarminus, clare liquidoque conficitur eas nequaquam eſſe à Chriſtianis adorandas; quos ſcilicet nefas eſt quicquam in ſuæ religionis cultu vſurpare, quod non ſit ab Apoſtolis, vnis ejus ſatoribus, ac propagatoribus traditum.

CAPVT XX.

Argumentum XXI. Quod ipſorum Apoſtolorum reliquiæ adeo incelebres prima Chriſtianiſmi memoria fuerint, vt eorum (quatuor tantum exceptis) corpora quibus locis eſſent ſita omnes ad a. D. 300. Chriſtiani neſcierint; Thomæ & Andreæ ſepulcra ſæculo demum quarto, Bartholomæi quinto præcipiti, Matthæi decimo, Iacobi Zebedaidæ, & Simonis & Iudæ, duodecimo noſci & inclareſcere cœpiſſe; Matthiæ ſepulcrum etiam nunc neſciri. Andream Patrus Conſtantinopolim, non à Conſtantino (quod mallet Baronius) ſed à Conſtantio a. D. 359 fuiſſe translatum.

VT vero illud Auguſtini, vnde hæc omnis pendet argumentatio de Martyrum corporibus ex *revelatione* (vt creditum eſt) Dei, illo quarto, quintoque & ſequentibus ſæculis apud Chriſtianos apparentibus, clarius confirmetur, atque conſtituatur, jam de cæteris primæ memoriæ Martyribus ac Sanctis videamus. Nihil in omni Chriſtianiſmo eſt, ipſis Apoſtolis, primis ac divinis ſanctiſſimæ diſciplinæ

ſciplinæ præconibus, illuſtrius. Itaque nunc eorum corpora apud Latinos (quod ſane ex reliquiaria diſciplina decet) præcipuo ſunt in honore, pœne apud omnes vulgo nota. Quis enim jam neſcit Petrum & Paulum, Philippum, & Iacobum, & Bartholomæum Romæ[q]? Iacobum Ioannis fratrem, Compoſtellæ[r]. Matthæum Salerni[ſ], Andream Amaſphi[t], Thomam & Ortonæ[v] in Italia, & Goæ apud Indos[x] in vltimo Oriente, Ioannem Epheſi[y] ſervari, coliique publica omnium religione, magnis (vt creditur) miraculis ſubinde confirmata? Iudam & Simonem in Perſide ſepultos[a] obſcurior quidem, ſed tamen aliqua nunc fama eſt. Vnus Matthias omnem Latinorum diligentiam eluſit, de cujus ſepulcro nihil quod equidem ſciam, hactenus vel ſcire, vel odorati potuerunt[b]. Præter has præcipuas, ac vt ſic dicam, capitales Apoſtolorum reliquias, aliæ ſunt minutiores per plurimas iſtorum Eccleſias huc & illuc ſparſæ; quædam etiam de miraculis, quæ vel patraſſe olim, vel etiam nunc ſubinde patrare dicuntur, nobiliſſimæ. Multa exempla refert Calvinianus reliquiarum index? Ex vno patet, quantum ſit iſtorum in reliquias ſtudium. Narrat enim Calvinus Genevæ ad majus altare Eccleſiæ Petro ſacrę diu oſtentatum, & adoratum fuiſſe ejuſdem Apoſtoli cerebellum; id autem cum poſtea excuſſum & exploratum eſſet vigilantius, certo deprehenſum eſſe non hominis cujuſquam cerebrum, ſed pumicem lapidem vere fuiſſe[c]. Alię hujus generis fraudes oſtendunt, quam non ſit incredile homines ita de religione vel lucri, vel certe gloriolę cupiditate victos luſiſſe. Cæteras mitto Apoſtolorum reliquias, quas omnes colligere qui velit, is juſtum volumen iis impleverit; adeo ſunt & numero multæ & miraculis & Eccleſiarum etiam de iis aliquando inter ſe contendentium, rixis & certaminibus nobiles. Siccine etiã apud vetuſtiſſimos ad quartũ vſq; ſæculũ fideles habitę ſunt? Certe decebat; ex reliquiariorum quidem diſciplina, & juxta κυρίας eorum δόξας. Et ſi idem cum Latinis ſenſiſſent, non eſt dubitandum, quin Apoſtolicis reliquiis omnem iſtam & cultus religionem, & cuſtodię diligentiam, & miraculorum gloriam tanto, quam nunc Latini, & facilius, & crebrius, & ſtudioſius delaturi fuerint, quanto & his illi erant viri multo meliores, & religioſiores, & res ipſa illis, quam noſtris temporibus facilior. Tum enim recens Apoſtolorum erat apud omnes memoria, vt & certo ſcire vbinam locorum ſita eſſent eorum corpora, & ſi quid ex divinorum virorũ vel veſte, vel ſupellectile alicubi deliteſceret, id venari, & nanciſci, & ſervare nullo negotio poſſent; cum Latinorum, qui ſeculis tam multis poſt res ipſas geſtas vixerunt, plane diverſa ſit ob temporum longinquitatem conditio; quod ſatis prodent ipſę eorum de ſuis reliquiis, deque caſuum ambagibus, per quas ad ſe delatę ſunt vel fabulę, vel vt mollius, ne iraſcantur, loquar, fabulis ſimillimę hiſtorię. Sed vide jam hoc, quod erat, & ex Reliquiariorum dogmate plane neceſſarium, & per ipſam

CAPUT XX.

q Bar. in Martyr. d. 1. Mai. & ibid. d. 31. Aug.
r Martyrol. Rom. d. 25. Iul.
ſ Baron. a. D. 954 §. 2.
t Mart. Rom. d. 9. Mai.
u Id. d. 3. Iul.
x Matth. Indic. l. 8. p. 344.
y Martyrol. Rom. d. 27. Dec.
a Ado. de feſt. Apoſt. d. 5. Kal Nov.
b Vid. Martyr. Rom. d. 24. Febr. & ibi Baron.
c Calv. de Reliq. p. 244. B.

CAPUT XX. rerum naturam longe facillimum, vide inquam, hoc ipſum quantopere primi illi omnium abſque controverſia optimi Chriſtiani contempſerint, neglexerint, prætermiſerint. Nam ſi quicquid extat primæ illius memoriæ verum & indubitatum excuſſeris, eos reperies Apoſtolorum corpora, non modo non adoraſſe aut ex priſtinis ſepulcris revulſa in alias ſuis vſibus commodiores ſedes tranſtuliſſe, aut certe monumenta, in quibus quieſcebant, religioſe inviſiſſe, aut coluiſſe. Sed quod multo majus eſt, ac mirabilius, deprehendes eos ne loca, quidem plerorumque vel tenuiſſe, vel etiam vt tenerent, fategiſſe. Certe in tota illa Chriſtianiſmi prima antiquitate, quam tribus proximis à nato Chriſto ſæculis definimus, plane nihil, quod ego quidem meminerim de Apoſtolorum ſepultura occurrit; ſi tria loca exceperis, quæ ſunt jam à nobis in ſuperioribus allata. Primus locus erat Hegeſippi apud Euſebium, tradentis [d] Iacobum, cognomento Iuſtum, Hieroſolymis in eo ipſo loco, vbi martyrium fecerat, ſepultum à fidelibus fuiſſe. Alter locus erat Polycratis, qui Ioannem Epheſi, Philippum Hierapoli, quod obdormiviſſe dicat, eo ipſo ſepultos ibidem fuere ſignificat [e]. Tertius denique locus Caij eſt, veteris de tertio jam inchoato ſæculo Scriptoris, qui Paulum & Petrum Romæ in Vaticano, & ad viam Hoſtienſem ſitos fuiſſe teſtabatur [f]. Hæc omnino ſunt primæ Chriſtianæ antiquitatis de Apoſtolorum ſepultura teſtimonia; ſane ſimpliciſſima, in quibus neque, de adoratis, cultis, aut ad miracula adhibitis eorum corporibus, vel reliquiis quicquam legitur; neque aliorum, quam Iacobi, & Ioannis, & Pauli, & Philippi loca memorantur. Ac Iacobi quidem, cujus meminit Hegeſippus monumentum videtur inſecutis terræ Iudeæ ſub Hadriano calamitatibus exciſum, deletumque fuiſſe. Certe de ejus ſepulcro nihil deinceps vel in tertij, vel etiam in veris quarti, quintique ſcriptoribus reperitur. De cæterorum Iacobi fratris Ioannis, Andreæ, Matthæi, Thomæ, Bartholomæi, Iudæ, Simonis & Matthiæ ſepulcris altum apud veteres trium primorum ſæculorum ſcriptores ſilentium. Sed ea ne quarto quidem toto ſæculo, multo notiora fuiſſe videntur. Chryſoſtomus, qui anno quinti ſæculi ſeptimo eſt mortuus, vltimis (vt videtur) ſuæ vitæ temporibus ſcribens, negat [g] ſe & alios ejuſdem ævi fideles ſcire, vbi *plerorumque Apoſtolorum oſſa ſita ſint. Nam Petri quidem* (inquit) *& Pauli & Ioannis, & Thomæ ſepulcra manifeſta ſunt; alterum autem, qui tam multi ſunt, nuſquam nota ſunt.* Τὰ δὲ τῶν ἀποστόλων οὐδὲ ἴσμεν τῶν πολλῶν ὅπου κεῖται. Πέτρου μὲν γὰρ καὶ Παύλου καὶ Ἰωάννου καὶ Θωμᾶ δῆλοι οἱ τάφοι. τῶν δὲ ἄλλων τοσούτων ὄντων, οὐδαμοῦ γνώριμοι γεγόνασι. Locus eſt inſignis, & magna obſervatione dignus. Primo enim hinc vides Iacobi apud Hieroſolyma, & Philippi apud Hierapolin monumenta, quæ Hegeſippi, & Polycratis ævo, id eſt ſecundo Chriſtianiſmi ſæculo nota erant, Chryſoſtomi temporibus, id eſt a. D. 400. ignota fuiſſe; quod ea longa dies

[d] *Hegeſ. apud Euſeb. Hiſt. l. 2. c. 23.*

[e] *Polycr. ibid. l. 5. c. 24.*

[f] *Cai. ibid. l. 2. c. 25.*

[g] *Chryſoſt in Hebr. hom. 26. T. 6. in N. T. p. 917. A.*

dies pedetentim, ſive ex hominum memoria, ſive ex ipſa rerum natura deleviſſet, quod magno & invicto argumento eſt nullam iſtis fuiſſe ante Chryſoſtomæum ævum temporibus monumentorum, ne Apoſtolicorum quidem, culturam apud noſtros religioſam; quæ ſiqua fuiſſet ſcilicet, plane prohibuiſſet, ne illorum ſepulcrorum, id eſt ex reliquiario dogmate, ſacrariorum notitia tantulo ducentorum annorum ſpatio excideret. Eſt & illud ſecundo in hoc Chryſoſtomi loco obſervandum, quod Thomæ ſepulcrum ſua memoria notum eſſe dicit. Nimirum jam tum ſparſa erat fama hujus Apoſtoli corpus Edeſſam fuiſſe tranſlatum, præter anteriorum temporum notitiam. Illius enim memoriæ Chriſtianos Thomæ ſepulturam neſciviſſe inde conſtat, quod Euſebius, qui ſcriptorum ſe vetuſtiorum ſcrinia omnia ſtudioſiſſime erat ſcrutatus ad Hiſtoriam Eccleſiæ ſuam extruendam, & adornandam, ex eorum quidem teſtimoniis Petri & Pauli & Ioannis, & Philippi, & Iacobi Iuſti ſepulcra vbi eſſent, diligentiſſime nos docet; De Thomę monumento, & reliquiis, plane nihil dicit. Neque Baronius [b], qui omnia hujus generis immani curioſitate corraſit, auctorem de Edeſſeno Thomę ſepulcro vllum edit hoc noſtro Chryſoſtomo vetuſtiorem. Itaque videntur Edeſſeni, quarto demum Chriſtaniſmi ſeculo pro ſolenni temporis illius more primum jactaſſe repertas à ſe ex aliqua ſcilicet Dei revelatione fuiſſe Thomę reliquias, & in novum monumentum tranſlatas; quod vere-ne, an falſo dicerent, Deus vnus novit. Nam & res hujuſmodi vt plurimum fabuloſæ ſunt; Neque à fabulis abhorruiſſe bonos illos Edeſſenos facile videbit, quiſquis vetuſtam illam ipſorum de Abgaro, deque ejus ad Dominum Chriſtum epiſtola, deque rebus eam conſecutis traditionem animo à ſtudiis libero perpenderit, quam Euſebius [i] Hiſtorię Eccleſiaſticæ inſerendam putavit. Tertio neque illud ad recitatum Chryſoſtomi locum prætermittendum eſt, quod nullam iſtic mentionem facit, ſepulcri, vel ejus in quod Andreæ corpus Conſtantinopolim erat aliquot ante annis tranſlatum, vel illius, in quo Patris, antequam transferretur, quieviſſe ferebatur. Hoc enim cum ipſe, quo tempore hæc ſcribebat Conſtantinopoli degeret, imo & civitatis illius eſſet Epiſcopus, neſcire non potuit. Ergo neſciviſſe quidem hæc tantum virum, non puto, ſed neque perſuadere mihi poſſum eum ex aliqua, vel incogitantia, vel oblivione rem vſque adeo obviam, & in oculos, etiam nolentis, incurrentem omiſiſſe. Verius puto de Andreæ ſepulcro nihil eum dixiſſe, quod de ipſa rei veritate nihil haberet certum, ac plane compertum. Ratio dubitandi erat manifeſta, quod de Andrea Apoſtolo Patris in media Græcia ſepulcro nullum extaret veterum teſtimonium, id quod ex primæ memoriæ libris conſtat, in quibus nulla de hujus Apoſtoli ſepulcro mentio repetitur. *Revelationem* vero, quam quarto illo ſæculo, vt aliorum Martyrum, ita & hujus Andreæ inventioni prætextam, & obtentam

CAPUT XX.

b Baron. in Martyrol. d. 3. Iul.

i Euſeb. Hiſt. l. 1 c. 13.

CAPUT XX.

k *Hieron. Chron. a. 21. Conſtant.*
l *Theodor. Lect. Collect. extr.*
m *Chronic. Alex.*
n *Act. Artem apud Sur. d. 20. Oct. p. 311.*
o *Philoſt. hiſt. l. 3 c. 2.*
p *Niceph. Call. l. 10. c. 11.*

fuiſſe non dubito, merito Chryſoſtomus ſuſpectam habere poterat quod res tota ab hæretico Principe, Conſtantio ſcilicet, fuiſſet adminiſtrata. Hunc enim & Hieronymus in Chronico [k], & Theodorus Lector in Collectaneis [l] extremis, & Chronicon Alexandrinum [m], & acta Artemij apud Surium [n], & Philoſtorgius [o], ac denique Nicephorus [p], conſtanter & vna omnes voce tradunt circa a. D. 359. Andreæ Apoſtoli, & Lucæ, & Timothei corpora Conſtantinopolim tranſtuliſſe, & in Apoſtolorum templo collocaviſſe, ex obſcuris nimirum monumentis in quibus more majorum magno eatenus ſilentio quieverant, extracta in Vrbis Regiæ lucem, ex nova & vetuſtioribus Chriſtianis ignota diſciplina, quam recens reliquiarum religio, his primum orta temporibus, condidit. Scio Baronium, cui dolet ſcilicet exempli tam ex ſuo dogmate Catholici auctorem fuiſſe Arianum, multa turbare, vt hujus hiſtoriæ veritatem labefactet, ac tametſi tot ſcriptorum luce, atque auctoritate deterritus, rem plane definire non ſit auſus, palam tamen ea perpendere, vt Conſtantinus laudatiſſimæ memoriæ Princeps tria illa corpora tranſtuliſſe putetur; non autem Conſtantius magnus Arianorum & fautor, & conſecraneus. Sed ille fruſtra contra verum nititur. Nam præter illorum ſex hiſtoricorum ex diverſis licet partim ſectis, partim vitæ inſtitutis, in hoc tamen conſentientium, quod hoc factum omnes Conſtantio tribuunt; nemo Conſtantino apertiſſime abjudicat. Hic enim in opere, quo illius Principis vitam omnem, eaque maxime quæ ad ejus in Chriſtum & in rem Chriſtianam ſtudium ac zelum pertinent, fuſiſſime exſequitur; quo illam ipſam Apoſtolorum ædem, in quam tranſlata fuiſſe dicuntur Andreæ, Lucæ & Timothei oſſa, à Conſtantino in vrbe ſui nominis conditam, & in genere operoſiſſime deſcribit, & nominatim eum dicit *duodecim illic cappas, ſive thecas, quaſi ſacras quaſdã columnas ad Apoſtolici collegij honorẽ & memoriã extuliſſe ſive erexiſſe* [q]; non erat profecto loco tam opportuno repoſita ibidẽ vnius Apoſtoli, & duorum Evangeliſtarum corpora prætermiſſurus, ſiquid hujuſmodi is, cujus honori & gloriæ totum illud ſuum opus dicaverat, Princeps feciſſet. At ille nihil, toto opere de tranſlatis in hoc templum vllis à Conſtantino reliquiis dicit. Ergo neque id verum eſſe credendum eſt, quod mallet Baronius. Quæcumque vero contra objectat, ea plane levia ſunt, & ex ſolo reliquiarum ſtudio profecta. Quod enim primo ait [r] compertum eſſe Conſtantio, Principi vt notum eſt, Ariano, non poſſe illa Hietonymi adverſus Vigilantium verba convenire, quibus ἐρωτικῶς rogat, an ſacrilegns fuerit ille Imperator, qui iſtas reliquias Conſtantinopolim tranſtulit; id, inquam, cur iſte dicat compertum eſſe, non capio. An putat Baronius alienum fuiſſe ab Arianorum hæreſi reliquiarum cultum, eoque Conſtantium, qui in ea hæreſi fuit, incredibile eſſe reliquias tranſtuliſſe? At hoc liquido refellit in primis Philoſtorgius, vir, vt patet,

q *Euſeb. de vita Conſt. l. 4. c. 50.*

r *Baron. ad Martyrol. d. 9. Maij.*

non modo Arianus, ſed etiam ex deterrima Arianorum ſecta, Eunomianus, ea ipſa ſcilicet, quæ rejecti reliquiarij cultus (quamquam ſtulte profecto, ac nulla ratione) proprie à Latinis inſimulatur. Is enim tametſi Eunomianus, & ſuam in reliquias venerationem alibi quod ſupra jam notavimus, teſtatur non ſemel, & hanc ipſam tranſlationem, de qua quæritur, Conſtantio diſerte ac nominatim tribuit [s], & quidem inter laudes, quas in eum haud parce effundit; vt diſerte eſt à Photio in Eclogis ex Philoſtorgij hiſtoria decerptis obſervatum; vt nunc alium hominem mittam, ipſum quoque liquido Arianum, imo (quod non nulli eruditiſſimi viri [t] non ſine magna veri ſpecie putant) ipſum illum Maximinũ, Arianorum ſigniferum, (cujus extat cum Auguſtino de Filij homoouſio collatio) Sanctos opere in Iobum ſuo [v] invocantem. Id enim opus non Origenis, inter cujus libros vulgo circumfertur, ſed alicujus recentioris, & quidem Ariani, eſſe conſentiunt Sixtus Senenſis [x], Bellarminus [y], & alij. An potius hoc vult Baronius non negaturum fuiſſe Hieronymum illum reliquiarum cultorem Principem, *Sacrilegum* fuiſſe, ſi eum Conſtantium intellexiſſet? Si id hoc loco ſenſit Baronius, pueriliter ſane & ſe, & lectores fallit. Nam vt de Gregorio Nazianzeno, Hieronymi præceptore nihil dicam, qui de Conſtantio ira aliquando loquitur [z], vt eum n hil minus, quam pro homine ſacrilego habuiſſe videatur; vel cæcis liquet Hieronymum ſacrilegi nomen hoc loco, non ſimpliciter, & abſolute, ſed relate ad cauſſam, quam agit, vſurpaſſe; *Sacrilegus* (inquit) *fuit Imperator, qui Sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim?* Hoc vult apertiſſime, hunc ejus actum neminem pro ſacrilegio habere; eum non ideo, quod hoc fecerit, ſacrilegum eſſe exiſtimandum. Ita eſſe vincit, quod ſtatim in eundem ſenſum ſequitur [a]; *Sacrilegus* (inquit) *dicendus eſt & nunc Auguſtus Arcadius, qui oſſa beati Samuelis longo poſt tempore de Iudæa tranſtulit in Thraciam?* Omnes vident eum rogare, an quod hoc fecerit, eo ſacrilegus dicendus ſit Arcadius. Eadem ergo ejus, & de Auguſto altero, Andreæ tranſlatore mens fuerat, an quod has reliquias tranſtuliſſet, eo ſacrilegus habendus eſſet? Nihil ergo ad hunc locum pertinet Conſtantij Arianiſmus. Fuerit Hieronymo Arianus, fuerit, eo nomine *ſacrilegus* (vt ſane fuit, ſi Arianus fuit) non ideo ſequitur Hieronymo non licuiſſe eum negare hoc ſacrilegum, quod reliquias Conſtantinopolim tranſtulerit. Sed & aliqua veterum loca obiiciuntur [b], quæ Conſtantino hanc Andreæ tranſlationem tribuunt; inter quæ fruſtra affertur Hieronymi de ſcriptoribus Eccleſiaſticis commentarius, in cujus quibuſdam exemplaribus Lucæ oſſa Conſtantinopolim viceſimo Conſtantini anno tranſlata eſſe ſcriptum eſt. Ego quidem duo habeo illius libri exemplaria; vnum in editione Hieronymi Chevalloniana, quæ Lutetiæ a. D. 1533. prodiit; alterum in Auberti Miræi, Decani Antuerpienſis Bibliotheca Antuer-

s Philoſt. l. 3. §. 2.

t Eraſm. Præfat. in Orig. Fr. er. in Actis Synod. p. 68

v Apud Origen T. 1. p. 426. l. 2. in Iob.

x Sixt Sen. Bibl. l. 4. in Orig.

y Bell. l. de Script. Eccl. Orig.

z Naz. orat. 3. p 50. 67. D. 63. A 64. & Iamb. 21. T. 2 p 233. C. D. vbi eum vocat ἀσεβῆ ϛαῦρον Βασιλέα.

a Hieron adv. Vigilant. T. 2. fo 44. H.

b Baron. a. D. 335. §. 79.

CAPVT XX.

piæ a. D. 1639. publicata. Vtrumque exemplar conſtanter habet, *Conſtantij*; neutrum *Conſtantini, annum viceſimum*. Fateor græca Sophtonij in priori editione è regione Latinorum appoſita Κωνςαντίου præferre. Sed Latini libri, qui auctoris eſt, quam Græci, qui eſt interpretis, potior fides. Ipſe, qui Conſtantinum mallet, Baronius fatetur eſſe Hieronymi codices, qui Cōſtantiū eo loco legant; Victorius vero in ipſum illum locum ſcribit *antiquas editiones Conſtantium præferre*. Quod vero in hoc opere quidam codices *Conſtantinum* mendoſe pro *Conſtantio*, ſubſtituunt, eundem errorem nihil mirum eſt in alio (ſcilicet adverſus Vigilantium libro) omnia exemplaria ſecuta eſſe, in quibus ſcriptum eſt; *Sacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui Sanctas reliquias*, &c. *tranſtulit?* Librarij idem, qui in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, error eſt *Conſtantinum* pro *Conſtantio* ſcribentis: facili ob vtriuſque nominis ſimilitudinem, lapſu Omnis iſta, quantacumque eſt diverſitas, Librariis imputanda eſt. Nam de ipſius quidem Hieronymi ſententia dubitare non licet; qui in Chronicorum opere, vbi omnia per ſua tempora digeſta, & per ſingulos Principum annos decurrentia ita diſtincte exhibentur, vt mendo ſimili locus ne eſſe quidem poſſit; in eo inquam, opere annos Conſtantij Imperatoris à Patris Conſtantini morte ſurgentes evolvens, ad eorum annorum X X I. cum a. D. 359. comparatum diſertiſſime hæc ſcribit [c]; *Conſtantio Romam ingreſſo, oſſa Andreæ Apoſtoli, & Lucæ Evangeliſtæ à Conſtantinopolitanis miro favore ſuſcepta*. Vbi quod de *Roma* dicit, id de nova *Roma* intelligendum, id eſt de Conſtantinopoli, Scaliger in Animadverſionibus admonuit. Huic Hieronymi tam diſerto, tam certo, tam ab omni parte adverſus Librariorum vel audaciam, vel incogitantiam munito teſtimonio fruſtra ſtulteque diverſas ejuſdē ſcriptoris, ſed in hujus diſſimillimis operibus lectiones obiici omnes vident, qui quidem aliquid in his vident. Denique verſus Paulini Nolani quoſdam à Dungalo ex Natali Fœlicis X I. olim citatos obiicit Baronius [e], & deſcribit, qui Conſtantinū canunt, vt *ſua Apoſtolicis mœnia corporibus muniret Andream ex Achaia devexiſſe, & Timotheum ex Aſia*. Hi autem verſus, quos ait Baronius ſe à Nicolao Fabro accepiſſe, nunc extant in ipſo Dungali opere, quod eſt in Patrum bibliotheca [f] publicatum. Sed facilis eſt reſponſio, Paulinum laudatis à nobis auctoribus fruſtra opponi, vnum pluribus, Poëtam hiſtoricis, & Chronographis, aliud agentem res ipſas certo conſilio, conſultoque deſcribentibus. Quid enim proclivius fuit, quam vt Paulinus ea carmine pangens, quæ ab accurato res vna cum ſuis circumſtantiis ſigillatim narrandi genere aliena ſunt, errore memoriæ *Conſtantinum* pro Conſtantio poſuerit? maxime cum ipſa illa Apoſtolorum ædes, in quam tranſlatum fuit Andreæ corpus, à Conſtantino fundata, ac condita revera fuiſſet? Quis non intelligit multo certiorem eſſe hiſtoricorum res ſuis quaſque temporibus aſſignantiū

c Hier. Chron. Euſeb. p. 175. init.

d Scal. in loc. Hier. p. 234. col. 2. extr.

e Baron. a. D. 336. § 70.

f Bibl. Patr. To. 4. P. 2. p. 16.

fidem? Vix quiſquam eſt, etiam laudatiſſimorum auctorum, cui non aliquando exciderint hujuſmodi μνημονικοὶ errores. In Paulino vero ipſo, ſimiles non ſemel occurrunt, etiam à Ieſuitis notati; vt Natali Fœlicis IX.[g]

CAPUT XX.

---Sed ne precor, obruat illos (puteos)
Invidus, & viventis aquæ cæcator Amalech.

Notat Fronto Ducæus [h] non *Amalec*, ſed *Abimelech*, Palæſtinum Regem, *puteos cæcaſſe* & res ex Geneſi clara eſt [i]. Idem [k] eumdem notat alibi [l] ſcribere *à dracone vorari Æthiopum populos*; præter divini Hymnographi mentem ac fidem, qui, non *Æthiopas à dracone*, quod Paulino perperam ſua memoria ſuggeſſit; ſed plane contra *draconem ab Æthiopibus vorari* canit [m]. Idem quoque alibi animadvertit Paulinum contra cæteros veteres hiſtoricos ſcripſiſſe *conſecratum ab Hadriano in loco Dominicæ paſſionis ſimulacrum Iovis*; cum ex ipſo Euſebio, & Ruffino, & Socrate & Sozomeno & Theodoreto certum ſit, non Iovis quod noſter lapſu memoriæ ſcripſit, ſed *Veneris* ſimulacrum in loco paſſionis & ſepulturæ Domini erectum eſſe. Non eſt incredibilius Paulinum in Conſtantini nomine, quam in his ex memoriæ errore lapſum eſſe. Sed vt frangatur omnis adverſarij pervicacia, duo quædam ſunt in hac omni hiſtoria animadvertenda; quæ Conſtantinum hujus tranſlationis auctorem eſſe non ſinunt. Prius eſt, quod & Theodorus Lector, & Philoſtorgius, & Acta Artemij apud Surium diſertiſſime obſervant illa Andreæ, & Lucæ & Timothei oſſa in Conſtantinopolitano Apoſtolorum templo repoſita eſſe. Iam ex duobus Hieronymi locis nuper allatis conſtat illam horum corporum tranſlationem anno ejus Principis, à quo facta eſt, vel XX. vt habet liber de Scriptoribus Eccleſiaſticis, vel certe XXI. vt eſt in Chronico, contigiſſe. At vel ex ipſo Baronio certum eſt non potuiſſe reliquias in CP.[o] Apoſtolorum templo reponi anno Conſtantini vel XX. vel XXI. Illud enim templum cum ipſe Baronius [p] ex Euſebio colligat Conſtantinum poſt factam cum Perſis pacem *ædificare demum cœpiſſe*, anno ſui imperij, vt ille putat, XXXI. Chriſti Domini 336. luce meridiana clarius eſt anno ejuſdem Principis XX. vel XXI. nondum fuiſſe jacta templi illius fundamenta, nedum vt aliquæ in eo reliquiæ dicari & conſecrari potuerint. Alterum ad hoc ipſum concludendum, argumentum nobis ſuppeditant Acta Artemij, [q] quo per hunc ipſum Artemium Conſtantinopolim ex Achaia tranſlata fuiſſe oſſa illa Apoſtolica narrant, eumque poſt hoc peractum miniſterium in Ægyptum à Principe Ducem, ſive Præfectum miſſum fuiſſe; eademque tradit [r] Nicephorus Calliſti. Iam ille Artemius, Conſtantino quidem imperante nullus vſpiam occurrit; ſub Conſtantio vero notiſſimus eſt, non modo apud hos, ſed etiam apud Theodoretum [s], & auctorem Chronici Alexandrini, imo & apud ipſum Ammianum Marcellinum [t], qui bis ejus meminit, & à Iuliano capitali

g *Paul. Fœlicis Nat.* 9 *p.* 616.
h *Duc. Not. ad Paulin. p.* 861. 863.
i *Gen.* 26. 14.
k *Duc. vb. ſup.*
l *Paulin. Fal. Nat.* 10. *p.* 624.
m *Pſalm.* 73. (*Hebr.* 72.) 14.
n *Duc. Not in Paulin. p.* 779.
o *Paulin. ep.* 11. *p.* 134.
p *Bar. a. D.* 336 §. 68.
q *Act. Artem. vb. ſupr.*
r *Nicephor. l.* 10. *c.* 11. *T.* 2. *p.* 29.
ſ *Theodoret. Hiſt. l.* 3. *c.* 17.
t *Amm. Marcell. l.* 17. *p.* 103. & *p.* 122.

CAPVT XX.

ſupplicio affectum tradit, *Alexandrinis eum vrgentibus atrocium criminum mole*; Acta ob pietatem, & conſtantem in Chriſtianiſmum fidem ab impio deſertore occiſum volunt. Cum ergo & teſtes, & res ipſæ Conſtantij temporibus congruant, eædem à Conſtantini imperio alienæ ſint; concludendum eſt, velit nolit Baronius, primam illam, ac nobiliſſimam corporis Apoſtolici tranſlationem, non à Conſtantino, ſed à Conſtantio ejus filio, annis fere 23. poſt Patris obitum factam eſſe; eoque publicum, cujus aliqua ſit in rebus Chriſtianis memoria, reliquiarum cultum anno demum æræ Dominicæ 359. aut circiter, à Principe hæretico, & magno hæreticorum fautore, hac tranſlatione, fuiſſe veluti dedicatum, ac conſtitutum. Andreæ autem corpus, antequam Conſtantinopolim transferretur Patris vrbe Achaiæ, quieviſſe, apud priorum ſæculorum auctores nuſquam, quod ſciam, reperitur. Sophronius in ejus vita, quam catalogo Scriptorum Hieronymiano à ſe Græce reddito, vt & alias nonnullas adjecit [u], tradit quidem hunc Apoſtolum ſepultum fuiſſe Patris; ſed vnde id habuerit, non dicit, an ex fama poſt tranſlationem ſparſa, an ex certo aliquo ante eam auctore; & quod ibidem memorat eum crucifixum fuiſſe ab *Ægea Rege Edeſſenorum* ὑπὸ Αἰγέα, τοῦ βασιλέως Ἐδεσσηνῶν, id inquam, rem omnem valde ſuſpectam facit. Quid enim Edeſſenorum Regi in Achaia? Notavit Scaliger. Alij ejuſdem de Ægea fabulæ ſcriptores eum faciunt *proconſulem*; prudentius fateor; neſcio an verius. Auctor Actorum Artemij ait [x] Auguſtum Conſtantium accepiſſe à quodam Epiſcopo, quem mox docet fuiſſe Patrenſem, corpora Andreæ & Lucæ ſepulta eſſe in Achaia; illius Patris, hujus Thebis. Sed vnde hoc ſciverit Epiſcopus; num ex *traditione*, an vero (quod illius ſæculi familiare poſtea fuit) ex *revelatione*, ſcriptor non decidit. Ex his ſatis liquet apud vetuſtiores ante a. D. 359. ignotum fuiſſe hanc omnem tum de Patrenſi Andreæ, tum de Thebano Lucæ ſepulcro famam, poſt Conſtantianam demum tranſlationem invaluiſſe; ſic tamen vt ipſe quadraginta poſt annis Chryſoſtomus videatur ei vel nihil, vel certe parum fidei tribuiſſe, qui etiam tum Andreæ monumentum inter ignota Apoſtolorum ſepulcra relinquit. Sed jam cæteros Apoſtolos pertexamus. Bartholomæi reliquias, de quibus altum apud omnes vetuſtiores ſilentium, Theodorus Lector [y], & Nicephorus tradunt [z] Anaſtaſium ab ipſo Bartholomæo in ſomnis admonitum, in oppidum Daras ad Perſidis fines tranſtuliſſe, ibique depoſuiſſe, cum eas reperiſſet (vbi autem, vel quomodo, quaque ratione eas repererit, neuter dicit) Procopius vero refert [a] Iuſtinianum poſtea magnificum ibidem templum Bartholomæo condidiſſe; neque alios Baronius de hujus Apoſtoli reliquiis auctores edit [b]. Anaſtaſium autem conſtat a. D. 491. Iuſtinianum vero 527. imperare cœpiſſe. Iacobum Zebedæi filium, primum omnium Apoſtolorum Hieroſolymis martyrium feciſſe cõſtat ex Luca, ibidemq; adeo ſepultum fuiſſe

u *Sophron. apud Hien. de Script. Eccl. T. 1. fol. 93. G.*

x *Act. Artem. c. 8. apud Sur. d. 20. Oct.*

y *Theodor. Lect. Collectan. l. 2.*

z *Niceph. Call. l. 16. c. 37.*

a *Procop. l. 2. de ædific. Iuſtin.*

b *Baron. ad Martyrol. d. 25. Aug.*

CAPUT XX.

fuiſſe veriſimillimum eſt. Ejus vero reliquias, de quibus nullum in omnibus ſex primorum à Chriſto nato ſæculorum libris verbum legitur, Iſidorus Hiſpalenſis vir ſeptimi ſæculi in Carmarica ſepultas fuiſſe tradit [c]. Sed ne illud quidem certum eſt Iſidorum hæc ſcripſiſſe. Baronius enim non ſemel dubitat, an is de Sanctorum vita liber, in quo hæc habentur, vere ſit Iſidori, quo indigna eſſe judicat [d], quę in iſto volumine *complura reperiri* ait *coagmentata mendacia*. Neque ille de reliquiis Iacobi in vltimam Hiſpaniam, vbi nunc eſſe creduntur, translatis certum vllum, publiceque notum ſcriptorem adfert [e], Calliſto P. R. II. vetuſtiorem, quem an. D. 1119. in ſedem Papalem evectum conſtat. Dextri enim nomine nuper ab Hiſpanis confictas, editaſque fabulas, ſed ab ipſis Latinorum eruditiſſimis Alberto Miræo [f], & Ioanne Launoyo [g], & Dionyſio Petavio [*], & aliis exploſas nihil moramur; quanquam ſi vel ipſe Dexter aliquid hujus modi prodidiſſet, ne ſic quidem ea de re conſtaret: cum Dextrum ipſi Hiſpani, vt Hieronymi σύγχρονον, annis poſt Iacobi mortem haud paucioribus, quam trecentis vixiſſe confiteantur. Neque de Matthæo & cæteris clariora, aut certiora aſſeruntur. De Matthæo Baronius, quod ederet nihil habuit [h], niſi hæc ex Chronico Caſſinenſi ad a.D. 954 *hoc* anno ejus corpus, quod primo apud Æthiopiam poſt modum vero apud Britanniam, ſive vt Baronius malle videtur, apud Bithyniam, per multa tempora quieverat, ex ipſius Matthæi revelatione repertum atque Salernum eſſe tranſlatum. De Simonis Chananæi, & Iudæ, qui Thaddæus dicitur, reliquiis plane nihil ex veteribus habet Baronius [i]. Tantum refert Bernardum Clarævallenſem Abbatem, hominem (vt notum eſt) duodecimi ſeculi reliquias Thaddæi Hieroſolymis ad ſe miſſas accepiſſe. Ado Viennenſis, noni ſæculi notiſſimus ſcriptor, vtrumque dicit [k] in Perſide martyrium feciſſe, & à populis, quos ibi Chriſto genuerāt, honorifice ſepultum eſſe. De Matthiæ poſtremo reliquiis, neque Ado [l], neque vel ipſe Baronius [m] quicquam exhibent. Atque hæc quidem de Apoſtolorum reliquiis; Vnde nunc videmus, quam eę apud Chriſtianos non modo trium primorum à Chriſto nato, ſed etiam ſequentium complurium ſæculorum homines, plæræque obſcuræ, ignotæque fuerint.

c *Iſidor. de vita Sanct. c. 72. p. 542. A.*

d *Baron. ad Martyrol. d. 25. Iul. d. 1. Maij. & d. 25. Aug. & in Annal. a. D. 816. §. 50.*

e *Id. ad Martyrol. d. 25. Iul.*

f *Miræus Biblioth. Eccleſ. p. 36.*

g *Launoy Diſquiſ. diſquiſit. p. 4. & Præfat. extr.*

* *Petav. Ep. l. 2. ep. 19.*

h *Baron. a. D. 954. §. 2. & in Martyrol. d. 21. Sept.*

i *Id. ibid. d. 28. Oct.*

k *Ado de feſtivitat. Apoſtol. p. 2. extr.*

l *ibid. p. 3.*

m *Baron. ad Martyrol. d. 24. Febr.*

CAPUT

CAPVT XXI.

Argumentum XXII. Quod quas ab Apoſtolis ex reliquiario dogmate primum & ante omnia coli decebat piorum veteris Teſtamenti reliquias, ea noſtris ante quartum Chriſtianiſmi ſæculum planæ ignota fuerint. Corpora, Baptiſtæ quidem a. D. 362. Habbacuc & Michææ poſt a. D. 379. Samuëlis a. D. 406. Zachariæ Prophetæ a. D. 415. fere omnia per revelationem noſci cœpiſſe.

SED præter Apoſtolos, etiam Sanctorum, qui ante natum in terris Chriſtum floruerant, corpora à Reliquiariis appetita cultaque diſcimus; quibus nulli vnquam hujus generis honores à fidelibus habiti olim fuerant, vt ex omnibus veteris Teſtamenti libris clarum eſt. Horum ergo corpora, quæ multis antea ſæculis placidiſſime in ſepulcris quieverant, à nullis vexata cultoribus, poſtquam reliquiarum religio hominum animos invaſit, requiri ipſa quoque cœperunt, & eodem modo honorari, quo Sanctorum novi Teſtamenti reliquiæ colebantur. Sed neque id factum, vt ex hiſtoriis conſtat, ante quarti ſæculi tempora. Huc pertinet, quod Arcadius Auguſtus anno quinti ſæculi, vt putat Baronius [n], ſexto Samuëlis Prophetæ oſſa ex Iudæa Conſtantinopolim tranſtulit, magno Epiſcoporum & populorum quacumque iter fuit, concurſu; quod teſtatur, & ipſo illo, vt videtur, tempore adverſus Vigilantium ſcribens Hieronymus [o], & Theodorus lector [p], & Nicephorus [q]. Sic & ſub Theodoſio magno, Arcadij patre, id eſt poſt a. D. 379. ex revelatione reperta ſunt, Eleutheropoli & in ejus vicinitate apud Palæſtinam, Habbacuc & Michęę Prophetarum corpora, Zebenno illius civitatis Epiſcopo *per divinam in ſomnis viſionem indicata*; vt auctor eſt Sozomenus [r]. Idem narrat Zachariam Prophetam cuidam Catemero in agro Eleutheropolitano [s] clara luce vigilanti apparentem, indicaſſe, vbi jaceret hactenus ignotum ſuum corpus, & iſtic fodere juſſiſſe; Paruiſſe Catemerum, & Prophetæ corpus inveniſſe anno quinti ſæculi XV. Eadem quoque habet Nicephorus [t]. Vt Prophetarum, ita & Ioannis quoque Baptiſtæ reliquiæ in honore & veneratione habitæ ſunt, ſed neq; ipſæ ante ſæculum quartum. Ejus oſſa jam ſupra ex Ruffino [v] oſtendimus, cum corpus Pagani furentes ſepulcro apud Sebaſten erutum cremarent, à monachis Hieroſolymitanis furtim lecta ad Athanaſium Alexandriæ Epiſcopum a. D. 362. delata eſſe, & ab eo nulla pompa, ſed *paucis arbitris*, non in *altari*, ſed in *cavato ſacrarij pariete*, adeoque non ad cultum ex nova diſciplina, ſed ad ſecuritatem, adverſus perſecutorum injurias fuiſſe condita. Eædem vero reliquiæ poſtea

a.D.389.

n Baron. a. D. 406. §. 55.

o Hieron. l. adverſ. Vigilant. T. 2. fol. 44. H.

p Theodor. Lect. l. 2. Collectan.

q Niceph. Call. l. 14. c. 11.

r Sozom. hiſt. l. 7. c. 28.

ſ Id. ibid. l. 7. c. vltimo.

t Niceph. Call. l. 14. c. 8.

u Ruffin. hiſt. ſuæ l. 2. c. 28.

a D. 389. plane ex novo Reliquiariorum more, ex illo pariete, in quo erant conditæ, à Theophilo Epiſcopo tranſlatæ ſunt, honoris ſcilicet & venerationis cauſa, in baſilicam eo loco extructam, in quo fuerat Serapidis celebre olim apud Paganos, ſed nuper à noſtris everſum fanum. Quo loco caſtiganda obiter eſt Baronij oſcitantia, qui has in illam baſilicam illatas Ioannis reliquias narrans, id factum ait [x], *vt S. Athanaſius ante prædixerat*. Id vero *prædixiſſe* Athanaſium non tradit Ruffinus, ex quo hoc ſe habere ſomniat Baronius. Sed hoc tantum ſcribit, Athanaſium Ioannis reliquias pariete, vt diximus, conditas & incluſas conſervaviſſe. *Prophetico* (inquit) *Spiritu profuturas generationi poſteræ*, quibus verbis vt liquet, ſignificat Athanaſium, non hæc, quæ poſtea acciderunt, prædixiſſe, ſed ita ſe geſſiſſe, ac ſi jam tum proſpexiſſet ea aliquando futura; quæ Athanaſiani facti interpretatio eſt, à Ruffini reliquiario (vt ſic dicam) ſpiritu profecta; cæterum ab ipſius Athanaſij ſenſu aliena, qui reliquias humandas, non ad venerationem vel domi, vel in baſilicis ſervandas ex Antonij à ſe probata & explicata diſciplina proculdubio cenſuit.

CAPUT XXII. | x Baron. a D. 389. §. 27.

CAPUT XXII.

Argumentum XXIII. Quod Apoſtolicorum virorum, & adjutorum (quorum potiſſimam eſſe decuerat ex reliquiaria diſciplina rationem) reliquiæ tribus quidem primis ſæculis ignotæ fuerint, ſepulcra ſequentibus tantum ſæculis noſci & celebrari cœperint; Barnabæ a. D. 485. Timothei & Lucæ a. D. 359. Marci a. D. 820. Mariæ Magdalenæ reliquias, quibus nihil nunc eſt apud Latinos illuſtrius, a. D. demum 1370. innoteſcere cœpiſſe.

EADEM eſt Apoſtolicorum virorum, quæ & ipſorum Apoſtolorum, & Prophetarum ratio. Nam illorum æque ac iſtorum reliquias coli à Chriſtianis videmus, monumenta æque obſervari, ſed poſt tertium tantum ſæculum, anterioribus, non aliter, quam horum de quibus diximus, neglecta fuiſſe ſepulcra. Primus in eo cenſu eminebat Barnabas, Pauli Socius, vir Apoſtolici Spiritus, vt ex Lucæ Actis, & ex Paulinis Epiſtolis patet. Hujus non minus, quam Apoſtolorum, ſepulcrum apud noſtros celebre eſſe ac venerabile debebat, ex reliquiariæ quidem diſciplinæ legibus. Quid ergo factum eſt? Ille vero loculus, qui tantum theſaurum continebat, ne ab vno quidem ex priorum pœne quinque ſæculorum ſcriptoribus memoratus, ad Zenonis vſque imperium, annum autem Domini (ſi bene putat Baronius) 485. omnibus ignotus latuit. Eo tandem tempore Barnabas ſepulcri credo, illius pertæſus, in quo annos jam 400. optima fide apud Cyprum dormiebat, evigilavit, & Anthemio Sala-

CAPUT XXII.

minenſi Epiſcopo autem noctu in ſomnis vellens, docet eum quo loco ſitus ſit; jubet extra civitatis portam aliquantum progredi, fodere inventurum corpus ſuum vna cum Matthæi Evangelio. Ille inventum in ęde novam, Barnabę nomini magnifice conditam intulit. Epiſcopo rem fictam, an factam ad ſuę dignitatis defenſionem narranti Zeno Auguſtus hanc ſuis temporibus fœlicitatem gratulans non modo incunctanter, ſed etiam avide credidit. Narrant Theodorus lector [y], Nicephorus [z], alij; fuſiſſime Alexander [a] neſcio quis Monachus apud Surium, & Baronium. Nicephorus ad Anaſtaſij tempora rem transfert; recte an ſecus, nihil noſtra quidem intereſt. Timothei & Lucæ fideliſſimorum Pauli comitum, & Evangeliſtarum inſignium ſub Conſtantio demum, circa an. D. 359. innotuiſſe vna cum Andreæ reliquiis nuper diximus. Cum Tito ejuſdem ordinis & meriti viro, iniquius actum eſt; quem Martyrologium Romanum non vetus, ſed novum à Baronio editum, affirmat quidem in eadem apud Cretam Eccleſia ſepultum fuiſſe, in qua & à Paulo fuerat ordinatus, ſed nullum de veteribus habet faventem; Certe Baronius nullos hic auctores edit [b] illam Titi ſepulturam firmantes, vel quid ejus corpore factum ſit, edocentes; quos, ſi quos habuiſſet, non erat vir nimium frugi omiſſurus. Marcus vero, qui Petro id fuit, quod Paulo Titus, multo liberalius eſt habitus à Latinis; cujus corpus cum a. D. circiter 820. furto ex æde quadam Alexandrina, in qua dicitur ad illa tempora quieviſſe, à mercatoribus quibuſdam Venetis ſubductum & aſportatum, & Iuſtiniano Duci, quo eum ſibi iratum placarent, dono datum eſſet, tam honorifice à tota gente exceptum eſt, vt vix vllus ſit Divorum, qui majoribus ac divinioribus honoribus gaudeat. Hiſtoriam, ſane haud illepidam veraciſſimus Latinorum annalium parens ex quodam arcano libro Vaticani illius ſcrinij è quo nihil vnquam, niſi ad vnguem verum prodiit, fuſe, ac vt in fabulis ſolet, copioſe admodum, atque diligenter narrat [c]. Sed illa tamen ejus narratio non vſquequaque cum Eutychij, Alexandrini Patriarchæ, rationibus congruit, qui in Annalibus, quos Arabice conſcripſit, diſertiſſime tradit [d], Marci apud Alexandriam Nerone imperante, pro fide occiſi, corpus ibidem eſſe crematum. Eutychius autem ille, vt ex veris ratiocinatur eruditiſſimus Seldenus [e], Alexandriæ a. D. 933. ſedere cœpit; ann. 940. obiit. Vtcumque ſit, illud quidem ſatis ſuperque conſtat, Marci reliquias, antequam fœlici illo furto (cujus fortaſſe immerito rei habentur Baroniani illi mercatores) in Venetas lacunas eſſent aſportatæ, adeo & ſuis Alexandrinis, & aliis Orientalibus fuiſſe ignotas, vt eas veterum ante an. D. 800. ſcriptorum nemo, quod equidem ſciam, celebraverit, imo ne fortaſſe quidem nominaverit. Mariæ Magdalenæ, quæ Chriſtum vidit in terris verſantem, quaque vix quicquam hodie eſt apud Latinos celebrius, reliquias Chriſtianis per duodecim fere ſæcula pariter quoque ignotas

annus

y *Theodor. lect. Collect. l. 2. fol. 352. edit. Gr.*
z *Nicephor. Call. l. 16. c. 37.*
a *Alex. apud Bar. a. D. 485. §. 913.*
b *Baron. ad Martyrol. d. 4. Ianuar.*
c *Baron. a. D. 820 §. 21. ad 33. & ad Martyrol. d. 31 Ian.*
d *Eutych. Alex. Annal. l. 1. p. 336.*
e *Selden. Præfat. ad Origin. Alex.*

annus demum Domini ducenteſimus ſeptuageſimus nonus ſupra milleſimum ſeris Apoſtolorum nepotibus in Provincia noſtra oſtendit [f].

CAPVT XXIII.

f Vide Bzovium a.D. 1370.§.24.

CAPVT XXIII.

Argumentum XXIV. Quod primorum & Apoſtolici ævi proximorum Martyrum & Divorum reliquiæ ſero quoque, ac nonniſi poſt tertium Chriſtianiſmi ſæculum, innotuerint; vt Protaſij, Gervaſij, Nazarij, Celſi, Terentij, Africani, Laurentij. Argumentum XXV. Quod divinis revelationibus etiam ad eorum noſcenda corpora opus fuerit, qui ſæculo vel tertio exeunte, vel ineunte quarto paſſi erant.

SED nunc de Apoſtolorum primis, proximiſque diſcipulis videamus, Horum vero reliquias, eadem quoque ratione, iiſdemque temporibus, id eſt nonniſi poſt tertium ſæculum innoteſcere, inclareſcere, celebrari denique religioſis honoribus cœpiſſe manifeſtum eſt. Gervaſius & Protaſius primis Chriſtianiſmi temporibus martyrium Mediolani fecerant, vel ſub Nerone, vt diu fama tenuit, vel quod nunc Baronius probabilius putat [g], ſub Marco Aurelio. Illorum autem nomina ante ſuprema quarti ſæculi ita erant apud omnes Eccleſias obſcura, vt ex tanto ſcriptorum, qui ad illud tempus vixerunt, numero nemo ſit, qui ea vel ſemel memoraverit. Sepultura etiam Mediolani, vbi ſimul jacebant, erat adhuc ipſo illo tempore, teſte Paulino Afro [h], incognita; cum ecce Ambroſius a.D. 387. Deo ſcilicet cœlitus *revelante*, ſubito didicit, vbi vtriuſque corpus eſſet ſitum; Vtrumque inde ſtatim refoſſum in Ambroſianam baſilicam magna pompa, cui ſe Auguſtinus interfuiſſe ipſe teſtatur, & ingentibus miraculis, quæ hominibus Reliquiariis nunquam in talibus deſunt, magnifice tranſtulit. Idem Præſul, quo nemo fuit in odorandis, ac cernendis ſub terra, quantumvis alta, latentibus reliquiis, ſagacior, & acutior, circa a.D. 394. Nazarij & Celſi (quos ſub Nerone paſſos eſſe Baronianum Martyrologium tradit [i]) corpora in horto quodam extra civitatem Mediolanenſem ſita, & omnibus ad id temporis punctum, peregrinis, civibuſque ignota, ſed divinitus, vt antea ſcilicet, admonitus, inde eruta in baſilica Apoſtolorum, quæ Romana dicebatur, Mediolani repoſuit, eodem quoque Paulino teſte, qui vitæ Ambroſianæ capite XVI. ſe Martyrum tranſlationi adfuiſſe affirmat. His quoque temporibus Terentij & Africani corpora, quos Martyrologium Romanum ſub Decio, id eſt poſt a.D. 248. paſſos eſſe dicit [k], corpora in Euphemiæ martyrio, ſive æde ſacra, Theodoſij Magni Principis juſſu adeoque poſt a.D. 379. quo is imperare cœpit, repoſita

g Baron. ad Martyrol. d. 19. Iul.

h Paulin. Vita Ambroſ. c. 6. Vid. & Bar. ad Martyrol. d. 19 Iul. & in Annal an. D. 387. §. 22.

i Martyrol. Rom. d. 28. Iul.

k Id. d. 10. Apr.

CAPVT XXIII.

fuiſſe Conſtantinopoli docet in Collectaneis Theodorus Lector [l]. Laurentij, Diaconi Romani, quem anno Valeriani Principis ſeptimo (id eſt circiter a. D. 259.) paſſum eſſe perſuadet Baronius, reliquiæ quinto ſæculo celebrantur à Pulcheria Theodoſij junioris ſorore in æde ipſi apud Conſtantinopolim ſacra, vna cum aliis Stephani, & Agnetis reliquiis collocatæ ſunt [m]. Ejuſdem craticula [n], in qua ſcilicet Martyr toſtus erat, ſexto ſæculo adeo inclaruit, vt Iuſtinianus adhuc Patritius ex ea ſibi aliquid reliquiarum mitti ab Hormiſda P. R. peteret; & ſub finem ejuſdem ſæculi Gregorius de illius craticulæ miraculis multa magnaque ſcriberet; quæ deinceps pœne in immenſum creverunt. Nil tale in anterioribus à Laurentij morte temporibus ad quarti ſæculi extrema reperitur, quibus famoſa illa craticula emerſiſſe videtur. Sed quod etiam mihi mirabilius videtur, ipſa Martyrum in vltima perſecutione, quæ a. D. 302 cœpit, conſummatorum corpora obſervamus, exactis nondum centum poſt eam annis, divinitus tamen Chriſtianis oſtenſa memorari. At ſi adorari ea à noſtris jam tum ſolenne erat, fieri profecto non potuiſſet, vt tam brevi temporis ſpatio ex hominum memoria deleretur loci in quo fuerant conditi notitia. Verbi gratia. 40. Martyres apud Sebaſten Licinio imperante, adeoque poſt annum Domini 311. paſſi erant. Annis poſt paſſionem paulo pluribus, quam centum, eorum reliquias Pulcheria Auguſta, ex oblata ſibi divinitus revelatione inquirit & invenit, labente demum quinto ſæculo; & invenit (quod eſt memorabile) conditas olim ab Euſebia quadam, Macedonianæ hæreſi addicta muliere, quas ipſa olim vivens ſibi ſoli clam ſervaverat, & moriens locum, in quo eas condebat, & ad quam ſe ipſam humari præcipiebat, quam occultiſſimum haberi, cuſtodirique ab ejuſdem ſectæ Monachis ſub jurisjurandi religione inſtituerat; vt fuſe tradit Sozomenus [o], & ex eo Nicephorus [p]. Nimirum Euſebia iſta eorum fuiſſe videtur temporum, quibus aliquorum tantum privata, nondum Eccleſiæ publica erat in Martyrum reliquias religio, ac cultura. Agnes in Diocletianea perſecutione (vt demonſtrat Baronius [q]) nobiliſſimum martyrium fecerat. De ejus reliquiis mentio quinto demum ſæculo occurrit; quo jam adulto Auguſta Pulcheria, Marciano nupta, eas repetiſſe, & Conſtantinopoli condidiſſe legitur. *Agnetis inventas reliquias apud Conſtantinopolim depoſuit*, inquit Nicephorus [r]. Iiſdem temporibus innoteſcere cœpiſſe Anaſtaſiæ Incantatricis Sirmij olim paſſæ reliquias, Conſtantinopolim ſub Patriarcha Gennadio allatas, idem ſcriptor tradit [s]; & ante eum quoque ſcripſerat Theodorus lector [t]. Sub Diocletiano, adeoque poſt a. D. 302. paſſi erant Agricola ille & Vitalis, quorum reliquias poſt annos circiter nonaginta Bononiæ honorificentiſſime conſecratas fuiſſe ex Ambroſio [v], qui interfuit, diſcimus; a. D. (vt conjicit Baronius [x]) 392. Quomodo inventę fuerint ex revelationę, an ex traditione nemo quod ſciam, docuit.

Quin

l *Theod. Lect. l. 2. Collectan. fol. 353. A.*
m *Id. ibid. fol. 355. B. & Marcellin. Com. Chron.*
n *De his vide Bar. ad Martyrol. d. 10. Aug.*
o *Sozom. l. 9. c. 2.*
p *Niceph. Call. l. 14. c. 10.*
q *Baron. ad Martyr. d. 21. Ian.*
r *Niceph Call. l. 14. c. 10. p. 45.*
ſ *Id. ibid.*
t *Theodor. Lect. l. 2.*
u *Ambroſ. de exhortat. ad Virg.*
x *Baron. a. D. 393. §. 122.*

Quin & Neſtabi, Genoniſque fratrum ſub Iuliano deſertore a.D. 362. à Gazenzibus crudeliſſime propter religionem interfectorum reliquias divinitus fuiſſe revelatas narrat Sozomenus [y]. Cum enim Martyrum combuſtis extra vrbem corporibus, impij Pagani, quod ſuperfuit oſſium ibidem projectis camelorum, & aſinorum oſſibus ita permiſcuiſſent, vt difficillimum eſſet ea ſecernere, piam quandam mulierem divino juſſu ad eum locum noctu veniſſe, & oſſa ſacra ſelegiſſe, & in ollam injecta conſobrino Martyrum Zenoni dediſſe, hunc ea ſervata, cum poſtea Epiſcopus ſub Theodoſio Principe factus eſſet, in Eccleſia à ſe ædificata repoſuiſſe. Plura afferri poſſent. Sed hæc ſatis ſunt, vt quivis intelligat, quod verum eſt, ſero, ac nonniſi poſt tertium exactum Chriſtianiſmi ſæculum, celebrari cœpiſſe, non modo Apoſtolorum, & Martyrum, ſed etiam B. Mariæ, ipſiuſque Domini Chriſti reliquias. Quæro hujus tanti inter ſuperiora, & inferiora Chriſtianiſmi tempora diſcriminis rationem? Planum eſt primos Chriſtianos religione ac zelo fuiſſe, non modo non tardiore, aut remiſſiore, quam quarti ſæculi & conſecutorum temporum poſteros, ſed etiam majore ac ferventiore. Cum ergo neque pietatis defectus, neque rei difficultas obſtaret; illud quoque clarum eſt Chriſti, & Sanctorum reliquias, ſi quas expetiviſſent, quærere, inveſtigare, nanciſci, habere majoribus, quam poſteris, longe facilius fuiſſe. Cum ergo neque pietatis defectus, neque rei difficultas obſtaret, quominus reliquias pro quarti ſæculi, & ſequentium more ac ritu curarent, & celebrarent; etiam tai diſſimi vident nullam aliam hujus inter vtroſque diſcriminis cauſſam fuiſſe, quam eam ipſam, quæ eſt à nobis memorata. Nimirum primi illi antiquiſſimi fideles id, quod poſt tertium demum ſeculum ſibi homines perſuaſerunt, nondum didicerunt, reliquias Sanctorum ſcilicet in Domino mortuorum, religioſe colendas eſſe, & vi ad patranda in rem ac vſum piorum miracula, divinitus conceſſa valere. Hoc vero myſterium ſi docuiſſent Apoſtoli, nulli neque prius, neque melius ſciviſſent, quam primi illi, proximique eorum diſcipuli. Quod ergo hos neſciviſſe ex ſuperioribus palam eſt, id fatendum eſt neque ſane Chriſti Apoſtolos initio docuiſſe.

CAPVT XXIII.

[y] Sozom. l. 5. c. 9. (Lat. 5.) fol. 65. A. B.

CAPVT XXIV.

Argumentum XXVI. ductum ex præpoſtero ordine, quo Divorum reliquiæ agnitæ, cultaque ſunt, non antiquiſſimorum & potiſſimorum primo, & ante recentiores, ac minus præſtantes; ſed fere contra, recentiorum & minus præſtantium ante antiquiſſimos, & longe præſtantiſſimos. Diſputationis concluſio.

VNVM tantum addam in rei reliquiariæ ſupra expoſito progreſſu memorabile, vnde eadem veritas clariſſime eluceſcit. Patet enim ex ſuperioribus B. Mariæ reliquias multo, quam aliorum Sanctorum, ſerius apud Chriſtiani nominis homines noſci, celebrarique cœpiſſe. Divæ capillos, lac, veſtes, ipſam denique domum poſtremis tantum ſæculis primum oſtentata fuiſſe clarum eſt, cum jam pridem vbique ferveret, Martyrum etiam recentiſſimorum, religio. Atqui ex omni Sanctorum cenſu (ſi vnum Dominum, Sanctum Sanctorum, exceperis) nemo eſt, cujus reliquiæ conquiri, adorari, ſervari prius, ac ſollicitius debuerint, quam Virginis Matris, ſi ſtat reliquiarium Latinorum dogma. Illud quoque mirum eſt, quod non modo Nazarij & Celſi, Gervaſij & Protaſij, ſed etiam recentiſſimorum ex tertij ſæculi ſupremis, quartique exordiis, martyrum Agricolæ, & Vitalis prius reliquiæ innotuerint, quàm Stephani protomartyris, & Barnabæ, viri Apoſtolici. Quis non & hoc indignetur, cum jam quinto ſæculo Laurentij, Agnetis, Terentij & Africani, & quadraginta militum, & Anaſtaſiæ reliquiæ Auguſtorum cura conſecratæ longe, lateque florerent, & miraculis ad invidiam radiarent; Apoſtolorum ipſorum corpora diu ignota jacuiſſe? Bartholomæi ad quinti ſæculi ſuprema? Matthæi ad decimum adultum? Iacobæ Zebedæïdæ ad duodecimum? de quorumdam, vt de Matthiæ, reliquiis ne nunc quidem poſt omnem Reliquiariorum hominum diligentiam, quicquam certo ſciri? Sponte cæcutit, qui ex tam præpoſtero rerum ordine non perſpicit hæc, non ex certa aliqua principio apud majores ſolenni diſciplina, ſed ex privatis, ac fortuitis ſingulorum cauſis, ac caſibus geſta eſſe, & conſtituta, vt quemque animi impetus, & hujus religionis zelus ferebat; vt ingenij captus erat; vt ſe occaſio, atque opportunitas dabat. Si certum & apud omnes jam inde ab Apoſtolis receptum fuiſſet reliquiariæ religionis myſterium; ex dogmatis ipſius lege, primo Chriſti tum & Mariæ, hinc Stephani, Iacobi, & cæterorum deinceps Apoſtolorum, hinc denique Martyrum, qui Neronis, Domitiani, Trajani, Hadriani, Marci, & ſequentium Principum temporibus conſummati ſunt, reliquiæ ſuo quæque ordine notæ & in pretio habitæ fuiſſent.

Quan-

CAPUT XXIV.

Quando longe aliter factum conſtat, luce meridiana clarius eſt illud Latinorum de reliquiarum cultu dogma, non ab Apoſtolis, quod ipſi volunt, traditum, aut à proximis eorum diſcipulis receptum eſſe; ſed quarto demum ſæculo fingi primo cœpiſſe; inde ſequentium temporum curis, creſcente in dies ſuperſtitione, paulatim perfectum fuiſſe; quod quibus ex cauſis, atque occaſionibus, quaque ratione, & quo modo contigerit, non eſt mei nunc inſtituti explicare. Illud mihi abunde eſt, quod jam niſi fallor, ex ſuperiori omni diſputatione clarum ac liquidum eſt totum hunc Latinorum religioſum in reliquias cultum apud omnes ad a. D. trecenteſimum Chriſtianos ignotum, atque inauditum fuiſſe.

LIBER QVINTVS

CONTINET ARGVMENTA contra Latinam de religioſo Crucium cultu traditionem propria.

CAPVT I.

Præfatio: Rejecta de Imaginibus diſputatio, alio jam ſeorſum opere profligata, Latinorum de inventa ab Helena vera Domini Cruce traditio refellitur à conſtanti Euſebij ſilentio. Bellarmini pro ea varij conatus. Neque juvare Cyrilli, Ambroſij, Paulini & aliorum Reliquiariorum credulitatem in argumento Reliquiis commodo.

ABSOLVTA de Reliquiis diſputatione, nunc ad Imagines quas vocant ſacras, pergendum eſſet. Sed quia religioſum eorum cultum veteribus Chriſtianis ad quartum & infra ſæculum invſitatum ignotumque fuiſſe, jamdudum in proprio ea de re volumine, ante annos viginti publicato fusè demonſtravimus, cultúſque illius origines, primordia, ac progreſſus abundè patefecimus, non eſt quod hoc loco actum agamus. Diſputationem illam noſtram libris quatuor explicatam, ac vtraque linguâ, vernaculâ primùm, deinde & latinâ editam adeat, qui volet. Nos de Cruce, quæ Latini cultus pars eſt quinta & vltima, hîc tandem videamus.

Crucem ergo Latini non tantùm eam ipſam colunt, cui Dominus Chriſtus in Iudæa olim ſuffixus fuit, & cujus varias ſe particulas habere putant; ſed etiam multiplices ex qualibet materia, auro, argento, ligno, ſaxo vel conflatas, vel ſculptas dolataſque effigies. Ac illam quidem inter reliquias primo ferè ac potiſſimo loco cenſent; has verò in imaginum ſacrarum genere atque ordine. Itaque cùm jam oſtenſum ſit neque reliquiarum neque imaginum ſacrarum cultum fuiſſe apud primos & antiquiſſimos ad quarti ſæculi initia Chriſtianos religio-

religioſum; ſupervacanea videri poſſet hæc de cruce peculiaris diſputatio. Libuit tamen proprium ei locum tribuere, tum quod hic crucis cultus apud Latinos præ cæteris omnibus eximius ſit ac frequens, tum quod Bellarminus, & alij ferè earumdem partium tractatores peculiarem inſtituere ſoleant de Cruce diſputationem. Ac de ipſa quidem Crucis formâ, quæ qualiſque verè olim fuerit, quo tempore Chriſtus mortem eſt perpeſſus, Bellarminus quædam hoc loco attulit, alij longè plura & meliora diſputarunt, Lipſius in Opere de Cruce, & clariſſimus non ita pridem. Salmaſius in epiſtola ad Bartholinum, & cæteri, quos memorare longum eſt. Sed nos iſta veluti ab inſtituto noſtro aliqua mittimus; qui de Crucis non formâ, ſed religione, qualiſcumque ipſa Crux fuerit, nunc quærimus. Ac ipſam quidem illam Crucem cui Chriſtus ſuffixus fuit, & in quam præcipua eſt Latinorum religio, non fuiſſe à noſtris ante quarti ſæculi initia cultam, omnes ad vnum confitentur adverſarii, quam ſcilicet ipſi narrant anno quarti ſæculi ſexto & viceſimo, Conſtantini verò Principis viceſimo primo, ab Helena Auguſta, ejus matre, Hieroſolymis fuiſſe repertam; nô verò *ad initium Conſtantini*, quod perperam dicit Bellarminus. Quod enim Imperium annorum fuit triginta & ſi quid excurrit, ejus vt annus viceſimus, *initium* dicatur nulla ratio patitur. Quinimò ſi res ex veris certiſque expendatur, ne ab Helena quidem videtur Dominica illa Crux reperta, ſed recentioribus poſtea temporibus id ad religionem augendam à Reliquiariis hominibus confictum fuiſſe. Certè qui rei tam ſi vera fuit, admirabilis, ad quam Helena & ſuſcipiendam divinis revelationis admonita, & peragendam multis magniſque miraculis, etiam cujuſdam mortui reſurrectione, confirmata fuiſſe dicitur, qui rei, inquam, omnium quæ illo ſæculo acciderunt, maximè ſi iſtis credimus, memorabilis, meminerit planè nemo reperitur eorum quidem, qui Helenam viderunt, iiſdemque cum ea temporibus vixerunt. Euſebium Cæſareæ vrbis in Hieroſolymorum vicinia poſitæ, Epiſcopum, Conſtantini Auguſti & Helenæ familiarem, id ſi verè factum eſſet, neſciviſſe nemo, opinor, dicet. Hoc eundem ſi ſciviſſet, in deſcribendis Helenæ laudibus & actis ad Chriſtianam pietatem pertinentibus, prætermiſſurum fuiſſe, quo nihil eſſe fertur in omni Auguſtæ illius vita excellentius, mirabilius, celebrius, nemo cordatus credit, qui quidem Euſebium, non dico Epiſcopum, non dico doctum & eruditum ſcriptorem, ſed vel virum fuiſſe conceſſerit ſenſus communis nô planè expertem. At Euſebij luculentiſſimum extat de Conſtantini vita inſcriptum, & in quatuor libros diſtinctum opus; in cujus parte tertia multis ille Helenæ pietatem laudibus effert; illud ipſum Auguſtæ in Iudæam iter deſcribit, in quo crucem Dominicam Latini ab ea repertam fuiſſe volunt; res in Iudæa geſtas narrat; duas nominatim Eccleſias, vnam Bethlehemi, alteram in monte olivarum Deo ab ea poſitas ac conſecratas memorat; Tum de piis ejuſdem & in totas Eccleſias, & in

CAPVT I.

Bell l.2. de Imag. c.26. init.

Ibid. c.27.

Id. ibi l. §. Secundò quod Deus.

Euſeb. de vita C. M. l.3 fol. 142. A. B. edit. Lat. c. 41. 42. 43. 44. 45.

CAPVT I.

& in ſingulas per Orientem largitionibus; poſtremò de beato ac Chriſtiano illius obitu non paucis perorat: De Cruce Domini repertâ, non modo verbum facit nullum, ſed ne leviſſimè quidem quicquam quod eò referri poſſit, innuit. Quod autem in talibus locis tacet vir & eruditiſſimus, & talium curioſiſſimus, & Helenes, vt apparet, ſtudioſiſſimus, id eum neſciviſſe ego quidem non dubito, non dubitabit quiſquis mecum ex vero, citra animi ſtudium, judicabit. Rem verò tantam, ſi verè eo tempore geſta eſſet, neſciviſſe Euſebium, nemo niſi ſtultus, putaverit. Hoc argumentum tanti eſt, vt vnum ad diſflandam atque diſplodendam omnem illam de Cruce ab Helena inventâ narrationem ſatis ſit. De ejus veritate dubitantibus invidiam ab hiſtoriæ celebritate fruſtra facit Bellarminus; quaſi nulla fabula *celeberrima* vnquam fuerit. Quid per multa ſæcula apud Chriſtianos celebrius fuit Conſtantini Auguſti leprâ, & baptiſmo apud Romam à Sylveſtro vrbis Epiſcopo ſuſcepto? quid Cyriaci Papæ Vrſulam deſertâ ſede ſuâ cum vndecim millium Virginum choro Coloniam deducentis profectione nobilius? quid ampullâ illa Remenſi ad inungendum Chlodovæum noſtrum divinitùs delata famoſius? quid Ioannâ Papiſsâ in omnibus litteris decantatius? Nunc tamen apud Latinos illa quidem tria ſuperiora fabuloſa eſſe multi viri graves confitentur; hoc verò vltimum omnes etiam delirum ac ridiculum eſſe pertendunt. Alia ejuſdem generis ſexcenta proferre poſſem diu nemine refragante credita, falſi tandem revicta, atque exploſa. Humanum ingenium per ſe ad fingendum, ac mentiendum pronum facile ad has fraudes labitur; maximè ſi quid ad ea commendanda fingere vtile ſit, quibus impenſius ſtudet, & figmenta, qui eodem ſtudio ducuntur, quantumvis abſurda, avidè ſuſcipiunt; quo minùs mirandum eſt ab iis, qui quarto ſæculo jam affecto reliquiarium negotium magno ſtudio promovebant, confictam illam de Cruce ab Helena repertâ fabellam, & mox pronis eorum animis, & qui & illis & conſecutis temporibus eodem ſtudio tenebantur, non modò acceptam, ſed etiam arreptam, & litteris ad omnes propagatam fuiſſe; vnde illa fabulæ celebritas extitit, quam nunc Bellarminus obtendit. Quod verò idem Ambroſium & Sulpitium, & Paulinum, & Ruffinum, & Hieronymum, & Chryſoſtomum adducit, hanc vt ille vult hiſtoriam, vt ego puto, fabellam referentes; id rem maturè confictam receptámque annis poſt Helenæ obitum non pluribus, imò fortaſſe paucioribus, quam ſexaginta, demonſtrat, veram eſſe, non vincit; quam Euſebius in ipſo rerum fonte vivens ac verſans tacitam prætermittit. Neque moveor, quod illi, quos viros alioqui graves & eruditos fuiſſe non nego, famam ſuo in reliquias amori congruentem inexploratam admiſerint. Hominibus, etiam maximis, familiare eſt, quæ cupiunt, iis fidem quidem habere, facilè ac ſtatim, negare verò ægrè, ac nonniſi magnâ cum difficultate. Videmus quotidie quàm

Bell. de Imag. l.2.c.27. §. Et idem.

ægrè

ægrè ſibi apud Latinos hujuſmodi fabulas, & quidem putidiſſimas, excuti atque eripi patiantur non modò homines plebeij, ſed etiam ij viri quos de cætero graves doctóſque eſſe non negaveris. Erat apud eos celeberrima, & quidem antiquiſſima fabula de Carolo Martello noſtrorum fere Principum florentiſſimo, ad gehennam damnato: Abſurdiſſimum ac turpiſſimum figmentum refutavit Baronius primo [a]; mox & Sirmondus [b]. Colvenerius, vir bonus & eruditus, ſed ex iſto τῶν φιλομύθων genere, tantam jacturam dolet, ac tantum non indignatur [c] etiam ſuorum clariſſimos, fictis vera antehabuiſſe. Quid ergo mirum, quod Ambroſius (qui quantus fuerit reliquiarum promotor, omnes norunt, & nos ſupra non ſemel oſtendimus) ſparſo de Crucis inventione rumori crediderit? Aliorum eadem eſt ratio, quos reliquiario ſui (id eſt quinti ineuntis) ſæculi morbo laboraſſe, & omnes ſciunt, & eos fatemur. De Cyrillo Hieroſolymitano eadem quæ de Ambroſio dicerem, cujus par fuit (vixit enim vterque ſub Theodoſio) ſi ejus verè eſſe eam Epiſtolam conſtaret in qua eadem recitari obiicit Bellarminus. Vt dubitem facit Hieronymi ſilentium, qui magnus licet reliquiarum patronus, de ea Epiſtola nihil dicit, quo loco Cyrillum hunc inter illuſtres illius memoriæ Scriptores referens, de ejus rebus & libris pro ſuo inſtituto docet. Iam quod Bellarminus ipſum Conſtantinum repertæ Hieroſolymis crucis teſtem laudat, vt oſtendit, quàm mala ſit, quámque cauſæ ſtudio corrupta ſua fides. Crucis enim repertæ in ea, quam hic laudat, ad Macarium epiſtolâ, planè nullam mentionem facit Conſtantinus; quod inſpectus Euſebij locus, in quo habetur Epiſtola, vel lippis demonſtrat. Euſebius iſtic totus eſt in iis narrandis, quæ Hieroſolymis Conſtantinus ad aperiendum Chriſti ſepulcrum geſſit. Vt ipſum locum diruto quod ibi Pagani ad abolendam ejus memoriam jampridem exſtruxerant, Veneris ſacrario, pulvere, ſordibus, ac quiſquiliis adaggeratis purgaverit; Vt purgato loco, Dominicum monumentum invenerit, atque patefecerit; ibidemque templum Servatori magnificentiſſimum molitus ſit, & Præfectis gentium orientalium opus commendaverit, eadémque de re litteras ad Macarium, Hieroſolymorum Epiſcopum, fidei ac pietatis plenas miſerit; Earum autem litterarum, quæ hîc ab Euſebio deſcribuntur, hujuſmodi eſt exordium, Τοσαύτη τ͂ σωτῆρος ἡμῶν ἐστὶν ἡ χάρις, ὡς μηδεμίαν λόγων θεραπείαν τ͂ παρόντος θαύματος ἀξίαν εἶναι δοκεῖν. Τὸ γὰρ γνώρισμα τ͂ ἁγιωτάτου ἐκείνου πάθους ὑπὸ τῇ γῇ πάλαι κρυπτόμενον, τοσούτοις ἐτῶν περιόδοις λαθεῖν, ἄχρις οὗ διὰ τ͂ τοῦ κοινοῦ πάντων ἐχθροῦ ἀναιρέσεως, ἐλευθερωθεῖσι τοῖς ἑαυτοῦ θεράπουσιν ἀναλάμπειν ἔμελλε, πᾶσαν ἔκπληξιν ἀληθῶς ὑπερβαίνει. *Tanta eſt Salvatoris noſtri gratia, vt nulla eſſe videatur verborum vis, præſenti miraculo ſatis digna. Nam inſigne ſanctiſſimæ illius paſſionis monumentum, ſub terram jampridem occultatum tam multis annorum converſionibus tam diu delituiſſe, donec ſervis Dei per communis omnium hoſtis deſtructionē liberatis illuceſceret, id omnem profectò*

CAPVT I.

a *Baron. a. D. 741. §. 18. 19. 20. 21.*

b *Sirmond. Not. ad capit. Car. Calvi. p. 47.*

c *Colvener. Not. ad Flodoard. l. 2. c. 12.*

Hieron. lib. de Script. Eccl. in Cyr.

Euſeb. l. 3. de Vita Conſtant. edit. Lat. c. 25. 26. 27. 28. 29. 30.

Ibid. c. 29. alias 30. & edit Gr. fol. 141. A.

CAPUT I.

admirationem ſuperat. Hæc Conſtantinus; in quibus, vt omnes vident, ſepulcrum Chriſti, quod aggeſtâ alta terra retro à Paganis obrutum; & extructo deſuper Veneris fano tectum penituſque ab oculis, & ab ipſa hominnm ſuſpicione remotum per multos annos latuerat nunc demum ſibi, & cæteris Domini ſervis poſt Licinij, publici hoſtis, eodem illo anno occiſi, † interitum, apertum, patefactumque eſſe, & in media luce conſpicuum apparere, magno miraculo deputat. Id ipſum paulò ante celebraverat Euſebius, illud antrum, in quo Chriſtus olim conditus fuerat, quandam reſurrectionis Dominicæ imaginem præ ſe tuliſſe obſervans; quod ſcilicet, *poſt longam illam tenebrarum, quibus tamdiu merſum atque obrutum manſerat, caliginem, in lucem denuo prodiret:* διὰ μακρῶν τινῶν ἐν σκότει καταδῦναν αὖθις ἐπὶ τὸ φῶς προϊέναι, planè, vt ipſe antea Chriſtus poſt triduanam in illo antro moram, ad novam vitam revocatus in lucem emerſerat. Ex his patet quanta Bellarmini fraus fuerit illa Conſtantini ex veteri Euſebij interprete verba, *indicium tormenti ſacratiſſimi,* τὸ γνώρισμα τοῦ ἁγιωτάτου ἐκείνου πάθους, ad *Crucem* præter omnem rationem ac fidem referentis; quæ totus locus clamat ad Domini *ſepulcrum,* quod iſtic narratur mirabiliter fuiſſe à Conſtantino inventum, non autem ad *Crucem* pertinere, cujus nulla extat mentio vel in his Conſtantini litteris, vel in tota illa, ad quam illuſtrandam litteræ afferuntur, Euſebij narratione. Itaque ipſe ſtatim Conſtantinus paulò poſt illa, quæ deſcripſimus, teſtatur ſibi in primis curæ eſſe, vt *LOCUM illum ſacrum* τὸν ἱερὸν ἐκεῖνον τόπον, *turpiſſimis idoli additamentis, veluti quadam impeſiuâ mole, à ſe liberatum, ac purgatum, præclarâ ædificiorum mole exornet.* Omnem ſuperiorem ſermonem ad *locum* refert à ſe purgatum, id eſt ad Chriſti ſepulcrum; non ad ejus Crucem; de qua nullum facit verbum. Non eſt hac minor, altera quæ ſequitur Bellarmini, ſive fraus, ſive oſcitantia & ſupinitas, ipſum quoque Euſebium crucis ab Helena repertæ meminiſſe nullo pudore affirmantis. Id autem probat ex Chronico Euſebiano. Ego vero confiteor quidem in vulgatis Hieronymianæ illius operis interpretationis codicibus hæc, quæ Bellarminus intelligit, verba ad annum Conſtantini decimum ſextum legi. *Helena Conſtantini mater, divinis monita viſionibus beatiſſimum crucis lignum, in quo mundi ſalus pependit, apud Hieroſolymam reperit.* Sed hæc verè eſſe Euſebij verba, nego; à mala manu diu poſt auctoris mortem inſulta in hunc Chronici locum fuiſſe aio; & res nunc eſt apud eruditos extra controverſiam. Primò neque verba hæc, neque vlla alia conſimilis ſenſus occurrunt in Græca Euſebiani Chronici editione, in operis calce, quæ tota eſt de Conſtantini rebus & temporibus, in hæc de Conſtante ejus filio, Cæſare à Patre deſignato, & in Gallias miſſo deſinens; Κωνςαντῖνος Κώνςαντα τ' υἱὸν αὐτοῦ προβαλλόμενος Καίσαρα εἰς Γαλλίας ἀπέςειλεν. Sed ne in ipſa quidem Hieronymiani ex Euſebio Chronici ad MSS. Codices curata editione eadē verba le-

† A.D. 326. Idat. in Faſt.

Id. ibid. edit. Gr. fol. 140. B. extr. Lat. c. 27.

Ibid. c. 25. ed. Gr. 141. A.

Bell. l. 3. de Imag. c. 2. § ad Secundum.

Eul. i. s Chron. Lat. ante.

Chron. Euſeb. Gr. edit. Joſ. Scal. p. 399. B. 400. A.

CAPVT I.

ba leguntur, vel aliud quicquam, quod ad Crucis inventionem pertineat.* Scaliger editionis auctor, in notis ad annum 2337. diſertè negat *vllum omnium ſcriptorum codicum* ea verba *habuiſſe*; quæ ipſe putat in vulgatas Chronici hujus editiones ex Ruffino traducta eſſe; conjecturâ valde probabili. Verba enim illa apud Ruffinum in hiſtoria Eccleſiaſtica ferè omnia, eadem occurrunt, quo loco ſermone de Helena inſtituto; *DIVINIS* (inquit) *ADMONITA VISIONIBVS Hieroſolymam petit, atque ibi locum in quo ſacroſanctum corpus patibulo affixum PEPENDERAT, ab incolis perquirit*; tum purgato loco, *tres* (inquit) *confuſo ordine REPERIT Cruces*; quarum quæ verè Chriſti fuiſſet mox patuiſſe narrat, cum mulierem ex gravi morbo jacentem ſeminecem corpori ejus admota repente ita erexit ac ſanavit, vt ſtatim ſurgeret, totaque domo Dei potentiam magnificans diſcurreret. Hinc decerptam bellam illam de Cruce ab Helena repertâ fabellam homines Reliquiarij diu poſt Euſebij, ipſiuſque etiam Hieronymi ætatem, eorum Chronico, quibus temporibus nemo ea de re dubitabat, præter auctorum mentem intexendam putarunt; nequid ſcilicet, quod eſſet memorabile, in hoc opere deſideraretur. Id enim Chronicorum, & aliorum ejuſdem ingenij librorum, vt Martyrologiorum, fatum eſt, vt novis præter primam auctorum editionem, additionibus, ab hominibus male feriatis nullo ſæpè judicio, malâ ſemper fide, locupletentur. Exempla ab eruditis noſtro & ſuperiori ſæculo obſervata extant pœne innumerabilia; quæ nunc quidem colligere nihil neceſſe eſt. Ex his patet Euſebium non in Chronico magis quam in Hiſtoria quicquam de inventa ab Helena Domini Cruce eſſe teſtatum; quod ejus conſtans de re tanta ſilentium arguit quæ apud Cyrillum, & Ambroſium & Paulinum & alios vel eorumdem vel etiam conſecutorum ſæculorum ſcriptores de hac inventione leguntur, ea non à certis auctoribus, & oculatis rei geſtæ teſtibus accepta, ſed ex incertis temereque ab aliquo reliquiarum ſtudioſo fictis rumuſculis, hauſta fuiſſe; idque ipſum ipſa narrationis primo diverſitas, mox & diſcordia confirmat. Nam qui primus hujus hiſtoriæ meminit epiſtolæ ad Conſtantium ſcriptor, Cyrillus, vt creditur Hieroſolymitanus, is ſimpliciſſimè, vt in talibus fieri amat, hoc vnum tradit; *Conſtantini temporibus ſalutare Crucis lignum repertum eſſe Hieroſolymis*, ὅτι ἐπὶ Κωνσταντίνου τὸ σωτήριον σταυροῦ ξύλον ἐν Ἱεροσολύμοις εὕρηται, nihil addit de Helena, vel de miraculis, quibus Chriſti Crux à latronum patibulis diſcreta fuiſſe dicitur. Ambroſius poſtea vel de ſuæ eloquentiæ penu fabellam adhuc rudem inſtruxit & ornavit; vel ab aliis inſtructam excepit, & Helenam quærendæ & inveniendæ Crucis ducem & auctorem edidit; & adjecit deprehendiſſe ex titulo quænam de tribus Crucibus verè Chriſti eſſet; *Titulo* (inquit) *crux patuit ſalutaris*. Denique & de Clavis, quibus confixus fuerat Chriſtus, non ſpernendum auctarium commentatus eſt. Aliis

* *Arnald. Pontac. Epiſt. Vaſat. ad hunc Chron locum (p. 658. B.) ait illa omnia verba de inventione crucis deſiderari in Cod. mss. quos deſignat. plures quam 20.*

Scal. Animadv. in Chron. Lib. Fus ibid p. 228 B.

Ruffin. Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 7. & 8. p. 621. 622.

Cyrill. Hier. ep. ad Conſt. p. 247. C.

Ambr. Orat. in fun. Theodor.

CAPUT I.

Ambroſij de cruce ex titulo agnita narratio exilior atque jejunior viſa eſt. Placuit eam alicujus miraculi gloria animare. (Neque enim reliquiariis vllibi vnquam deeſt hæc machina.) Itaque ad Ambroſium acceſſit primo paulo junior Ruffinus, qui novum colorem hiſtoriæ addidit; Macarium epiſcopum in medium drama inducens, cruces mulieri graviſſimè laboranti, quod nuper dicebamus, admoventem, & quæ mulieri ſanitatem extemplo repræſentavit, hinc eam verè fuiſſe Dominicæ paſſionis inſtrumentum ingenios argumentantem. Sed ne hoc quidē Paulino Poëtæ & Oratori illius memoriç haud vulgari, ſatis pro rei majeſtate fuiſſe viſum eſt. Hic ergo Reginam fecit, non ex Macarij vel auctoritate vel ſuggeſtione, ſed ex infuſo ſibi divinitùs conſilij lumine, mortui hominis cadaver crucibus ſigillatim admovere, & veram eo deprehendere, quod contacta mortuum ſtatim vita ei reddita in pedes erexit. Hoc primum fuit fabulæ rudimentum, haud paucioribus quam ſexaginta poſt Helenæ mortem annis, delineatum; in ipſo ortu diſcors & ſecum pugnans, quod eorum ferè, quæ finguntur, fatum eſt. De hac à quatuor illis viris miniſtrata materia variè pro ſuo ingenio luſerunt ſequentium ſæculorum Scriptores; Nicephorus callidiſſimè, qui miraculum & mulieris ex morbo curatæ, & hominis ex morte reſuſcitati, vtrumque pariter admiſit; ne quid auctoritas vel Ruffini Paulinum, vel Paulini Ruffinum pulſaret, ſi vnum duntaxat factum fuiſſe miraculum ſtatueretur. Ingeniosè, planeque ex Græcanica ſolertia. Apud Ambroſium rem vnus titulus abſque miraculo abſolvit; Apud Ruffinum ad expediendum nodum adhibetur cœleſtis machina, & miraculum ſed vnum incidit: Apud Paulinum itidem miraculum ſonat, diverſum fateor, ſed vnum tamen. Tandem apud Nicephorum duo ex vno miracula fiunt, Nimirum, alma illa fabularum mater & nutrix fama *vires*, quod veriſſimè canit ſummus Poëta, *acquirit eundo*; vt aquas flumina curſu colligunt. Vellē nūc extaret libellus, qui de hac crucis inventione jā quinto ſæculo, & forte ante etiā ejus initia circūferebatur. Nō dubito, quin is plura nobis ſuffecturus eſſet hujus figmenti argumento rationemq; oſtenſurus diverſitatis, quę inter auctores id referentes cernitur. Illud conſtat, libellum hominibus non obeſæ naris mature ſuſpectum fuiſſe. Eo enim factum eſt, vt à Gelaſio P.R.I. a.D. 494 inter libros referretur cum cautione legendos. *Scripta (inquit) de inventione crucis Dominicæ, & alia ſcripta de inventione capitis Ioannis Baptiſtæ, novella quædam relationes ſunt, & nonnulli eas Catholici legunt. Sed cum hæc ad Catholicorum manus pervenerint, B. Apoſtoli Pauli præcedat ſententia:* Omnia probare; quod bonum eſt, tenete.

Ruff. Hiſt. l. 1. c. 17.

Paulin. ep. 11.

Niceph. Call. l. 8. c. 29. T. 1. p. 554 B.

Gelaſ. Conc. Rom. T. 3. Conc. p. 662.

CAPUT

CAPVT II.

Argumentum contra Latinam de Crucis cultu Primum; Quod & Apoſtoli, & prima ad quartum ſæculum memoria fideles ipſam Crucem, cui Chriſtus erat ſuffixus, jacere defoſſam paſſi ſint, neque eam vnquã eruere, & habere adorandam (quod à Chriſto paſſione ad Hadrianum Principem facillimum fuerat) vel leviter conati ſint, quo clariſſimè conficitur illum Crucis cultum neque tradidiſſe Apoſtolos, neque primos ab iis accepiſſe primorum ſæculorum diſcipulos.

SED de hac quidem Crucis ab Helena repertæ narratione nihil nos neceſſe eſt pluribus diſputare. Latini enim, quod nunc nobis ſatis eſt confitentur veram Domini Crucem toto illo tempore quod ab ejus morte ad annũ æræ Chriſtianæ 326. fluxit, altâ terrâ obrutam, latronúmque crucibus permixtam, omnibus ignotam delituiſſe; adeoque à noſtrorum nemine tribus primis ſæculis adoratam fuiſſe, vel vllo religionis genere cultam. Hinc autèm clariſſimè conficitur, non fuiſſe ab Apoſtolis Eccleſiæ Chriſtianæ traditum, vt ipſa illa Crux Domini religioſe coleretur. Hoc enim ſi & credidiſſent ipſi, & alios docuiſſent, crucem in primis de loco, in quem vel à Iudæis vel à militibus Romanis poſt ſumptum de Chriſto ſupplicium, abjecta fuit, diligenter ac religiosè ſuſtuliſſent; ſublatam adoraſſent, & accuratiſſimè cuſtodiiſſent, ac ſervaſſent; ſervandam denique & adorandam poſteris reliquiſſent ac commendaſſent. Neque res difficilis fuiſſe videtur. Non enim Iudæi credo, pro triſti illo feralique ligno pugnaviſſent, aut diſcipulis infœlix magiſtri patibulum invidiſſent. Quam nihili crucem illam Iudæi facerent, vel ipſi Reliquiarij docent, qui eam abjectam defoſſámque fuiſſe narrant. Atqui recens loco noto defoſſam eruere, vnius, ac ne totius quidem noctis labor erat, ſi quid à Iudæis media luce metuerent. Fac poſtremo obſervaſſe Iudæos, & ne ea loco à quoquam moveretur additis cuſtodiis providiſſe (quamquam hoc quidem ſtultum & ridiculum eſt) Chriſtus profecto, qui mortui reſurrectionem Helenæ ad crucem agnoſcendam conceſſiſſe fingitur, ad eandem vindicandam & ex impiorum poteſtate eripiendam, miraculum aliquod vel iſto minus haudquam erat Apoſtolis ſuis negaturus. Conati ſaltem eſſent Apoſtoli hanc tantam religionis ſuæ partem, hunc inexhauſtum benedictionum ac miraculorum theſaurum, ſpem ſuam, ſuúmque præſidium extorquere de hoſtium manibus; & ſuum Eccleſiæ peculium reddere fruendum, adorandúmque ad ſæculi finem. Par erat viros eâ pietate in id pro ſua virili incumbere, ſi cum Latinis noſtris ſentiebant; neque ſi primi

conatus

CAPUT II.

conatus minus ex animo ſucceſſiſſent, curas, ſtudiaque idcirco remittere; ſed operi noctu diuque intentos; omnem quod aiunt, lapidem adſalutare illud lignum conſequendum movere; Deum certè hominesque teſtari nullos ſe labores ad mactandam ornandamque tanto præſidio Eccleſiam defugiſſe; vnam Iudæorum duritiem & amentiam obſtitiſſe quo minus votorum facti fuerint compotes. Locum certè ſuos docuiſſent, in quo is theſaurus eſſet abditus, eoſque hortati eſſent, vt in omnem ejus recuperandi occaſionem intenti vigilarent, donec rem ipſam divinitus tandem obtinerent. Nemo non videt Apoſtolos ex Latinorum dogmate ita ſe hac in parte gerere, atque ita rem inſtituere debuiſſe. Stultus ſim ſi multa ad hoc colligam, vt oſtendam nihil eos hujuſmodi feciſſe. Res enim clariſſima eſt ex ipſis Apoſtolorum & Actis & omnibus epiſtolis: in quibus eos videmus nihil de illo tam vt Reliquiarij volunt, ſalutari ac neceſſario crucis Dominicæ ligno ſollicitos, longe alia agere; nuſquam laborare, nuſquam quicquam vel moliri, vel etiam cogitare, vt crucem nanciſcantur: nuſquam de Iudæis conqueri, quod eam impiè detineant: nuſquam pios hortari, vt de ea recuperanda ſatagant; nuſquam [illegible] loco docere, vbi deliteſcat ligneus ille, aureo multo potior, theſaurus. Lucam lege, & Paulum, & Petrum, & Iacobum & Ioannem; Non recuſo, quin tu crucem jure colas, ſi vel vnam apud eos de tui illius ligni religione litteram repereris. Neque diſcipulorum alia eſt quam Apoſtolorum ratio. Nemo in aureo illo primi Chriſtianiſmi ad Conſtantinum vſque ſæculo occurrit, qui tua illa ligna non dico adoret, vel oſculetur, ſed qui ea vel deſideret, vel ſibi ad legitimum religionis cultum deeſſe conqueratur. Quicquid ergo de tuo illo crucis Dominicæ cultu dixeris, eum quidem certum eſt, & luce vt mihi videtur, meridiana clarius non fuiſſe, vel ab Apoſtolis traditum, vel à primæ illius memoriæ Chriſtianis ſuſceptum, aut cognitum, nedum vt factitatus tum fuerit. Quod verò Bellarminus alicubi ſtatuit, crucem Conſtantini demum tempore potuiſſe coli, non potuiſſe regnantibus perſecutoribus, ideoque quadam Dei providentia factum fuiſſe hariolatur, quod eorum temporibus reſerata non fuerit, *quia* (inquit) *tum ludibrio magis, quam honore excepta fuiſſet*: id inquam, primo non ſatisfacit objectioni meæ. Non enim quæro cur Dominica crux, poſtquam diu delituiſſet, tandem certo quodam tempore inventa ſit; ſed cur ab initio Apoſtoli, qui norant, & quo loco poſita eſſet, tenebant, non eam ad cultum ſuſtulerint & ſervarint, quod abſque miraculo facere poterant? &, ſi id abſque miraculo fieri potuiſſe neges, cur non miraculum aliquod ad rem tam ex Latinorum hypotheſi neceſſariam potius adhibuerint, quam vt pretioſiſſimum Eccleſiæ κειμήλιον inhonoratum ſub terra jacere paterentur? Certè Bellarminus hoc ipſo in loco crucem ſub ipſo ſtatim Conſtantino ideo repertam fuiſſe dicit, *quod debito honore fraudata fuiſſet*, ſi diu

Bell. de Imag. l. 2. c. 27. §. Secundo, quod Deus.

ſi diu poſt Conſtantinum fuiſſet inventa. Ille ergo abſurdum fuiſſe putat, crucem Conſtantini & Conſtantinum proxime ſecutis temporibus, ſuo *illo debito honore fraudari*. Ego verò ſcire velim *crucē honore debito fraudari*, cur ante Conſtantinū decuerit; nō decuerit poſt eū? Ex Chriſtianæ religionis legibus, quæ æternæ ſunt, par, imo eadē eſt vtriuſque temporis ratio; Tam ante quam poſt Conſtantinum crucem à Chriſtianis coli decuit, ſi quis eſt ejus cultus legitimus ac debitus; hoc cultu fraudatam eſſe tam illo quam hoc tempore, æque indignum eſt & impium. Si nihil neceſſe fuit crucem ante Conſtantinum coli; neque profectò nefas erit eandem poſt Conſtantinum non coli. Eo cultu tam hæc quam illa Eccleſia carere potuit. Atqui his poſt Conſtantinum temporibus indignum Bellarmino judice atque abſurdum fuit crucem cultu illo fraudari; Ergo & ante. Conſtantinum fraudari indignum quoque atque abſurdum fuiſſe cenſendum eſt. Neque id ipſius tantum per ſe rei, ſed etiam Eccleſiæ ratio ſuadet. Quid enim quæſo tam male promerita erat antiquiſſima illa ante Conſtantinum Eccleſia, vt eam tot tantiſque vtilitatibus fraudari dignum fuerit, quas Latini narrant quarti ſæculi & ſequentium temporum Chriſtianos ex illo crucis cultu percepiſſe? Iam verò & conſtat & adverſarij confitentur illam Domini crucem totis tribus Chriſtianiſmi primis ſæculis cultu illo caruiſſe. Poſtremo ergo confitendum eſt eum crucis illius cultum in Chriſtiana religione minime requiri. Quod verò negat Bellarminus crucem ante Conſtantinum *potuiſſe coli*; id nulla ratione negat. Quid enim quæſo prohibebat crucem ante Conſtantinum coli? Perſecutorum, inquit, furor, qui ante hæc tempora regnabant. Quaſi verò pios vel is tyrannorum furor, vel quicquam aliud à Chriſto colendo deterruerit. Illorum temporum Chriſtiani invitis omnibus & perſecutoribus & dæmonibus, quicquid cultu dignum credebant, etiam coluerunt. Crucem ergo religione ſi qua dignam crediciſſent, tam poterant etiam tum colere, quam ipſum Crucifixum. Latini volunt à primis illis Chriſtianis religioſè cultas fuiſſe reliquias martyrum & imagines. Crucem colere non erat credo difficilius quam imagines aut reliquias. Et ipſam nunc crucem Latini etiam ſub eorum, quos perſecutores vocāt, imperio religioſiſſimè tamen colunt; vt in vicina Anglia, in Belgio, & in remotioribus terris apud Sinas & Iaponas. Nullæ eos perſecutiones prohibent, quominus veræ (vt putant) crucis particulas in ea loca inferant, illataſque accuratiſſime venerentur. Quod hi præſtant, id ſtultum eſt negare potuiſſe & veteres Chriſtianos. Sed (inquit Bellarminus) ſi crux ſub perſecutorum imperio *reſerata eſſet, magis ludibrio, quàm honore excepta eſſet*. Sed ille dum ſic agit, nos fallit. Supponit enim (vt loquuntur) Dominicam crucem omni perſecutorum tempore ſub Veneris templo altè defoſſam ſepultámque fuiſſe, vnde niſi diruto publicâ auctoritate fano, locoque erudcrato, ac

CAPVT II.

XXxx purga-

CAPUT II. purgato, reſerari atque erui non potuerit; qualiter à Conſtantino, Helenaque ejus matre crucem reſeratam atque erutam fuiſſe narrant anno demum 326. Atqui res longè ſecus ſe habet. Primo enim eo, quo Chriſtus reſurrexit tempore, nihil hujuſmodi fuit. Crux neque ſub Veneris, neque ſub cujuſquam alterius idoli fano latebat, quod in Iudæa tunc temporis nullum adhuc erat ſcilicet. Iacebat in Calvaria, vel in Chriſti ſepulcro: vnde nullo negotio ab Apoſtolis, à Ioſepho Arimathæo, ab aliis diſcipulis tolli, quod diximus, poterat. Latini quidem, ſi ad id locorum & temporum extitiſſent, ac in crucem, cruciſque cultum ea mente, eoque animo, quo nunc ſunt, fuiſſent, graviſſima quæque, etiam vltima, potius eſſent perpeſſi, quàm vt cariſſimũ religionis ſuæ pignus vel vnam noctem tam indignè haberi, ſiviſſent. Crucem vel dolo, vel virtute ex hoſtili ſolo eripuiſſent; in partes diviſiſſent; per totam fraternitatem ſparſiſſent; omnia ſalutaris ligni fragmenta thecis argenteis incluſa, ad cultum, ad miracula, ad alios religionis vſus ſervaſſent, poſteriſque tradidiſſent, atque ita res ſacras procul ab impiorum oculis, ab omni ludibrio ac cõtumelia tutas, habuiſſent. Rogo, cur non hoc ipſum Apoſtoli tali tempore fecerint? Non erant credo, Latinis noſtris vel ingenio obtuſiores, vel zelo in res divinas tardiores. Quid ergo eſt? Quis verò non videt eos hac in parte ceſſaſſe, quod de illo crucis materialis ligno planè aliter ſentirent, quàm nunc Latini ſentiunt? Quis non intelligit viros ſanctiſſimos divinum Dominicæ paſſionis myſterium, quo ſalus noſtra continetur, vnum magnificiſſe, coluiſſe, prædicaſſe; lignum in quo Dominus paſſus erat, non putaſſe ad ſuam religionem pertinere? eo parum fuiſſe ſollicitos, quo loco jaceret? Sed fac Apoſtolos rebus gravioribus occupatos his curis vacare non potuiſſe (quamquam equidem non facilè videam, quid illo crucis honore ac cultu ex Latinorum dogmate gravius, & apud pios antiquius eſſe debeat) Demus hanc veniam Apoſtolis, vt iis tam gravem crucis contumeliam citra culpam negligere licuerit. Cur eorum diſcipuli, de religioſo crucis cultu à præceptoribus ſuis pleniſſimè (vt Latini quidem volunt) edocti tam multos annos ceſſarunt? Cur ſtante Hieroſolymitano templo, cum nulla adhuc Venus locum ſacrum occupaſſet, crucem inde quod facile erat, minimè eruerunt? Cur ſaltem deleto templo, totaque vrbe ferro & flammis exciſa, ex vicino, quò confugerant oppido non ſtatim advolant? Cur crucis lignum in illis perfidæ civitatis ruderibus non ſcrutantur? Cur quod in æternum adorandum eſſe, ſi Latinis credimus, didicerant, in illis ruinis, in illo pulvere depoſitum ſqualere ac putreſcere ſinunt? Nullum tum erat in his locis perſecutorum ludibrium metuendum, in quibus poſt vrbis caſum, magna ſolitudo, muta omnia ad annos non paucos fuiſſe videntur. Itaque tum licebat Chriſtianis Dominicæ crucis lignum, ſi id expetiviſſent, in illa ruinarum ſolitudine non modo tuto, ſed etiam

ſecurè

ſe curè totos dies, donec invenirent, quærere. Quin & tanto tutius hæc noſtris iſtic agitare licuit, quod ij, ſi Epiphanio quidem credimus, relictâ Pellâ, quo circa initia obſidij profugerant, Hieroſolymam poſt civitatis cladem maturè atque ante alios omnes redierunt, ibíque vel ſoli, vel pauci certè Iudæis mixti habitarunt, fidéque & miraculis, quod dicit Epiphanius, floruerunt. Hoc quidem temporis articulo nullâ Chriſtianis Helena, nullo Conſtantino ad crucem inveſtigandam ac eruendam opus erat. Illud verò Veneris templum, quod poſtea à Conſtantino dirui neceſſe fuit ad reſerandum ſepulcri Dominici antrum, conſtat non ante Hadriani tempora fuiſſe eo loco extructum. Teſtis locupletiſſimus Hieronymus; *Ab Hadriani* (inquit) *temporibus vſque ad imperium Conſtantini per annos circiter centum octoginta in loco reſurrectionis ſimulachrum Iovis, in crucis rupe ſtatua ex Marmore Veneris à gentibus poſita colebatur.* Paulinus itidem, *Hadrianus* (inquit) *Imperator exiſtimans ſe fidem Chriſtianam loci injuriâ perempturum, in loco paſſionis ſimulacrum Iovis conſecravit.* Rectè hactenus quod ſimulacri conſecrationem ad Hadriani imperium refert, male, quod *Iovis* fuiſſe ſimulacrum dicit, quod *Veneris* fuiſſe non modo ex ſuperioribus Hieronymi verbis, ſed ex ipſo qui viderat Euſebio conſtat. Sed neque ſcio, an ſatis Hadriano congruat quod ei hic Paulinus affingit, *perimendæ fidei Chriſtianæ* conſiliũ, magis, vt opinor, ex animi ſui conjectura, quam ex vero. Vtcumque ſit, illud quidem certum eſt ad illum vſque Principem nullius idoli vel ſimulacro pollutum, vel etiam fano oppreſſum fuiſſe Dominici ſepulcri locum. Poſitum vero eo loco Veneris ſimulacrum Baronius ad a.D.137. refert, quo Ælia ab Hadriano condita, & de ſuo nomine appellata eſt. Ex quibus jam liquet, ad hoc vt Domini crux à Chriſtianis coleretur, nihil neceſſe fuiſſe eam (quod callidè finxit ac ſuppoſuit Bellarminus) conſciis perſecutoribus, vt ille loquitur *reſerari*, atque ita eorum *ludibrio* excipi. Hoc de iis tantum temporibus probabiliter affirmari poteſt, quæ ab Hadriano ad Conſtantinum conſecuta ſunt. Toto enim hoc tempore, ſi crucis lignum (vt volunt Reliquiarij) in eo ſolo defoſſum latebat, cui erat à Gentilibus ſuperſtructum Veneris ſimulacrum & templum; appáret non potuiſſe crucem patefieri ac reſerari, niſi diruto illo fano, & refoſſo eo, in quo fanum ſtabat, ſolo; templum verò dirui non aliter quam publica Principum ac Magiſtratuum auctoritate potuiſſe, planum eſt, qui cum ad Conſtantinum Pagani omnes fuerint, concedo equidem ſi tum aliqua vt fit ex neceſſitate contigiſſet illius ædis fundamenta refodi, & ſolum inferius purgari; ſique inter fodiendum illa Domini crux detecta & agnita eſſet, Paganos eam haud dubiè *magis ludibrio, quam honore fuiſſe excepturos.* Sed quid vetabat Chriſtianos annis illis centum, qui à Domini morte ad Æliam ab Hadriano conditam fluxerunt, crucis lignum clam, & per ſe, quod licebat neſciis Gentilibus, in-

CAPVT II.

Epiphan. lib. de menſ.

Hieron. epiſt. 13. ad Paulin.

Paulin. epiſt. 11. ad Sever. p. 134.

Euſeb. l. 3. de vita Conſt. c. 25.

Baron. a. D. 137. §. 8.

CAPVT II.

veſtigare & eruere, & iis honoribus apud ſe procul à Paganorum ludibriis, colere, quos ei Latini decreverunt? Si noſtri, quod facillimum fuit, tanto id annorum ſpatio feciſſent; neque profectò ſacrum lignum infandas idoli cui ſubjacebat, contumelias *annis centum & octoginta*, vt putat Hieronymus, vel etiam, vt videtur, aliquanto pluribus, ſumma cum indignitate perpeſſum eſſet: neque tamdiu Helenæ ſolertiam, & manum expectaſſet. Hæc Chriſtiani cultus pars crucis ligno debita jam inde à primis initiis apud Eccleſiam floruiſſet, magno Reliquiariorum gaudio: qui nunc non niſi cum dolore ſpectant totam illam potiſſimam Chriſtianiſmi ætatem ſalutaris ligni cultu, imo ipſo ſalutari ligno carentem. Sed illi quidem viderint. Nos cum crucem, qua Chriſtiani tamdiu caruerunt, facilè eos nanciſci ac recipere, ſervareque ac adorare, potuiſſe oſtenderimus; ſatis nunc clarum liquidumque eſſe putamus Apoſtolos & primos ad Hadrianum Chriſtianos nulla id lignum adoratione dignum cenſuiſſe, quod cum minimo negotio eruere poſſent, ſub terra defoſſum annos plures quam centum, jacere, & quantum quidem in ſe erat, computreſcere ſiverunt. Hinc vero nemo non videt apertiſſimè conſequi de omni illa crucis religione, quæ à multis jam ſæculis tantopere apud Chriſtianos fervet, planè nihil vel Apoſtolos initio tradidiſſe, vel noſtros ſecutis ad Conſtantinum temporibus accepiſſe vel ſciviſſe. Quos enim ne ipſius quidem illius crucis in qua Chriſtus pependit, cultum docuiſſe vel approbaſſe conſtat, vt nuper demonſtravimus; quanto minus eos veriſimile eſt efficta ad illius ſimilitudinem ex ligno, & metallis ſigna atque ſimulacra vlla adoraſſe? Atque hæc quidem hactenus diſputata modeſtis & vnius veri ſtudioſis ingeniis ſatis eſſe, ni fallor, poterunt ad hujus Latinæ in cruces religionis novitatem, vanitatemque coarguendam. Sed quoniam Bellarminum non puduit ſcribere *Chriſtianos ab ipſo Eccleſiæ exordio, etiam ante crucis inventionem, ſolitos habere & venerari crucis imaginem*, operæpretium eſt rem omnem paulò accuratiùs perſequi & Latinorum hac in parte ritibus cum veterum, qui ante Conſtantinum & Helenam vixerunt, diſciplina comparatis, expendere, quid inter religioſos vtrorumque cultus vel ſimile ſit, vel diſſimile.

CAPVT

CAPVT III.

Diſputationis in duas quæſtiones partitio. I. An vetuſtiſſimi Chriſtiani coluerint cruces? II. An aliquas ex materia factas habuerint? Ad I. non adoraſſe; communia argumenta, quibus id probatum eſt breviter repetuntur; & ad primum librum reiiciuntur. Tum proxime ſuperiori argumento aliud II. in eam rem additur, Quod culta crucis mentio, quæ apud Latinos paſſim occurrit, in temporibus ei dicatis, in proceſſionibus, in catecheſibus, in miraculis, in oſtentis, in gentium converſionibus, in Martyrum laudibus, in martyriorum cauſis, in martyriis, in juramentis, in lucernis, in invocationibus religioſis, ex paribus locis apud vetuſtiſſimos omnes Scriptores ne ſemel quidem occurrit.

AC vt res tota clariùs certiúſque pernoſcatur, bipertita erit tota noſtra diſputatio. Prius enim quæremus, an veteres ante annum D. 300. Chriſtiani, crucis ſignis nunc ſolennes Latinorum cultus detulerint: ſecundo an iidem crucis ſigna ſi non ad adorationem, ad alium ſaltem aliquem in religione vſum, publicè privatimque habuerint.

Quod ad priorem quæſtionem pertinet; Tridentina Synodus, fateor, non definivit, quis crucis ſigno propriè debeatur cultus; & rem in genere præcipere ſatis habuit, eo canone, quo honores ſacrorum ſignorum apud ſuos legitimos ſancivit, decernens *ſacris imaginibus debitum honorem & venerationem eſſe impertiendam.* Sed & Theologorum diſputationes, & communis ac publica Latinorum praxis, quæ mox exhibebitur, & rituales atque authentici eorum libri ſatis oſtendunt religioſum eſſe, quiſquis de cætero ſit, quem crucis ſignis vendicant cultum, & *adorationis* nomine vna cum reliquiarum & imaginum veneratione apud pleroſque omnes illarum partium Scriptores cenſeri. Nos verò in prima hujus diſputationis parte jam ſatis pręſtruximus vetuſtiſſimos ante a. D. 300. Chriſtianos totum hunc religionis cultum vni Soli Deo tribuiſſe, & abſurdiſſimum eſſe credidiſſe religioſè coli quicquam quod vel ſit vitæ ſenſuſque expers, vel quod cuſtodia humana indigeat, neque ſeipſum tueri poſſit, vel quod naturæ & hominum injuriis obnoxium ſit, vel quod hîc in terra hæreat, noſtriſque elementis concluſum teneatur, vel quod arte, & manu hominum fictum formatumque ſit. Cum ergo conſtet crucis ſigna, Deum quidem nequaquam eſſe, quem veteres illi vnum colendum definiunt, ſed res eſſe mutas, atque inanimatas, & infirmas, alienæque opis in-

Syn. Tridem. Seſſ. 25.

CAPVT III.

digas, quæque vel hominum vel naturæ vi conſumantur, & his in terris hæreant, & artificum mortalium opera in eam quam gerunt ſpeciem coaluerint, profectò conſtare pariter debet ea veteres illos Chriſtianos minime adoraſſe aut coluiſſe religioſe. Hæc quæ ſuo loco fuſe ſumus executi non repetimus. Sed præter hæc, alia ſunt non pauca, quæ illa ipſa crucis ſigna proprie ac nominatim conficiunt non fuiſſe à primis Chriſtianis culta. Illa verò ſunt hujus loci; quæ vt explicemus, in primis conſiderandum eſt, quis ille ſit, & in quibus rebus ſitus religioſus crucium cultus, & quando, vbi, ac quomodo eum Latini crucis ſignis atque ſimulacris vel tribuant in religionis actibus, vel in libris ſcriptiſq; ſuis cõmemorent. Primo ergo id horum ſingulare eſt, quod eis Thomas, ſcholæ Latinæ, princeps, latriæ ſummũ in hoc genere cultum, totiuſque religionis, vt ſic dicã, apicem vindicat, aſſentientibus non paucis earumdem partium Theologis. Sed & videtur hæc ſententia publica Romanæ Eccleſiæ auctoritate conſtitui. Nam *Pontificale* publicum atque authenticum volumen, à Papa non vno confirmatum, communi omnium conſenſu atque vſu receptum, Clementis poſtremo VIII. juſſu reſtitutum atque editum, liquido diſertéque pronuntiat *latriam cruci deberi.* In eo enim libro, quo loco deſcribitur, quo ritu, quoque modo Pontificis Romani Legatus Imperatorem in aliquam civitatem venientem excipere ſoleat, legimus *illum, qui gladium Imperatori præfert, & alium crucem Legati portantem ſimul ire ambos debere*; ita tamen, vt *crux Legati ſit à dextris, gladius Imperatoris à ſiniſtris:* hujus autem ordinis, quo Imperatoria Majeſtas Legati Papalis dignitati ſummitti videtur, ratio iſtic affertur, inde petita, quod *cruci debeatur latria.* Verba ſunt diſertiſſima; *Crux Legati* (inquit Pontificale) *quia DEBETVR EI LATRIA, erit à dextris, & gladius Imperatoris à ſiniſtris.* Sed rem ipſam miſſo nunc quidem vocabulo videamus, Signum ergo crucis ad hoc apud Latinos & primo fieri, & poſtea conſtitui, edi, ac proponi vt adoretur, ſatis ex eodem illo Pontificali libro, intelligimus, in quo id videmus, poſt quam eſt multis longiſque ac myſticis ritibus, precibus & cærimoniis conſecratum, & de ligno, materiâ viliſſima, ſi non in numen, certè in rem divinam atque adoratione dignam quadam veluti apotheoſi mirabiliter immutatum, ſtatim ab ipſo illo qui conſecravit, Pontifice, & ab aliis ſacris, qui adſunt, hominibus adorari. Ita enim in ſacro illo volumine, vbi ad hunc locum ventum eſt, ſcriptum eſſe, legimus: *Tum Pontifex flexis ante crucem genibus, IPSAM DEVOTE ADORAT, & oſculatur. Idem faciunt quicumque alij voluerint.* Si crucis ſignum ex metallo, vel lapide fuerit, ipſum quoque ſimul atque conſecratum fuerit, Pontifex *flexis genibus devote adorat & oſculatur*; planè, vt illud prius, quod ex ligno erat. Itaque quodvis ſacrum crucis ſignum, vbicumque vel fixum conſiſtit, vel geſtatile occurrit, à quibuſvis fidelibus

Pontif. Rom. Part. 3. p. 480. A.

Pontif. Part. 2. p. 361. A.

Ibid. p. 362. B.

delibus ſæpe de geniculis, aperto quidem certe ſemper capite ſalutari ac adorari Latinorum, quod nunc omnes ſciunt, vſus eſt non modo ſolennis ſed etiam legitimus ac neceſſarius. Sed quia præter hunc communem & quotidianum cultum, certi ſunt ſtatique quotannis dies, quibus crucis ſigna ſolenniùs atque devotiùs apud Latinos coluntur, quo meliùs ac clariùs eorum hac in parte religionem intelligere poſſimus juvat illorum dierum ritus qui quidem ad crucis adorationem pertinent, breviter hoc loco attingere. Feria ergo ſexta in Paraſceve antepaſchali crux potiſſimum ab omnibus Latinis hoc modo adoratur, Completis orationibus ſacerdos primo crucem jam in altari præparatam accipit à Diacono, *quam verſa facie ad populum à ſummitate parum diſcooperit*, canens Antiphonam *Ecce lignum crucis*; & vbi miniſtris concinentibus ad eum locum ventum eſt, quo chorus cantat, *Venite adoremus*, tum *omnes ſe proſternunt, excepto celebrante*; qui diſcooperit brachium dextrum crucis, elevatque eam paulisper, & iterum incipit, *Ecce lignum crucis*, aliis cantantibus & adorantibus. Inde *procedit ad medium altaris; & diſcooperiens crucem totaliter, ac elevans eam, tertiò altius incipit*. Ecce lignum crucis, *aliis cantantibus & adorantibus. Ecce lignum Crucis in quo ſalus mundi pependit*. Chorus reſpondet, *Venite, adoremus. Poſtea ſacerdos ſolus portat crucem ad locum ante altare præparatum, & genu flexus ibidem eam locat*; *mox depoſitis calceamentis accedit ad adorandam crucem, ter genua flectens, antequam eam deoſculetur. Hoc facto revertitur, & accipit calceamenta, & caſulam*. Hæc ſacerdos; quibus quid Chriſto ipſi, ſi nunc in terris adeſſet exhiberi poſſit quæſitioris & ſanctioris cultus, atque adorationis, non equidem intelligo. *Poſtmodum miniſtri altaris, deinde alij Clerici & Laici bini & bini TER genibus flexis crucem adorant*. Exinde cantatur communiter Antiana; *Crucem tuam adoramus, Domine; & ſanctam reſurrectionem tuam laudamus & glorificamus. Ecce enim propter lignum venit gaudium in vniverſo mundo*. Poſtea cantatur; *Crux fidelis, inter omnes Arbor vna nobilis*; *Nulla ſylva talem profert, fronde, flore, germine, dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus ſuſtinet*. Atque hæc quidem feria ſexta antepaſchali. Sed & cruci alterum propriè diem feſtum dicarunt, menſis ſcilicet Septembris decimum quartum; quo in ſolennibus Miſſæ ſuæ ſacris in ea parte, quam *Offertorium* vocant, ita Deum precantur; *Protege Domine plebem tuam per ſignum ſanctæ crucis ab inſidiis inimicorum omnium; vt tibi gratam exhibeamus ſervitutem, & acceptabile fiat ſacrificium noſtrum*. Mox in *ſecreta* rogant, *vt ſicut illud* (crucis vexillum) *adorare meruerunt, ita perenniter ejus gloriæ ſalutaris potiantur effectu*. Sic in Miſſa de Sancta cruce; *Tuam crucem adoramus, Domine*. Eſt & alius apud eos dies crucis honori ſacer, menſis Maij tertius, quo eam ab Helena inventam putanr. Illic inter cætera ſacra, oratio quædam dicitur, qua crucem ipſam, veluti

vivens-

CAPVT III.

Miſſ. Rom. fer. 6. in Paraſc. p. 225. 226.

Ibid. p. 228.

Id. in feſtis Sept. p. 632.

Ibid. in Miſſ. votivis p. lxx.

CAPUT III.

vivens numen, ita appellant atque invocant, *O crux ſplendidior cunctis aſtris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, ſanctior univerſis, quæ ſola fuiſti digna portare talentum mundi; dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera, SALVA præſentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam.* Denique in hymno quodam ita crucem precantur, *O crux ave ſpes unica, Auge piis juſtitiam, Reiſque dona veniam.* Hi ſunt Latinorum religioſi in ſacra crucis ſigna honores: qui ut in Pontificali, Breviario, Miſſali, Rituali, & aliis id genus publicis & totius Romanæ Eccleſiæ communibus atque authenticis libris accurate exhibentur, explicantur, & præcipiuntur: ita in Eccleſiaſticis ſingulorum ſcriptorum commentariis, hiſtoriis atque annalibus ubique occurrunt. Neque ſane fieri poterat, ut quæ religionis Latinæ pars eſt uſque adeo memorabilis, ea non identidem in hujuſmodi libris commemoranda veniret, qui de rebus ad religionem pertinentibus potiſſimum ſcripti ſunt. Ego pauca de multis exempla dabo. Maffeius Ieſuita in Hiſtoriarum primo, ut rem ipſis Ethnicis notam, ponit Luſitanos *crucem adorare.* Et alibi cum Crucis purpureæ in cœlo ſignum præfulgens ad occaſum aliquandiu apparuiſſe narraſſet, addit eo viſo Luſitanos omnes *venerabundos procubuiſſe*; & Albuquercium nobiliſſimum eorum ducem ſublatis ad eam crucem manibus clara voce, *pro ſua eximia pietate*, has preces fudiſſe; *O crux noſtræ redemptionis argumentum*; & aliis paucis interjectis; *In te, te inquam ſpes noſtras omnes habemus repoſitas; Te profitemur, agnoſcimus, ADORAMUS, ac ſuppliciter petimus nobis inter tot pericula terrâ marique præſidio ſis.* Idem in extrema libri ultimi parte laudat Bactiani, unius ex *Moluccis inſulæ, regulum, quod defixas haud uno loco prealtas cruces adorari à popularibus juſſerit.* Trigautius verò & ipſe quoque Ieſuita, in Quivanis cujuſdam ſui ex Iaponia Martyris elogio, inter cætera pietatis ejus ſpecimina hoc diſertè memorat, quod mane ad locum, in quo crux erat, *ire ad eam adorandam* quotidie ſoleret. Annales Iaponici, ubi Iubilæum à Paulo P.R. V. miſſum illuc perveniſſe narrant, *Pii (inquiunt) ut jubilæo perfruantur in templis crucis ſignum ADORANT, quod paſſim zelo pietatis adducti ipſi collocarunt.* Alii ejuſdem gentis annales, cruces, quibus Meaci ſuffixi ſunt duo & quinquaginta Latini ritus Martyres, quod eæ affabrè factæ & ad elegantiam expolitæ eſſent, digniores fuiſſe dicunt, quæ ad Chriſtianorum adorationem quam ad eorum ſupplicium erigerentur. Apud Iarricum ſacerdos de Cazanarum, id eſt Thomæorum præſbyterorum, ordine ab Archiepiſcopo Goano ad convertendos Mallæanos miſſus, cum cuidam ex ea gente primario ſeni pauca de Deo, & Chriſto ejus Filio pro nobis crucifixo expoſuiſſet; *Eo* (inquit) *omnes Chriſtiani crucem adorant, quod Dei Filium in ea pro nobis mortuum repræſentet.* Hoc unum eſt ſcilicet ex primariis Latinæ catecheſeos elementis, quo rudes animos ante omnia imbuendos putant,

Brev. Rom. feſt. Maij. p. 892.

Bell. recitat. l. 2. de Imag. Sanct. c. 20. §. fundamenta

Maff. Indic. l. 1. p. 27.

Id. ibid. l. 5. p. 220.

Id. ib. l. 16. p. 717.

Trig. Mart. Iap. l. 4. c. 5. p. 389.

Ann. Iap. a. 1609. 1610. p. 8

Ann. Iap. a. 1619. p. 118.

Sol. Iap. 18. c. 8.

Iarr. Indic. l. 6. c. 15. p. 682.

tant, vt eos ad ſuam religionem convertant. Neque aliter noſtrates Canadenſium in diverſiſſima orbis parte Apoſtoli Ieſuitæ ſuos vel catechumenos, vel neophytos inſtituunt. Crux ante omnia in locis barbaris erigitur; Tum ea religioſe adoranda prædicatur. Huronibus (gens eſt in illis locis non ignobilis) ſibi à cœli ſiccitate metuentibus, præceptor Ieſuita ſuadet, vt vnà omnes veniant adoratum crucem, quam ipſe apud eos fixerat, lancem farris quiſque ſecum ferentes, gratum Domino Deo donarium oblaturi. Tum Ieſuita quo iis ad illam religionem præiret, crucem princeps *adoravit atque oſculatus eſt*, vt ipſe diſertè narrat. Idem alibi ſe ſuoſque crucem in illa barbarie ex Latina diſciplina poſitam *adoraſſe*, & *Angelorum cuſtodum auxilium ſupplices invocaſſe*, ſcribit. Sed & in iſtorum libris ſæpe occurrit ſolennis illa crucis adoratio, quæ quotannis feria ſexta antepaſchali celebratur. Notat Trigautius Sinenſes neophytos crucifixi adorationem magno cum pietatis ſenſu illo die peragere. Sic Froës Nangazachenorum Iaponum pietatem laudans, præter alia quæ recenſet, ſacra exercitia, commemorat eos feria illa ſexta crucifixi effigiem frequentiſſimos eſſe veneratos. Et Iarricus Indos (vt vocant) Thomæos, qua vi, qua arte ad Latina ſacra tandem traductos, & ſub Goani Archiepiſcopi Latini jugum miſſos, narrat ſexta illa feria magna cum devotione ad crucis adorationem acceſſiſſe. Cardimus eandem illo die crucis adorationem in inſula Hainan, Sinarum vicina, à Ieſuita Mattos inſtitutam, peractamque celebrat, eamque cærimoniam, tantæ ſanctitatis, ac pietatis viſam fuiſſe dicit, vt omnes magnam inde conſolationem perceperint, totumque illum diem in ſe ad pœnitentiam verberandis ac flagellandis conſumpſerint. Alexander Rhodius refert ſe ſuis Cocinſinenſibus non quidem (niſi typographi ſit mendum) ſexta, ſed tamen quinta antepaſchali feria retectum crucifixi ſignum propoſuiſſe adorandum, & oſculandum, magnamque vim lacrymarum tum hoc ſpectaculo, tum ſua oratione ex eorum oculis elicuiſſe. Neque hæc tantum in genere de crucis adoratione dicta apud eos reperies. Eſt vbi cultus illius ſpecies ac forma propius ac diſtinctius definita occurrit. Primo enim apud iſtos ſcriptores lego hanc crucis adorationem, quam ſuos illos neophytos docent, *latriam* eſſe quod & in Pontificali Romano definiri ſupra oſtendimus. Conſalvus Fernandus, Ieſu & ipſe ſocius, vnus ex primis Iaponum Apoſtolis, cùm herum quendam ethnicum narraſſet ancillæ ex iſtorum diſciplina neophytæ mortem eſſe interminatum, ſi ex eo tempore ad crucem adorandam ſe conferret, ſic pergit; *Illa verò (inquit) divino fulta præſidio nihil eccirco ab inſtituta crucis LATRIA deſiſtere, quoad eam herus obviam in itinere factus occidit.* Vides vt quam *adorationem* dixerat, eam *latriam* à ſe intelligi diſertè doceat. Hoc quoque iidem auctores monent hoc crucis cultu, quem ipſi legitimum putant, juramentum quoque contineri. Trigautius

CAPVT III.

Ann. Canad. a.1626.p.31.38

Ann. Can.a. 650.1651.p. 93.

Trigaut.Sin.e. l.5.c.5 p. 503.

Froës Iap. Relat.3. a.1596. p.225.

Iarric. Indic. lib.6. c.10.p. 604.

Cardim. Relat. Indic. 1.129.

Alex.Rhod. Itin.Eo. Part. 2.c.27.p.134.

Epiſt.Iapon. l. 3.p.152.

CAPVT III.

Trig. Mart. Iap. l. 5. c. 11. p. 536 & c. 16. p. 568.

add ex adverſ. 370. B.

Iarric. Indic. l. 6. c. 19. p. 732.

Trigaut. Mart. Iap. l. 5. c. 17. p. 573.

id paucis quidem & obiter, ſed tamen pleniſſimè nos docet, quo loco tradit *Chriſtianorum vſum moremque eſſe per crucem jurare.* Denique & ex iſtis diſco crucis ſignis id à Latinis honoris deferri, apud Indias quidem certe, vt lampades ex oleo accenſæ ante ea jugiter ardeant, & ex eo interdum oleo non contemnenda fieri miracula. Iarricus ita docet, vbi mulierem mutam lingua oleo inuncta ex lampade ad crucis baſin pendula, ſermonis vſum recepiſſe narrans, addit ſolere ſuos oleum ad baſin crucis offerre ac deponere. Vnum eſt ſatis, vt mihi quidem videtur, ſingulare antequam hinc diſcedo, obſervandum, Ieſuitarum neophytos etiam præſtantiſſimos, cruces non modo ſacras ac Eccleſiaſticas, ſed etiam profanas, & quidem ſuo ipſorum ſupplicio ab Ethnicis paratas *adoratione* dignari, adeo ſunt hujus religionis liberales. Didici à Trigautio, Indicorum de Ignatij ludo Apoſtolorum panegyriſta eximio; qui Dominicum quemdam Latinæ apud Iapones religionis martyrem tradit cum Firoximæ ad ſupplicij locum perveniſſet, & crucem cui ipſe ex Iudicum ſententia mox erat affigendus, humi jacentem aſpexiſſet, eam in genua procumbentem, *magna cum devotione ADORASSE.* Sed hæc quidem, tametſi pauca præ iis quæ obſervari præterea poſſent, ſatis ſunt, vt quivis quantumvis rudis intelligat, qua religione crucis ſigna colāt Latini, quamque diligenter & hos cultus eis ipſi deferant, & delatos eorum Scriptores memorare ſoleant. Nunc videamus an vetuſtiſſimi, qui à Chriſto nato ad Conſtantinum vſque totis tribus ſæculis vixerunt, Chriſtiani aliquid ſimile vel ſenſerint, vel fecerint. Omnis profecto ratio ſuadet, ſi illius Eccleſiæ eadem de crucis ſignis olim fuit, quæ nunc Latinæ eſt, ſententia, ipſos quidem paria cum hodiernis Latinis facturos fuiſſe; ſcriptores verò ejuſdem ævi iis ſimilia, quæ à Latinis traduntur, litteris mandaturos; imo quo major illorum fuit quam horum fides, pietas, atque ſanctimonia, eo diligentius, atque religioſius crucis cultus religioſos & factitaſſe ipſos & eorum ſcriptores commemoraſſe. Si ergo veteres illi de quibus nunc diſputamus, Chriſtiani crucis ſigna adoraſſent, in Scriptoribus illius memoriæ loca paſſim de hoc cultu occurrerent eorum gemina, quæ nos nuper ex Latinis recitavimus. Iam verò conſtat in omni hac adhuc, Dei beneficio, ſuperſtite librorum ante a. D. 300. ſcriptorum, partim divinorum, partim Eccleſiaſticorum non contemnenda copia, non modo non vbique, non paſſim, non crebro, non frequenter, vt in recentibus Latinorum monumentis, ſed planè nuſquam occurrere illos crucis ſignorum cultus. Ergo ſtatuendum eſt nulla à primis illis Chriſtianis adorata cultáve fuiſſe crucis ſigna. Neque ego te, vt hoc quod dixi, conſtare intelligas primæ illius antiquitatis veros libros ſigillatim omnes anxiè evolvere jubeo; quod laboris, tametſi vtiliſſimi, neque homini ſalutis ſuæ cupido defugiendi, magni tamen atque difficilis eſſe confiteor. Vera me loqui ſatis docet ac clamat ipſum adverſa-

verſariorum hac in parte ſilentium, qui cum omnia & vltimæ & mediæ & citimæ antiquitatis monumenta diligentiſſimè excuſſerint, omneſque angulos ſummo ſtudio ſcrutati ac rimati ſint, neq; quicquam, quod ſuæ huic cauſæ vel in ſpeciem faveret quantumvis leve ac futile neglexerint, aut prætermiſerint, nihil tamen ex veris certiſque eorum, quæ dixi, temporum libris attulerunt, vnde crucis vel ſigna in genere, vel certum aliquod ſignum adoraſſe, coluiſſe aut religioſè denique veneratos eſſe appareat. Scio Bellarminum tria quædam loca apud Minutium, Tertullianum, & Origenem ſingula apud ſingulos indicare: vnum ex Iuſtino in hæc verba etiam deſcribere; *Signa & nota, quæ apud nos ſunt, hujus rei* (Crucis) *virtutem declarant*. Sed hæc quidem, etiamſi planè eadem apud Iuſtinum extarent, fuiſſe apud noſtros ejus ævo crucis ſigna fortaſſe oſtenderent, aut innuerent (qua de re ſuo poſtea loco dicemus) illa crucis ſigna adorata, aut aliquo religionis cultu honorata apud noſtros fuiſſe nequaquam, vt omnes vident, docerent. Origenis locus de *figura* crucis, planè nihil habet; nedum, vt eam adoratam fuiſſe ſignificet. Tantum admonet eximiam eſſe *crucis*, id eſt paſſionis Dominicæ, vim ad omnes peccati libidines coercendas atque exſtinguendas. Minutius denique & Tertullianus locis à Bellarmino indicatis, non adoratas à noſtris cruces affirmant, ſed ſparſum ab Ethnicis ſycophantis ea de re rumorem teſtantur; quibus odio in Chriſtianos ardentibus, ſummaque cum impudentia, atque amentia hanc cauſam agentibus, de eorum ipſorum moribus ac fide credi, quos palàm oderunt, apertiſſiméque calumniantur & inſectantur, iniquiſſimum juxta & ſtultiſſimum eſt. Sed mox de quatuor iſtis locis fuſiùs; vbi patefaciemus quanta Bellarmini in iis ad hanc cauſam citandis fuerit partim oſcitantia, partim perfidia & malignitas. Nunc à te Bellarmine, ea vetuſtiſſimorum Patrum teſtimonia requiro, poſco, atque flagito, non quæ apud noſtros notas & *ſigna* fuiſſe ſonent *crucis virtutem declarantia* (quod tu Iuſtinum ſcripſiſſe dicis, quamquam tu hoc quidem falſo & improbè dicis, & in hac litterarum luce nimium impudenter) non quæ affirment crucis figuram ad omnem tentationem depellendam valere, *ſi attente conſideretur* (quod pari quoque inverecundia Origeni affingis) non deniq; quę *crucis cultum* Chriſtianis ab inſulſiſſimis juxta & mendaciſſimis, atq; impudentiſſimis impoſtoribus Paganis objectum fuiſſe narrẽt (vt eſt in Minutij & Tertulliani locis à te indicatis.) Hæc, inquã, quæ ſunt à præſente cauſa aliena, nõ poſco. Ea veterũ de te teſtimonia poſco, quæ & me poſcere fas, & te dare juſtũ eſt Latinorũ tuorũ de ſe ſuiſq; patia, in quibus ipſi Chriſtiani omnes *crucẽ adorare* catechumenos ſuos doceant, & Pontificẽ ſuum *flexis ante crucem genibus ipſam* illam, quam conſecravit, adhuc à ſua, vt ſic dicam, incude calentem, *devotè adorare* narrent, & ſacerdotem depoſitis calceamentis, ter genua flectentem, & omnes vnà Eccleſiæ clericos, laïcoſque, binos &

CAPVT III.

Bell. l. 2. de Imag. Sanct. c. 25. §. Tertio m. Iuſt. in Apol. 2.

Orig. l. 6. in ep. ad Rom.

CAPVT III. binos in ſuis ſive baſilicis ſive cœmeteriis *crucem adorare* dicant, & *latriam cruci* deberi definiant, & eorum denique aliquid ſimile vel ſemel tantum dicant, quæ nunc tui paſſim ſcriptores in omni pœne pagina loquuntur, ac clamant. Si quid hujuſmodi attuleris, fatebor te meritò illud tuum jactare, etiam ante illam veſtram, quam ex Ambroſio & àliis ſomniatis, *vera crucis inventionem, Chriſtianos ſolitos habere & venerari crucis imaginem.* Nunc quando nihil plane exhibuiſti quod ſit hujus cenſus, id eſt quod ad hanc cauſam vere pertineat, te fateri neceſſe eſt, primos illos Chriſtianos veneratos eſſe crucis ſigna (id quod affirmare auſus es) non modo temerè & inſcitè, ſed etiam falſo & inverecunde à te ſcriptum eſſe. Temerè quidem vnde enim ſcis primos Chriſtianos crucis imagines veneratos eſſe, de quibus neminem habere te teſtem idoneum vel ipſo hoc tuo ſilentio fateris? Falſo verò & inverecunde; quod illos veteres eum cultum in religione exercuiſſe, cujus nunquam ipſi in tam multis, quos nobis reliquerunt libris vel ſemel meminerunt, plane abſurdū eſt & incredibile. Cur enim quod veſtri Scriptores de ſe ſuiſque paſſim diſertiſſime teſtantur, fatentur, prædicant, id veteres ſi æquè ac vos & fecerunt & faciendum ab omnibus Chriſtianis crediderunt, ne ſemel quidem vſpiam memorent, ratio (vt omnes vident) nulla eſt. Neque verò eſt, quod quis putet, quæ Bellarminus tantus antiquitatis helluo, in priſcis monumentis invenire non potuit, ea alium aliquem inventurum. Qui viri & eruditionem, & ardens pertinaxque pro ſuis Latinis ſtudium norit, is non dubitabit nuſpiam apud veteres extare, quæ apud eos Bellarminus huic cauſæ faventia invenire non potuit. Sed quid ego Bellarminum loquor? Ante illum multi in hoc campo ſudarunt; vt olim contra Vicleſum Valdenſis, contra Valdenſes, alij, & omnis contra quosvis Scholaſticorum natio; & nuper contra noſtros majores non pauci Latinorum Theologi; poſt Bellarminum, etiam fortaſſe plures in eadem palæſtra certarunt. Nemo verum certumque ex libris ante a.D.300.ſcriptis de adorata cruce teſtimonium attulit. Nullum ergo extare confitendum eſt, & ſi quis contra tendat, prodeat, & quod tam multos, tamque eruditos homines latuit, edat ipſe ſi poteſt. Nos interim ex hoc omnium qui extant, auctorum ante a. D. 300. denatorum conſtanti de cultis apud noſtros crucis ſignis ſilentio, concludamus non eſſe revera culta, quæ in tam multis de ſola religione conſcriptis libris nuſquam culta fuiſſe dicuntur. Si vnum duntaxat & alterum illius memoriæ auctorem, & pauciſſima eorum monumenta haberemus, minus fortaſſe valeret argumentum, quamquam ne ſic quidem omni veri ſpecie prorſus careret. Nunc cum ex primis illis tribus ſæculis præter ſcriptores divinos, quorum opera & multa ſunt, & graviſſima, mirabilique rerum ad religionem pertinentium copia, ac, vt ſic dicam, plenitudine redundantia, auctorum Eccleſiaſticorum

plurium,

plurium, quam XXV. ſuperſint monumenta, quorumdam pauciora, CAPVT
aliorum plura, aliquorum etiam plurima, & quidem luculentiſſima; III.
vt Iuſtini, Irenæi, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Origenis, & Cypriani; monſtrum eſſet ingens & inauditum, & plane incredibile, ſi veluti facta quadam inter ſe conjuratione, eam rem omnes vbique conſtanter in tam multis libris tacuiſſent, quæ in tota Chriſti ſui Eccleſia pro inſigni Chriſtiani cultus parte haberetur. At cultum crucis omnes illos auctores, quos diximus, in omnibus qui ſuperſunt ipſorum libris, conſtanter tacuiſſe apparet. Non ergo fuit crucis adoratio aliqua cultus illius religioſi pars, qui tum apud Chriſtianos ſolennis, communis & Eccleſiaſticus erat: cujus argumenti vim ac pondus facile intelliges, ſi illis veterum ſcriptis parem librorum à recentioribus Latinis de rebus Eccleſiaſticis & ad religionem pertinentibus Scriptorum numerum acceperis. Videbis enim ab his eum crucis cultum, quem illi plane penituſque tacuerunt, non tantum aliquoties, ſed ſæpiſſimè, frequentiſſimeque eſſe memoratum: cujus diſcriminis nulla alia dari poteſt vera & idonea ratio, quam hæc: quod illis ſcilicet planè ignotus fuerit, qui his cognitiſſimus eſt crucis cultus. Ac vt hæc ratio clariùs adhuc eluceſcat, illud nunc ad ſuperiora adiiciendum eſt, quod magni omnino momenti eſt, veteres nimirum in iis ipſis locis ſæpè verſari qui hujus cultus memorandi occaſionem Latinis ſuggerere ita opportunam ſolent, vt eum vel rarò vel fortaſſe nunquam iſtic omittant. Qualis eſt, qui à nobis primus nuper eſt exhibitus de ſextæ feriæ antepaſchalis celebratione locus, in quo crucis adorationem veluti præcipuum illius diei ritum & Miſſale, & actuum ſuorum apud Sinas & Iapones & Malabaras & Cocinſinenſes Apoſtolicorum plures auctores Ieſuitæ magna pompa deſcribebant. Si crucis ſigna primi quoque Chriſtiani adorarunt, hac maxime ac potiſſimum die adorarunt, quæ Dominicæ crucis, vt apparet, dies eſt. Quod ſi hæc dies hujus cultus, vt nunc eſt, ita quoque olim ſacra præ cæteris ac pœne propria erat: quis dubitet illius temporis ſcriptores crucis quoque adorationem, vt jam ſolent Latini, ad illam diem memoraturos fuiſſe? At in ſimilibus veterum locis nihil vſpiam ſimile occurrit. Nam diei quidem & ipſi meminerunt, vt Tertullianus qui *paraſceven* nominat, & alibi *Paſcha*, σταυρώσιμον ſcilicet, *Tertull. de jeju-*
quo Chriſtus immolatus eſt, & diſertè docet *diem dicatum fuiſſe jeju-* *nin. c. 14. c. vlt.*
niis, eoque die & *communem & quaſi publicam jejunij religionem* *Id. l. de Orat.*
fuiſſe, & fideles oſculum depoſuiſſe vt Irenæus, qui non nominat qui- *c. 14. p. 155. A.*
dem, ſed apertiſſimè tamen intelligit, quo loco de Paſchæ jejunio *Iren. ad Vict.*
differens, ſcribit *alios vnum diem, alios biduum jejunare*, vt Dionyſius *apud Euſeb.*
Alexandrinus, dum ait antepaſchalis hebdomadis dies jejunari à qui- *Hiſt. l. 5. c. 26.*
buſdam omnes, ab aliis quatuor, ab aliis tres, ab aliis duos (id eſt fe- *f. 55. B.*
riam ſextam, & Sabbatum) Feria illa ſexta *jejunatum* quidem omnes, *Dion. Alex. e-*
& *depoſitum oſculum* vnus; *crucem* vero *adoratam*, quam omnes nunc *piſt. Canon.*

 Latini

CAPVT III.

Latini ad illam diem prædicant, neque horum, neque aliorum ejuſdem ævi quiſquam memorat, non magis profecto, quam illam flagellationis diſciplinam à Ieſuitis ad hunc quoque diem obſervatam. Ne Conſtitutiones quidem, quæ ſunt quarti ſæculi quoddam (vt ſic dicam) Pontificale, adoratæ Crucis meminerunt, quo loco Paſchalem hebdomadem ex profeſſo diſponunt; Paraſceve, id eſt ſextæ feriæ, ſtrictum quidem jejunium, crucis verò cultum, nullum aſſignant. Cur ad iſtum diem, illorum qui jejunij omnes meminerunt, nemo ritum ejus proprium, crucis adorationem memoravit? Ratio eſt in promptu. Nimirum illi Eccleſiæ non recentis Latinæ, ſed ſuæ ritus memorant: cui ignotum erat crucis ſigna adorari. Alter à nobis notatus memorati à Latinis cultus crucis locus erat feſtum illud duplex quorum altero ejus inventionem die Maij tertio, altero exaltationem die Septembr. XIV. celebrant. Hunc locum fruſtra apud Chriſtianos ante a. D. 300. quæſieris; quo feſtum illud vtrumque recentius eſſe apud omnes certum atque confeſſum eſt. Nam crucis inventio quidem, cui prius, anno demum 326. exaltatio vero, cui poſterius aſſignatur, Heraclio demum imperante contigit, anno (vt videtur) 627. ſed ſi crucem adorabant vetuſtiſſimi ante a. D. 300. Chriſtiani, cur ei feſtum nullum conſecrarunt? Neſcierunt ſcilicet feſto colenda eſſe quæ adorantur? & vt Latini ſciſcunt, quod ſalus à Chriſti morte nobis obtigit, ideo feſtum ad ligni, in quo paſſus eſt, honorem celebrari decere? Atqui illi poſteris etiam ſapientiores, & juris omnis divini longe peritiores erant. Ergo quod nullum eos feſtum cruci conſecraſſe, ne repugnantibus quidem adverſariis, certum eſt; eo liquido intelligimus, ne crucis quidem ſigna vlla ipſos adoraſſe. Tertiò obſervabamus à Latinis de crucis adoratione doceri eos, quos ad ſuam fidem convertere atque inſtituere cupiunt; vt Mallæanos à ſacerdote, quem ad eos Goanus Antiſtes miſerat. Loca apud antiquiſſimos Chriſtianiſmi ſcriptores habemus plurima, in quibus Apoſtoli, & eorum ad a. 300. poſteri ad ſuam fidem Paganos erudiunt; vt Paulus apud Lucam in Actis, vt Petrus in Ἀναγνωρισμοῖς apud Pſeudo-Clementem. Clemens Alexandrinus alicubi exponit, quid Paganum, vt noſter fiat diſcere oporteat: & in Conſtitutionibus caput integrum habetur de ratione inſtituendorum Catechumenorum. Nullum in his omnibus verbum de adoranda cruce habetur. Edant nobis Latini aliquem illius memoriæ, vel Apoſtolum, vel Apoſtolicum virum, qui Paganis, quos convenit, mirificum illud myſterium pandat; quod ipſi Mallæanis barbaris in primo ſtatim congreſſu ſuum Cazanarem ſuggeſſiſſe narrant, *Omnes Chriſtianos crucem adorare, quod Dei Filium repræſentet pro nobis mortuum.* Cur tam memorabilem catecheſin & Lucas in divinis, & Clemens in Eccleſiaſticis inſtitutionibus tacent? Cur ne in fictis quidem Petri ſui rebus Pſeudo-clemens memorat? Cur de ea altum apud omnes illius ævi in talibus locis

ſilen-

Conſt. Apoſt. l. 5 c. 18.

Durand. Mimat Ration. divin. offic. l. 7. fol. 170. De inv. S. crucis.

Clem. Alex. Strom. l. 6. p. 695. D.

Iarric. Indic. l. 6. c. 15.

Conſtit. Apoſt. l. 7. c. 40. (Sev. 39.)

ſilentiū? Sed quid ego iſtos dixi nihil hujuſmodi Paganis ſuis ſuggerere? CAPVT
Minus dixi quā par erat. Signorū enim crucis adorationē iſti veteres III.
nō modo non docent, ſed apertè etiā evertunt, cū Paganos de religione
cōveniunt. Nota ſunt illa Pauli apud Athenienſes verba; *Deus qui fecit* *Act. 17. 25.*
mundū, & omnia quæ in eo ſunt, hic cœli & terræ cùm ſit Dominus, non in
manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur. Neq; Deū *hu-*
manis manibus coli, id eſt, vt præclare Eſtius, *operibus humanâ manu* *Eſt. in Act. 17.*
factis; ad quorum cenſum crucis ſigna pertinere omnes vident. Sic *25.*
Petrus Paganos in Recognitionibus erudiens, fusè docet abſurdiſſi- *Clem. Recogn.*
mum eſſe, & ab omni ratione alienum *vt mortalis manus opus, vita* *l. 5. fol. 30. A.*
ſenſuque carens adoretur; quæ tam ſignis crucis conveniunt, quam
Ethnicorum ſimulacris. Et ſimilia habent alij ante a. D. 300. ſcripto-
res, quorum nos loca ſatis multa in eam rem deſcripſimus. Clemens *Clem. Alex.*
vero Alexandrinus in iis, quæ Græcos diſcere vult, hoc primum po- *Strom. l. 6. p.*
nit, quod vnum ſolum Deum colere decet ἵνα μόνον σέβειν θεόν. Hi, vt *655. D.*
vides, vetant diſertè, quod Latinus de Cazanarum cenſu Catechetes,
diſertè præcipit; cujus ſi fidem atque ſententiam eſſent ſecuti, his
certè locis *crucis ſigna* excepiſſent ex eo *manufactorum* ordine quæ
religiosè colenda negant; vel religionem, quæ Deo, ab ea quæ cruci
debetur, diſtinxiſſent, Cur tam diverſa eſt Apoſtoli & veterum à
Latina catecheſis? Cæcus eſt, qui ex inſtitutionis diverſitate religio-
nis diſcrimen non intelligit. Apud Paganos convertendos de crucis
adoratione & Latini docent, & veteres tacent, pro ſua quiſque fide,
quod crucis cultum ſcilicet quem illi norunt, credunt, factitant, hi
plane penituſque neſcirent. Eadem eſt quarti loci ratio, in quo Ca-
nadenſes neophytos crucis ſigna Ieſuitâ præeunte adorantes exhibui-
mus. Peto vt nobis ex veris quarto ſæculo anterioribus monumen-
tis aliquod ſimile exemplum edant. At in omnibus iſtorum tempo-
rum litteris inauditum eſt Chriſtianum, ſive neophytum, ſive Cate-
cheten crucis ſigno pro pluvia ſupplicare, aut farris diſcum offerre,
aut adorationem denique cujuſcumque modi impendere. Reperio
quidem illos priſci ævi ac moris fideles terræ ſiccitate laboranti in-
terdum ſubvenire, & cœli ſqualorem expugnare; ſed Dei cultu,
ſuiſque ad eum ſupplicationibus & jejunationibus. Vlli cruci ſigno
eſſe adgeniculatos nuſquam reperio. *Marcus Aurelius in Germanica* *Tertull. ad*
expeditione (inquit Tertullianus) *Chriſtianorum militum orationibus* *Scap. c. 4. p.*
AD DEVM factis, imbres in ſiti illa impetravit. Quando non ge- *87. D.*
niculationibus & jejunationibus noſtris etiam ſiccitates ſunt depulſæ?
Proferant de tota illa prima antiquitate vel vnum preſbyterum ſui il-
lius Canadenſis Apoſtoli ſimilem, qui neophytos pluviam à crucis ſi-
gnis emendicare inſtituat; vel Chriſtianos aliquos cum ſuis illis bar-
baris de Canada neophytis ante crucis ſigna ingeniculatos. His il-
lud quintò addendum eſt, quod crucis ſignum in cœlo præfulgens qua-
le Latini Albuquercio viſum narrant, nullum apud Chriſtianos nō-

tatum

CAPUT III.

tatum invenimus totis annis trecentis à Domini in terra natalibus. Dictum enim eſſet, ſi quid hujuſmodi illo tempore à noſtris eſſet obſervatum. Cur autem vltimis potius temporibus objectum fuerit, quam primis, ſi vtraque crucis juxta religioſa fuerunt; non equidem intelligo. Sed diſcriminis ratio non eſt obſcura. Hujuſmodi phaſmata ex naturæ cauſis vel in crucis vel in alterius figuræ, vt res tulit, ſpeciem conformata aër vt opinor, ſæpe exhibet. Quod Maffeius narrat, Albuquercius & Luſitani notarunt, quia crucis religioſi erant, cujus aliquam in eo imaginem vel ſaltem vmbram ſibi viſi ſunt deprehendiſſe; Quæ ejuſdem generis primis quoque ſæculis fortaſſe apparuerunt, nulla à noſtris notata ſunt; quod quæ id notare Luſitanos ſubegit crucis religio, priſcis nondum vlla erat. Certè ſi qua jam rum fuiſſet, non dubito, quin Tertullianus aliquod *crucis* ſignum fuerit mirifico illi oſtento adjecturus, quod ipſe ad ſuum de terrena novæ Hieruſalem ad mille annos gloria retulit. *Conſtat* (inquit) *Ethnicis quoque teſtibus, in Iudæa per dies quadraginta matutinis momentis civitatem de cœlo pependiſſe, omni mœniorum ambitu evaneſcente de profectu diei, & alias de proximo nullam.* Quam bellè aëriæ huic civitati conveniſſet crucis ſignum, quo rem eſſe Chriſti conſtaret. Et facile fuit Tertulliano appingere. Quod non appinxit ideo factum eſt, quod hæc ſigna Eccleſiis, baſilicis, ædibus, vrbibus, à noſtris præfigi, vt nunc adoranda ſolent, nondum mos eſſet. Fateor Conſtantino paulò poſt quarti ſæculi initia oblatum horis pomeridianis ſimile crucis viſum ex lucis ſplendore figuratæ, in ipſo cœlo Soli imminentis, & in ea conſignatæ hujus inſcriptionis ΤΟΥΤῼ ΝΙΚΑ, *Hoc vince.* Euſebius ſe hæc quæ refert ab ipſo Principe audiviſſe ait. Cæterum neque Principis vllam Albuquercianæ ſimilem, ad ſignum ſupplicationem, neque militum vllum Luſitanicæ parem ſigni adorationem vſpiam narrat vel tradit, quia ne tum quidem crucis ſigna Chriſtiani adorabant; quæ ſi adoraſſent, omnino hîc Euſebius ejus cultus mentionē erat facturus, & quod non eſſet tam auguſto ſigno à Conſtantino & ab exercitu præſtitus, eorū errorem & ignorantiam qui ſcilicet nondum erant Chriſtiani, apud lectorem excuſaturus.

Tertull. contra Marc. l. 3. c. 24. p. 499. C.

Euſeb. de Vita Conſt. l. 1. c. 22. edit. Gr. fol. 422. A.

VI. Eſt & in veteribus monumentis locus, vbi deſideratur Maffeiana illa à Bactiani regulo ſuis civibus imperata ſignorum crucis adoratio. Refert Euſebius acta quædam Edeſſena ficta, vt ego quidem opinor, ſed olim certè ante Euſebij ævum, adeoque ad Chriſtianos illius temporis mores & vſus efficta ac confirmata. Narrant illa Acta Abgarum Edeſſæ Regem à Thaddæo Apoſtolo ad Chriſti fidem mirabiliter converſum fuiſſe, totámque civitatem ad Apoſtoli prædicationem conveniſſe; Regem paulò poſt auro tum cælato, tum rudi hominem donari mandaviſſe; illum dona reſpuiſſe. Si crucis ſigna à noſtris adorari eo tempore quo acta confecta ſunt mos fuiſſet; Abgarum auctor finxiſſet Edeſſæ *prææltas cruces defigi, & à ſuis adorari*

Apud Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 13. fol. 10. B.

rari juſſiſſe; planè vt Bactiani regulum apud ſuos, feciſſe Maffeius CAPVT narrat. Nunc verò nihil in Actis ſimile videmus. Nondum ergo III. cùm ea ſcripta ſunt, id eſt, tertio (vt videtur) ſæculo, cruces à noſtris defigi & adorari ſolenne apud Chriſtianos erat. VII. Quod verò à quotidiano Crucis cultu martyrem illum ſuum Iaponem laudat alter Ieſuita Trigautius, id negari non poteſt, quin appoſitè & ad ſuæ Eccleſiæ ritus conſentaneè fecerit; & alia ſunt ſimilium elogiorum, apud Latinos exempla. Cur nulla ſunt in omni illa Chriſtianiſmi quæ ante a. D. 300. floruit antiquitate? Plurima ſunt in ejus, quæ ſuperſunt, monumentis Martyrum & aliorum elogia, & nonnulla quidem prolixa & luculenta, vt Polycarpi, vt Lugdunenſium, in vtrorumque Actis; vt Cyriani in opuſculo, quo Martyris vitam Pontius deſcripſit; vt Origenis in ſexto hiſtoriæ Euſebianæ; vt aliorum paſſim in ejuſdem memoriæ litteris. Nullum adhuc repeti, cujus pietas eo commendaretur, quod ad locum, in quo crux ſtaret, non dico quotidie, ſed vel ſemel ad eam adorandam iverit. Stultum eſt ſuſpicari hunc cultum, ſi quâ tunc fuit in Chriſtianæ pietatis parte, vel conſulto, vel ex oblivione à Sanctorum virorum laudatoribus fuiſſe prætermiſſum. Prætermiſſus eſt tamen ab omnibus conſtanter, neque in tam multis quæ extant apud primos Chriſtianos laudationum & elogiorum exemplis, vllo loco apparet. Ergo fatendum eſt, quod res eſt, toto illo tempore nullo adhuc in loco aut numero apud Chriſtianos fuiſſe crucis adorationem. VIII. Huic affine eſt illud apud Fernandum Conſalvum novum inprimis ac mirabile, ancillæ pro *crucis latria* occiſæ exemplum. Memini nos ſupra excuſſiſſe veteris ad a. D. 300. memoriæ Martyria; eorumque numerum non contemnendum recenſuiſſe. Nemo in his fuit, nemo in aliis eſt, qui martyrium pro adorata cruce feciſſe dicatur. Plurimi paſſi ſunt, quod ſacrificare conſtanter recuſarent, quod Chriſto maledicere abnuerent, vel idolothytis veſci; Multi quod Scripturas tradere nollent: non pauci quod ante muta & ſurda ſimulacra genua ponere, aut corpus ſternere nollent. Virum, vel mulierem, hominem vel liberum, vel ſervum ex omni illa vetuſtiſſimorum Martyrum & Confeſſorum copia nullum Ieſuitæ nobis in æternum edent, qui quod aliquod crucis ſignum conſtanter coleret, non dico mortem perpeſſus ſit, vel alias graves pœnas dederit, ſed qui vel à Magiſtratu Pagano reprehenſus eo nomine fuerit. At ſi vt his vltimis Latini, ita & illis primis temporibus Chriſtiani crucis ſigna adorabant, tam aliqui veteres eo nomine & pati, & paſſi eſſe dici ab illius ævi ſcriptoribus debuerunt, quàm nunc à Ieſuitis narrantur aliqui ex ſuis ob crucis latriam occiſi. Cum ergo nihil apud veteres ſcriptores hujuſmodi vſpiam in eorum Martyrologiis, hiſtoriis, & aliis operibus reperiatur, confitendum eſt nondum fuiſſe primis illis temporibus à Chriſtiani nominis hominibus adorata crucis ſigna. IX. Iam vero Chriſtiani vt

CAPVT III.

adoraſſe crucis ſigna nuſpiam in tota illa antiquitate reperiuntur, ita neque dicuntur per ea juraſſe: quem eſſe familiarem Latinorum vſum ac morem & ſupra diſerte tradebat Trigautius, & ſciunt quicumque cum iis vivunt. Veteres ſi eadem quoque lex apud ipſos fuiſſet, ejus meminiſſent, cum de jurejurando verba faciunt. Tertullianus, verbi gratia, & Origenes, & Cyprianus, & Baſilides Martyr, cum Chriſtiano homini non modo pejerare, ſed ipſum etiam jurare licere negant, crucem excepiſſent, ſi per eam jurare penes ſuos ſolenne & legitimum putaſſent. X. Sed neque lucernas jugiter apud crucis ſigna ardentes, quas Iarricus apud ſuos familiares eſſe docet, quiſquam nobis veterum exhibet. Si quæ autem apud eos fuiſſent, ratio cur eas memorarent manifeſta erat, atque neceſſaria, iis certè locis, quibus lucernas de die accendi veluti rem ſtultam & abſurdam in Paganorum ſacris irrident, quod eos non ſemel facere ſupra ex Tertulliano demonſtravimus. Hîc lucernas excipere eas debebant, quæ crucis ſignis jugiter allucebant, ſi quas hujus generis apud ſuos norant; ne ſua ipſi vineta, dum in aliena ſæviunt, cædere viderentur. Nullas exceperunt, Nullæ ergo apud eos fuerunt. XI. Illud verò de adorata à Trigautiano martyre, ipſa patibulari cruce ad quam erat affigendus, non apud veteres modo, ſed vt puto, etiam apud cæteros Latinos exemplo caret: niſi ſiquis fortaſſe de Loyolæ diſciplina fuerit: Hoc ergo mittamus, velut rarum atque inſolens, & Ieſuiticæ ϛαυρολατρείας ſingulare facinus. XII. Communis verò Latinorum diſciplinæ eſt, non proprij quorumdam tantum inſtituti, quod Luſitanorum heros Albuquercius crucem in nubibus viſam, apud Maffeium invocat, & ejus *terrâ marique* inter tanta pericula præſidium ſupplex petit, & in ea ſe ſpes omnes ſuas repoſitas habere profitetur. Nam crucem etiam humi fixam, certè in terra vel geſtatam vel oſtenſam, Latinos in ſacris publicis invocantes ſupra quoque edidimus, roganteſque vt præſentem ſuorum *catervam ſalvet*; vt *piis juſtitiam augeat, reiſque, donet veniam*; eam denique *ſpem ſuam vnicam* ſalutantes. Itaque jure ab iis poſco hujus ſupplicationis ex prima antiquitate exempla; quæ ſi de crucis & majeſtate & cultu eadem cum Latinis ſenſit, crucem ipſa quoque hoc Latinorum ritu invocare atq; adorare debuit. At nihil hujuſmodi apud omnes primæ ad a. D. 300. antiquitatis Chriſtianos reperiri, ne ipſi quidem credo, Latini negaverint. Nam qui res inanimatas à Paganis conveniri & orari & cōpellari vel indignantur vel rident (quod à veteribus illis Chriſtianis paſſim fieri, nos ſupra oſtendimus) quis eos inquam, ipſos quoque crucem, rem ſurdam ac mutam, affatos eſſe, & invocaſſe ſupplices putet? Si hæc eorum fuiſſet in crucis ſigna religio, vel ab inſectandis hac in parte Paganis omnino abſtinuiſſent, vel certè vbi eos ita inſectantur, crucis alloquia ab iis rerum inanimatarum alloquiis excepiſſent, quæ damnant. Atqui nunquam exceperunt. Invocationis

Tertull. de Idol. c. 11. Orig. in Matth. 26. Tract. 35. p. 187. extr. Cypr Teſtim. l. 3. §. 12. Baſil. apud Euſeb. hiſt l. 6. c. 5. fol. 60. A.

& pre-

CAPVT III.

& precum eadem quoque ratio eſt. Nam qui diſertiſſimè frequentiſſiméque teſtantur ac clamant ſe ſuas preces omnes religioſas vni Deo deferre, qui paſſim præfractè negaut vlli alij quam Deo deferendas; (quas nos eſſe veterum voces ac ſententias abunde jam probavimus) quis eos ferendos eſſe putet, ſi crucem iidem vel depictam in aëre, vel ex ligno aut ex lapide compactam, religioſiſſimè invocent, ejuſque præſidium ſuppliciter petant? & ab ea *plebi ſalutem*, *piis juſtitiæ augmentum*, reis *admiſſorum veniam* poſcant? Denique qui *in Deo SOLO OMNEM collocandam ſpem* decernunt, idque decretum inter primaria Chriſtianiſmi fundamenta cenſent; quis eos crediderit vel crucis ſignum *ſpem ſuam vnicam* ſalutaſſe, vel ſe in eo affirmaſſe *ſpes ſuas omnes repoſitas habere?* Neque ſanè hæ vel aliæ ſimiles voces apud illos primæ ac melioris memoriæ veteres vſpiam reperiuntur; Quin illæ tantopere cum eorum conſtanti perpetuaque de cultu religioſo doctrina pugnant, vt eas, ſi audiviſſent, credibile ſit non ſecus ac totidem prodigia fuiſſe, averſaturos, & cum horrore repudiaturos. Non equidem neſcio, quibus eas Latini ſtrophis diluere, quibuſque gloſſis, & interpretamentis ab omni impietatis ſpecie purgare conentur. Sed nihil nunc quidem neceſſe eſt accuratius expendere, quo ipſi ſenſu hæc loquantur. Neque enim id hoc loco agimus. Satis eſt ad inſtitutum noſtrum obſervaſſe; nullas his aut ſimilibus verbis expreſſas orationes apud veteres illos, de quibus nunc diſputamus, reperiri. Nam quæcumque in iſtis Latinorum mens fuerit, illud quidem clarum certumque à ſtudio eorum ac religione in crucis ſigna profectas eſſe has & cæteras ejuſdem generis voces. Si ergo veterum eadem fuiſſet, quæ horum nunc eſt, in crucis ſigna religio; apparet illis quoque ex animis ſcilicet eodem modo affectis, eodemque ſtudio ardentibus erupturas aliquando fuiſſe pares iſtarum Latinarum preces atque orationes, iiſdem vel certe ſimilibus verbis expreſſas atque conceptas. Nullas autem vnquam erupiſſe, vel etiam excidiſſe, planum eſt. Ergo illud quoque fatendum eſt nullam illis veteribus fuiſſe in crucis ſigna Latinæ ſimilem religionem. Atque ita nos hæc Latinorum ſcriptorum loca cum veterum ſimilibus comparantes, oſtendimus in iis quam illi memorant crucis adorationem; ab his nunquam eſſe memoratam. Vnde patet ne alibi quidem vſpiam à veteribus illis, quorum ſcrinia excuſſimus, de hoc cultu quicquam eſſe in ſuis libris proditum; quod & res ipſa, & Latinorum exemplum doceat, ſicubi memorandus fuiſſet ille cultus, his maximè locis memorandum fuiſſe. Iam vt omnes illius memoriæ Chriſtiani eum in religione ſua cultum & publicè & privatim factitarint, cujus apud plures quàm XXV. ejuſdem ævi auctores, in tam multis, tamque ſpiſſis de vna religione ſcriptis libris, non modo in aliis locis, ſed ne in his quidem vlla extet vel leviſſima mentio, in quibus eum & Latini qui factitant, dicere ſolent, & res ipſa dici vel poſcebat vel certe invitabat,

Clem. Recogn. l. 1. f. 5+6.

ZZzz 2 vitabat,

CAPUT IV.

vitabat, hoc inquam, plane penituſque eſt incredibile. Eſto ergo ex his ſatis ſuperque diſputatis, concluſum primis ad a. D. 300. Chriſtianis invſitatam atque ignotam fuiſſe, totam illam ſignorum crucis religionem, quam nunc Latini tam ſtudioſe exercent, támque acriter defendunt.

CAPUT IV.

Repetitur & reïjcitur in primum librum aliud, ſed commune, contra hanc traditionem argumentum ex Tertullianea traditionum non ſcriptarum recenſione. Argumentum III. ex diſerto Minutij Fœlicis teſtimonio, cultas à ſecundi ſaculi Chriſtianis cruces negantis. Bellarmini & Perronij effugia precluduntur, gloſſa ineptiſſimæ refelluntur, omniſque Sophiſtice confutatur.

HIs quoque conſentanea ſunt, atque hoc ipſum confirmant, quæ nos in prima operis parte latius exſecuti ſumus; nimirum quod hanc crucis adorationem, inter ea quæ Chriſtiani ex traditione non ſcripta obſervabant, neque Tertullianus, dum quæ erant hujus ſuo tempore ordinis, non ſemel recenſet, neque ejuſdem memoriæ alius quiſquam ſcriptor memoravit; quo tamen loco dicenda erat, ſi tum apud noſtros in vſu fuiſſet (crucis enim ſigna religiosè colenda eſſe ipſi etiam Latini nullo ex Scripturæ præcepto, vel exemplo haberi confitentur, cultum eum per traditionem duntaxat apud Chriſtianos propagatum eſſe contendentes.) Item quod nulli hæretici toto illo ante quartum ſæculum tempore reperiuntur, qui controverſiam Eccleſiæ de ea adoratione fecerint, cum ſecutis temporibus, quibus crucis cultus apud Chriſtianos obtinuit, nunquam defuerint, qui eum impugnarint.

Sed quid argumenta conquirimus? Clariſſimum atque diſertiſſimum habemus ipſorum Chriſtianorum, qui primis illis ſæculis vixerunt, ea de re teſtimonium. Extat Minutij, vetuſtiſſimi ſcriptoris, ſæpius à nobis laudatus libellus, vere aureus, in quo Cæcilium & Octavium de religione ſe arbitro, colloquentes induxit: hunc pro Chriſtiana, illum verò pro Ethnica. Cæcilius inter cætera vel turpia, vel nefanda, quæ apud ſuos de Chriſtianorum cultu ac religione ſpargi jactarique tradit, crucis quoque cultum memorat, neque eum noſtris immerito tribui pronuntiat; *Qui hominem* (inquit) *ſummo ſupplicio pro facinore punitum, & CRUCIS ligna feralia eorum cærimonias fabulatur, congruentia perditis ſceleratiſque tribuit altaria, ut id colant quod merentur.* Ad hanc Cæcilianæ calumniæ partem, vbi ad eam ventum eſt, ita reſpondet Octavius. Primò quod Cæcilius *hominem pro facinore punitum noſtræ religioni aſcripſeras*, id veluti

Minut. in Octa. p. 21.

vanum,

vanum & contumelioſum depellit. Chriſtum noſtrum eo ipſo quod Capvt
à nobis colitur, & innocentem fuiſſe, & homine majorem probans, IV.
Longè (inquit) *de vicinia veritatis erratis, qui putatis Deum credi,* *Ibid.p.88.*
aut meruiſſe noxium, aut potuiſſe terrenum. Tum hoc ſibi adſcriptum crimen, in Paganos repercutit, quod ſibi falsò obiiciunt ejus ipſos verè reos eſſe; apud quos & Ægyptij hominem ad id electum accuratiſſimè colunt, & Romani, aliique Principibus & Regibus, veluti Deis adulantur, dum eorum *numen vocant*, & ad *imagines ſupplicant*, & *genium eorum implorant.* Quod vero ſecundo loco adjecerat Cæcilius quoſdam de ſuis *fabulari crucis ligna feralia noſtrorum fuiſſe cerimonias*, ad id deinceps eodem planè modo reſpondet; crucis cultum primo negans; tum in eos, qui objecerant, repercutiens. Negat his verbis. *Cruces etiam* (inquit) *nec COLIMVS, nec optamus*, qui- *Ibid. p. 89.*
bus dici quid poſſit clariùs atque diſertiùs non video. Tum vt prius ſupra de homine adorato crimen, ita hîc & poſterius de cultis crucibus in Paganos reiicit; *Vos planè* (inquit) *qui ligneos Deos conſecratis, cruces ligneas, vt Deorum veſtrorum partes, forſitan adoratis. Nam & ſigna ipſa, & cantabra, & vexilla caſtrorum quid aliud, quam inaurata cruces ſunt, & ornata? Tropæa veſtra victricia non tantum ſimplicis crucis faciem, verum & hominis affixi imitantur.* Hæc Octavij eſt apud Minutium pro Chriſtianis ſuis defenſio, apertiſſimè eos negantis cruces colere. Quod ergo nunc Latini contendunt Chriſtianos ſecundi poſt Chriſtum natum ſæculi (quo ad extrema vergente vixiſſe Octavium produnt, quæ de celebri oratore Frontone *Ibid.p.23 32.*
Cirthenſi in eodem libro leguntur) ea vero iniquiſſima calumnia eſt, veteris Paganorum in noſtros ſycophantiæ par. Verum eſt quod nos diſputamus, nullas noſtros cruces eo tempore coluiſſe. Neque Latinorum ad hunc locum cavillationes quicquam valent. *Octavius* (in- *Bell.l. 2. de Imag. Sanct. c. 12. §. Tertullianus.*
quit Bellarminus) *loquitur de adoratione propria Deo, de qua accuſabantur.* Sed quod ait Bellarminus & vnde tota ejus ſolutio pendet, nempe hic accuſari à Cæcilio *Chriſtianos de adoratione Deo propria*, quod eam ſcilicet cruci exhiberent; id, inquam, primo temerè & nulla ratione dicitur. Vnde enim habet Bellarminus Cæcilium duntaxat hanc *Dei propriam adorationem* intelligere, cum ait Chriſtianos *colere, id quod merentur*, id eſt, crucem? cum *colere* etiam apud ipſos Latinos tam de Dei, quam de creaturarum ſanctarum adoratione & cultu religioſo indifferenter dicatur? Sed & falſo id dici patet; primo ex ipſis Cæcilij verbis, qui dicit hanc accuſationem referens fuiſſe apud Paganos ſuos, *qui fabularetur*, non, noſtros *adorationem* eam cruci tribuiſſe, quæ *Dei propria* eſt (quod Bellarmini ſomnium eſt). ſed, quod longiſſimè hinc abeſt, *crucis ligna feralia noſtrorum fuiſſe cerimonias*: Quæ verba ad propriam vnius Dei adorationem reſtrin- *Bellar.l.2.de Sanct. beatit. c.12.§.Notandum quoque.*
gi non poſſunt. Quis enim dixerit non alias res Paganorum fuiſſe *cerimonias*, quam *eas quas ſumma voluntatis proſtratione & inclinatione*

 cole-

CAPVT IV.

colerent, apprehenderentque vt Deum, vt primum principium, & vltimum finem, adeoque vt ſummum bonum? quæ eſt, ipſo ſed alibi, definiente Bellarmino, verè dicta latria, ſive propria Dei adoratio? Sed de hac tam ſubtili adoratione ne cogitaſſe quidem vnquam Pagani, maximè plebeij videntur, quorum propriè fuit hæc tota in noſtros criminatio. Ac de ea vt illos aliquando cogitaſſe donem, hic certè non cogitavit Cæcilius. Hæc enim ejus verba, *crucis ligna noſtrorum fuiſſe cærimonias*, actus ſignificant, non mentis & voluntatis, qui interiores ſunt, neque ſenſibus patent; ſed exteriores in oculos incurrentes. *Cærimonias* nemo niſi ad prodigium ſtultus, de interiori animi vel ſenſu vel amore dixerit. *Cærimonias* omnes intelligunt ritus quoſdam eſſe exteriores, qui in ſacris adhibentur: vt corpus ante res ſacras proſternere; vt eas oſculari, vel manu ad os admota venerari, vel ſuffitu, & incenſo, aut lucerna accenſa, aut floribus, & donariis colere, & alia ejuſdem generis ſexcenta. Qui ergo *crucis* ° *ligna* Chriſtianorum *cærimonias fuiſſe fabulabatur* Paganus, clarè intelligit eos crucem ligneam nonnullis hujuſmodi *cærimoniis* ritibuſque coluiſſe ac veneratos eſſe; quibus ne Bellarminus quidem ipſe *adorationem Dei propriam* contineri dixerit: niſi certè fateri velit ſe ſuoſque cruci adorationem deferre, quæ Deo propria eſt. Patet enim eos *cruces* his aliiſque multis ritibus ac cærimoniis venerari. Ergo ſi idem fuit veterum illorum Chriſtianorum, qui nunc Latinorum eſt, in cruces cultus; apparet Paganum illum, qui cruces eorum eſſe cærimonias dicebat non eſſe *fabulatum*, ſed veriſſimè locutum; vt homini rem hujuſmodi obiicienti Octavius debuerit non reſiſtere, ſed aſſentiri, & id quod obiiciebatur confiteri atque defendere. Atqui planè contra facit. Negat enim ſe ſuoſque *cruces colere*, & negat, etiam ipſo teſte atque auctore Bellarmino, eodem ſenſu, quo erat abjectum. Ergo cum ipſa accuſatoris verba vincant id objectum eo ſenſu à Pagano fuiſſe, vt intelligeret *crucis ligna noſtrorum cærimonias fuiſſe*; confiteri neceſſe eſt, vel mentitum eſſe (quod nemo dicet) Octaviũ, qui negat *cruces à noſtris coli; vel certè; cruces* tũ à noſtris nõ modo *adoratione Deo propria* non fuiſſe *cultas* (quod vltro concedit Bellarminus) ſed ne vllâ quidem *cærimoniâ*, vlloque *ritu ſacro* fuiſſe honoratas (quod nos contendimus) adeoque adhuc tum ignotum fuiſſe noſtris omnem illum hodiernum Latinorum in cruces tam multis cærimoniis ritibuſque conſtantem cultum. Sed & aliunde probatur Paganos dũ crucis cultũ noſtris objecerunt, aliud quã quod cavillatur Bellarminus, intellexiſſe. Ipſe ait id quod Cæcilius hic obiicit, idem eſſe cum eo, quod Iulianus deſertor apud Cyrillum obiicit. Noſtris-ne ergo Deſertor apud Cyrillum obiicit quod *cruces pro Deo, proque primo principio & vltimo fine adorarent*, vel quod iis ſacrificarent? (quam vnam Bellarminus cærimoniam divinæ adorationis propriam eſſe * cenſet) Minime, vero. Obiicit ille Chriſtianis, quod

Id. l. 2. de Sãct. im. c. 12. §. Tertullianus.

* *Id. ibid. l. 1. c. 12. §. Tertia* [illegible]

omiſſo

CAPVT IV.

omiſſo ancilium cultu & adoratione, crucis lignum adoraremt. Et res & verba oſtendunt hoc iſtum Chriſtianis crimini dare, quod quam Pagani fabuloſo illi ſuo ancili religionem exhibebant, illi ad crucis ligna tranſtulerint. Conſtat autem Romanos Ethnicos *ancile* illud ſuum, *non pro Deo, non pro primo principio & vltimo fine adoraſſe*, vel ſacrificia ei obtuliſſe. Sed pro re Dei & dono, pro re ſacra, pro cœleſti Romanæ æternitatis pignore religioſè coluiſſe; vt ex hoc ipſo Iuliani loco intelligimus. Cultam ergo ſimili modo & ſenſu à Chriſtianis crucem intelligit: non autem, quod inficetiſſimum eſt Bellarmini deliramentum, *adoratione vnius Dei propria adoratam*. Denique non eam Paganorum fuiſſe, quam hic vult, mentem & Cæciliana oratio & omnis illorum Theologia clamat. Nam ſi ſtat Bellarmini gloſſa, Cæcilius & Iulianus, & alij dum Chriſtianos *de adorata cruce* pulſant, eos idcirco ita damnant ac denotant, non quod crucis ſignis quemvis religionis cultum tribuerent, puta quod genua ante ea flecterent, aut thus adolerent, aut lucernas accenderent (id enim ſi intellexiſſent, falſo, vt liquet, ex Bellarmino quidem, negaret Octavius, cruces à ſe ſuiſque coli) ſed quod ſummam, vniuſque Dei Opt. Max. propriam adorationem ſignis illis tribuerent. Atqui id inquam, refellit ipſa primum oratio Cæciliana, quæ hoc adorationis crimen eo proprie intendit, non quod ſignum ſimpliciter, ſed quod crucis, id eſt rei tum apud omnes diræ ac funeſtæ, ſignum Chriſtiani colerent. Eam enim vim manifeſtiſſime habet, quod ait non ſimpliciter *crucis ligna*, ſed *crucis ligna feralia* noſtrorum *fuiſſe cærimonias*; & quod mox addit: *ideo coluiſſe noſtros, quod merebantur*; id eſt, patibulum, triſteque & infœlix lignum. At hujuſmodi ſigno, id eſt ferali ac diro, adorationem non modo Dei propriam, ſed & quamvis & vel infimum religioſi cultus gradum tribui, Pagani proculdubio indignum, turpe ac nefas putabant. Illi ergo noſtros ſimpliciter criminabantur, quod crucis ſigna aliquo cultu religioſo, non autem quod certa illa propriaque Dei adoratione colerent, niſi forte eos tam ſtultos fuiſſe dixeris, vt lignum patibulare coli quidem religioſe æqui bonique duxerint; haberi idem pro Deo ſummo, id vnum duntaxat reprehenderint. At ipſi reclamant, dum *ligna* quæ coli exprobrant, *feralia* vocant. Quod enim *ferale* eſſet, id vllo cultu honoreque, non modo ſummo, ſed vel medio aut infimo, affici adeo non probabant; vt ea etiam deteſtatione, atque abominatione digna cenſerent. Sed & omnis Paganorum Theologia hoc Bellarmini gloſſema reſpuit. Duplicem enim religionis cultum, vt nunc Latini, ita & olim Pagani conſtituebant: vnum abſolutum, quem ſuis numinibus proprie ac directe & per ſe; alium analogicum & relativum quem ſuorum numinum rebus, id eſt ſymbolis, ſimulacris, templis tribuendum putabant, non per ſe, ſed propter Deorum, ad quos iſta pertinebant, ac referebantur, nomen atque majeſtatem. De ſymbolis & ſimulacris etſi negent adverſarij,

Iulian. apud Cyrill. l. 6. contr. Iul. T. 6. p. 194. C

res

CAPVT IV.

Apud Orig. l. 3. contr. Celſ. p. 125. init.
Ibid l. 7. p. 384.
Ibid. l. 6. p. 285.

res ex Celſo plana eſt, qui & Ægyptiorum ſacra *æternarum idearum non vulgarium animalium honores* fuiſſe ſcribit, & in genere dicit Paganica Deorum ſigna neminem, *niſi plane ſtultum, Deos eſſe putare, ſed Deorum anathemata* (id eſt res iis poſitas ac ſacratas) *& ſimulacra*, τίς γὰρ καὶ ἄλλος εἰ μὴ πάντη νήπιος, ταῦτα ἡγεῖται θεούς; ἀλλὰ θεῶν ἀναθήματα καὶ ἀγάλματα. Ipſe Origenes refert eorum ſapientes *voluiſſe videri ſimulacra in honorem Dei adoraſſe*. Vnde liquet *ſimulacris* numinum ipſorum nomina non aliter ab iis tribui, quam metonymicè; vt cum *aquilæ & ſigna, legionum numina* à Tacito, & alia ab aliis paſſim *Dij Deæque* vocantur; quod ſcilicet eſſent Deorum ſymbola, atque imagines, non ipſi Dij; qualiter apud Latinos Divæ Virginis & aliorum Divorum, imo & ipſius *Christi* nomina iis ſignis paſſim dantur, quæ ad eorum ſimilitudinem facta conſecrataque coluntur. Sed Latini etſi hoc de ſimulacris Gentilium negent, concedent tamen, vt opinor, Romanos ſuum illud *ancile* non credidiſſe Deum aliquem fuiſſe, neque item ſua Deorum *templa* pro Diis habuiſſe. Atqui & *ancile* eos *adoraſſe & coluiſſe* ex Iuliano, & templa itidem *adoraſſe* ex Tertulliano conſtat, qui jocans dicit Chriſtianos ſpoliaturos *forſitan templa, ſi & ipſi ea adorarent*. Ergo hæc ſaltem certè non abſolutè, ſed analogicè adorarunt. Cum ergo illi æque ac nunc Latini, noſſent duo illa cultus genera, ſi illum tantum *abſolutum* cruci à Chriſtianis deferri indignarentur, alterum relativum eidem exhiberi minime inviderent; profecto ſuam hanc mentem aperuiſſent, & alterum ab altero cultum diſtinxiſſent; quod non fecerunt, cruci cultum ſimpliciter & in genere, non hunc certum Dei vnius proprium exprobrantes. Sed neque Cæcilio illa objectio convenit, quam Bellarminus fingit. Si enim, quod hic vult, noſtros ille adorationem Dei propriam cruci detuliſſe putavit eſſe veriſimile; neceſſe eſt, & hoc ei quoque credibile viſum fuiſſe, quod noſtri putarent *crucis ſigna* eſſe Deos: Hoc enim adorationis divinæ pars eſt. At hoc Cæcilio probabile videri non potuit, qui ſciret ſcilicet noſtros credidiſſe Deum eſſe *vnicum* immenſum, *& vbique præſentem*. An enim qui ita crederent, eos veriſimile eſſe putaret, crucem, quæ neque *vnica* eſt, neque *vbique præſens* eſt, ſed vno certo loco concluſa, Deũ eſſe credere? Ab omni ergo ſpecie abhorret Cæcilium noſtris objeciſſe, quod crucis lignis feralibus eam *adorationem* deferrent, quæ ſit Dei *vnius propria*. Verum eſt objeciſſe, quod iis cultum aliquem religioſum, quiqui tandem eſſet, deferrent; quod ipſe longe abſurdiſſimum cenſebat, quod crux vulgo tum eſſet infauſtum & ferale lignum. Qui igitur ad objectionem ejus reſpondet Octavius, dum negat *ſe cruces colere*, non modo ſumma & vnius Dei eximia, ſed quavis etiam infima, adoratione eas à ſe coli negat. Sed tametſi hæc à Paganorum cauſis & rationibus petita argumenta valida ſint, omnemque Bellarmini cavillationem evertant: finge tamen illa omnia

Iulian. apud Cyr. l. 6. vbi ſupr.
Tertull. Apol. c. 15. p. 16. D.
Apud Minut. in Octav. p. 25. 26.

ſecus

ſecus habere, & quod hic ſomniat, verum eſſe, Cæcilium ſcilicet dum *Crucis ligna feralia noſtrorum eſſe cærimonias* dicit, intelligere non quod verba præ ſe ferunt, aliquo ritu cultuque religioſo crucem apud noſtros in ſacris cultam fuiſſe, ſed (quod ſtultiſſimum eſt) eam non modo cultam, ſed etiam pro Deo habitam, eaque *adoratione* honoratam, quæ vnius Dei propria eſt: ne ſic quidem Octavij ad eam objectionem reſpondentis oratio eum ſenſum, quem ei Bellarminus affingit, admittere poterit. Nam ſi Cæcilij illa mens fuit, quam ex Bellarmino, dixi, debuit Octavius, vt adverſarij accuſationi ſatisfaceret, accuratè in primis ea diſtinguere, quæ Cæcilius pravè permiſcuerat; oſtendereque Chriſtianos immerito ita vapulare, qui cruces religioſe quidem colant, non tamen eo cultus genere, qui vni Deo debetur, qualiter nunc Latinos inſtituere videmus, quoties iis crucis adoratio à noſtris obiicitur. At Octavius nihil hujuſmodi vel dicit, vel innuit: ſimpliciter ita reſpondet; *Nos etiã cruces nec colimus, nec optamus.* Oſtendant mihi Latini vel vnum ſuorum, qui de crucis cultu ab aliquo adverſario pulſatus, ita reſponderit? qui objectum crimen ſimpliciter & abſolutè inficians illud Octavianum vſurparit; *Nos verò cruces neque colimus, neque optamus?* Narrat apud Ioannem Picardum Radulphus quidam Ciſtercienſis Monachus, captis a. D. 1187. Hieroſolymis Mahumedanos per totam civitatem magnis clamoribus ſubſannaſſe *adoratores crucis.* Cives, qui hæc cum lachrymis videbant atque audiebant; an Bellarminus ferret, ſi ad mitigandam victoris invidiam clara voce teſtati eſſent *ſe cruces non colere*? non eos, vt religionis deſertores, & crucis abnegatores increparet? Ipſe Bellarminus contra noſtros, vt olim Octavius contra Paganos, diſputans, negat ne alicubi ſe vel crucis, vel Divorum ſigna colere? Ille vero ab eo tantum abeſt, vt hoc neget; vt planè contrà his ipſis verbis ſuam de imaginum divorũ, & crucis cultu ſententiam expreſſerit; & capiti, quo eam adſtruere conatus eſt, hunc titulum præſcripſerit, *Imagines Chriſti & Sanctorum rectè COLI*, Ergo ille *cruces* (quarum eadem eſt apud eum, quæ cæterarum ſacrarum imaginum ratio) *coli* ait; Octavius negat. Cur tam diverſa eſt elocutio, ſi idem vtriuſque ſenſus fuit? Neque Latini ſoli ita ſe gerunt. Qui veteris memoriæ fuerunt crucis cultores eorum nemo objectantibus hæc Paganis ſic reſpondiſſe inuenitur vt hic Cæcilio Octavius. Leontius Cypri Epiſcopus, vir ſeptimi (vt videtur ſæculi) Iudæis Chriſtianos ob crucis *& imaginum venerationem deridentibus*, eóſque hoc nomine *ſimulacrorum & ligneorum Deorum cultores appellantibus*; quid quæſo reſpondet? An vt Octavius noſter, negat *ſe cruces colere?* Non ſanè ſic ſimpliciter, ſed quod crucis cultorem decebat, adhibita diſtinctione negat à ſe *illa ſigna adorari tanquam Deos:* hoc ipſo concedens, adorari aliter; ſcilicet vt Chriſti & Divorum ſymbola, & diſertè addit ſe cum ligna *in crucis formam coaptata ſunt*,

Ioann. Picard. Notis ad Neubrigens. l. 3. c. 17.

Bell de imag. Sanct. l. 2. c. 12.

Leont. l. 5. contr. Iud. apud Damaſc. Orat. 3. de Imag. p. 778. 779.

CAPVT LV. *adorare formam illam ob Chriſtum in eam ſuffixum*: & poſtea; *Cum hominem* (inquit) *Chriſtianum videris crucem adorare, ſcito id fieri propter Chriſtum crucifixum, non autem vt lignum adoret; alioqui omnia ligna agri adoraremus.* Ita hic; ita cæteri hunc locum tractant omnes veteris recentioriſque memoriæ crucis cultores. Crucis ergo cultor non fuit Octavius, qui eadem exprobranti Cæcilio, non adorationem Dei propriam ab alia creaturarum communi, neque cultum; qui rebus exhibetur propter ſe, ab eo qui iis ob aliud exhibetur, diſtinguit; ſed abſolutè ac nimium profecto ad Latinorum guſtum duriter ac præfractè reſpondet; *Nos etiam cruces nec colimus, nec optamus.* Ipſa hæc denique per ſe elocutio omne Bellarmini interpretamentum diſiicit. Fingamus enim quod iſte vult, Chriſtianos illius ævi cruces more Latino habuiſſe, conſecraſſe adoraſſe; quid hac Octavij oratione dici poterit ſtultius atque impudentius? Negat ſe cruces coluiſſe quas & ipſe & ſui quotannis, ſi Bellarminum audimus, præeuntibus ſacerdotibus excalceatis omnes clerici plebeiique genuflexi ſolenni die, pompâ maximâ, cærimoniis operoſiſſimis accuratiſſime adorabant, atque oſculabantur. Negat ſe & ſuos cruces *coluiſſe*, quibus feſtos dies dicabant, lucernas accendebant, thura adolebant, vota faciebant, juramenta deferebant, humili prece ſupplicabant, auxilium, ſalutem, peccatorum remiſſionem, & bonorum omnium maximum, juſtitiæ augmentum per eas, imo etiam ab iis interdum poſcebant. Negat ſe ſuoſque cruces coluiſſe, quas in altaribus, in Eccleſiis, in cœmeteriis, in locis omnibus ſacris erigebant, paſſimque ac quotidie aperto capite, genu ſæpe poſito, interdum etiam proſtrato toto corpore venerabantur (hæc enim omnia Latinæ ſunt diſciplinæ.) Quis, non dico Cæcilius, qui tametſi Ethnicus, vir tamen erat doctus, & acutus, & diſertus, ſed quis aſinus, quis caudex, quis ſtipes hominem eum ferret, qui illa ſe negaret *colere*, quæ his, quos recenſui, religioſis honoribus proſequeretur? Quis, ſi quis eſſet ſatis impudens, vt ita diſputaret, non in hominē ſtatim involaret, mendacemq; & improbum exclamans vocitaret? Notum eſt Latinos plures cultus religioſi ſive gradus, ſive plurimum inter ſe differentes conſtituere: adorationemque aliam eſſe *abſolutam*, aliam *relativam*; vtramque rurſum, vel latriam, vel duliam, vel hyperduliam eſſe, paſſim docere in ſuis ſcholis. Atqui ne ipſorum quidem Latinorum quiſquam eſt, qui ſe cruces *colere*, ſimpliciter, vel negarit vel neget; quod ſcilicet hunc, quem crucibus deferunt cultum, etiamſi alius ordinis eſſe cenſeant, quam eum, quem vel Deo & Chriſto, vel etiam Divis ipſis deferunt, *cultum* tamen & eſſe & dici & quidem ſacrum ac religioſum, ſciunt. Cum ergo conſtet ita locutum eſſe Octavium, ſimpliciterque negaſſe cruces à Chriſtianis *coli*, omnino confitendum eſt eos crucibus nullum ex iis cultibus vel honoribus exhibuiſſe, qui nunc ſunt apud Latinos ſolennes. Poſtremo,

neque

neque hoc omiſerim, cum omnes illius ævi Theologos ſupra demonſtratum ſit nullum alium (religioſum quidem) *cultum* agnoviſſe, vel ſciviſſe, quàm eum qui Dei proprius eſt, ſi vel hoc Bellarmino quod cupit, largirer, Octavium quod de culta à ſe cruce negat, de *cultu Dei proprio* intellexiſſe; nihilo ſecius tamen hinc validè concluderetur nullum crucibus ab illius ſæculi Chriſtianis delatum, fuiſſe *religionis cultum*, qui ſcilicet nullum hujuſmodi alium noſſent, quam qui Dei eſt. Atque inde (vt hoc obiter dicam) factum eſt, vt vetuſtiſſimi illi ſcriptores pro vno eodemque vſurpent, *aliquid colere* aut *adorare*, & id pro *Deo habere*, *Deumve* eſſe credere: quod ipſi nihil *coli* aut *adorari* fas putarent, quod non idem eſſet Deus. Verbi gratia, quod ſcripſerat Minutius Paganos quoſdam dicere noſtros *caput aſini venerari*, id ipſum Tertullianus referens ait quoſdam ſomniaſſe *caput aſininum eſſe noſtrorum Deum*. Vides iſtis *venerari*, religioſe ſcilicet, & pro *Deo habere*, idem eſſe. Itaque hac etiam in parte noſtri ab Ethnicis diſſidebant; quod non modo Deum vnum eſſe docebant quem hi in plures impie diſcerpſerant; ſed etiam quod quæcumque alia eſſent à Deo, etſi ad Deum aliqua ratione referrentur & ad religionem pertinerent, vt templa & ſigna, & ſymbola religioſa, Ethnici quidem adoranda, colendaque, tametſi non per ſe, ſed *analogicè* ſtatuerent, noſtri vero vllo cultu religioſo colenda negarent. Vnde nunc apparet quis ſit Minutianæ diſputationis verus ſenſus. Nimirum Cæcilius dum quoſdam ait fabulari *crucis ligna noſtrorum eſſe cærimonias*, & noſtros *crucem colere*, intelligit noſtros ſacro aliquo ritu venerari ac colere cruces, veluti Dei ſymbola, aut ſimulacra, non intelligit eoſdẽ cruces habere pro Diis, vel Deorum propriã adorationem crucibus tribuere; quod ex communi ſuorũ opinione putabat etiã iis, quæ Dij nõ eſſent, dummodo Deorũ eſſent vel ſimulacra vel ſymbola, vel aliquid aliud, *adorationem* cultumq; recte ac legitime deferri, tametſi non per ſe, ſed propter Deos quorum erant. Octavius autem dum huic Ethnicorum ſycophantiæ reſpondens dicit, *Cruces etiam non colimus*, negat ſe prorſus vllum cultum crucibus exhibere, non *abſolutum*, quem rebus hujuſmodi tribuendum ipſi & nunc Latini negant & olim Ethnici negabant; ſed neque illum alterum *relativum* & *analogicum*, quem quidem & Latini nunc crucibus, & Ethnici olim ſuis ſimulacris, ancilibus, & templis vindicabant. Veteres vero Chriſtiani nullum eſſe legitimum putabant, omnemque omnino religioſam adorationem vnius Dei eſſe, adeoque directam & abſolutam eſſe cenſebant. Sed hæc ad Bellarmini gloſſam ſatis ſunt. Perronius, qui videbat verbum *colere* ad vnum Latriæ cultum reſtringi in Octavij oratione non poſſe, alio confugit; & quas ejus ſocius in *colendi* voce fruſtra latebras quæſierat, ipſe in crucis nomine inventurum ſe ſperavit. Pertendit enim Octavium dum *cruces à ſe coli* negat, crucis nomine, non crucis *figuram*, ſed *ſupplicium* intelligere,

Minut. in Octav. p.22.
Tertull. Apol. c.16. it.

Du Perron. Act. de la Confer. de Fontainebl Paſſage 6 p.142.143.

ligere; atque ita hac nominis ambiguitate Cæcilij objectionem non ſolvere, ſed *eludere*, idque duabus rationibus firmat; Prior inde petita eſt, quod Cæcilius in vocis ambiguo pariter ludens noſtros non *crucis figuras*, ſed *patibula* coluiſſe ad invidiam dixiſſet. Dixerat enim *eos colere quod merentur*; quo ſignificabat (inquit Perronius) *noſtros mereri non crucis ſignum & figuram, ſed patibulum.* Altera ratio ducta eſt ab ipſius Octavij verbis, qui cruces quas à ſe coli negat, eas à ſe *optari* pariter negat, non autem negaſſet, ſi crucis ſigna & figuras intellexiſſet; Crucis enim ſigno omnes ſuas actiones conſecrare jam tum ſolitos Chriſtianos patet (inquit) ex Tertulliano & Cypriano & aliis Minutij æqualibus ſcriptoribus. Sed hæc Perroniana nihilo ſunt Bellarminianis, quæ confutavimus, meliora. In primis eo laborant, quod etiamſi frigida hæc & abſurda gloſſa admittatur, ne ſic quidem plane purgabitur omnis Latinorum cruciaria religio, qui non crucis tantum ſigna & figuras, ſed etiam ipſa patibula, in quibus de hominibus ſupplicium ſumitur, colenda ſibi interdum putant; quod Iaponis ex Ieſuitarum diſciplina Martyris Dominici cujuſdam exemplo demonſtratum eſt, quem ipſi narrant crucem, cui erat affigendus, *in genua procumbentem magna cum devotione adoraſſe*. Neque Ieſuitas, credo, piguiſſet elegantes illas LII. Meacenſes cruces adorare, ſuorum præſertim Martyrum ſanguine delibutas, ac conſecratas, quas Chriſtianorum adoratione quam ſupplicio digniores fuiſſe affirmant. At Octavius, etiam ex Perronij gloſſa, negat patibula à ſe ſuiſque coli. Ergo Octavij, hac ſaltem in parte, religio à Latina, certè à Ieſuitica diſciplina erat aliena. Et Dominicum illum patet patibulum *& coluiſſe & optaſſe*; quod vtrumque de ſe ſuiſque negat Octavius. Secundò, in eo etiam peccat Perronius, quod crucis patibula à crucis ſignis & figuris, veluti res genere diverſas diſtinguit. Paganorum enim patibula crucis ſigna non minus olim erant, quam nunc ſunt Latinorum cruces. Solius inter vtraque vſus diſcrimen eſt, quod quibus Pagani ad eorum quos damnaverant, ſupplicium vtebantur, iis nunc Latini ad religionem vtantur. Neque res aliter apud veteres Chriſtianos habebat, ſi jam tum apud eos crucis adoratio ſolennis erat. Qui ſolennem fuiſſe ſuſpicabatur Cæcilius, de re ita quoque exiſtimabat, ſigna illa ſcilicet ex ligno in crucem efficta, & efformata, quibus Pagani Græco Romanoque more ad nocentium ſuppliciũ vtebantur, ea Chriſtianos coluiſſe, & apud hos religioſa fuiſſe, quæ apud ſuos erant feralia. Quod ſic intelligebat, vt Chriſtianos adoraſſe putaret, non id ipſum, *idemque* (vt loquuntur) *numero* lignum, cui ſuffixus fuerat verbi gratia à Prætore latro aliquis, aut ſicarius, ſed aliud quidem, hujus tamen par, ac geminum ex eadem materia, & in eandem formam factum. *Crucis adorationem* Chriſtianis non alio, quam hoc ſenſu objecit Iulianus: non alio poſtea objecerunt Mahumedani captis Hieroſolymis: neque quemquam opinor ex omni hominum

Trigaut. Mart. Iap. l. 5. c. 17.

Solier. Iapon. l. 18. c. 8.

minum memoria edet Perronius, qui cruces à Latinis, aliisve Chriſtianis coli aliter, quam qua ratione expoſuimus, objecerit, aut dixerit. Non eſt ergo exiſtimandum aliam fuiſſe Cæcilij apud Minutium mentem, dum noſtros *crucem coluiſſe* dixit. Perronius ad cauſæ ſuæ commodum nodos in ſirpo fruſtra quærit. Cæcilius ait noſtros *id colere quod merentur. Crucem* (vt omnes vident) dicit. Quam autem *merebantur* cum ea, quam colebant, eandem fuiſſe intelligit; ſed *ſpecie*, non *numero* (vt ſcholæ loquuntur) vnius ſcilicet cum ea & formæ & materiæ & nominis. Vt quod *colebant* id intellexerit id ipſum *numericè* idem fuiſſe cum eo, quod merebantur, nihil neceſſe eſt. Vt ſi de Ethnicis ſaxea & fictilia colentibus dixero, *id eos colere quod calcant*, nemo erit adeo ſtultus, qui putet me velle eandem numero ſaxi & terræ particulam ab iis & coli & calcari. Planum eſt me vno nomine rem ſignificaſſe vnam & eandem non *numero* ſed ſpecie. Æquè futilis eſt altera Perronij argutia; Crucis ſigno Chriſtiani jam tum (inquit) omnia conſecrabant. De conſecratione viderit, qui volet. Ego in vſu jam apud noſtros aliquod *crucis ſignum* fuiſſe confiteor. Sed quod? Ligneum-ne? Minimè verò; ſed digitis, & manus in aëre motu deſignatum & adumbratum. Atqui de hoc nullus apud Minutiũ ſermo neque ego quemquam fuiſſe memini, qui vmbratile hoc & evanidum ſignum à Chriſtianis adorari vnquam objecerit. De cæteris viderit Perronius. Cæcilium quidem non obiicere, res clara eſt. Quarum enim crucium cultum obiicit, eas *ligneas* fuiſſe, qui crucis *LIGNA* vocat, ſatis docet. At illa, quæ in aëre digitis in crucem actis pinguntur, non ſunt *ligna*, quod ſciam. His ergo nihil eſt, quod Perronius quicquam ab Octavio metuat; de quibus nullus loquitur. Quod autem cruces hujus generis, id eſt ligneas, vel ex alia materia fictas conſiſtenteſque, à ſe vt *coli*, ita & *optari* negat, eo clariſſimè ſignificat nullas apud ſe fuiſſe, quas *colerent*; nullas vel apud ſe vel alibi quas *optarent*; nullas adeo alias ſibi notas fuiſſe per ſe extantes cruces, niſi quibus apud Ethnicos noxij figebantur; triſtes feraleſque, & à nemine optandas. Denique abſurdiſſimum Perronij gloſſema res tota apertiſſime deſtruit. Vult enim iſte & Cæcilium & Octavium pueriliter hîc vtrumque in vna vocula ludere; quo quid ſtultius & à viris gravibus de religione, re omnium graviſſima, inter ſe differentibus magis alienum fingi poteſt? Cæcilius, ſi Perronium audimus, quod verè noſtris obiici poterat, mittit, ſignorum adorationem; patibulorum cultum, qui nullus erat, obiicit. Quid iſto accuſatore ineptius dici poteſt? qui favet adverſario? qui vera crimina tacet? ea vrget, quæ non modo falſa, ſed etiam ſtulta & incredibilia erant, & ſimplici inficiatione refelli poterant? Octavius verò multo etiã turpius, ſi Perronij ſomnium ſequimur, ſe geſſit, qui Cæcilium ſciens ludit ac fallit, quem vt amicum noſtra docere, & ad Chriſtianiſmum convertere ſtudebat; quo quid non modo inhoneſtius, ſed etiam ſcelera-

CAPUT IV.

ſeratius fingi poteſt? Qui enim *cruces ſe colere* ſimpliciter negat; ſi eas idem colit, is auditorem apertiſſimè fallit ac ludificatur. Fac Cæcilium in verbis ſtulte ac præter rem luſiſſe; Octavij quidem certè erat, viri boni, & optima fide Chriſtiani, amicum Cæcilium, quocum colloquebatur, vera ſerio docere; aperteque ac ſincerè monere, illa quidem cruciariorum patibula, quæ ipſe inaniter ac ridicule objeciſſet, nulla à noſtris coli, *crucis* vero *ligna coli* aliqua, ſed ſacra, ſed religioſa, ſed ad Chriſti venerationem, non ad ſontium ſupplicium facta. Atqui de his Octavius, plane nihil ad ſuum Cæcilium; Tantum illi negat & quidem ſimpliciſſime, *cruces* à ſe ſuiſve coli. Quin & ſtatim clariſſimè docet, ſe *cruces*, quas dicit, non propriè nocentium patibula, ſed in genere omnia in crucis modum ac figuram efformata ſigna intelligere. Objectum enim crimen in Gentiles repercutiens; *Vos* (inquit) *planè, qui ligneos Deos conſecratis, cruces ligneas, vt Deorum veſtrorum partes forſitan adoratis. Nam & ſigna ipſa, & cantabra, & vexilla caſtrorum, quid aliud, quam inaurata cruces ſunt, & ornata? Tropæa veſtra victricia non tantum ſimplicis crucis faciem, verum & affixi hominis imitantur.* Hæc ille; quibus quid frigidius, quid ſtultius dici poteſt, ſi cujus criminis Ethnicos damnare parat, id *patibulorum adoratio* fuit? Neque enim illæ *ſimulacrorum partes*, vel *caſtrenſia* illa *ſigna, cantabra, ac vexilla, vel tropæa illa*, quæ memorat, nocentium vlla vnquam fuerunt apud Ethnicos patibula. Ergo aliud erat illa *crucium* adoratio quam patibulorum. Ethnicos id ipſum facere dicit, quod à Chriſtianis fieri negavit. *Patibula* ab Ethnicis adorari non dicit. Non ergo hæc propriè intellexit dum cruces à noſtris coli negavit. Signa quævis intelligit in crucis modum ac figuram efformata, dum *cruces* à Paganis adorari dicit; Ergo & idem dum *cruces* noſtros *coluiſſe* negat, in genere quoque intelligit planè nulla à noſtris coli in crucis modum ac figuram efformata ſigna, ſive profana ſive ſacra.

Octav. apud Minut. p. 89.

CAPUT

CAPVT V.

Argumentum IV: ex Tertulliani teſtimonio, quorundam Paganorum de cultu à noſtris cruce opinionem falſam eſſe dicentis, & inter Gentilium de noſtris calumnias cenſentis. Fusè refellitur Bellarmini Sophiſma ex his Chriſtianos crucis religioſos fuiſſe argumentantis. Argumentum V. Quod Celſus noſtris nunquam objecerit crucis cultum.

ATQVE hæc quidem de Minutio. Sed alter etiam eſt; plane egregius in rem eandem Tertulliani locus hujus Minutiani ſimilis, in quo recenſet varias Paganici vulgi de eo, quod à Chriſtianis coleretur, opiniones, quarum hæc vna eſt, quod ii à quibuſdam putarentur *crucis eſſe religioſi*, quam cum ipſe inter falſas abſurdaſque collocet, eo ipſo negat veram fuiſſe, adeoque idem quod Minutianus Octavius teſtatur Chriſtianos illius ævi *non coluiſſe cruces*. Sed Bellarminus non ſatis habuit, hoc quod duo iſti auctores docent clariſſimè, vnus Minutius etiam disertè dicit, negare, nempe Chriſtianos *cruces non coluiſſe*. Ille longe vlterius progreditur, & ex vtriuſque teſtimonio conficit cruces, quod ipſi negant, à Chriſtianis cultas fuiſſe, cujus ſane mirificæ concluſionis duplex affert argumentum: vnum ex vtroque auctore; alterum ex Tertulliano ſolo. Ac prius quidem inde ducitur, quod vterque ſcriptor teſtatur noſtris crucis adorationem fuiſſe ſuis temporibus à Paganis objectam. *Ex objectione* (inquit) *conſtat crucem aliquo modo honoratam à Chriſtianis. Iulianus apud Cyrillum libro ſexto idem obiicit. At certe nunquam Gentilibus in mentem veniſſet, vt noſtris obiicerent adorationem crucis, niſi vidiſſent primis illis & ſanctiſſimis Chriſtianis crucem ſumma venerationi fuiſſe.* Hæc ille. Quam vero non modo infirmum, ſed etiam ſtultum atque ridiculum ſit hoc Bellarmini argumentum, quivis vel ex his ipſis Minutij, Tertullianique locis, intelligere poteſt. Nam & Minutius tradit auditos eſſe Paganos qui dicerent Chriſtianos *caput aſini conſecratum venerari*; & Tertullianus ſcribit quoſdam eorum *ſomniaſſe caput aſininum Deum noſtrorum fuiſſe*. Hinc licebit ex Bellarminiana Dialectica bene valideque argumentari, *ex objectione conſtare aſini caput aliquo modo honoratum fuiſſe à Chriſtianis; nunquam enim Gentilibus in mentem venturum fuiſſe, vt noſtris obiicerent adorationem aſinini capitis, niſi vidiſſent primis illis, & ſanctiſſimis Chriſtianis aſininum caput ſumma venerationi fuiſſe.* Ita ex Bellarminianæ ratiocinationis legibus, nō *crucis* tantum, ſed & *aſinini capitis* cultores; non tantum *cruciarij*, ſed etiam (vt Tertullianus ibidem † loquitur) *aſinarij* fuerunt. Paganorum alij eodem ibidem teſte Minutio, *ferebant*

Tertull. Apol. c.16.p.17.B.

Bell. de imag. l.2.c.12. §.Tertullianus.

Minut. Octav. p.22.

Tert. Apol. c. 16. init.

† *p. 17. B.*

CAPVT V.

bant Chriſtianos ipſius antiſtitis ac ſacerdotis colere genitalia, & quaſi parentis ſui adorare naturam. Hinc quoque promptum erit, Bellarminiano quidem exemplo, conſtituere *primis illis & ſanctiſſimis Chriſtianis ſacerdotum ſuorum genitalia ſummæ venerationi fuiſſe.* Tertullianus verò alios ex Paganis *credidiſſe*, auctor eſt, *Solem eſſe Deum noſtrum.* Bellarminus, vt liquet, *primis illis & ſanctiſſimis Chriſtianis ſummæ venerationi* fuiſſe, tã ex hoc loco *Solem*, probabit, quã ex illo altero, crucem. Ita Bellarminus, ſi quod de cruce concluſit, ſtare vult, neceſſario & hoc quoque admittere debet, Chriſtianos illos Minutianos & Tertullianeos vt *crucis*; ita & aſinini capitis, & ſacerdotalium genitalium, & ſolis fuiſſe *religioſos*: eoſque adeo vt crucem, ſic & iſta omnia coluiſſe atque adoraviſſe. Sin hæc verè coluiſſe Chriſtianos, id ex Paganorum objectione ſequi neget (quod eum negaturum fuiſſe non dubitamus) profectò ipſum quoque confiteri neceſſe eſt; non ex eo, quod noſtris cultum crucis Minutius & Tertullianus à Paganis objectum fuiſſe teſtantur, conſequens eſſe, vt crucem ab iis vere cultam & adoratam, vel *ſummæ* (quod ipſe ait) *venerationi* fuiſſe confiteamur. Objectorum reo criminum fides ex obiicientis (vt ſic dicam) *qualitate*, ac dignitate pendet: vbi nihil apparet, quo firmentur, præter nudam obiicientis affirmationem. Si, qui obiicit, idem vir gravis, & verax eſt, & in quem mendacij ſuſpicio vel ob morum ſanctitatem, vel ob vitæ inſtitutum, vel ob muneris denique ac profeſſionis dignitatem, vix cadat, vim nuda ejus objectio eã habebit, vt non temerè, neq; abſq; aliqua veriſimili ratione id à tali viro obiici putemus; ne eã quidẽ habebit, vt id planè verũ eſſe certo atq; indubitato ſtatuamus. Nã viros etiam graves, etiã veraces, etiã ſanctiſſimos ſua ſæpe opinione falli, & vana rerũ ſpecie deceptos interdum ea vera putare, quæ ſunt tamen falſiſſima, notius eſt, quam vt à quoquam negari poſſit. Itaque vt ſciamus quantum ſit iſti de cruce à Chriſtianis adorata objectioni tribuendum: in primis erat expendendum qui qualeſque ii fuerint, qui hoc noſtris objeciſſe dicuntur. Ii autem primo Pagani erant, noſtrorum non modo adverſarij, ſed etiam inimici, hoſtes, inſectatores, perſecutoreſque infeſtiſſimi; Qui autem ita in aliquem ſunt affecti, quam iis tuto credi poſſit ac debeat inimicum criminantibus, omnes vident. Fateor tamen quoſdam eſſe homines tantã gravitate ac fide, vt ne de hoſte quidem prudentes mentiri ſuſtineant, & hujus generis fuiſſe non modo aliquos, ſed etiam bene multos apud ipſos Paganos facile concedo. Quin & illud præterea vltro quoque confiteor, qui ſunt aliquo inter ſuos ſive ob dignitatem, ſive ob eruditionem loco ac numero, eos quamquam alioqui animo pravo, & à mendaciis ac fraudibus per ſe haudquaquam alieno ſint, ſæpe tamen alicujus metu infamiæ ab impingendis, etiam inimico, etiam hoſti, criminibus liquido falſis, deterreri, ne ſi ficta comperiantur, ipſi pro vanis & mendacibus habeantur;

Minut. Octav. p. 22.

Tertull. Apol. c. 16. p. 17. C.

tur; eoque tandem cum aliquo ſuæ exiſtimationis detrimento erubeſcere cogantur. Quo fit, vt multi falſa fictaque crimina in eos, quos oderunt, occultè quidem, coniicere, ſpargere, ac diſſeminare non vereantur, qui eadem tamen palam & aperte edere, eorumque ſe auctores profiteri, & nomen ac perſonam vel apud Prætorem vel etiam apud viros graves accuſantium ſuſcipere nolint. Itaque ſi quem conſtaret ævi Minutiani virum, tametſi religione Paganum, gravem tamen & veracem, certe honeſtum, ac eum denique fuiſſe cui abſque aliquo vel capitis vel bonorum, vel famæ ſaltem diſcrimine mentiri non licuerit: eundemque liqueret de adorata à Chriſtianis cruce ipſum, vel teſtimonium dixiſſe, vel accuſationem intendiſſe, me quidem fateor hominis auctoritas hactenus moveret, vt rem veriſimilem eſſe putarem, imo etiam veram ducerem, ſi modo nulla alia in contrariam partem argumenta adeſſent, quæ dubitare cogerent, & ſuſpicari vel teſtis vel accuſatoris judicium aut aliqua veri ſpecie deluſum, animi-ve ſui ſtudio, aut irâ aut odio, vel aliena denique ſive fraude, ſive auctoritate circumventum labaiſſe. Nunc vero in propoſita objectione omnia ſe plane aliter habent. Nam vt ab hoc vltimo incipiam, primo apud ipſos primi ævi Chriſtianos, qui *crucem adoraſſe* dicuntur, nihil apparet, quod objectioni faveat, nullus vſquam ne leviſſimus quidem crucis cultus, nulla ejus ſignis delata religio, quod nuper demonſtravimus: ac ne vlla quidem crucis ſimulacra vſpiam apud eos in ædibus, in cœmeteriis, in Eccleſiis, locis temporibuſque ſacris occurrunt; quod mox demonſtrabimus. Sed & plurima apud eos offendimus ab hac crucis religione aliena; vt conſtantiſſimam de vno Deo colendo, de nulla re materiali aut manufacta adoranda profeſſionem, & alia non pauca quæ ſupra ſumus exſequuti; ac denique diſertiſſimam rei objectæ inficiationem, qua laudatiſſimus ac probatiſſimus antiqui Chriſtianiſmi defenſor ac patronus Octavius hanc objectionem eo ipſo, in quo extat, loco ſtatim eliſit, abſolutiſſime negans ſe ſuoſque *cruces colere*. Cum ergo indignum ſit homini Chriſtiano ſua ſacra defendenti, minus haberi fidei, quam Pagano eadem accuſanti, atque oppugnanti; apparet hanc objectionem etiam ſi certus graviſque eſſet, & cætera idoneus ejus in noſtros auctor; haud quaquam tamen ſatis momenti habituram ad id demonſtrandum, de quo quæritur; omninoque judicaturos æquos ac ſapientes rerum æſtimatores qui de Chriſtianis rem ab eorum & moribus & inſtitutis, & dogmatis alienam & diſertæ ipſorum de hac cauſa profeſſioni repugnantem dixiſſet, eum vtcumque alias gravem & veracem, hic aliquid humani eſſe paſſum, ſtudioque, vel odio, vel certè errore aliquo abreptum fuiſſe, vt incomperta pro veris certiſque affirmaret. Iam vero quanto minor eſt hujus objectionis habenda ratio, quam videmus non à viro aliquo gravi, aut vel dignitate vel eruditione ornato profectam, imo ne vllius quidem auctoris

Caput V.

BBbbb certi

CAPVT V. certi eſſe: qui eam aſſerat, qui vel teſtetur ſe crucem à Chriſtianis adorari vidiſſe ſuis oculis, vel qui iis ſuo nomine ac periculo id criminis intentet. Non enim Cæcilius, quem vel Minutij, Octaviique amicitia honeſtum virum fuiſſe arguit, de hoc *vt affirmator, teſtimo-*
Min. in Octav. p.92. *nium fecit, ſed convicium vt orator aſperſit*, vt de eo hîc vſurpem, quod Octavius paulò poſt de Frontone in ſimili argumento dixit. Res clara eſt. Hæc enim quæ perhibet, Cæcilius à Chriſtianis coli, ea omnia non ſua vel certi alicujus auctoris fide, ſed ex vulgari fama tradit. Se ne aliquid hujuſmodi vidiſſe, vel ab aliquo teſte certo & idoneo, accepiſſe dicit? Nihil minus. Sermonem hunc ingrediens primum totum ſtatim à vaga & incerta fama ſuſpendit, neque ejus veritatem aliunde quàm à famæ auctoritate commendat. *Nec (in-*
Id. ibid p.12. *quit) de ipſis, niſi ſubſiſteret veritas, maxima & varia & honore præfanda ſagax fama loqueretur.* Quo quid vanius, aut magis ridiculum dici poteſt? quaſi famam non ipſi Ethnicorum vates tam *ficti pravique tenacem, quam veri nuntiam eſſe* cecinerint? eoque ipſo præſcripſerint accurate explorandam atque probandam, antequam ſequen-
Ibid. dam? Tum ipſam fabulam ordiens, *Audio eos (inquit) turpiſſimæ pecudis caput aſini conſecratum, inepta neſcio qua perſuaſione venerari.* Nonne bellum acroama? Et veluti aſtruens abſurdum & incredibilem rumorem, noſtris illudit, *dignam* addens & *natam eorum religionem talibus moribus*; id eſt aſinina patientia, atque hebetudine: vt optimè interpretatur Rigaltius. Reliquas fabulas eodem ſtilo per-
Ibid. texit. *Alij eos ferunt* (inquit) *ipſius antiſtitis ac ſacerdotis colere genitalia*, ſed ipſe negat ſe his fidem habuiſſe, dum ſtatim, *Neſcio* inquit) *an falſa; certè occultis ac nocturnis ſacris appoſita ſuſpicio.* Vides vt *ſuſpicionem* dicat, vt in medio relinquat vera ne an falſa ſit; inaniquè occultorum ſacrorum colore fucet; quaſi noſtros noctu ad ſacra convenire aliud coëgerit, quam ipſa Paganorum iniquitas, interdiu colligi prohibentium. Sequitur demum tertia de crucis religione fabula; quam ne ipſe quidem honeſtiore verbo donandam putavit, *Qui crucis ligna feralia eorum cærimonias fabulatur congruentia perditis ſceleratiſque tribuit altaria.* Qui hunc cultum noſtris tribuebant, eos profectò non dixiſſet *fabulari*, ſi vel eos noſſet viros graves & ſapientes, vel ipſe quæ jactabant ea vera certaque crederet. Sed *fabulari* dixit; veluti de vanis craſſiſque & ineruditis de ima plebis fæce gerronibus, quibus omnia temere nulla ratione, nullo judicio, nullo veri falſique diſcrimine fundere atque effutire mos eſt. Hi ſcilicet, ſunt incerti de adorata à noſtris cruce rumoris auctores, digni tam ſtultæ, tamque inficetæ fabulæ parentes. Quo factum eſt, vt Octavius longa refutatione indignos putaverit, hunc iſtorum de cruce ſermonem duobus non amplius verbis refellens, & quod nulla ratione affirmabant nullius pretij ſycophantæ, id ſimpliciter negare ſatis habuerit; *Cruces etiam* (inquit) *nec colimus, nec optamus.* Neque

de his,

CAPVT V.

de his aliter Tertullianus, quorumdam Paganorum de nobis *ſomnia & ſuſpiciones* vocans, quoſdam putaſſe nos *crucis religioſos*; *alios ſolem credere Deum noſtrum*; omnia, vt de variis, vaniſque & incertis rumoribus. Neque certum cujuſquam ex iis calumniis quas memorat, auctorem aſſignat, niſi vltimæ de Onochoëte, quem ait *fuiſſe quemdam fruſtrandis beſtiis mercenarium noxium*; adeoque hominem nihili, cui & mentiri & verum dicere perinde erat. Eundem in opere ad Nationes hominem *perditiſſimum* vocat, *etiam ſuæ religionis deſertorem ſolo detrimento cutis Iudæum*, quo docet eum Iudaïſmi apoſtatam ad Gentiliſmum defeciſſe. Ergo omnis hic de noſtrorum cultu temerè apud quoſdam de Paganorum vulgo jactatus rumor nihil planè habet, quo crucem apud eos adoratam fuiſſe firmetur, non certum atque idoneum auctorem, non teſtem aliquem locupletem, vt nunc mittam quod nuper dixi, & ab ipſo illo, qui ejus meminit, Octavio luculentiſſimis verbis explodi fabulam hanc, & ab iis omnibus abludere quæ de Chriſtiana illius ævi religione ab ejus veris certiſque ſcriptoribus traduntur. Quo factum eſt, vt Celſus acerrimus Chriſtianiſmi adverſarius, idemque philoſophus, & quidem, vt nonnulli non abs re vt videtur, putant, idem cum illo Celſo, cui Lucianus ſuum Pſeudomantin inſcripſit, quemque *à ſapientia, & veritatis amore, & morum æquitate atque manſuetudine, totiuſque vitæ tranquillitate præ cæteris omnibus*, impius ſcilicet impium commendat, eo inquam factum eſt, vt hic Celſus crucis cultum Chriſtianis nuſquam objeciſſe reperiatur in eo adverſum noſtros libello, quem ab Origene egregie confutatum habemus, ſive quod inſulſam & inſubidam calumniam vir eruditus, & philoſophiam profeſſus, vt par erat, contempſerit, ſive quod ejus temporibus nondum exorta eſſet illa de noſtris fabula. Celſus enim ſub Hadriano, * diu ante Tertullianum & Minutiũ vixit. Vtcumque ſit, ejus quidem de hoc cultu ſilentium manifeſto argumento eſt, non fuiſſe à priſcis illis Chriſtianis adoratam crucem. Si enim jam tum adorata fuiſſet; qui Chriſti crucifixi cultum tam acriter, & tam ſæpe noſtris objectat (vt ſupra in alio argumento oſtendimus) cur is crucis cultum, qui multo abſurdior & tetrior videtur, ne ſemel quidem objeciſſet? Cur non æque ac Iulianus poſtea, qui & philoſophiam, ſed Platonicam profeſſus eſt, & contra nos quoq; ſcripſit, id telum in Chriſtianos intorſit? Verum enim eſt, quod hic Bellarminus ſcripſit, Iulianum Crucis cultum noſtris objeciſſe. Sed id noſtram ſententiam adeo non lædit, vt eam etiam magnopere cõfirmet, vt mihi quidem videtur. Quod vt demonſtrem, in primis deſcribenda ſunt ipſius Iuliani hac de re verba. *At vos* (inquit Chriſtianos appellans) *infœliciſſimi homines, cum adorare & colere nolitis ancile, quod penes nos ſervatur æternæ vrbis certiſſimum pignus cœlitus delapſum, & à magno Iove, aut Marte patre demiſſum, crucis lignum adoratis, ejuſque ſigna in fronte formatis, & veſtibulis ædium inſculpitis.*

Tertull. Apol. c.16.

Ibid. p 17. D.

Tertull. l. 1 ad Nation. c. 14. p. 55. C.

Lucian. in Pſeudomant. init. & fine.

** Origen. contr. Celſ. l. 1 p. 8.*

Iulian. apud Cyrill. Alex. l. 6. cõtr Iulian. T. 6. p. 194. C.

CAPVT V.

εἶτα ὦ δυστυχεῖς ἄνθρωποι, σωζομένου τοῦ παρ' ἡμῖν ὅπλου διοπετοῦς, ὃ κατέπεμψεν ὁ μέγας Ζεὺς, ἢ ὁ πατὴρ Ἄρης, ἐνέχυρον διδοὺς οὐ λόγον, ἔργον δὲ, ὅτι τῆς πόλεως ἡμῶν εἰς τὸ διηνεκὲς προασπιεῖ. προσκυνεῖν ἀφέντες καὶ σέβεσθαι, τὸ τοῦ σταυροῦ προσκυνεῖτε ξύλον, εἰκόνας αὐτοῦ σκιαγραφοῦντες ἐν τῷ μετώπῳ, καὶ πρὸ τῶν οἰκημάτων ἐγγράφοντες. Hæc Iulianus ad Chriſtianos ſui temporis, id eſt circa annum quarti ſeculi ſexageſimum ſecundum, quo expeditionem illam Parthicam ſuſcepit, in qua ſuum hoc adverſus noſtros opus teſte Hieronymo effudit. Iam nemo non videt quam hæc ejus de cruce objectio à Cæciliana annis ante Iulianum vt videtur pœne ducentis ſcripta, differat. Cæcilius neque ſe, neque vllum alium certum criminis quod obiicit teſtem auctoremve edit, tantum dicit quoſdam hæc quæ refert *fabulari*, quo ſignificat dubium hunc eſſe & incertum & falſo propiorem rumorem quem ipſe nolit præſtare. Iulianus veluti rem notam & compertam quam obiicit, ipſe noſtris ſuo nomine imputat; ejus adeo præſtandæ ac probandæ onus in ſe ſuſcipit, atque ita turpi in philoſopho, in Principe longe turpiſſimæ mendacij ac ſycophantiæ notæ ſe ipſum obiicit, niſi vera ſint quæ ſcribit. Huc accedit quod multa apud ipſos illius ævi Chriſtianos occurrunt quæ iis ferè congruunt, quæ à Iuliano obiiciuntur. Quod enim eos ait crucis ſignum in frontibus ſuis adumbraſſe, id ex auctoribus & illius & ſuperioris etiam ſæculi Chriſtianis abunde ita confirmatur, vt de eo nemo dubitet. Quod addit eoſdem *in ædium veſtibulis crucis imagines inſculpſiſſe*, vel *depinxiſſe*; id ejus memoriæ Chriſtianis jam in vſu fuiſſe ſuadent quæ à Chryſoſtomo annis poſt Iuliani mortem paucis, forte non pluribus quam viginti, ſcripta tum in Homiliarum in Matthæum opere, tum in libro de Chriſti divinitate legimus. Quod ait poſtremo eos *adoraſſe lignum crucis* id Paulini verba non abhorrere à vero oſtendunt, qui annis poſt Iulianum non totis quadraginta tradit Epiſcopum Hieroſolymitanum *crucem quotannis cum Paſcha Domini agitur, adorandam populo principem ipſum venerantium promere*. Chriſtianorum in crucis lignum honores nondum eos tunc fuiſſe confiteor, qui nunc ſunt Latinorum. Fuiſſe tamen, & quidem quos Iulianus ex vſitato apud Paganos ſuos ſermone *adorandi* vocabulo ſignificare poſſet, & hic Paulini, & alij aliorum Iuliani pauxillo recentiorum loci oſtendunt. Tertio denique illud etiam eſt ſane non modicum inter Cæcilij & Iuliani objectiones diſcrimen, quod qui contra illam noſtros defendit Octavius, id, quod ſibi, ſuiſque obiiciebatur, rotundè ac diſertè inficiatur, *Nos etiam* (inquit) *cruces nec colimus, nec optamus*; qui verò ad Iulianæam criminationem poſt a. D. 430 reſpondit Cyrillus Alexandrinus, quod de *cruce adorata* objectum erat, non concedit quidem neque fatetur, ſed neque diſerte inficiatur, aut negat, Tantum diverſas vtilitates colligit, quas ex Dominicæ crucis meditatione percipi poſſe contendit. Hæc vtriuſque objectionis inſtituta à nobis collatio ſatis oſtendit, quam non

Chryſoſt. hom. 55. in Matth. (Græc. 54. p. 487. A. & lib. quod Chriſt. ſit Deus c. 9. T. 5. p. 741. D. Paulin. epiſt. 11. p. 138.

idem fuerit crucis apud noſtros vtroque tempore negotium; neque ſi CAPVT V.
Iuliani criminatio vincit crucem in magna veneratione apud Chriſtianos fuiſſe anno quarti ſæculi Chriſtiani 63. eo conſequens eſſe vt Paganorum quos Minutius & Tertullianus memorant, calumnia probet eam in pari apud eos veneratione fuiſſe ſecundo quoque ſæculo præcipiti, ac tertio ineunte, quo tempore & Minutius & Tertullianus & floruiſſe & ſcripſiſſe videntur. Atqui ſi eadem fuiſſet primorum, quæ ſequentium ſæculorum fuit, ratio; nihil cauſę dici poteſt, cur non Chriſtianis, vt quarto ſæculo Iulianus; ita & ſecundo Celſus, objecerit crucis adorationem; cúrve qui eam Minutiano & Tertullianeo ævo objecit, Cæcilius non veluti rem certam, & ſibi notam, vt Iulianus, ſed velut dubiam, & ſibi ex incertis tantum quorumdam, vt loquitur, fabulantium rumoribus auditam protulerit. Sed hæc ad priorem Bellarmini objectionem ſatis ſunt. Alteram ita ipſe proponit; *Tertullianus* (inquit) *in Apologetico c. 16. dicit Chriſtianos appellatos religioſos crucis, neque ipſe hoc negat eſſe verum.* Hic primum Bellarmini diligentiam deſidero. Sic enim loquitur, ac ſi Tertullianus noſtros à Paganis vulgo & in communi ſermone *crucis religioſos* dictos vocitatoſque fuiſſe ſcriberet: Atqui nihil hujuſmodi ſignificat quoſdam Paganorum fuiſſe non qui illo nomine Chriſtianos appellarent, ſed qui *putarent* eos *crucis eſſe religioſos*; id eſt, vt liquet, *religioſè* crucem coluiſſe. Hæc enim ſunt ejus, quæ Bellarminus intelligit verba; *Sed & qui* (Paganus ſcilicet) *crucis nos religioſos putat, conſecraneus erit noſter, cum lignum aliquod propitiatur.* Hæc ſi Bellarminus attentè ac diligenter, vt par erat, legiſſet, non ſcripſiſſet Tertullianum illo loco dicere *Chriſtianos appellatos religioſos crucis.* Par hic quoque ejus fuit in loco Minutij indiligentia, cujus verba hæc recitat & deſcribit. *Nos crucem neque adoramus neque optamus*; cum tamen Minutius non ita, ſed paulò aliter ſcripſerit, nempe vt nos non ſemel exhibuimus. *Cruces etiam nec colimus, nec optamus.* Hæc, licet exigui ad rem momenti, oſtendunt Bellarminum levi brachio, magnaque ſecuritate, ne dicam oſcitantia, in his vt etiam in aliis ſolet, tractandis controverſiis eſſe verſatum. Sed non ſolam hic ejus diligentiam deſidero; fidem ac verecundiam, quod longe majus eſt, quodque ad rem noſtram propriè pertinet, maximè requiro, in iis quæ addit; Tertullianum ſcilicet *non negare verum eſſe* illud quod de noſtris putabant quidam Paganorum, *eos crucis religioſos fuiſſe.* Quid enim falſiùs aut impudentiùs ſcribi potuit? *Non negat* (inquit) Tertullianus *verum eſſe Chriſtianos eſſe religioſos crucis.* Si ita eſt, inquam, ergo Tertullianus *veram* eſſe exiſtimabat hanc quorumdam Paganorum de noſtris *opinionem.* Ejus enim *veram* eſſe opinionem neceſſe eſt, qui id putat, quod *verum* eſt: vt ſi Tertullianus non *negaverit*, ſed agnoverit *verum* eſſe, *crucis religioſos eſſe Chriſtianos*; omnino hanc eorum de noſtris *opinionem*, *veram* quoque illum cenſuiſſe neceſſe ſit.

Bell. de Imag. SS. l. 2. c. 12. §. Tertullianus.

CAPVT V.

Atqui hanc illorum de noſtris *opinionem*, quod *noſtri eſſent crucis religioſi*, ipſe eodem illo in loco *falſam* eſſe diſertè dicit; ergo noſtros, quod illi *putabant, crucis eſſe religioſos*, falſum eſſe cenſuit: adeoque id ipſum *verum eſſe negavit*; plane contra quam concluſit Bellarminus. Quod enim quis *falſum* eſſe & cenſet & dicit, id *verum* eſſe eadem opera *negat*; & quidem *maximè* neceſſario; quod nihil ſit magis impoſſibile, quam vt vnum idemque aliquid & falſum ſit & verum. Clara omnia & neceſſaria. Quid ergo (inquies) *Falſam* ne dixit Tertullianus Gentilium *opinionem noſtros crucis eſſe religioſos putantium*? Dixit, inquam, & *ſcripſit*; & quidem eo ipſo in loco, in quo bonus Bellarminus eum non negaſſe dicit, verum fuiſſe hoc quod Ethnici de noſtris *putabant*. Tertullianus enim cum Gentilium numina & ſacra à Chriſtianis minime coli confeſſus eſſet, demonſtraſſetque ea merito non coli, quod ea hujuſmodi eſſent quæ nullam religionem aut venerationem mererentur, quæ ſcilicet vana eſſent, quædam etiã turpia, impia, omnia certè humana, & à divinitatis titulo & majeſtate aliena: hæc inquam fusè in ſuperioribus hactenus exſecutus hoc demum loco ſe accingit ad demonſtrandum quid colerent, qui illa Gentilium contemnebant, atque averſabantur Chriſtiani. *Quid ergo* (inquit) *colunt, qui talia non colunt?* Atque hic primum quod falſa numina non colerent, eo præjudicat verum illos numen colere. *Iam quidem* (inquit) *intelligi ſubjacet veritatis eſſe cultores, qui mendacij non ſint, nec errare amplius in eo, in quo erraſſe ſe recognoſcendo ceſſaverint.* Sed quia Ethnici varia de eo quod colerent Chriſtiani ſpargebant, noſter antequam dicat, quid ii revera colant, interpoſito hoc capite Gentilium ea de re ſuſpiciones atque hariolationes colligit: Neque eas operosè refellit quod vaniſſimæ eſſent ac ſtultiſſimæ, & ab omni veri ſpecie alienæ, ſed in Paganos, à quibus jactabantur, duntaxat repercutit: ſigillatim oſtendens eos hæc ipſa, quæ à Chriſtianis coli dictitabant vel his etiam deteriora colere: vt etiamſi hæc noſtri revera coluiſſent, ne ſic quidem cauſa idonea vlla futura fuerit, cur in eos Pagani ſævirent, atque baccharentur; quos hi ſi vera eſſent quæ de illis ſpargebant, pro *conſectraneis* potius ſuis, id eſt pro eorumdem numinum religioſis agnoſcere atque amplecti deberent. Hic omnino eſt Tertullianeæ in hoc loco diſputationis ordo, hæc mens, hoc conſilium, quod ipſe breviter quidem more ſuo, ſed clarè tamen atque perſpicuè ſignificat his paucis verbis, quæ illis continenter ſubiicit, quæ modo recitabamus; *Hoc prius capite; & omnem hinc Sacramenti noſtri ordinem haurite, repercuſſis ante tamen opinionibus falſis.* Iubet eos primum ex ſuperioribus id, quod dixerat, capere, & præjudicare, *veritatis* ſcilicet *eſſe cultores, qui mendacij non ſint*: tum omnem myſteriorum noſtrorum notitiam percipere, id eſt quid apud nos colatur, & quo modo, quod hæc autem eos hinc haurire, & percipere jubet, eo ipſo denuntiat ſe ea deinceps traditurum; quod & luculentiſſimè præſtitit

Tertull. Apol. c.15. extr.

ſtitit

ſtitit capite decimo ſeptimo: vbi *omnem ſacramenti noſtri ordinem*, CAPVT V.
hoc eſt omnem Chriſtianorũ theologiam & noſtram *divitatis* (vt ipſe in alio argumento loquitur) *diſpoſitionem* egregiè & facunde exſequitur; docens quod colimus illum VNVM Deum eſſe, qui hoc vniverſum creavit. Id. Ibid. c. 12.
Denique ſe, antequam hoc aperiat, atque patefaciat, Gentilium de eo, quod à nobis coleretur, ſuſpiciones in ipſos rejecturum atque (vt nunc in ſcholis loquuntur) *retorturum*, his vltimis verbis ſignificat, *repercuſſis ante tamen opinionibus falſis*. Ita breviter præfatus, & ſequentium capitum argumentum omne paucis cõplexus, rem aggreditur, & hoc primum capite (quod eſt XVI.) illas Paganorum de noſtrorum cultu opiniones, vt erat pollicitus, recenſet quatuor, ac ſigillatim in Paganos repercutit fortiter vt ſolet, atque eleganter, primam de aſini capite à noſtris culto: alteram de cruce; tertiam de Sole; quartam denique de Onochoëte; quibus peractis illam deinceps à ſe quoque promiſſam *religionis noſtræ* de qua dixi, *demonſtrationem*, capite ſequenti mirabiliter exhibet. Iam illas Paganorum de noſtrorum cultu, quos ſe *repercuſſurum* dicit, *opiniones*, FALSAS (vt omnes vident) vocat diſertiſſimè; Quas vero *falſas* dicit, *veras* vtique abnuit; adeoque quod ex ponebant, *falſum* fuiſſe liquido pronuntiat, *verum* fuiſſe, clariſſime negat. Atqui illarum de noſtro cultu *opinionum*, quas Paganorum nonnulli edebant & ſpargebãt in vulgus, quaſque Tertullianus in eos *repercutit*, vna hæc eſt ordine & numero ſecunda, *Chriſtianos fuiſſe crucis religioſos*. Ergo hanc quoque Tertullianus *falſam* dicit; verumque adeo id eſſe negat, quod ea vel ſtatuebat vel ſuſpicabatur noſtros fuiſſe *crucis religioſos*. Ipſe quo opinionem hanc edit, rerum ordo, oſtendit, hoc Tertulliani fuiſſe de ea re judicium. Præfatus enim ſe antequam cultus noſtri veritatem demonſtret, *falſas opiniones repercuſſurum*, ſtatim eorum ſomnium, qui caput aſini à noſtris coli ferebant, edit, occaſione obiter indicata, vnde id monſtri ortum eſſet, & mox repercutit; *Vos tamen non negabitis, & jumenta omnia & totos cantherios cum ſua Epona coli à vobis.* Ibid. p. 17. B.
Nos forſitan improbamur, quod inter cultores omnium pecudum beſtiarumque aſinarij tantum ſumus. Huic opinioni eam quæ de crucis religione erat, vno eodemque ſpiritu continuans, ſic quoque in Paganos retorquet. *Sed & qui crucis nos religioſos putat, conſecraneus erit noſter.* Particula *ET*, hujus cum ſuperiore orationis fibula, oſtendit hunc, qui nobis crucis religionem imputat, ejuſdem fuiſſe Tertulliano cenſus cum eo, qui aſini caput objectabat; planè ac ſi diceret. *Conſecraneus verò noſter non is modo erit, qui aſini caput à nobis coli ſomniat; ſed is quoque qui crucem à nobis adorari ſibi fingit.* Nemo autem dubitat, quin quorumdam Ethnicorum de adorato à noſtris aſini capite *opinio falſa* & fuerit, & à Tertulliano, judicata ſit: Neque ergo dubitandum eſt, quin hæc altera quorumdam de noſtrorum in crucem religione opinio, falſa quoque ipſa & fuerit, & à Tertulliano judicata

CAPVT V. cata ſit. Idem & ex tertia de *Sole à noſtris adorato ſuſpicione* colligitur, quam Tertullianus quoque deinceps in Paganos repercutit, Solis cultores manifeſtos. Denique & quartæ de Onochoëte *opinionis* eadem ratio eſt; quam vt tres ſuperiores, in Ethnicos quoque eo retorquet, quod *biformia* & ipſi inſtar *Onochoëtis, numina adorarent,* qui ſcilicet *canino & leonino capite commiſſos, & de capro & de ariete cornutos, & à lumbis hircos, & à cruribus ſerpentes, & plantâ, vel tergo alites Deos recepiſſent.* Quibus verbis Anubim, & Apim, & Ammonem, & Pana, cum ſuis Satyris, & Mercurium, & alia ejuſdem cenſus numina à Paganis culta ſignificat. Hæc rerum tam arctè inter ſe connexarum ſeries invictè oſtendit, eas omnes vnius ejuſdem cenſus eſſe: id eſt *opiniones* illas *falſas*, quas ſe noſter *repercuſſurum* dixerat. Secundam nulla vi magis quam tres alias hinc avellere potes. Quid verò inter *falſas* faceret? Si veram hanc fuiſſe contendis; concede ergo & eos verum dixiſſe, qui vel Solem, vel aſini caput, vel Onochoëten à noſtris cultum, vel putabant, vel fingebant. Sin hos vera locutos negas, tibi neceſſario confitendum eſt, & hos mendaces fuiſſe, qui de crucis religione noſtros pulſabant. Eat nunc Bellarminus, & Tertullianum dicat, quod hi putabant, id verum eſſe non negaſſe. Sed præter ipſius Tertulliani teſtimonium, quas hic repercutit *opiniones,* eas *falſas* eſſe disertè affirmantis, prætereque evidentem totius loci genium atque ordinem; idem quoq; apertè vincit ſingularis quædam auctoris vox; qui poſt repercuſſam de cruce ſecundam opinionem, tertiam de Sole ſic orditur. *Alij planè humanius & veriſimilius Solem credunt Deum noſtrum.* Atqui *humanius* non erat Solem à noſtris coli putare, quàm crucem; ſi verum eſt crucem ab iis cultam fuiſſe. Quod enim re vera colis, id à te coli exiſtimare & dicere, nulla injuria, plane nulla inhumanitas eſt; quod autem non colis, id à te coli putare & vulgare, hoc vero demum inhumanum & contumelioſum eſt; niſi putemus aliquem calumniari rem eſſe humanam; vera de eo dicere, inhumanam. Quid, quod Tertullianus non modo *humanius,* ſed etiam *veriſimilius* credi dicit *Solem à noſtris coli,* quam *crucem*? Quomodo, ſi crucem coli *verum* erat; *Solem coli falſum?* Qui ergo Solem à noſtris coli & *humanius* & *veriſimilius credi* dicit, quam crucem; eum neceſſe eſt vtrumque æque à noſtris vel coli, vel non coli ſciviſſe & ſtatuiſſe. A noſtris autem coli Solem, à quo colendo plurimum ſemper abhorruerunt, neque ſcire, neque ſtatuere potuiſſe Tertullianum omnes confitentur. Ergo fatendum eſſe ſciviſſe eum & ſtatuiſſe neutrum à noſtris coli, neque crucem, inquam, neque Solem; imo à crucis, quam à Solis cultu etiam fuiſſe magis alienos; ſic, vt eſſet & humanitati & ipſi quoque veritati propius exiſtimare eos Solem, quam crucem colere. Vnde poſtremo illud clariſſimè exiſtit in illorum Chriſtianorum moribus, inſtitutis, & religione, pauciora fuiſſe, quæ cultæ crucis, quam quæ culti ſolis, vel ſpeciem aliquam præ ſe ferrent:

[margin notes: *Ibid. C.* (beside "lis cultores"); *Ibid. D.* (beside "cornutos"); *Ibid. C.* (beside "tertiam de Sole")]

ferrent: quod conſiſtere non poteſt, ſi crucem vere colebant, & in magna veneratione habebant, & iis denique honoribus afficiebant, quibus eam hodie à Latinis affici videmus. Ab his quidem certè, qui vel Solem coli, vel crucem non coli putet, aut ſuſpicetur, neminem ſcio, qui vel leviter eos norit; quo patet non modo eſſe veriſimilius crucem ab iis coli, quam Solem; ſed etiam crucem ab iis coli veriſimillimum eſſe (vt eſt ſane veriſimillimum imò & veriſſimum) Solem verò coli, ne veriſimile quidem eſſe (neque ſane eſt, vt omnes fatentur.) Itaque ſi & crucis & ſolis eadem apud veteres illos Chriſtianos fuiſſet ratio, quæ nunc apud Latinos eſt, apparet multo futurum fuiſſe veriſimilius crucem ab iis coli quam ſolem. Atqui Tertullianus, optimus & peritiſſimus priſci temporis arbiter, planè contra pronuntiat *veriſimilius* fuiſſe Solem à noſtris *coli* quam *crucem*; & certum eſt Solem eos non magis tum coluiſſe, quam nunc Latinos. Ex quibus non modo illud quod nos contendimus ſequitur, nimirum Tertullianei temporis Chriſtianos crucem nequaquam vt colunt hodie Latini coluiſſe, ſed etiam aliud aliquanto majus; nempe etiamſi illi neque crucem, neque Solem colerent, eorum tamen religioſos ritus atque actus à crucis magis, quam à Solis cultu abhorruiſſe; quod quam procul ſit ab hodiernis Latinorum moribus, omnes vident. Ita refutata eſt Bellarmini calumnia Tertullianum ſcribentis non negaſſe Chriſtianos eſſe *crucis religioſos*. Sed tamen, inquis, Tertullianus noſtros fuiſſe crucis religioſos admittere videtur, quo loco ita ſcribit; *Sed & qui crucis nos religioſos putat, conſecraneus erit noſter cum lignum aliquod propiciatur.* Imo vero, inquam, hoc quod ille Paganus putabat verum fuiſſe nequaquam concedit, *falſum* fuiſſe ſupra præſcripſit, dum Paganorum quas repercuſſit opiniones, & hanc adeo earum vnam, *falſas* fuiſſe diſertè dixit; ſed iſtum qui de noſtris ita ſentiebat, vt crucem ab iis coli putaret, neceſſario conſiteri debuiſſe objecit, ſe noſtrorum eſſe conſecraneum; qui nimirum crucem, quam à noſtris coli volebat, ipſe quoque in Paganicis ſuis ſacris coleret; quod hinc fuſe demonſtrat Tertullianus; adductis in medium multis ſimulacris, quæ crucis in ſpeciem efficta religioſiſſime ab Ethnicis colebantur, *vt Pallas Attica, & Ceres Pharia* & Victoriæ in tropæis, & ſigna à militibus apud caſtra & exercitus adorari ſolita. Hunc eſſe Tertullianeæ orationis ſenſum & ipſa & res quoque vincit. Orationis inquam, ipſius forma id requirit. Nam ſi verum erat crucem coluiſſe Chriſtianos, ſimpliciter quoque verum erat omnes Paganos eorum eſſe conſecraneos; quos ſcilicet omnes crucem in illis ſignis veneratos fuiſſe conſtat, non quoſdam tantum. Atqui Tertullianus non omnes abſolutè Paganos noſtrorum conſecraneos fuiſſe dicit; quod omnino dicendum erat, ſi crucem vt Paganos, ita & Chriſtianos colere verum fuiſſet; Hunc tantum *qui putat noſtros crucis religioſos fuiſſe, conſecraneum noſtrum* eſſe dicit; imo ne *eſſe* quidem, ſed

CAPVT V. *fore* dicit; *conſecraneus*, inquit, *ERIT noſter*, quo aperte ſignificat iſtum non ex rei veritate, ſed ex ſua tantum opinione Chriſtianorum futurum conſecraneum; qui cum cruces ipſe colat ſcilicet, eas ab illis etiam coli ſibi perſuadet. Iam ſi cruces vtrique & Pagani & Chriſtiani re vera colebant, apparet vtroſque fuiſſe hoc quo Tertullianus loquitur ſenſu, *conſecraneos*: quicquid de noſtrorum cultu aliqui Paganorum ſenſerint. Nihil enim rei ingenium immutat hominum de ea judicium. Sive ergo inter Paganos aliqui, ſive nulli fuiſſent, qui putarent noſtros eſſe crucis religioſos, ij nihilominus Paganorum conſecranei erant, ſi crucis religioſi re vera erant. Nihil ad hanc vtrorumque conformitatem facit quorumdam de Paganis exiſtimatio; fruſtraque & ſtultè à Tertulliano hoc loco adfertur; *Qui crucis* (inquit) *nos religioſos putat, conſecraneus erit noſter.* Quid inquam, qui eos non putabat crucis religioſos, an ille idcirco Chriſtianorum conſecraneus non erat? Atqui fuiſſe tam qui non putabat, quam qui putabat, eorum conſecraneum patet; ſi ſanè Chriſtiani re vera erant crucis religioſi. Pagani enim, vt hic nos docet Tertullianus, *crucis erant religioſi.* Si ergo Chriſtiani (quod nunc Latini volunt) ipſi quoque crucis religioſi erant: ſole clarius eſt neminem tum Paganum fuiſſe qui non eſſet hoc Tertullianeo ſenſu, Chriſtianorum *conſecraneus.* At Tertullianus non omnem Paganum, ſed eum tantum ſuorum conſecraneum futurum dicit, qui putet eos crucis religioſos eſſe. Non ergo Chriſtiani tunc revera crucis religioſi. Sed & res ipſa demonſtrat non hoc concedere Tertullianum, quod Paganus *putabat.* Nam tota hæc ejus quæ decimo ſexto capite habetur, diſputatio ea tantum in Paganos retorquet ac repercutit, quæ illi de noſtrorum cultu vel opinabantur, vel ſuſpicabantur. At in eo Diſputationis genere nihil neceſſe eſt eum qui *repercutit*, quæ adverſarius objectat, ea pro veris ipſum habere & admittere. Satis eſt eum ita (vt vulgo loquimur) *ſupponere*, & tantiſper ea in opinione adverſarij ſinere, & ex iis non in rerum veritate, ſed in objectantis animo ita conſiſtentibus argumentari; idque ſe Tertullianus hoc loco facere ipſe diſertè docet vbi hæc eadem agit, in Opere *ad Nationes*, quod Apologetici rudimentum, & primam editionem fuiſſe clarum eſt. Iſtic enim cum ex ipſo Tacito probaſſet non fuiſſe à Iudæis cultum aſinini capitis ſimulacrum, ſe ipſum reprehendens, quod longius quā ferebat ſuum inſtitutum, provectus eſſet, *Sed quid ego defendam* (inquit) *profeſſus interim confeſſionem temporalem omnium in vobis ex pari transferendorum?* Clarè ſignificat ſe hoc loco non id agere, vt defendat quæ ipſe de his ſentiat, quæ Pagani de noſtrorum cultu opinabantur & objectabant; Sed vt ea in Paganos transferat ac repercutiat, ad tempus valere ſinens, interim dum veram de religionis ſuæ cultu ſententiam exponat. Plane ita ſe geſſit in Apologetico; vbi ſatis habens iſtarum opinionum vanitatem vno verbo denotare, cum

Id. l. 1. adv. Nation. c. 11. p. 58. B.

cas

eas initio ſtatim *falſas* vocat, de cætero in hoc vno laborat, vt demonſtret Paganos ea, quæ in noſtros conijciebant, ipſos factitare. Quæ cum ita ſe habeant, apparet ex eo, quod ſcribit, qui noſtros *crucis religioſos putat*, eorum fore *conſecraneum*, minime conſequens eſſe, vt à Chriſtianis cultam fuiſſe crucem aut *crediderit*, aut confeſſus ſit. Illud ergo ratum fixumque maneat, quod nos ex Minutio & Tertulliano attulimus vetuſtiſſimos ſecundi tertijque ſæculi Chriſtianos, *cruces non coluiſſe*, & ſi qui Paganus illos *crucis religioſos* fuiſſe *putavit*, hanc iſtius de illis *opinionem falſam fuiſſe*; adeoque *falſam* eſſe Latinorum qui de iis ſimilia hodie jactant, affirmationem; proque mera Paganicæ illius à Tertulliano & Minutio memoratæ calumniæ ſimili ſycophantia habendam. CAPVT VI.

CAPVT VI.

Refellitur fabula de Thomæ Apoſtoli apud Indos cruce à Ieſuitis ex Indiis diſſeminata. Eam famam pugnare cum vetuſtiſſima traditione tum de Indis à Bartholomæo ad fidem converſis, tum de Thoma in Parthia prædicante & Edeſſam poſt mortem tranſlato. Primos Thomææ apud Indos expeditionis auctores fuiſſe Manichæos. Mar-Thomas Syrus fabulæ Ieſuiticæ, vt videtur, & occaſio, & auctor, qui ſæculo nono vixit.

EX his videre eſt, quid de nuperis Latinorum narrationibus ſtatuendum ſit, tradentium à Thoma Apoſtolo invectam apud Indos Chriſtianam religionem, & per crucis ſignum patrata iſtic fuiſſe miracula, cultumque ab eodem lapideum quoddam crucis ſignum in tumulo haud procul ab vrbe aſſurgente conſtitutum, quo Apoſtolus ſecedere Dei propitiandi, & ſui recolligendi gratia conſueviſſet; idque ſignum Thomæ poſtea ſanguine, cum is à barbaris mactaretur, reſperſum fuiſſe; Sed & ipſam illam crucem ſanguineis guttis adhuc tinctam anno ſuperioris ſæculi XLVIII. Meliapore apud Malabares in India cis Gangem à Luſitanis repertam eſſe, characteribus vulgo ignotis inſcriptam, qui adhibitis de Brachmanum Indorum genere duobus doctiſſimis interpretibus intellecti ſint continere totum Thomæ martyrium; *atque illud nominatim, Chriſti famulum inter ejus crucis adorationem & oſcula cecidiſſe*. Hæc Latini, & alia ejuſmodi farinæ non pauca, quæ qui volet, apud rerum Indicarum auctores fuſius deſcripta videat. Quis vero ex iis, quæ ſunt à nobis ex veris certiſque primi Chriſtianiſmi monumentis firmata, non intelligit iſta ex incertis Indorum rumoribus collecta, vana eſſe & fabuloſa? Nam ſi Thomas lapideum crucis ſignum coluit; non eſt dubitandum, quin eadem fuerit & cæterorum Apoſtolorum, & primorum diſcipulorum

Maff. Indic. l. 2. p. 84. 85.

Oſor. Indic. l. 12. extr.

Maff. Indic. l. 12. p. 544.

Iarric. Indic. l. 2. c. 1. p. 493. 508.

CAPVT VI.

ac Chriſtianorum diſciplina: Non autem fuiſſe, ſatis ex ſuperioribus conſtat. Si enim fuiſſet, aliquod ejus rei extaret in illis vetuſtiſſimis litteris monumentum. Atqui nemo iſtic Apoſtolus, nemo Epiſcopus, nemo Martyr occurrit, in tam multis, quos nos ſupra exhibuimus, de eorum vita & morte narrationibus, qui crucis aliquod ex lapide vel ex alia materia ſignum adoraſſe, vel oſculatus eſſe dicatur. Solus iſte poſt annos mille & quingentos exoritur ex remotiſſimis Indorum littoribus à Latinis, præſertimque à Ieſuitis ornatus Thomas, qui crucem inter agendam animam adoret. Sed tametſi hoc vno ſatis ſuperque refellatur omnis hæc recens de Thomæ Apoſtolo fabula, Baronijque & Iarrici in ea pueriliter exſultantium vanitas; placet tamen & alia addere, quibus ipſa illius fabulæ fundamenta penitus convelluntur. Quod enim ea in primis præſtruit Thomam Apoſtolum in Indias veniſſe, & illic annos complures verſatum eſſe, quin & inde ad Sinas quoq; proceſſiſſe, & ex Sinis ſuos Indos denuo inviſiſſe, & apud eos poſtremo mortuum, ſepultumque fuiſſe; id inquam, totum non modo dubium & incertum eſt, ſed etiam clare liquidoque falſum. Non equidem vel neſcio, vel nego diu ante Ieſuitas natos, imo & ante Indias Luſitanorum navigationibus tentatas, magnam apud ipſos Indos de Thomæ apud eorum majores prædicatione famam fuiſſe. Nam præter Andream Corſalem, qui in opere a. D.1515. ſcripto Thomam Choromandele apud Malabares ſepultũ tradidit, & Ludovicum Bartemam ſive (vt vocat Iulius Scaliger) *Vartomannum*, qui circa eadem tempora ſcribens ejus corpus duodecim à Cholmendele milliaribus conditum eſſe prodidit, & Thomam Lopeſium, qui eadem circa a. D. 1502. affirmavit, & Odoardum Barboſam, qui ante a. D. 1519. Thomam Malepure, magna civitate, ſepultum dixit, & Eccleſiam ejus nomini ſacram celebravit, Marcus Paulus Venetus, qui ante annos 400. floruit, jamdudum quoque vulgaverat S. Thomam magna eſſe, apud omnes Indos in veneratione, & ab iis *Anaxiam* (id eſt virum Sanctum) vocari. *Famam* hanc apud Indos fuiſſe concedo: an vera fuerit, dubito. Neque vna eſt dubitandi ratio. Primo enim repugnat prima vetuſtiſſimorum Chriſtianorum traditio, eaque duplex; prior de Indis: altera de Thoma ipſo. Apoſtolicam quidem prædicationem apud Indos ſonuiſſe etiam vetuſtiſſimi ſecundi à Chriſto nato ſæculi mortales agnoſcebant; non tamen ex Thomæ, ſed ex Barrholomæi ore; vt eſt ab Euſebio in Hiſtoriis proditum, quo loco refert Pantænum Alexandrinæ Eccleſiæ eruditiſſimum ac celeberrimum Catecheten, Chriſtianiſmi propagandi zelo inflammatum Orientis gentibus prædicaſſe Evangelium, & ad Indos vſque penetraſſe, ibiq; quoſdam reperiſſe jam ante ſuum in illas terras adventum Chriſti cognitionem profitentes, qui *Evangelium Hebraïs litteris à Matthæo ſcriptum, ſibique à Bartholomao vno ex Apoſtolis, qui iſtic prædicaverat, relictum, & ad illa tempora ſervatum ferebant.* (Indiæ Chriſtianis)

Bar. a. D. 53. §. 113. 114. 115. Iarric. vb. ſupr. p. 53.

Andr. Corſal. lettera 1. T. 1. di Gios. Batt. Ramus. f. 195. A.

Ibid. Barthe. ma l. 3. c. 1. f. 1-4. B.

Ibid. f. 133. B.

Barbo. ibid. f. 319. A.

L. 3. c. 20. T. 2. del Ramus. f. 55.

Marc. Paul. Ven. l. 3. c. 20. incl. vol. 3. ad Rhamuſio cart. 55. A.

Euſeb. hiſt. l. 5. c. 10. f. 60. B.

nis) Βαρθολομαῖον τῶν ἀποστόλων ἕνα κηρύξαι, αὐτοῖς τε Ἑβραίων γράμμασι τὴν τοῦ Ματθαίου καταλεῖψαι γραφήν, ἣν καὶ σώζεσθαι εἰς τὸν δηλούμενον χρόνον. Hæc CAPUT VI. de Bartholomæo traditio, tum ob antiquitatem, tum ob auctorem cæteris omnibus præferri debet. Videtur enim ipſis jam Marci Auguſti temporibus a. D. 180. apud Græcos cœpiſſe, annis poſt ipſorum Apoſtolorum mortem non pluribus quam centum; & à Pantæno profecta eſſe auctore graviſſimo & certiſſimo; quippe qui, ab ipſis Indis cum ad eos veniſſet, rem præſens intellexiſſet, & relictum illis à Bartholomæo ſuæ prædicationis pignus, Evangelium Matthæi inſpexiſſet. Atque hic obiter obſervandum eſt, quid ſit inter veterem, & recentem famam diſcriminis. Pro Apoſtoli apud Indos monumento illa Evangelij codicem, hæc crucis ex lapide ſignum edit. Cur tam diverſè? Nimirum illa ex priſca, veraque Apoſtolorum diſciplina divinos libros loquitur, quos ipſis magna in veneratione fuiſſe certum eſt; hæc ex muſtea poſterorum religione, quæ ipſa colit crucis ſigna, ea Apoſtolis affingit. Cur vel hæc non aliquod Scripturæ volumen, vel illa non aliquod in crucem effigiatum ſaxum Indis ab Apoſtolo relictum perhibet? Ratio eſt in promptu: Quæ Apoſtolicis viris magno in pretio erant Scripturæ, eæ apud poſteros viles, ac pœne pro hæreticorum potius, quam pro Catholicorum inſignibus habentur; Quæ verò nunc à poſteris adorantur crucis ex lapide, lignóve, aut metallo ſigna, ea viris Apoſtolicis ignota, & inviſitata erant. Itaque vel hinc diſcimus Ieſuiticæ de Thomæ Indico traditionis vanitatem, quæ ſua ſunt, ea Apoſtolis inverecundè tribuentis. Nam ſi & Apoſtolorum fuerunt illa crucis ex lapide ſigna, qualia ſe Luſitani in Indiis reperiſſe jactant; cur non & Pantænus aliquod hujuſmodi ſignum ibidem reperiſſe dicitur à Bartholomæo relictum, æque ac ab ejus collega Thoma idem factum volunt Ieſuitæ? Cur qui ſe Hebraïcum Matthæi Evangelium Indis à Bartholomæo donatum inveniſſe dixit, de invento crucis ſigno vel lapideo, vel ligneo nihil dicit? Sed hæc obiter. Illud nunc ſatis eſt, quod ex Apoſtolis non Thomam, ſed Bartholomæum Evangelium apud Indos ſeviſſe, prima fuit & vetuſtiſſima traditio. Sed & altera de Thoma traditio, ipſa quoque vetuſtiſſima cum hac ultima Indorum recentiorum fama non minus pugnat. *Orig. Tom. 3. in Gen apud Euſeb. Hiſt. l. 3. c. 1. init.* Nam Origenes, qui ad a. D. 254. pervenit, ſcribit *traditionem perhibere Thomam prædicationis ſuæ provinciam Parthiam obtinuiſſe*; quibus verbis diſertiſſimè exploditur Maffeij ſomnium, ex novis Indiarum figmentis, audacter atque inverecundè affirmantis *Thomam in orbis terrarum diſtributione Indiam provinciam eſſe ſortitum, & Scotorum inſulam* (id eſt Zocotoram) *Arabici maris adiiſſe primum.* *Maff. Indic. l. 2. p. 82.* Origenis teſtimonio congruit, quod apud Scriptorem, etiam ipſo antiquiorem, Recognitionum ſcilicet parentem, Petrus Thomam non ex India, ſed ex Parthia litteras ad ſe ſcripſiſſe fingit; *Denique* (inquit) *apud Parthos, ſicut nobis Thomas, qui apud illos Evangelium prædicat,* *Clem. Recogn. l. 9. fol. 48. A.*

 dicat,

CAPVT VI.

dicat, ſcripſit, non multi jam erga plurima matrimonia diffunduntur. Hæc omnium prima ac vetuſtiſſima traditio eſt de Thomæ prædicatione; quam Ruffinus quoque exhibet. Si quæris ab antiquiſſimis illis Chriſtianis, vbi Thomas prædicaverit, reſpondent apud Parthos prædicaſſe; non apud Indos. Si de Indis roges, æque reſpondent illi Bartholomæum prædicaſſe, non Thomam. Thomæ apud Indos prædicantis nulla ante Manichæos exortos, in Chriſtianorum libris mentio. Primus vani tumoris auctor Thomas quidam Manetis diſcipulus, quem & Cyrillus Hieroſolymitanus Evangelij Apocryphi ſecundum Thomam, auctorem eſſe ſcribit, & aliorum librorum fuiſſe probabile eſt, in quibus Thomæ ad Indos profectio memoratur; Horum autem vnum eſſe, qui etiamnum hodie inter *Paſſiones Apoſtolorum* legitur, & confitetur Baronius, & clarum eſt, ſi, quæ illic narrantur cum iis contuleris, quæ ab Auguſtino ex Actis Thomæ Manichaïcis in opere adverſus Adimantum & adverſus Fauſtum habentur. Ex hoc cœnoſo fabuloſi nebulonis fonte fluxit omnis vt videtur, Thomæ apud Indos prædicationis, vetus quidem non tamen vetuſtiſſima fama. Hinc eam hauſtam noſtri incautius ſuſceperunt, Gregorius tum Nazianzenus, tum Romanus, (nullos enim his antiquiores ejus teſtes edit Baronius) alii; ex quibus eadem eſt in Martyrologium Romanum interpolatum ad d. XII. Kal.Ian. derivata. Nam vetus à Roſvveido editum, nihil habet ad eum diem hujuſmodi, ſed hæc ſimpliciſſima verba, XII. *Kalend. Thomæ Apoſtoli*; & ad d. V. Non. Iunij ſimiliter, *Tranſlatio Thomæ Apoſtoli*; non autem quod Baroniana editio exhibet, à poſteris additum, *Edeſſæ in Meſopotamia translatio S. Thomæ Apoſtoli ex India.* Sed & recentior de Thomæ in Edeſſenam Eccleſiam tranſlatione traditio, cui illi ipſi aſſentiuntur, qui Apoſtolum in India prædicaſſe volunt, multo etiam validius oppugnat atque evertit muſteam illam Indorum Malabarum de Thoma Apoſtolo fabulam à Ieſuitis avidiſſime ſuſceptam, & vbique diſſeminatam. Hi enim Indica nobis fide narrant Thomæ Apoſtoli corpus Maliapore quidem ſepultum ad vltima hæc tempora in eodem loco manſiſſe, ſuperiori vero ſæculo Ioannis Luſitaniæ Regis juſſu refoſſum, inde poſtea Goam à fratre quodam Franciſcano tranſlatum fuiſſe. At conſtans hactenus fuerat Chriſtianorum omnium jam inde à quarto ſæculo adulto, opinio Thomæ corpus Edeſſam ex loco, in quo primum erat conditum, jampridem fuiſſe tranſlatum. Ruffinus certe (qui ad annum quinti ſæculi decimum pervenit) Edeſſam ait Thomæ Apoſtoli reliquiis decoratam. Quin & Edeſſa poſtea Ortonam in Italia denuo tranſlatas fuiſſe eaſdem Thomæ reliquias Baronius confirmat, & ſui Martyrologij fide, & Ioannis Baptiſtæ Ortonenſis edita in eam rem narratione. Vt hæc conſiſtant, neceſſe eſt vel bicorporem fuiſſe Apoſtolum, vel certe vnum idemque ejus corpus duobus à ſe invicē diſſitiſſimis locis Meliapore primum

Ruffin. Hiſt. l. 1.c.9. init.

Cyrill. Hieroſ. Catech. 6.

Bar. ad Martyrol. d. 21. Dec. Auguſt. contr. Adimant. c. 17. T. 6. p. 83. A.B.& L. 22. contra Fauſt. c. 79. T. 6. p. 161. A. B. & L. 1. de Serm. Dom. in mōte. c. 20.

Greg. Naz. Orat. ad Arian.

Greg. Rom. homil. 13. in Evang.

Martyr. Rom. vetus.

Maff. Indic. l. 8 p. 344.

Ruffin. Hiſt. l. 2.c.5. init.

Baron. ad Martyrol. d. 3. Iulij.

&

& Edeſſæ, nunc Goæ & Ortonæ ſimul ſemelque ſitum quieſcere; quod vtrumque fortaſſe Latini qui prodigia facillime concoquunt, admiſerint; reliqui omnes mortales incredibile id putant. Falleris (inquit) Baronius) nihil neceſſe eſt eo devenire. *Vnius corporis partes in diverſa loca diſtributa, occaſionem multis dederunt opinandi, vel hic vel alibi contineri vnum idemque corpus.* Præclarum, & Baronio plane dignum εὕρημα; quo vnus idemque homo vel decem diverſis locis *ſepultus, jacere* ac *ſitus* eſſe vere & appoſitè & abſque vllius abſurditatis colore dici poſſit. Neſcio equidem an à Luſitanis omnia Thomæ illius ſui oſſa Meliapore inventa ſint. Certe *candidiſſima* ſpecie fuiſſe, *immiſtaque calci & arena* tradunt, neque vllum defuiſſe conqueruntur. Sed neque Edeſſanum Thomæ corpus vlla parte fuiſſe mutilum apud quemquam veterum audio. Viderit Baronius quibus auctoribus ac teſtibus fretus nobiliſſimi theſauri parte ſuos nunc vel Ortonenſes, vel certe Goanos multet. Ille vero peſſime ſi quid judico, de vtriſque meretur; qui hanc vnicam vtrorumque gloriam apud neutros integram & illibatam ſinit. Sed quid (inquit) facerem? Durum me neceſſitatis telum ita inſtituere ſubegit. Nam neque veteribus Edeſſanis, optimæ famæ Reliquiariis, neque antiquiſſimis Indiæ Chriſtianis Meliaporenſibus vtriſque idem ſibi Thomæ corpus vindicantibus fidem negare ſuſtinui. Eo Thomam dividere, quam ex his alteros mendacij damnare malui. His ſe Baronius difficultatibus ad duplicem illam Thomæ ſepulturam cominiſcendam ægre ac invitum compulſum fuiſſe ipſe his verbis ſatis fatetur; *Sed cum de translatione Edeſſam facta luce clarius conſtet, dicere de hoc* (inquit) *COGIMVR, quod frequenter de aliis reperitur, nempe vnius corporis partes in diverſa loca diſtributas.* Ita & iſte, & alij Latini tum hîc, tum alibi cauſæ & hominum ſtudio ſanè *COGVNTVR* in abrupta ſedare. Si vera ſimpliciter mallent, nihil eos *cogeret* res abſurdiſſimas admittere. Quanto enim erat Baronio faciliùs vel Indos, vel etiam Edeſſanos quantumvis amicos, homines tamen, vel mentitos, vel certe falſos deceptoſque fuiſſe confiteri, quam vnum eundemque virum duobus ſimul ſemelque locis ſepultum eſſe contendere? Abſurdiſſimum commentum fruſtra fucare & incruſtare conatur allata Dionyſij Halicarnaſſ i auctoritate, qui fatetur, *Æneæ ſepulcra monſtrari multis in locis, quamquam non poſſit niſi vno eſſe conditus:* & hoc inde ortum eſſe docet *quod quamvis vnicus locus capiat corpora* hujuſmodi illuſtrium mortuorum, *apud multos tamen monumenta eis facta ſunt in gratiam accepta vtilitatis cujuſpiam.* Hæc inquam, fruſtra Baronius à cauſa noſtra aliena affert. Dionyſius de ſuis Ethnicis ſapienter & appoſitè. quorum hûc morem fuiſſe ſcimus, vt mortuis tumulos inanes, (cenotaphia vocabant) honoris aut commiſerationis gratia excitarent; Baronius eadem veteribus Chriſtianis ineptè & abſurde tribuit; quos ſuis mortuis diverſa ſepulcra feciſſe non conſtat, ſic, vt eorum

CAPVT VI.

Id. ibid.

Maff. Indic. l. 8 p. 343.

Baro. à. D. 75. §. 15. & Præf. ad Martyr. c. 4. extr.

Dionyſ Halic. Archæol. l. 1.

CAPVT VI.

eorum vnum mortui corpus contineret, cætera aut omnino vacua eſſent, aut aliquam duntaxat corporis partem conderent. Si hæc nunc reliquiariorum conſuetudo eſt, vt corporis vnius partes, ac particulas in varia loca ſpargant; oſtendat Baronius eandem veterum Chriſtianorum fuiſſe conſuetudinem, quo tempore Thomæ oſſa Edeſſam tranſlata fuiſſe dicuntur. Non faciet. Vſus enim ille nondum in noſtrorum mores irrepſerat, neque ante irrepſit, quam error reliquiarius aditum ei patefeciſſet. Antea quicquid erat vnius corporis poſt mortem reliquum, vno ſimul loco condi fas ſanctumque erat; idque ex Actis Fructuoſi Martyris à nobis ſupra allatis conſtat, in quibus perſcriptum eſt *Fructuoſum poſt paſſionem apparuiſſe fratribus, & monuiſſe, vt quòd vnuſquiſque per caritatem de cineribus vſurpaverat, reſtituerent ſine mora, vnòque in loco ſimul condendos* (cineres ſcilicet) *curarent.* Qui ex hac diſciplina Edeſſæ ſepultus fuiſſe dicitur Thomas, totus ibi ſitus fuit. Qui vero totus ibi fuit, eum neceſſe eſt Meliapore nullum fuiſſe. Cum ergo conſtans ab annis pœne mille & trecentis traditio ſit Thomam Apoſtolum Edeſſam tranſlatum, ibidemque ſepultum fuiſſe; apparet vanum fabuloſumque eſſe omnem illum Latinorum de reperto apud Meliaporenſes ſuperiore ſæculo Thomæ Apoſtoli corpore rumorem. Sane ipſe loci in quo repertum dicitur, apparatus, ipſaque ſepti, in quo jacebat, ſtructura, lateritia primo, poſtremo lapidea, omnia denique alte ſub terram depreſſa, diligentiſſime ac firmiſſime concluſa ac communita, qualiter ea Maffeius deſcribit, ſatis docent loculum, à quo ſemel conditus erat, nunquam antea ad illum vſque diem, quo Luſitani eum refoderunt, ab vllo mortalium violatum, aut reſeratum fuiſſe, vel in Edeſſenorum vel in aliorum gratiam. Cujus ergo (inquis) corpus illud fuit? & cur fama Thomæ fuiſſe vel apud ipſos Indos jampridem ſparſerat? Satis quidem eſt, quod id Apoſtoli non fuiſſe certis & evidentibus argumentis demonſtravi. Iniquum eſt à me poſtulare, vt rerum in remotiſſima orbis parte, & quidem ante multa ſæcula apud barbaros geſtarum rationes edam. Si tamen vrges, vt edam, quid ea de re ſententiam dicam ejuſdem quod veri mihi videtur ſimillimum. Tradunt omnes magno conſenſu Latini rerum Indicarum ſcriptores Indos Malabares, cum totum epiſcoporum & ſacerdotum genus varia à perſecutoribus peſte conſumptum, plane penituſque apud eos defeciſſet, Babylonem ad illius vrbis Patriarcham miſiſſe poſcentes Epiſcopum. Ab hoc ad eos miſſum veniſſe quendam Syriacæ nomenclaturæ *Mar Thomam*, id eſt *Dominum Thomam* (Semedus *Thomam Cananæum* vocat) virum admodum divitem & excellentem, gratioſum apud vicinos Reges, eoque ſibi facile conciliaſſe Chriſtiani nominis homines; magnaque inde apud eos in auctoritate ac veneratione fuiſſe; Hunc collapſam apud Indos Eccleſiam inſtauraſſe, inſtitutis de novo ſacerdotibus, & aliis miniſtris, qui res divinas facerent.

Adhæc

Acta Fruct. apud Baron. a. D. 262. §. 68.

Maffei. Indic. l. 8. p. 343.

Jarric. Indic. l. 2. c. 18. p. 515. & l. 6. c. 7. ibid.

Semedo in Sinic. Part. 1. c. 31. p. 229.

Lud. Guſman de Ind. exped. l. 2. c. 27.

Adhæc Neſtoriana hæreſi, & aliis nonnullis malis, Babylonicæ, vnde veniebat, Eccleſiæ propriis gentem imbuiſſe. Hæc Ieſuitæ; quæ ego libens admitto (neque enim omnia mentiuntur Cretes) Iarricus hominem (vt videtur) in Indiam ipſo Neſtorij tempore veniſſe ſuſpicatur; non alio, vt opinor, argumento, quam quod eum Neſtorianum fuiſſe conſtet. Semedus ſe ex variis conjecturis colligere ſcribit fidem apud Indos à Thoma Cananæo circa a. D. 800. reſtitutam ac reſtauratam fuiſſe; hunc illatam olim in Indias Chriſtianæ fidei facem & longi poſtea temporis injuria extinctam, ineunte nono ſæculo de novo accendiſſe, & in Patana civitate antiquam religionem renovaſſe, altaria excitaſſe. Eccleſias inſtauraſſe; Quin & ſagax Ieſuita addit eo factum eſſe, vt errore ob Thomę commune vtriuſque nomen, facillimo, Apoſtoli eſſe credantur omnes, quæ iſtic cernuntur ædes ſacræ, quę revera tamen non Apoſtoli, ſed Cananæi Thomę, tanto Thoma Apoſtolo poſterioris, ſunt vel omnes, vel certe plæręque. Iam ex iſtis, quę ab ipſis Latinorum ſcriptoribus didicimus, facile eſt, vt mihi quidem videtur, conſtituere, vnde ortus ſit ille omnis apud Indos de Thomę Apoſtoli in illas terras adventu, deque cruce ab eo culta rumor. Cum enim Mar-Thomas a. D. 800. vixerit, quo tempore illa de Thomę Apoſtoli apud Indos prędicatione ac Morte ex Manichæicis libris propagata fama, longè lateque apud Chriſtianos obtinebat; fieri non poteſt, vt ipſe, qui doctus & eruditus erat, id ignoraret. Itaque cum ad Indos veniens magna multaque vbique offenderet eo olim illati Chriſtianiſmi veſtigia, nihil promptius fuit, quam vt quem Indi pręferrent primum fidei apud ſe ſuoſque auctorem, eum ipſum iſte ex præcepto de Apoſtoli apud Indos expeditione errore, Thomam fuiſſe & argumentaretur & crederet, & apud gentem totam ſpargeret; indeque eidem, veluti vero Chriſti Apoſtolo, monumentum illud, quod eſt à Luſitanis refoſſum atque inventum, Meliapore conſtitueret; eo libentius quod cum ejuſdem eſſet ipſe cum Apoſtolo nominis, quod huic concedebat, ſibi quodammodo donare videretur. Quis autem iſte revera eſſet, cujus corpus Thomæ Apoſtoli nomine humavit, in tanta rerum & veterum & Indicarum ignoratione, ſciri vt opinor, non poteſt. Hoc vnum ſatis eſt, quod vir fuerit de nomine & fama ob pietatis & prędicationis excellentiam apud illam gentem clariſſimus: tametſi fortaſſe multo Apoſtolis recentior. Certe aliud viro, quam Thomę fuiſſe olim apud ipſos Indos nomen *Anania* vocabulum ſignificare videtur, quo apud Indos vocitatum, etiam aliquot poſt Mar-Thomam ſęculis fuiſſe Marcus Paulus nuper narrabat. Iam *crucem* ab eodem Mar-Thoma, reconditis litteris inſcriptam, eidem quoque ſacratam fuiſſe ex ſolenni ęvi ſui more, nemo mirari debet. Nam etiam diu ante nonum illud ſęculum, quo Mar-Thomam vixiſſe tradit Semedus, ſolenne paſſim apud homines Chriſtiani nominis fuiſſe cruces ſculpere,

CAPVT VI.

Iarric Indic. l. 6. c. 7. init.

Semed. Sinic. Part. 1 c. 31. p. 230.

CAPVT VII.

conſectare, figere, oſculari & colere, & nos fatemur, & omnes ſciunt. Id tamen, quod in inſcriptione contineri ait Maffeïus, nempe Thomam illum quiſquis ſit, *inter ejus crucis & adorationem & oſcula cecidiſſe*; id inquam, Maffeïanę liberalitati totum debemus. Ipſa inſcriptio, quam vna cum interpretatione Athanaſius Kircherus, Ieſuita, ante annos XXII. Romę in Prodromo Copto edidit, nihil hujuſmodi exhibet. Dicit *de Thoma ſanguine expreſſam fuiſſe illam crucem*; *Apoſtolum inter ejus adorationem cecidiſſe* non dicit. Sed & ab eodem Mar-Thoma manaſſe quicquid eſt apud Indos & in *crucis ſigna*, & in illum nominatim tumulum religionis, & ſi quid aliud à primi atque Apoſtolici Chriſtianiſmi ſimplicitate alienum iſtic reperitur, tam eſt credibile, quam ab eodem profectam eſſe Neſtorianam illam labem, quæ Indis ab hoc, præter puriorem fidem, affricta fuiſſe dicitur. Vt vno verbo abſolvam, cum veterem ab Apoſtolis vel Apoſtolicis viris apud Indos ſeminatam religionem ab hoc Mar-Thoma interpolatam, innovatámque fuiſſe ipſi Ieſuitæ narrent; ducta inde argumenta nullam niſi de noni ſæculi, quo iſte vixiſſe perhibetur, moribus, ritibus, ac dogmatis, certam quidem ac indubitatam, fidem faciunt.

Kircher. Prodr. Copt. c. 4. p. 109. 110. 111.

CAPVT VII.

Altera quæſtio: An cruces ex materia facta apud vetuſtiſſimos ante quartum ſæculum Chriſtianos in vſu ſacro atque Eccleſiaſtico fuerint; vt nunc ſunt apud Latinos? Probatur non fuiſſe. Argumentum primum; Quod nulli extet, vel memorata ſit Eccleſiarum per crucem in altaris loco conſtitutam Latino ritu conſecrandarum, vel ipſius conſecrandæ crucis illis primis ſæculis ſolennis formula Latinorum in his vſus.

SATIS jam vt videtur, demonſtravimus, quod priori loco diſputandum ſuſceperamus, primos intra annum à Chriſto nato trecenteſimum Chriſtianos crucis ſigna minime coluiſſe. Id ipſum vero etiam multo luculentius apparebit, ſi conſtet, quod nos ſecundo loco tractaturos eſſe profeſſi eramus, ne vlla quidem apud eos ſigna crucis extitiſſe. Tertullianus certè, quod nullum in templo Hieſolymitano aſinini capitis ſimulacrum eſſet, eo ſe abunde confutaſſe credidit inſulſam Ethnicorum de adorato à Iudæis aſini capite fabulam. *Cornelius Tacitus* (inquit) *in eadem hiſtoria refert Cn. Pompeium, cum Hieruſalem cepiſſet, proptereaque templum adiſſet ſpeculandis Iudaïcæ religionis arcanis, nullum illic reperiſſe ſimulacrum; Et vtique ſi id colebatur, quod aliqua effigie repræſentabatur, nuſquam magis, quam in ſacrario ſuo exhiberetur.* Hæc Tertullianus, Pariter ergo refuta-

Tertull. Apol. c. 16. p. 17. A.

refutata concidet omnis Latinorum de adorata à primis Chriſtianis cruce calumnia, ſi demonſtratum fuerit apud eos toto illo, de quo contendimus tempore nulla in ſacris locis fuiſſe ſacra (vt vocant) crucis ſigna. Nunc ergo eam quoque partem aggrediamur; & primæ illius antiquitates monumenta ſcrutemur, vetuſtiſſimorumque Chriſtianorum loca cum Latinorum locis, cauſaſque cum cauſis ſigillatim, quo ad à nobis fieri poterit, accuratiſſime comparemus. vt ex hac vtrarumque parallela inter ſe collatione, veritas clarius, liquidiuſque eluceſcat, & adverſariorum in eam contumacia planè penituſque frangatur. CAPVT VII.

Latinorum quidem omnis qua latiſſime patet religio, illa crucis ex diverſa materia, & modi menſuræque multiplicis ſimulacra vbique præfert, neque vllam fere ejus partem reperias, quæ abſque his ſignis conſiſtat. Sunt autem omnia duorum maxime generum: alia certo quodam loco fixa, alia mobilia, ac vt ſic dicam, geſtatilia. Ad priorem cenſum pertinent grandes illæ ex marmore, Saxo, lignóve cruces, quæ præ Eccleſiarum foribus, in cœmeteriis, in viis, foris, compitis, locisque aliis publicis, non modo in vrbibus, oppidis & caſtellis, ſed etiam in agris, montibus, littoribus, ac denique in privatorum etiam aliquando hominum ædibus, atque horris ſtant paſſim defixæ. Cruces alterius ordinis geſtatiles, vel majores ſunt, quæ in proceſſionibus, funeribus, & aliis publicis cærimoniis interdum nudæ, interdum ſuſpenſo ex antennis ſerico, alióve pretioſo panno velatæ inſtar vexillorum, geſtantur; itemque Primatibus & Pontificum Legatis ad pompam præferuntur; vel minores & breviores, vt quæ in altaribus dum ſacra fiunt ſtatuuntur, quæ ægrotis periculosè decumbentibus in manus traduntur, & illæ aureæ breviſſimæ, quæ quod Epiſcopos ex collo ſupra pectus demiſſæ exornent, ideo *pectorales* dicuntur. Magna eſt omnium pro materiæ, formæ, menſuræ, ornatuſque diſcrimine diverſitas; quam ſigillatim exſequi nihil neceſſe eſt. Quantam autem Latini crucium iſtarum ad religionem ac pietatem eſſe vim putent, nemo qui eorum ſacra vel leviter inſpexerit, neſcire poteſt. Principio eas Pontifex, id eſt Epiſcopus, multiplici variarum orationum benedictione & adhibito thure, & aqua ſacra luſtratus, ipſe pontificali amictu ſtola & rubro pluviali rite ornatus, accuratiſſime conſecrat. Ac vt ſcias quæ quantaque à crucibus illis ſuis expectent, Pontifex inter cætera, quibus crucem novam dedicat, *à Domino Sancto, Patre omnipotenti Deo ſempiterno* poſcit, *vt dignetur benedicere hoc ſignum crucis ſuæ, vt ſit* inquit *remedium ſalutare generi humano, ſit ſoliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, ſit ſolamen & protectio ac tutela contra ſæva jacula inimicorum.* Hæc ille. Non ſunt majora, quæ pij non dico à Chriſti Sacramentis, ſed ab ipſo Chriſto ſperant, iſtis quæ hi *crucis ſigno*, hoc eſt ligno, vel ſaxo, vel argento tribui à Deo volunt. Sequitur mox longius

Pontific. Rom. Part.2. de bened. novæ cruc. p. 358. B.

Ibid. p. 359. A. & ibid. p. 375.

 carmen

CAPVT VII. carmen, in quo præeunte Pontifice ſatis multa de ligni myſteriis a; ud Deum philoſophati; *Te* (inquiunt) *ſupplices exoramus, vt hoc ſingu-*
Ibid.p.360.A. *lare ſignum quod ad exemplum primi illius ſacratiſſimi vexilli, quo pretioſo Filij tui ſanguine triumphaſti, fidelium tuorum devotione compactum erectumque eſt, cœleſti tua benedictione, ſanctificare digneris; & omnibus hic genua flectentibus, ac tuæ majeſtati ſupplicantibus largior & cordis compunctio, & admiſſorum indulgentia concedatur, atque intercedente ipſa victorioſiſſima Vnigeniti Filij tui paſſione & tibi placita poſtulare; & citiùs valeant poſtulata percipere.* Neque aliter, quam de eodem illo ſigno intelligenda videntur, quæ in ſequenti oratione *plebs*
Ibid.p.360.B. *Dei* optat ac precatur Pontifex; *Sit ei crux fidei fundamentum, ſpei ſuffragium, in adverſis defenſio, in proſperis adjuvamen; Sit ei in hoſtes victoria, in civitate cuſtodia, in campis protectio, in domo fultura.* Sed eo indubitatè pertinet, quæ continenter additur ad Dominum Chri-
Ibid. ſtum oratio: *Sanctifica Domine Ieſu Chriſte, ſignaculum iſtud paſſionis tuæ, vt ſit inimicis tuis obſtaculum, credentibus in te perpetuum effi-*
Ibid.p.361.A. *ciatur victoria vexillum.* Tum Pontifex crucem aqua benedicta aſpergit, & thure incenſat, prius tamen precatus, id divinitus *ita ſanctificari, vt omnes languores, omneſque infirmitates, atque inſidiæ inimici odorem ejus ſentientes effugiant.* Sic aqua thureque ſacro rite luſtra-
Ibid. tam crucem hoc poſtremo carmine conſecrat atque conſummat. *Sanctificetur lignum iſtud in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* (ad ſingula nomina lignum ſignat extenſa in crucis figuram manu) *& benedictio illius ligni, in quo membra Sancta Salvatoris ſuſpenſa ſunt, ſit in iſto ligno; vt orantes inclinanteſque ſe propter Deum ante iſtam crucem inveniant corporis & animæ ſanitatem.* Hic vero ſignum ita conſecratum humillimè adorant; quod nos ſupra ſuo loco ſumus executi. Si ſignum ex lapide vel ex metallo fuerit, iiſdem ritibus conſecratur. Vnum in his ſingulare eſt, quod Chriſtum rogant, vt *hanc* (ex lapide ſcilicet, vel ex metallo crucem) *illis manibus accipiat, quibus illam*
Ibid.p.362.A. (ſuam nimirum cui olim fixus eſt, in Calvaria) *amplexus eſt; De ſanctitate illius* (inquiunt) *hanc ſanctifica; & ſicuti per illam mundus expiatus eſt à reatu: ita offerentium famulorum tuorum animæ devotiſſimæ HVIVS crucis MERITO omni careant perpetrato peccato, & tuæ veræ crucis obtectu enitescant ſucceſſibus aſſiduis triũphatores: Radiet hic vnigeniti Filij tui Domini noſtri ſplẽdor divinitatis in auro: emicet gloria paſſionis eius in ligno: in cruce rutilet noſtræ mortis redemptio, in cryſtalli ſplendore vitæ noſtræ purificatio. Sit eorũ protectio; Spei certa fiducia; eos ſimul cũ gente & plebe fide confirmet; ſpe & pace conſociet; augeat triumphis: amplificet in ſecundis; proficiat eis ad perpetuitatẽ temporis, ad vitã æternitatis, vt eos temporali florentes gloria muniat, & ad perpetuã re-*
Ibid. *demptos coronã ad regna cœleſtia potenti virtute perducat.* *Crucẽ pectoralẽ* eadem benedictionis formæ cõſecrandã docent, qua benedici ſolet *crux proficiſcentium in ſubſidium terræ ſanctæ.* Hujus autem bene-

dictio-

dictionis forma poſtea exhibetur. Pontifex quædam de more præfatus Deo prolixa oratione ſupplicat, & proprie pro ſigni præſentis conſecrationе hæc poſcit. *Te (*inquit*) ſuppliciter exoramus, vt digneris hanc crucem paterna pietate benedicere, & cœleſtem ei VIRTVTEM & GRATIAM impartire, vt quicumque eam in paſſionis, & crucis vnigeniti tui ſignum ad tutelam corporis & animæ ſuper ſe geſtaverit, cœleſtis gratiæ plenitudinem in ea, & munimen valeat tuæ benedictionis accipere. Quemadmodum virgam Aaron ad rebellium perfidiam repellendam benedixiſti, ita & hoc ſignum tua dextera benedic, & contra omnes diabolicas fraudes virtutem ei tuæ defenſionis impendas; vt portantibus illud animæ pariter & corporis proſperitatem conferat ſalutarem, & ſpiritualia in eis dona multiplicet.* Poſtremo crucem aqua luſtrali aſperſam militi, ipſi quoque longa prece numini commendato, imponit; & *Accipe (* inquit *) ſignum crucis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, in figuram crucis, paſſionis & mortis Chriſti, ad tui corporis, & animæ defenſionem, vt divinæ bonitatis gratia, poſt iter expletum ſalvus & emendatus ad tuos valeas remeare.* Atque ita quidem Latini ſua crucis ſigna conſecrant. Id autem ab iis quidem, qui cruces colunt, ita inſtitui curarique debere, non iſtorum modo exemplum, ſed ipſa quoque rerum ratio demonſtrat. Cum enim ipſa per ſe ſigna muta ſint & inanimata, neque vel à materiæ ſuæ cenſu, vel ab artificis manu, atque opere quicquam habeant, quod ea ex communi rerum vel naturalium, vel humana arte effictarum ordine eximat, & excellentiori aliquo præ cæteris ejuſdem generis honore digna efficiat, omnino, vt ritè ac legitimè adorentur, conſecrationem accedere neceſſe eſt, qua ex rerum communium, profanarumque numero ſecernantur, & in ſacrarum ac divinarum cooptentur, *virtutem*que illam ac *gratiam* (vt Latini loquuntur) *cœleſtem* percipiant; qua demum hauſta perceptaque & beneficia hominibus conferre, & religioſos ab iis honores conſequi digna atque idonea fiant. Itaque non Latinos tantum videmus, quæ colunt, ea ad hoc vt colant, ante conſecrare, quam colant: vt Euchariſticum panem, vt Dei Chriſtique, & Divæ Virginis, Angelorum, & Sanctorum ſimulacra, & cætera ejuſdem generis; ſed & veteres ipſos Græcos Romanoſque Paganos diligenter hoc obſervaſſe comperimus, vt nihil adorarent, quod rite non eſſet conſecratum. Si ergo primi ante a. D. trecenteſimum Chriſtiani crucis ſigna jam tum, perinde vt nunc Latini, adoraſſent atque coluiſſent, vtique ea ſimili quoque horum ritu, conſecraſſent certis ac ſolennibus ſupplicationibus atque cærimoniis. Non autem conſecraſſe, inde certa fides eſt, quod ſi quam in hoc genere fecіſſent conſecrationem, ejus formam litteris non aliter erant mandaturi, quam Latinos ſuam mandaſſe videmus. Rem enim tanti ad religionem momenti non temere quorumvis præfectorum memoriæ, aut arbitrio committi, ſed ſcripto conſignari decet; vt adverſariorum,

CAPVT VII.

Ibid. p.381. B. 382. A.

Ibid. p.382. A. B.

CAPVT VII.

vt cæterorum, apud quos ſolennes ſunt hujuſmodi conſecrationum formæ, exemplum docet. Itaque ſi qua crucis ſigna apud noſtros habere adorarique jam eſt ab initio inſtitutum, non eſt dubitandum quin Apoſtoli, homines vt omnes confitentur, longè prudentiſſimi, certam in primis illa ſigna conſecrandi rationem ac formam tradiderint, eamque vel ipſi, vel certè proximi eorum diſcipuli, litteris diligenter conſignatint, vt ritè, accurateque ab omnibus miniſtris obſervaretur, & ad poſteros incorrupta inviolataque propagaretur, qualiter à ſapientiſſimis Latinis factum eſſe perſpicimus. At neque vlla hujuſmodi conſecrationis forma vel in Apoſtolorum, vel in aliorum antiquiſſimorum Theologorum libris reperitur, neque eam aliquando in prima illa Eccleſia extitiſſe à quoquam (quod equidem ſciam) vel veteris vel recentioris memoriæ proditum eſt. Libros (inquis) Apoſtolicæ Eccleſiæ rituales longa ætas conſumpſit. Ego quidem ſi qui fuiſſent vnquam hujuſmodi ab Apoſtolis vel ab Evangeliſtis, & eorum diſcipulis ſcripti libri, eos vllam ætatem conſumpturam, fuiſſe non puto. Cur enim hanc partem potiùs ætas conſumeret, quam cętera eorumdem virorum monumenta, quorum nullum vetuſtate exciſum fuiſſe, ſed omnia ad nos tot tantaque perveniſſe quot quantaque primo ſęculo erant edita, tam ex Euſebio, quàm ex ipſis, qui ante eum ab Eccleſię primordiis vixerunt, ſcriptoribus clariſſimè certiſſiméque intelligimus? Sed ſi donavero, fieri potuiſſe vt perirent illę rituales Apoſtolicę Eccleſię tabulę, quas tu pro tuo arbitrio fingis olim extitiſſe; id profectò ſi quid hujuſmodi contigiſſet, obſervaſſet aliquis tam multorum illius memorię ſcriptorum, quorum libri ſuperſunt; nos iſtorum aliquis monuiſſet crucis ſigna certo quodam ritu ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris conſecrari ſolita quidem fuiſſe, ſed ipſam conſecrationis formam vel temporum vel hominum injuria intercidiſſe. Horum autem nihil eſſe à quoquam factum videmus. Vnde evidentiſſime conficitur, cujus nulla vſquam in omni retro antiquitate conſecrandi formæ fit mentio, eam re vera nullam in primo ad a. D. 300. Chriſtianiſmo fuiſſe traditam, aut inſtitutam. Sed ecce nobis Turrianus rituales illas Apoſtolorum tabulas profert; quas dejerat illas ipſas eſſe διατάξεις, quę in octo libros diſtinctę *Apoſtolicæ*, vel certè *Clementinæ Conſtitutiones* vocantur. Ego quidem non ſum tam facilis, vt Turriano homini vaniſſimo, credam rationes alibi luculentas, & niſi fallor, idoneas edidi *. Sed tamen ſi Turriani deliramentum admittatur, de crucis conſecratione actum eſt, de qua illi διατάξεις, Turriani ſcilicet Apoſtoli, verbum toto octo librorum opere faciunt nullum. Illi quidem, quo ritu, quaque prece & oratione panis & calix Domini conſecrentur, fuſe atque diligenter tradunt, in octava operis ſui parte; & alibi accuratè exſequuntur quomodo & aquam & vnguentum myſticum ad ſacrum baptiſma miniſtrandum benedici, ſive quod idem eſt conſecrari deceat, neque tacent, oblatorum à fidelibus,

* *L. 1. & 2. de Pſeudepigr. Apoſt.*

Conſtit. Apoſt. l. 8. c. 12. p. 1014. ad 1022.

Ibid. l. 7. c. 43. 44. 45.

CAPVT VII.

ſtibus, id eſt olei, & aquæ, & primitiarum & decimarum, & eorum quæ ex myſticis ſacris ſuperfuerunt benedictiones. Mitto miniſtrorum ſingulorum ad ſua munera conſecrationes, quas operoſiſſime deſcribunt. Crucis inter hæc omnia conſecrationem nullam apud eos Turriane, reperio. Atqui hanc dici, & quidem eo ſollicitiùs decebat, quod ea fiat ad cultum & adorationem, qua nihil eſt in tota religione majus: illa alia aqua, oleum, primitiæ, decimæ, oblatorum reliquiæ, ad iſtarum rerum non adorationem, ſed vſum vel ſacrum, & publicum, vel etiam privatum, benedicantur. Sic ergo Turriane, cur qui horum benedictionem diſertiſſimè tradunt tui Apoſtoli; iidem nuſquam de conſecrandis crucis ſignis præcipiunt? Profectò ſi Chriſti quod tu vis, Apoſtoli vere ſunt tui iſti Clementini διαταγαῖς; clarum certumque eſt nihil eſſe à Chriſti Apoſtolis de Latinorum crucis ſignorum conſecratione præceptum. Idem quoque ex libro de Hierarchia Eccleſiaſtica concludendum eſt, qui Dionyſij nomine circumfertur. In eo enim cum tradantur quæcumque ab hierarcha, id eſt à Pontifice, ſive Epiſcopo, fiunt conſecrationes in baptiſmo [a] & in ſacra Synaxi [b]: quo ritu ab eodem conſectetur vnguentum myſticum [c], quo item Epiſcopus, ſacerdos, diaconus [d], monachus [e], & inter hæc *altaris* quoque τελείωσις, id eſt conſecratio, alicubi memoretur [f]; de *conſecrandis* ad adorationem crucis *ſignis* (quod vt liquet, ad hierarchicas, ſive Pontificales functiones nunc pertinet) nihil vſpiam vel præcipitur, vel leviſſimè ſignificatur. Si ergo hic ſcriptor (quod magna pars Latinorum putat) verè eſt Pauli diſcipulus, Athenienſis ille à Luca in Actis celebratus Areopagita Dionyſius, quis non iſtum intelligit, ſi qua eſſet ab Apoſtolis tradita ad conſecranda crucis ſigna formula, eum non fuiſſe in hoc opere prætermiſſurum, quo illa omnia exſequitur, quæ ad conſecrationes hierarchicas pertinent, quarum hæc vna eſſe liquido noſcitur? Sed vtrumque hoc opus Conſtitutionum ſcilicet & Hierarchiæ, tametſi non ſit ævi Apoſtolici, negari tamen non poteſt, quin ſit vetus; illud quarto, hoc quinto (vt omnino probabile videtur) ſæculo conſcriptum. Itaque cum vterque auctor, quæ in publico ſolennique vſu Eccleſiæ erant ſuo quiſque tempore quamquam ſub fictis, & multo antiquioribus nominibus exponant; ex his quæ diximus, apparet, ne quarto quidem ac quinto ſæculo vllam fuiſſe apud Chriſtianos conſecrandarum crucium ſolennem, publiceque receptam formam; quantumvis jam illo ævo crucis ſigna in vſu apud plæroſque eſſent; cujus rei non obſcura eſt ratio. Nempe nullam quarti quintique ſæculi homines à ſuis majoribus acceperant hujuſmodi ſignorum conſecrationem, quippe quę apud eos nullo in vſu fuerant: Eo factum, vt poſteri conſecrationem ejuſque formam ſerius condiderint, paternis inſtitutis quicquam adiicere cunctantes, ne ea alicujus imperfectionis arguere viderentur, donec longe lateq́ue pœne vbique recepta ac confirmata crucium religio.

Ibid l. 8. c. 29. 30. 31. p. 1032.

a Dion. Hier. Eccl. c. 2.
b Ibid. c. 3.
c Ibid. c. 4.
d Ibid. c. 5.
e Ibid. c. 6. §. 3. p. 331.
f Ibid. c. 4. §. 12. p. 291.

religione, ipſa tandem rei ratio atque neceſſitas eos cogitare compulit quam abſurdum eſſet ea in hoc genere colere, quæ non eſſent conſecrata. Ita accidit ut ipſo crucium uſu ac cultu longè recentior fuerit earumdem conſecratio. Si verò cultum Apoſtoli tradidiſſent, ij pro ſua ſapientia cōſecrationē quoque ſimul ac ſemel inſtituiſſent. Et hoc maximè argumento quæ à divinis illis viris tradita ſunt, ab iis diſcernere eſt, quæ poſtea ab aliis magiſtris inventa ſunt: quod illa ſtatim perfecta, ſuiſque omnibus numeris abſoluta edita eſſe in lucem videmus: hæc ut ab hominibus profecta in primo exortu rudia & informia, deinde paulatim longa die perfecta, tacitiſque ſenſim incrementis ad faſtigium ſuum perducta fuiſſe comperiamus. Cum ergo ex his pateat quos nunc in Romano Pontificali tam accuratè conſignatos legimus conſecrandarum crucium ritus, eos apud vetuſtiſſimam ad a.D.300. Eccleſiam planè inuſitatos ignotoſque fuiſſe, neque tum ullam extitiſſe conſecrandorum horum ſignorum formam, omninò quod diximus, concludendum eſt, toto illo tempore à noſtris non modo non adorata, ſed ne in ullo quidem ſacro atque Eccleſiaſtico uſu habita fuiſſe crucium ſigna.

CAPUT VIII.

Argumentum II. Quod primis Chriſtianiſmi ad a. D. 300. & quod excurrit temporibus cruces in Eccleſiis, vel ad Eccleſias figi, & collocari, quod Latinis hodie ſolenniſſimum eſt, inſuetum & inuſitatum fuerit.

ATQUE hæc ad Latinam ſignorum crucis conſecrationem obſervata ſatis ſunt. Iam ſi quas ad res ea adhibeant, ſigillatim velim exſequi, nullus erit dicendi finis. Præcipua tantum capita ad ſpecimen indicabo. Primo ergo cum Eccleſiam ædificant, ad primarium ejus lapidem benedicendum, ante omnia crux lignea in eo loco ubi debet eſſe altare, à ſacerdote figitur. Ad Eccleſiæ vero ipſius dedicationem procedenti Pontifici crux ubique præfertur [a], duobus interdum ceroferariis præeuntibus cum luminaribus. In altaris conſecratione, ipſe Pontifex cruci ſuper altari poſitæ facit reverentiam [b]. Sic in cœmeterio pridie quàm benedictione dedicetur, *ponuntur quinque cruces ligneæ*. iiſque candelæ tres ſingulis affiguntur, & eas Pontifex incenſat. Iam cum initiandi ſunt ſacro lavacro infantes, Preſbyter non aliter in baptiſterium deſcendit, quàm clericis crucem cum candelis & thuribulo præferentibus [c]. Ad miſſam celebrandam Epiſcopum cruce pectorali munitum accedere præcipit Miſſale [d]; & rarum eſt, & fortaſſe nullum altare, in quo dum ſacra peraguntur, non extet crux. Pontifici verò ad chriſma conficiendum proce-

Pontif. Rom. Part.2.p. 198. A.
Ritual. Rom. p. 377.

a *Pontif. p. 242. B. 245. A 247. A.*
b *Ibid p. 313. B. 330. A.*
c *Ritual. Rom. p. 57.*
d *Miſſ. Rom. Præp. ad Miſſ.*

CAPUT VIII.

procedenti crux præit [e]. Fidelibus periculosè ægrotantibus crucem presbyter ante oculos conſtituit, & in eam jubet aſſiduè intueri [f]. Ad officium pro defunctis poſt miſſam ſolennem crux à ſubdiacono præfertur [g]: & in quovis funere defuncti corpus aqua luſtrali ſexies aſperſurus, presbyter profundam cruci contra ſtanti reverentiam facit [h]; & funeri cum ducitur, crucem præire ſolenne eſt. In proceſſionibus autem publicis, quæ multæ ſunt, crucem ritè præferri generalis Latinorum canon eſt [i], ut nominatim die Palmarum [k], & in magnis Litaniis [l], & ſabbato ſancto, cum Clerus procedit ad reaccendendum ignem [m], & alias. Sed & in ordinatione Epiſcopi crux quoque adhibetur. Nam in primis mos eſt ornari duas in Eccleſia capellas; crucem in utraque ſuper altari parato poni, in majori cum quatuor ad minimum candelabris; in minore, cum duobus [n]. Tum poſt examen, ordinandus crucem pectoralem accipit, conſecrator verò & aſſiſtentes cruci non ſemel faciunt reverentiam. In Abbatis quoque benedictione crux iiſdem ferè locis occurrit, ut videre eſt in Pontificali [n]. Legatis Papæ, & Epiſcopis pallio donatis crux præfertur; & Prælatus vel Legatus, in civitatem aliquam ingrediens, excipitur à Clero loci, cum cruce obviam extra urbem procedente [o]; Civitatis Prælatus pontificali veſte ornatus offert venienti crucem oſculandam, quam hic *ex equo, vel ſi maluerit, deſcendens in terram, ſuper tapetem ſtratum genuflexus devotè oſculatur* [p]. Et Epiſcopus diœceſim ſuam viſitans, in ſingulis civitatibus vel oppidis eodem modo recipitur [q]; Sic quoque Imperator [r], dum civitatem cum pompa ingreditur. Utrique venienti crux oſculanda offertur. Hæc autem ut in Pontificali Latinorum libro accuratè præcipiuntur: ita & in aliis eorumdem Eccleſiaſticis, & hiſtoricis, & alius generis voluminibus ſæpiſſime & paſſim quoties datur occaſio, memorantur: Exemplis rem illuſtrare operæpretium videtur. Primo ergo crucium, quæ ad loca ſacra figuntur, ubi fiunt Eccleſiæ conventus, quæque ea de cauſa *Eccleſias* dici jampridem apud noſtros in uſum receptum eſt, plurima ubique fit apud Latinorum ſcriptores recentiores mentio. Sic apud Solerium legimus Bonzium quemdam Firandinum ad fidem Latinam converſum, domum ſuam in Eccleſiam mutaſſe, & pulcherrimam crucem ante ejus limen conſtituiſſe [s]. Iarricus quoque ſcribit Ieſuitas in eo loco, quo Eccleſiã erant Calecuti apud Indos condituri, crucẽ in primis fixiſſe; eamq; ipsũ primo Zamorinũ, tũ ejus nepotẽ, cæteroſq; illius aulæ proceres, tametſi Paganos religioſiſſimè poſito utroq; genu adoraviſſe [t]. Itẽ in Tanoris apud eaſdẽ Indias regno cõſtructã celerrimè à ſuis fuiſſe Eccleſiã, præclarãq; crucẽ ad eã fuiſſe erectã [v]: & Matadavalure civitate, in qua vel nulli, vel certè pauci erant Chriſtiani, Eccleſiã dierũ XVI. ſpatio à quodam Ieſuita eſſe perfectam, crucemque ad eam fixam [x]. Simonem Sa Ieſuitam hominum ſui ordinis reſidentiam ut vocant, Paleacate Indorum civitate, meditantem

e *Pontif. Rom. Part. 3. p. 438 A*

f *Ritual. Rom p. 157. & 206*

g *Pont. Rom. Part. 3. p. 466 B.*

h *Ritual. Rom. p. 250.*

i *Ibid p. 402.*

k *Ibid. p. 403. & Miſſ. p. 181.*

l *Rit. p. 424.*

m *Miſſ. Rom. p. 234.*

n *Pont. Part. 1 p. 54. B. 61. B. 83. A.*

o *Ibid p. 87. A. 57. B.*

p *Ibid. P. 3. p. 469. B.*

q *Ibid. p. 474. B.*

r *Ibid p. 479. B.*

s *Solerius Iapon. l. 5. c. 3. §. 23.*

t *Iarric. Indic. l. 2. c. 14 p. 466.*

u *Ibid. l. 6. c. 6. p. 544.*

x *Ibid. c. 17. p. 709.*

CAPVT VIII.

tantem crucem ibidem ſtatuiſſe,& Eccleſiam fundaſſe[y]: & Cotinium ex eadem Societate templi ſui foribus crucem affixiſſe in prima Velluranæ arcis corona, in qua ſingulari Biſnagenſis Regis gratia Domicilium ſibi aſſignatum habebat[z]. Maraccius in noviſſimis de India relationibus memorat præcelſam crucem in Cranganorenſis Eccleſiæ limine poſitam, quæ quodam die poſt Miſſæ ſolennia ſe ſponte ſua per ſex horas commoverit[a]. Et Cardimus res Ieſuitarum in Tunquinenſi ad vltimum Orientem regno geſtas tradens, refert eos, cum primum illuc penetrarunt, Eccleſiam in Sinuſa provincia pro ſua tenuitate quam elegantiſſimè fieri potuit, conſtruxiſſe, & crucis magna arte elaboratæ trophæa pro Eccleſiæ foribus erexiſſe, & Ioachimum quendam ſenem neophytum ſuum in novæ Eccleſiæ aditu crucem fixiſſe[b]. Denique nullam fere Latini ſcriptores baſilicam ac ne proſeucham quidem conditam à ſuis memorant, cui crucem quoque additam non dicant. Et Iarricus hunc eſſe ſuorum in Indiis morem confirmat, vt crucem primo erigant, quo loco Eccleſia condenda eſt. Ita Latini Veteres eadem ſcripſiſſent, ſi eadem apud eos facta eſſent. In illorum quoque libris exraret aliqua conſecrandæ Eccleſię forma, qua (vt in Pontificali Romano factum eſſe videmus) præciperetur crucis ſignum ante omnia in eo loco eſſe figendum vbi debet eſſe altare. Tum quoties Eccleſiarum conſtructio, vel dedicatio aut deſcribitur, aut commemoratur, crucis quoque ſigna ante eas vel apud eas poſita fuiſſe dicerentur; vt à Latinis in hujuſmodi loco verſantibus dici obſervavimus. Atqui res plane aliter habet. Iſta enim quæ paſſim apud hos occurrunt, apud illos ne ſemel quidem dicta reperiuntur. Primo de figendo ad Eccleſiæ dedicationem crucis ſigno, vel omnino de myſtica illa primarij lapidis benedictione, nullum eſt in prima illa antiquitate verbum. Fateor in Pſeudo-clementis Conſtitutionibus, quarto ſæculo vt veriſimillimum eſt, conditis locum extare, in quo de Eccleſia aliquid præcipitur; Sed ne iſtic quidem quicquam de crucis ſigno in ea vel fixo vel figendo legitur. *Eſto (*inquit ille*) ædes oblonga, ad Orientem converſa, navi ſimilis, ſint vtrimque paſtophoria. Sit in medio poſitum Epiſcopi ſolium, & ex vtroque ejus latere conſideat presbyterium.* Nihil de crucis ſigno; quod, ſi quem tum in Eccleſia locum habuiſſet, hîc dici debuerat, vt omnes vident; & profecto dictum eſſet à Scriptore in talibus diligentiſſimo. Atque hoc ejus in tali loco ſilentium certo mihi præter alia argumento eſt ne quarto quidem ſæculo, ineunte, imo etiam ad annum quadrageſimum adulto, ſolenne noſtris fuiſſe ſigna crucis apud Eccleſias figere. Iam cæteri vel hujus pares, vel eo etiam anteriores ſcriptores Eccleſiarum quidem aliquando meminerunt, crucium apud eas fixarum nulli quod ſciam, meminerunt. Euſebius ſe ad narrandam vltimam perſecutionem, quam ipſe viderat, accingens, ſuperiorum quæ eam proxime præceſſerant, tempo-

rum:

y *Ibid.c.28.p.* 820.

z *Ibid.p.* 821.

a *Maracc. Relat.Indic. a.* 1649.*p.*50.

b *Cardim Relat.Indic. a.* 1644. *p.* 64. 65.

Iarric.Indic. l. 2.*c.* 13.

*Conſtit. Apoſt. l.*2.*c.* 57. *Bovio,* 61.

rum fœlicitatem in primis deſcribit, noſtrorum apud Principes gratiam, dignitatem, honores, præfectorum eximiam paſſim in Epiſcopos benevolentiam liberrimos ac frequentiſſimos Chriſtianorum in ſingulis civitatibus cœtus; ædium ſacrarum ſubſtructiones, atque amplificationes; *Unde* (inquit) *cum in antiquis illis ædificiis non ſatis loci haberet, ampliores Eccleſias in univerſis urbibus, fundamentis earum ad majorem laxitatem dilatatis, erexerunt*: *ὧν δὴ ἕνεκα μηδαμῶς ἔτι τοῖς πάλαι οἰκοδομήμασιν ἀρκούμενοι, εὐρείας εἰς πλάτος ἀνὰ πάσας τὰς πόλεις ἐκ θεμελίων ἀνίστων ἐκκλησίας.* Hæc autem ad vltima tertij ſæculi pertinere videntur; ab a. D. ſi forte 280. ad 302. Alter eſt apud eundem hujus ſimilis locus, quo inter cætera noſtrorum poſt redditam à Conſtantino pacem, bona Eccleſiarum nominatim ſubſtructiones memorat: *Omnium* (inquit) *noſtrûm mentes divino quodam gaudio triumpharunt, dum ſingula loca tyrannorũ ſcelere & impietate paulo ante diruta, tanquam poſt diuturnam & mortiferam vaſtitatem jam quodammodo reviviſcere, & templa ſolo æquata ab ipſis fundamentis denuo ad immenſam magnitudinem erigi, & multo majore ſplendore atque amplitudine, quam illa quæ dudum everſa erant, illuſtrari videbamus*: Hæc illæ: quo vtroque loco omnes vident ex hac quidem recenti Latinorum diſciplina omnino decuiſſe crucis ſigna illic erecta, hic reſtituta memorari. Quid enim ad vtriuſque temporis lætitiam atque fœlicitatem magis pertinebat, quam hæc adoranda, ſi Latinis credimus, ſymbola, communiſque generis humani ſalutis atque incolumitatis pignora paſſim apud Eccleſias ſtantia ac fulgentia videre? Specta mihi de hodierna Ieſuitarum gente Trigautium in pari loco verſantem: vbi diram Iaponum ſuorum perſecutionem exordiens, eorum primo ſuperiorem in Arimæ regno fœlicitatem (planè vt Euſebius in priori exemplo) deſcribit. *Toto* (inquit) *regno cruces paſſim viſebantur, quæ ſunt Chriſtianæ religionis vexilla.* Optime; vt planè ex ſuæ religionis genio. Ne ergo dubites, quin Euſebius, ſi noſtrorum illo ævo eadem fuiſſet religio; quæ Atimenſium Trigautij neophytorum fuit, eadem quoque in ſuperioribus locis dicturus fuerit (neque enim putandum eſt Euſebio Trigautium ſapientiorem fuiſſe, aut doctiorem.) Atqui Euſebius neutro in loco quicquam hujuſmodi dixit; Eccleſias vel ſtructas, vel reſtitutas memoravit; De crucium ſignis, quæ, ſi qua tum fuiſſent, ante omnia erant memoranda, non magis loquitur, quam ſi noſtrorum hominum hiſtoriam ſcriberet. Nimirum nondum ea tempeſtate vlla apud Chriſtianas Eccleſias vel ſtabant, vel geſtabantur crucis ſigna, quod multo etiam clariùs ex aliis aliquot ejuſdem auctoris locis intelligitur. Nam cum Latini nullas fere Eccleſias vel primum ſtructas, vel etiam amplificatas & ornatas memorent abſque aliqua crucium mentione; Euſebius Tyri magnificè ædificatam à Paulino ædem non tantum memorat aut tangit, ſed etiam ambitioſiſſimè deſcribit, exteriorem loci

CAPUT VIII.

Euſeb. Hiſt. li 8 c.1.p.84. A.

Id. ibid l.10.c. 2.f.107.B.

Trig. Martyr. Iap.l.1.c.2.

Euſeb. Hiſt. l. 10.c.4.f.110.B. 111.A.

CAPVT VIII.

ambitum, murum quo claudebatur, veſtibulum ad Orientem ingens, quatuor in gyrum porticus, Sanctuarium columnis ſublimibus circumſeptum, intermedia columnarum ſpatia reticulato ex ligno opere circumcluſa, vberrimos fontes ex adverſa templi fronte, redundantes, tres portas diverſæ magnitudinis, feneſtras, ſubſellia, altare, cancellos pavimentum marmoreum, exhedras, ædiculas templo affixas. Quis in tam accurata templi, & quidem ab Epiſcopo conſtructi deſcriptione noſtrum panegyrica hac oratione apud frequentem Epiſcoporum conſeſſum Eccleſiam illam dedicantem crucis ſigna, ſi qua fuiſſent vel in æde, vel extra ædem poſita, prætermiſſurum putet? vel Paulinum nulla poſiturum fuiſſe, ſi Chriſtianorum idem mos vſuſque fuiſſet, qui nunc, vt Iarricus docuit, Latinorum eſt, vt crucis ſignum erigeretur quocumque loco Eccleſia condenda eſt? Tacuiſſet ſcilicet Euſebius, fixum ante omnia à Paulino, ex Latina diſciplina, in altaris loco crucis ſignum, ad benedictionem altaris? Tacuiſſet Paulinum poſitam in altari crucem eſſe veneratum? Tacuiſſet poſtremo erecta præ foribus digna tam magnifica tamque auguſta æde Dominicæ crucis trophæa? Profecto quod nihil horum dixit, nihil à Paulino factum demonſtrat: Quod nihil horum à Paulino factum, id clariſſimè arguit, nondum illis temporibus (id eſt poſt pacem à Conſtantino redditam, a. D. 314. ad quem Baronius, ſed ex mera conjectura, hæc refert) ſolenne apud noſtros fuiſſe crucis ſigna apud Eccleſias figere. Idem vbique eſt Euſebij de crucis ſignis in Eccleſiarum mentione ſilentium: vt quo loco Conſtantinum narrat *ædes ſacras in ſublime erectas, exædificataſque adauxiſſe, & plurimis monumentis auguſtis Eccleſiæ ſacraria illuſtraſſe*; de templis quidem dicit, de crucibus ſolens tacet: Item vbi ſtructum à Conſtantino regia opulentia in ipſo ſepulcri Dominici ſolo templum fuſe deſcribit, & operis ingentem apparatum, ſingulaſque inde partes, antrum ſive monumentum, ſubdivalem locum, porticus, ſanctuarium, tecta exterius quidem plumbo cooperta, interius vero elegantiſſimis laquearibus exornata, xyſtos, valvas, eximias duodecim columnas, atria, exhedras, veſtibula, donaria diligentiſſime exſequitur. Obſecro tuam fidem, qui iſta omnia minutatim tanta cura explicat; erat-ne crucium ſigna primarium ac maxime neceſſarium, ſi Latinis quidem credimus, Eccleſiarum ornamentum indicta prætermiſſurus, ſi qua eſſent ad illam ædem ampliſſimam à Conſtantino & Macario Hieroſolymitano Epiſcopo erecta? Hinc duas alias Eccleſias à Conſtantino & Helena ejus matre, alteram in monte vnde Chriſtus in cœlum aſcendit? alteram Bethlehemi in antro, vbi Dominus natus eſt, conſtructas tradit: Ad neutram, crucis præ foribus fixæ meminit; ac ne ibi quidem, vbi Helenam dicit *in ſummo totius montis Olivarum vertice ſanctuarium Eccleſiæ Dei erexiſſe*, ἄνω πρὸς ταῖς ἀκρωρείαις πρὸς τὴν τοῦ παντὸς ὄρους κορυφὴν ἱερὸν οἶκον ἐκκλησίας ἀνεγείρασα, inquit, quo loco ex Latina

Iarric. Indic. l.2.c.13.

Baron. a. D. 314. §.18.

Euſeb. de Vit. Conſt. l. 1. c. 35. edit. Gr. f. 124. A

Ibid l. 3. c. 28. & ſeq. ad 40. edit. Gr. f. 141. A. B. 142. A.

Id. ibid c. 40. 41. 42. edit. Gr. f. 142. A.

trina diſcip ina crucis ſignum erigi debuiſſe omnes vident. Paulò poſt ſcribit Conſtantinum his in Palæſtina perfectis, *in cæteris omnibus Provinciis Eccleſias novas eodem modo extruxiſſe eaſque effeciſſe prioribus longe præſtabiliores*, καὶ κατὰ πάσας δὲ τὰς ἐπαρχίας (inquit) νεουργεῖς ἐκκλησίας ἐπισκευάζων, μακρῷ τῶν προτέρων τιμιωτέρας ἀπέφηνε. Confer cum ſuperius allatis Latinorum in ſimili argumento dictis; non negabis Euſebium, ſi iſtorum diſciplina jam tum obtinuiſſet, ſcripturum fuiſſe Principem non modo Eccleſias, ſed & cruces ibidem erexiſſe. Idem eſt de iis judicium, quæ paucis interjectis tradit. Eccleſias ab eodem Principe Nicomediæ, Antiochiæ, & apud quercum Mambre magna cura egregie fuiſſe ædificatas; ex quibus Antiochenam noſter celebrat præcipua ejus ornamenta recenſens; vt in cæteris, ita hic quoque nulla crucis apud eam erectæ facta mentione. Idem denique in quarto ejuſdem operis libro Eccleſiam Apoſtolorum à Conſtantino in vrbe ſui cognomine ſupremis vitæ temporibus conditam narrat. & deſcribit non indiligenter. Sed neque hic vllam crucem vel præ foribus vel alibi fixam, memorat. Euſebij tam pertinax de erectis crucis ſignis ſilentium in quibuſcumque locis de Eccleſiarum ſtructura loquitur. Vincit nulla adhuc iſtis temporibus (id eſt ad annum vſque Domini 336.) affigi ſolita Eccleſiis ſigna crucis. Argumento per ſe valido vis præterea inde accedit, quod idem ſcriptor poſita, ſed in aliis locis communibus & profanis ſcilicet, à Conſtantino crucis ſymbola non tacuit, vt Romæ, *in vrbe media, loco celebri ac multum à populo frequentato* μέσῃ τῇ βασιλευούσῃ πόλει, τῷ ἐπὶ ῥώμης δεδημοσιευμένῳ ἐν τόπῳ, vbi cum Latina inſcriptione conſtitutum fuiſſe dicit *erectum ad crucis formam haſtile ſub manu Conſtantinianæ imaginis in ſtatua expreſſæ.* ὑψηλὸν (inquit) δόρυ σταυροῦ σχήματι ὑπὸ χεῖρα ἰδίας εἰκόνος ἐν ἀνδριάντι κατειργασμένος τῷ ἐπὶ ῥώμης δεδημοσιευμένῳ ἐν τόπῳ στήσαντες αὐτὴν δὲ ταύτην τὴν σωτήριον ῥήμασιν ἐγχαράξαι τῇ ῥωμαίων ἐγκελεύεται φωνῇ. Alibi eundem refert *in picta tabula ante palatij veſtibula, in ſublimi ſuſpenſa, ſupra caput ſuum ſalutare paßionis inſigne* (id eſt crucem) *exprimi in pictura* juſſiſſe. τὸ σωτήριον (nimirum σημεῖον) ὑπερκείμενον τῆς αὐτοῦ κεφαλῆς τῇ γραφῇ παραδούς. Infra in eodem libro memorat *Conſtantinopoli in medio foro ad fontes, qui iſtic erant poſita fuiſſe boni Paſtoris ſymbola* quibus verbis crucis fortaſſe ſignum ſignificavit, vel Paſtoris pro ovibus mortem oppetentis. Et ſtatim, *Tantus* (inquit) *& tam divinus amor Imperatoris omnium complexus eſt, vt in ipſo palatij introitu, in ædificio omnium excellentiſſimo, in medio tecti laqueari inaurato, in tabula maxima explicata, ſalutaris paſſionis inſigne, ex lapillis pretioſis, cujuſque modi auroque multo politè elaboratis confectum figendum curaverit.* Hæc ille: Crucis ſigna, qui tam diligenter memorat vel Romæ in publico loco, vel Conſtantinopoli ante regiæ veſtibulum, vel in medio foro, vel denique in palatij introitu à Conſtantino poſita, aut expreſſa; quanto magis eadem apud Eccleſias defixa, ere-

CAPVT VIII.

Id. ibid. c. 47. edit. Gr. f. 143. A.

Id. ibid. c. 49. 50. 51. edit. Gr. f. 143. A. B.

Id. ibid. l. 4. c. 59. & c. edit. Gr. f. 155. A.

Id. ibid. l. 1. c. 33. al 38. edit. Gr. f. 123. A.

Id. ibid. l. 3. c. 3. edit. Gr. f. 137. A.

Id. ibid. c. 48. Gr. edit f. 143. A.

CAPVT VIII.

ctaque dixiſſet, ſi qua verè defixa eſſent. Nullum crucis ſignum ad Eccleſias fixum dicit, quas tam multas à Cōſtantino extructas, vel tradit vel etiam deſcribit. Certum ergo eſt nullum iſtic fixum fuiſſe, nondum adeo morem apud Chriſtianos fuiſſe in Eccleſiis, vel ad Eccleſias ſigna crucis collocare. Nam ſi fuiſſet, qui hæc ſigna in locis communibus & profanis poſuit Conſtantinus; quanto ſtudioſius poſuiſſet in ſacris? Sed quia hæc apud Eccleſias, & loca ſacra viſi apud noſtros inſuetum & invſitatum fuerat, ſigna illa religioſus Princeps in ſacris quidem ponere minime eſt auſus; in profanis collocare eo minus eſt veritus, quod hæc quæ ſunt extra Eccleſiam, talibus ornamentis inſtrui nō parum ad pietatem conducere ſibi perſuaderet. Itaq; omnino videtur ille horum ſignorum apud Chriſtianos vſus à Conſtantino cœpiſſe; ita tamen vt ea in locis, non ſacris & Eccleſiaſticis, ſed profanis tantum atque communibus vſurparit, poſteri hoc ſemel tanto dato exemplo, cruces & in privatis profaniſq; locis adhibuerint, & vltra gliſcente vt fit ſuperſtitione provecti, etiam in ſacra admiſerint. Atq; hæc de Euſebio hactenus, ex quibus omnes, niſi qui ſponte cæcutiūt, vident ne ejus quidem temporibus, id eſt ad a. D. 340. fixa fuiſſe à noſtris ad Eccleſias, aut in Eccleſiis vlla crucis ſigna. Anteriorum temporum pauciſſima loca apud veros eorum Scriptores reperiuntur quæ cum ſupra recitatis Latinorum teſtimoniis de crucibus apud Eccleſias ſuas fixis comparare poſſimus, quod res Chriſtiana diu abſque baſilicis ſteterit, quæ nunc *Eccleſiæ* vocantur, quæq; ſerò tertio demum ſæculo extrui à noſtris cœptæ videntur. Vnus occurrit in Recognitionibus locus, qui cū iis quæ ſupra ex Ieſuita Solerio recitavimus, commodiſſime comparari poteſt. Nimirum vt apud hunc Fitandinus quidam Bonzius ad ſacra Latina converſus domum ſuam in Eccleſiam mutavit; ita apud Pſeudo-clementem Theophilus Antiochenus ejurato Paganiſmo Chriſtianiſmum amplexus, cum eſſet *cunctis potentibus in civitate ſublimior, domus ſuæ ingentem baſilicam Eccleſiæ nomine conſecrat.* Sed Solerius addebat Bonzium ante ſuæ illius ex domo dedicatæ Eccleſiæ limen pulcherrimam crucem conſtituiſſe; Pſeudo-clemens de ſuo Theophilo nihil tale adiicit; Hic tantum dicit, *in illa baſilica Petro Apoſtolo conſtitutam eſſe ab omni populo cathedram, & omnem multitudinem quotidie ad audiendum verbum veniſſe.* Cur non vt *cathedram in baſilica conſtitutam*, ſic quoq; *crucem in ejus limine fixam, aut ad eam poſitam fuiſſe* dicit, quod dicebat Solerius in loco planè ſimili? Cur populum in baſilicam vt *ad audiendum verbum, ſic ad crucem adorandam conveniſſe,* non dicit; quod quoſdam Ieſuita de ſuis ſupra dixiſſe audivimus? Res clara eſt. Nimirum in Solerij & Ieſuitarum religione crucis ſigna & ad Eccleſias figuntur, & à populis adorantur; Pſeudo-Clementis ævo (quod in primam tertij ſæculi partem incidiſſe videtur) neutrum horum erat apud Chriſtianos in vſu.

Sol. Iapon. l. 5. c. 3. §. 23.

Clem. Recogn. l. 10. p. 55. G. H.

CAPVT

CAPVT IX.

Argumentum III. Quod in cœmeteriis, & ad ſingula fidelium monumenta, cruces lapideas, ligneáſve figi & ſtatui pro ſolenni Latinorum more, in vetuſtiſſimo ad a. D. 300. Chriſtianiſmo inauditum & ignotum fuerit.

IDEM quoque ex altera de crucibus quæ in cœmeteriis & ad ſepulcra figuntur, obſervatione evidentiſſime confirmatur. Illæ enim in Latinorum libris paſſim; in vetuſtiſſimorum ante a. D. 300. Chriſtianorum monumentis nunquam occurrunt. Balthazar Gagus, vnus ex Ieſuiticis Iaponum Apoſtolis, res ſuas a. D. 1555. geſtas narrans, tradit ſe crucis trophæa Fitandi in cœmeterio, magna neophytorum, & Luſitanorum, qui aderant, gratulatione defixiſſe. Et Villela, homo ejuſdem ordinis a. D. 1559. ſcribit Fitandinos cives à Bonzio quodam irritatos, crucem in cœmeterio poſitam effregiſſe, idque ſuos neophytos vehementius pupugiſſe. Et Aloyſius Almeida ejuſdem quoque gentis ex eadem ſocietate Apoſtolus in ſuo de rebus ibidem an. D. 1562. geſtis commentario, narrat ſe neophytos circa Bungum ſuos inviſentem quaſdam apud eos areas defixis crucibus ſepulturæ dicaviſſe. A. D. 1563. idem qui ſupra, Gaſpar Villela, ſed in alio commentario, vbi ſuorum apud Iapones incrementa jactat, præter alias Eccleſias, quas enumerat, Curamenſe fanum edit cœmeterio circumdatum, & in medio ſtantem celſam lapideam crucem; quam Solerius quoque memorat in ſuis Iaponicis, & egregij operis fuiſſe, & à Balthazare Gago pòſitam ſcribit. Sed & Villela idem refert Cocinoci, cum cives Ieſuiticum Evangelium admiſiſſent, templum in primis ædificatum fuiſſe & prope defixam ad cœmeterium crucem. Denique ne ejuſdem generis plura ad faſtidium congeram, Ioannes Vreman, ipſe quoque Ieſuita, in commentario rerum Iaponicarum an. 1615. & 1616. Mamaſacæ in cœmeterio crucem fuiſſe tradit altam palmos XV. Neque vero iidem ſepulcrales ſingulorum cruces omittunt. Idem ille Vreman eodem loco narrat ad ſingulos Mamaſacenſis cœmeterij tumulos cruciculas extitiſſe. Et Solerius refert Hieronymum, Regis Bungenſis nepotem, ex vulnere in bello accepto decumbentem juſſiſſe, vt ſupra ſuum ſepulcrum crux erigeretur idque factum eſſe, vt juſſerat, cum ille eſſet paulò poſt mortuus. Idem auctor alibi tradit cum neſcio quis optimæ notæ neophytus ad plures migraſſet, crucem in ejus ſepulcro erectam eſſe. Sed neque eas cruces tacent, quas in piorum apud Latinos funeribus geſtari perferriq; ſolenne eſt. Gagus in Iaponibus ſuis excolendis laborans, cum adhuc magna iſtic eſſet rerum ad religionis Latinæ vſus ſolennium penuria

Epiſt. Iapon l. 2. p. 167. B.
Ibid. p. 134.
Ibid. l. 3. p. 181.
Ibid. l. 4. p. 200.
Solier. Iapon. l. 3. c. 2.
Epiſt. Iap. l. 4. p. 211.
Ann. Iap. a. 1615. 1616. p. 63.
ibid.
Solier. Iapon. l. 10. c. 20. §. 157.
Ibid. l. 17. c. 5. p. 499.

CAPVT IX.

nuria, deſiderare ſe fatetur crucem inauratam cum artificioſa Chriſti pendentis effigie, quæ in pompis funebribus excelſa erectaque geſtetur, *quibus* (inquit) *hi barbari tantopere permoventur, vt cogantur fateri nihil eſſe Chriſti legibus comparandum.* Ille verò *Papæ Latini leges* dicere debuerat. Neque enim Chriſto quicquam cum his commune eſt. Iarricus quoque cujuſdam infantis Afri (ni fallor) meminit, quem mortuum ſic à Ieſuita compoſitum & tumulo illatum ſcribit, vt inauratam crucem junctis inter ſe manibus teneret. Hæc apud Latinos. Apud veteres & cœmeteria & tumulos & funera ſatis ſæpe reperies; nuſquam in iis, aut ad ea, vel vnam crucem offendes. Cœmeteria quidem ab iis crebro memorantur, quorum præter proprium ad fidelium ſepulturas officium, vſus etiam ad ſacros noſtrorum conventus erat, eoque crucibus duplici hoc mortuorum & viventium nomine; etiam quam Latina, diligentius, atque ſollicitius, ſive ornari, ſive muniri debuerant. Nuſquam, vbi memorantur, vlla crucis mentio. Vt in veteri Pontificali Romano, quod *Damaſi* vulgo dicitur, vbi de Calliſto Romæ Epiſcopo. *Fecit* (inquit) *aliud cœmeterium via Appia, vbi multi ſacerdotes & Martyres requieſcunt, quod appellatur vſque in hodiernum diem Cœmeterium Calixti.* De cruce in illo poſita nihil Baronius hujuſmodi cœmeteria quale hoc Calixti fuit, in cryptis ſubterranea in Romanis ſubvrbiis recenſet, & nominat XLIII. neque in iſtorum aliquo poſitum fuiſſe hodierno Latinorum ritu obſervat vllum crucis ſignum. Quod mihi magno argumento eſt Annaliſtam nullum ejus rei apud veteres reperiſſe documentum. Id enim ſi quod reperiſſet, non erat omiſſurus vir cauſæ Latinæ præter omnem modum ſtudioſus. Neque crucium erectarum meminit Hieronymus, quo loco exponit qualis eſſet horum cœmeteriorum forma: docens *cryptas fuiſſe quæ in terrarum profunda defoſſa, ex vtraque parte ingredientium per parietes habent corpora ſepultorum, & ita obſcura eſſe omnia, vt propemodum* (inquit) *illud Propheticum compleatur.* Deſcendent in infernum viventes. Prudentius de loci forma eadem teſtatur, vbi de Cyriacæ cœmeterio verba facit. Sed neque ipſe quicquam de crucis ſignis habet; quæ ſi qua iſtic fuiſſent, non eſt dubitandum, quin ea perſecutores in edictis contra Chriſtianos ſuis memoraturi fuerint, At conſtat, quod ſupra ſuo loco demonſtravimus, Diocletianum Eccleſias quidem dirui, & Scripturas comburi juſſiſſe; cruces everti nullas, vel Eccleſiarum, vel cœmeteriorum præcepiſſe. Idem ex illa, de qua antea diximus, plebis Carthaginenſis adverſus noſtros exclamatione intelligitur, poſtulantis quidem *ne ſint areæ* (id eſt cœmeteria, ſive ſepulturarum loca) de crucis ſignis nihil addentis, quibus tamen etiam quam areis multo infeſtiorem futurum fuiſſe veriſimile eſt, ſi quas in noſtrorum areis extantes vidiſſet. Nullæ ergo fuerunt. Meminerunt & ſepulchrorum veteres, cruciculas iis additas, vel ad ea erectas cruces, nuſquam quod ſciam invenies. Inſignis eſt

Epiſt. Iap. l.2. p.105.

Iarric. Indic. l. 5. c. 51. p. 445.

Pontif. Dom. in Calixto. p. 6.

Bar. a. D. 226. §. 9.

Hieron. in Ezech. c. c 40.

Prudent. Hymn. 11.

Hegeſippi

Hegeſippi vetuſtiſſimi ſcriptoris, eam ad rem locus; vbi Iacobi Iuſti Hieroſolymitani Epiſcopi martyriũ executus, addit, *Et ſepelierũt eum in loco, & adhuc manet ejus columna prope templum.* καὶ ἔθαψαν αὐτὸν ἐν τῷ τόπῳ, καὶ ἔτι αὐτοῦ ἡ στήλη μένει παρὰ τῷ ναῷ. Qui columellam ad Sancti viri monumentum erectam dixit; an is obſecro ſactum crucis ſignum erat indictum prætermiſſurus, ſi quod eſſet Latino ritu appoſitum? Ne dubites, quod tali loco tacuit, nullum revera fuiſſe; quod profecto ad tanti viri tumulum nõ erat nullum futurum, ſi cæterorum fidelium ſepulcris tale quid apponi mos jam tum fuiſſet.

CAPVT X. *Hegeſ. apud Euſebium Hiſt. l. 2. c. 23. fol. 19. M.*

CAPVT X.

Argumentum IV. Quod vetuſtiſſimis trium primorum ſæculorum Chriſtianis ignotus & inuſitatus fuerit ſolennis Latinorum ritus crucis ex ligno & aliis materiis ſigna in privatis ædibus, ad vias, & ad loca publica, in montibus & in inſulis figendi atque conſtituendi.

DENIQVE cruces à Latinis, non modo ad Eccleſias, & in cœmeteriis, ſed etiam in privatis ædibus, quin etiam ad vias publicas, & in montibus, inſuliſque, & aliis quibusvis locis conſtitui ſolere iidem ipſorum libri paſſim loquuntur, vt cum neophytam quandam mulierem Sinenſem memorant in domus ſuæ parte honoratiſſima crucem fixiſſe; apud quam proſtrata preces fundens, dæmonem, qui locum infeſtabat, inde expulerit; Et Froës ſcribit Iaponem quemdam ſenem Ieſuitæ ſe inviſenti oſtendiſſe, in remota & poſtica ædium parte crucem duos cubitos & ſemis longam, ante quam & ipſe & vicini preces ſuas Deo perſolverent. Ipſos Ieſuitas cum primum in Iaponiam venerunt, domo Bungi ædificata legimus apud Alcaveram crucis admodum excelſa trophæa defixiſſe. Solerius id diſertè tradit, & Froës ſignificat, dum in Iaponico an. 1563. commentario refert, Ximabaræ Bonzium quemdam cum in Ieſuitarum ædes irrupiſſet, poſitam ibi crucem effregiſſe. Quo loco idem docet hunc eſſe neophytorum morem, vt cruce in charta depicta, & ad ædium fores affixa ſignificent ſe Latinam religionem ſuſcepiſſe, ac profeſſos eſſe. Quo illud quoque pertinet, quod in annali quadam de Iaponicis rebus epiſtola perhibent neſcio quem *Romanum* inſignem ſacrorum Latinorum zelotam, in ipſo ſtatim perſecutionis primo impetu, quo ſuam in ſuſcepta fide conſtantiam oſtenderet, & ex collo precatoriam coronam ſuſpendiſſe, & crucem domus ſuæ foribus affixiſſe. In Braſilia idem, qui apud Iapones, vſus. Nam & illic diſcimus ex Ieſuitarum annalibus, in agris & in caſtellis paſſim cruces erigi, ante quas barbari genibus nixi Litanias ſuas recitant; & vnum ex neophytis, à

Annal. Sin. a. 1620 p. 136. *Froes. ep. 2. a. 1595. p. 231.* *Epiſt. Iap. l. 1. p. 83. B.* *Soler. Iap. l. 3. c. 2.* *Epiſt. Iap. l. 4. p. 213.* *Ann. Iapon. a. 1615. 1616. p. 60.* *Ann. Braſil. a. 1577. p. 37. 58.*

FFfff Ieſui-

CAPUT X. Ieſuitis petiviſſe vt ſibi liceret crucem in villa quadam ſua erigere. In montibus vero, & collibus, viiſque, & aliis locis fixæ à Latinis ritus hominibus cruces paſſim in iiſdem libris cernuntur. Icoxiuræ apud Iapones non procul à Firando incolas neophytos crucem habere memorat Almeida in monte ſummo à Patre quodam Ieſuitici ſodalitij Barreto defixam. Organtinus, nobilis in primis Iaponum ex illo grege Apoſtolus, *Variis (* inquit *) in locis crucis aliquot excelſas effigies reverenter & devotè ereximus; diabolo per obſeſſas aliquot Gentilium fauces* vociferante cruces illas Iaponicarum legum obſervantiam abolituras; maturè malo occurrendum; alioqui de Iaponum ſalute actum eſſe. Tum ibidem narrat, ſe quoties Meaco egrediens pagodum quoddam in conſpectu haberet apud idololatras celeberrimum, in vicino monte deſerto, & admodum excelſo poſitum, toties conſecraneis comitibus declarare ſolitum quanto deſiderio torqueretur pagodi exſcindendi, & locum hunc Michaëli Archangelo extructo ibidem templo conſecrandi, ſeque cogitare proceram ibi crucem in montis cacumine erigere; vnde à tota Meacenſi civitate videri & adorari poſſet. Refert alter ejuſdem ordinis ſcriptor Gabriel de Mattos, cum in vrbe Conſura, miſſo in exilium Ieſuita, qui iſtic ſedebat, everſa eſſet Eccleſia, exciſæque omnes cruces, aliquanto poſt fuiſſe à ſuis in monte erectam crucem apud quam preces ſuas religioſas funderent. Barſæum quoque apud Iarricum legimus cum Iogum, id eſt monachorum Gentilium præfecto de religione collocutum, crucem in montis, quem iſti prope Armuſiam incolebant, ſummo cacumine fixiſſe. Tradit idem Iarricus quoſdam ſuos ab Alexio Goæ Archiepiſcopo miſſos ad Mallæanos convertendos, crucem in primis in ſummis, quos Mallæani tenent, montibus poſuiſſe, & Eccleſiam ibidem Michaëli Archangelo deſtinaſſe. Simon Sa, cum Papas Indus regulus poteſtatem faceret Eccleſiæ in ſuo ſolo condendæ, ſe crucem primo in ſumma arce erigere voluiſſe. Hic enim iſtorum mos eſt, vbi primum pedem in aliquam provinciam aut civitatem intulerunt, illic ſtatim & ante omnia crucem erigere. Sane cum in Tunquimenſe regnum Alexander Rhodius, & Petrus Marqueſius Ieſuitæ ante annos duos & triginta veniſſent, ex nuperis iſtorum Annalibus diſcimus nihil eos habuiſſe antiquius, quam vt crucem in ſummo altiſſimi cujuſdam montis vertice collocarent ac defigerent. Præiverat princeps iſtorum Apoſtolus Xaverius, qui ad Amboinum Eoi maris inſulam profectus, paſſim iſtic multis locis cruces erigi juſſit, quarum vnam inſigni ab incolis fide adverſus Mahumedanorum furorem defenſam, ſupra memoravimus. Auctor Iarricus, qui in eodem libro inter cætera, quibus Latinam Paravarum Indorum pietatem extollit, neque hoc omiſit, quod cruci eximios honores deferant, multaque grandia ejus ſigna compluribus locis defixerint. Affirmat apud ea non ipſos modo, ſed etiam Paganos orationes & oblationes ſuas religioſas

Epiſt. Iap. l.3. p.187.

Ann. Iapon. a. 1577. p.35. A.

Ann. Iapon. a. 1614. p.585.

Iarric Indic. l. 4. c.7. p.455.

Ibid. l.6. c.15. p. 65.

Sa in epiſt. ad Timent. a. 1598.

Cerdim in relat. Tunc. a. 1644 p.63.

Iarric Indic. l. 2. c. 6 p. 642.

Ibid. p.648.

Ibid. c. . p. 41.

CAPVT X.

ſas facere; & merito quidem ſi optimo Ignatij myſtæ credimus, *quia multi (*inquit*) non tantum noſtri, ſed etiam Gentiles quæ poſtulant, ea crucem adorantes impetrant.* Itaque juſtiſſima (quis neget?) indignatione percitus noſtros homines (quos ſolenni ſuæ ſectæ maledicentia *hæreticos* vocat) Ethnicis hac in parte pejores eſſe pronuntiat. Ita quoque recentioris memoriæ ſcriptor Cardimus inter alia Latinæ religionis indicia, quam in maritimis Travancoris apud Indos oris florere prædicat, multas illic cruces, Eccleſiaſque pulcherrimas paſſim occurrere ſcribit. Eodem quoque pertinet, quod idem Bacchanæ, vnius ex Moluccis inſulis, regulum narrat, cum ſua ſacra ad promerenda Luſitanorum auxilia, eſſet amplexus, ſtatim cruces in ſuæ ditionis locis figi atque erigi juſſiſſe, & paulò poſt Maſcarenium Ieſuitam in Sanguimo ejuſdem maris inſula, cum Regem omneſque ejus aulicos baptizaſſet, curaſſe vt iſtic præcelſam ac prægrandem crucem in primis ſtatuerent, *quam (*inquit*) ſimul vt erecta fuit, omnes de geniculis devotiſſimè adorarunt.* In alia item inſula cui *Burro* nomen eſt, baptizatos refert à Luſitanis fuiſſe inſulanos ad quatuor aut quinque hominum millia; nulla alia fidei doctrina tum imbutos, niſi hac vna, vt crucem, quam in inſula defixerant, adorarent, memoria recolentes, Chriſtum pro mundi ſalute crucifixum, & ſi quid apud Deum rogare vellent, coram ea ſupplices in genua provolverentur. Idem libro ſequente res in Congi regno à ſuis geſtas deſcribens, dicit Alvarem illius gentis Regem Ieſuitæ provinciam illam ad ſacra Latina erudienti ampliſſimam poteſtatem dediſſe in omnibus ditionis ſuæ terris prædicandi, & CRVCES erigendi, & Eccleſias condendi. Eodem pertinet, quod Gonçales Mendozza ſcribit Cambayæ apud Indos Regem Silveſtro cuidam Monacho condendarum in regno ſuo Eccleſiarum poteſtatem feciſſe, magnumque paſſim toto regno fuiſſe crucium erectarum numerum. Alibi cum Ieſuitarum neophyti rupem quandam occupaſſent, in qua à Gentilibus Indis Pecureal, idolum tota India celeberrimum, præcipua ſub Simij ſpecie religione colebatur, quo loco fabuloſa ejus veſtigia monſtrabantur narrat à ſuis elegantem conſtitutam eſſe crucem, quæ eminus vndiquaque in omnium oculos incurreret. Quale illud etiam eſt quod annales tradunt Ieſuitarum diſcipulos, cum homo Gentilis in quadam apud Iaponas inſula idolo Chami voluiſſet erigere *Eccleſiam* (ſic enim loquuntur, fano Paganico nomen *Eccleſiæ* tribuentes) ipſos ibidem crucem contra erexiſſe; item quod tradit Froes Bartholomæum Iaponem Regem everſo cujuſdam idoli fano, ſignum crucis eodem loco erexiſſe. Iarricus itidem ſcribit quemdam Ieſuitam cum ad Indum Principem Sobam, à quo erat accerſitus, proficiſceretur, idola quæ occurrebant, exſcindi, cruceſque in idolorum locis paſſim reponi, quacumque iter faceret, curaſſe. Sic quoque in Braſilia gentis annales Ieſuitici narrant duos illius ordinis viros, in Salemæ ducis, cujus

Cardim. Rela. Ind. Part. 2 p. 235.

Ibid. c. 29.

Ibid. p. 685.

Ibid. p 692.

Lat. edit. p. 784.

Ibid. l. 3. c. 5. p 71.

Mendoz. Sinic. Part 2 l. 3. c. 21. p. 306. B.

Iarric Indic l. 1. c. 18. p. 715. edit. Lat. p. 244

Ann. l. I. pon. a. 1604 p. 173.

Epiſt. Iap. l. 4. p. 210.

Iarric Indic l. 3. c. 6. p. 89.

Annal. Braſ. a. 1577. p. 73.

CAPVT X. erant comites contra Tamoyanos expeditione cruces in quibuſcumque locis exercitus ſtativa haberet, ſtatim erexiſſe. Sed & poſitas ad vias publicas à ſuis cruces nonnunquam memorant; vt in Tambæ apud Iapones regno, in quo & plurimas paſſim excitatas in genere dicunt, & vnam in primis elegantem ac celſam ad viam ipſam publicam poſitam; quam tamen Ieſuitæ, vt ſunt prudentes, ſubducendam, & ſub Eccleſiæ tecto habendam cenſuerunt, ne eo ſpectaculo Gentilium animi irritarentur. Iarricus hunc eſſe ſuorum ritum docet, quo loco veluti rem Æthiopum ſingularem notat, quod illius gentis homines cruces de collo quidem ſuſpenſas geſtent, non tamen ad vias & in montibus eaſdem collocent, vt eſt ſcilicet Latini moris. Eo factum eſt, vt Ieſuita neſcio quis omnes ſuos in Æthiopia neophytos hortatus ſit aliquando ad erigendam in ſuis ædibus, & in montibus locisq; eminentioribus crucem: vt eſt in Alfonſi Mindeſij, Latini gentis illius Pſeudo-patriarchæ, litteris ad Vitelleſcum ſcriptis. Ex horum quæ recitavimus quibuſdam obſervare eſt crucem in terra defixam Latinis ſæpe fuiſſe pro Eccleſia. Quo pertinet id quod alibi narrant, ſe in Manapalis caſtello crucem fixiſſe ad quam confugere ſoleant illius regionis Chriſtiani, quoties morbis, aut aliis malis premuntur. Sic & apud Trigautium legimus quaſdam Iaponum fuiſſe familias ad Latinam fidem ab homine Laïco converſas, & ſacro baptiſmo tinctas, eaſque per ſe abſque Sacerdote degentes crucem decenti loco poſuiſſe, apud quam certis ſtatiſque diebus colligi, precari, litanias vna recitare, corpus flagellis ad pœnitentiam ſubigere ſolerent: idque ipſum tradit alius annalium ex eodem ordine ſcriptor. Atque hunc iſtorum vſum ne Paganis quidem & Barbaris plane ignotum eſſe inde apparet, quod Cangoximæ Rex apud Iapones, homo Ethnicus, ad Quadrium Ieſuiticæ apud Indos ſocietatis præfectum ſcribit, cives ſuos Latinis ſacris à Ieſuitis imbutos, eorum nunc præſentia deſtitutos ſe interea crucis cujuſdam excelſo loco poſitæ aſpectu ſolari. Hæc de Latinis hactenus, quorum, vt breviter dicam, planè nihil apud primos Chriſtianos in veris eorum monumentis occurrit. Ac primò illud Apoſtolorum Latinorum inſtitutum *crucis ſigna*, veluti totidem ſacri belli vexilla, in iis locis erigendi, ad quæ perveniunt, tantæ vt prædicant efficaciæ, vt gentium dæmonia vbi ea primum conſpiciunt, ſtatim exclament de idololatria ejuſque legibus actum eſſe: illud inquam, tam vtile, tam mirabile inſtitutum apud Chriſti Apoſtolos requiro. Eos apud Lucam lego Chriſti Evangelium longè lateque prędicaſſe ac propagaſſe; Philippum, Petrum & Ioannem Samariæ [a]; Petrum Cæſareæ in Paleſtina [b], Antiochiæ in Syria [c], quoſdam primum diſcipulos, mox Barnabam quoque & Paulum, & vtrumque paulò poſt in Cypro [d], tum in Piſidia Antiochiæ [e], & Iconij [f], & Lyſtris [g]; Paulum inde video idem opus ſtrenuè vrgere ac promovere Philippis [h], & Theſſalonicæ [i] in Macedonia: tum Athenis [k], & Corin-

Sol Iap. l. 15. c. 20. p. 387. & Ann Iapon a. 1604. p. 283. 284.

Iarric. Indic. l. 5. c. 31. p. 235.

Litt. Mendeſij a. 1626. p. 225.

Ann Cocin. a. 1582. p. 13 B.

Trigaut. Mart. Iapon. l. 2. c 17.

Ann. Iapon. a. 1613. p. 116. 116.

Epiſt. Iapon l. 3. p. 190.

a *Act. 8. 5. 14.*
b *Act. 10.*
c *Ibid. c. 11. 20. 21.*
d *ibi. c 13. 4. 5.*
e *ibid. c. 13 14.*
f *ibid. c. 14. 1.*
g *ibid. c. 14. 7.*
h *ibid. c. 16. 12. 13*
i *ibid. c. 17. 1.*
k *ibid. c. 17. 16.*

Corinthi [l], & Epheſi [m], & Troade [n], & in Melita inſula [o] & poſtremo Romæ [p]. Magno eos populorum concurſu, admirabili non paucorum vtriuſque ſexus mortalium fide audiri cerno, *crucis ſigna* in vlla iſtarum, quas dixi, vel regionum vel civitatum erexiſſe, aut poſuiſſe non lego, vel publicè in aliquo monte, (quod Orlandinus apud Sinas, Alexander & Markeſius apud Tunkimenſes, alij apud alios Latini feciſſe dicuntur) vel ſaltem quod Ieſuitæ apud Sinas in ſuis ædibus, Paulus, verbi gratia in Tyranni illius Corinthij Schola, in qua quotidie diſputaſſe dicitur [q]: & Romæ in domo illa conducta, in qua biennium habitaſſe cognoſcitur [r]. Apoſtolorum, ſi Dominicorum eadem diſciplina fuiſſet, quæ nunc Loyolitarum eſt, crucis ſignum in primis, vt hi in Papi Indi arce, & Mallæanorum montibus; ita Paulus in Corinthi acropoli erexiſſet; ac vt illi in Amboino, in Bacchana, in Sanguimo, in Burro, Eoi; ita & hic quoque in Cypro & in Melita mediterranei maris inſulis, idem illud ſalutare ſignum defixiſſet, idque eo facilius ac promptius erat, quod viros in vtraque inſula primarios, in Cypro Sergium Paulum Proconſulem, in Melita Publium inſulę principem, benevolos & faventes haberet, hunc reſtitutæ, patri ejus valetudinis beneficio, illum communicata Servatoris fide ac ſalute, ſibi obligatos. Et *grandia* haud dubie *crucis ſigna, compluribus locis*, vt Paravæ Ieſuitarum, ita & Antiocheni, & Corinthij, & Epheſij, Pauli diſcipuli, vel certe eorum aliqui poſuiſſent. Hæc verò ſi olim feciſſent Ieſu Apoſtoli, eorúmve neophyti, Lucas profectò æquè dixiſſet, ac nunc eadem ab iſtis (vt ſe vocari volunt) Ieſu Sociis facta haud perfunctorie narrare videmus eorum actuarios & Annaliſtas. Nihil tale Lucas dixit. Nihil ergo tale ab Apoſtolis & eorum neophytis factum eſt. Id autem fieri debebat, ſi crucis ſigna eodem apud Apoſtolicos loco ac numero fuiſſent, quo nunc apud Latinos ſunt. Eadem ad Pſeudo-Clementinos Petri actus obſervari poſſunt, fictos quidem illos fateor, ſed tamen ad Chriſtianæ tertij ſęculi diſciplinę formam fictos, & inſtitutos. Nam & iſtic hoc quoque abnorme eſt, & à Latinis moribus alienum, quod neque Barnabas Romanum ſolum, quo Chriſtum primus intuliſſe fingitur, vllo defixo crucis ſigno imbuiſſe dicitur; vllúmve ex famoſis illis ſeptem jugis ligno ſalutari conſecraſſe: neque Petrus vel Cæſareæ †, vel Tripoli*, vel Laodiceæ, vel Antiochiæ, vel vllo denique eorum locorum, quæ adiiſſe iſtic narratur, lignea illa ſaxeáve Latinæ crucis trophæa explicaſſe.

CAPVT X.

l *ibid. c. 18. 1.*
m *ibid. c. 19. 1.*
n *ibid. c. 20. 7.*
o *ibid. c. 28. 7. 8. 9.*
p *ibid. c. 28. 30.*
q *ibid. 19. 9.*
r *ibid. 28. 30.*
Clem. in Recogn. l. 1. fol. 2. 3.
† *ibid. l. 1. fol. 3. & ſeq.*
* *ibid. l. 4 init.*

CAPVT XI.

Argumentum V. Quod in Baptiſmi adminiſtratione crucis, ex materia aliqua factæ vſus, apud Latinos quidem plurimus, ac perpetuus ſit, apud vetuſtiſſimos vero planè nullus fuiſſe deprehendatur.

HACTENVS de locis ex quorum occaſione cruces Latini ſcriptores memorare ſolent. Nunc obſervanda ſunt rerum & actionum ipſarum momenta, quibus eorum quoque apud eoſdem mentio ferè fit. Principio in ipſa catechumenorum initiatione cruces
Ritual. R. p. 5. ſtatim occurrunt. Ex ipſo Romano rituali jam ſupra recitavimus, Preſbyterum non aliter in baptiſterium deſcendere quam clericis crucem cum candelis & thuribulo præferentibus. Et in ipſo ſolemnis illius baptiſmi limine, qui Goæ Indis catechumenis adminiſtratur,
Iarr. Indic. l. 2. c. 3. p. 314. 315. crux ecce ſtatim apud Iarricum occurrit, quam præviam *doctrinæ* (vt vocant) Chriſtianæ pueri procedentes ſequuntur, bini ac bini, albati omnes, coronatique frondoſos ramos manibus geſtantes; totum poſtremo horum & aliorum procedentium agmen claudunt Ieſuitæ, crucifixi vexillo* his quoque præeunte. Catechumenis ad ædem ſacram procedentibus alumni collegij, ſacris ſervientes, ipſi quoque
**Ibid. l. 6. c. 17. p. 708.* crucem geſtantes obviam procedunt*. Idem auctor alibi narrat Buceriuм Ieſuitam infanti trimo à ſe tincto crucem de collo ſuſpendiſſe, in amuletorum locum, quæ antehac in Paganiſmo geſtarat. Borrus
Borr. Relat. Cocinſ. part. 2. c. 5. ſe ipſum teſtatur matronæ cuidam Cocinſinenſi, puellíſque ei miniſtrantibus, ſimul atque omnes baptizaviſſet, præter [illegible] ſacra munuſcula, *cruces* nominatim donaviſſe. Froës verò auctor eſt hoc in ge-
Ep. Iapon. l. 4. p. 205. nere apud Iapones ſolenne eſſe, vt ſingulis à baptiſmo crucis ſigillum è collo geſtandum detur, & precandi cauſſa etiam roſarium addatur. Hæc apud Latinos de ritu occurrunt, quo ſuos baptizant. Apud veteres primæ memoriæ Chriſtianos, nihil ſimile. Sunt plura in eorum libris loca, vbi baptiſmi ritus deſcribuntur; vt, verbi gratia, apud Iuſtinum in Apologia. Qui prædicationi crediderint, & Chriſtiani fieri voluerint, eos narrat primo precibus & jejuniis operam dare, iiſdem
Iuſtin. Apol. 2. p. 73. l. 30. quoque exercitiis ſacris vacante Eccleſia. *Deinde eo (*inquit*) ducuntur à nobis, vbi aqua eſt.* De cruce ad aquam ſuſcipiendam procedentibus præeunte, vt in Goanorum competentium baptiſmo, plane nihil dicit. Poſtremo *eos aqua in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti lavari.* Neque hic quicquam habes de cruce preſbytero eos
Tertull. de bapt. c. 6. 7. 8. & ſeqq. p. 258. initianti prælata. Tertulliani librum & quidem ſatis prolixum, de baptiſmo totum habemus; in quo omnes Sacramenti ritus ablutionem, vnctionem, manus impoſitionem, & ſi quid eis erat annexum, diligen-

diligenter & copioſe exponit. De crucis ſigno vel miniſtris, vel ini- Caput XI.
tiandis, prælato, vel his poſt initiationem dato, & adcollum ſuſpen-
ſo, nullum fit in toto hoc ſermone verbum. Ne in Conſtitutioni-
bus quidem Pſeudo Clementis quicquam hujuſmodi occurrit, quo
loco baptiſmi ritus ex profeſſo explicantur: Sacerdotem jubet ini-
tiandum primo inungere, tum tite aqua tingere, denique vnguento *Conſtit. Apoſt. l.7.c.37.p.977.*
conſignare, neque jejunium tacet, quo initiandus à principio ad ba-
ptiſmum ſuſcipiendum accingere ſe debet. De baptiſmi adminiſtra-
tione ſimilis hujus eſt Petri in Recognitionibus conſtitutio. De cru- *Clem. Recogn, l.3,fol.24.C.D.*
cis ſigno vel ſigillo, non magis Διαταγαῖς, quam Iuſtinus, vel Tertul-
lianus, verba facit. Et hoc tamen ejus opus omnino poſt à.D. trecen-
teſimum ſcriptum fuiſſe videtur. Etiam iſto ille recentior eſt, qui
aſſumpto Dionyſij nomine, hierarchiam Eccleſiaſticam, quinto (vt
non abs re judicant eruditi) ſæculo compoſuit. In ipſo operis limine
occurrit accuratiſſima baptiſmi adminiſtrandi forma; in qua Epiſco-
pus gratiis actis Deo, *omnem ſacrum ordinem (id eſt omnes Eccleſiæ
ſuæ clericos) in ſacrum locum cogit.* Nimirum ipſe cum clero pro-
cedit ad Eccleſiam. Hic crucis, vt vides procedenti præeuntis
erat locus; Ille vero nullus ejus meminit. Deinceps ſuo ordine.
dum initiandus à preſbyteris toto corpore inungitur, Epiſcopus ad
Fontem vadit ſive *baptiſterium* (noſter hierophantes τὴν μητέρα τῆς υἱο-
θεσίας *matrem adoptionis* pro conſueta magniloquentia vocat) aquas
benedictione ſanctificaturus. Nullos hic clericos crucis ſignum cum
candelis & thuribulo Epiſcopo ad fontem deſcendenti ex Latina diſci-
plina præferentes memorat, Quis id myſterij omiſſurum, ſi tum in
vſu fuiſſet, tantum tali loco myſtagogum credat? Atqui tres illas vn-
guenti affuſiones, quibus fontis aquæ ſanctificantur, ςαυροειδῶς, id eſt *Ibid.§.7.p. 217.B.*
in *crucis formam* fieri diſertè hoc ipſo in loco præcipit. Cur qui hoc
crucis evanidum in aqua ex vnguento ſignum dixit; illud aliud ex me-
tallo vel ligno epiſcopo prælatum tacuiſſet, ſi tum temporis præfer-
ri ſolenne erat? Neque in aliis veterum libris magis, quam in Ritua-
libus, vlla fit ſignorum crucis in baptiſmi adminiſtratione mentio. A- *Act.8.12.38. & 10.47. & 16.15.33.*
ctus Apoſtolorum extant divinitus à Luca deſcripti. In iis multi à
diverſis miniſtris baptizati memorantur, Samaritani & Eunuchus Æ-
thiops à Philippo; Cornelius Centurio Gentilis à Petro, Lydia pur-
puraria cum tota domo, & carceris item Philippenſis cuſtos cum o-
mni familia à Paulo. Sed quod Bucerius infanti, Bortus mulieribus
à ſe initiatis dediſſe leguntur, quod Froës omnibus Iaponibus à baptiſ-
mo dari, crucis de collo geſtandum ſigillum tradit, id neque Philip-
pum Samaritanis & Æthiopi; neque Petrum Cornelio, neque Pau-
lum Lydiæ, vel Philippenſi commentarienſi, vel vlli ex vtraque hac
familia dediſſe vſpiam dicit Lucas. Si datum fuerat, cur tacuit Lucas,
quod Latini ſcriptores in paribus locis diſerte memorant? Si datum
non fuerat cur non dederunt Chriſti Apoſtoli, quod dari debuit, ſi hic

CAPVT XII. jam erat tum publicus & Chriſtianorum omnium communis crucicularum vſus? Hujuſmodi ſigna nulla dediſſe baptizatis Apoſtolos vincit Lucæ ſilentium; Nulla primæ illi Eccleſię nota fuiſſe vincit Apoſtolorum factum. Sed hæc ne in fictis quidem Apoſtolorum actis vlla reperiuntur. Petrus in actis, quos ei vetus ſcriptor ipſo Origene antiquior, affinxit, Clementem domo Romanum ac Gentilem primo, inde alios qui fidem Domini plene receperant, deducens ad fontes mari contiguos, baptizavit. Sed eos neque præeunte crucis ſigno deduxiſſe, neque tinctos crucicula ex collo ſuſpendenda donaſſe dicitur: quod vtrumque Latinæ diſciplinæ eſſe ea oſtendunt, quæ paulo ante ex Rituali Romano, & ex Ieſuitarum annalibus attulimus. Idem in eodem opere Mattidiam, Clementis matrem itidemque Fauſtinianum ejuſdem patrem, baptizat, nullo adhibito, quod quidem auctor memoret, crucis vel portatili vel geſtatili ſigno. Denique nullum in tota illa ad a. D. 300. antiquitate de baptiſmo locum reperies; in quo aliquod vel ex ligno, vel ex metallo crucis ſignum memoretur.

Clem. Recogn. l.6.extr.C.D.

Ibid. l.7. extr. f.37.9.& l 10. extr.fol.56. I.

CAPVT XII.

Argumentum VI. Quod in Miſſa, id eſt Euchariſtiæ celebratione, & in altaribus, ad qua illa celebratur, cruces materiales apud Latinos quidem fere ſemper occurrant; apud vetuſtiſſimos vero Chriſtianos, nunquam.

SED vt in baptiſmi; ita & in Miſſæ ſive Euchariſtiæ adminiſtratione crucis ſignum apud Latinos crebro occurrit. Epiſcopum quidem, quod jam ſupra attigimus, Miſſale diſerte præcipit ad miſſam dicendam pectorali cruce munitum accedere; & vel ipſum, vel etiam presbyterum in illo ſacro peragendo *cruci reverentiam facere* in eorum libris videmus. Quo & illa pertinent, quæ de crucibus in altari poſitis apud eoſdem ſcriptores occurrunt: vt quod notant Iaponicarum rerum annales Eccleſiam, quæ in Econocani regno erat, *Crucis* ideo dictam eſſe, quod crucem in altari haberet: & cum narrat Iarricus ex crucis Cotatenſis, cujus brachium ſanguinem ſudaverat, plures poſtea eſſe formatas cruces minores in altaribus collocandas. Altare enim vt notum eſt, miſſæ proprium eſt. Sed in vetuſtiſſimis primæ Eccleſiæ monumentis non hoc loco, magis quam cæteris, vlla crucis de hoc genere ſigna reperiuntur. Paulus totum Euchariſtiæ (quam Latini ſuam Miſſam eſſe volunt) ritum in priore ad Corinthios epiſtola; & centum circiter poſt eum annis Iuſtinus in Apologia expoſuit. Neuter de crucis ſigno vel vnum verbum fecit. Apud hunc ὁ προεστὼς, *qui fratribus praeſt*, id eſt Epiſcopus gratias agit; oblata

Miſſ. Rom. Præpar. ad miſſ.

Ann. Iapon. Froes. a 1595. p.116.

Iarric. Indic. l. 6. c.18. p.725.

1. Cor. 11.23.

Iuſtin. Apol. 2. p. 76. l. 33. p. 77. l. 32.

oblata benedicit, & diſtribuit; ſed neque crucis ſigno pectus munit, vt Latinus Pontifex, neque crucis ſigno reverentiam vllam facit. Conſtitutionum parens, Iuſtino multo vt recentior, ita & in hac parte fuſior, totam veteris Eccleſiæ in conficienda Euchariſtia formam, accuratè explicat, quæ qualiſque erat ſuo, id eſt quarto, à Domini in terra natalibus ſæculo. Apud hunc Epiſcopus ſe ad hoc ſacrum accingens, *ſplendidam* quidem *veſtem induere, & ad altare conſiſtere, & crucis trophæum manu in fronte facere* jubetur (quorum nihil apud Iuſtinum cernitur) ſed ne hic quidem vel pectus aureo cruciculæ ſigno munire, vel majuſculo crucis in altari ſtanti ſigno reverentiam vſpiam exhibere dicitur, aut docetur, quod vtrumque in Latinorum ſacris memoratur. Cur frontis per manum in crucem ductam conſignationem ſcriptor talium curioſiſſimus dicit? idem de cruce vel ad pectus pendula, vel in altari poſita, vel ab Epiſcopo adorata nihil dicit? Ille nimirum Eccleſiæ, non Latinæ recentis, ſed ſuæ quarto ſæculo florentis ritus pinxit; apud quam in Euchariſtię liturgia frontem ſignare familiare; crucis verò ſigilla vel geſtare ad pectus, vel in altari collocare, & adorare inſuetum ignotumque erat. Id vero ne quinto quidem ſæculo obtinuiſſe ex Hierarchia Eccleſiaſtica illo, vt videtur, tempore conſcripta, patet in qua cum omnis ſacra ſynaxeos ſive communionis ritus accurate exponatur, ne omiſſa quidem altaris, & totius ſacri ambitus ſuffitione, de aureo ligneóve vel geſtato, vel erecto & adorato crucis ſigno nulla vſquam mentio à curioſiſſimo & moroſiſſimo hierophante facta reperitur. Neque vero in Euchariſtia ſola, ſed & in cæteris Latinorũ myſteriis crucis fit mentio. Vt cum chriſma conficiendum eſt, Pontificem ad id officii cruce præeunte procedere, ſi ſit Archiepiſcopus, ſolenne eſt, & in Pontificali diſertè præceptum. Fateor nullum eſſe primi ac vetuſtiſſimi Chriſtianiſmi locum, quem poſſis cum his Latinorum comparare, quorũ proprium eſt ſcilicet novum hoc confirmationis (vt vocant) ex chriſmate vere ac ſynonimws dictum Sacramentum; antiquæ omni Eccleſiæ ignotum. Sed apud veteres tamen in myſticis baptiſmi cærimoniis jam ab ipſis Tertulliani temporibus, id eſt jam ab ineunte tertio ſæculo, quædam fuiſſe cernitur invnctio ex oleo, vel vnguento: ex qua Latini ſuum illud muſteum confirmationis ſacramentum poſtea effinxerunt. Illius autem vnguenti, quo qui initiabantur, eos poſt tinctionem inungi mos erat, meminerunt & Conſtitutionum parens breviter, orationem recitans qua de eo gratias agebant. & Hierarchiæ Eccleſiaſticæ conditor, qui ejus confectionem ſive conſecrationem ſolenni diligentia exſequitur; memorans in primis *hierarchicam* (hoc eſt Pontificalem) *per totum templum bene fragrantem ſive boni odoris proceſſionem*, τὴν ἱεραρχικὴν ἐπὶ πᾶν τὸ ἱερὸν εὔοσμον προαγωγήν. Pontificem ſignificat cum ſuffitu procedere ad chriſma conſecrandum; Cur non & *prælata cruce* dixit; vt eſt in Pontificali Romano?

CAPVT XII.

Conſtit. Apoſt. l. 8. c. 12. p. 1014. B.C.

Dionyſ. de Eccl. Hierarc. c. 3. p. 242. B.

Pontif. Rom. Part. 3. p. 408. A.

Conſtit. Apoſt. l. 7. c. 28.

Dion. Hierarc. Eccleſ. c. 4. p. 281.

CAPVT XIII. Nimirum crucis ex metallo vel ligno ſigna. Pontifices nondum illis temporibus in his myſteriis vſurpabant.

CAPVT XIII.

Argumentum VII. Quod in Epiſcoporum ordinatione crucis facta ex materia ſigna, apud Latinos quidem adhibentur; apud vetuſtiſſimos vero Chriſtianos nulla adhibita cernuntur.
Argumentum VIII. Ex ſimili vtrorumque diſcrimine in pœnitentia Eccleſiaſtica adminiſtratione ductum.

IDEM crucis ſignum in Epiſcopi ordinatione identidem occurrit. Ornantur duæ capellæ in Eccleſia, in quâ peragitur ordinatio. Crux in vtraque ſuper altari ponitur, & poſt examen ordinandus crucem pectoralem accipit; conſecrator vero & aſſiſtentes cruci non ſemel faciunt reverentiam. Sed ne hoc quidem loco vlla crucis apud veteres ſigna deprehendimus. Conſtitutiones & Hierarchia totum hunc locum tractant plane diligenter. Ac Διαταγὲς quidem plures ad hanc ordinationem epiſcopos convenire jubet: eorum principem clerum & plebem de ordinandi moribus ac inſtitutis ter interrogare diaconum ſuper probati caput *aperta Evangelia tenere*; vnum ex primis Epiſcopis longa ei precatione benedicere, qua peracta, vnum ex præſentibus Epiſcopis jubet ſacrificium in manus ordinati offerre, hunc mane omnes præſentes Epiſcopos oſculari, & in ſolio ſuo collocare. Hierarchiæ verò conditor eadem quoque de hoc myſterio tradit. Ordinandum vtroque genu ante altare flexo, ſupra caput habere Scripturas à Deo traditas, *manumque hierarchicam* (id eſt Pontificis) & hoc modo ſanctiſſimis invocationibus ab ordinatore conſecrari. Crucis ſigna neuter in altari collocari; neuter iis reverentiam à conſecratore vel aſſiſtentibus fieri; neuter denique crucem illam pectoralem, potiſſimum epiſcopalis dignitatis inſigne, ordinato donari dicit; cum tamen hierarchicus myſtagogus minime prætermiſerit σταυροειδῆ illam σφραγῖδα, id eſt *ſignum in crucis modum in aëre ductum*, quo ſtatim ait & epiſcopum & preſbyterum & diaconum in ordinatione ſua ab ordinatore obſignari, ἑκάστῳ δὲ τῶν αὐτῶν ὁ σταυροειδὴς ἐνσημαίνεται πρὸς τοῦ τελοῦντος ἱεράρχου σφραγὶς *Vnicuique eorum ſignum crucis à conſecrante Pontifice imprimitur*. Cur qui de aërio illo fluxo & evanido crucis ſigno tam accuratè præcipit; de illo ex auro ſolido multo pretioſiori manſuroque ad epiſcopalis dignitatis inſigne nihil dicit? Cur & de eo pariter tacet alter ille ejuſdem plane furfuris Pſeudo-Apoſtolicus Διαταγαὶ? Ratio clara eſt; quia horum tempore, id eſt quarto & quinto ſæculo, nondum repertum erat, vt illa crucis ex materia ſigna Chriſtianorum ſacris adhiberentur, vel à Sacerdotum principibus de pectore ſuſpenſa geſtarentur. Iam crucem

Pontif. Rom. Part. 1. p. 54. B, 61. B. 63. A.

Conſtit. Apoſt. l. 8. c. 4. & 5. p. 1004. 1006.

Dion. Hierarc. Eccl. c. 5. Part. 2. p. 312.

crucem in altari, quam nunc apud Latinos paſſim invenimus, nullam in omni ad a. D. 300. antiquitate reperies. Iam in pœnitentium horridis illis apud Latinos ſacris haud parciùs crucis quoque ſignum adhiberi apud eorum Scriptores videmus. Exemplum exſtat in ipſo Breviario inſigne: quo loco Carolum Borromæum tradunt *peſte Mediolani graſſante, in publica ſupplicatione, fune ſibi ad collum alligato, nudis pedibus, etiam offendiculo cruentatis, CRUCEM bajulantem ſemet ipſum pro peccatis populi hoſtiam offerentem, divinam indignationem avertere ſategiſſe.* Eodem pertinent pœnitentium ſupra à nobis memoratæ ante crucis ſignum flagellationes feria ſexta antepaſchali ſolennes. Sed & aliis extra hanc, feriis conſimilia pœnitentes apud Latinos obſervantes reperio. Nam Gaſpar Paës refert à ſuis inſtitutam apud Æthiopes quandam antepaſchalis hebdomadis diſciplinam; ad eam confluxiſſe innumerabilem hominum multitudinem ſeſe in Eccleſia ante Chriſti crucifixi SIGNUM haud perfunctoriè verberantium. Aliquid ſimile Villela de Ieſuitarum Bungenſium domeſticis tradit, quos una cum Iaponibus ferme centum toto quadrageſimæ tempore ſexta quaque feria congregatos in ſuum ipſos corpus flagris ante CRUCEM ſæviiſſe ſcribit. *Vexillum* (inquit) *Chriſti crucifixi proponebatur ſat magnum. Poſtremo exſtinctis luminibus veniebatur ad verbera, nec ante cedendi modus fiebat, quam Pſalmus* Miſerere mei Domine *ad finem uſque recitaretur.* Ad pœnitentiam quoque quodammodo pertinent pleræque illæ ſupplicationes, quæ vulgo *proceſſiones* dicuntur quod ab iis ex uno loco ad alterum procedentibus fiant. Sed & in his omnibus crucem præferri & communis Latinorum canon eſt, ut ſupra ex eorum Rituali diximus, & ſæpe notant rerum Eccleſiaſticarum ſcriptores. Trigautius ſcribit ſuos Iaponas in media perſecutione cum Xyſtum quemdam ex carcere extraxiſſent, in quem ob hoſpitio exceptum Ieſuitam erat miſſus, publicè Chingivæ Arimenſis ditionis oppido proceſſiſſe, præeunte crucis & Chriſti ex ea, pendentis ſigno. Villela in Paſchalis hebdomadis pompis Bungi a. D. 1554. celebratis, narrat ſepulcrum ad inſtar Dominici excitatum, tenebras ſimulatas, in ſepulcri præſidio collocatos fuiſſe Luſitanos duos cum totidem pueris armatos maculis ferreis, & galeis tectos; Tandem proceſſiſſe univerſos magna prælata CRUCE Chriſto affixo velato. Gaſpar Cælius refert in ea proceſſione, quæ Tacazuchi apud Iapones feſto Sacramenti die, præſente Patre Viſitatore facta eſt, a. D. ſi bene obſervavi, 1581. in majore quadam urbis platea extrema erectam eſſe crucem elegantiſſimam, ac pretioſiſſimam Froës verò obſervat in eadem armatos CRUCEM præeuntem circumſtetiſſe viros XII. Ita quidem Latini. Sed & hæc æque ac ſuperiora, in omnibus veris primæ ad a. D. 300. antiquitatis monumentis deſunt. In ſacris quidem ut vocant, *proceſſionibus* fruſtra hæc apud veteres quæſieris, quæ nullæ apud noſtros ad id uſque

GGggg 2 tempus

CAPUT XIII.

Breviar. Rom. offic. propr. Sanct. & c. p. 194. B.

Ann. Æthiop. a. 1625. p. 217.

Epiſt. Iapon. l. 2. p. 122.

Ritual. Rom. p. 402.

Trigau. Mart. Iapon. l. 5. c. 9.

Epiſt. Iapon. l. 2. p. 123.

Ann. Iapon. a. 1581. 1582. p. 91.

Froës ann. Iapon. 1581. p. 154.

CAPVT XIII.

tempus in vſu Eccleſiaſtico fuiſſe reperiuntur. Nuper hierarchicam quamdam ἱεραγωγίαν, quæ Latinarum proceſſionum quoddam fuiſſe rudimentum videtur, ex pſeudo Dionyſio quinti (vt diximus) ſæculi homine exhibuimus; Sed ne ei quidem vllum crucis ex metallo vel ex ligno ſignum prælatum fuiſſe obſervavimus. At pœnitentia apud vetuſtiſſimos in vſu fuit, & quidem publica. Videamus ergo ſi quid in illorum pœnitentium actibus crucis ligneæ aut ex alia materia ſignum vel portatile; vel fixum poſitumve appareat. Tertullianus omnem illius veteris pœnitentiæ formam duobus locis luculentiſſimè exhibet; quæ & ſupra jam ſunt à nobis deſcripta. Prior locus eſt ex ipſo de Pœnitentia, ſanè præclariſſimo, opere, in quo pœnitentes video *ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, paſtum & potum pura noſſe, jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum ſuum, presbyteris advolvi, caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere*; neminem ex eo ordine iſtic reperio, vel crucem aliquam, quod fecit Borromæus, *bajulantem, vel ante crucem aut Chriſti crucifixi ſignum*, inſtar Ieſuiticorum de Æthiopia, vel de Iaponia diſcipulorum, flagris corpus ſuum laniantem. Alter Tertulliani locus eſt in libro de Pudicitia; vbi hominis de mœchia pœnitentis quæſitiſſimum apparatum, miſericordiæq; maxime illicem pingens, non videtur quicquam eorum omiſiſſe, quæ in pœnitentiæ negotio apud noſtros tum erant nota vel ſolennia; crucis tamen quam pœnitens vel bajularet, vel geſtaret, vel quam in Eccleſia poſitam ſpectaret, nullus iſtic meminit. Sic enim ille ad Epiſcopum mœchos ad ſecundas pœnitentiæ & pacis ſpes admittentem; *Tu quidem* (inquit) *pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in Eccleſiam inducens, conciliatum, & concineratum, cum dedecore & horrore compoſitum proſternis in medium ante viduas, ante presbyteros, omnium lacinias invadentem, omnium veſtigia lambentem, omnium genua detinentem. Cilicium* & *Cineres* vides*: crucis ſignum* nullum vides. Peccatorem in media *Eccleſia ante viduas & presbyteros proſtratum* vides; ante *crucem*, vel ante *Chriſti crucifixi ſignum* in ſuum corpus flagris ſævientem non vides. Denique fratrum *lacinias invadentem*, veſtigia lambentem, genua detinentem vides: Crucis lignum vel prætendentem, vel oſculis terentem, vel amplectentem aut adorantem non vides. Hæc Tertullianum, quæ hoc loco non poſuit, tam apta, tam neceſſaria, neſciviſſe nemo qui hominem norit, dubitabit; neſciviſſe autem virum tantum, quæ apud omnes ſui ævi Chriſtianos eſſent ſolennia, abſurdum & incredibile eſt.

Dionyſ. Hier. Eccl. c. 4.

Tertull. de Pœnit. c. 9. p. 146. D.

Tertull. l. de Pudic. c. 13. p. 319. A.

CAPVT

CAPVT XIV.

Argumentum IX. Quod crucis ex materia ſigna fidelium, etiam Martyrum & morientium ſupremis, & mortuorum funeribus, Latinorum quidem adhiberi ritus moſque ſolennis eſt; quæ tali loco ac tempore nulla apud vetuſtiſſimos Chriſtianos occurrunt. Indicantur duo alia ejuſdem rei efficaciſſima, ſed jam alibi tractata, argumenta, vnum à perſecutione, alterum à miraculis, in quibus cruces ex materia Latini quidem creberrime; vetuſtiſſimi verò Theologi nunquam memorant.

SED & Latini ſcriptores crucis ſigna plurimum memorare ſolent in ſupremis ſuorum deſcribendis, quibus & periculoſè ægrotantibus crucis ſigilla aut intuenda proponere, aut digitis inſerere, & mortuis tum ſolenni officio, tum funere, adhibita in vtroque cruce, juſta reddere, Romanæ diſciplinæ eſt. Ipſos quinetiam eorum Martyras raro abſque aliquo crucis ſigno martyrum facere ex ipſorum libris diſcimus. Apud veteres priorum ſæculorum auctores Chriſtianos nihil hujuſmodi vſpiam cernitur; Nullus iſtic reperitur vel moriens, ſive Martyr, ſive alius alio fato fidelis, vel mortuus, in cujus hiſtoria vſurpata fuiſſe dicantur vlla crucis aurea, argentea, ligneáve ſigna. Quod quia nos alibi in prima ſtatim hujus diſputationis parte, allatis in medium plurimis Martyrum, & ex Latina recenti & ex vetuſtiſſima primi Chriſtianiſmi memoria exemplis, demonſtravimus, hic eadem repetere nihil neceſſe eſt. Satis eſt lectorem admonere argumentum hinc duci ad rem præſentem efficaciſſimum; quod qui explicatius pernoſcere cupiet, is locum hujus diſputationis indicatum adeat. Par eorum quoque ratio eſt, quæ ibidem de memorata à Latinis in deſcribendis Eccleſiæ perſecutionibus cruce, plurima ex ipſorum ſcriptoribus recitavimus; quorum nihil apud vetuſtiſſimos ſimile, tametſi in locis ſimillimis, reperiri oſtendimus; quæ ratio ſi vel vnica eſſet, certiſſimè atque evidentiſſime vinceret nondum apud Chriſtianos vllo fuiſſe in vſu ſacra illa vt vocant, crucis ſigna. Si qua enim apud eos hujuſmodi fuiſſent, cur Principes illorum temporum Chriſtiano nomini infeſti cruces everti ac reſcindi non æque ac Latinorum hodie inſectatores, juſſiſſent? cur erigi non æque ac hi prohibuiſſent? Cur in ipſa perſecutione everſæ apud ſolos Latinos cruces quidem publicæ, inventæ vero, expilatæque privatæ leguntur? nullæ plane apud vetuſtiſſimos vel afflictæ, vel raptæ, vel etiam ſive in publicis, ſive in privatis ædibus repertæ memorantur? Nihil ſentit, qui hinc non intelligit illa crucis ſigna, quæ tam multa

CAPVT XV. ſunt nunc apud Latinos, nulla apud noſtros priſcis illis temporibus fuiſſe. Sed quia rem hanc totam in generali diſputatione latiſſime, & quo ad quidem à nobis fieri potuit accuratiſſimè proſecuti ſumus, nihil eſt quod in ea explicanda diutiùs nunc immoremur. Neque his eſt obſcurior ille quoque à nobis fuſe tractatus de *miraculis* locus; qui cum ſæpiſſime apud vtroſque ſcriptores tum veteres ante a.D.300. Chriſtianos, tum recentes Latinos occurrat, cum hoc conſtanter diſcrimine occurrit, quod in eo Latini quidem crucis ſigna ſæpe memorent, eorumque vim ad morbos curandos, ad ſiccitates depellendas, ad dæmonia fuganda, & alia ejuſdem cenſus patranda celebrent; veteres vero de crucis ſignis ad aliquid ejuſmodi efficiendum adhibitis nullum vſpiam verbum faciant. Id quia ſatis iſtic à nobis explicatum eſt, in præſentia mittimus.

CAPVT XV.

Argumentum X. Quod quædam ſignorum crucis ex materia factorum propria, & ad eorum divinitatem propriè ſpectantia miracula, apud Latinos quidem crebra, apud vetuſtiſſimos vero Chriſtianos planè nulla reperiantur. Inſignis in his locus pœnarum crucis violatoribus divinitus inflictarum, apud Latinos frequens, apud veteres nullus vſpiam occurrit.

HIc tantum placuit nonnulla crucis ſingularia propriaque miracula afferre, quæ illic intacta ſiveramus. Quale illud eſt, quod a.D.1581. exhibet Cocinenſis Ieſuitarum Annalis, quandam apud Indos crucem ex eo loco in quo à Thoma Apoſtolo poſita eſſe creditur, moveri conſtanter abnuiſſe; contra molientes nitentem ac ſubito veluti injuriam perſentiſceret, ſudantem & colorem mutantem. Aliam item memorant à Divo Xaverio ipſam quoque apud Indos conſtitutam crucem, quæ ſanguinem fudet; congener Xaveriani illius ſimulacri, quod Cotatæ in India triſti & ad mœrorem compoſito vultu magnum præ ſe dolorem tuliſſe dicitur, quo tempore Malaca à Batavis capta eſt. Tertiam ex Maraccio nuper edebamus, quæ poſt miſſæ ſolennia ſponte primo moveri cœpit: tum in vtramque partem nutare, & quati ita validè, vt à compluribus viris, conjunctis inter ſe manibus, nitentibus validius non poſſet; idque prodigium totas ſex horas perſeveraſſe; magno hominum qui aderant terrore: Ita teſtatus eſt Pater Hyacinthus de Magiſtris. Trigautius & Solerius narrant in Chicugenſi apud Iapones regno, in excelſi cujuſdam montis vertice, eodem loco, vnde crucis ſignum ſublatum erat, a. D.1616. ipſo Sabbati antepaſchalis die lucidiſſimam crucem in mediis ignibus fulgentem apparuiſſe cœlitus. Huc etiam pertinent

Ann. Cocin. a. 1581. p. 14.

Cardim. Relat. Ind. Part. 2. p. 237.

Maracc. Relat. Indic. p. 50.

Trigau. Mart. Iap. l. 5. c. 11. Sol. Iap. l. 17. c. 20.

pœnæ

pœnæ divinitus crucium everſoribus inflictæ. Crucem in Cocinſina CAPVT
fixerat neſcio quis neophytus. Qui eam incendere adorti ſunt, ij XV.
brevi omnes vnà cum liberis, conſanguineis, totaque progenie varia
peſte perculſi, funditusque deleti perierunt; vt vir graviſſimus Men- *Gonc. Mend.*
dozza monachus tradit. Iapones tres Principes, quod communi con- *Sinic. P.2.l.3.*
ſilio crucem à Latinis in monte erectam exſcindere eſſent auſi, cœli- *c.10.p.302.*
tus peſſimè omnes multati ſunt; teſte ac auctore Conſalvo Fernando *Ep.Iap.l.3.p.*
Ieſuita. Neque melius iis ceſſiſſe, qui in eadem gente crucium à ſuis *151.*
everſarum fragmenta violaverant, confirmant Valignanus, Carrion & *Valignan. ep.*
Solerius, omnes Ieſu ſocij. Iarricus ſcriptor ejuſdē cenſus plura hujus *a.1579.p.17.*
generis exēpla exhibet; Chanes barbaros, quod in Travancoris regno *Carr. Litt. a.*
crucē evertiſſent, & Eccleſiā inflāmaſſēt, graves pœnas divinitus luiſ- *1579.p.16. Sol.*
ſe; Nairū quemdā, quod evulſam de loco, in quo fixa erat, crucē ſtra- *Iapon.l.6.c.6.*
viſſet, morbo inſanabili ſubito fuiſſe percuſſū. Aliū Reginæ Culaniæ *Iarr. Indic.l.2.*
Nairum, vna cum elephanto cujus rector erat, ſubita morte afflictum *c.9.p.425.*
concidiſſe; quod præcelſam quandam crucem dejeciſſet; iiſque cla-
dibus ita perterrefactos eſſe omnium Indorum animos, vt cruces Pa-
gani juxta & Chriſtiani in illis regionibus venerentur & ad eas reli-
gionis ergo peregrinentur. Idem refert Tolæ, quæ Barechinæ inſulę *Id.ibid.c. 28.*
civitas eſt, incolas fame, peſte, bello primo attritos, mox prodigiis, *p.674.675.*
horrendiſque terræ motibus ad vltimam perniciem quaſſatos fuiſſe,
quod cruces ex Xaverij diſciplina apud ſe poſitas cōfregiſſent, Eccleſiā
diſieciſſent, & pedibus proculcatas imagines ſacras concidiſſent. Id
quoque miraculis ni fallor, accenſendum eſt, quod iidem auctores
magno cum triumpho pœne omnes narrant, cruces in arboribus qui-
buſdam apud Iaponas repertas fuiſſe, multis prodigiis celebres, ac
eam primo quæ prope Arimam, in arbore, quæ *Tara* dicitur, an.D. *Sol. Iap. l.9.c.*
1588. à Michaële neſcio quo Leonis filio deprehenſa eſt magno mor- *21.*
talium concurſu cultam, atque adoratam, & miraculis exinde non paucis
claram. Neque diu poſtea prope Omuram quatuor alias detectas eſſe *Id ibid. l. 10.*
in arbore mali (quam Iapones *caquinochi* vocant) miraculoſas cruces: *c.8.§.13.*
quas Valignanus veritus ne ea fama Rex irritaretur, abſcondi & clam
ſervari juſſit. Trigautius quidem crucem Obamæ prope Arimam,
repertam memorat; Sed rem confert in a. D. 590. Idem vero eam
potiſſimum crucem celebrat, quam in loco *Cori* vno anno ante perſe- *Trig. Martyr.*
cutionem, quæ a.D. 1612. apud Iapones exorta eſt, repertam fuiſſe *Iap.l.1 c.3.*
narrat, longam vnum palmum, brachiis ad eam rationem vtrimque
expanſis, ipſo etiam titulo in parte, quæ ſupra extabat, expreſſo; A- *Ibid.p.10.Vide*
doratam fuiſſe paſſim à Latini ritus hominibus multis magniſque mi- *etiam Sol.Iap.*
raculis comprobatam, & Epiſcopi juſſu etiam in proceſſione publicè *l.17.c.7.*
geſtatam. Sed & a. ipſo 1612. die Martij ſecundo, quemdam Ieſuita-
rum in Eccleſia Nangazachena famulum, cum Iaponicam forte ficum *Ibid.p.14.*
cæderet, crucem in ea nigram quatuor digitos longam animadver-
tiſſe; quam Epiſcopus in miraculoſarum cenſu habendam definivit.

Sed

CAPVT XV.

Sed & tertiam harum duarum ſimilem crucem anno ſequente in Varacamo apud eoſdem Iapones pago inventam fuiſſe iidem Scriptores

Id. ibid. l. 2. c. 17. p. 222. Annal. Iapon. a. 1613. p. 21. tradunt. Hæc quoque illa pertinent, quæ de crucium quarumdam prodigiis narrat Solerius; Vnam fuiſſe in Iateuxirenſi cœmeterio, quæ totos tres menſes à ſpectatoribus pro diverſa ſuæ contritionis ratione

Sol. Iap. l. 12. c. 13. p. 152. aliter atque aliter viſa ſit, à quibuſdam, ne videri quidem vllo modo potuerit; In eodem oppido repertum eſſe quadratum lapidem ita cóformatum, vt trium crucium figuram referret. *ibid. c. 16.* Hæc illi de cruciũ ſuorum prodigiis; quibus illa tantam famam atque celebritatem compararunt, vt etiam ab hominibus Paganis culta fuiſſe narrentur. Iarricus

Iarric. Indic. l. 2. c. 13. p. 444. ſcribit Ethnicum quemdam Regem Cocinenſem ni fallor, crucẽ haud procul à lectulo ſuo conſtituiſſe, quod eo ſigno diabolos à Chriſtianis fugari audiviſſet; & Porcenſem Regem pendulam de collo cruciculã à Latino ſacerdote impetratam panno ſerico pretioſiſſimo involviſſe,

Ibid. p. 446. & magnis eſſe honoribus proſecutum inſignem de hoſtibus victoriã crucis ope reportaſſe: plures inde per regnum cruces erigi juſſiſſe: vnam præ cæteris, pedes altam quadraginta ſupra ducentos, ingenti mole ac pompa, Luſitanis præſentibus defixam (Videtur enim bonus

p. 456. ille Rex putaſſe ſanctiſſimam eam fore quæ longiſſima eſſet) quin & Mahumetanum quemdam hominem, quod viro Chriſtiano illudens, crucis adorationem exprobraſſet, tam graviter caſtigaſſe, vt miſerum reliquerit ſeminecem: denique cruci tantum honorẽ deferre, vt ma-

Id. ibid. l. 6. c. 19. p. 733. jorem ne Latini quidem ipſi exhibere poſſint. Idem alibi refert Paganũ neſcio quem vxoris hactenus ſterilis virum, ante crucem proſtratum oraſſe ſupplicem ſeque illi cum liberis, quos eſſet ſuſcepturus, obtuliſ-

Ibid. ſe; Vxorem ejus tres exinde liberos triennio ſequente edidiſſe, quotannis vnum, pro numero trium crucium, quibus ſupplicaverat. Alios item Ethnicos navigantes, cum templum coorta tempeſtate cruci, di-

Ibid. c. 20. p. 745. catum eminus forte aſpexiſſent, aureos aliquot ei voviſſe, & ex præſentiſſimo periculo evaſiſſe. *Nairum* quidem, Chriſtianum quemdam hominem, cui trepidè fugienti ſtricto inſtans ferro imminebat, repente illæſum intactumq; dimiſiſſe, cum eum ad crucem forte obviam cófugere, eamque circumfuſis vlnis arctiſſime amplecti vidiſſet: Tanta

Ibid. c. 31. p. 844. Indorum eſt idololatrarum in Latinorum cruces reverentia! Ethnicos item Martavanios ad Luſitanorum Eccleſiam veniſſe, & CRVCI ac Divorum imaginibus reverentiam exhibuiſſe. Hæc Latini. Apud veteres intra trecenteſimum Domini annum Chriſtianos nihil hujuſmodi cernitur. Nulla illis crucis ſigna vſpiam memorant, vel in arboribus naſcentia vel adverſus ea movere molientes contumacia, vel ſponte nutantia, vel ſanguinem ſudantia, vel ſe ſpectantium oculis pro varia eorum pietate varie exhibentia. Omnis hæc Ieſuiticorũ miraculorum ſpecies in primo Chriſtianiſmo planè penituſq; deſideratur. Neque quemquam illius memoriæ invenias, qui pro ſigno à perſecutoribus exciſo crucem cœlitus ſupra montium vertices repræſentatam in

igne

igne fulſiſſe jactet, tametſi ex eo ſcriptorum numero non deſit qui Hieruſalem cum toto mœnium ambitu in aëre aliquãdo viſam ad ſuorum ſolatium narret. Iam quemquam Ethnicum ob violatam aliquam noſtrorum crucem vel exciſum ſtirpitus, vel cœlitùs multatum, vel morbo inſanabili percuſſum, vel ſubita morte ſublatum eſſe; vel aliquam etiam civitatem ob ſimilem impietatem bello, peſte, terrę motu deletam; prodigium eſt totis illis tribus à Chriſto nato ſæculis apud noſtros æque inauditum. Eſt tamen ex illis nonnemo, qui cœleſtes in perſecutores noſtros vltiones referat; vt Tertullianus in libello ad Scapulam Africæ pręfectum. Iſtic Ethnicã plebem quæ ſub Hilariano Præſide de noſtrorum ſepulturis adclamaverat, *Areæ non ſint*, impiæ vocis inhumanitatem fame & ſterilitate luiſſe lego; *areæ* (inquit) *ipſorum nonfuerunt, meſſes enim non egerunt*. Sed & iſtic reperio Vigellium Saturninum Præſidem, quod primus in noſtros gladium in Africa egiſſet, *lumina amiſiſſe*; & Claudium Herminianum in Cappadocia peſte in prætorio ſuo vaſtatum, vivum vermibus ebulliiſſe, quod *Chriſtianos crudeliter tractaſſet*. Idem alia quædam prodigia cœlitus in Gentiles paribus de cauſis miſſa, ibidem tangit, inſanos imbres, ignes ſuper mœnia Carthaginis per noctem pendentes, & terrifica quædam tonitrua, & Solem in conventu quodam Vticenſi pœne, extinctum. Hunc locũ tetigit & Cyprianus *ruinis Regum jacturis opum, diſpendio militum, diminutione caſtrorum*, ſcelus impiorum, qui noſtros erant perſecuti, divinitus recenti memoria vindicatum docens. Euſebius vero non ſemel tractavit, alibi Galerij φθειρίασιν, Maximiani laqueũ, Diocletiani longum & difficilem morbum; alibi Iovij Maximini mortem miſerabilem; Theotecni ſupplicium, & Peucetij, & Culciani infamiam referens. Si cauſam quæris, pios ab illis carnificibus crudeliter aut vexatos aut trucidatos, oratoria deleta, Scripturas combuſtas edit. Cæterum in illo omni numero nullum exemplum extat, vel plebis *cruces* tolli poſcentis, & ob eas ſublatas meſſibus ſuis fraudatæ; vel tyranni ob violata eadẽ ſigna, luminibus, valetudine, regno, fama, aut vita divinitus multati. Sed neque Ethnicorum quemquam toto illo tempore apud vetuſtiſſimos ſcriptores legimus crucis ope vel hoſtes viciſſe, vel liberos impetraſſe, vel incolumem de media tempeſtate enataſſe, vel ejus ſignum, aut immani altitudine poſuiſſe ipſum, aut à Chriſtianis poſitum reveritum eſſe; quæ ſunt à Ieſuitis decantata ſuorum crucis ſignorum miracula. Apud Tertullianum quidem reperio Severum Principem à Proculo Chriſtiano per oleũ curatum, faviſſe homini cùmq; requiſiviſſe & in palatio ad mortẽ vſq; habuiſſe; & multos de Ethnicis honeſtos viros aut à dæmoniis aut valetudinibus remediatos eſſe noſtrorũ opera. Reperio & primis illis temporibus Principes aliquos Ethnicos nonnulla Chriſtianiſmum reverentia ſuſpexiſſe; Tiberium jam ab initio de Chriſti divinitate detuliſſe ad Senatum cum prærogativa ſuffragij ſui; Hadrianum de templis Chriſto faciendis cogitaſſe, & ad hoc

CAPVT XV.

Tertull.

Tertull. ad Scap. c 3. p. 86. C.

Cypr. ad Demetr. p. 237.

Euſeb. Hiſt. l. 8. fol. 91. & l. 9 fol. 106. B.

Tertul. ad Scap. c 4. p. 87. C.

Id. Apol. c. 5. p 6. C

HHhhh quædam

CAPVT XVI.

Æl. Lamprid. in Alex. Sev. *Id. ibid.* *Ibid. p. 129. C.*

quædam paraſſe quæ in omnibus civitatibus ſine ſimulacris juſſerat fieri templa; Alexandrum Severum in ſuo Larario Chriſtum inter animas Sanctiores, quas ibi colebat, habuiſſe: eidem templum facere voluiſſe, & eum inter Deos recipere. Sed Ethnicum vel hominem, qui à materiali cruce beneficium aliquod adoratione, ſupplicatione, aut voto conſecutus ſit, vel Principem, qui ejus ſignum coluerit, aut erexerit, aut in cubiculo, aut in larario poſuerit plane reperies neminē. Nimirum Latini apud quos hæc ſunt familiaria, crucis ſigna habent, colunt, magnificè deprædicant. Veteres in quorum monumentis nihil tale occurrit, nulla crucis ſigna habebant.

CAPVT XVI.

Argumentum XI. Quod crucis parva ex auro, argento, ebore &c ſigilla quæ geſtare apud Latinos omnes paulo religioſiores viri mulieresque ſolent nulla apud vetuſtiſſimos Chriſtianos fuiſſe cognoſcantur.

Epiſt. Iap. l. 4. p. 209. *Sol. Iap. l. 4. c. 9. §. 101.* *Ann. Iapon a 1577. p. 40.* *Ann. Sin. a. 1625. p. 182.* *Alex. Rhod. Itin. Eoi. Part. 2. p. 101. c. 11.* *Trig. Mart. Iap. l. 1. c. 2.*

POSTREMO neque hoc omiſerim, crucis ſigilla tanta eſſe in veneratione apud Latinos, vt ea non Epiſcopi & Abbates tantum, ſed omnes paulo quidem religioſiores viri mulieresque ſecum perpetuo geſtent; qualiter Iaponici iſtorum annales tradunt Bartholomæum Regem aureæ crucis ſigillum, quo etiam antequam baptizaretur, munitus erat, ſecum aſſidue, auctore Ieſuita Coſmo geſtaſſe: Idem de Andrea Arimæ Rege annales tradunt. Emanuel Dias ſuos de Phoceu civitate Sinas ait cruciculas ſibi vnūquemq; collo geſtandas ex odorato ligno confeciſſe, ad ejus inſtar quam Ieſuita ex vrbe Nanceu attulerat. Alexander quidem Rhodius Tunkimenſes ſuos neophytos quorum ille pietatem ad ſidera extollit, omnes affirmat duas quemque cruces geſtare, alteram ad pectus, quæ pro clypeo ſit: alteram ad dextrum brachium; quæ pro gladio. Nimirum Latini cruces pro ſuæ religionis armis & inſignibus habent; ſic, vt minores quidem, quæ geſtantur hominum ſingulorum, majores, quæ figuntur & eriguntur, civitatum ac gentium, Chriſtianitatem indicent: & has Trigautius *religionis Chriſtianæ vexilla* diſertè vocat. At in omnibus primi Chriſtianiſmi monumentis nullus Rex, nullus Epiſcopus, nullus privatus civis, nullus, vt breviter dicam, vir, nulla mulier vſpiam inveniuntur, ligneum, aureū, argenteum, crucis ſignum geſtantes. Vel vnum ex veris certiſque illius temporis libris edant adverſarij, qui hæc Chriſtianiſmi vt ipſi vocant, *arma inſignia, vexilla* vel dixerint, vel geſtarint. Nullū hujuſmodi fuiſſe ſatis ſupra in priori parte demonſtravimus, vbi allatis & veterum & Latinorum ſcriptorum & inter ſe comparatis exemplis docuimus cū talibus crucium ſignis illorū quidem homines ſæpe, horum verò nunquam à perſecutoribus deprehenſos fuiſſe: Chriſtianiſmique veteris quidem confeſſores ac martyras cum Evangeliorū & Scripturæ codicibus

cibus aliquando, cum crucium vero ſignis nunquam; recentioris vero hujus Latinæ religionis cultores planè cōtra ſæpe cum crucibus, nunquam cum Scripturis ab hoſtibus repertos captoſque eſſe. Sed neque noſtris matronis, quod nunc eſt Latinis, familiare tum fuiſſe crucis ſigna apud ſe habere, & ante ea ſupplicare, vel cruciculas ex collo, aut ex zona ſuſpenſas geſtare, validè ex quodam Tertulliani jam alibi deſcripto loco argumentor; vbi Chriſtianæ mulieris in viri Ethnici matrimonio viventis incommoda perſequens, crucium harū nullus meminit. Inter cætera ſuæ religionis, quæ virum Ethnicum offenſura ſint, & in pravas de vxore ſuſpiciones obductura, & tamen hujuſmodi quę cum haud facile celari aut latere in quotidiano convictu poſſent hoc in primis recenſet; *Latebis-ne tu (* inquit *) cum lectulum, cum corpuſculum tuum ſignas?* Crucis ſignum, quo ſe mulier ex Chriſtianorum more ſignabat, dicit. Cur non & illud adjecit; *vel cum ante crucem proſtrata adorabis?* Ne dubites adjecturum, ſi hic noſtrorum fuiſſet vſus. Sed ille aliud quoque addidit; *Latebis ne, cum etiam per noctē exurgis oratum, & non magiæ aliquid videberis operari?* Quanto ad hanc de magia ſuſpicionem appoſitius ac fortius dixiſſet; *cum crucis ſignum vel domeſticum in cubiculo adorabis, vel ex collo pendens in ſinu geſtabis, & forte oſculaberis? non magiæ aliquid videberis operari?* Crucem enim, rem vulgo tætram & feralem, non facile crediddiſſent Ethnici ad aliud, quam ad maleficium vſurpari. Narrant ipſi Ieſuitæ, ex multis rebus ſacris, quas in Riccij ſarcinis Mathan Eunuchus, Regis Sinenſis miniſter reperit, nullo magis hominem ad iram atque indignationem commotum fuiſſe, quam Chriſti viſa in cruce pendentis effigie; criminantem *id ſpectrum ad Regem carminibus tollendum procul dubio conſtructum; Cui enim videri* (inquit) *poſſit eam rem vſum habere alium, quam veneficiorum impoſturam?* Hæc ille. Crucis, vt nunc apud Iaponas, Sinas & finitimas gentes, ita & olim apud Romanos Græcoſque vſus non alius quam ad ſupplicia, vulgo notus erat. Eam ergo in ſacris adhiberi ſi à noſtris comperiſſent illi non aliter, quam Sinā hic Mathan, ſuſpicati eſſent ad maleficia vſurpari. Nihil erat in omnibus noſtrorum ſactis ad eam ſuſpicionem magis appoſitum, quam crucis ſignum, ſi quo in vſu apud eos fuiſſet, vt nunc eſt apud Latinos. Itaque Tertullianus, ſcriptor prudentiſſimus, idem & vehementiſſimus, quo loco illam de magia ſuſpicionem memorat, crucis ſignum, ſi id noſtris in religione ſolenne fuiſſet, omnino erat allaturus, dicturuſque; *cum ad crucis ſignum adoratura te proſternis, cum cruciculam de more vel de collo pendentem, vel de ſinu promptam oſcularis, cum ligni apud idololatras feralis figuram vel contrectas, non magiæ aliquid videberis operari?* Sed & aliud affert Tertullianus; *Non ſciet* (inquit *maritus*) *quid ſecreto ante omnem cibum guſtes? & ſi ſciverit panem non illum eſſe credet, qui dicitur?* Eucharistiam intelligit, quam maritum Ethnicum ait ſi ab vxore guſtari deprehenderit, pro infami illo pane habiturum; de quo noſtros Pagani

CAPVT XVI.

Tertull. l. 2. ad Vxor. c. 5. p. 150. A.

Trigaut. S. ic. l. 4. c. 11 p. 401.

calumniabantur. Sed & hic crucis ſigna dicenda erant; quorum animadverſo in ſuæ vxoris arcanis cultu vir Ethnicus liquido affirmari vidiſſet id, quod noſtris velut invidioſiſſimum à ſuorum quibuſdam obiici audiverat cruces ſcilicet à noſtris coli. Qui iſta crucis ſigna locis tam opportunis conſtanter tacet Tertullianus, ea profectò neſcivit, quæ ſi qua in ſolenni noſtrorum cultu publicè privatimq; erant, vir talis, Chriſtianus, imo & preſbyter, ad hæc ſui ſæculi eruditiſſimus, neſcire profectò non potuiſſet.

Capvt XVII.

Diſputationis concluſio, & brevis ἀνακεφαλαίωσις. Ex conſtanti vetuſtiſſimorum ſcriptorum de crucis ex materia factu ſignis in his omnibus locis ſilentio, validiſſimè confici ea Eccleſiæ ad quartum vſque ſæculum plane fuiſſe ignota. Solvuntur duo à Bellarmino nequicquam objecta loca, Iuſtini & Origenis, in quibus ad inſtitutum. Latinorum torquendis detegitur ſumma adverſarij ſocordia atque inverecundia.

Atqve hæc quidem ſunt non modo præcipua, ſed etiam niſi me fallit animus, pœne omnia loca, in quibus Latini ſcriptores illa ſua crucis ſigna, ex dogmatis quidem atque vſus ſui hypotheſi, meritò, ac tantum non neceſſario memoraverunt. Nam ſi (quod nuper ex ſacris iſtorum libris recitabamus) *crucis ſignis latria debetur*, ſi ſunt eadē *remedia humano generi ſalutaria*; ſi ſunt *ſoliditas fidei, profectus bonorū operum, redemptio animarum, ſolamen ac tutela contra ſæva jacula inimicorum*; ſi *Dei benedictione* ita *ſanctificantur*, ſi *cœleſtem virtutem ac gratiam* ita percipiunt atque hauriunt, vt omnibus apud ea quidē *ſupplicantibus peccatorum remiſſionem & poſtulatorum indulgentiam*; eadem vero *ſuper ſe geſtantibus cœleſtis gratiæ plenitudinem, & divinæ benedictionis munimen* concilient atque conferant; ſi ſunt *in adverſis defenſio, in proſperis adjuvamen, in hoſtes victoria, in civitate cuſtodia, in campis protectio, in domo fultura, Dei inimicis obſtaculū, credentibus perpetuum victoriæ vexillum*: ſi ſunt eadem *fidelium protectio, & ſpei certa fiducia*; ſi eos *cum gente & plebe fide confirmant, ſpe & pace conſociant, triumphis augent, in ſecundis amplificant, temporali florentes gloria muniunt, & ad perpetuam redemptos coronam ad regna cœleſtia potenti virtute perducunt, iiſque & ad perpetuitatem temporis, & ad vitam æternitatis proficiunt*; ſi hæc inquam, vera certaque ſunt, nemo nō videt Latinos ſigna illa, quibus vitæ vtriuſq; ſalus, & civitatum agrorumq; & gentium incolumitas continetur, jure meritóque in oculis, in ſinu, in manibus, domi foriſque viventes, ac morientes habere, amplecti, oſculari, colere, adorare, aliis eadem commendare, prædicare, inculcare, dumque ita ſe gerunt, adeo non peccare, vt graviſſime peccaturi ſint,

peſſi-

peſſimeque de Eccleſia, deque vniverſo hominum genere meritori, ac Solem (vt ſic dicam) de rebus humanis erepturi, ſi hæc vniverſis ac ſingulis adeo vtilia, neceſſariaq; ſigna negligerent, iiſque vel ſe vel alios carere paterentur. Quod ſi hæc conſtant (vt ex Latino quidem dogmate conſtant) ne illud quidem quod dixi, dubium aut obſcurum erit, ſcriptores earumdem partium merito ac neceſſario illa tam multa opportunis locis dixiſſe, quorum nos ſpecimen exhibuimus, neque ea profecto abſque flagitio prætermittere potuiſſe; cum hoc Eccleſiaſtici ſcriptoris officium eſſe omnes intelligant, vt res pie, præclare, religioſe, atque vtiliter geſtas ad eorum, qui geſſerunt, laudem, & ad lectorum ædificationem litteris diligenter mandet, neque quicquam hujus generis ſuis locis vel taceat, vel diſſimulet. Quæ cum ita ſe habeant, illud quoque omnino confitendum eſt Apoſtolicæ & proximæ ad a.D.300. Eccleſiæ homines quidẽ paria cum hodiernis Latinis hac in parte facturos fuiſſe; Scriptores verò ſimilia Latinorum ſcriptorũ, litteris fuiſſe mandaturos; ſi illius Eccleſiæ eadem fuiſſet, quæ Latinæ nunc eſt, de *crucis ſignis* ſententia: Imo quo major fuit priorum, quam poſteriorum fides, pietas atque Sanctimonia; eo illos quàm hos, diligentius atque religioſius crucis cultum, & ipſos obſervaturos, & eorũ ſcriptores commemoraturos omnino eſt rationi conſentaneũ. Si ergo *crucis ſigna* erigenda, geſtanda, habenda, colendaq; eſſe Chriſtianiſmi, vt nunc Latinis eſt, ita & Apoſtolici olim fuit lex atque diſciplina, neceſſe eſt primo quidem vt hæc illi veteres ſigna, etiam aliquanto, quam nunc Latini crebrius, diligentius, atque religioſius conſecraverint, in Eccleſiis, in ædibus, in agris fixerint, & ſecum ipſi geſtarint, ac denique coluerint; ſecundo vero vt iſta ipſorum in crucis ſigna officia ſcriptores ejuſdem memoriæ non modo non parcius, aut ſegnius, ſed etiam ſæpius, ac diligentius commemoraverint, ac prædicarint, quam nunc ſuorum Ieſuitæ Sinarum, Iaponum, atque Indorum ſimiles actus celebrant. Cur enim huic omnium res Eccleſiaſticas ſcribentium cõmuni officio deeſſent vetuſtiſſimi Chriſtianorũ ſcriptores, ratio dici nulla poteſt. Atqui ex inſtituta à nobis vtrorumque ſcriptorum inter ſe cõparatione Sole meridiano clarius elucet in omni hac adhuc, ſummo Dei beneficio, ſuperſtite vetuſtiſſimorum librorum qui ante a.D 302. ſcripti ſunt, partim divinorum, partim Eccleſiaſticorum non contemnenda copia, non modo non vbique, non crebro, ac frequenter, vt in recentibus Latinorum monumentis occurrere crucium conſecrationes, geſtationes, adorationes, feſta, miracula, trophæa, & cætera, quorũ ex Latinis exempla non pauca attulimus; Sed ne ſemel quidem memoratum inveniri vllum crucis ſignum, ligneum, lapideum, aureum, argenteum, à noſtris vel fixum in loco ſacro, aut profano, vel ſuis procedentibus prælatum, vel domi ſervatum, vel ſecum geſtatum, vel denique adoratum aut cultum. Si quid enim hujuſmodi ſcripſiſſent illi auctores, iis certè locis ſcripſiſſent, quæ nos excuſſimus; plane vt fe-

CAPVT XVII.

ciſſe Latinos oſtendimus. Neque vero aliud ſuadent quatuor illa veterum teſtimonia, quæ nobis Bellarminus in hac diſputatione objecit. Supra demonſtravimus duo priora, quæ Minutij ſunt, & Tertulliani, quam non modo falſo, ſed etiam impudenter nobis objectarit, quæ ſcilicet crucium cultum, quem ille ex iis aſtruere vult, plane liquidoque negent apud noſtros illius memoriæ homines fuiſſe in vſu. De duobus aliis, quæ Iuſtini ſunt & Origenis, tametſi ea quoque jam antea delibaverimus, nunc plenius ſatisfaciendum eſt. Iuſtini Bellarminus hæc verba recitat, *Signa & nota quæ apud NOS ſunt, hujus rei* (crucis) *virtutem declarant.* Hinc colligit ni fallor, ſigna crucis jam tum apud noſtros fuiſſe; caſſo argumento, etiamſi Iuſtini verba ea eſſent, quæ iſte deſcripſit. Sed nequid in re facili morer, nego hæc eſſe Iuſtini verba; Aio Bellarmini, qui hæc Iuſtino affingit, craſſam eſſe, & intolerabilem vel improbitatem, ſi prudens fallit, vel certe oſcitantiam, ſi imprudens. Iuſtinus, vt legitur in omnibus libris, ita ſcripſit; καὶ τὰ παρ' ὑμῖν δὲ σύμβολα τὴν τοῦ σχήματος τούτου δύναμιν δηλοῖ. *Et vero ſigna, quæ apud VOS ſunt, figuræ hujus vim declarant.* Langus ita interpretatus eſt; *Quin & ſigna VESTRA figuræ hujus vim præferunt & declarant.* Duo ſunt Bellarmini (vt omnes jam vident) in his pauculis craſſa & pudenda peccata; vnum levius, quod *rem* dixit, quæ in Iuſtino *figura eſt*; σχῆμα, non πρᾶγμα; alterum gravius, neque facile expiandum, quo veteratoria vnius litterulæ *V* in *N* commutatione *NOS* pro VOS ſcripſit; & SIGNA, quæ Imperatorum & exercituum Romanorum erant, in noſtrorum *ſigna* convertit: profana in ſacra, militaria in religioſa, impia & idololatriæ Paganicæ plena, in ſanctiſſima ſuæ Eccleſiæ (vt putat) trophæa. Quę enim dicit Iuſtinus *ſigna*, apud eos ſunt quos alloquitur; *ſigna quæ apud vos ſunt*, τὰ παρ' ὑμῖν. Alloquitur autem Auguſtos, & Principes Romani imperij, Chriſtiani nominis hoſtes ac perſecutores; vt conſtat: Ergo ea ſigna quę dicit Romanorum Principum ſigna ſunt; & quę ſtatim ſubiicit de *tropæis* hanc fuiſſe ejus mentem clamant. Nimirum ille aliquod crucis ſaltem veſtigium, vt ſupra Minutius quoque & Tertullianus, in militaribus Romanorum ſignis, vexilliſque venatur. Nonne bellus diſputator Bellarminus, qui ex his ſua crucis ſigna jam apud Chriſtianos ſolennia fuiſſe concludit? Neque ejus in Origene vel fides melior, vel fœlicior conatus *Origenes* (inquit) *L 6. in epiſtolam ad Romanos dicit crucis figuram ante oculos poſitam, ſi attente cōſideretur, valere ad depellendā omnem tentationem.* Hæc ille, Atqui falſiſſimū eſt hanc vim *figuræ crucis* iſtic ab Origene tribui. Falſiſſimum eſt vel ipſum *figuræ* vocabulum apud Origenem hic legi; quod eſt à Bellarmini officina hic additū, vt quę mortis & paſſionis Dominicę in ſuorū animis vera fide inſculptę virtus eſt, eam ille ſuis inertibus ac mortuis ex ſaxo & ligno ſignis vindicare poſſet, *Certum eſt* (inquit Origenes) *quia vbi MORS Chriſti circumfertur, nō poteſt regnare peccatum. Eſt enim tanta vis crucis Chriſti,*

Bella. de imagin. Sanct. l. 2. c. 28. § Argument. ſecund.

Iuſtin. Apolog. 2. p. 71. init.

Orig. l. 6. in ep. ad Rom. init. T. 2. p. 547.

vt ſi

CAPVT XVII.

vt ſi ante oculos ponatũr, & in MENTE fideliter retineatur, ita vt in IPSAM MORTEM Chriſti intentis OCVLIS MENTIS aſpiciatur, nulla cõcupiſcẽtia, nulla libido, nullus furor, nulla ſuperare poſſit invidia; ſed continuo ad ejus præſentiã totus ille, quem ſupra enumeravimus, peccati & carnis fugatur exercitus. Hactenus Origenes. Omnia clara, vera, pulcherrima, ſi modo per *Chriſti crucem*, phraſi Scripturæ, Eccleſiæ, mundo ipſi familiari non tuas, tuorumq; figuras, quæ carnis & ſuperſtitionis figmenta, nõ Chriſti inſtituta ſunt, ſed illam ipſam Domini mortem intelligas, quam Origenes ſupra, & infra, vbique dicit; & *oculos* capias, quos ipſe ſcriptor *mentis oculos* ibidem interpretatur. De *figuris illis tuis* nihil hic auctor vſpiam ſcribit in tam multis, quæ ſuperſunt operibus; imo religionem ſignis & rebus materialibus affigi ſæpe vetat[a], omnemq; operum [b] manufactorum in ea vſum diſertiſſime damnat, & *omnes pictores, ſculptores*, & ſimulacrorum fabricatores, à quorum tu arte & manu tuas illas *crucis figuras* habes, ex republica Iſraëlis lege Dei ejectos atq; excluſos fuiſſe diſerte docet[c], quod *ſimulacrorum conſtructio*, ſive *fabricatio, oculos animæ ſtultorum hominũ à Deo in terram averſos avocatoſq; attrahat*; nedum vt à nobis hujuſmodi artificum opera atque figmenta vel adorari, vel quavis alia ratione in religione vſurpari vſquam concedat aut permittat. Ita diſpunctis quatuor illis locis, quæ ſola ex tota trium primorum ſæculorum antiquitate attulit Bellarminus; nunc paret nullum revera illius memoriæ extare de crucis ex materia ſignis apud noſtros vel adoratis, vel etiam ad ſacra vſurpatis teſtimonium. Iam eum ſignorum crucis vel cultum, vel vſum apud primam Eccleſiam aliquem fuiſſe, cujus nuſquã meminerint tam multi, qui in ea vixerunt, cordati eruditique auctores, in plurimis libris, qui ſuperſunt, & quidem omnes de religione, deque rebus Eccleſiaſticis ſcripti; id inquam; plane penituſque eſt incredibile. Cur enim illi ſi culta, vel ad ſacrum aliquem vſum vſurpata tum fuiſſent apud noſtros crucis ex materia ſigna, de re adeo memorabili potius tacuiſſent, quam hi recentiores. Latinorũ ſcriptores, quos ſuam illam in hæc crucis ſigna religionem non ſemel, non pauce vno aut altero in loco, ſed crebro, ac pœne vbique, quoties ſeſe vel leviſſima dat occaſio, diſertiſſime profitentes nuper audiebamus? Profecto tam evidens, tamque validum eſt hoc à conſtanti trium illorum ſæculorum ſilentio argumentum, vt vel vnum ſatis vincat plane ignota noſtris fuiſſe primis illis temporibus vel ipſa crucis ſculpta, fictaque ex aliqua materia ſigna, nedum vt eorum cultus, qui nunc apud Latinos fervet, religioſus, jam tum ſolemnis vſitatuſque eſſet.

a *Id. cõtr. Celſ. l.3. p.135. l.7. p. 373. 377.*

b *Id. l.3. contr. Celſ. p.163. l.7. p.378.*

c *Origen l.4. contr. Celſ. p. 187.*

FINIS.

ADDENDA.

Lib. I. Cap. XXV. p. 209. lin. 29. poſt verba, de tabernaculo tuo, *Adde*, Eodem modo ſimplex *migrare* pro transferre vſurpat Auguſtinus non ſemel. *Si (inquit) migranda ſunt, quæ habemus, in eum locum transferamus, vnde ea non perdamus.* [a] Sermo vltimus ex Auguſtinianis 40. à Sirmondo editis, (qui eadẽ fere habet, quæ in illo altero de Tempore à capite ſeptimo ad calcem legimus) hæc paulo aliter, & quidem vt puto, melius atque emendatius, exhibet, *Si migranda ſunt quæ habemus, in eum locum, vnde non ea perdamus migremus.* [b] Sic quoque paulo ante dixerat; *Conſilium do, migra, in cælum* [c], ea nimirum quæ *in terra habes, theſauros; pecuniam prædia*; de his enim loquitur, Sic & ſtatim de frumento. *Migra in ſuperiora.* [d] Neque aliter accipienda, quæ idem alibi eadem mente dicit; *Præſentia cuncta contemnite. Si habetis, nolite cupiditate inardeſcere; Migrate, transferte ante vos. Quod hic habetis, illuc eat, quo ſecuturi eſtis.* [e] Ita etiam loquitur auctor Sermonis, qui in altera Supplementi parte extat ſub numero XV. ſive Auguſtinus, ſive quis ex Auguſtino alius, de eleemoſynis verba faciens; *Qui (inquit) juſſit te dare, non te voluit perdere, ſed migrare* [f]; ea ſcilicet quæ egenis ex ejus præcepto das. Ex his ni fallor, planus eſt is Tertullianeæ locutionis ſenſus, quem diximus, *Rigaltiana vero interpretatio, &c.*

[a] Auguſt. de Temp. Serm. 50. c. 8.

[b] Serm. 40. Sirm. T. 10. Aug. p. 843. D

[c] ibid. A.

[d] ibid. B.

[e] Aug. de diverſ. Ser. 115. c. 18. quod eſt ultimum.

[f] Supplem. Aug. P. 2. p. 353. C. Serm. 15

Lib. II. Cap. XX. extremo. p. 300. poſt hæc vltima capitis verba, adorationemque neſciviſſe, *Adde*, Id ipſum inde etiam argumentari licet, quod nuſpiam apud eos cautum fuiſſe cernimus, nequis communicantium Euchariſtiam aliter, quam ingeniculatus de manu miniſtrorum ſumeret, nedum vt eam, etiam non communicans, ſi forte occurreret, ſtatim procumbens adoraret quod vtrumque nunc apud Latinos in vſu eſt, ac merito quidem, ſi quod ipſi contendunt, Euchariſtia vere Deus eſt. Hic enim adorationis Deo debitæ antiquiſſimus idem & appoſitiſſimus, & ab ipſis Apoſtolis probatus ac factitatus ritus eſt, vt quem quis adorat, eum vel toto corpore proſtratus, vel ſaltem genibus nixus veneretur. Nihil autem hujuſmodi apud vetuſtiſſimos Chriſtianos obtinuiſſe, vel ex iis patet, quæ quarto (vt videtur) ſæculo de ſacro communicandi ritu Pſeudo-Clemens in Conſtitutionibus tradit; qui licet totum illum actum, ſingularemq; in eo piorum religionem accuratiſſime deſcribat, nihil tamen vel cõmunicantibus de proſternendo corpore, vel de genibus humi ponendis præcepiſſe cognoſcitur, vel tale quid ab iis fieri ſolitum commemoraſſe. Vnde intelligimus nondum iis temporibus receptum apud noſtros fuiſſe Latinum hunc de geniculis cõmunicandi morem; quod

Vid. Conſtit. Apoſt. l. 8, c. 13. totum ac maxime extremum.

etiam luculentiſſime confirmat conſtans & vniverſalis Græcorum in hoc peragendo, ac ſuſcipiendo ſacro conſuetudo, quos videmus omnes Euchariſtiam ſtantes ſumere. Ioannes Cotovicus Vltrajectinus, teſtis oculatus affirmat, quo loco ritus hominum Chriſtiani nominis in Oriente degentium ſacros exſequitur; *Græci* (inquit) *laïcos ſub vtraque ſpecie communicant, erectos, non genibus nixos.* Non eſt credibile gentem antiquarum & πατροπαραδότων traditionum ac cærimoniarum retinentiſſimam, & in cæteris religionis partibus, imo & in hac ipſa, ad faſtidium moroſam atque ſuperſtitioſam, ita hoc Sacramentum fuiſſe celebraturam, ſi aliter eſſet ab eorum majoribus inſtitutum. Sed nos cæteros, huic Euchariſtiæ adorationi parum conſentaneos vetuſtiſſimorum Chriſtianorum ritus, ex inſtituto ordine pertexamus.

Ioann. Cotovicus Itin. Orient. in Syria & Palæſt. lib. 2. c. 6.

Lib. III. Cap. XXXII. pæne extremo p. 539. lin. 5. ant. fin. poſt hac verba, eximium atque proprium, *Adde*, Bellarmini aliud ſentientis opinio adeo abſurda eſt, vt eam vel ipſius commilitones reſpuant. Baronius recitatis Angeli ad Ioannem verbis; *Plane* (inquit) *ſignificat non ſibi, ſed Deo præcipuam illam, omnium maximam adorationem deberi, idque non tantum vt Ioannem inſtrueret, ſed in Ioanne potius vniverſam Eccleſiam adverſus eoſdem hæreticos* (Angelorum ſcilicet adoratores) *communiret.* Sic & Gregorius de Valentia, quem honorem Ioannes Angelo deferebat, eum ipſe quoque divinum fuiſſe, vnique Deo debitum ſtatuit. Ac ne cæteros commemorem, Catechiſmus Tridentinus, cujus libri poſt ipſum Concilium maxima eſt apud Latinos auctoritas, eandem ſententiam ſequitur, delatam à Ioanne venerationem Angelos ideo recuſaſſe docens, *quod ſibi eum honorem haberi nolebant, qui Soli Deo deberetur. Hæc ergo certa, conſtanſque, &c.*

Bar. a. D. 60. §. 19.

Greg. de Val. l. 1. de idolol. c. 4.

Catech. Trident. ad Decal. Mandat. 1. p. 202. B.

Lib. IV. Cap. III. pag. 600. lin. a fin. 9. poſt hæc verba, illorum exuviæ? *Adde*, nihil invidiç Romanis adverſariis feciſſe, quod quorum reliquias etiam ipſi de longinquis regionibus advenientes viſerent, & adorarent, & miraculorum gloria florere faterentur, eorum traditiones quidem & inſtituta damnarent, fideliſſimos vero diſcipulos excommunicarent?

Lib. IV. Cap. XX p. 695. lin. 11. poſt hæc verba, evectum conſtat, *Adde*, ne quid nunc de Baronii in hac hiſtoriæ parte inconſtantia dicam, qui quæ olim in Notis ad Martyrologium Romanum de Iacobi in Hiſpanias adventu & prædicatione commentatum ſe meminerat, ea ipſe in Annalibus, Ruderici Ximenii auctoritate (vt loquitur) perculſus, in dubium revocat. *Dextri vero nomine.*

Bar. a. D. 816. §. 49.

FINIS.

ERRA-

E R R A T A.

Pag.	Lin.	Lege
3	12.ant.fin.	quidem parte
	8.a.fin.	Earum
9.	14.	ex veter.
13.	23.	διακρίσεως ſenſum ἐνοί-ſεως ſcilicet,
16.	9.	alii, quam eid.
	24.	vni Deo
	vlt.	nullam ſe, cæteros
21.	9.	ἀμφὶς πλείς
24.	13.	Ac vt
29.	13.	famoſiſſimam diverſita-
32.	11.	te ſcilicet
33.	24.	qua plane
34.	11.	prohibere
	8. a.fin.	Atque hunc
	5. a.fin.	loquens, quæ
36.	15.	ſubſtantiæ
37.	5.	antiquitatis
44.	7.	inobedientiam
45.	14.	Græcum
	7. a.fin.	Ad eandem
47.	7. 8.	Si qua egregia,
	19.	ſcilicet æque
55.	5.a.f	martyrium
56.	13.	homines
	15.a.f.	narrationis auctores cũ
58.	10.a.f.	objiciuntur)
63.	9.a.f.	Tales etiam
64.	vlt.	fiſſuras
66.	16. a.f.	ante eam
	4. a. f.	Chriſtianos
68.	20.	ſacrum ſecum duceret,
	15.a.f.	præſtantium
69.	17. a. f.	Cumamotenſibus
70.	6.	cum duobus
74.	20.	eſſet ad ignem
75.	3.	Caſtulum
76.	4.	confugerent
77.	10. a. f.	ſpectemus
79	10.	Galerius Max.
80.	4. a. f.	ſpiritum exclamarit
83.	20.	*lacerno birro*
86.	13.	ictus innovato
	24.	Siculi
87.	16.	eis redderet
	6. a. f.	ſi quis id
88.	6. a. f.	Laurẽtio Aurelianei tẽp.
92.	11.	quæ Evang.
	4.	hoc vno
93.	8.	ingenii ad ſcr.
	19.	Lipſiana
	20.	quæ vol.
95.	2.	prædicatæ
96.	3.	cum Ign.
98.	(*quæ male* 78.) 8.	in regno
	20.	ſed & Angel.
99.	(quæ male 79.) 11.	tumorem.
	4. a. f.	capiti
102.	20.	inſederat.
	pen.	ex voto ſucc.
103.	6.	patantem
	12.	extruſiſſe
	7.a.f.	chartæ

Pag.	Lin.	Lege
104.	9.	his centum
105.	21.	vir alioqui
106.	6.	denatum eſſe
108.	15. a. f.	ὁ δὲ θεὸν ἦν
111.	18.	naturæ eſt
	12. a. f.	vt in cæt.
112.	6. a. f.	Euſebius eadem
	3. a. f.	ſe convertiſſe
115.	3. a. f.	Præfatus enim
119.	17.	vilitatem
121.	21.	quo loco
124.	10.	Ac primo
125.	8.	quidem ſeponatur illa o-mnis de traditione
126.	3.	fuſileſque
	13.	omni converſationis
127.	29.	ἔχει κατ. τῶν ἐχθρῶν.
129.	13.	vt nos
130.	25.	eſt quo
131.	17. a. f.	quos ea cop.
132.	17.	res divinas
134.	14.	ligna feralia
	19.	merum
135.	12. a. f.	reſponſet
138.	11.	modo non fat.
147.	27.	Barbàrum
148.	16.	Miræus ait
	32.	Valdenſem annis
150.	21.	Africa
	4. 3. a. f.	*deleantur a,* Vide &c. *vſque ad fallor*
153.	4.	qui Vigilant.
	12.	Sed hæc Hier.
	23.	ſtatim edit
154.	11.	quidem μὲν in
155.	9.a. f.	fuiſſe pures, vt
159.	6.	rideris qui
	9 a. f.	ex non
160.	5.a.f.	irrepat
161.	3. a.f.	quærunt
163.	5.	thenſis, &
	24.	Liber Eleuth.
	pen.	ſplenas, &
164.	13. a f.	Si Deum meo
166.	10.	vt decebat,
167.	15.	noſtri vnicum
169.	11. a. f.	offendunt, ſtatim
170.	21.	à pietate
	5.a.f.	habere non pot.
171.	4	*& facere tranſ.*
172.	21.	; ſi & ipſe, &
173.	17.	Pagani
	pen.	conveniunt, nullo
	vlt.	à ſuis habitas ſciviſſe
174.	4 a.f.	vero ita per
176.	17.	æra, neque
179.	16.	qui his car.
185.	14.	& ipſis
188.	2. 3.	paulo infra
191.	13.	quam vt
192.	11.	eos
195.	5.a.f.	extemplo

ERRATA.

Pag.	Lin.	Lege
200.	26.	quos acerrime
202.	15 16. a. f.	ωρ.εωλώρια
	5. a f.	tum quis Chriſti
205.	17.	ecbola
210.	vlt.	paſſas
218.	6.	profecto Ieſuitæ.
219.	4 a. f.	carebat
223.	16.	Quod vero.
232.	14. a. f.	legitima
233.	10.	bis vnius pag.
234.	3.	& nos accep.
235.	16.	decreverunt
236.	14 a. f.	imperite
237.	14. a. f.	Diacono elevatur,
238.	12.	*admoneatur.*
239.	10.	cogant in
244.	13.14.	extuliſſent
247.	9.	fide firma
249.	19.	obſeptam
	3. a f.	Atque hæc
250.	9.	ante eam
	14 a.f.	impoſtoris
251.	9 a.f.	aſſa voce
252.	19.	Fictitius
	5 a.f.	reperiantur
253.	1.	& ſcuticis diverb.
254.	13. a.f.	(inquit) ἐν παρόδῳ
256.	6.	illud certe neg.
257.	22.	exiſtunt
	29.	quo ad fieri
260.	16.	nituntur
262.	4.	quadam
263.	21.	nunquam abſque
266.	4 a. f.	Ethnici
273.	22.	poterunt eſſe
275.	4	ſentire, quin
	16	vt eſt apud
277.	6.	excidiſſe
	26.	hiſtoriæ hujus
	4. a f	Ideo ipſa
278.	13. a.f.	Herardi
279.	18.	Atque hæc doc.
	5 a. f.	pro exim.
280.	13.a. f.	quas magna
281.	6.	Nam propter
	6. a f.	ſtatuendum, vt
285.	4.	excitatam
	6.	tum verba
292.	19.	23. ad 30.
294.	15.	Albaſpineum
296.	11.	nulla dubit
297.	4	ſumimus His
300.	16. a.f.	ipſos confeſſa
303.	2.	adhuc gerens
308.	15.	difficili infan.
309.	2.	Chriſtiani quod nunc Latini profitentur, id
	11	agimus, noſti
313.	11. a f.	familiari
316.	6.	hoc vir erud:
318.	15.	Chriſt. non ideo non
	5 a. f.	ſervi- vt eum.
320.	4.	quod quia non
322.	12.	& alias ſi forte.
323.	17.	Eadem in
	6. a. f.	facilitate
324.	13.	(vt ſic dicam)
326.	19. a. f.	Ægyptiarum
	10. a. f.	aliarum
328.	20.	*audientes*, id
330.	19.	aut noxam
332.	3. a.f.	tradunt
333.	8.	, Lugdunenſes
334.	5.	illorum Alaſtorum
336.	18.	fuiſſet al eadem de
337.	13.14. a.f.	eas, qua
	6. a.f.	antiquam ill.
339.	3.	habent
	9.	& ad alteram
341.	19. a.f.	ſed vt præcl.
342.	2.	amamus, vt dig.
345.	pen.	Primarium
346.	9.	vt nullæ.
	3. a.f.	Divus
347.	vlt.	fide conjur.
349.	20. a.f.	vetuſtiſſimis
	16. a. f.	Divo, ſed Dom.
350.	16.	Meneſius
	8. a.f.	titulos
351.	4	amplificandæ
	13.	ſodales
	16.	Michaëliis
353.	4.	& honorem
356.	6.	dimiſſo
359.	14.	poteſt. Nam etiam
361.	3. a. f.	aut vbivis
363.	12. a.f.	vllus vſpiam
365.	6. a.f.	nullas
366.	15.	dicunt à
370.	2.	homæoteleutis
371.	16.	ad eas
375.	15. a. f.	Conſtantinum ver.
377.	2.	ſalutari ? Cur
381.	23.	Ac vt nos
384.	19.	ergo ſic fieri
	6. a.f.	neminem habeamus
386.	16.	placita
	22.	mentionem, qua
407.	15. a.f.	in hæc ſua
408.	24.	dico, quæ ad
	26.	plurimas
409.	12.	non ideo non invoc.
	13.14.	ſed aliam aliq.
413.	16.	Origenis
	24.	ipſe
415.	21.	Ac in
	3. a. f.	fœnerandum
416.	14.	, vt orantibus
	18.	in libr. Regnorum
420.	21.	vatum, vos ſiderum
	29.	His illi
421.	6.	fucato
	vlt.	, Hora nulla
423.	6.	cantum
425.	vlt.	& artis, &
426.	22.	erat ejus
	25.	extra eam

E R R A T A.

Pag.	Lin.	Lege
427.	6.	& vera fuiſſe
	5. a. f.	Ad Divos
430.	2.	ſacros ſingulis
	10.	fuiſſe audivi
	11. a. f.	,dextra
	10. a.f.	plorate jub.
431.	27.	feriis
432.	4.	,tum ipſa
438.	9.	;Divis pro
	18.	Amen. Hæ vet.
439.	13.14.	convertatur
	19.	quod in gen.
	12. a. f.	Fulminatrix. Kε.
440.	3.	quin Deum
441.	10. a.f	replent, in
442.	6.	Hæc quidem
443.	10. a f.	Te quæſo
444.	1.	nemo ſit, qui non ejus
445.	4.5.	veſpere ante
446.	12.11. a.f.	indicat
	9. a.f.	Atqui hoc ip.
457.	18. a. f.	denoto
458.	5. a. f.	feciſſe dicitur
450.	17. a.f.	; aut vlli
	7. a.f.	in vitæ
452.	11. a. f.	precatur; Virg.
453.	9.	Corinthiis comm.
454.	6.	vero aberr.
	24.	facturi fuerint
	13. a. f.	dolere
455.	13.	talem
	14.	monumentum.
460.	10.	Illic enim
461.	9.	in Divos
	12.	alium
	13.	ab alio
462.	8.	quiſquis
	14. a. f.	via, qua
463.	4.	Hunc miris
	11.	Vchubirono
	19.	abeſſent. Hoc
	25.	ſingulari
466.	12. a. f.	initio fidei. ſuſtendandam
469.	2.	exurendas
	8.	, vel certe B.
	pen.	cæteras
471.	9.	jure ab Alex.
475.	20.	conſtat, vt orantes
476.	14.	Sed vtrumque
478.	11.	Martyres
	18.	hactenus certe inv.
	25.	in pietate
481.	10 a.f.	contra hæc
483.	12.	vltro ſe &
	22.	Non ſi anim.
	8. a. f.	incorruptibiles
	3. a. f.	Quas infra
484.	20.	nos juvare
486.	11.	non quas
	12.	Sed quas acutiſſ.
487.	14.	genuinum
489.	27.	eſt nono jam
490.	9. a.f.	donati, qua

Pag.	Lin.	Lege
492.	3. a.f.	operam, & ſpem
493.	9.	οὐ λυσεῖ
494.	18.	illi ea
	24.	vni Cæsari
495.	10. a.f.	Ex horum
497.	19.	καὶ εὐχὴ
498.	4.	eſt eas ab
	17.	& hic &,
500.	17.	ſupremam
501.	1.	ex iis, quæ ejus ſup.
	11.	diſp. ſuæ part.
502.	1.	notant, à
	5.	neſcirent. Quanto
	3. a. f.	Zamolxin
503.	2.	Idem infra
	22.	infame eſt
	25.	Natum hom.
507.	6.	iis, quæ
	11.	quod iis in
	27.	ſæculi
508.	10.	id me ab
	12.	quod illi
	8. a.f.	incipiant
511.	19.	abſurdum judicavit, vt abſurdiſſimum rev.
512.	13.	His fortas.
514.	10. a.f.	vitilitigent
515.	6. a.f.	majorum
517.	2.	Scorpiace in
	11.	vtcumque ea:
518.	15.	& avertere
520	17.	detinendos
	26.	(inquit Origenes)
	5. a. f.	eſt has
521.	12. a. f.	alterius ſine alterius
523.	8.	agere, &c.
525.	20.	quod ex his
	5. a.f.	illos tam
	3. a.f.	invehit?
526.	17. a. f.	omitterem
527.	19. a. f.	imploraſſe dicit.
	18. a. f.	ſenſu poſuit
528.	15.	ſenſerint
	19.	(vt putant
	25. 26.	Angelorum cult.
529.	13.	Eum autem
532.	10.	dicit; imo ne ab
533.	12.	multa ad
	vlt.	ait, Hieronymi.
534.	8. a.f.	cum aliena vx.
537.	10.	gravi piac.
538.	22.	Enos, & illius
	5. a. f.	colere, eo
	pen.	פליך
539.	6.	plane ad Iud.
542.	28.	cenſeant
543.	16.	illa, quæ ex
	17.	preces eis
545.	12.	manere
	26.	Tu-ne
546.	27.	veras, ſincerasque:
547.	24.	inſignes
	9. a. f.	noſtri ſint ap.
548.	7. a.f.	Cottonianæ

ERRATA.

Pag.	Lin.	Lege
550.	11.12. a. f.	ex præclaro
557.	16. a. f.	reſpondet ; VNVS (in
559.	14. a.f.	negat, aut pr.
561.	11. a.f.	ex votis ab
567.	18.	At conſtat
569.	18.	ea nonn.
	vlt.	non hos modo
570.	5. a.f.	ipſarum & auct.
576.	6.	legitima
579.	9. a.f.	quæ [illegible]
581.	3. a. f.	vllam rep.
584.	13. a.f.	habere, magnum
585.	11.	& quod hic
586.	20. a. f.	viliſſimorum quidem
	19. a.f.	invidemus
588.	6.	adire ad
589.	7.	ſua illa
	9.	ſinceram
	17.	inquis
590.	7. a. f.	viri (quem
591.	9. a. f.	exhorreſcamus
592.	8.	atque iterum
593.	7.	contactis
	27.	ſpecies
594.	pen.	terraque
596.	18.	[illegible]
598.	12. a. f.	ſuis non
	pen.	admirationi
600.	7.8.	die reſurrectionis
604.	13. a.f.	in prima
605.	9.	tam ſe
	7. a. f.	At facile
611.	6. a. f.	ipſa aliud
	4. a.f.	ac pœne omn. qui
613.	6.	præter. eos de
	11.	ipſa contra adv.
615.	1.	& operis excell.
	11.12.	Tertulliani
616.	11.	& exſolvuntur
617.	1.	claritatem
618.	11.	illud eſt Orig.
	14.	quod mortuum
622.	16. a. f.	memorias
623.	17.	neceſſe eſt conc.
	24. 25.	de hac
	3. a. f.	augentes
624.	7. a. f.	Chriſtianos
	pen.	quadam in
	vlt.	devincirent
626.	16.	abjectum
	pen.	portatile
636.	21.	nullæ erant
637.	2.	collo
	6.	cum Taraz.
641.	12. a.f.	vni cum ſuæ
642.	15. a.f.	quidem ſua
643.	1.	ſuos fures
	7.	vnam
	8.	tentatam, non peractam
647.	21. a.f.	*carioris*
648.	14. a. f.	paulo amplius
650.	19.	[illegible]
651.	18. a. f.	funeribus fuiſſe.
653.	20.	ſibi cav.
658.	1.	an altaris
	11.	eſſe, vt
	19.	non eſt illos
664.	6. a.f.	de carptis
668.	3.	modo vno in.
669.	19.	anterioribus ad extr.
	20.	exemplum ex veris
670.	11. a f.	comperit Celſum
672.	11.	quod loca
679.	3. a.f.	homines ſexti, &
681.	21.	narrabat ſe ſemel
	24.	tantam fuiſſe
	26	Divæ
683.	12.	[illegible]
684.	10.	quibus ex reliq.
690.	16.	tamen eo propendere
693.	8. a. f.	quæ per hunc
694.	16. a.f.	ignotam
698.	12.	corpora ſub
700.	19. a.f.	& ad quem
701.	7. a.f.	didicerant
702.	14. a. f.	Iacobi
705.	25.	revelationibus
	10. a. f.	crederet, qui
706.	15. a. f.	animis, qui
707.	14.	& nos ſat.
	21.	laudat, eo oſt.
	vlt.	profecto
710.	8.	ingenioſe
	16. a. f.	vnum fundit
	9. a. f.	argumenta
711.	2.	cultu traditionem
	5.	à Chriſti
714.	6.7.	Calvaria : vnde
715.	24.	Dominicæ paſſionis locũ
725.	7. a.f.	depoſuiſſe ; vt
	5. a.f.	jejunare ; vt
727.	6.	*colitur*. Negat Deum.
	11. a.f.	crucis
729.	12.	Cypriani
731.	7. a. f.	docet
734.	17. a. f.	erat objectum
738.	12. a. f.	gradus, ſive ſpecies
749.	20.	ſignificat Tertullianus. Significat quoſdam
752.	2.	divinitatis
	17.	quas ſe
755.	7. a. f.	alia ejuſdem ſar.
756.	10.	Thoma
757.	23.	Thoma
758.	6.	illis Barth.
760.	12. a.f.	dicam equidem quod
766.	9. a.f.	credam, Et cur non credam, ra-
767.	18. a.f.	formula, eam
769.	6. a. f.	adoraviſſe.
779.	15. a. f.	perumal
788.	13. a.f.	*conciliciatum*
790.	13. a. f.	ſudet.

ERRATA.

IN MARGINE.

Pag.	Lin.	Lege
64.	5.	Rois Gir.
164.	3.	*dricere*
165.	ad lin. 17.	Perron. L. 3. de Euchar. c.19.p.918.
460.	1.	c.9.p.61.
461.	5.	Maffei.

Pag.	Lin.	Lege
466.	4.	Hypomnem.
	11.	L.5.
499.	5.	Bor rus
584.	7.	L.7. c. 17.
588.	10.	Spina rypo
	12.	expreſſa.

ANT -174 1690